IO. AUENTINI ANNALIUM BOIORUM LIBRI 7. EX AUTENTICIS...

Johann : Aventinus Turmair, Hieronymus Ziegler, ...

Digitized by Google

7
8-A
28

6
27 N
13

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

79
F
17

7-8.A.38.

Digitized by Google

H
322

Applic.° al Coll.° Rom.°

IO. AVENTINI ANNALIVM BOIORVM LIBRI VII.

Ex autenticis manuſcriptis codicibus

PER CL. V.

D. NIC. CISNERVM, ELECTORALIS Curiæ Palatinæ Proiudicem & Conſiliarium, ſingulari diligentia & fide,

Recogniti, reſtituti & aucti.

Nunc denuo excuſi, cum geminis INDICIBVS.

Bibliothecae Coll. Rom. Soc. Iesu

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BASILEÆ

Impenſis Ludouici Regis.

M DC. XV.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMIS PRINCIPIBVS

WILHELMO, LVDOVICO, ET ERNESTO,

FRATRIBVS GERMANIS,

Præfectis prætorio Rheni, superioris, inferiorisq; Boiariæ Ducibus D. N. N. N. suis clementiss. atque indulgentiss.

IOANNES AVENTINVS S. D.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

TERTIVS iam agitur annus (Principes Illustriss.) dum mandatis vestris pareo: dumq; tam religioso, tam memorabili vestræ pietatis desiderio, atque proposito, satisfacere, & respondere, summa ope studeo; atque nitor. Cum enim ego potissimum delectus, & hoc liberali, perpetuoq; stipendio condonatus fuerim, vt Boiorum clarissima quæq; facinora literarum æternitati commendarem, seu potius consecrarem: non committendum putaui, quo aut expectationem mei fallerem, aut sumptus, impensæq; perderentur. Religio insuper mihi fuit, rem tam immensam: & maiorem priuatis opibus, non sua cura, ac industria, sed illotis (vt aiunt) manibus aggredi, atque tractare. Pro virili itaq; parte laboraui: multa tuli, feci, sudaui, & alsi: totam Boioariam perlustraui, omnia contubernia sacerdotum penetraui: scrinia, publicas Bibliothecas omnes curiosius perscrutatus sum: libellos, codicillos, donaria, commentarios, fastos, Annales omnium gentium, diplomata, instrumenta publica, & priuata euolui: signa, sacra, lapides, trophæa, epigrammata sepulchrorum, picturas, inscriptiones, titulos, templa, omnia deniq; antiquitatis monumenta exploraui; atque perspexi: nihil intactum, nihil intentatum reliqui. Omne genus scriptorum excussi, omneis pene angulos perreptaui: vbi certa deerant monumenta, famæ rerum stetimus. Omissis tamen, quæ poeticis fabulis magis decora, quàm incorruptæ rerum gestarum veritati accommoda fuerant. Datur hæc venia antiquitati, vt fabulosa veris miscēdo primordia sua augustiora fa-

ra fa-

Auentinus multas regiones vidit.

ra faciat: alioqui etiam (quemadmodum de fabulis, & obscura opinione collecta, & deprauata) veritas à vulgo solet variis sermonibus dissipata corrumpi. nullo non addente aliquid ad id, quod audiuit. Veterum, dirutarumq; vrbium, & arcium vestigia (quarum nomina apud Ptolomæum, cæterosq; illustreis autores commemorantur) inueni ex diligentissima passuum, segmentorum, partium comparatione, & obseruatione indagaui: sine quibus id negocij sibi sumere, hominis est imprudentis, & intemperanter abutentis ocio, atq; clementia principum. Fateor nec inficias eo, duram admodum cepi prouinciam: Sed haud inuita (vt mea quidem fert opinio) Minerua, repugnanteve natura. Nempe bonam partem ætatis patrimonij, valetudinis perlustrando Germaniam, Gallias, Italiam, Sarmatiam, Pannoniam exhausi: longo quoque tempore Mathematicis opem dedi. Inde à studio ad Aulam latus sum: vbi licet docendi officio ocupatus fuerim, succisiuis tamen ista horis curaui. Quando vero huiuscemodi munere docendi defunctus, rudeq; donatus sum, non fuit consilium, socordia atque desidia bonum ocium conterere, sed iussu vestro, atq; mandato (principum Maximi) statui Annales Boiorum perscribere. Res præclara, magnifica, & generosis animis digna, mortuis vitam dare, obsoletis nitorem, obscuris lucem, dubiis fidem, mortalibus immortalitatem. Quis porro tam iniquus rerum æstimator erit, qui neget rerum gestarum memoriam (præter id quod omnibus ætatibus dulcis & iocunda est) Reip. esse vtilissimam? cum eam ob rem senes prudentiores sint adolescẽtulis: & nihil eorum, quæ ante te acta sunt scire, id sit semper puerum esse. Mihi enimuero diuinarum literarum thesaurum perscrutanti, compertum est, Deum Opt. Max. vt donum peculiare, sacrumq; solis sacrosanctis vatibus scribendæ historiæ officiũ concessisse. Vbi tanquam in speculo vitas omnium vnusquisq; nostrum inspicit, atq; ex aliis sumit exemplum sibi, & quid facto opus sit admonetur. Videt quisq; apertè, quã caduca, quam fluxa, quam fragilis sit diuitiarum, & potentiæ gloria, quam breui dilabatur: pietatem vero atq; virtutem esse claram atq; æternam, per quam pro mortalibus immortales, deosq; fieri liceat, vel imperitus animaduertit, atq; plane sentit. Proinde (principes Illustriss.) opto, vti quæ vobis placuerint, Christus dominus, Deusq; noster ad probet, beneq; euenire sinat, & ceptis tanti operis, quod vestris auspiciis cudimus, quod vobis dedicamus, aspiret.

Historiæ vtilitas.

Nomenclaturæ vtilitas.

Verum antequam initium narrandi faciam, operæ precium (vt opinor) facturus sum si propria nomina, quibus maiores nostros vsos fuisse reperio, secũdum ordinem literarum commemo-

memorem, atq; interpretatus fuero. Plurimum lucis ea res diligentius inquisita adfert historiæ: neglecta tenebras offundit; infinitos parit errores. Non vno loco admonet Strabo autor grauis imprimis, nomina pro varietate sermonum varie efferri. Nulla in re frequentius, turpiusq; peccatur: alibi facile, alioquin eruditos, sæpius nugari deprehendens. Etenim arduum est Barbaris dare gratiam. Vergilius Poëtarum doctissimus offensus asperitate nominum Illyrum, res gestas Augusti describere omisit. Nam (vt ait Plinius) in illo nonnullus labor est, vt Barbara, & fera nomina latinitati nō resultent, arte, curaq; mitiganda sunt: ad leuitatem extendenda, contrahenda, inflectenda. Et huiusmodi audentia non delicata, sed necessaria est. Quemadmodum Ausonius quoq; docet, propria nomina locorum, & hominum, quæ Barbara sunt, peritè, & concinne modulate, & dulciter, ita iuxta naturam Romanorum, accentuū enunciāda sunt, vt tamen veris, ac primigeniis vocibus sua vestigia nō pereant. Vt in sacris literis, & in Hebræis nominibus quoq; Septuaginta interpretes fecisse reperio. At mira est Græcisantium felicitas: in mediis te Athenis diuersari credas, nusquā Græcula non recantat Echo, adeo gentilicia cognomina euertunt, Græca & peregrina sibi asciscunt. Quasi vero idem inlustres autores factitarint: aut non dignitas nominum, decorum rerum veritasq; inuertatur: si in alterum detorta, deprauataq; huiuscemodi nomina fuerint sermonem, nisi id docendi, non ludendi gratia fiat. Habet vnaquæq; professio suos peculiares locos quibus potissimum dubia comprobat. Iureperiti, iutiq; dicundo præfecti institutis maiorum, edictis, rescriptisq; principum, sapientum responsis, legū potestati seruiunt: atq; his locis, quos Philosophi, Cicero artes expertes vocare solent, Grammatici autoritati, exemplis quoq; poëtarū, & oratorum addicti sunt. Innituntur Philosophi suis præceptis, Theologi vt sacramento rogati, religioneq; adacti maiestatem diuinarum literarum præferunt. Nomenclatura, notatioq; apud rerum scriptores multum pollet, plurimum momenti obtinet.

Grammatici Philosophi.

Veteres haud temerè fortuitouè absq; delectu, sed auspicato, & die lustrico nomina sibi dixere, quæ essent aut ingenij, aut fortunæ indicium. Diuinationis fuisse genus neminem latere potest, qui Philosophos, Platonem, Poëtas, Vates, Moysen, Theologos, Originem, sacrarum literarum vtraq; instrumenta accuratius lectitauerit. Ausonius eleganter id explicat his versibus:

Nominum impositio apud veteres.

Nam diuinare est (inquit) *nomen componere, quod sit*
Fortunæ & morum vel, necis indicium.

Idem ad Probum præfectum prætorio:

Age, vera proles Romuli,
Effare causam nominis,
Vtrum ne mores hoc tui
Nomen dedere: an nomen hoc
Secūta morum regula?
An illa venturi sciens,
Mundi supremus arbiter
Qualem creauit moribus
Iussit vocari nomine?

Idcirco elegánter Diuus Hieronymus ita docet: Votiua (inquit) & quasi ob virtutis auspicium imponūtur vocabula hominibus, & Appellatiua vertuntur in propria, sicut apud Latinos Victor, Probus, Castus, cæteraque his similia ex virtutum vocabulo liberis à parentibus imponuntur.

Compertum ego habeo, Germanos in hac re paulo superstitiosiores fuisse, vt qui pertinacissime, tanquam infausto omine abstinuerint à peregrinis, & sibi incognitis nominibus: Suis semper vsi sunt, insignibus tamen, & (vt ita loquar) ominosis. Vt vel hinc apertissime illorum figmenta semet prodant, qui nescio quos nobis Dædalos, Troianos pingunt, mágis quā Græci audaces: quibus nihil est negatum.

Nobis non licet esse tam disertis,
Qui Musas colimus seueriores.

Hominis nimirum suaues, in rebus incompertis ad equum Troianum, tanquam ad aram confugiunt: quemadmodum imperiti naturæ ad numen diuinum. Sed liberius, altiusq; processi, dum me arrogantiæ, & odiosę ostentationis Ardelionum piget, tædetq;. Nunc Nomenclaturam agamus.

Petrus, Georgius, Paulus, Ioannes, Anna, Margaretha, Barbara, Catharina, & huiusmodi nominum sylua nobis recens est: & demum post mortem Imp. Friderici secundi Cæsaris Augusti apud Germanos nata, labefactata tum sacrosancto Imperij Romani Majestate factione Romanorum flaminum quorum astu (nequid grauius dicam) hactenus discordia intestina laboremus: neq; quicquam præclari tanti temporis spacio à nobis gestum est, sed in initio querelis abstineamus, quæ & tum quidem gratæ erunt, cum necessariæ fuerint. Illud potius in primis notetur, nostram linguam Græcæ confinem esse, rectiusq; nostra scribi Græcis literis, Latinis non itidem: & Germanos, Teutonas, Venedosq; complures consonantes, absq; vocalibus solere coniungere, vnaq; syllaba proferre, quibus Romani sonantes interponunt. Atq; hinc rem auspicabimur.

Lingua Germanica Græcæ cōfinis.

VITA

VITA IOANNIS AVENTINI BOII.

NOBILI, ET ORNATISSIMO VIRO Osvaldo ab Eckh & Randeckh, &c. Domino suo obseruando, Hieronymus Zieglerus S. D. P.

QVOTIESCVNQVE apud te, Osvalde Ornatissime de Auentino præceptore tuo mentio fit, animaduerti non semel te summa pietate erga illum, etiam dudum mortuum, commoueri, & ita laudes eius prædicare, quasi nullis prorsus officiis eius in te fidei & disciplinæ perpetuo satis facere queas. Macte isto animo, & hac pia memoria, Osvalde ornatiss. macte inquam, sic enim fiet, vt multi abs te exemplum capiant, atque huiusmodi affectum erga suos præceptores mordicus retineant. Nam vulgo videmus nihil fere abiectius esse præceptoribus. Vtinam igitur omnes te in hoc pietatis officio sequerentur. Cuius rei gratia tibi publice testis esse volui, atq; Auentini vitam (sicuti ex te, aliisq; excepi) descripsi: & eam tuo nomini inscripsi, inscribo, & dedico. Nihil nunc (crede mihi) viri de te optime meriti manibus gratius facturus es, quam si vitæ eius bene & honeste peractæ testis eris, patrocinioque tuo quicquid de illo scriptum est, tueberis. Accipe à me in præsentia hoc paruum munusculum, donec tibi, cui multum debeo, in grauiori argumento gratificari detur. Vale vir ornatiss. perpetuo feliciter.

IOANNES AVENTINVS natione Boius, nostro seculo antiquitatis studiosissimus indagator, ex Abusina (oppidum est superioris Boiariæ, quod vulgo Abensperg dicitur) oriundus, Patrem habuit Ioannem Thurmair Pandocheum eius oppidi, virum honestum: vnde & à nobiliss. viro Leonardo ab Eckh Thurnomarus in epigrammate quodam dictus. Quod vero sese Auentinum nominarit, in causa est patriæ antiquum nomen. Nam Abensperg in vetustissimis literis Auentinum, ab Antonino Rom. Imp. in Itinerario suo Abusina vocatur. Natus est Auentinus anno Christi Domini nostri 1466. quam primum pater filium studiis dicasset, breui temporis spacio prima fundamenta Grammaticæ, quod tamen eo tempore rarum erat, deprehendit. Deinde Ingolstadium à parentibus missus est: vbi cum in philosophia & liberalibus artibus multum profecisset, consilio præceptorum suorum, atque ex innato erga honesta studia ardore, Lutetiam Parisiorum profectus est. Quod Gymnasium primas præ omnibus aliis in Europa tum tenebat. Ibi ita sese in omni studiorum genere exercuit, vt septem artium magisterii dignitatem assequeretur. Præceptores Parisiis habuit Iacobum Fabrum Stapulensem, & Iodocum Clichtoueum, sicuti ipse in lib. 6. Annalium scriptum reliquit. Postea anno salutis tertio in Germaniam ex Gallia rediit, Viennam petiit. Quo cum venisset, priuatis auditoribus libros aliquot oratorios & poeticos (quod ibidem pauci antea tentassent) prælegit. Anno vero quarto Ratisponam ex Vienna venit. Sub qua profectione in morbum grauissimum incidit. Bigis igitur vectus ad Andream Brims, patrem Domini Erasmi Ratisponæ nunc agentis, diuertit, rogans vti sibi liceret in præsenti frigore sese apud fornacem fouere paulisper. Vbi cum acquieuisset

Andreas, hospitio eius per totam hyemem vsus est, & se fouit. Etsi molestum non nihil erat hominem ægrotantem tam diu retinere, tamen ob viri singularem probitatem, & eruditionem raram parentes Erasmi patienter tulerunt, donec pristinæ sanitati restitueretur. Quod vbi factum est, & ipse vires paululum reassumpsisset, in patriam rediit, ibique totum annum permansit. Anno sexto rursum Viennam abiit, Erasmumque supra dictum, agentem iam decimum & quintum annum, secum abduxit. Quo tempore D. Maximiliani Roman. Imp. liberalitate doctiss. totius Germaniæ viri Viennæ agebant: nempe Conradus Celtes primus inter omnes Germanos poeta Laureatus. Ioannes Stabius Cæsareæ maiestatis Methematicus, Ioannes Cuspinianus Imperatoris Orator, D. Velocianus Pinderus, Ioachimus Vadianus, &c. Quibus partim vsus est præceptoribus, partim familiariter cum eis vixit. Anno septimo Cracouiam profectus est: ibi Grammaticam Græcam publice legit: Mathematicisque tum magnam operam, vti ipsemet lib. 4. Annalium scribit, dedit. Sed ad patriam per literas reuocatus, Erasmo Brimsio comite Viennam ex Cracouia venit, inde Ratisponã, & tandem vsq; in patriam commigrauit. Anno nono cum Erasmo Ingolstadium abiit, vbi Somnium Scipionis, & Rhetoricam Ciceronis ad Herennium professus, magnam laudem consequutus est. Post bellum Bauaricum scripserat heroicum carmen gratulatorium ad Albertum ducem Boiorum, conditionemque aliquam tum petebat. Porro anno duodecimo Monacum vocatus, Illustriss. principum Ludouici, & Ernesti fratrum Germanorum præceptor constitutus, eos Burckhusii honestis literis diligenter instituit. Post paucos annos cum Illustriss. principe Ernesto, &c. in Italiam profectus, multas ibi cum principe vidit vrbes, & mores hominum: præcipue Mantuæ sanguinem Christi miraculosum sub Carolo Magno repertum (sicuti ipse lib. 4. scribit) inspexit. Tandem officio præceptoris defunctus, noluit vitam reliquam in ocio, sed in negotio transigere, & Annales Boiorum scribere incœpit. Quod cum Illustriss. principes Wilhelmus, Ludouicus & Ernestus duces Boiorum, &c. intelligerent, eum liberalissime sumptibus iuuare polliciti sunt. Hinc diplomatis ad omnia monasteria Boiariæ sumptis, vtramque Boiariam perlustrauit: atq; quæ ibidem inspexerit, ipse in sua dedicatoria Epistola Annalium enumerat. Bonam partem etiam antea ætatis, patrimonii sui, valetudinis perlustrando Germaniam, Galliam, Italiam, Sarmatiam, Pannoniam exhausit. Posteaquam varia & multa ad propositum suum idonea collegisset, Annales septem libris latine conscripsit: quorum maiorem partem Ratisponæ apud Erasmum Brims, quædam etiam in patria, vbi ædes cum adiuncto horto extra mœnia habebat, absoluit. Verum solitudinem pertæsus, ad Erasmum ex Abusina scripsit hæc verba: Neminẽ habeo, cum quo loquar. quare decretum est apud me, rursum ad te venire, &c. Nam aliquando integrum, quandoque dimidium annum Erasmi hospitio Ratisponæ vsus est. An: Domini 1529. mense Octob. à Ratispona in patriam rediit. Quàm primum vero ædes sororis Abusinæ ingressus esset, statim captiuus (quam ob causam nescio) abductus, per aliquot dies in vinculis detentus est. Verum paucis post diebus mandato Illustriss. Boiorum principum libere, nulla infamiæ nota prorsus illata, dimissus est. Sed ita fit, vbi aliquando quidam clementia principum, in bonorum perniciem abutantur. Quanquam illud viro philosopho aliquo modo tolerabile esse debuisset, tamen nonnihil in alium mutatus videbatur, valde insuper timidus & pusillanimis, de dispendio valetudinis, & captiuitate multum conquestus, nimium anxius, ita vt illam solicitudinem veram melancholiam in eo esse multi arbitrarentur. Ad Venerem nunquam procliuis, & quantum omnes, cum quibus vixit, testantur, ab amoribus mulierum alienissimus semper fuit. Cum vero iam ad annum vsq; 64. ætatis suæ cœlibẽ vitam duxisset, cum Osvaldo Rueland, & Erasmo Brimsio de vxore ducenda consulere cœpit, serioq; sæpius multos locos ex sacris literis, suadentes & dissuadentes matrimonium protulit. Sed senectutem suam omnino considerans, tandem pro-

rum-

rumpens in hęc verba, dixit: Senex sum, mihi ministrari opus est. Dux igitur Sueuam, morosam mulierem, illepidam, & omnino pauperem: deceptus ab anu quadam, quæ ei illam vt famulam saltem, adduxerat. Ducta vxore, Ratisponæ in via Angilorum domum emit: vbi aliquandiu cum vxore habitauit. Anno 33. salutis à Nobiliss. viro Leonardo ab Eck, &c. Ingolstadium, vt filium suum Osvaldum institueret, euocatus est. Quo cum venisset, Petro Apiano Mathematico clarissimo extra familiam familiarisime vsus est: honestissime ibi perpetuo vixit, raro in publicum prodibat, domi sese Horatianis carminibus cantandis, à prandio & cœna, cum Osvaldo ab Eck, & aliis oblectabat: sicuti mihi Venerandus vir D. Christophorus Rumel ad D. Mauritiũ Augustæ Canonicus, & senior, qui vna cum Auentino eo tempore, & in vnis ædibus habitauit, sæpius dixit. Vespere aliquando ad Danubium prodeambulabat: vbi ego memini me illum semel videre. Circa Natalitias ferias anno 33. vehiculo Ratisponam venit, vt vxorem cum filia infante secum Ingolstadium aueheret. Verum, vt sunt res mortalium caducæ, bonus & pius vir, siue ex frigore (quod ei semper quam aliis infestius fuit) siue quod auas senex, atque exhaustus viribus esset, in itinere morbo correptus, statim cum Ratisponam venisset, calidum poposcit. Illi qui aderant, & inter cæteros Osvaldus Rueland, & Erasmus Brims vaporarium calefieri curarunt: tandem etiam calida offula absorpta, se in cubile declinauit. Altero die præsentibus amicis, & familiaribus suis multa & varia loquutus est. Inter cætera Annalium suorum memor, optauit principem tanto suo labori, atque operi fautorem: complura (dicens) adhuc forent inquirenda in Boiemia, Vngaria, Austria, quæ vetus sunt regnum Boiariæ, sed non est qui curet. Denique ingrauescente morbo, indies peius habere cœpit, tandem V. Idus Ianuarij, complicatis manibus, cum deuotissime Deo per Christum animam suam commendasset, emisit spiritum similis dormienti, anno ætatis suæ 68. præsentibus Wolffgango Rysio, vxore sua, atque anu vna. Vxorem habuit vnam, quam diximus, morosam: ex qua filium Carolum, qui infans obiit, progenuit: deinde filiam Gisalam nomine post se reliquit nouem saltem hebdomadarum, quæ etiamnum in viuis est, patremque ex facie proxime refert. Quam, vt audio etiam nuper Ludouicus Lindauer Illustriss. Principis Alberti Secretarius, &c. ducere decreuerat: & id quidem ob veterem amicitiam, quam cum Auentino habuit. Sed quid eas nuptias impediat, nondum scio. Mediocri fuit statura Auentinus, obæso tamen corpore paulum. Barbam crocei coloris, quam subter genas alebat, supra radebat omnem, habuit. Studia sua semper à crepusculo, cum sacra lectione, auspicatus est. A cœna paululum ociosus, deinde ad mediam frequenter noctem libris incumbebat, nunquam delectabatur sodalitio multo, sibi & suis studiis vixit. In conuersatione tamen erat valde pius, & affabilis: in familia ne puero (vt dicitur) onerosus, personam omnino philosophicam referebat, parcissimi victus, inter edendum crebro bibebat, sed quasi pitissando vix suprema labra proluebat. Plerunque non cœnabat propter stomachum, nam eo repleto dormire nocte non valebat: In vestitu non erat mollis & effœminatus neque sordidus, sed honestus. Pecuniæ quoque minime auidus. In lyricis versibus scribendis admodum fœlix, & Horatii imitator egregius. Multa habet Osvaldus ab Eck Poemata ab Auentino scripta, quæ, vti spero, propediem publicabuntur. Plurima scripsit quæ excusa sunt. Vallam promisit, sed non edidit: & vt audio exemplar in monasterio Ror adhuc habetur. Communia sua dicta erant: Nascentes morimur. Homo bulla. Non res ipsas reprehendimus; sed abusum, & homines rebus abutentes. ἀνέχου καὶ ἀπέχου. &c. quibus sese consolabatur, & quam nihil in rebus humanis constans esset, indicabat. O vir recte exempli, cuius laudem ad astra extollere vere deberemus: qui tanto ardore antiquitatum indagator fuit, quanto nullus alius nostro æuo. Apud D. Haimeramum Ratisponæ sepultus est cum tali Epithaphio, & æternitatis monumento.

NOMEN-

NOMENCLATVRA
QVORVNDAM PROPRIORVM
GERMANORVM NOMINVM

A.

A *Magnam communitatem cum O habet apud Germaniæ gentes. Vt man, siue mon: id est, Vir. Boiorum vero rusticio proferunt, vbi vrbanis est a: quemadmodum in toge, & tage, hoc est dies: Boier, Baier, Boius.*

Abensperg, siue Auentsperg, in veteribus tabulis, patria mea est, oppidum Vindelicorum in ripa Apsi fluminis situm. Antoninus Abusinam vocat: vti ex computatione passuum via publica à Bathauia, Strubioque Augustam Rhe-
Passavv. Straubing. *tica versus palam.*

Abenst, siue Abinst, fluuius Boiariæ superioris terminus: oritur in initio pagi (Hallerthauu incolæ nuncupat) qui Aquilonem, Fauoniumque spectat.

Albreich. Reich diues est, albe semper. Albericus est.

Adel, Adal. (Nam a, ipsi e admodum apud nos adfine est) significat nobilitatem. Vnde multa nomina virorum, ac mulierum apud nos componuntur.

Adelprecht, Adelbrehht, Adalbrecht. Diminutiue Albrecht, & Elbel, est domitor (seu vt ita loquar) fractor nobilitatis. In aliquibus monumentis Adelbrecht lego: quod à dignitate denominatur. Brecht enim dignum declarat. Vnde ob commoditatem enunciandi, quam facile sit brecht, difficilius, asperiusque apud nos est Albrecht, Latine Albertus. Plura in brecht. Adalogerio pagum) Allersbach.

Adalfrid, nobilitatis pax Adalofredus. Adalburg. Adelburg nobilitatis regia ac ciuitas, Adalopyrga.

Adalger, Adelger: nobilitatis auidus: Est Latine Adalogerion, Rex Boiorum, cuius filius Theodo primus Boios in hanc Regionem, quam adhuc possident deduxit.

Adelheit. Adalhait: quæ colit, ac fouet nobilitatem. Adaledam Latini vocant. Vxor fuit Ottonis Magni Imperatoris Romani: Superum albo adscripta est.

Adelgund, Adalgund: quæ fauet nobilitati. Romanis est Adelogunda.

Adalgætz: nobilitatis Deus. Adalogotus.

Adalhoch: nobilitas suprema. Adalochus.

Adelhold Adelhuld. diminutiue Adold: qui nobilitatem amat: hold siue huld, amor est. Latini Adeloldum, Adaloaldum, Adoldumque inuertunt. Fuit Rex Italiæ, filius Theodelindæ Reginæ Boiorum.

Adolholf Athaulphus, qui fuit Rex Ostrogothorum, Adolf hilf est auxilium helfen. auxiliari: nobilitatis auxilium. Adolphus siue Athulphus est Latinis.

Adelhard, Adalhard, Albard, hard est thesaurus vocabulum poeticum, ac amatorium: Nobilitatis fons & thesaurus. Adelardus.

Adelram. Adalram, Alram: nobilitatis gloria, Adaloramus.

Adalrich, Alreich, *nobilitas regni. siue nobilitatis diues. Reich & regnum & opes declarat.* Adalaricum, & Alaricum, *Latini faciunt.*

Agilophemus) De Aglasstain.

Claudianus.

Gildonis furias, Alaricum barbara peuce:

Adalmund: *Nobilitatis os.* Adalomundus.

Adalshint: *ventus, siue spirans nobilitatem: siue nobilitatis testis, ac vinculum.* Adalouinda. Adalmer, Almer, Almar: *nobilitatem augmentans.* Adalomarus.

Adalbeich, *cedens nobilitati, via nobilitatis.* Adalouicus. Adalouinda inueniés nobilitaté.

Adalper, Alper Alberonē *Romani faciunt: nobilitatis gemma, ac bacca.* A & E *communitatem habent, vt* Adel, Adal: *Bair, Beir, Boius.*

A I Diphthongon, Germani ita quidem efferunt, vt vtriusque vocalis sonus audiatur: alii per æ diphthongon more latino, vt air, aer, ouum: Mair, mar, villicus: Bair, Bar, Boius. Kaiser, Keser. Cæsar.

Aich, *quercus est: vrbium inde nomina* Aichstadium, & Aicha.

Abelstede, semper lauta, & munda. Albofleda est soror Ludouici Magni regis Francorū.

Aldodoryphum) Altorff.

Alman, *siue* Almon: *crebrum apud maiores nomen (vti in fastis est) al totus est, siue omnino, man, ac mon, Vir: Rex fuit Germaniæ cognomine Hercules, conditor Boiorum: à quo adhuc fluuius, oppidum, arx, pagus in Boiaria Germaniæ Magnæ nomina retinent. Vulgus vere (sic), ob leuitatem, in Asmul corrumpit, illud asperius offendit aures vulgi. Nam vti Cicero docet, aurium iudicium superbissimum est, vt quæ sæpe probant, quod veritas reprehendis, voluptatis aurium gratia: peccare* Almaer. Hercules. Aurium iudicium superbiss.

consue-

Consuetudo Vsus. *consuetudinem, vsumque, eruditissimi animaduerterunt oratores: Quamobrem ab ipsis, & Grammaticis tantopere Euphonia, vocalitasve praedicatur. In vetustis diplomatibus Conradi primi, & Ludouici tertii Caesarum nostrorum, quae mihi ostendit Gabriel ab Eyb, clarissimis natalibus oriundus, Pontifex Aichstadiensis, Alimonium, & Alimoniam vocari inveni. Caeterum Berosus, & Claudianus, Romanique Alemannum. Stephanus BiZantius Alamanum, nuncupant.*

Alimonium. Alimonia. Alamanus.

Altman, Altmon: si aliud nomen à superiore est, antiquum declarat virum. Verum in instrumentis publicis, & priuatis reperio idem nomen, Tque add tum esse ob commoditatem ducendi: quem enim vulgus Atmul vocitare solet. instrumenta recentiora Aleman appellant: antiquiora, vt certiora, emendatioraque Alman.

Almelein foetus nutrire, educareque, proprie auium. Amel, nutrix est. Complura inde foeminarum nomina. Inde & Amaleia. Hoc nomine fuit vxor ducis Ludouici.

Amelprecht, qui puero nutricem parat Amalopertus.

Amalsbint nutricem significat. Regina fuit Italiae. Amalousnda, filia Theodorici Regis Gothorum.

Amelsperg, nutritionis mons. Amaloberga, Regina Turogorum, neptis huius Theodorici.

Amelfred, nutritionis pax. Amalo freda.

Analdinus) ab Anhalt.

Angel & Engel: aculeum, & cardinem, limitemque nobis valet. Vnde multa propria virorum deducta sunt. Inde Angili Ptolemaeo, & Anglij Tacito populi Germaniae dicti.

Engelmair, augmentans limitem, ac cardinem, Angilo marus.

Angilostadium, Ingolstat: vrbs Boiariae in ripa Germaniae Danubiana: publicum Boiorum Gymnasium.

Angiloburgium Engelburg.

Angis, qui instituit: Angisus est. Hic Chronicarius genuit Anchisem Troianum.

Argle, Aergle, Arcle, Aercle: ferus est leo, Latini inde Herculem fecere, cognomen Alemani regis, parentis Boiorum, cuius insigne Leo fuit. Quo etiam nunc Germaniae principes variato colore fere vtuntur. Deus bellis ob fortitudinem maioribus nostris fuit, quem inituri praelia inuocabant, sicuti nunc Diuum Georgium.

Aribo, Erb: haeredem significat. Episcopus fuit Fruxinensis: qui sub Thessalone tertio, duce Boiorum vitas Diuorum Ruperti, Corbiniani, Emerami carmine Heroico conscripsit.

Ariodunum oppidum Boiariae inferioris primum: medio itinere inter vrbes Monachium, atque Landshutam, abest ab vtraque xx. millia passuum. Erding.

Ariouistus, Ernst: significat seuerum. In antiquis exemplaribus Arnustum lego. Ernestum vulgo appellant. Caesar Ariouistum.

Ariouistus, Ernuest: pertinax decoris, ac honestatis constans.

Arionardus, Erhard: honestatis thesaurus.

Arionulphus, Arnolph: decus honestatis, adiuuans.

Arionoldus, Arnold: qui decus honestatis amat. Pro eodem tamen nomine vsurpari animaduerto, quem vrbani Arnolff, agricolae, Arnold vocant.

Aristonicus, Erstberg, Erstbic. Rex Gallorum, siue Germanorum in Italia, significat primariam viam.

Areopagus, honoris rinus, Aerenpeck: fuit historicus Boiorum hoc nomine. As, cadauer est nobis. Inde Asmar, militare nomen, qui cadauera augmentat. Asomarus itidem.

Asprecht, qui cadauera facit. Asopertus dux limitis Antoripensium, à quo Carolus Magnus genus ducit. Alij ab Haunsprecht corruptum fuerunt, Hunopertumque quasi Hunnorum domitorum à patri Vtilone dictum volunt.

Alt, & Aldvetus, antiquumque declarat, à quibus complura sunt cognomina.

Altbein, Altuuein: antiquum vinum. Latini Albinum vocant. Fuit hoc nomine Rex Longobardorum. & Philosophus Caroli Magni praeceptor.

Au, siue ou, mutuo sibi cedunt hae diphthongi (supra admonuimus a cum o habere apud nos affinitatem, significat & pratum, & insulam: Plinius & Romani scriptores fere auiam inde faciunt in compositione praesertim, vt Bathau Bathauia, Osterau Austrauia, Schonau Scandiauia, iam Schoendenmarck: alij in Augiam, vbi solum est commutant. Integrum enim Auge Suenis est.

Austrauia, Osterhofen: ciuitas inferioris Boiariae.

Austria Oriens est lingua Germanorum. In o plura offendes. inde Osterreich: id Orientis regnum.

B.

B *Inferiores Germani, & Saxones, more Graecorum, perinde ac f, siue v, consonantem efferunt: superiores Germani more Latinorum, vt lob, lof, laus: lib, lif, amor: Boeth. Voeth, aduocatus: quamobrem Rom. in nostris vocabulis fere in v consonantem mutant, vti benden, Venedi Bandlar, Vandali: Libhart, Linardus, frater D. Leonardi. Habet enim b non paruam adfinitatem cum p vbi in nostra lingua est sonus p, Latini fere b accipiunt vt pard, barens, Langpard, Langopardus, hoc est, longa barba. Bad, balneum: badscheid, est picca lignum, à quo Padus Italiae fluuius maximus nomen habet.*

Bandern, Bandlen, peregrinari est, ac commutare, inde Bandler, hoc est, Vandali dicti.

Bendeln, commutare: Benden, Venedi. Bald, sylua est. Vbi maiores nostri sacrificarunt: vnde balle, ballengen, est votis susceptis ad tēpla peregrè proficisci. Bald in Valda Latini cōmutant.

Balgem,

Balgein, belgein, volui est, ac volutare: ab his duobus verbis multa apud nos nomina deducta sunt. Vt. Belgius dux Gallorum, & Germanorum. Itidem Bellouesus (Baluueis) peregrinationum ductor, Rex fuit, cuius meminit Titus Liuius.

Bar, verum est: vnde barmond, verax ore. Variomundus est, quem Celtici Pharamundum vocant: adhuc nobilitati in vsu est.

Berorit as) Bernried.

Bibelicum) Waibling.

Beisein, ducere, Beiser dux, & ductor: in vesum Romani vertunt: vt Bellouesus, Sigouesus, victoriæ Dux.

Bein, vinum est: vnde multa nomina, Beinmair, Beimmer, vinum augmentans: Vinomarus, & Beinfrid, pacificus, vinum bibens, Vinofridus est, qui & Bonifacius primus Moguntinus Archiepiscopus.

Bertha, digna: mater Caroli Magni. Beit, longe, late, Vitechundus longe lateq; notus.

Beg. bec, bic, id est via: in vicum vertunt Latini, vt in Ludouicus, Aristouicus.

Bellen est velle: billen voluntas, bold. bald, qui vult. Inde plura cognomina: Romani in valdam inuertunt, vt Seigibold, Seibold, Segioualda: Gerbold Garioualda Cornelium Tacitum sequor.

Biaritum) Bairrent atque Beybarting.

Billehelm, Bilhalm, qui vult galeam, helm galea est, Vilelmium Pomponius Latus, vir linguæ Latinæ peritus, & antiquitatis admirator, vocat. Quidam admodum duriter in Gulielmum subuertunt.

Billebald, Bilbold à sylua cognominatur, Valinalda est primus Aichstadiensis pontifex

Belph, catulus & canicula, vnde Belphardus, qui & Belpho: Veliphonem ego facio: hoc nomine duces fuere Boiorum complures, Chronicarij Guelphones nominant.

Ber aper est, & Vrsus Græcis & Germanis, inde Beren Verona, & Bereoau Berunum, Vt runumne vrbs Noricorum: cuius Plinius, & Ptolomæus mentionem faciunt. Extant vestigia propter lacum Chiminum.

Beringer, apro congredi audens. Berengarium Latini vocant.

Beren est durare: bæren vero arcere.

Bernhard, durus, & durans fortiter vt aper. Veronardus est Rex Italiæ, filius Pipini regis Italiæ, nepos Caroli Magni. Eo adhuc vtimur.

Bernher, arcens exercitum: analogia postulat Veroneronem, crebrum nobis.

Berg, mons est: birg. alpes.

Berger montanus. Plinius in bergos mutat, in briga Ptolomeus, transpositione literarum. Metathesis familiaris est Germanis, maxime superioribus, vt born brun fons: pirnein prinein ardere.

Boij. Bergom est montanum: inde Bergomum vrbs Italiæ condita à Boiis, & Gallis, quorum lingua ciuitatem montanam significat (ita tradunt scriptores) ideo Gallos fere Germanos intelligo, à Græcis ab albedine ita dictos.

Berith, bericht, Germanum, Hebræumque vocabulum, fœdus, pactum, compositionem significat: inde Berthold pacis amator. Beritholdus dux Boiorum.

Berth, siue bercht dignus est. Latini in Berthus. & pertus transmutant, inde Bertha, siue Beruhtha, hoc est digna: mater Caroli magni, crebrum maioribus nostris nomen.

Brecht siue precht: promiscue b ac p sine vllo discrimine vtuntur fere Germani: pompam, apparatum significat, si à prangen, & prenck venit, si à prechen, hoc est, frangere, domare, eum qui domat, ac frangit, declarat. Potest etiam esse deductum à bringen & brengen, quod est adferre, adducere, accersere, parare. Complura inde nomina virorum deducta sunt, vt Dietprecht, Hrideprecht, Sigebrecht, Rueprecht: quæ omnia suis locis reddemus. Alij idem quod berth, transpositam esse vnam (vt fit) literam tradunt: asperius hoc, lenius illud esse solet in compositione.

Best, Beste. est Occidens: bester Occidentalis. Vnde Vestria (Besterreich) occidentale Francorum regnum. Ceita in Neustriam corrupere, inde coniuncti Vestrogoti, Occidentales Goti: Romani Vessogotos appellant, & Vistrios, siue Vestriacos: lenius, elegantiusque hoc est.

Besso, qui & Vesso: ab occidente cognominatur, fuit venator Thessalonis tertij, quo Vessobrunna Cœnobium superioris Boiariæ nomen habet.

Berden fieri: inde Birdmer coniunctum. qui maior fiet. Viridomarum Romani scriptores nominant.

Boden est fundus, latifundia, prædia: vnde Marobodus Rex Sueuorum, ab augmentando dictus Merbod. Inde Bodincus. Padus fluuius Italiæ, dictus quod fundo careat. Vesso

Bogen arcus est: Boigen inflectere. Vnde Boiger, ab inflectendo, & arcu dictus. Boius Latinis est, à quo & Boii cognominati sunt. A Boiger, quod obscœnius est, ob voluptatem aurium, factus est Baiger. Ita in vetustis diplomatibus lego, vnde Boiarii, Bagoriiue Latine dicti sunt. Vnius tandem literæ g omissione (quemadmodum crebro factum in sermone nostro, vt in g litera leges) Bair diminute factum est. Amat enim vsus (vti Cicero quoque admonet) elisiones literarum: vulgo Germanorum vsitatissima est diminutio, quam Græci Syncopam vocant. Non est fere vocabulum proprium loci præsertim, atque hominum, & gentium, quin aliter, quam vulgo efferatur, in Instrumentis antiquis scriptum reperias. Vsus breuitate gaudens diminuta vsurpat. Instrumenta ociosis lectoribus scripta veris, & integris vtuntur verum vocabulis. Cæterum I, inter duas sonantes habet vim g & duplicis Consonantis. Quamobrem placuit Ciceroni ii duplex ibi scribi, & efferri. Vti vulgo apud nos ei ius dici solet. Verum vsus iam aliter apud Germanicæ linguæ magna mutatio.

nos

nos illud I inter duas consonantes, ac vnum accipit: vt in Troia, Aquileia, Apuleius, meio, & mille huiusmodi. Maxima praeterea in nostra lingua facta est mutatio, adeo vt ea quae ante trecentos annos scripta fuerint, agre etiam peritus intelligat.

Lupus bonum omen, Lepus malum.

Bolph est: Lupus omen auspicacissimum Germanis genti bellicosa: vti à diuerso in auspicatum Lepus. Inde ego Volphonem, authoritate, & analogia fretus Romana incude formauerim. Vnde complura nomina deducta sunt.

Bolphgang, diminute Bolph & Boelfel: Lupi incessus viaque. Fuit hoc nomine Pontifex Reginoburgensis. Peculiare Boiorum nomen. Wolphgangus Latinis est.

Bolphard, fortis vt Lupus, Voliphardus heros Germania adhuc canitur.

Bolfhyld, Boispiylda, vxor Hainrici octaui Ducis Boiorum.

Bolfram, luporum venator, Volipharamus, purgans terram à Lupis.

Both, est nuncius, & interpres. Botho Latinè.

Antiquis Germanis Brenn galeam significat.

Brennen, est comburère, ac igne vastare, castrense verbum, quo bella indicimus, inde Brenner, igne, flammaque vastans, crebrum adhuc cognomen. Latinis est Brennus, atque Brenno Rex Sueuorum, qui Romam cepit. Trogus Brennum, Liuius Brennonem appellat. Per P. nostri quoque scribunt, hic ambitiosis genuit Priamum. Nam Saxones prienner dicunt.

Brenni quoque, siue Breuni populi Vindelicorum intra Isaram, & Oenum, quorum meminit Ptolomaeus, & Horatius.

Braunau vrbs Boiariae. Brundunum est.

Braunau.

Braunhyld, Brunhyld, vrens amor. Brunhylda Latinis, Regina Francorum, mater Hyldeberti secundi: de qua complura nostri scriptores. Frequens quondam fœminarum apud nos cognomen.

Breit latum, vnde Breitmar, qui late auget. Latini Bistomarum nominant.

Burokergense) Peylberg, monast.

Burch, burg, burc, ciuitas, castrumque est, & locus munitus. Inde burger ciuis. Inde etiam Burgundiones dicti, intra mœnia habitantes, siue locis munitis. In burgium Tacitus, & Ptolomaeus formant, vt Vlsiburgium ciuitas Rheni. Teutoburgium vrbs Pannoniae, vbi Drauus influit Danubium, vbi haud longe Quinque Ecclesias nominant. Est etiam sylua in confinio Bestfalorum, & Hessorum, in qua Quintilius Varus caesus à Germanis.

Teutoburgium

Burghard, Burchard, fortis vt castrum. Burckhardus est Latinis.

Burgiographus, vrbis praefectus est.

Burchausen, Burgusium, vrbs est & arx Boiorum in Norico munitissima, quam amnis Inuauus alluit.

In p plura offendes. nam inuicem cedunt b & p Germanis. Discernere non est in promptu.

C.

CAtterum praesules) Abbates.

C, eandem vim habet quam K & Q. figura & nomine solum differunt, potestate nihil penitus, affines sunt ipsi litera g. Vbi superiores Germani g fere proferunt, inferiores & Saxones in c, & k mutant, vt beg, bec, via, burg, burc castrum, regia. Item nobis ch aspiratum est Saxones tenue habent; bach pac, riuus, schand, scand dedecus.

Chelhami, vrbs Boiorum in Germania, vbi Alemanus fluuius Danubio miscetur, Kilhaim.

Carl, virum fortem Teutonem l...clarat, facto etiam inde prouerbio, quod adhuc frequens in ore vulgi est. Venedorum & Hunnorum lingua Rex est. Romani Carolum ad pellant, primus Germanorum Imperator.

Carlman, fortis vir, Carolomannus Rex Boiorum & Italia, pronepos Caroli Magni, pater Arienulphi Imp. Romani.

Chirichemos) kirchaim.

Circobergensis) Comes à kirchberg.

Chynnen, scire, noscere, vnde Conrad, qui scit consilium dare, diminute Chuno, Chuentz, Chuenzl. Latinis est Chunradus.

Chynig, Chyni, Rex est; Inde Chynigund. Chunigund, Chunel, regis fauor. Chunigunda est vxor Diui Hainrici secundi, ambo in diuorum numerum relati. Chuniza quoque diminute dicitur.

Chinihild, regis amor, Chunildam, & Chunigildam vocant. Vxor Hainrici tertii Imper. Romani.

Kempen, Kemphen, est pugnare, & singulari certamine congredi.

Kemper, Kempher; pugil, qui ad singulare certamen prouocare audet. Inde Cimbri, & Cimmerii antiquissimi Germaniae populi dicti sunt, quibus Dani & Saxones successerunt. Inde & Sycamberi qui & Sygambri, iidem populi Germaniae, vbi nunc Bestfalia habitant, pro victoria pugnantes, ita cognominati.

Chilpericus, Chyldebertus Clotarius, Clodophaeus in H leges.

Chatti, nunc Hessi sunt, genus tormenti quoque est, quo saxa iaculati sunt maiores, seruat adhuc praefectura vetus nomen.

D.

DEgen, pugio, & herós est vnde Dagprecht, Dagobertus; & Dagopertus est Rex Francorum.

Dieths vocabulum vetus, diuitias & officium, facinora praeclara significat. Latina incude Theodo. formatur. Complures eo nomine duces Boiorum fuere, poeticum est, turbam, familiamque significat.

Dietphord, Theodonis traiectus, siue vadum

dum

tum: quod Græcis, & Germanis phoros est. Theodophores.

Dietreich facinorū diues: est Theodoricus.

Diethprecht officiosus, Theodopertus.

Diethbold, qui vult officium facere. Varie effertur, Theopaldus, Dieboldus. Diethpoldus, Ego authoritatem Cornelij Taciti sequutus, Theodoualdum vocabo.

Diethmar, Theodomarus, Rex Gottorum, augens officium.

Diouelza, Zueifalten monasterium.

Dran, Drou fides est. Drauen, drouen fidem habere. Fœminarum inde complura nomina, vt Gariodruda. Ariodruda.

Druides Philosophi Galliæ, pulsi à Tiberio Cæsare in Germaniam. Vulgus adhuc cuiusdam numinis genus esse putat, quod noctu premat fontes: & quo infantes territant: saltationis, figuræ Mathematicæ, calcei Philosophici genus, adhuc nomen ab ipsis retinet. Drudtensues: Item Diuites Domini de Trubending.

E.

Et I non paruam habent communitatem, vt Ludbig Ludbeg.

Eber aper est: inde Eburones populi qui nunc Limburgenses.

Eberhard, fortis vt aper Eberbardus.

Eburobergomum Ebersperg monast.

Eck. egk. cornu est, angulusq; inde dictus Eckhard, siue Egkhard, constans vt angulus, & sustentans. Egardus, & Eckardus est, quod sonantius est, Eckhardus siue Ecardus.

Ei diphthongus est Germanis, Saxones vti i longum efferunt. Superiores Germani vtriusque vocalis vim seruant, vt bein, Reich. Latini in i vertunt, vt Eisen ferrum, Eisennhard, durus vt ferrum, Isenardus est, Eisenot, qui in calamitate, aduersitateque perinde ac si ferrum esset, non cedit, Isenotus.

Elend, exul, exilium. Elsland, Elandus.

Elephantostonensis Ab Helffenstain.

Elisabetha Hebræis, Isabella Gallis & Hispanis. Elissa. Germanis est Elsa.

Engel in Angel.

Ennß flumen est Norici Ripensis, olim Hunnorum, Abarorum terminus, & Boiorum. Nos Anassum vocamus. Ptolomæo, & Plinio Aenos est per æ diphthongon. nam per œ diphthongon Oenus alius est, quem Græcorum more Oin vocamus.

Enodoripbi, Ensdorff.

Er, eren, honestas, decus, honor Latini in Ario vertere solent:

Ernuest, Spartiano, & Iordano Arionistus est: vbi corrupte Aristouuus, & Arionistus legitur. Titulus adhuc est nobilitatis: honestatis pertinax & constans.

Ernest, Ernst, Arnest, Arnust, ita in vetustis lego diplomatibus, eleganter Latino charactere fit Ariouistus. Beroaldus vti viri multæ lectionis, ita in hac re non adeo magni iudicij, Ariouistus legit, vt sit ex Græco Marte, & Latino iusto compositum. cum Germanum sit vocabulum: senectutem, remque seriam significans.

Erber grauis, honestus. inde Eberhein, eliso primo ob asperitatem qui etiam vinum potans seruat honestatem, Eburouinus est Celtis in Ebroinum corrumpunt.

Erenprecht. Erenberth. honore dignus.

Arioberthus, est Rex Italiæ origine Boius.

Ernbold, qui amat honestatem. Arionoldus siue Erchanoldus est Latinis.

Erendraud, quæ fidit honestati, Ariodruda Vates Boiorum, mulierque fatiloqua, quæ cum fratre Ruperto Philosophiam Christianam interpreta est Boiis.

Ergle, Ercle: Hercules: in A.

F.

F Germani, quemadmodum & Græci non habent, pro eo idioma nostræ linguæ postulat aut ph aut b siue v consonantem, licet scribæ multa praue scribentes, latinorum more f vsurpent, vbi ph, esse debeat, vt pherd, perd, equus: phaph, paph, vbi nos ph aspiratum legimus, ibi Saxonibus est p tenue, Vsus tamen in quibusdam dictionibus vt per f scribantur, obtinuit.

Frei, freige liber est freium, freigum freihait libertas. Inde denominantur Francus, & Franco: creberrimum in fastis nostris nomen. Francus vnde dicatur.

Frantzel, Franculus est ac Franciscus diminutiuum. Frantzos, id est: Francigena: ita Celtæ vocamus. Celtæ.

Frid & Fred pax est vnde plura cognomina.

Fred, pax. gaudium. Fregund fauor, & pax & gaudium, Fregunda vxor Hilperici Regis Francorum.

Fridereich, Fritz. Frids, Fridel diminutiua sunt, pacis siue pax regni. Vsus Fridericum nominat. Eugypius Friduricbum: D. Hieronymus, Fretellam.

Frigiobergensis) Freyberger.

Forst & Farst, sylua est Germanis: forster est præfectus & custos syluæ. Inde Forestum, & Forestarium à nobis Celtæ receperunt. In u plura leges.

Fritegil regina Germaniæ, quam D. Ambrosius per literas religionem Christianam docuit.

Fruxinum Freising: ita in vita Diui Maximiliani Archymista Laureacensis nuncupatur.

G.

G Adfine est u, supra docuimus, dicisculum est, omittitur in multis dictionibus, freie freige, freigum freien liber, libertas. Segibolt Seibold. Ita Segifrid, Seifride, Sigmund, Simund, propria virorum sunt. Hau, Haug, vnde Hugo. Chunig, Chuni, Rex: Baigerprun, Barprun, regia diruta in superiori Boiaria. Selis selig, beatus: hali, halig, sacer.

Gallus. *Gallus proprium nomen crebrum Germanis, Rex fuit, vnde Gallos cognominatos credunt: an in Germania imperitauerit, nondum compertum habeo: hoc satis constat, Germanos etiam Gallos à rerum scriptoribus grauißimis vocari.*

Gantz totus, Gentz reich, totus diues, siue integrum regnum. Gensericus est Rex Vandalorum.

Gar omnia, geren, auere. Inde Gardrud, & Gertraud, quæ omnino fidit, Gariotruda est.

Garbald, Gerbolt, qui penitus & omnino vult. à Tacito Garionalda vocatur. Fuit hoc nomine Rex Boiorum.

Pagus. *Ga & Gaia Græcis & Germanis terram significat: vt Nordge & Nardge, id est, Aquilonia terra. Pagum tamen Latini vocant, quod nos Ge appellamus: portio scilicet regionis est: à flumine, valle vento ue dicta. Sunt enim pagi partes, quas diuidi solet regio, Plinius, & Cato Tribus quoque adpellant: fit hoc per flumina, ventos, valles & huiusmodi, Geren cupere, auere. Inde.*

Germanus vnde dictus. *German, qui auet viro congredi, prouerbium etiam nunc apud nos in audentem, qui non terga vertit, sed vltro hostem petit (gert des mans) vnde Germanus, Germaniaque vocabulum: Romani tanquam suum ob similitudinem accepere, quod fratres significat legitimos. Est tamen nobis vernaculum, aliudque nimirum, quod dixi, declarans, pudet à Græcis, atq; Italis mutare rationem Germaniæ.*

Gerbirg, Gerpyrg, quæ desiderat regiam, Gariopyrga.

Gisala. *Geisel est obses, Gisala Latinis. Crebrum apud nos fœminarum nomen fatale: fuit hoc nomine soror Hainrici secundi Augusti, vxor Stephani primi Regis Vngrorum, cuius ope gens ipsa legem Christianam recepit.*

Gib, est da. Gibhuld, da pacem. Gibuldus Rex Sueuorum est, Eugipius eius mentionem facit.

Gotofridus Rex Hier. *Got, Deus est, gut, bonum. Gotfrid, diuina pax, Gutfrid, bona pax. Gotofridus Germaniæ princeps, qui Hierosolyma cepit. Celtæ corrupte Iafridum, & Goafridum nominant.*

Præfectus, i. comes. *Gotprecht, Deo dignus. Godopertus rex Italiæ.*

Graph, Graphus, Comes est. Prisca ætas præfectum nuncupauit.

Gremhyld, Grimylda, Filia Guntheri regis Turogorum.

Greimhold, impetum amans. Grimoldus Latine fit.

Grothyld, magnus amor. Grothylda Regina Francorum.

Gut, bonum, inde Gutha. Græcis Agatha.

Gutrodruda. *Gudraud, Gutdrud, bene fidens, nihil malè timens. Gutrodruda Regina Longobardorum, Vxor Liutprandi, filia Theodonis ducis Boiorum.*

Gutram, bona fama, & gloria. Gutoramus rex Francorum in numerum deorum relatus.

Gunthold fauor & amor, Guntholdus filius Garionalda Regis Boiorum, dux Astensis, eius nepos potiti sunt Italia.

H.

H *Aspiratio, crebrior maioribus nostris, præcipuo superioribus Germanis, sicut & quondam Romanis (vti Catullus notat, & Fabius Quintilianus refert) fuit. Vsi sunt in principio, medio, fine. L quoque aspirarunt, & duriuscule è gutture pronunciarunt. Celtæ ch esse crediderunt, quemadmodum in Hebrais dictionibus à Græcis factitatum esse scribit Hieronymus. Vbi superioribus Germanis aspiratio, est inferioribus tenuis litera vt hilp, hilph auxilium. Austriaci solum h efferunt, vbi nos ch proferimus, vt Kirhen, Kirchen, templum.*

Haben, habere est: hat, qui habet, & hast, habes: Inde hadfreid, quæ gaudium habet. Hadofreda est filia Ludouici Magni regis Francorum, vxor Theodorici Regis Ostrogotarum.

Hafthylph, habes auxilium. Hastulphus est Rex Longobardorum, ac Italia, qui & Hathulphus.

Hauen, haugen, hougen, cæsim ferire. Inde Haug, qui & Hau, qui cæsim ferit. Latini Hugonem nominant.

Hauprecht, Hugopertus dux Boiorum.

Haunold, Huneldus, dux Aquitaniæ.

Haunen, gentes sunt, quas Latini & Græci Hunnos, & Chunnos vocant: vtrunque enim scriptum reperio in antiquis exemplaribus. Habitauerunt in ea regione, quæ nunc Austria nominantur; Carolus Magnus eos deleuit: eorum reliquias Turcas esse suspicantur. Inde Haunprecht, Hauprecht, & sine aspiratione Asprecht is est [illegible]pertus diui Arnulphi auus. Hunni. Infra lib. 4.

Haien, fouere, colere: haid, quæ fouet, nutrit, colit, alit. Multa inde fœminarum nomina, & Adelhaid, quære in A.

Haiduueg, Haiduuic. Hedouica, Vxor ducis Georgij, filia Casimiri Magni Regis Polonorum. Casimiri.

Hain, haim, est domi: reich diues, & regnum, atque Imperium. Inde:

Haimrich, Haimerich, Heimrich, Haintz, Haintzel, Hentzel: vbi Sueui n, ibi Boij, qui crassius loquuntur, m habent. Veteres Honoricum dixere, quos Franciscus Philelphus sequitur, an vsu est Henricus, Vgri Hamericum, & absque aspiratione Aemericum vocant, ipsum pro diuo colunt. Fuit filius Stephani primi Regis Vgrorum, & Gisalæ sororis D. Hainrici secundi Imp. Romani, ducis Boiorum tertij. Significatur hoc nomine prudens, & bonus paterfamilias, & qui colit regnum & Imperium. F. Phil.

Hard, thesaurus, gaza: hart, durus, seuus, plura inde denominata nomina.

Harduuic, hartuueg, dura via. Hartouicus.

Hartz, est resina, pix: vnde sylua Hercynia, & resinique nemus. Varia à locis sortitur Sylua Hercynia.

titur nomine, vbi oritur inter caput Danubii, & Rhenum, sylua nigra ab incolis vocatur, Ptolomeus, & Cæsar Heluetiorum appellant, magno errore illorum, qui eam Bacenim crediderunt. Iuxta Danubium Boiemiæ sylua, Noreta à Ptolomæo dicta, nomen retinet. Apud Turogos gentis nomen occupat. Apud Cattos, & Sycambros, Bestervvald, hoc est sylua Occidentalis nuncupatur. Vbi Saxones & Turogos separat, nomen vetus seruat, à Cæsare Bacenis nominatur, circum quam olim Sueui consederunt.

Hecken, mordere est, & proprie venenatorum animalium, & bestiolarum. Vnde hecht, lupus piscis & hechter, Hichtor, proprium nomen in fastis nostris. Vnde factus est Hector Troianus Chronicariis. Metasthenes tamen Hectorem quoque adpellat, cuius filius fit Francus, Rex Germaniæ, author Francorum.

Heilig, heilic, id est, sancta. Helica progenitrix nostrorum principum.

Hetzen, hatz, venari canibus. Inde Haziga, id est Venatrix, (Haitzga) condidit Schirense cœnobium.

Hele clarum, serenum, unde Helenus Troianus progenitus Chronicariis.

Helfen, helpen, auxiliari. Hilph, hilp, auxilium.

Helphreich, hilpreich, adiuuans regnum, Hilpericus. Celtæ in Chilpericum deprauant.

Helt, heros, Helitonius à Liuio vocatur, Rex Germanorum, & Gallorum.

Hyid, huld, amor est. Huldreich, Hyldenreich amor regni, siue amoris diues, corrupte Chyldericum nominant.

Hyldeprecht, qui amari dignus. Hyldeberthus, Celtæ Chyldebertus.

Hyldebrand, amoris titio, Hyldebrandus.

Hyldegart, amoris hortus, Hyldegarda Sybilla Germaniæ, & Caroli Magni vxor.

Himel, cælum. Himeltraud, Himeldrud, quæ cælo fidit, Himeltruda.

Hoer, exercitus, heren, vastare exercitum, vnde Herman, Vir exercituum. Prisci Hermionem vocant, recentiores Horimanum, Rex Germaniæ, à quo tertium genus Germanorum Hermiones dicti, qui tractum Danubii accolunt, quorum pars, ait Plinius, Sueui.

HærtZog, qui ducit exercitum. Nunc duces sunt, Imperatores Romani Præsides vocabant.

Hued, huet, est custodia, siue galea. Hutonem, Hudonem, & absque aspiratione Vtonem, ac Vdonem veteres appellant, tandem factus Otto ob lingua Romana honestatem.

I.

INgram, insensus, infestus maxime. Ingramus est Rex Boiorum, crebro in fastis reperio.

Ingeuon, Rex Germaniæ, à quo Ingeuones populi Germaniæ, proximi Oceano Germanico, quos nunc Selandos vocamus, Se, lacus est, siue Oceanus, atque mare, land, regio dicti quod interiora Germaniæ habitent, quasi Ingevvoner, inge, interius, vvonen, habitare valet. Ingram. Ingeuon.

In, fluuius est Oenus, Strabo Athesinum nominat, in alpibus, separat Noricos (Tyrolios) à Rhetis (Engedinis) vti Tacitus scribit, licet apud eundem deprauate Rhenus legatur. In planicie separat Noricos à Vindelicis, hoc est Austriacos, id est, Boios Orientales, à Boiis Occidentalibus. Tacitus locus restitutus.

Isteuon Rex Germaniæ, à quo Isteuones, populi Germaniæ, Rhenani nunc sunt, quod extima Germaniæ insideant, dicti tanquam Eusseresten, id est extimi, vroner, habitatores.

Ingund, iuuentus est. Ingunda filia Hildeberti Regis Francorum quam corrupte Ingundam nominant Celtæ.

L.

L Aspiratum in diplomatibus à maioribus nostris reperio in propriis nominibus, ità H L, Celtæ CH opinati sunt esse.

Laim, lacus, limus, inde Lamisso Rex Longobardus.

Land regio, patria, inde Hollandia, Canatellus, & Seelandia, terra maritima, & Landographus, regionis præfectus, & Landhylda, id est patriæ amans, filia Hildrici primi regis Francorum.

Landavv, Landauium, vrbs inferioris Boiariæ: patria pratum.

Landshuet, galea, ac custodia terræ. Landshuta vrbs Boiorum, opus Ottonis primi ducis Boiorum.

Larein Rex & heros Germaniæ canitur adhuc. Credidit Laerten Tacitus, eius arma nunc ostendunt Rheti & Norici, & credi postulant.

Le, leb, Leo est, Germanis omen fortunatissimum, fere principibus nostris insigne, quemadmodum Aquila Romanis.

Lib, Lui, amor. Liuardus, amoris Gaza.

H Luit, Leit, populus, vnde plurima principum nomina coniuncta sunt.

H Luitbeg, Luitbec, Luitbic, id est populi via. Vulgo Celtarum Loys, & Clois est. Recentiores latine nuncupant Ludouicum, Celtæ Clodoueum, Cæsar Litauicum, quem sequor. Theodoricus Rex Gottorum, procurator Italiæ, & occidentis Ludhin nominat.

H Liutel, Liutl, Ludel, diminutiua sunt superioris nominis, Clodionem faciunt Celtæ. Ipse est Ludouicus primus pater Hylderici, qui Francos ex antiqua Francia, quæ & Franconia, trans Rhenum in Gallias duxit. Francia. Franconia.

Luitmer, HLuitmer, qui populum auget. Litomarus est Cladomirum Celtæ corrupte vocant.

Luitbold, Luitbald, qui popularis est & bene (vt ita loquar) vult populo, corruptissime, variéque latinitate donatur. Leopoldus. &

Leopaldus

Leopoldus vulgo est, his Lupoldus, alius Luitbaldus. Ego Cornelij Taciti authoritatem, & analogiam æmulatus, non ineleganter, nisi fallor, Litoualdum nuncupabo.

Luitpurg populi regia, arx, castrum: Litopyrga, vxor Thessaloni tertii ducis Boiorum, filia Desiderii regis Italiæ.

Luitprand, populi titio, & amor. Litoprandus Rex Longobardorum.

Luitprecht, populi domitor.

Linthold populi amator, Litholdus.

Luithilff populi domitor Litopertus Litholfus, pro vno tamē nomine vsurpari video, quem eruditi Litolphum, vulgus Liteldum voluptati aurium seruiens vocat.

Louther, clarus, syncerus. Liuius Lutharium: Cæsar Lutherium nominat.

Loun, præmium est & merces. Latini in Leon mutant vt Leonardus, mercedis, præmiiq; thesaurus, peculiaris Boiorum diuus, à quo vicus cognomen sortitus est, vbi frequens coit populus, votaque reddit. Zu S. Leonhar.

Louner, qui mercede conductus est, & stipendia facit, Liuius Lonnerium strabo Leonitium vocat.

M.

Treuir. MAn, mon, est vir, & fortis. Inde Mannus Rex Germaniæ, tempore Semiramidis Reginæ Babyloniæ, & Abrahami authoris Hebræorum. Illius filius Treuir, Treuiros in Gallia Belgica condidit, qui vsque ad Rhenum protensi. (MANNVS. Manusia.) Parentes nostri scripsere propria nomina Longobardis literis ita MANI, legerunt, imperiti Nini, vt nomen notissimum: illud etiam paucissimis eruditis notum: referunt & ipsi Galli. Iulio Cæsari Belgas esse ortos à Germanis, Rhenum antiquitus traductos propter loci fertilitatem ibi consedisse, Gallosque qui ea loca incolerent expulisse. Scribit Cor. Tacitus, Treuiros circa affectationem Germanicæ originis, vltro ambitiosos esse, tanquam per hanc gloriam sanguinis à similitudine & inertia Gallorum separentur. Fama quoque constantissima, & vulgatissima est, Treuiros primos esse Germanos, (Belgæ.) nimirum in Gallia Belgica, conditos paulo post diluuium, quo totum genus mortalium periit. Nostro æuo Belgæ fere omnes, non solum Treuiri, bona pars Celtarum, institutis, lingua, moribus Germani sunt, Germanis parent Germani vocantur. (Imp. Rom. vbi coronatur.) Quatuor potentissimi Electores Germani principes in Belgica, & Celtica habitant. Imperator Germaniæ inungitur, & coronatur apud Belgas: si Galli sunt nesciunt, si Gallos dixeris, indignantur. Maxima pars imperij Germanici intra Gallias est. Franci, Burgundiones, Nordmanni, qui cæteras Galliæ partes obtinent, oriundi ex Germanis sunt i. ex Germania, profecti, expulerunt Gallis Romanos.

Marc, March, limes, inde Marchgraph, id est, Marchio. Præfectos ducesque limitis prisca vocauit ætas.

Marcmer, limitem augmentans, Marcomarus est Claudiano.

Marschalc, quasi Marosalicus, qui maior est in Sala, hoc est, aulæ: maior domus à recentioribus dictus. Veteres Romani Magistrum Equitum vocarunt.

Matten, domare. Vnde Matthæus Germaniæ Orientalis, qui cum Philippo patre Alexandri Magni bella gessit.

Maza, Virago: genus tormenti quoque bellici, quibus saxa, globos ferreos iaculamur. Vxores Cimbrorum viris societate militandi coniunctæ, Mazones dictæ sunt. Græci Amazones vocant.

Meinhard, mea Gaza, meus thesaurus. Menardus. (Alias Manfredus.)

Meinfrid, meum gaudium, mea pax. Menefredum Latini scriptores nominant: filius fuit Friderici secundi Rom. Imperatoris. (Mersburg.)

Meren, augmentare. Mer, qui maior, Latini scriptores in marum formant, vt Viridomarus, Britomarus: de quibus supra in B.

Merberg, qui viam augmentat Merouens. Latinus est Rex Francorum, qui cum Attila pugnauit. Fuit tamen & antiquior rex Germaniæ, à quo Marouingi populi Ptolomæo proximi Turogis: & Mersburg, vrbs, hoc est Merouciburgium, quæ nunc Hercynophores, est caput Turogorum.

Merbod, qui augmentat terram. Merobodus rex Sueuorum à quo Marobudum vrbs, regia eius, quam nunc Pragam nominamus, caput Boiemorum, ex diligenti segmentorum computatione palam est.

Mund, os est, & hostium fluminis, plura inde nomina, Variomundus, Sigismundus, hic victoriæ os, & nuncius. ille os verax vertitur. Vuarmund.

N.

N Solet omitti per aphæresim in principio, Nerth, erth, terra: nair, air, ouum.

Neren, alere, nutrire: narum, norum, victus. Inde Nerein, & Norein proprium Regis, quem Græci & Latini Noricum appellant. Quidam scriptores Germaniæ Neronem, atque Noreium nuncupant, vnde &:

Noreinland id est, Noricum. Complectitur nunc partem Boiariæ trans Oenum, Austriam, Stiriam Charniones, Tyrolios.

Names Dux Boiorum. Numeium Cæsar appellat.

Neos Græcum, & Germanicum vocabulum, Neu, nouum valet.

Neuburg, Neustad, Neumarckt, noua Vrbs, nouum forum Neoburgum, Neostadium, Neomartos, Romana incude haud ineleganter formaueris.

Nord Nard Aquilo est, ac Septentrio.

Nordman, Aquilonis vir. Nordmannus, & Noraubec Aquilonis vir Nordouici: Hi sub

Rege Danorum sunt, qui Cimbri à priscis dicti: diu depopulati sunt Gallias, vbi victores sedes tandem occuparunt, quas adhuc habent.

Norge Nardge: Aquilonis terra. Pars est Boiariæ, quæ in Germania Magna. Vulgus Norca vocare solet: Narisci sunt Cornelio Tacito.

Noreia sylua Germaniæ Ptolemæo, haud procul Danubio, proxima Boiemiæ: ea pars Hercyniæ, quæ Boios & Boiemos disterminat, nomen seruat, Nordwald, hoc est, Septentrionalis sylua, à vulgo vocatur. Apud Ptolemæum deprauate Goieta legitur.

O.

OV diphthongus, Germanis, & Græcis Saxonibus u longum valet. Superiores Germani vtriusque vocalis naturam seruant. Boiis tanquam ou proferunt, pour, pur, agricola.

Oi quoque Germanis diphthongus est: aliqui (vt Græci) ac si i longum esset, pronunciant: alij per oe longum more Latinorum enunciant. Aliis vtriusque vocalis sonus seruatur, vti Oin, Oenus fluuius est: & Moin, Mœnus. Hanc scripturam in vetustis diplomatibus offendi, noit, aduerbium negandi.

Oede, incultum, desertumque: oedein, incultum facere, vastare, deserere, in solitudinem redigere. Inde Otagker, & Oetagker, vastator agrorum: nomen proprium, & militare Regum Germaniæ, Oetagrius Græcis: Odacer, Odagrius, & Odager Latinis.

Ost, Oust, Aust, oriens est: Oster, Ouster, Orientale: o & au diphthongus sicuti apud Latinos quoque inuicem cedunt, palaustrum, plostrum: Claudius, Clodius.

Osterreich, Austerreich, Ousterreich, id est, Orientale imperium, & regnum. Austriam scriptores Romani nominant.

Outo, Oudo, Vto, Vdocum aspiratione & sine aspiratione scriptum varie reperio: vnum nomen est, à custodia deducitur, tandem Oto factus est.

Outher, custodia exercitus. Vtharius atque Autharius inde factus est. Rex Italiæ fuit, genuit Antenorem Troianum imperitis, & ambitiosis.

Outilo, Houtilo, à custodia & galeola deducitur. Vtilonem nuncio ducem Boiorum.

Ottinga vrbs Noricorum. Vtinum est, insigne veteri templo Deiparæ Virginis.

P.

PAdfine est b, scribimus fere sine discrimine, vnde per, pernhard, prenner, perg, & mille huiusmodi in b quærenda sunt.

Ph duriuscule superiores Germani efferunt, quasi pf: Inferiores rectius, aut tenue, aut aspiratam.

Paph, pfaph, sacerdos est. Paphi vrbs in ripa Ilmi amnis Pfaffenhofen. Pfaffenhofen.

Paltz Pfaltz, palatium, prætoriumque est. Inde Paltzgraff, Pfaltzgraff, Comes Palatinus, quem veteres præfectum prætorio, Legatum, & Candidatum Cæsaris nominarunt. Nam fisci curam, & vices Cæsaris absentis gerit. Quæque regio suum quondam habuit: officium eius paucissimis cognitum est.

Perth, equi perther, equorum exercitus, & dominus. Bertharius Latinis dicitur.

Perthrich, equorum diues. Berthariçus Rex Italiæ, oriundus ex Boiaria.

Phund, pund, pondo, libra: nos crassius pfund.

Phoros, traiectus & vadum est, phor, & phord, Germani addita d nominant, ob dicendi commoditatem. Vel phurt, alibi adhuc phar aut vr phar, &c.

Pyr ignis est Græcis: inferiores Germani pyrnein, ardere dicunt, quod superiores transpositione literæ, vt solent, prynnein dicunt.

Pyrenei inde montes, quod ab incolis combusti sunt, referunt Diodorus, & Berosus: separant Gallias ab Hispanis. Nostri Runcivallem vocant. Apud Plinium tamen, Aristotelem, & Ottonem nostrum, montem Noricorum (quem vulgus prenner, & prynner vocat) Pyrenæum quoque nuncupari reperio. Cassiodorus, Arbo Episcopus Fruxinensis Breonum appellant, ni fallor, & Fortunatus pontifex, Pictonum.

Pyrg, castrum, regia est, Græcum & Germanicum est vocabulum. Pyrgos enim turris est Græce. Multa inde fœminarum nomina composita, Segipyrga, Seopyrga, Litopyrga, Reginopyrga.

Piut sanguis est, Pluthylda, sanguinis amor, filia Lutharij primi, Regis Francorum. Celtæ Plyctyldam vocant, quæ visu amorem prodentem significat.

Pluthruda vxor Pipini superioris Grimoldi ducis Boiorum filia.

R.

RAin, antes sunt, & littus. Vnde Rheni vbs Lycatiorum, ac Boiariæ in ripa Lyci. Vnde haud procul Lycus fluit in Danubium.

Raid, Crispum. Radolacht, Rattenbach, Crispasagus, Cœnobium superioris Boiariæ.

Rattenhaslach, crispum Coryletum. Rethsula Cœnobium prope Burgusium, vbi Mausolea principum nostrorum.

Reich, diues, regnum, imperium. Inde pleraque nomina.

Reichardus, diuitiarum siue regni thesaurus. Pro Diuo colitur. Rex fuit Anglorum.

Reuharda, Augusta, vxor Imperatoris Caroli tertij: albo superum inscripta est.

Reichza, id est, diues. Richissa Augusta, vxor Imperatoris Lutharij secundi.

Regen, erigere, rigidum esse: inde Regino, quo nomine fuit historiographus Arienulpho imperante, qui de rebus Gallicis, & Germanicis diligentissime scripsit. Regino.

Regenburg, Reginopyrga, Vxor Theodonis Reginoburgum

donis ducis Boiorum, à qua Reginoburgium vrbs. qua nunc à literatioribus Ratisbona vocari solet. A Carolo Magno Reginoburgium, quemadmodum vernacula lingua, Regespurg, nuncupatur.

Regendraud, Reginodruda. Vxor Theodonis tertij ducis Boiorum.

Rue, raed, quies, & ocium. Inde

Rudiger, qui petit ocium, & quietem:

Rogerium Latini vocare solent.

Ruetprecht, qui ocium, quietemq; frangit. Galli Robertum, nos Rupertum nominamus.

Rudolph, quietem, pacem adiuuans. Rudolphus est Hesychius, & Hesychius Græcis: Tranquillus Latinis.

S.

Tectosaces. SAc, sagum, saccus. Inde Schecken, vestis militaris, qua maiores nostri pro lorica vsi, Tectosaces inde dicti populi Germaniæ, ac Galliæ.

Lex Salica. Sal, Sala, aula est. Salicus denominatiuum eius, id est, aulicus. Lex Salica, terra Salica, Salica prædia, Salici clientes, apud Iureperitos Galliæ, atq; Germaniæ: dicti quod ad aulam spectent. Salij quoq; Franci dicti sunt, refert Marcellinus à duobus fluminibus, quæ Franciam antiquam, hoc est, Franconiam incunabula Francorum, irrigant, ambo Salas nuncupantur.

Sala. Salingi. Salingstat. Neustat. Sali, salig, beatus. Salingi populi Germaniæ, quorum meminit Ptolomæus, cum Boij Vindelicum occuparunt. Salingostadium oppidum eorum, iam Neostadium appellant, situm est in ripa Danubij, abest ab Abusina, patria mea Occidentem versus quinque millia passuum.

Se, lacus. Oceanus, mare est. Selandia, regio palustris, vel in salo sita. Est duplex, vna ad hostia Rheni exposita est, Caninefatium insulam Tacitus vocat: quondam principibus nostris, nunc Burgundiæ subdita. Altera iuxta Albis hostia, regi Danorum paret, Scandia à Ptolomæo dicta.

Segi, siue Sige, victoria est.

Sigmund, Segimund, diminute Sigel, Segimundus est Tacito: Sigillus Iustino.

Segifrid, Seifrid, Segifrid, SeitZ victoria pax. Segifridus: siue victoria gaudium Sogifredus.

Sigbeis, victoria ductor. Sigouesus est Liuio.

Sigbot, Seibot, Seibolt, victoria interpres, & nuncius: Segibothus est.

Sigkember, qui pro victoria pugnat, inde Sycambri, & Sygambri gentes Germaniæ, vbi nunc Westosali habitant.

Son est Sol. Sonno inde Claudiano, Sunnia Hieronymo.

Stat, ciuitas, vrbs, in stadium commutatur, Neostadium, Angilostadium.

Stain, lapis: complura cognomina ædibus nobilitatis coniuncta sunt. Plinius Stones: Strabo Steonos nuncupat.

Sued, Sud, Notus, Auster, Meridies: eius denominatiua, Sueden, Suden, Sunder, hoc est, Australe, Meridionale.

Sunderge, pars Boiariæ cis Danubium, Austrum versus, & præcipuè superior Boiaria alpibus subiecta.

Sudini populi Danubiani Ptolomæo proximi Boiemiæ, nomen pars Boiariæ seruat, Suedenge, vulgus corrupte, vt solet, Suenge nominat.

Suiones Germaniæ gens Tacito: nunc Suedi sunt.

Suits, Suid, sudor: Suitein, Suidsin, sudare.

Suito, siue Suido, Rex & gens Germaniæ, proxima Vistula, & Suionibus, quondam continua. Sidones Ptolomæus, Sitones Tacitus appellat, Sueuisq; connumerat. Hi Hylderico Rege Francorum, seu pulsi à Venedis, seu ob famem, & inundationem terrarum, Rege Sidone, qui & Sito, in Gallias profecti sunt, Burgundiæ loca, & Rheno proxima, vbi quondam Heluetij consederant, occuparunt. Suidser vernacula lingua nuncupamus nos. Saxones vero Suiter, & Suider: suspicor apud Tacitum Suitones scriptum fuisse. Sidon. Sito.

T.

T, ad fine est d: habet & magnam communitatem cum s, vbi superiores Germani t pronunciant, Saxones s efferunt. Nisi vnam dixeris esse literam, th, quæ à diuersis varie dicatur, quemadmodum apud Græcos, & Hebræos quoq; in huiusmodi fieri litera palam est studiosis eiusmodi rerum: Bather, Bathan, aqua, aquosum.

Tuisthen, Tuysten, TuitZen, est interpretari: vnde Tuistho, TuiZo, hoc est Tuisco, conditor Germanorum & Sarmatarum. Quem maiores nostri, vti nuncium, ac interpretem Deorum venerati sunt.

Theodericus, Theodopertus, Theodo, Theodomarius in d, litera.

Tectosaces in s, quære.

Teuto ab innuendo dictus rex Germaniæ: quem quidem Mercurium Germaniæ interpretati sunt. Inde Teutones dicimur. Teutones.

Thessel, dux Boiorum: à quo riuus Thesselpach in superiore Boiaria. Quidam Thassilonem, alij Taxilonem. Sunt qui Thessalonem vocitent. Ego (vt Iustinus) eum Latine Thessalonum vocabo. Fuit hoc quoque nomine dux, qui cum Brenno Delphos celeberrimum templum Græciæ oppugnauit.

Trocini à lacessendo, ita Tolistobogi à ferendis arcubus cognominati: socij Brenni, & Thessaloni. In Asia sedes posuerunt, dicti Galatæ, ad quos D. Paulus scripsit. Golatæ.

Treuir, agitator est, & tortor. Conditor Treuirorum in Gallia.

Tunau, siue Tonau, Danubius est & Hister.

Tunage, hoc est terra Danubij, pagus Boiariæ proximus Danubio, vulgus Tunca nominat. A Ptolomæo Tunicates vocantur, licet ibi corrupte Runicates scriptum sit, populi Vindelicorum:

V.

V, consonans cum b habet adfinitatẽ. Nam vbi b est quibusdam, ibi aliis est u consonans: supra admonui.

Varistae populi Germaniae in Boiemia cum Marcomanis habitarunt, quorum pars erant dicti, quòd saltus tenuerint, qui Varst Germana lingua dicuntur. Hi grauissimum bellum Imperatori M. Aurelio Antonino Philosopho mouerunt.

Vindelici in Boiaria superiore, inferioreq́ habitarunt. Vindelicia enim ea regio est, quam nunc superiorem, inferioremq́ Boiariam nominamus: ita dicta quod sub Lyco sita sit, quã Rhetiam secundam etiam vocari compertum habeo. Nec me mouent aliorum insomnia. In secundo libro testimonia amplissima, quibus refragari inscitia est, citabo. Iniquum est negligentiam imperitorum inueteratamq́ errorem diligentiae ac virtuti praescribere. Rhetia secunda.

Vlsing crebrum nomen maioribus nostris. Fuit hoc nomine heros Germaniae: antiquis adhuc celebratur carminibus. Vlyssem Cornelius Tacitus vocat.

Vlreich, eius diminutiua Vetz, yl, yel: Vlricus est: in Hylderico offendes.

Vocho nomen frequens in fastis nostris, volucris est, raro tamen in Hercinia adparens: sunt qui se vidisse iactent, penna eius noctu, vt ignis lucent. Meminit Plinius: pictam vidi, Voccionem Caesar adpellat, fuit tamen Rex Noricorum.

Tohburg. *Vociobergium vicus, & arx Danubio imminens in Boiaria superiore: olim potentissimis clara principibus.*

Voeth Graecum, & Germanicum vocabulum, aduocatus est, & patronus. Graeci tamen per b scribunt Boethus.

Vothei patrocinium: Graeci Boetheia. Inde Boethi populi Germaniae Magnae. Pars olim Nariscorum, atq́ Boiorum nunc plerisq́ Franciae adscribunt. Meminit quoq́ Ptolomaeus Boethorum circa Danubium. Interpres cum sit proprium, commune esse credidit, interpretatusq́ est auxiliatores.

Voethlandia, hoc est terra Boethorum, id est aduocatorum: quemadmodum Aeneas Syluius licenter, ne dicam inepte vertit. Propria enim nomina non sunt vertenda, sed literis aucta, aut diminuta, Romana incude formanda sunt. Ita Plinius docet: sic Hermolaus Barbarus commonet. Et ego apud illustreis rerum scriptores diligentius obseruaui.

Vta, vxor Imperatoris Arnulphi Caesaris & filia Theodonis quinti ducis Boiorum: à custodia deductum nomen, aspiratio omissa est.

Vther custodia exercitus. Veteres crebrius vsi sunt aspiratione, nos parcius.

Vtharius est Rex Longobardorum, maritus Theodolindae, filia Garioualdae Regis Boiorum.

Vtil, qui & Houdil, diminutiuum est à custodia, & galea. Vtilonem Latini nuncupant: Rex est & dux Boiorum.

Vto, qui & Oto. Vtinium oppidum Oeno contiguum, Otinga est: maiores vbi omnia aspirarunt.

Z.

Z, crebrum Sueuis, Boiis, Francis, valet t & s, quamobrem Cimbri & Saxones t, solum efferunt, vbi superiores Germani Z & scribunt, & proferunt, vt bezalen, soluere. Scribae Germanici, tanquam solum s, valeret, quemadmodum & Venedis, t fere praeponunt, vt betzalen.

Zant dens est.

Zeccen lacessere. Zecco qui lacessit, Latini Ciconium nominant.

LIBRO

LIBRORVM ARGVMENTA.

In primo libro hæc dicuntur.

De carminibus antiquis (quod vnum apud maiores nostros, memoriæ & annaliũ genus est) quibus Cornelius Tacitus vsus, & quæ Carolus Magnus auxit, quidam recentiores corrupere.

De his neq; in hoc lib. 1. neq; in lib. 2. Historiæ Germanicæ Auentinus primo loco egit, sed ordinem immutauit.

Germaniæ veteris descriptio ac Chorographia cum vetustis ac recẽtioribus locorum vocabulis. Quinq; toparchiæ iuxta quinq; maxima flumina atq; sinus, prima ac vetera nomina ex clariss. rerum scriptoribus, Græcis, Latinis, Iulio Cæsare, Strabone, Pomponio Mela, Plinio, Solino, Plutarcho, Ptolomæo, Cornelio Tacito, item antiquis Druydibus nostris admodum eruditis. Istæuonum, Heluetiorum, Boiorum, Bathauorum, Mattiacorum, Chattorum, Vsipiorum, Tencterorum, Bructerorum, Chamanorum, Angriuariorum, Tubantum, Busactorum, Sycambrorum, Sulcborũ, Longobardorum, Ingrionum, Vargionum, Carinthnorum, Cimbrorum mediterraneorum, Neruicorum, Eburonum, Treuirorum, Mediomatricum, Vbiorum, Vangionum, Nemetum, Tribochorum sedes atq; origo.

Belgas a Germanis ortos esse, eam linguam quam veteres Gallicam vocant, eandem esse, quam nunc Teutonicam appellant, Gallosq; Teutones fuisse atq; Celtas.

Nigram syluam non esse Bacenim, sed Heluetiorum ex Cæsare, Tacito, Ptolomæo.

De Boiemia, quoties mutarit cultores.

Iidem Ingæuonum, Cauchorum, Cimbrorum (quorum pars quondam Saxones fuerũt) Teutonum, Vandalorum quoq;, Burgundionum, Bargionum, Varinorum, Charinorum, Gutonum, simul & Hermionum, Hermundorum, Nariscorum, Chattorum, Cheruscorum, Sueuorum, item Peucinorum, Bastarnarum situs.

Antiquæ Mesiæ, Istriæ, Sueuiæ, eiusq; populorum, Rugionum, Angliorum, Angilorum, Senonum, Lencobardorum, Marcomannorum, Quadorum, Auionum, Abiorum, Varinorum, Luuoniorum, Suionum, Olorum, Gotinorum, Legiorum, Æstiorum, Sitonum, Fennorum, sedes & regiones, quomodo nunc hæc loca, sed partim mutatis cultoribus vocitentur.

De Venedis (qui sua lingua sunt Sclaui) veteres & natiuæ eorum sedes.

De his plura in lib. 1. Germanicæ Historiæ, in qua vndecim diuersa illorum nomina refert.

De variis & veteribus Germaniæ vocabulis.

Hæc quoq; copiose explicat in lib. Germanicæ Historiæ, in hac vero nonnulla obiter attingit.

Religio, leges, Philosophia, Astrologia, menses, annus, festa, literæ, veteres sapientes, vates, Druydes, Alirunæ, ac Sibyllæ Germanorum.

XX primi heroës, dij atque reges maiorum nostrorum, quorum mentionem faciunt Appianus Alexandrinus, Cornelius Tacitus, Berosus & Metasthenes, quomodo à proauis nostris vocentur. De Osi, Iside, Lybio, Hercule Hispanico, diis & heroibus Ægypti, vt in Germaniam venerint. Primæ expeditiones maiorum nostrorum in alienas exterasq; nationes: eorum res militaris.

Huius quoq; in eodem lib. 1. Germanicæ Historiæ, non in hoc libro meminit.

De Alope vrbe, cuius mentionem Homerus facit, & eius commentarij, atq; inde Amazonas deducunt.

Plura in lib. 1 Historiæ Germanicæ quam in hoc.

Vera historia & origo Amazonum ex Horatio, & nostris authoribus: irruptio earum pariter cum Cimbris (quorum pars Saxones) in Asiam, Scytharumq; regna.

Secundi libri Capita.

Ab hoc primo capite orditur lib secundum hist. Latinæ

Ab excidio Troiano vsq; ad vrbem Romam conditam. Bellum Troianum.

De hoc pauca agit lib. 1. huius Historiæ, pluribus autem lib 1. Hist. Germanicæ.

De Teuthrante rege & heroe Germaniæ, amico Herculis, eius filiis ac nepotibus, eius vxore Troiana, res gestæ eius, quomodo à maioribus nostris nuncupentur.

Tertium & quartum caput tantum in lib. 1. hist. Germanicæ est persecutus.

De Pentesilea, Hppolyto, Melanippe Amazonum reginis, quid veteres Germani in suis carminibus de his scribant, ibidem nomina eorum vera Germanica.

De hoc copiosius in lib. histor. 1. Germanicæ in Latina.

Euer-

Euersio Nini vrbis Assiriorum, causæ vicissitudinis rerum, quomodo Germani sub Imperio Assiriorum vocati sunt, eorum irruptio in Asiam.

Tertij libri, Summa rerum.

Quæ hic attribuit lib. 3. illa omnia redegit in lib. 1. vtriusq; historiæ sed speciatim nonnulla solum: largius autem pleraq; in historia Germanica complexus est.

Babyloniorum captiuitas, vetera nomina Francorum & Gothorum, irruptiones Germanorum in Asiam, migrationesque in alienum solum, bella eorum aduersus magnos Persarum reges; qui tum maiores nostri atque Cyrus ab ipsis vocetur.

De Rhætis, quæ sit Rhætia, Vindelicia, Noricum, Pannonia superior.

De Rhætobonna, Tetrapoli siue vrbe quadrata Danubiana, quam veteres Germaniæ, Druydes atq; vates Græca nominis interpretatione τετράπολιν nominant, vulgus indoctum corrupto licentia vetustatis nonnihil sono Ratisponam vocare solet. Credit Latinũ esse vocabulum, cum sit Barbarum ac semigermanum, quemadmodum Bendobonna atq; Bonna vrbes Galliæ ac Noricorum.

Bella proauorum nostrorum aduersus Macedonum reges, Philippum, Alexandrum Magnum, eorum successores, quomodo Germani à Macedonibus vocentur.

Irruptio Germanorum in Asiam, item bella aduersus Romanos liberos, migratio in Gallias Hispaniasq;, origo Brabantinorum & Flandrorum.

Quomodo recens Germaniæ vocabulum inuentum, reges Germaniæ à condita vrbe, resq; gestæ vsq; ad diuum Iulium.

Hæc Auentinus & in Latina, & Germanica Historia in lib. 2. contulit. Plura autem comprehendit in vtroq; libro, quam vel hac vel illa, quæ lib. 2. vtriusq; historiæ ab eo præposita rerum summæ indicet. Nec solum res gestas Romanorum Imperatorum, præsertim cum Germanis, vsq; ad Theodosium Magnum, sed & vsque ad mortem Zenonis Imperatoris debit.

Quartus habet magnitudinẽ Romani Imperij, prouincias cum vrbibus insignioribus, rem militarem, regesq; Germaniæ ac gentes, resq; gestas cum Romanis Imperatoribus vsque ad obitum Theodosij Magni.

Quæ sit splendidissima colonia Rhætiæ, item ciuitas Hermundorum fida Romanis. Quis nam Albis fluuius, quem Tacitus olim inclytum & notum, nunc tantum audiri dicit,

Quinto libro narrantur isthæc.

De his in vtraq; historia Auentinus agit lib. 3. sed non à principio, verum non longe ante finem. Deducit autem narrationem vsque ad Carolum Magnum, non ad Pipinum patrem eius tantum.

Franciæ antiquæ reges, qui simul in Gallia & Germania imperarunt, Gallias in Germaniam transtulerunt, vsq; ad Pipinum patrem Caroli Magni, quorum mentionem faciunt Claudianus & Sidonius.

Maxima rerum mutatio, quæ vbique gentium perculit Christianos. Irruptiones Germanorum in sacrosanctum Romanorum Imperium.

Rugiorum, Longobardorum, Turogorum, Boiorum, Vandalorum, Saxonum, Scotorum, Angliorum, Ostrogetarum, Vessogetarum, Burgundionum, Alanorum, Hunnorum, Sueuorum, Nauarrorum & Varinorum, Venedorum. *De his lib. 1, 2. 3. & 4.*

Veteres sedes, quomodo ex Germania interiore atq; Vistula amne ad Rhenum & Gallias migrarint.

Vessogetarum migratio ex regno (vt nunc nominant) Vngariæ per Italiam, Gallias in Hispaniam, item Sueuorũ atq; Vandalorum, Nauarrorum & Varinorum.

Migratio Ostrogetarum ex Norico & Austria, item Rugiorum in Italiam. Venedorum (qui sua lingua Sclaui sunt: quos Iordanus noster, Ptolomæus Græcus, Tacitus Romanus describunt) irruptio in Germaniã interiorem: & postea transito Danubio in Pannonias, Noricum, Liburniam, Dalmatiam, a sinu Venedico extremisq; Germaniæ finibus egressi, Illyricos vsq; penetrarũt sinus, longe lateq; omnia occuparunt, potentissima condiderunt regna.

Lancobardorum vero origo & situs, item Angliorum siue Angilorũ, quas notiones Sueuiæ Tacitus & Ptolomæus tribuunt, recẽtiores Saxonibus, qui Italiã Britannias adhuc tenent, vtraq; natio, teste Ptolomæo, quodam Longobardi siue Lancobardi dicti.

Brabantiæ vetusti reges ac duces.

Omnis nobilitas, Reges Principes, Italiæ, Galliarum, Hispaniarum, ex Germania originem ducunt.

Quomodo Germania vetus vocabulũ mutauit, lib. 2. 3. & 4. Franciaq; posthac dicta fuit, teste etiam diuo Hieronymo.

Hæc continentur in vtraq; historia.

Sextus liber continet Reges ac Cæsares Germaniæ ac Galliarum ex antiquis Francorum nibus prognatos vsque ad Honoricum primum.

Austriæ varia nomina, excidium Hunnorum, aduentum Vngarorum in regionẽ quam nunc possident, bella eorum aduersus nostros Imperatores, quos & tributarios fecerunt.

De his tractat in lib. 5. vtriusq; Historiæ.

Septimo dicuntur Imperatores nostri ex Saxonia oriundi. Vetus rursum Germaniæ vocabulum exibilatum, nouumq; receptum ab Imperatoribus Saxonicis. Res gestæ eorum, quomodo rursus Italiam Galliamq; recuperarint, Germanias ab Vngaris asseruerint, Danorum regna domuerint cum Venedis.

Tumultus Pontificum Romanorum, motusq; primi aduersus Imperatores.

Impe-

Imperatores & Cæsares Francos vsq; ad Heinricum V. in posteriore parte lib. 5. persequitur: Sueuos vero Vuelphosq; cum Lotharium III. Conradum III. Fridericum I. lib. 6. At reliquos Cæsares & reges à Friderico I. oriundos, Ottonem IV. Item historiam Conradini & Friderici Sueuiæ & Austriæ Ducum capite plexorum à Carolo rege Neapolitano. Præterea contentiones ac bella diuersorum Principum ac populorum propter regnum Neapol. Deniq; bella sacra, & Tartarorum irruptiones, lib. 7. enarrat.

Octauus liber habet Francorum Imperatores, atq; augustam sobolem Sueuos. Ibi quoq; referuntur bella plus quam ciuilia Romanorum Pontificum, variæ seditiones, diuersi motus contra Cæsares. Nam ope Gallorum, reges nostri Sueuiæ ac Austriæ, Badorumq; Principes capti, securibusq; percussi, discordia seminata inter Gallos Germanósq;, atq; rursus inter Hispanos & Gallos, item Vngaros, ob regnum Neapolitanum, Siciliaque. Bella sacra Germanorum expeditionesq; Asiaticæ Imperatorum & Principum nostrorum. Tartarorum irruptio in Poloniæ, Boiemiæ, Vngariæ regna.

De his agitur lib. 7. vtriusq; Historiæ. Sed in Germanica Historia, tantum vsq; ad Ludouicum III. vt in indice illo vsq; ad Carolum IV.

In nono referuntur Imperatores nostri in Hollandia, Hispania, Anglia, Austria, Boiaria, Habsiburgij, Luciloburgij, Nassouiç orti. Rursus seditio ac motus P. M. contra Imp. ac discordia seminata inter Christianos Principes. Polonia quomodo aduersus Imp. à P. regnum factum.

Hæc in lib. 7. Latinæ, & lib. 8. Germanicæ Historiæ, & multa alia præterea, præsertim Historia Ducum Boiariæ & Palatinorum Rheni ab Othone Witelspachio descendentium, & eiusdem origo exponuntur.

Decimo vsq; ad nostram memoriam commemorantur Imperatores nostri in Austria, Boiemia, Vngaria orti. Irruptio Turcarum in Europam, victiq; Imp. reges & Principes nostri.

Quinque bella infausta aduersos Boiemos, auspiciis Pontificis Romani, ab Imperatoribus & principibus gesta. Complura alia vulgo non protrita, cognitu vtilissima, atq; iucundissima referuntur in hisce commentariis, quæ hic indicare nihil operæ precium est.

Enthea Auentinis Pietas Sociata Camenis
Veridico æternum pectine pandit opus.
Ipsa humanarum obseruatrix prouida rerum
Clio, diuinis ausibus vsq; annuit:
Res Germanorum, Boiorumq; inclyta origo,
Quin magna Europæ hic scribitur Historia.
Felices Boij quorum monumenta perennant,
Boij Teuthonico gens dominata solo.

I. GRASSERVS Ciuis Romanus.

IOAN.

IOAN. AVENTINI

ANNALIVM BOIORVM:

LIBER PRIMVS.

Bauarus nomen Barbarum.

BAVARVS nomen Barbarum, obscœnum inauspicatumque: semidocto vulgo protritum, recens est, nuper ab imperitis vsurpari cœptũ: nec Latinum, nec Germanicum. Nusquam apud veteres, nusquam in vetustis exemplaribus, monumentis, literis, Epistolis, legibus, tabulis, Diplomatibus, inuenio: quæ omnia lingua Romana scripta sunt. Demum enim post Friderici secundi fata, Germania suum sermonem depingere literis Latinis didicit. Semper Boioarios, aliquando & Boiarios, scriptum lego. Barbariæ quidem vocabulum post Carolum Magnum, eiusque nepotes, à priuatis literatoribus (vt sunt mores eorum) additum est. Etenim cum illi in ea regione (quæ Anasso amni Orientem versus subiecta est, & nunc Austria vocari solet, tum Abaria atque Hunnia erat) ad internecionem Hunnos, quos Boij Abares cognominant, deleuissent, nomen & gentem penitus excidissent, colonias ibi Boiorum deduxerunt: Boiariæque regno coniunxerunt, vt vna gens, vnus Ducatus posthac foret. Grammaticæ tum tribus ex Boiis & Abaribus vocabulum composuerunt: quod & huiuscemodi rei monumentum esset, & vtramque regionem vno cognomine complecteretur: quemadmodum à Gotis & Alanis est Gotolania, & ex Celtis & Hiberis Celtiberia. Longo tamen tempore Babaria in ludo Declamatorum delituit. Equites, patresque semper Baioaria interim, & Boiaria, & scripserunt, & dixerunt: pedetentim vicit pertinacia Grammaticorum, Babaria paulatim irrepsit Baioariam, atque Boiariam extrusit, ac tandem publicè recepta est, sicuti monumenta publica, priuata ostendunt. Reginoburgij in templo Diui Haimerani Babariæ vocabulum in saxo incisum existit. Bauarus verò post Imperatorem Fridericum secundum demum natus est, cuius parentes si Boios & Auares dixero, fortassis non mentiar: quos enim Boij, & Græci Abares, Romani Auares vocant: id fortè serò à Grammatistis animaduersum est. Eo nomine proauos nostros, tanquam infausto omine, ignominiæq; nota, quæ & in prouerbium cesserit, b nimirum, auaro, additum, emptum à Boiis esse, abstinuisse, compertum habeo. Quòd autem Boiarij apud maiores nostros Norici etiam cognominentur, non ideo fit, quòd Boiarij sint Norici, sed quòd Noricum pulsis Romanis (sicuti in tertio narrabimus libro) occuparint, atque possideant. Nam omnes gentes in Norico habitantes Austriaci, Styrii (quorum caput Græcium Boiorum cognominatur) Chariones, Tyrolij, Boiarij sunt, ab ipsis originem ducunt: vnus olim principatus, vnumq; regnum fuit: pars Norici adhuc Boiaria cognominatur. Burckhausen, Traunstain, Reichenhall, Braunau, Scharding, OEtinga vrbes, & gentes Norici, nostris parent principibus. Kopfstain, Ratenburgium, & Kützpühel Imperator Maximilianus mea memoria abstulit Boiorum ducibus, Tyroliisque addixit.

Germanica lingua, quãdo scribi inceperit Latinis literis.
Barbaria.
Austria.
Abaria.
Hunnia.
Abares.
Gotolania.
Celtiberia.
Bauarus.
Cur Boiĩ Norici dicãtur.
Boij Romanos ex Norico expulere.
Bairisch.
Gretz.

De Boiarijs doctorũ virorum sententia.

Quamuis omnia mihi ex publicis instrumentis exploratissima sint, tamen & operæ precium est aliorum prius audire de Boiariis sententiam. Raimundus Lullius, (quem diuinitus omne ius humanum, diuinumque hausisse fama proditum est) Pius secundus Pontifex Max. Raimundus Marlianus, Conradus Celtis. Præceptor meus, & plerique omnes nostræ tempestatis viri eruditi, harum rerum curiosi perscrutatores, eos Boios esse autumant, quos vulgus literatorum Bauaros vocitat. Vitum quoque Arenpeckium (vt domestica adferam testimonia) horum sententiæ esse video: seruatur in Bibliotheca Fruxinensium Pontificum. Item Tigurinorum, venerandæ vetustatis codex literis Romanis scriptus, in quo inter cæteros Heroas Christianos, est vita Diui Eustasij, sub Luthario Magno Francorum Rege scripta, ibi hæc ad verbum leguntur. Ad Boios, qui nunc Baioarii vocantur, tetendit. Vuigoleus pontifex Batauiensis vetus mihi exhibuit diploma, vbi Boĩaria scriptum est. exemplar subieci: Hainricus Dei gratia dux Boiariæ. Quemadmodum Chunradus pontifex Batauiensis, germanus noster deprecatus fuerat, ab curatione templi Diui Hippolyti, Albertum cognatum amoueo, abdicoque in celebri loco Anasi. Cuius rei testimonium hoc diploma esto. In rebus gestis Imperatoris Hainrici quarti, ducis verò Boiorum septimi, quæ carmine Heroico perscriptæ, venales circumferuntur, ij versus sunt in libro secundo.

Agmina Vangionum cum robore Boiariorum.

Item:

Pauci Francorum, pars plurima Boiariorum.

In libro tertio:

Signa ducis sequitur gens inclyta Boiariorum
Quam toties domitis celebrat victoria Parthis.
Et nunquam violata fides, belloq; probata,
Virtus Boiemicis, multisq; superba triumphis.

Germanicum quoque, ac vernaculum nomen, longè magis adfine est Boiis, quàm Bauaris. Nam vt Romanus, nobis est Romer, & Brennus Brenner, Venetus Venedier, Vngarus Vnger. Bergus apud Plinium Berger. Vandalus Wandler, Styrius Steirer, & mille huiusmodi, iuxta idioma & proprietatem sermonis nostri, vs in er inuerso: ita Boius, Boier sit necesse est: ex quo quam facillime, fit Baier vna duntaxat literula (vti fit crebrò apud nos) voluptatis aurium gratia, immutata. Quin agricolæ vel hodie Boier dicunt. Suprà docuimus Rusticis nostris o esse, vbi Vrbanis a est. Quos itaque vulgus literatorum Bauaros, nostri scriptores Boioarios, & Boiarios: prisci Græci & Latini Boios appellare solent. Eorum situm paucis quàm verissimè explicabo.

Boiariæ diuisio. Narisci.

BOIARIA est omnis diuisa in tres parteis: quarum vnam incolunt Narisci, qui indigenæ sunt: aliam quondam obtinuerunt Vindelici: Tertiam Norici, quemadmodum in secundo libro pluribus explicabo. Nariscos à cæteris Danubius diuidit: Imperatores & Reges nostri horum regionem Nordge, & Nardge nuncupare solent: quod Aquiloni subiecta sit. nam Nordge Aquilonis terra valet. Quemadmodum in diplomatibus, & instrumentis Boiariæ pars contraria, cis Danubium, Meridiem versus Sunderge, hoc est Meridionalis terra cognominatur. Illam superiorem Narca vulgus diminute suo iure, adpellant: vnde à Cornelio Tacito Narisci dicti sunt: in multas ciuitates diuisi. Capita populorum nominasse sufficiat. Alemanos, Nariscos propriè dictos, Boëhos, Chemanos, Sudinos, Ilisios: horum omnium meminit Ptolomæus in descriptione septentrionalis. nomina retinent.

Fluminum Norici nomina.

Flumina memoratu digna quæ in Danubium feruntur. Almanus apud Kelhaim. Nabus supra Reginoburgium, Regnus infra, Ilsfus Bathauiæ: vnionum, gemmarum, aureorum granorum feraces sunt. In Mœnum influit Bambergæ Rhedonetius.

Vrbes.

Vrbes liberæ & Imperatoriæ Norinberga, & Weissenburgum. Pontificiæ, Aichstadium, Bamberga. Nostrorum principum sunt Angilostadium, vbi cœtus studia æmulantium, Diethfurch, Kelham, Suburbium oppidum Reginoburgij, quam Ripariam à vulgo literatorum reperio vocari: Deckendorff, Grauenau, Furdt. Maiorem tamen partem præfectus prætorio Rheni, vt Dux Boiorum, possidet. Cæterùm & Narenbergensibus, eorùmque præfecto, hoc est Burggrauio, nunc Marchionibus Brandenburgensis pleraque oppida parent. Hunc totum tractum a scriptoribus nostris cognominari vno nomine Boiariam veterem, & Franciæ, compertum habeo. Eorum vna pars, quam Noricos obtinuisse dictum est, initium capit à flumine OEno, vergit ad Orientem, & Austrum: attingit illinc Vgros, hinc Italiam. Hæc in multos dissecta est Regulos.

Alpiū vrbes

Vrbes in Alpibus Traunstain, Reichenhall: vbi salis fontes sunt: iuxta OEnum Braunau, Schardinig. In ripa Iuaui Burckhausen oppidum, & arx Boiariæ munitissima. Chiemensis maximus Noricorum lacus, in ambitu millia passuum quadraginta complectens. Sub imperio nostrorum sunt principum. Pontifices habet complures, Iuauensem Archimysten opulentissimum: Sebonensem, qui est Brixinensis: Chimensem, Lauentinum, Secouiensem, Guricensem: Fauiensem, qui & Viennensis dicitur.

Tetrarchiæ Bauariæ.

Gentes valentissimæ, quæ suos tetrarchas habent, Austriaci, Stirij, Chariones, Tyrolij: qui omnes lingua, institutis, moribus, genere Boij sunt: sicuti omnia instrumenta vetera, priuata, & publica testantur.

Paulus Varnefridus diaconus.

Adferam tamen & externum locupletissimumque testem. Paulus Varnefridus Ticinensis, domesticus sacerdos Desiderij Regis Italiæ, & Imperatoris Caroli Magni, scribit in lib. tertio historiæ Longobardæ: Noricorum prouinciam inhabitare Baioariorum populum, habereque ab Occidente Sueuiam: a Septentrione Danubium: ab Oriente Pannoniam: à Meridie Italiam.

Norici situs.

Vnus nimirum quondam princeps Boiorum (quem Græci Monarchen vocant) sicuti vni genti imperitauit. Sed in tertio, & sequentibus libris res ipsa magis manifesta erit.

Vindeliciæ descriptio.

VINDELICIA, vnde mihi origo est, tota principibus nostris paret, continetur fluminibus altissimis, Lyco, Danubio, Isara, OEno: nec non & Alpibus, quas Ptolomæus Penninas, nos Boias nominamus. Hanc potissimum describam.

Alpes penninæ, quæ & Boiæ.

Lycus oritur ex Rhetis, Graiisque Alpibus, in sylua Brigantina, & monte Tanobergo haud procul à vetusto oppido Brigantio, vbi extra Alpes se euoluit campum per latissimum, millia passuum nonaginta expaciatur, campo ab eo cognomen inditum est: vbi Germania pugnatura copias ferè cogit. Disterminat Rhetos à Vindelicis: alluit oppida Rhetorum, Fauces siue Abusiacum, Diui Magni sepulchro insigne, Schongiam (quæ tamen Boiorum est) Augustam Rhetiæ prouinciæ splendidissimam (sicuti ait Tacitus) Coloniam. Vindelicorum verò Landspergiam, Fridbergiam, Rhain: à quo non longius millibus passuum tribus Danubio miscetur.

OEnus

OEnus (quem Strabo Athesinum vocat) apud Rhetos Engadinos effusus ex inaccessi præcipitique valle altissimi montis, quem accolæ Vennonis, rerum scriptores Penninum cognominant: millibus passuum ferè septuaginta, magno strepitu aquarum, spumans, & minabundus per subiecta cadit saxa, impatiens omnis nauigij: Riui complures in eum de celsissimis montium verticibus vtrinque præcipitantur: incolæ superiorem vallem OEni nuncupant. Separat Noricos Tyrollios dictos à Rhetis, quos Engadinos vulgò nuncupamus. Deinde circa vrbem Noricorum OEnobrigam nauigabilis, placidiorque: fertur tamen intra Alpes adhuc millibus passuum penè quinquaginta. Consuetudo vallem OEni inferiorem appellat. Præterfluit oppida Noricorum, Hall, vbi coquitur sal, Schuuatz, Ratoburgium: ibi metalla argenti sunt, Kopfitain: Inde non longè alpes velut cornua, in duo iuga distenduntur, pars ad Orientem, pars in Occidentem. Austrum versus ingenti flexu curuatur, atque surgit. Hinc OEnus per plana diffusus labitur, millibus passuum non minus centies tricies, circumiacentes campos rigat & fœcundat. Vindelicos à Noricis diuidit: Bathauiæ in Danubium erumpit. *Strabo li. 4. in fine. OEnus Vennonis mons. Inthal. OEnobriga, id est Enipontum. OEni hostia.*

ISARA amnis rapidissimus, inter hos medius incedit, profluit ex saltu Schiratio, (qui est in gremio Alpium Penninarum) ab alueo OEni, non amplius millibus passuum quindecim. Ratium patiens: complures arces, vrbes, vicos Vindelicorum alluit: Infra Deckendorff cum Danubio miscetur: vbi millia passuum centum, quinquaginta cursu suo complet: quæ etiam ab hostiis Lyci ad hostia OEni Vindeliciæ longitudo est: quam nostra tempestate in superiorem inferioremq; diuidimus Boiariam. SVPERIOR tuedita est alpibus, Austroque: quamobrem Sunderge, hoc est Meridionalis terra in diplomatibus edictisque Imperatorum nostrorũ dicitur. Impedita crebris paludibus, lacubus ingentibus, fluminibus rapidis, syluis aspectu horridis: præter vrsos, apros, cæterasque huiusmodi feras, centenarios ceruorum alit greges: quos absque consensu principis, venari crimen est. Pecuariis, pecoribusque pascendis, magis idonea est. Pomiferarum arborum fœcunda: trimestris duntaxat frumenti, non tamen omnis, maximè ferax: rarius habitatur. Lacus qui nominantur sunt, Staphelinus, Cochilius, Valensis, Tigurinus, Silurnus, Ambro, & Verres omnium maximi: hic optimis abundat piscibus, longitudine millia passuum quindecim, altitudine quinque comprehendit: alter in longum mille passus decies, in latum ter patet. Amnes partim OEno, partim Isaræ, pars Danubio miscetur. Erumpunt in Danubium Barius, Ilmus, Absus: cum Isara confluunt Libusa per Cochiliensem lacum delatus, Mosa Fruxini. Ambro lacui, per quem fertur, dans nomẽ, in hunc defluunt, Verres, ex eiusdem nominis lacu effusus, & Gelonus. In OEnum fluit Magnoualda ex Tigurino lacu profluens. Vrbes iuxta Lycum supra dictæ sunt. In Ambronis ripa cubat Belaunorum oppidum vetustissimum, quo tractu fertilissima est superior Boiaria. Barrius alluit Aicham, Schrobenhausen. Ilmus Pfaffenhofen: Apsus verò Abusinam, patriam meam, cuius meminit Imperator Antoninus in Itinerario. Vrbes in Danubij ripa sitæ Neoburgium, Ingolstadium, & Neostadium, olim Salingostadium dictum, patria Augustini Kolneri à Secretis principum nostrorum, & eorum Epistolarum Magistri. ISARA interfluit Monachium splendidissimam præclarissimamq; vrbium earum, quæ vulgo Ducales vocantur, tribus alueis: deinde Fruxinum adlabitur, id Episcopo paret suo. Iuxta OEnum Rosenhaim est, & Wasserburgium, Muldorff pontificis Iuuanensis municipium. Vti superiorem Boiariam absolui ita inferiorem describam. *Isaræ descriptio. Vrbes ad Danubium sitæ.*

BOIARIA inferior, fertilior est, crebrius frequentiusque habitatur, propter Danubium, Isaram, Lauarum amnes, vitium ferax. Flumina in Danubium Lauarus, Vilsus: In Isaram Seno: In OEnum Iseniscus & Rhodanus defluunt: à quibus pagis, tribubusque cognomina accolæ fecerunt. Vrbes prope Danubium Reginoburgium caput Boiorum, Cæsari paret, pastophorio quoque Episcopi insigne est, Straubinga, Osterhofen, Vilshouia: vbi hostia Vilsi, vnde nomen vrbi. Bathauiæ pontifex imperat. In Senonis ripa est Ariodunum. Isaræ conterminia oppida sunt Mosburgium, Landeshuta, Prætorium principum nostrorum, Landau, Dingelfing. Terra in vniuersum satis ferax, sale, frumento, pecore, piscibus, syluis, volucribus, pascuis, feris (in summa) omnibus quæ ad victum, cultum & vsum vitæ spectant, satis superque abundat. Distrahuntur, diuenduntur que in alienas regiones, & deferuntur, sal, pecudes, frumenta, vina aliunde conuehuntur, ex Italia, Histria, Rhetia, de Rheno, Nicro, Francia, Pannonia prima: nusquam melius victitatur, nusquam melius cubatur: id quod & vulgatissimo nobilitatum est prouerbio. *Boiariæ inferioris descriptio.*

Venti Subsolanus, & Fauonius crebrius spirant, ædificando vt noxij obseruantur. Ille Boiariæ serenus & tranquillus nubes & pluuias compescit: hic frigidus, humidus & nubilus hyemat. Dies longissimus septemdecim ferè horarum, breuissimus octo. Populi religiosi, simplices: agri, pecoris magis quàm belli cultores: Baccho, & liberis operam dant. Inhumaniores paulo, proteruiores atque pertinaciores sunt, propterea quòd domi confident, ac consenescunt, rarò natale solum relinquunt. Mercaturæ non multum dediti, *Boij, simplex populus & religiosus.*

Tria genera hominum in Boiaria.

diti, minimeque ad eos sæpe mercatores commeant. In omni autem Boiaria, eorum hominum, qui aliquo sunt numero atque honore, genera tria sunt. Nam plebs in agris degit, agriculturæ, pecuariæque vacat: quæ per se nihil audet, & nulli adhibetur consilio: haud tamen seruorum habetur numero. Nec enim in hanc eadem omnia iura, quæ dominis in seruos: partem redditum, fructuúmve, ac seruitutem rusticam Patronis debet: alioquin sui iuris, suæ spontis: totos dies, præcipuè festos, noctesque continuare potando, saltationibus lasciuire, arma, ensem, venabulum ferre: effusissimè indulgere dapibus in dedicationibus templorum, & epulo nuptiali, nulli fraudi, nulli probrum est. Sed de his tribus generibus vnum est Sacerdotum, siue mystarum, qui in collegia cooptantur. Alterum Equitum. Tertium Ciuitatum. Sacerdotes locupletissima, magnificaq; possident templa, superiores opibus censentur: interdiu noctuq; per statas horas rebus diuinis, propiciandæ supremæ Maiestatis gratia, à principibus instituta, intersunt: laudesque Superûm perstrepunt. Equites venatibus, aucupibus ætatem transigunt: in agris, ruri extra vrbeis habitant. Ciues Rempublicam ipsi, oppidaque curant, aut artifices, aut caupones, agricolæue sunt: pleriq; ad vsum vitæ necessaria venditant: tenuiores operas suas locant. Paucissimi suis vectigalibus contenti, in Patriciorum sunt numero. Principes de omnibus rebus reliquis consultant, omnia apud principes pertractantur. Nisi quando aut bellum ineundum, vectigal nouum pendendum, censusue agendus sit: aut denique discordes principes fuerint. Quod si huiusmodi res, siue aliud insuetum inciderit, omnes ii iussi & vocati, die locoque præscripto coëunt, atque conueniunt: Equitum singuli, ex quaque ciuitate, vnus vel bini. Collegia sacerdotum eum, qui præest, mittunt. In iisdem conciliis ex ordinibus, vt numerus placuit, eliguntur, penes quos est arbitrium decernendi. De Boiaria Vindeliciæ, & eius Vrbibus ac incolis ad necessitatem rei satis dictum est, nunc vti res postulat, originem gentis, quàm paucissimis aperiam.

Equites. *Ciues.* *Comitia prouincialia Boiariæ.*

Origo gentis Boiorum. *Alemannus Hercules.*

BOIORVM gentem (sicuti ego in Annalibus, & Bibliothecis Boiariæ publicis reperio) condidit Alemanus Hercules, vndecimus Rex Germaniæ Magnæ: quem maiores nostri cœlesti nomenclaturæ adscripserunt, belloque præfecerunt: & primum omnium virorum fortium ituri in prælia cecinerunt. Eius æreum signum in Richauia Cœnobio Sueuorum hactenus seruatum, Ioannes Stabius Historiographus iussu Imperatoris Maximiliani Cæsaris Augusti, nostra ætate transtulit Tyrollios: Regia est Noricorum in ripa Athesis. Manent adhuc in Boiaria vicus & arx Almostain pagus, & flumen Alemanus: cuius accolæ se vetustissimos Boiorum prædicant: quemadmodum & vetusta diplomata ostendunt, quæ mihi legenda exhibuit Gabriel pontifex Aichstatensis, Episcoporum Germaniæ doctissimus. Est etiam proximè Reginoburgium Boiorũ caput, mons, sylua Danubio imminens cognomine Hercules. Res ipsa hortari videtur (quoniam de Germania tempus admonuit) suprà repetere, ac paucis situm exponere, nationes attingere, rem omnem a prima origine disserere, quo ad cognoscendum omnia illustria magis magisque in aperto sint.

Deus summum bonum. *Quis Deum noscat.*

IAM primum omnium satis constat, inter omnésque conuenit (etenim communis est animi sententia, & consensus gentium) illud quicquid est, summum, quod Deum vocamus, omnia posse, esse vnum, optimum, maximum, immensum, æternum, infinitum. Nulli denique alij quàm sibi satis notum: cuius vim & maiestatem, neque mente concipere, nec verbis enarrare quisquam possit. Quia neque tantæ intelligentiæ lucem pectus humanum, neque explanationem tantæ magnitudinis capit lingua mortalis. Proinde is certissimè Deum noscit (quemadmodum à sapientibus pro confesso & indubitato habitum est) qui certissima comprobarit ratione fieri non posse, vt Deus intelligentia comprehendatur. Quem mundum hunc, & totam molem istam de nihilo in ornamentum maiestatis suæ fecisse, & propter hominem machinatum esse, & ipsum propter se, tanquam diuini templi antistitem, spectatorem operum, rerumque cœlestium: atq; vniuersa sua potestate & prouidentia & gubernare, & administrare (explosa iam pridem falsa Philosophorum de perpetuitate mundi opinione) receptum est: sacræ literæ docent: poëtæ fatentur: id quoque in arcanis sanctæ religionis scripturis proditum est, Deum Opt. Maximum sibi innumerabiles procreasse ministros, quos Græci Dæmonas, & Angelos: Romani, Genios, lares, nuncios vocare solent. Horum pars suapte arrogantia, suopte liuore, tanquam veneno infecta, ex bono ad malum transcendit: sua sponte corrupta, corruptior gens Dæmonum euasit, condemnata à Deo cùm generis authoribus, & eorum principe. Huius generis, mali princeps, qui ex bono malus per se effectus est, ab Hebræis Sathanas, à Græcis Antitheos cognominatur, tanquam hostis publicus, & Dei & hominum. Nuncupatur & Græce Diabolus, Latinè criminator. De his in hymnis ita scripsimus:

Dæmones. Angeli. Lares. *Sathan.*

Cæli perfidus est transfuga Iuppiter,
Desertrix superûm est praua Deûm cohors:
Nocturni Lemures sunt.
Pulsum & vulgus iners polo.

De

De cœlo pepulit vana proteruitas:
Prædonum Furias, atque superbia.
Authores scelerumq;,
Nunc mortalibus imminent.
Humanum capiunt mille modis genus.
Tendunt mille plagas, mille nocent modis,
Vanis pectora inescant,
Falsa capta cupidine.

Sunt nempe ij fallacissimi, nequissimique spiritus, supremæ & venerandæ illius Maiestatis carnifices, per quos & impij mulctantur, & mali puniuntur homines, (quibus cœlum, vnde ipsi pulsi inuident) per horum sæuitiam quoque innocentes assidua vexatione ad virtutem exercentur: vt inuicta patientia puræ, ac victrices animæ ad Deum, id est, originem suam reuertantur: & de illis vt hostibus, defuncta hac terrestri militia, perpetuò triumphent. Nam & victoria constare sine certamine non potest: sic nec virtus quidem ipsa sine hoste. Torpens enim ocio & securitate perdit naturam suam: nulla virtus sit necesse est, si aduersarius desit. Verùm de horum præstigiis præclarè scripsit Diuus Cyprianus Magus ex Antiochia oriundus, non ille Carthaginensis Episcopus vir loquentissimus. Consummato (ad ordinem susceptæ materiæ redimus) mundo, rebusque omnibus mirabili dispositione compositis, vt vsui hominibus (quorum causa facta sunt omnia) esse possent: supremus ille opifex rerum, ex limo terræ postremò figurauit hominem: quem immortalitate donaret. Poëtæ hoc in fabulam Promethei transferunt. Nemo mihi vitio det, quòd Poëtarum vtar testimoniis: cum Diuus Paulus eloquentiæ Christianæ princeps, Poëtas, Prophetas vocet, eorum testimonia, & contra prophanos, & instituendis Episcopis vsurpet. Homo itaque recens factus, inductus est in hunc mundum, quasi in domum paratam, & instructam. Cumque supremum numen, marem primum finxisset, tum etiam fœminam configurauit, vt duo inter se permixti sexus, propagare sobolem possent, & omnem terram multitudine opplere. Posthac Deus hominē, qua dixi ratione genitum, posuit in Paradiso, id est, in horto fœcūdissimo & amœnissimo: quem in partibus Orientis omni genere ligni, arborumque conseuit, vt ex earum variis fructibus aleretur: expersque omnium laborum Deo patri summa deuotione seruiret. Tum dedit ei certa mandata, quæ si obseruasset, immortalis maneret: si transcendisset, morte afficeretur. Id autem præceptum quidem fuit, vt ex arbore vna, quæ fuerat in medio Paradisi, non gustaret. Tum criminator ille inuidens operibus Dei, omnes fallacias & calliditates ad decipiendum hominem intendit: vt ei adimeret immortalitatem. Et primò mulierem dolo illexit, vt vetitum cibum sumeret: & per eam ipsi quoque viro persuasit, vt transcenderet Dei legem. Quod posteaquam ausus est, illico pœnas dedit. Nam quia Deo patri non paruit, ne ipse quidem sibi imperare potuit, sentit enim illico turbam affectuum pugnare cum ratione. Quamobrem pudere eum nuditatis suæ cœpit, abscondiditque se a facie Dei, quod antea non solebat. Tum Deus eiecit hominem de Paradiso, sententia in peccatores lata, vt victum sibi labore conquirerent. Ipsumq; Paradisum igni circumuallauit, ne homo posset accedere: qui perdita immortalitate morti obnoxius esse cœpit, & variis tempestatum procellis iactari.

D. Cyprian. Magus.
Creatio hominis.
Prometheus.
Poëta.
Eua configuratur.
Paradisus.

Macies, & noua febrium.
Terris incubuit cohors.
Semotiq; prius tarda necessitas.
Leti corripuit gradum.

Horat. lib. 1. od. 3.

Postea autem cum hominum numerus cœpisset increscere, & orbis terræ oppletus esset hominibus, inualuere simul & scelera, simul cum hominum numero creuere vitia.

Erat tum in Syria Damascena circa montem Libanum, Vrbs maxima nomine Enos, quam Gygantes tenebant, qui vniuerso imperitabant Orbi, immani corporum magnitudine, contemptu religionis, superumque insignes. Nihil pensi habebant, omnia voluptate & crudelitate metiebantur. Violentis ius omne in viribus, atque armis erat: freti robore, & corporis vastitate. Alios opprimebant, ac spoliabant: priuatim ac publicè aliena inuadebant, rapiebant, consumebant: cædis atque sanguinis auidissimi, gratissimus cibus, homines erant. Abortus medicaminibus procurabant, à quibus ne dentibus quidem abstinebant. Luxu perditi, pecudes, homineśque citra vllam sanguinis, aut sexus rationem, quò libido ferebat, inibant. Tum plerique omnes, quibus æquum & bonum cordi erat, crimina huiusmodi detestabantur, flagitia arguebant, scelera palàm carpebāt, imminens toti orbi exitium præcinebant, laterculis coctilibus imprimebant. Sed surdis canebatur, crabronesque irritabantur. Imò indies magis atque magis malitia gliscebat. Ipsi enim huiusmodi minas, tanquam aniles nænias, inania insanorum vatum terriculamenta, com-

Enos vrbs.

ta, commentaque irridebant: magis in vitia, vetitumque præcipites ibant, & ruebant. Nec à vi temperassent, si non suprema illa Maiestas suos Vates præsenti ope seruasset. Cum ergo Deus pater indulgentissimus, cuncta frustra tentasset, vulnusque immedicabile esse videret, ne latius vlcus ac lues huiusmodi serperet: neue impij scelus sceleri addentes peius sibi consulerent, statuit morbum ad viuum resecare, genusq; humanum aquis perdere. Sed tamen ad multitudinem reparandam delegit vnum, quod corruptis omnibus singulare iustitiæ supererat in Syria exemplum. Qui centesimo vigesimo ante diluuium anno, *Noe iustitiæ exemplum.* iussu Dei nauim in modum arcæ fabricare cœpit. Materiæ cædendæ, conuehendæq; quadraginta duos impendit annos. Reliquos vero septuaginta octo, opus, irridentibus atque illudentibus cunctis, confecit: in quod ipse (sicut ei præceperat Deus) cum cõiuge, ac tribus filiis, & cum totidem nuribus intrauit, occlusitque hostium, anno ab orbe cõdito mil- *Noe ingreditur Arcã.* lesimo, sexentesimo, quinquagesimo sexto. Porrò impios solita licentia furentes, nec quicquam tale suspicantes, nihilq; minus timentes, æquor & amnes cœlesti ira aucti corripuerunt. Illuuies aquarum obrutas terras tenuit, omnes terræ mersæ profundo, vnda vniuersos altissimos montes operuit. Quicquid extra nauim erat, extinctum est. Ita expiatus lustratúsque est orbis terrarum. Hanc rem poëtæ mysterio Deucalionis velarunt. Subsidentibus deinde aquis paulatim, nauis ipsa recubuit in vertice Gordei montis maio- *Noe egreditur Arca.* ris Armeniæ. Siccatóque orbe egressus Noas (ita enim ille vocabatur) Deo sacrificauit & *Sagalbina vrbs.* litauit: Vrbem inde Sagalbinam (cuius Ptolomæus quoq; meminit) iuxta Araxim amnem maioris Armeniæ condit. Vbi cum filiis habitare cœpit. *Araxis.* Incredibile memoratu est, quàm breui numerus hominũ increuerit, vt eam multitudinem vna regio ferre non posset: fauore quippe singulari numinis supremi, benignitate quoque recentis, necdum effœtæ, languescentísque naturæ. Gemini semper, frater, & soror coniuges vno partu edebantur: & nemo omnium interim morte absumebatur. Accedebat longinquitas aut spacium vitæ longissimum mundo dum adolesceret. Nam ante diluuium vniuersum orbem terrarum, omnésque eius partes hominibus oppletas, habitatas, cognominàque sortitas esse, quæ Noa seruauit, in tanto æui spacio, & adolescente adhuc mundo, certum est: cum post diluuium, senescente iam rerum natura in centum annis tantulo annorum spacio, refertus fuerit coloniis. Cum itaque Armenia oppleta esset hominibus, anno centesi- *Moses.* mo primo (id quod & Moses tradit, si diligentius consulueris, hoc anno Pelegnatus est He- *Peleg. nascitur.* bro) posteaquam genus humanum in Armenia reparatum fuit, diuisit ipse Noas terram, *Noas diuisit orbem.* seruatis antiquis nominibus (vti ante illuuiem fuerat aquarum) in partes tres Asiam, Europam, Aphricam: & has filiis, vectus naui circum litora, ostendit, in regna dispartitur: principes & colonos designat, atque conscribit. Decimo deinde anno reuersus in Arme- *Tuiscon.* niam, Tuisconis (quem in Armenia genuerat) posteros adoptat, omen haud dubiè Italiæ, orbisque potiundi. Ipsum inde ex Armenia in Europam mittere constituit, & parat. *Rhenus. Tanaus.* Quicquid intra Rhenum & Tanaim amnes continetur, eidem adsignat: authores rerum Germaniam vocant, cuius situm ac gentes, vt nunc sunt, & vt pollicitus sum, pro necessitate expediam.

GERMANIA. Germania terrarum Europæ maxima, & pluribus distincta nominibus. Nam & Sythia, Getarúmque regio, qua contingit Pontum, vocabatur: vltra Vistulam Orientem versus, Sarmatia: citra verò, & Galatia, & Gallia, & Celtica: eadem etiam nunc Alemania, Francia, & Teutonia. Separatur à Gallia Narbonensi, Celticáque, siue Gallia Lugdunensi *Germaniæ fines.* (quam Francoreich, hoc est, Francorum Imperium Germani appellant) alpibus Diui Quintini, Rhemorum agro, & Campania: montibus Vogeso, & Iura: fontibus Matronæ, Araris, Rhodani fluminum: Disterminatur ab Italia Verbano, Lario, Benaco lacubus maximis: agro Veronensi, & Aquileiensi. A Turcis Sao & Danubio fluminibus altissimis: ab Moschis, Asiáque, Tanai amne submouetur. Cætera Oceanus ambit, latus sinus, insularum, peninsularúmque immensa spacia incompertæ magnitudinis complectens.

Germaniæ flumina. Amnes in alias gentium exeuntium regiones (ait Mela) Danubius & Rhodanus: in Oceanum defluunt (refert Plinius) Amisius, Ptolomæus Amasium, Tacitus Amisiam vocat, Visurgis, Albis, Vistula: clarissimi, Rhenus, Mosa, Gutallus qui & Sueuus, & Odera.

Germanorũ genera quatuor. Germanorum genera sunt quatuor, Theutones, Venedi, Cimbri, Vgri. Hi omnes lingua, institutis, religione, moribus differunt. Pictos, Hannonios, Luthareos, Burgundio- *Luthar. iam Lutharingos dicimus.* nes, Allobroges, Sabaudienses inter Germanos ne numerauerim, ambigo: medij sunt inter Celtarum, Germanorúmque Imperia. Germanis parent Imperatoribus, primi semper in discordia, cuius vtrinque cura.

Teutonum diuisio. Teutones à Celtis Alemani: à Venedis Nomades, ac Nemetes à iaculando nominantur: ab Vgris Scythulæ, siue Scythæ, hoc est Casei, ac lactis voraces: quos Græci Tyrophagos, & Galactophagos nuncupant. Alij in superiores, inferioresque diuidunt: cum reliquis omnibus mixtim habitant, vt ambiguum sit, quibusnam adscribas: maximam partem Germaniæ, Galliarum non paruam, Rhetias, Vindelicũ, non solum tenent, sed etiam implent. Eorum partes sunt Neruij, Flandri, Aduatici, Holandi, Caninefates, Brabantini, Mena-

ni, Menapii, Geldrenses, Bathaui, Selandi, Frisij, Saxones, à quibus originem ducunt: Picti, Angli, qui Britanniam incolunt. Pomerij, Mechaloburgij, Brandeburgenses, Theutones olim propriè dicti. Borusci, Gotones, & Leuonij siue Hilleuiones sacratis Teutonum parent Equitibus. Ducatuum hæc nomina sunt, Tungri, Agrippinenses, Eubrones, Ducatus Limburgensis, Iuliacensis, Cliuensis, Sicambri, Bestouali. Præfectura prætoriana Rheni in complures dissecta principes: Treuiri, Vestria, Mediomatrices, Mogontini, Vangiones Borbetomagus. Nemetum Augusta Spira: Augusta Romandorum, Luciloburgium, Basilea, Augusta Rauracum, Tribochi, Elisatij, Argentoratum, Strassoburgium, Argentuaria, Colmaria: Suitones, quos OEdognotes, id est, confœderatos vocamus. Sibenburgenses Gæpidæ in veteri Dacia: Silesij, Lusacij, ij tamen vt plerique alij, Venedis adscribi possunt: bilingues enim sunt. Lusatiorum terram quondam Sueui Senones tenuerunt. Austriaci, Norici, Stirij, Chariones, Carni, vtramque Venedam, & Teutonam linguam norūt. Tyrollij, Vindelici, Boij, Rheti, Sueui, Engadini, Curij, Franci, Catti, Hessi, Bochi, Turogi, Moesi, Venedi nostro sermone, suo sunt Sclaui: bilingues ferè sunt, multarum gentium capita diuisi. Nam & Dalmatiam, Liburniam, Illyricum, Pannoniæ Noricique partem, Iustiniano primo imperante, transito Danubio occuparunt, sicut ibi adhuc Sclauonia nominatur. Valentissimas nationes nominasse satis erit. Zechos sua, id est, Boëmos nostra lingua, Bohos, Massobios, Morauos, Bodolios, Roxalanos, Litauos. *PRAEFECTVRA RHENI. Suiten die Aidgnossen. Sclauones.*

Cimbrorum partes sunt Dani, Scandia, Selandia, Scandiauia: vbi Nordouici, & Nordmani, Suiones, qui & Sueuij, & Suedi, Fenni, Goti, ab his sinus Codanus nomen habet. Græci Getas, Latini Dacos vocare solent, Laruarum ibi ergastula, exiliumque, ipsi Trollos vocant. Lingua eorum cum Saxonibus communitatem habet. Nam ego ante tres annos, quàm hæc proderem, legi Epistolam missam à Christierno Rege Cimbrorum, ad Wilhelmum principem nostrum, Saxonum ferè sono perscriptam Cimbros à tergo claudunt homines syluestres, quos Wildenlappos, hoc est veros fatuos adpellamus, nobilissimarū pellium commercio notissimos: conspectus aduenarum vitant, fluminis vlteriore ripa merces positas, iuxta venalia, tollunt, si placeat permutatio. Horum & Tacitus mentionem facit. Vgri, qui ipsorum lingua Mægari vocantur, vna gens est, non in plures nationes diuisa, vt cæteri Germani: latissimum possident regnum, Venedis Teutonibus imperitant, aduenæ sunt, origo eorum in quarto narrabitur volumine, incolunt Pannoniam, & eam partem Germaniæ, quam Iaziges, Goti, Getæ, Gepidæ olim tenuerunt. Nec enim Hunni sunt. Nam Hunnis successere Venedi & Boij. Hos pepulere Vgri, quemadmodum in quarto referemus libro, in vita Imperatoris Arionulphi Cæsaris Augusti. Pro necessitate suscepti operis satis diximus de Germania, quam diligētissimè Cor. Tacitus, & alij complures illustrarunt scriptis, vt hodie quædam in suo quisque tractu ex eorum commentariis, qui nunquam eò accessere, verius noscat, quàm indigenarum scientia. *Cimbrorum nationes & lingua. Vgri. Hunni.*

Verùm accuratius, quàm fieri solet, illi legi debent ob toties mutatam regionum fortunam, quæ rebus humanis illudēs ex libidine, & vocabula, & cultores variat. Maximarū, vrbium populorū potentissimorum nullæ reliquiæ, nulla vestigia supersunt; laborat annalium, diplomatumque fides, vt illos fuisse credamus. Nulla in Germania gens est, præter Frisios, Nariscos, Francos, quæ vel vetera cognomina, vel veteres suas sedes obtineat, quod à perquàm paucis animaduerti, non vehementer mirari non possum. Eluuies quandam gentium esse, doctissimi tradunt Philosophorum, quo fiat manifesta lex naturæ: Nationibus etiam, & regnis tempore, & fine dicto, siue id fataliter, siue iuxta religionis nostræ, hoc est placita veritatis supremæ, venerandæque Maiestatis arbitrio, ob scelera hominum, contingat & fiat. Vrbes enim deleri, oppida subuerti, gentes excindi, regna tota, quemadmodum mortales, quorum ne memoria quidem, aut vllum vestigium extet, interire, Veterum exemplis probare minimè opus est, quando Turcæ in foribus sunt, ceruicibúsque nostris imminent, & tandem, nisi resipiscimus, vel ingratis iugum seruitutis (quemadmodum Macedoniæ, Thraciæ, Scythiæ, Dalmatiæ, Græciæ literarum parenti, Ægypto, Asiæ, Illyrico, Liburnis, Moesis finitimis nobis) imponent grauissimum. *Nota. Fortunæ vis.*

Nec est quòd nobis blandiamur de Christo seruatore nostro, cuius sanctissimam religionem iampridem polluimus, ne dicam factis abnegamus. Non nos (ait Diuus Ambrosius) nuda nomina, inanes tituli cassæque cærimoniæ fallant. Quamuis in Imperatoris nostri verba sacramento rogati iurauerimus, nihilo secius tamen authorem & principem nostrum deseruimus, fidem datam frangimus, ad hostes deficimus, sunt complura publica literarum Gymnasia, sunt quoque complures omnis diuini humanique Iurisconsulti. Verum enimuero magis lites quàm literas amant. Adeò & pecuniæ student, & ambitione in preceps abeunt, Ventri Veneriq; veluti pecora seruiunt. Nomine duntaxat Christiani, reipsa quiduis aliud. Christiani fiunt, non nascuntur, potest pater Omnipotens degeneres abdicare liberos, & adoptare atq; procreare nouam ac germanam sibi sobolem. Attamen siquidem nostro sæculo alij non contigerint mores, iam diu ita vi-

uitur, is status rerum est, vt nihil boni diuinet animus. Vanus sim precor augur, si non nostris premimur malis. Ecce dum hæc scribo, Imperator Maximilianus Cæsar Augustus Terras reliquit, continuo Vlricus Dux Wirtenbergensis Reutlingam vrbem Cæsaream obsidet, occupat: eius conatibus occursuri Sueui & eorum fœderati, delectus agunt, arma parant, copias cogunt. Wilhelmium principem nostrum copiarum Imperatorem communi omnium suffragio declarant. Vldericus pulsus terra, omnibus oppidis, vicis, arcibus, vrbibus exutus est. Hostes eius regione potiuntur, principes qui eligendi Imperatoris sibi partes sumunt, vulgo malè audiunt, quòd interregnum tamdiu contra leges maiorumque instituta continuent, nec caput creent, quod huic vulneri mederi posset. Atque ego etiam, quamobrem id fiat haud scio, & si sciam dicere non ausim. verùm longius quam volebam euagatus sum, dum me flagitiorum ætatis nostræ tædet pigetque, ad rem dimissam redeo.

Nymbroth Regnum Babyloniæ. Tuisco. Ab orbe restituto anno centesimo tricesimo primo, Nymbrothus regnum Babyloniorum, quod & Assyriorum, condidit. Cuius primordio Tuisco Gygas pater Germanorum, & Sarmatorum cum viginti Ducibus, Sami fratris sui nepotibus, ex Armenia venit in Europam: amnem Tanaimque transgressus ibidem Orientem versus, eiusdem frater Scytha priscus tenuit. *Scytha. Germani Scythæ dicti.* Ab hoc Germani Scythæ adpellati sunt. Quemadmodum Plinius quoq; in libro quarto naturalis historiæ prodidit. Pars Germaniæ in confinio Austriæ, & Vngariæ Scythiæ nomen etiam nunc retinet. Porrò Tuisco lustrato longè lateque eo toto tractu, qui est inter Rhenum, & Pontum Euxinum, & Tanaim, omnem ambitum in regna, Toparchias & Tetrarchias diuisit, Regulis distribuit, Colonias vbique deduxit, regiones habitatoribus oppleuit, anno regni vicesimo quinto. Et ad retinendam memoriam rerum suarum montibus, fluminibus, regionibus nomina principum, indidit: quæ forent certissima monumenta posteris. Id apud veteres perquàm vsitatum fuit: vti etiam in penetralibus sanctæ historiæ traditur. *Tuiscones. Tuitsch vicus. Tuisconis comites in Europam.* Ab illo Tuiscones etiam nunc adpellamur, Itala, & nostra nimirum Saxonum lingua, qua & inferiores Germani vtuntur. Extat in ripa Rheni e regione Aggrippinensis Coloniæ ciuitas quondam, nunc vicus & cœnobium, eodem cognomine, accolæ sicut incunabula gentis nostræ venerantur. Haud abs re fuerit Regulos huiusmodi Tuisconis, qui & in penetralibus sacræ veritatis à Moyse referuntur, ordine commemorare.

Sarmata 1. Germani Sarmatæ dicti. Primus dux fuit Sarmata, vir armorum studiosus, & peritus rei benegerendæ, amorisq; popularium conciliandi. Ab eo apud priscos Sarmatæ quoque nuncupamur. Claudius Ptolemæus Cosmographorum haud dubiè princeps, eam regionem, quæ vltra Vistulam Eurum spectat, Sarmatiam vocat, quam nostro æuo incolunt Venedorum nationes valentissimæ, Polj, Bodolij, Multauij Borusci, Leuonij, Litaui, Massobij, Roxalani, Moschi, siue Moesi getæ. *Sarmatia. Dacus 2.* Princeps secundus Dacus, qui & Danus, condidit Danos, quorum Rex nominatissimus est in Germania, & Latine vocatur Rex Dacorum, qui nobis est Danorum. Veteres Græci & Latini Cimbros, Cimeriosque adpellarunt, ita Strabo, Diodorus Siculus, *Gotolandia.* Stephanus Bizantius docent. Geta dux tertius, nostro sermone Getus est, a quo Gotolandia insula nomen retinet in sinu Venedico, è conspectu Vistulæ amnis, cuius hostia ad Austrum spectant. *Hunnus. Tibiscus 4.* Ab illo prognati sunt Getę & Goti: qui post aliquot annos (Hunno filio Hercule Alemani imperante Germanis) egressi, regibus Berico & Philomaro profecti sunt ad amnes Danubium, Tibiscúmque, cui quartus Tetrarches nomen dedit: ibi nunc sunt Vngeria Magna, Septem castrenses, Valachia, Regnum Gotorum, plusquam bis mille annos mansisse author est Iordanus Episcopus, genere Gotus. Ab Dano & Goto sinus Codanus nomen sortitus est: ita Plinius & Mela nominant. Quicquid inter hostia Albis & Vistulam iacet, nos Ostersee, id est Orientale mare nunc appellare solemus. Sinus est ingens Oceani Germanici, quem accolæ Westersee, id est, occidentalem lacum nuncupant. *Mela 5. Phrygus 6. Thynus 7. Moesi Phryges, Bithyni.* Mœsa quintus Regulus, inter Danubium & Sauum, pontúmque Euxinum cum filiis Brigo, qui & Phrygus, Thyno, siue Bithyno, Moësos condidit: à quibus ex Europa transierunt in Asiam Phryges, siue Bryges, Mysi, Thyni, dicti Bithyni, Strabo docet, Plinius recitat, & Claudianus. eius carmina subscripsi:

Gens vna fuère,
Tot quondam populi, priscum cognomen & vnum,
Appellata Phryges.
Thyni Thraces erant, quæ nunc Bithynia fertur.

Mœsia. Dalmata 8. Iader 9. Albanus 10. Moësias tenent Bosnenses, Serui, Bulgares, Turcis omnes seruiunt. Dalmata, Dalmatas genuit, nomen manet. Quondam subiecti Boiorum præfectis ex Dachau, & Andechs oriundis, ita vetera testantur diplomata. Huic proximi Iader & Albanus, Liburniam quæ & Illyricum propriè, tenuerunt. Ibi fuit Iadera Colonia, cuius mentionem Plinius, & Ptolomæus faciunt. Ibi quoque Albanenses populos enumerat Plinius: Germani Venedicam Marchiam nominant, parent Austriacis Ducibus. *Sauus 11. Panno 12.* Sauus vndecimus Tuisconis Comes clarissimo amni nomen fecit, qui Pannonias à Mœsiis separat, oritur in alpi-

in alpibus Carnicis, supra Labacum, Carnorum caput est. Pannonem Pannoniam incoluisse cum fratribus Salone & Azalo, nemo omniũ inficias ibit, qui Berosum, Ptolomęumque legerit. Sunt Ptolomæo in Pannoniis Sala vrbs, & Azalorum populus. Hister filius Ebri author condendæ turris Babyloniæ, cum Nymbroto, amnium Europæ maximo, Histriæque (quam quondam Boij principes ex Damasia oriundi possedere) celebre apud posteros nomen indidit, consedit inter flumina Draum & OEnum. Superiora Fauonium versus tenuit Adulas, cuius nomen adhuc mons altissimus inter OEnum & Rhenum refert. Eius meminit Ptolomæus in descriptione Rhetiæ. Diclas, Obalus, Epirus vbi nam gentium consederint, vt incompertum mihi quidem prætereo. Anno regni Tuisconis centesimo, duodeuicesimo, Belus Iuppiter filius Nembrothi Rex Babyloniorum secundus, naturæ fatóque concessit. Ninus filius patri in regno succedens, seu vt diuina stirpe natus videretur, seu pietate motus, vt memoriam defuncti genitoris coleret, seu, quod magis credam, instincta mali Genij parentem consecrat, pro Deo ab omnibus coli præcipit: eidem diuinos defert honores, ab omnibus deferri edicto publicè iubet. Templum insuper addit (cuius Plinius meminit) in media Babylonia statuam ponit, atque dedicat, quæ ab omnibus adoraretur. Ibi tum desertores lares, spiritus fallacissimi, diuinitatis affectatores, vt huiusmodi errorem humano generi immitterent: atque ea pestis latè longeque inualesceret, auocaretque à veri Dei notione, per quam solam potest mors æterna vitari, illapsi huiusmodi potentissimorum regum simulachris, adsciuerunt eorum nomina. Mentitis itaque, atque adsumptis eorum nominibus, vt fallerent, responsa dederunt, & sub horum titulis, honores sibi Deorum vendicarunt: sub nominibus mortuorum delitescentes viuentibus plagas extenderunt. Humanas etiam hostias, ipsi hostes humani generis, excogitarunt, vt per quam multas deuorarent animas. Ita deiiciendi hominis caussa se Deos mentiti sunt, & varios sibi cultus peruersa religione condiderunt: cum enim sint perditores hominum, custodes tamen se vocarunt, vt ipsi colerentur, Deus non coleretur. Quoniam cum sint spiritus tenues & incomprehensibiles, insinuabant se corporibus hominum, occultè valetudinem vitiabant, morbos citabant, somniis animos terrebant, mentes furoribus quatiebant, vt homines his malis cogerentur ad eorum auxilia decurrere: prodesse putabantur, cum nocere desinebant, qui nihil aliud possunt, quàm nocere: pluuias quas iam sentiebant, repromittebant, fallaciæ eorum fuit aqua cribro gestata, cos nouacula discissa, nauis cingulo promota, vt numina lapides crederentur, & Deus verus non quæreretur. In arcanis diuinarum literarum huiusmodi simulati ac commenticij dij vno nomine Bel, Baal, pro idiomate sermonis adpellantur. Cumque hactenus fines Imperij tueri magis quàm proferri mos fuisset, infra suam cuique patriam regna finiebantur, primus hic omnium Ninus veterem & auitum gentium morem, noua Imperij auiditate commutauit, primus intulit bella finitimis, & rudes adhuc ad resistendum populos, terminos vsque Libyę perdomuit, & totius Orientis gentes subegit. Cuius arma fugiens Sabatius Saga patruus eius Magnus, Rex & Pontifex Maximus Armeniorum, relicto ibi filio Barzane, quem etiam postea Ninus superauit, ad Tuisconem elapsus est. Vnde in Italiam ad Ianum, qui & Noas, post aliquot annos proficiscitur. Nam anno regni Tuisconis centesimo, tricesimo septimo Noas perlustrata Asia, Aphrica, in Europam transitum facit, in Italiáque in agro Viterbiensi consedit, Ethruscos Italiæ indigenas condidit, dictus Ianus, id est Vini repertor: Iain Hebræi vinum vocare solent. Intelligens denique atque considerans ipse pater Germanorum, Sarmatarúmque Tuisco sine iustitia, & absque religionis metu, neque Rempub. coalescere, neque licentiam hominum contineri posse, iura dedit, leges tulit, carminibúsque complexus est, quæ publicè & priuatim cantarentur: ne aut obliuio obliteraret, aut ignorantia excusaret. Impunè plerique peccant, prætextu ignorantiæ, quæ tamen onerat ac reuincit, licet excusare videatur. Nos huiusmodi Carmina adhuc leges vocare solemus, quemadmodum, & Græci (vti est apud Aristotelem Stagiritam) nomos: etiam nunc leges, quas Moses à Deo immortali recepit, in templis patrio sermone canimus. Sacerdotibus quidem duntaxat animaduertere, vincire, verberare permisit: non quasi in pœnam, aut Ducis iussu, sed velut Deo imperante. Virorum fortium facta, quæ exemplum posteris essent, carminibus celebrare instituit, quod adhuc apud nos vnum annalium genus existit. Cæterùm lucos & nemora, in quibus res diuina ritè perpetraretur, consecrauit. Arbitrabatur cœleste numen pro magnitudine sua ne parietibus cohiberi, nec in vllam humani oris, vultúsue, fluxæque rei speciem adsimulari debere. Cum secretum illud ab omni contagione fecis terrenæ sola reuerentia videatur: cuius effigiem, formamque quærere, imbecillitatis est humanæ. Manent adhuc nobis à Luco, quem Wald dicimus, Walfart, Wallen, Wallengen, denominata, deductaque vocabula: illud celebrem ob religionem conuentum, hæc ad sacras ædes salutatum superos proficisci significant. Auspiciorum, sortiúmque disciplinam edocuit, ex quorum obseruatione sacerdos publicè prius Deum precatus, cœlum suspiciens futuros euentus interpretabatur.

Sala. Liburnia. Isdera. Labach. Salon 13. Azalus 14. Hister 15. Histria. Adulas 16. Diclas 17. Obalus 18. Epirus 19. Belus Iupiter. Ninus. Idolatriæ initium. Bel. Baal. Ninus primus finitimis bellum intulit. Sabatius Iupiter. Barzanes. Ianus, qui & Noas. Noe cur Ianus dictus. Tuisconis leges. Annales Germanorum. Auspicia & sortes.

Iussit & ædificia magis necessaria pro cœli iniuria vitanda, quàm ambitiosa extruere, oppida condere parua, attamen munitis natura locis. Qui inter suos ius dicerent, Principes regionum atque pagorum constituit: controuersiasque minuere præcepit, nulli certum modum agri, aut fines proprios habere permisit: sed Magistratus ac principes in annos singulos gentibus cognationibusque hominum, qui vna coierunt, quantum eis, & quo loco visum erat, attribuebant agri, atque anno pòst, aliò transire cogebant, ne latos fines parare studerent, potentioresque humiliores possessionibus expellerent: néue accuratius ad frigora atque æstus vitandos ædificarent, ne qua oriretur pecuniæ cupiditas, qua ex re factiones, dissensiones nascerentur, vt animi æquitate plebem continerent, cum suas quisque opes cum potentissimis æquari videret. Victum & amictum parabilem comparari iussit, vt quæ in lacte, caseo, carne, pellibus, & paruis rhenonum tegumentis consisterent. Adulteria præsenti pœna cohibuit, nulla publicatæ pudicitiæ venia: ab paruulis duriciæ ac labori studere sobolem præcepit: vt qui diutissimè impuberes permanerent, maximam inter suos ferrent laudem: hoc ali staturam, ali hoc vires, neruosque confirmari putabat. Intra annum vicesimum fœminæ noticiam habuisse, in turpissimis haberi iussit rebus, quo sera iuuenum ætas, eoque inexhausta pubertas foret: nec Virgines festinarentur, sed eadem iuuentus, similis proceritas, pares, validique miscerentur, vt robora parentum liberi referrent.

Sub Tuiscone communis rerum vsus. Victus. Adulterij pœna. Matrimonij vsus.

Tradunt quidam ipsum quoque literas inuenisse. Roxalani adhuc propriis vtuntur literis, non omnino dissimilibus Græcis. Venedi quoque qui Dalmatiam Liburniámque incolunt, (quæ gentes omnes genere Germani sunt) & ex Germania velut officina gentium prodierunt. Seruatur Reginoburgij in templo Diui Haimerani vetustissimum diploma à Carolo Magno datum, Latino quidem sermone, aliis tamen literarum figuris scriptum, Longobardas quidam, alij Geticas arbitrantur: perquàm similes Græcis sunt. Monumenta & tumulos quosdam literis Græcis inscriptos in confinio Germaniæ Rhetiæque extare lego apud Tacitum Iulius Cæsar refert, in castris Heluetiorum, Boiorumq; qui procul dubio, teste Pomponio Mela, Germani sunt, tabulas (in quibus ratio nominatim confecta erat qui numero domo exissent, eorum qui arma ferre possent, & item separatim pueri, senes, mulieresque) repertas esse literis Græcis confectas, quas prisci Galatas vocant, & Græciæ intulisse referunt Cadmum circiter sexaginta ante captam Troiam annos. Eos Homerus poëta, patria Meon, consensu totius Græciæ à Troia capta anno quingentesimo emendauit. Noster profectò sermo præcipuè Saxonum, literarum natura & potestate, diphthongorum vi & numero, syllabarum pronunciatione, declamatu, articulis, accentu (quos & nostra lingua tonos vocamus) ratione loquendi, cæterisque huiusmodi dictionum proprietatibus, maximam habet communitatem: plurimum retinet commercij cum Græcorum lingua, rectiusque literis Græcis scribitur. Infinita sunt vocabula, quæ nobis & Græcis idem valent. Nonnulla enumerare ad faciendam fidem perplacet. α priuatiua particula, Thyra hostium: Hyperthyron, superius limen. Kyssein osculari. Phorcion onus. Cemos frenum. Pornein, libido, lasciuia. Apo, ab. Hyper super. Meta, cum præpositio. Amar vas vasis. Rhacos vestis. Hammata himation vestis. Thymos impetus. Thrasites confidentia. Euphrænein gaudere. Knaptos fullo. Knaptein laniare. Atmizein spirare. Atma spiritus. Politeia Respublica. Bele (b pro consonante u pronunciando, vt ipsi Græci faciunt) sagittæ. Pneuma Græcè proferendo spiritus, inhelitus. Ge, Geia terra, rus. Boëtos aduocatus, patronus. Boëthia patrocinium (b more Græcorum efferendum, ac si u consonans esset) Lychnon, lucerna. Gæein gloriari. Thronos, sedes. Argos piger, tardus, malus. Phaules malus, piger, non bonus. Rhabdos virga. Echtros hostis publicus. Sizein stridere. Lysein soluere. Æthax lacerta. Iktis genus mustelæ. Cacos malus. Despotes, dominus orientalibus Germanis: ita doma, domus. Vthar, vber. Læstos, vltimus. Cercos, cauda. Laccos, stagnum, palus Zeugle vincula iumentorum. Zacotos litigiosus. Helos, ignauus. Mania, manos furiosus, Mogein pati. Mochtein facere. Mylon, Myle, mola. Heteros amicus: h, in u mutata, vt hesperus, vesperus. Schetlios infestus. Rhesso rumpo. Reissein rumpere. Typhlos cæcus. Epialtes incubus. Pithos dolium. Brotos cibus, panis. Astatos instabilis. Antios contrarius. Æthrios serenus. Blyssein fluere (b apud Græcos u consonantem valet) Boros edax. Echtein odio prosequi. Bremein fremere. Bombos sonus. Graphein scribere, sculpere. Aglæzein splendere. Vnde glessum, id est, vitrum deducimus. Neos, Neon nouum. Demos populus, turba. Pyrgos turris, locus munitus. Tribos semita. Docos trabes. Pyr, Pyrnein ignis, ardere. Pege riuus, fons. Notis humor. Telos tributum. Telones publicanus. Eleos miseria, eleemosyna. Crypta locus subterraneus. Axine securis. Mene luna. Mem menos mensis. Dokein videre. Qui diligentior fuerit, & doctior plura conquisiuerit. Vir doctissimus Ioannes Camerarius à Dalburgio, Vangionum pontifex, aliquot milia dictionum collegit, quæ vtraque lingua Græca & Teutonica idem significant. Hęc obiter adnotasse festinanti ad res gestas Boiorum sufficit.

Tuisco literas inuenit. lib. 1. belli Gallici. Germanorum scriptura Galatæ Homerus Græcas literas emendauit.

Græcogermanicæ voces. Θύρα. ὑπέρθυρον. Κυσᾶν. ἄμαξ. [illegible]

Ab orbe

Ab orbe lustrato anno ducentesimo nonagesimo secundo natus est Abramus conditor Iudæorum in Syria, quæ quondam terrarum maxima, & pluribus distincta nominibus. Eadem & Assyria dicta, atque Mesopotamia. cuius pars Babylonia est, patria, nataleque solum Abrami: in arcanis sacræ veritatis Vr Chaldæorum vocatur. Ptolomæus, Vrchoam, Plinius Vram adpellat. Fuit is annus centesimus, vicesimus primus regni Tuisconis. Qui cum bene sapienterque cum omnium amore & reuerentia maxima potestatis annos centum, septuaginta sex explesset. nam vitæ plusquàm ducentos (vt tum erant mores & tempora) compleuit, ex hac vita migrauit, anno orbis ab aquis liberato supra *trecentesimum septimo. Et quoniam ob merita suarum virtutum & munerum charus fuit, his quibus imperitauerat, magnum desiderium sui mortuus reliquit. Quamobrem prisci ipsum communi omnium suffragio ob miraculum sapientiæ & bonitatis, sicut indigetem, & Dei interpretem ac nuncium (id enim nostra lingua Tuisco valet) cōsecrarunt: eundemq; pro Deo habere cœperunt. Matrem quoq; eius Nertham, hoc est terram, ex qua editum crediderunt, numinibus asscripserunt, eam interuenire rebus hominum, inuehi populis arbitrati sunt. Fuit is mos apud vetustatem vsitatissimus referendi bene merentib. principib. gratiam: quo per amorem meriti memoria coleretur, gratiaq; referri bene meritis videretur, & successores eorū ad bene imperandū allicerentur. Nempe consecratio ex hominum nata est meritis: suscepit quippe vita hominū, consuetudo; communis, vt beneficiis excellentes viros in cœlum fama & voluntate tolleret: acuendæq; virtutis gratia, aut quo libentius Reipub. causa periculum adiret optimus quisque. Virorum fortium memoria, honore Deorum immortalium consecrata. Quemadmodum placuit etiam veteribus ex utilitate publica, sub titulo gratiarum agendarum effusius efferre principes præsentes, vt futuri, non quasi à Magistro, sed tamen sub exemplo præmonerentur, qua potissimum via possent ad eandem gloriam niti: atque boni quæ facerent, recognoscerent mali quæ facere deberent. Nam præcipere qualis esse debeat princeps, pulchrum quidem, sed onerosum, ac propè superbum est. Laudare verò optimum principem, ac per hoc posteris velut è specula lumen, quod sequantur ostendere, idem vtilitatis habet, arrogantiæ nihil.

Abram quā do natus. Syria & Assyria dicta. Vr Chaldæorum.

* Alij sic habent, supra 347.

Consecratio ex quo nata.

Principes quomodo laudandi.

TVISCONI successit filius Manus: is potitus est rerum sexaginta sex annos. Cuius regni anno quadragesimo tertio Noas, qui & Ianus, in Italia mortem obiit, ab illuuie aquarum anno supra trecentesimum quinquagesimo. Imperauit ea tempestate Babyloniis Semiramis vxor Nini. Sub idem tempus Treuir condidit Treuiros vrbem, ac gentem in Gallia Belgica, & ripa Mosellæ. Quidam filium Nini, alij verò Mani huius fuisse tradunt, hos vt sequar, inclinat animus. Siquidem Cornelius Tacitus, qui quàm diligentissimè de Germaniæ gentibus scripsit, Treuiros vltrò ambitiosos esse in adfectatione Germanicæ originis, literis mandauit. Ipsi quoque Galli Iulio Cæsari referunt, Belgas à Germanis ortos esse. Quin fama constantissima huc vsque manauit, Treuiros primos Germanos esse trans Rhenum, qui etiam nunc lingua, moribus, imperio Germani sunt. Eorum pontifex deligendi Imperatoris Romani non extrema tenet. Estque & vocatur Germani Principis scribarum præfectus, Archicancellariusque in Galliis. Complura supra recitauimus. Manum ob fortitudinem animi in numerum Deorum ataui nostri retulerunt. Hic filio alteri Ingeuoni cognomine, regnum per manus tradidit, ab eo Ingeuones, alterum genus Germanorum cognominatum existit, proximi Oceano, sunt dicti, quòd interiora Germaniæ incolunt. Maiores namque nostri, vti est apud Plinium, Corn. Tacitum, Pomponium Melam, Germaniam in quinque diuisere Toparchias, quas Oceano, Hercynia: amnibus maximis Rheno, Danubio, Vistula, Tyra, Hypani, Borysthene descripserunt, & determinarunt. Primam Vistula, & sinu Venedico (mare Sueticæ vocat Cusa) inclusam, incolebant Vandali. Quorum pars iuxta Plinium & Ptolomæum, & Tacitum Burgundiones Varinæ, Charmi, Guthones, Venedi, qui & Schlauini. Alteram proximo Oceano Ingeuones tenuerunt: hos nunc Selandos dicimus, eorum pars sunt Frisij, Cauci, Bremenses, Lunæburgenses, Litorei Saxones, Cimbri, Dani, Teutones, Hamoburgenses, Lubicenses, Mechaloburgenses, Pomerani, Borusci.

Manus. Noæ vs pera… do mortuus. Semiramis. Treuir.

Belgæ à Germanis orti. Elector Treuirensis.

Ingeuon.

Germaniæ vetus diuisio.

Vandalorum vbi sedes. Ingeuonum sedes.

Proximi Rheno Isteuones sunt, Rhenenses dicimus. Hermiones medij sunt, contingunt Hercyniam syluam, spectant Danubium: Vltimi Germanorum Melæ, pars eorum Sueui, Boij, Hermunduri, Narisci, Chatti, Cherusci, Cimbri, Mediterranei Plinio. Quinta pars Peucini, & Basternæ contermini Dacis, ad Tyran & Borysthenem, consederunt. Tyras Venedica lingua Danaster, Teutonum Nester vocatur. Borysthenes verò Danuber est, & Neper. In Iordani codice perperam Danubium excusum leges, tu repone Danubrum per r consonantem. Hæc vera & antiqua sunt nomina Germaniæ. Tempore Ingeuonis Abramus in Palæstina habitauit, Isacus quoque natus est. Ipse Ingeuon posteaquam quinque & quadraginta annos regnauit, vita defunctus est, relicto auiti regni hærede filio Isteuone, qui tertium genus Isteuones, extrema Germaniæ, vnde nomen, incolentes, con-

Isteuones. Hermiones. Sueui.

Tyras flu. In Iordani codice locus restituitur.

Isacus nascitur.

Iacob patriarcha nascitur. *Hermio.*

tes, condidit. Hij proximi Rheno sunt, à quo nunc Rhenenses nominantur. Isteuone
tribus & quinquaginta annis Germaniam administrante, natus est Iacobus Isaco, nepos
Abrahami. Præfuit deinde Germanis annos tres, & sexaginta Herminon, qui & Hermion,
Vir ferox armis, ait Berosus. Vnde & ipsi nomen. est enim vir exercituum: ab ipso inditũ
nomen Hermionibus, qui quartum genus Germanorũ à Plinio, & cæteris rerum scripto-
ribus censentur. Eorum pars fuêre Sueui, qui tum latissimè imperitabant, Chatti, Helsi,
Franci, Hermunduri, qui Danubium accolunt: Sueui & Boij, Cherusci, Magdenburgen-
ses, Braunschuigum. Disciplinam militarem Hermion apud Germanos instituit, remq;

Disciplina militaris.

militarem ita colere docuit. Quotannis aliquot millia armatorum bellandi causa suis ex
finibus educebantur. Reliqui qui domi remanserant, se atque illos alebant. Hij rursus
inuicem anno pòst in armis erant: illi domi remanebant. Sic neque agricultura, neque
vsus belli intermittebatur. Mercatoribus erat ad eos aditus magis eo, vt quæ bello cæpe-
rant, quibus venderent, haberent, quàm quo vllam rem ad se importari desiderarent. Vi-

Vinum ad Germanos ferre prohibitum olim.

num ad se omnino importari non sinebant: quòd ea re ad laborem ferendum remollesce-
re homines, atque effœminari arbitrabantur. Sed quid non longa dies mutat? Nunc apud
cæteras nationes malè audimus, vt qui omnes potando superemus, ebrietatemque vel
quotidie inter seria exerceamus. De qua re in nos, nescio cuius, non omnino inelegans
circumfertur distichon.

Germani cunctos possunt tolerare labores,
O vtinam possent tam bene ferre sitim.

Petrus Bolandus Laudenburgensis presbyter est autor. *Harmansal.* *Osyris qui & Apis & Serapis. Isis Mizraim.* *Marsi.*

Sed ad Hermionem redeo: qui ob virtutem in cœlum sublatus à suis, cultusque pro
Deo. Eius templum ac signum dictum Hermansal, hoc est, Hermionis sala, id est, aula.
Carolus Magnus solo æquauit, & demolitus est, sicuti in quarto narraturi sumus libro.
Dum Germania potitur Hermion, Osyris, qui & Apis, & Serapis, cum sorore, eadem &
vxore Iside in Ægypto regnauit, agriculturam docuit: Moses Mizraim vocat. Paruit
deinde Germania annos sex & quadraginta Marso, ab augmentando ita cognominato,
eius opus Marsoburgium oppidum Misniæ, progenies Marsi, & Marsigni Tacito, & Stra-
boni, terga Marcomannorum Boiemiam incolentium clauserunt: quidam maris accolas
interpretatus, non longè ab Albis hostiis. Ad Marsum Osyris rex Ægypti profectus est,
aratrum inuenit, & ferramenta, quibus terra coleretur: manibus prius hominum versa,
ipsi primus iumenta iunxit, arbores, vites putare docuit, prata tondere, transferre stirpes,
& plantare: pecuariam instituit, pastionesque villaticas. Zitum ex hordeo conficere Ger-
mani ab ipso didicêre. Deinde in Italiam Osyris iter fecit, eam à Tyrannis liberauit. Fuit
tum diluuium duos menses in Achaia, quo tempore etiam Iosephus in Ægypto domina-
batur, ad quem profectus est Iacobus parens eius, sicut & Diuus Aurelius Augustinus tra-
dit. Marsum excipit Gambriuius, idem, sicuti ego existimo, Cimbrus, & Cimbreus est,
ob literarum adfinitatem, & varietatem linguæ. A pugnando, exercitandoque dictus:
eum, qui ad singulare certamen prouocat, propriè significat. Berosus virum ferocem in-
terpretatur, & fuisse, literarum memoriæ commendauit. Ab ipso Cimbri conditi sunt:

Cimbri. *Cimbrica Chersonesus*

qui nomen peninsulæ dederunt, Cimbrica Chersonesus est, nunc Danomarchiam voca-
mus. Quanquam Gambriuios Tacitus & Strabo separatim ponant, quos à Plinio Cim-
bros, Mediterraneos dici suspicari liber. Fuêre Cimbri fortissimi ferocissimique Germa-
niæ populi, de quibus Homerus, Diod. Siculus, Strabo, Corn. Tacitus complura narrant,

Osyris à fratre interimitur. *Lybius Hercules.*

quæ memoratu digna sunt. Sub idem tempus Osyris reuersus in Ægyptum, à fratre Ty-
phone interemptus est. Typhonem Lybius cognomine Hercules (qui in arcanis cœle-
stium literarum est Lehabim) auxilio matris Isidis, genitoris sui necem vindicans, Ty-
phonem cum consciis parricidij occidit. Totum inde peragrauit cum exercitu terrarum
orbem, Tyrannos iniustè dominantes vbique sustulit, accessit & ad Gambriuium in Ger-

Pyrenei montes.

maniam. Montes qui Hispanias & Gallias separant, conflagrarunt, vnde Pyrenei cogno-
men acceperunt: pyrnein ardere Teutonibus significat, Runciuallem iam vulgò nomi-
nant, negligentia id pastorum acciderat, qui temerè ignem fruticibus subiecerant. Post
Gambriuium, qui quatuor & quadraginta annos regnauit, Germanis imperitasse Sueuum

Sueuus. *Sueuorum origo.* *Angili. Bochi.* *Turogi.* *Albis.* *Sueuus.* *Odera.*

inuenio annis duo de quinquaginta. Condidit hic Sueuorum gentem, quæ quondam in-
teriora Germaniæ, & maiorem partem obtinuit, propriis nationibus & nominib. discre-
ti, in communi Sueui dicti fuerunt, quorum Angili, secundum Ptolomæi descriptionem,
ea loca incoluerunt, quæ nunc Bochi, & Turogi, Misnique possident: ab Hercynia sylua
vsque ad medium Albis protensi. Inde ab Albi Sueui Senones (ubi nunc Lusacij sunt, &
Silesij) vsque ad Sueuum amnem tenuerunt, quem accolæ nunc Oderam vocant.

Marchfel. *Legij. Sitone. Sueuus mons. Carpatus.*

Marcomanni pulsis Boiis, Boiemiam, & eum tractum ad Danubium habitarunt Quadi,
Marchfeltæ, Rugi, Suiones, Leuonij nomina seruant. Legij, Sitones Poloniã cis Vistulam
tenuerunt, cõtermini ab Orientis ora Getis & Dacis: contigerunt Sueuum montem, quem
Ptolomæus Carpatum, nos Chremnizium, & Semnitzium nuncupamus. Hæc capita
Sueuorum. Ipsi post mortem Attilæ, pars Theodosij Magni antea, auitis excessere sedi-
bus,

bus, partim soli melioris gratia, partim pulsi à Venedis, qui ea nunc loca mixti Saxonibus obtinent. Marcomani, Quadi, Hispanias occuparunt. Cæteri Rhetias, Galliam, Franciam: sed hæc in sequenti volumine referentur. Lybius Hercules (Sueuo regnante) in Hispania. Isis mater eius regina Ægypti, post cædem mariti, interitumque filij, in Germaniam ad Sueuum venit, frumenta temerè incognita mortalibus inter cæteras herbas nascentia reperit, serere, molere, & terere, & inde panes conficere docuit: Lanificij, & olei, & vini vsum monstrauit, ob id Dea credita, Sueuique eam consecrarunt, atque pro Dea coluerunt. Signum eius in modum Liburnæ figurarunt, quæ doceret aduectam religionem, peregrinumque sacrum. Discessit inde Isis in Italiam, Ceres ibi, & Iuno cognominata. Hebræi tum mortuo Iosepho in Ægypto lateres coquere coguntur annis centum & quadraginta quatuor. Potitur inde Germaniæ regno annos vnum & quadraginta Vandalus, author Vandalorum & Venedorum, quos primum genus Germanorum Plinius esse docet. Partes eorum Burgundiones, Varinæ, Charini, Gutones: Ptolomæo Phrugundiones, haud scio an corruptè. Auarini, Chariones, Gythones dicti, trans Vistalam omnes habitarunt, in ora sinus Venedici: vbi nunc consident trans Vistulam Bolij, Borusci, Massobij & huiusmodi Venedorum gentes, quas & Tacitus, Ptolomæus, & Iordanus refert. Cæterùm Vandali post mortem Theodosij Magni deuastatis Gallijs, Hispanijs, Romanis Prouincijs, Aphricam, Carthaginemque occuparunt: Burgundiones partem Galliarum, quæ adhuc retinet nomen. Decimus apud nos regnauit Teuto, Imperij eius anni sunt septem & viginti. Posteri verò Teutones, & Teutoni, Ptolomæus Teutonarios vocat, proprium, ac peculiare olim nationis, nunc autem commune gentis vocabulum. Consederunt in litore sinus Codani, intra Albis & Vistulæ hostia, quæ loca nostro æuo tenent Luneburgenses, Mechelburgenses, Pomerani, & Borusci cis Vistulam. paulo pòst plura de hac natione narrabo. Quidam Teutonem esse Mercurium Germanorum interpretati sunt: cuius Cornelius Tacitus mentionem fecerit. Ego vt incompertum mihi in medio relinquo. Eius tempore natus est in Ægypto Moses ille Dux Iudæorum, & legifer nobilissimus, colloquio familiari Dei immortalis.

Marcomani. Quadi.
Isidis signū.
Isis quæ Ceres & Iuno.
Vandalus Rex Germ.
Vandalorū genera.
Vandalorū antiquæ sedes.
Vandalorū irruptiones in Ro. Imp.
Teuto rex.
Teutonum antiquæ sedes.
Teuto Mercurius Ger.
Moses quādo natus.

Postremus regum Germaniæ, quos Berosus enumerat, est Alemanus cognomento Hercules, conditor primus Boiorum. Insigne eius Leo fuit, causa cognominis: proinde alere Leones gentilitium est principibus nostris. Diuus Hieronymus & Eusebius primum fuisse Herculem autumant. De eo plura in superioribus explanauimus, quæ hic repetere frustra est. Alemanos propriè dictos, quæ pars est, atque pagus, & flumen Boiorum, nomen etiam nunc retinens, procreauit. Celtæ in commune omnes Germanos, Alemanos vocare solent. Sub idem tempus fuisse perhibetur diluuium illud Deucalionis trimestre, poëtis decantatissimum, proinde pueris vel in scholis notissimum. Amnes non solum crebris, ac continuis imbribus aucti, verum etiam obstructis hostiis, meatibusq; planiciem camposque operuerunt, seu quodam iniquo fato, seu spiritu incluso, ac fumida caligine luctante, & ad libertatem exire nitente, intumefacta tellus est. Nam posteaquam venti peruicere, semper antiquè, terra intremuit, apertis meatibus, flumina in pristinos alueos redierunt. Vnda quidem recubuit, sed grauius ignis sæuiit: nam exustione conflagrationeque terris insecuta, graui pestilentia quoque conflictatum est mortale genus. Poëtæ incendium Phaëtontis vocant. Ea etiam tempestate in Ægypto Hebræi intolerabili iugo seruitutis premuntur (eorum maiores sterilitate atque inopia laborantes transierant in Ægyptum rei frumentariæ gratia) tum eorum misertus Deus, eduxit eos, ac liberauit eos de manu Chencris regis Ægyptiorum, post annos ducentos quindecim duce Mose: in qua eductione ostendit virtutem suæ Maiestatis Deus. Traiecit enim populum in medio mari rubro, diuino iussu, vento noctu scindente aquam, vt populus per siccum gradi posset. Qua re audita Chencres Tyrannus Ægyptiorum cum magna suorum manu insecutus est: & mare adhuc patens temerè ingressus, coeuntibus aquis, cum exercitu deletus est. Hebræi vero egressi, in solitudine multa mirabilia viderunt. Nam cum sitim paterentur, ictu virgæ rupe percussa, prosilijt fons aquæ, populumque recreauit. Quo rursus esuriente, cœlestis alimēti pluuia descendit: quin etiam coturnices in castra eorum ventus induxit, vt non modo pane cœlesti, sed etiam instructioribus epulis saturarentur. Pro his tam diuinis beneficijs honorem Deo non reddiderunt, sed depulsa iam seruitute, iam siti, fameque deposita, in luxuriam prolapsi, ad profanos Ægyptiorum ritus animos trāstulerunt. Cum enim Moses dux eorum ascendisset montem, atque ibi quadraginta diebus moraretur, aureum caput Bouis, quem vocant ipsi Apin, quod eos signo præcederet, figurarunt. Quo peccato ac scelere offensus Deus impium & ingratum populum pro merito pœnis grauibus adfecit: placatus tandem, supplicijs solennibusque precationibus, legem per Mosen dedit. Sed ad Herculem, vnde diuerti, redeo. Eidem complures adsignantur liberi. Noricus primo genitus, Hunnus, Heluetius, Boius minimus natu. Posteaquam mortuus est, fratres vti fit, de regno contendunt. Rhomus qui tum trans Rhenum in Gallia imperitabat, propter dissensionem fratrum regnum diuidit, terminos Imperij singulis distri-

Alemanus.
Hercules Boioris primus cōditor.
Alema. qui.
Deucalionis diluuium.
Phaetontis incendium.
Exitus Israelite Ægypto.
Chencres rex.
Transitus maris.
Manna.
Apis.
Noricus. Hūnus. Heluetius Boius
Rhomus.

Noricus vbi regnauerit. Norici populi.

distribuit. Noricus intra amnes Danubium, OEnum, Drauum, Italiamque: Noricos, antea Tauriscos dictos, à Taurisco rege quem Hercules interemit, progenuit, à se dato nomine. Omnes eiusdem cardinis populos Herculeam esse prolem, Plinius literis mandauit. Quando autem plures fuisse Hercules pro vero constet, cuius nam filius Noricus fuerit, ambigitur. Schritouinus & Freithulphus tribuunt eum Lybio Herculi Ægyptio, qui in Hispania interiit. Vitus Arenpeck Græcorum Herculi, vltimo Piratarum duci vendicat. Me haud pœnitet eorum esse sententiæ, qui ipsum ex Hercule nostro prognatum adfirmant. Opus Norici est Noreia vrbs Tauriscorum. De qua ita Strabo narrat: Aquileia extra fines Venetiæ est, flumine ab Alpibus descendente disterminatur, per quod sursum nauigatur stadia mille ducenta vsque Noreiam, vbi Cn. Carbo collatis aduersus Cimbros signis, re infecta discessit: eandem à Boiis oppugnatam Cæsar: interiisse Tauriscis Plinius refert. Quidam Goriciam esse autumant: quod neque affirmare neque refellere in animo est. Nerobergam quoque, quæ diplomatibus & Cæsaribus Noreioberga est, ab ipso conditam esse tradunt annales nostri: quam si interpreteris Norici montem valet: quo nomine ab Ottone pontifice Fruxinensi nominari solet. Hunnus Sarmatiam, Orientalemque Germaniam tenuit, Hunnos procreauit. Quorum sedes prima fuit (quemadmodum Ptolomæus describit) intra montes Amadocum & Alanum, amnem Borysthenem, Mæotim paludem, interque Basternas atque Roxolanos. Ibi Tartariæ nunc continuam caputque Heluetius Iliteuones possedit, à quo Heluetij dicti: qui inter Hercyniam syluam (quam Ptolomæus Heluetiorum, accolæ nunc Nigram vocant) inter Rhenumque, & Mœnum amnes (Tacitum sequor) tenuere sedes. Deinde transgressi Rhenum in Gallia Belgica Colonias deduxerunt (Pomponium Melam diligentius legito) Heluetium, & Auenticum Vrbes condiderunt, quæ in Antonini itinerario ex computatione passuum Sileitadium, & Verona sunt. Ad Rhodanum flumen fines promouerunt, qui in longitudine millia passuum ducenta quadraginta (sicuti Cæsar dimetitur) patebant: sub quibus secundū Strabonis sententiam opinionem Tribochi, Vangiones, Nemetes continentur, qui haud dubie, inquit Cornelius Tacitus Germaniæ populi. Hercynia quoque, vt Cæsar describit, oritur in finibus Heluetiorum, quam partem eius nunc, vt dixi, Nigram Syluam appellare solemus. Gessereque continua bella non cum Germanis, quemadmodum Cæsar aliis temere credidit, sed cum Rhetis, vti Strabo longè diligentius Cæsare narrat. Nam vti est apud Suetonium, Pollio Asinius commentarios Cæsaris parum diligenter, parumque integra veritate compositos putat. Cum Cæsar pleraque & quæ per alios gesta erant, temere crediderit. Et quæ per se, vel cōsultò, vel etiam memoria lapsus perperam ediderit, existimat rescripturum, & correcturum fuisse. Vlteriora Boius possedit: hic Alemannos à patre conditos, Hermionum non paruam partem, à se Boios nuncupauit. Manet adhuc, inquit Tacitus, Boiemi nomen, signatque loci veterem memoriam, quamuis mutatis cultoribus. Prima itaque Boiorum sedes fuit intra Hercyniam syluam, & extra, quæ occidentem, Danubiumque spectat, Hercynia sylua eos pro natiuo muro in modum cordis citha... munitur. Quam regionem ab ipsis adhuc Boiemiam cognominamus, quasi tu dicas Boiorum patriam, & domum: id enim nostro sermone Boiemia declarat. Condidit ibi Bubienum, siue Boiobinum Vrbem, quæ & Marobudum postea fuit, nunc Praga est. Boioemia eiecerunt Boios Sueui, Marcomani propriè dicti, hos Zechi: natio est Venedorum, hoc est Sclauorum, adhuc Boiemiam possidens. Inferius plura enarrabimus in tertio volumine. Extra Hercyniam intra amnes Danubium, Alemanum, Rhedonessum contiguas sedes habuerunt Boij: vbi adhuc nunc consident, seque incunabula Boiorum incolere & tenere gloriantur. Quemadmodum à nobis suprà quoque commemoratum est: ibi Boioretus, & Boiobergomum: hoc Boium montem, illud Boiorum nouale significat. Ibi Vichtomons, à pinastris ita dictus. Insignis, parta quatuor fluminum, quos ad quatuor cœli cardines profundit. Sala Septentrionem petit, Mœnus occidentem Solem, Ægra ad orientis oram fluit, Nabus meridiem versus. In confinio etiam Boiemiæ Vindelicorum & Noricorum inter confluentes maximorum amnium Danubij, Oeni, Illisi, Boiodurum, ab Boio conditum existit: Boiis id turrim valet, Romani Bathauiam nominarunt. Vtrumque retinet nomen, corrupto tamen licentia vsus, & vetustatis sono. Vitus Arenpeckh, & quidam alij, Boium, ac Heluetium post inundationem terrarum profectos esse ex Armenia, scriptis prodiderunt, quos Moses pro idiomate Hebræi sermonis Heuilech, & Iobab vocet: quemadmodum Lybium Lehabim, Osyrim Mizraim, Sarmatam Hazarmoth, Histrum Iactan, Saum Saba, Adulam Hadoram appellet: quisque pro ingenio suo demat, vel addat fidem. Nam quis rem tam veterem pro certo adfirmet? In huiusmodi rebus nisi coniecturis satis est: id quod interpretibus sacrarum literarum in plerisque licere video. Hoc enim compertum habeo, imperitis facile imponere ambiguitatem, quod complura vno nomine nūcupentur, quæ discernere, nisi peritissimis, in promptu non est. Multa proinde in vnum confundunt sæpius imprudentes: quemadmodum cum accepissent à maioribus Boium fuisse tempore Diluuij Deucalionis, & imperitasse Hermio-

Lybius Hercules. Græcorum Hercules. Noreia. Strabo li. 5. Goricia. Noremberga. Hunnus in Sarmatia regnat. Amadocus mons. Alanus mōs. ... Zechi. ... Boiodurum. ... Vetterum mores ...

Hermionibus, similitudine nominum decepti, credidere diluuium primum, & Armeniam, vt notiora ipsis, fuisse. Itidem hallucinati sunt de Norico, & Hercule. Cuius filij dum Germania potiuntur, Moses fatiloquus, & veridicus Dei interpres, vir consultissimus omnis diuini humanique iuris, cum centum & viginti annos vixisset, ex hac vita migrat. Quem & Ethnicis scriptoribus Beroso, Diodoro Siculo, Trogo Pompeio, Iustino, Plinio, Strabone, Iuuenali, & plerisque aliis notum esse reperio. Mosi succedit Iesus, qui & Iosues (Hebræis Ioschuah est) præfuit Iudæis xvij. annos. Hic Iudæos vi & armis iussu diuino in Palestinam duxit, Reges vnum & triginta occidit, Vrbes solo æquauit, gentes excidit, regna subuertit, in homines pecudesque, & supellectilem citra omnem sexus, & ætatis rationem iure belli sæuitum est: mulieres cum infantibus deletæ. Huic genti, dati à suprema illa Maiestate quatuordecim prætores ad Samuelem & Saulum (vt est in arcanis sacræ historiæ) per annos trecentos nouem, & triginta. Eadem tempestate Coritus Rex Italiæ, nepos Libyi Herculis, mortem obiit: inter filios eius Iasium in regno, & Dardanum maiorem natu, ante regnum natum, vt infida est societas regni, parricidiale oritur bellum. Dardanus interfecto fratre Iasio profugus in Asiam maiorem euasit. Vbi Dardaniam condidit, quam nos regnum Troianum vocare solemus, ab restituto orbe anno octingentesimo duodetricesimo, à primordio regni Germanici anno sexentesimo nonagesimo septimo. Tum etiam ex Gotolandia sinus Venedici Insula (quæ è regione Vistulæ amnis sita, ab Aquilone Scandinauiam peninsulam spectat), Goti, qui Dani, Daci, & Getæ sunt, rege Berico egressi ad Danubium, migrarunt in eas regiones, quas nostro æuo Vgri, Transdanubiani, Transsyluani, Septemcastrenses, Valachi tenent. Regnatũ ibi à Getis & Dacis, vsque ad Valentis Augusti annum quartum decimum. Hunni tum eos sedibus auitis eiecerunt. Getæ à Romanis in Thracia collocati sunt: vbi auaricia Maximi præsidis, fame coacti rebellarunt, & Romanos deinde variis cladibus attriuerunt. Post filios Herculis apud nos regnasse reperio Ingeramum, cognomento Herminium, filium Boij, eiusque nepotem Adalogerionem. Ingeramus condidisse fertur Hermeniam oppidum inter confluentes Nabi, Danubij, & Rhegi: quæ postea translata in aliam ripam, fit Reginoburgium. Adalogeropagum præfecturam Boiorum in tabulis & instrumentis sæpius reperio. Cœnobium eodem nomine etiam nunc est in Boiaria (hodie Allerspach) cuius præsul Wolffangus Marius Philosophus & Poëta, cui hos dedicauimus versiculos.

Moses moritur. *Dio Sic. li. 3. cap 5.* *Iosue.* *Iudices Israelis.* *Samuel.* *Saul* *Coritus rex Italiæ.* *Iasius.* *Dardanus.* *Dardania.* *Regnum Troianum.* *Goti. Dani.* *Daci. Getæ* *Septemcastrenses.* *Getæ in Thracia.* *Ingeramus* *Adalogerio.* *Nabus.* *Danubius.* *Regus.* *Reginoburgium. Adalogeropagum.* *Allerspach.*

Tu bonis cantas auibus, Deumq;
Concinis Vates meliore plectro:
Tu crucem nostri Domini, Deiq;
Ritè salutas.
Possides templum per amœna prata,
Qua rigat Vilsus speciosa vallis
Arua, nec longe tenuis sub vndas,
Perditur Istri.

Vilsi hostia.

Ingerami, & Adalogerionis nomina frequentissimè in fastis referuntur, ipsos more maiorum antiquis proaui celebrarunt carminibus quæ in Bibliothecis extant, Subsequũtur quos patrio sermone adhuc canimus, & Cornelius Tacitus enumerat, Laërtes, & Vlysses: Hic Vlisburgium. vulgo Aschiburgium, in ripa Rheni à suo nomine adpellauit: in confinio Rhetiæ, & Noricorum ostenduntur arma, Laërtis fuisse incolæ credi postulant. His imperantibus, Gedeon prætor Iudæis ius dixit. Et Venedi, Cimbrique, qui etiam Cimmerij sunt (testibus Strabone, Plinio, Diodoro Siculo, Stephano Byzantino) seu ob inundationem Oceani, seu ad exonerandam turbam, prægrauantem regnum domi, siue vt alij scriptis mandarunt, latrocinandi more & cupidine prædæ, rege Medo patriæ relinquunt penates, nouarum sedium auidi, ab vltimis terrarum oris proficiscuntur, (Egesippus discipulus Apostolorum narrat Germanos olim Imperium orbis agitasse) pars in Hercyniam syluam Boiemiæ fertilissimæ, vbi tum Boij (sicuti ex Eratosthene, Posidonio, Cornelio Tacito prædiximus) habitabant, transitum faciunt. At Boij correptis armis, agmineque facto illos adoriuntur atque finibus suis exturbant. Cimbri à Boiis pulsi Danubium transmittunt, in Illyrico, Norico, Pannoniis, Gallogræcos Venetos in Italia condunt. Alia verò manus Cimbrorum Sarmatis domitis ad oram Meotis lacus, Pontique porrexit: peninsulam Tauricam occupat, oppidum Cimmerium, quod & Cimbricum, auctore Plinio, extruitur: ab ipsis & Cimmerius Bosphorus nomen retinet: ibi nunc Tartariæ initium. Cimbrorum quoque vxores societate militandi viris coniunctæ. Maiore Europæ parte subiecta, Asiæ quoque nonnullas Vrbes occupauêre. Ibi Ephesum, multasque alias Vrbes condiderunt. Asiam deinde armis perdomitam vectigalem fecerunt. Erant inter illas sacerdotes diuinationis peritæ, quas patrio sermone Alirunas nũcupant. Hæ incinctæ Zonis nudæ pedibus, canis capillis, linteaque tunica, & alba veste, quæ subtus fibu-

Corn. Tac. in li. de Germ. moribus. *Vlysses. Aschiburgiũ.* *Arma Laertis. Gedeon.* *Venedi.* *Cimbri.* *Medus Rex.* *Egesippus de Germanis.* *Boij Germanos Cimbr. ex Boiemia profligant.* *Cimbri quos populos condiderint.* *Cimbri ad Pontũ proficiscuntur.* *Cimmerium oppidum.* *Tartariæ initium.* *Cimbrorum vxores milites.*

tus fibulis annexa erat, amictæ: captiuis per castra strictis occurrebant ensibus, quos ad humum sternentes, ad æreum pertrahebant craterem, deinde eos in sublime tollendo iugulum ferro aperiebant, & profluente tum sanguine in craterem, euentum belli vaticinabantur. Aliæ dissecto ventre ex intestinis victoriam interpretabantur. Inter præliandū verò pelles ad carrucarum velamina extensas, crebris pulsabant ictibus, ingens strepitus cum horrore edebatur. Mazonas nos, id est Viragines: Græci Amazonas vocant. Referre operæprecium est, quæ Cor. Tacitus, quo nemo plura (qui quidem extet) de nobis scripsit, in libro de situ & moribus Germaniæ, recitat. Germani (inquit) aliquid sanctum & prouidum inesse mulieribus putant, ad matres, ad coniuges vulnera ferunt, nec illæ numerare, aut exigere plagas pauent, cibósque, & hortamina bellantibus gestant. Memoriæ proditur, quasdam acies inclinatas iam & labantes à fœminis restitutas. Dotem quinetiam non Vxor marito, sed maritus Vxori offert. Munera non ad delicias muliebres quæsita, nec quibus noua nupta comatur, sed boues & frenatum equum, & scutum cum framea, gladioque. In hæc munera Vxor accipitur: atque inuicem ipsa armorum aliquid Viro adfert, ne se mulier extra bellorum casus putet: Ipsis incipientibus matrimonium auspicijs admonetur, venire se laborum, periculorúmque sociam: Idem in pace, idem in prælio passuram, ausuramque. Narrat etiam Lucius Florus in eo bello, quod Imp. Cæsar Augustus cum Germanis, eorumque finitimis gessit, fœminas nostras deficientibus telis, infantes ipsos humo afflictos, in ora militum aduersa misisse. Nostro etiam æuo mulieres castra sequuntur, militum numerum aliquando æquantes: damnosæ magis, quam viri. De Cimbris, & eorum Vxoribus fabulosa multa confinxere Græci, Poëticis magis decora fabulis, quàm incorruptis rerum gestarum monumentis. Notissimi enim sunt, celebratissimique Græcorum annalibus Cimbri, & eorum Vxores Amazones: quorum & Homerus omnium scriptorum Græciæ vetustissimus meminit, Cimbrisque Amazonas coniungit: quas & Eusebius, & Hieronymus, & Plinius, Pomponiúsque Mela, Cimbris Germanisque addicunt. Et Flauius Vopiscus in bello Germanico ab Aureliano captas Amazonas, & triumphatas narrat, qui Germanas fuisse apertè dicit, Cimbros alij Getas, Danósque: alij Scythas, & Galatas, quisque notiore sibi vocabulo nuncupant. Id satis constat, collecticiam manum fuisse ex variis Germaniæ Magnę nationibus, Cimber, nostra lingua pugnacem, & latronem quoque valet.

Post hæc apud nos Brennus regnauit: de quo carmina vernaculo sermone facta legi in Bibliothecis. Bathauiæ sepultum esse fama tenet: supra quàm haud longè Brennobergomum castellum, atque gens perdurat, quasi tu dicas Brennonis montem. Huic filium assignant, qui vulgo sit Hiccar (frequens etiam nunc cognomen) in fastis Hichtar, scriptoribus Annalium Hector, cuius filius Franco, Franconas progenuit. Deprauatus apud Ciceronem in libr. 14. Epistol. 6. ad Atticum, locus, cuius initium: Pridie Iduum Fundis accepi tuas literas, &c. in caussa fuit, vt hæc scriberet Auentinus. Nam vulgò legebant Sueui, Francones, &c. Sed certum est, Francorum, aut Franconum Ciceronem non meminisse, quin id temporis nondum id nomen vsurpatum fuit. Quin nec Tacitus, nec Ptolomæus Francorum meminerunt. qua de re aliàs pluribus. Itaque alij aliter lectionem emendant, vt & citato capite Beatus Rhenanus lib. 2. rer. Germ. p. 103. Alij & ex his Paullus Manutius verba illa in suis æditionibus prorsus sustulerunt. qua de re aliàs pluribus. Ipsi à Cicerone cum Sueuis numerantur, postea & Galliis, & Roma potiti sunt. Eorum virtus Romanum Imper. in Germaniam transtulit. Varias esse propriorum nominum transmutationes, experientia rerum magistra, docet: & antea ex Strabone admonui. Tempore huius Franconis, quarto ante Samsonis præturam anno, decem annos continenter ad Troiam belligeratum est, quo bello nihil notius vulgo etiam ignobili apud Germanos exstitit. Idcirco Reges Troianos paucissimis enumerare non pigebit: simul vt animaduertatur, nil humanorum certum esse: sceleráque nunquam impunè abire: scelesto semper licet pede claudo comes est pœna. Primus apud Troiam regnauit Dardanus annos vnum, & triginta: cui filius Erichthonius quinque & sexaginta annos succeßsit. Ipsum subsequitur Tros, à quo Troia nuncupata: qui posteaquam potestatis sexaginta expleuit annos, regnum auitum per manus tradidit Ilo, conditori Ilij vrbis, quam Troiam vulgus nuncupat. Hic post quinque & quinquaginta annos Laomedonta habuit successorem, patrem Priami: ille sex & triginta, hic quadraginta regnauit annis. Priami filius Alexander, qui & Paris violato iure hospitij, Helenam vxorem Menelai Regis Græci, hospitis sui, rapuit. Græci principes decem annis oppugnatam Troiam, tandem dolo capiunt, igne vastant, atque delent. Alij duntaxat captam & direptam, non euersam tradunt. Ob vnius tum mulierculæ stuprum Asia & Europa infestis concurrerunt armis: terra, marique varia præliorum fortuna inuicem se trucidarunt: tot inuicem data, acceptaque damna, tot millia hominum perierunt: tantum sanguinis humani effusum est. Regnatum est apud Troiam à sex Regibus annos supra ducentos septem & nonaginta. Scythas, Moesos, Amazonas, Germanos bello Troiano interfuisse, præter vulgatissimam famam,

Ephesus cōditur. *Alrunæ.* *Alrunnarū vaticinia.* *Amazones.* *Marones.* *Cor. Tacitus.* *Fœminæ Germanorū.* *Dotis ratio apud veteres Germanos.* *Aug. Imper.* *Amazonū Homerus meminit.* *Cimbri variis nominibus dicti.* *Cimbri collecticia manus.* *Cimber, id est Kempfer.* *Brenus Rex.* *Brēbergain Schlos vorden vnald* *Hiccar. Hector. Franco* *Francones.* *Hogcar.* *Propriorum nominū varia mutationes.* *Samson.* *Bellum Troianum.* *Scelera nulla impunita.* *Dardanus.* *Erichthonius.* *Tros.* *Ilus.* *Laomedon.* *Alexander, qui & Paris.* *Helena vxor Menelai.* *Troia capitur.* *Qui populi in bello Troiano fuerint*

mam,& leges Imperatoris Caroli quarti Cæsaris Augusti,à quo prouocandi ius non est,authores habeo, quos sequar. Et vt conquirere fabulosa, ac fictis oblectare legentium animos procul grauitate cœpti operis crediderim, ita vulgatis traditisque demere fidem non ausim. Vera enim (vti est apud D.Hieronymum) lex est historiæ,vulgi opinionem exprimere. Mihi enimuero ad hoc opus conficiendum omnia experto, non adeò Barbari maiores nostri fuisse videntur,quin immortalitati,famæ,memoriæque rerum,suo more,suisque monumentis consuluerint: quæ si vestigiis & via, qua debent, accuratius inquirantur, ne hac quidem parte,aut Græcis, aut Romanis cedemus. Ita est profectò,quemadmodum scripsi ad Conradum Beuthingerum Iureconsultum,licet Reipublicæ procellis obrutum, ista tamen sedulo curantem.

Carolus 4. Rom. Imp.
Historiæ lex.
Germani veteres nõ omnino barbari.
Conradus Beutinger.

Fœcunda vatum Roma fidem sibi
Fecisse fertur, si tua Beuthini
Virtus celebrasset parentes
Non tacitè premerentur Orco.

Quis porrò tam animo communi lenique erit, qui non stomachetur, in tanta hominum ignauia, præcipuè eorum qui sibi literarum principatum sumunt, & rerum habenas mordicus tenent, cui non moueat socordia bilem,plerique cum nihil laude dignum gerant ipsi, laudari quoque ineptum putant, inuitus refero, veritas odium parit, dicam tamen. Proxime Ingolstadium,saxa Romanis literis inscripta effossa sunt ab agricolis,ab ipsis & seruantur & ostenduntur. Actum est,etiam nomine Principum,cum his qui sibi Vrbis & Gymnasij proceres videntur,vti ea monumenta Ingolstadium deueherentur, in Illustrique loco ac conspicuo conlocarentur: sed surdis contauimus,qui etiam alio huiuscemodi lapide (qui cuiusuam opera in Danubio Ingolstadium vectus) vniuersis in humum literis priuati hominis ossa contegi permiserunt. Adeò agricolis nostris plus cordi sunt virtutum præclara monumenta,quàm istis scholasticis,hoc est, vmbraticis declamatoribus,sordidisque pecuniæ & auræ popularis mancipiolis. Mirum tamen est cum omnia sibi permittant,quam in alienis libris ingeniosi sint,quámque obtrectatione alienæ scientiæ famam sibi aucupentur. Nemo de simplicitate mea cōqueri potest,nisi qui de te ipso male senserit: sed longius à suscepti operis materia defecti sumus. Ego omissis Vitiligatoribus reliqua subnectam.

Qui nam Reges post superiores Germaniæ Boiariæue imperitauerint,quærere distuli. Nec enim fas est scire omnia. Apud authores,quos ego quidem euoluerim,nihil certi de Boiis,vsque ad Tarquinium Priscum Regem Romanorũ scriptum reperio. Si quid præclari gestum est,id in commune cum Galli, nunc Germani sibi vendicant. De quibus pro rei dignitate perscribere maius est,quam vires meæ ferre possint. Et huiuscemodi sine exactissima Germaniæ, partiumque eius perlustratione tentare insania est. Quæ Græci Latinique, licet hostes nostri rerum scriptores,de nostris maioribus literarum memoriæ commendarint,quam paucissimis potero magis indicabo, quam narrabo. Quòd si quis ea duntaxat,quemadmodum referuntur,in librum transferre velit, maius profectò opus cōficiet,memoratu digniora,certiora,verioraq; afferet,quá quidam nostratiũ,vt ita dicam, Chronicariorum,qui ex professo hanc operam condicunt. At quoniam in Gallos incidimus,de ipsis, quid grauissimi sentiant authores, non fuerit alienum absoluere, in eoque paululum commorari. Prisci annalium scriptores, (sicut Ephoros, & Strabo, graues in primis authores in libro primo de situ orbis tradunt) omnes populos subiectos Aquiloni Scythas: occiduo verò soli,tum Gallos,Galatásue,tum Celtas, aut Celtoscythas in communi cognominauerunt. Quamobrem in Annalibus ferè apud eos præcipuè scriptores, qui ante Romanos Imperatores vixerunt,Germani haud aliter quam Celtæ & Galli, Galatæue appellantur. Aristoteles Stagirita veritatis diligentissimus interpres, in libro secundo Meteorologicon Celtis Histrum,qui Germanorum est,attribuit. Diodorus Siculus in lib.sexto regionem inter Rhenum, Danubium,Scythiæ conterminam, vbi & Hercynium iugum est,Galatiam magnam,vti Ptolomæus Magnam Germaniam, nuncupat. Teutonas,Cimbros,Boios,haud dubiè Germaniæ gentes Salustius, T.Liuius, Cornelius Tacitus,Festus,Gallos: Appianus Alexandrinus Celtas nominat. Sextus quoque Ruffus, vir Consularis, qui ad Valentinianum Imperatorem scripsit,non aliter quam Gallos,Germanos vocare solet. Gallos quoque,qui Romam incenderunt,Delphicum templum spoliarunt, in Asiam profecti sunt, Teutonas,Germanosque fuisse,authores habeo Diodorum Siculum, Appianum Alexandrinum,Diuum Hieronymum, Gotofridum Viterbiensem, quemadmodum & vernaculis apud nos annalibus proditur,& carminibus antiquis celebramus. Compertum ego habeo Gallicam linguam eam vocari, quæ modò est Teutonum. Cato, Plinius, Sextus Ruffus,Festus Pompeius, Diodorus Siculus Padum,Podincum,Balgam,Bergomum,Cimbrum,Emporedum,Rhedam,Pyrenen,Ceruisiam, docent Gallica esse vocabula,& valere piceam, fundum, montanam Vrbem, saccos,Scortres, latronem,

Boij sub Tarquinio Prisco nati.
Germanorũ veterum res gestas Græci & Romani descripsere.
Ephorus.
Strabo.
Scythæ.
Galli.
Celtæ qui.
Aristoteles
Diod. Siculus.
Galatia Magna qua.
Gallica lingua Teutonum est.

Propria nomina Gallorum Germanica. *Io. Stabius.* *Con. Celtis.* *Belgæ.* *Galli qua lingua olim loquuti.* *Germ. Gallorum fratres.* *Gallia in tres diuisa partes.* *Galli cur nunc aliter quàm olim loquuntur.* *Gallogræcia.* *Bardi. Druides.* *Galli vnde dicti.* *Galatarum sermo quis.* *Celtes Gallus Illyrius.* *S. Gallus.* *S. Gallen vrbs.* *Keltege siue Kelgg.* *Kelham.* *Leonardus ab Eckh.* *Galli à Germanis orti.* *Gallia Germanis paruit regibus.* *Romani Galliam ingressi.* *Belgæ.* *Nordmanni. Burgundiones. Franci.*

tronem, equorum domitorem, currum siue rotas, combustum, potum ex hordeo, qui sit in Ægypto Zitum, in Hispania Celia, in Gallia Ceruisia. His omnibus vocabulis Teutones adhuc vtuntur, ipsisque valent, quemadmodum ab illis refertur scriptoribus. Adde quod omnia nomina propria populorum, Regum, Ducum (quos authores rerum Gallos vocant) Germanica, Teutonicaque sunt, & adhuc vsurpantur. Sicuti Sigouesus, Bellouesus, Lutharius, Viridomarus, Britomarus, Brennus, Thessalonus, Tectosaces, Trocini, de quibus abundè supra in initio explanauimus. Libet docere, quod perquam paucis cognitum esse animaduerto, Ioannem Stabium, Conradum Celtem, Vates absque odio ostentationis vndecunque doctissimos, quos ob eruditionem Imperator Maximilianus Cæsar Augustus in aulam vltrò acciuit, in ea esse opinione, audiui quam referam. Quemadmodum Belgæ, pars Celtarum adhuc Germanicè loquuntur, ita cæteros Gallos non alia lingua, quàm Teutonum & Alemanorum (vti vocant) esse vsos. Huius rei hæc maxima habent documenta, quod Strabo Germanos quasi legitimos fratres, cognatosque Gallorum, legibus, moribus, lingua interpretetur. Quod etiam Iulius Cæsar narret, se per interpretem colloqui Gallis solitum: Ariouistum verò regem Germaniæ vsum absque interprete esse Gallica lingua. Nostrates insuper Historici in treis diuidunt partes Galliam, Romanam, Teutonum, & Gallogræcam. Narbonensis verius Italia est (ait Plinius) incolæ se Italos etiam nunc esse contendunt. Celtæ Aquitani ob longinquam seruitutem, qua à Romanis oppressi fuerunt, in Romanos ritus transformati, amplius propriæ linguæ memoriam non seruant, Romanè corruptissimo tamen sono loquuntur. Teutones, Belgæ & Germani sunt Cisrhenani. Gallogræcia Illyricum, Pannonas, Noricos complectitur, quòd proxima fuerit Græciæ. Nec me fugit quosdam aliter sentire de Gallogræcis, sed ego domestica sequor testimonia. Denique Philosophi Gallorum Bardi, Druydesque pulsi à Tiberio & Claudio Imperatoribus Romanis: ex Galliis in Germaniam Magnam trans Rhenum tanquam cognatam, & eiusdem sermonis gentem transmigrarunt. Cæterùm Gallos atque Galatas à candore corporis dictos esse, quidam literis mandarunt. Inter quos est & D. Hieronymus in commentariis in Epistolam D. Pauli ad Galatas: Suæ sententiæ autores citat Lactantium, Sybillam, Marcum Varronem cunctarum antiquitatum diligentissimum perscrutatorem. Vnde poëta, Tum lactea colla, Auro innectuntur, &c. potuisset (inquit D. Hieronymus) dicere candida. Idem patrium Galatarum sermonem eum esse adfirmat, qui sit Treuirum, quos esse Germanos palam & manifestum est. Appianus verò Alexandrinus narrat Germaniæ, & finitimis regionibus imperitasse quondam tres fratres Celtem, Gallum, siue Galatam, Illyrium, qui Celtas, Gallos, Illyricos condiderunt. Adhuc nobis Galli nomen crebrum, sacrosanctumque est, vt qui eo nomine Diuum colamus, cui & Vrbem Cœnobio insignem maiores nostri consecrarunt. Est & pagus & tribus in inferiori Boiaria, ad vtramque Danubij ripam in diplomatibus Cæsarum Keltege, hoc est, Celtis terra nuncupatur. Nomen vrbi etiam facit, & regiæ sitæ ad hostia Alemani, vulgò Kelham, id est Celtæ domus vocatur: patria Leonardi ab Eckh, Boiorum doctissimi Iureconsulti, & inter nobiles eloquentissimi & inter eloquentes nobilissimi. Illud præterire non debeo, Gallos plerosque ortos esse à Germanis, ita ipsi Galli apud Cæsarem referunt, & Marcellinus ait, Gallos ex tractibus transrhenanis oriundos esse, indigenas quidem partem inhabitasse. Hoc satis quoque constat, quemadmodum post natum Christum longo tempore Germaniæ coniuncta Gallia fuit, ex Germaniaque ortis Regibus paruit. Ita ante Christum natum Germanis obedisse principibus, vnumque regnum, vnum Imperium cum Germania fuisse, authores sunt. Nam & Romani (vti scribit Tacitus & Cæsar) Galliam intrarunt vocati à Gallis contra Germanos. Pars Celtarum Belgæ vero omnes, Burgundiones, Nordomanni, Franci ex Germania migrarunt, in Gallia sedes collocarunt, quas adhuc tenent, Germanicisque cognominantur vocabulis. Sed ad rerum gestarum ordinem redeo.

Amazones in Asiam irruunt. *Heldëbach.*

Eusebius, & Diuus Hieronymus in Chronicis annotarunt Cimbros & Amazonas coniunctis copiis arma Asiæ intulisse post captam Troiam, tempore Sauli primi Regis Iudæorum, quemadmodum ante captam Troiam partem magnam Europæ, non paruam Asiæ tributariam, vectigalemque fecerunt: vbi coniunctim eos enumerant rerum autores, id quod paulo ante narrauimus, in Asia Cimbros, & Amazonas condiderunt. Huiusmodi pleraque bella, poëtico more velata mysteriis fabularum apud nos, patrio sermone, & numeris scripta leguntur. Populares nostri heroum Codicem, quod Heroum Germaniæ gesta contineat, cognominant. Versus sunt Ouidij:

Exit in immensum fœcunda licentia vatum:
Alligat historica nec sua verba fide.

Mea quoque memoria Imperator Maximilianus Cæsar Augustus more maiorum fabulis res gestas suas velauit, & omnem vitæ seriem carminibus, & patriis & Latinis nominibus

minibus confictis celebrandam curauit, Teurodancum vocant. Rursus cœptæ rei seriem prosequar.

Tarquinio Prisco Romæ regnante Ligures, Insubres, Sueui, Senones, Sicambri, Cimbri, Chamani, aliæque Galliæ & Germaniæ Magnæ gentes, ductoribus Belloueso, Sigoueso, Medone, Helitonio alpes hactenus insuperabiles transgressi, Italiæ sese superfundunt. Deinde Boij (quorum maxima pars erat) pulsi Boiemia, Hercyniaque à Marcomanis Sueuiæ populis vestigia priorum, rege Ciconio, subsequuntur. Cum iam inter amnem Padum, alpesque omnia tenerentur, Pado traiecto ratibus, non Ethruscos modò, sed etiam Vmbros veteres colonos agris pellunt: Anconam vsque omnia occupant. Cis Apeninum se tamen tenuêre. Condiderunt Mediolanum, Ticinum, Comum, Brixiam, Veronam, Bergomum, Tridentum, Vincentiam, Mutinam, Parmam, Bononiam, Laudem Pompeiam, & alia pleraque oppida instaurarunt. Boiorum tribus fuisse centum & duodecim, autor est Cato, Plinius recitat. Fluuius eorum Rubico finis, Ptolomæo teste, est: tum Italiæ Lacus Benacus, & Larius, qui Gardæ & Comensis, & Rauenna sunt. Bononia caput fuit, ipsis Boiobonia dicta, sicut quidam literis scriptum reliquerunt. In Sueuorum vernaculis annalibus canitur, Brennum ducem suum centum, ac decem annos cum Romanis belligeratum: sex vrbes in Italia ab eo conditas esse Hochosenam, Teutonicam, Senam, Veronam, Brixiam, Ticinum, Mediolanum, eo tempore, quo Romæ Capitolium conditum sit: alioqui in vetusto Sexti, Festi Pompei exemplari in membranis manu scripto lego, Mediolanensem agrum Boiis attribui. Idcirco has gentes promiscuè habitasse in Italia Cisappenina verisimile est. Nam & Plinius Laudem Pompeiam à Boiis trans alpes profectis conditam refert. Habitarúntque Boij Galliam Togatam, quæ est sub Apenino, Padóque amne, à Placentia vsque Rauennam, atque Rubiconem flumen, vltra hoc Sueui Senones, quorum caput Senogallica. Causa in Italiam veniendi, sedesq; nouas quærendi, intestina discordia, & assiduæ domi dissensiones fuerunt, quarum tædio in Italiam migrarunt. Traditur tamen quoque fama hanc gentem dulcedine frugum, maximè vini, noua cum voluptate captam, Alpes transiisse: & inuexisse in Galliam & Germaniam vinum illiciendæ gentis causa Aruntem Clusinum, ira corruptæ vxoris, ab Lucumone (cui tutor is fuerat) ipso præpotente iuuene, & à quo expeti pœnæ (nisi externa vis quæsita esset) nequirent. Hic Aruns transeundi Alpes gentibus his dux & author fuit. Produnt alij hanc primam habuisse causam oppugnandæ Italiæ, quòd Helico ex Heluetiis ciuis eorum fabrilem ob artem in Italia commoratus ficum siccam, & vuam, oleum, ac vinum remeans secum tulisset. Porrò Thusci duce Rheto auitis sedibus amissis Alpes occupauêre, & nomine Ducis Rhetiorum gentem condiderunt, quos loca ipsa efferarunt, ne quid ex antiquo præter sonum linguæ, nec eum incorruptum retinerent. De Rhetis plura in subsequenti volumine narrabuntur. Dum autem hæc in Europa geruntur, in Asia, Hierosolyma Palestinæ vrbs peculiariter Deo immortali cõsecrata, ob scelera & impietatem gentis à Rege Babylonio euersa sunt, Reges trucidati, oculis priuati, captiuique cum populo abducti sunt Babylonem. Regnatum est in Palestina post prætores annos quatuordecim supra quingentos.

Teurdanck. Germaniæ populi Italiam inuadunt. Boij à Marcomannis suis sedibus pulsi in Italiam irruunt. Boiorũ sedes primæ in Italia. Mediolanũ Ticinum Comũ Brixia Verona. Vide Ptolomæũ de Sueuorũ & Boiorum vrbibus in Italia. Rubico flu. Lacus Benacus & Larius. Bononia caput Boiorũ. Brennus cũ R. 110. ann. pugnans. Hohensena. Capitolium. Boij in Gallia Togata. Causa cur Boij Italiam ingressi sint. Vinum in Germaniam infertur primùm. Aruns Clusinus. Helico. Rhetus dux à quo Rheti. Hierosolyma à Babylonijs euersa. Captiuitas Babylonica.

Quoniam ad mentionem Babyloniorum ventum est, quos etiam Assyrios Reges cognominari reperio, altius horum primordia repetam, in gratiam eorum, qui rectè in diuinis literis Philosophari percupiunt. Quatuor esse regna fatalia, summaque mundi Imperia (quas Græco vocabulo Monarchias vocant) Assyriorum, siue Babyloniorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum, in sanctæ religionis annalibus traditur: quæ quatuor metallis auro, argento, æri, ferro comparantur. Rectores horum capere vrbes, nationes subigere, libidinem dominandi, causam belli habere, maximam gloriam in maximo Imperio putare. Cæteri Reges sine cupiditate vitam agitabant, sua cuique placebant. De quatuor ordine dicam.

Monarchiæ quatuor.

Regum Assyriæ duo genera fuerunt. Primi illi proles Semiramidis sunt, & Nini, qui alio nomine Assur dictus est, & nepos fuit Nembrothi, filius verò Beli, Assyrios, & Vrbem ibi Niniuen condidit, hæc à sacris vatibus Niniue vocari solet. Vbi regnatum est annos mille trecentos, quinquaginta duos. Postremus Nini regnauit Tonosconcoleros, qui & Græcis Sardanapalus, vir muliere corruptior, cibo potuque immodicè deditus: inter scortorum greges effæminabatur, raró in publicum prodibat. Contra hunc Phulobelechus Babyloniorum Dux (quem Diodorus Belesum nominat) communicato consilio cum Arbacto, siue Arbace, quem Rex Medis præfecerat, clanculum coniurat. Erat ille inter sacerdotes (quos Babylonij Chaldęos vocarunt) inclytus iusticia, religioneque, conscius futurorum, peritusque astrorum. Is tum exitium fatale Sardanapalo, vrbiq; imminere aperit, socios ad arma cohortatur, gentes ad defectionem solicitat. Vbi satis virium comparatum, Nini iuxta Euphratem Sardanapalus obsidetur: Desperataq; salute in regia pyra extructa, reclusisq; in medio pyræ vxoribus, & Eunuchis, se & diuitias vltro in incen-

Assyriorum regnum. Ninus qui & Assur. Niniue vrbs quæ & Niniue. Sardanapalus. Phulobelechus. Lib. 3. cap 7. Arbaces. Chaldæi.

Sardinapali mors. Persarum regnum. Palestina fit tributaria.

dium mittit, atque cum tota regia, & omni supellectile conflagrat. Post hæc Belochus cum Arbacto regnum, quod virtute sua partum erat, diuidit. Arbactum Persis præficit, ipse Assyrios occupat, regnique sedem Babyloniæ constituit. Posteri horum, alterum Regum Assyriæ genus vsque ad Cyrum, Dariumque reges Persarum, annos quatuor supra trecentos potiti sunt rerum. Ipse Phulobelechus Palestinam, quæ Samariæ, hoc est Israëlis Regibus parebat, graui admodum tributo attriuit. Ab ipso regnum mercatus est Manahes mille talentis argenti. Lege, si libet, sacræ historiæ libros, quos Regum inscribere solent, vnde hæc excepimus.

Manahes Rex Israelis. Teglatophulassar. Achaz. Salmanassar.

Belocho, qui regnauit annos octo, & quadraginta succedit filius Teglatophulassar annos quinque & viginti, euocatus in auxilium ab Achaz Rege Iudæorum, regem Syriæ interfecit, Galilæam, partémque regum Samariæ in Assyrios transtulit. Post hunc Salmanassar gubernacula tenet annos septemdecim, Samariam subiecit, decem Iudæorum tribus ab ipso captiuæ in Medos & Assyrios abductæ sunt. Regnatum est in Samaria ducentis, vno & quinquaginta annis. Post fata Solomonis Regis Hebræorum (vt pro necessitate sacræ historiæ Reges Iudææ explicem) Hebræi in duas diuisi factiones, ex vno Imperio duo fecere regna. Proles Iudæ, Beniaminque filium Solomonis secuta est. Cæteri verò (vt quibus deprecantibus seruitutis iugum à patre impositum grauiora consilio adolescentum minatus fuerat) ab eo deficiunt, sui corporis Regem creant.

Diuisio regni Iudæorũ

Illud regnum Iudæ, hos Samariæ, siue Israëlis posthac dictum est. Caput illius Hierosolyma, huius Samaria fuit. Nec temere offendes, vbi tanta rerum, fortunæque vicissitudo: tam crebro reges mutati, cum stirpeque ob impietatem suam radicitus excisi sunt. Sæpius fame, sæpius pestilentia laboratum est, sæpius hostis obtriuit. Clausa etiam cœli beneficia ingrato populo, pij vates, &

Causa malorum praui sacerdotes.

sacerdotes (qui mandato Dei immortalis, patris indulgentissimi ad iustitiam, verumque cultum hortabantur) non solum non auditi, verùm crudeliter interempti sunt. Causa horum malorum non minima praui sacerdotes fuerunt, qui sub prætextu religionis populum fallebant, legem interpretando (quemadmodum & nostro æuo fieri solet) suis moribus aptam faciebant. Ad vltimum (plebes quæ ferè regenti similis est, capta in Medos Assyrios transmigrare iussa, pœnas contemptæ religionis dedit.

Sennacherib. Ezech. Rex Iudæ. Sennacher. occiditur.

Sennacheribus postea filius Salmanassaris regnum accipit, cuius Herodotus quoq; mentionem facit. Is odio prosequebatur Hebræos, contra Ezechiam Regem Iudæ, principem pientissimum arma mouet, Hierosolyma expugnaturus. At nocte vna in exercitu eius centum octoginta quinque millia hominum diuinitus extincta sunt. Ipse turpi fuga domum elapsus septimo regni anno in templo à propriis filiis trucidatur.

Assaradon.

Regnat deinceps Assaradon, qui & Assenaphar decem annos, in Samariam Medos, Babylonios misit, qui terram colerent, ne deserta, habitationique hominum minus idonea redderetur, fieretque latibula ferarum.

Merodachus.

Excipit Assaradonem Merodachus cognomento Baladan, tenuit regnum annos duos, & quinquaginta: ad Ezechiam superiorem cum muneribus legatos mittit exploratum, quidnam portentum sibi vellet, quod tum acciderat. Ezechias lætaliter ægrotabat, cui desperanti salutem, complorantique fatum suum Maiestas æterna quindecim annos adiecit.

Miraculum Dei.

Et diem præter naturæ legem, haud scio quot horis producit. Sed iussu autoris naturæ retrorsum Orientem versus tendens cursus iterat relictos, longissimum diem mortalibus ministrat. Id fama diuulgatum est, animaduersumue à Chaldæis.

Benmerodachus Rex. Manasses. Esaias serra necatur.

Annos deinde vnum & viginti præest Babyloniæ Benmerodachus. Is Manassen Regem Iudææ omnibus flagitiis, sceleribusque inquinatissimum (vt qui Esaiam Prophetam serra lignea consectum crudelissimè necauerit) vinctum Babylonem duxit: vbi eidem post tot aduersitates resipiscenti, & adfirmanti, profitentique, se non amplius peccaturum, supremus Deus pater indulgentissimus (qui purgari homines à peccatis maximè cupit) non solum veniam omnium criminum donauit, verùm rursus quoque ad Imperij culmen ipsum euexit: quo foret illustre diuinæ clementiæ monumentum.

Nabuchodonosar. Strab. l. 15. Nechao rex Ægypti. Iosias. Ioachaz. Iehoiakim. Heliakim. Heli. Ioakim Ioachim. Nabocodrosorus Magnus.

Benmerodacho succedit in Assyria annos quinque & triginta Nabocodrosorus (ita enim Strabo eum adpellat, qui sacris literis est Nabuchodonosar) contra quem Nechao Rex Ægypti vsque Euphratem arma mouet: & Iosiam religiosissimum Iudæ regem Babyloniis fœderatum, occurrentem hostiliter prælio occidit. Deinde Ioachaz filium Iosiæ, quem populus regem iusserat, vinctum cathenis in Ægyptũ deportat. Centum talentis Ægypti, & talento auri terram mulctat: quod tributum viritim exactum est, regnúmque vendidit fratri huius Iehoiakim, siue Heliakim. quem enim Hebræi Heliakim, Syri Heli, Ægypti Iehoiakim, vulgus Ioakim vocare solet. Verùm Rex Babylonius collectis copiis iuxta Euphratem Ægyptium cædit, fundit, regi Ægyptio maximam partem regni aufert: Palestinam deinde tributariam facit, victorque Babyloniam redit, regnum per manus filio tradidit: qui Nabocodrosorus Magnus adpellatur, Herculique à Chaldæis præfertur: potitus est rerum annos quinque, & quadraginta. Et Rex Iudeæ cum obedire detrectaret, ipse Palestinam inuadit, Hierosolyma expugnat Ioakim vinctum cathenis Babylonem missurus, mutato consilio, ante mœnia vrbis trucidat. Templi instrumenta, Gazam omnem domum defert, in fano suo Babylone

loca-

locauit. Interim Iehoiakim filius superioris Iehoiakim annos natus octodecim regnum inuadit Palestinæ, tenetque menses tres, dies decem. Babylonius enim rex octauo regni anno copias rursus aduersus Palestinam mittit, cœptaque est vrbs Hierosolyma obsideri, subsecutus est & Rex cum nouo milite: sed Iehoiakim consilium secutus Hieremiæ vatis diuini, cum matre, & purpuratis Ezechiele Propheta, cum famulitio vltro sese victori permittit, qui omnes relegati sunt, cum Gaza regia Babylonem, in carcereque seruati. Cæterum Nabocodrosorus Palestinæ regem dedit, Sedechiam filium Iosię patruum huius Iehoiachim, quem vulgus Ioachim vocat. Verùm Sedechias domum redeuntibus Assyriis, immemor beneficij, Hieremiæque legati Dei monita spernens Babylonio regi seruire recusat, ab eoque deficit. Nabocodrosorus vbi hoc accepit, continuò cum exercitu, hostilique animo in Iudęam proficiscitur, Hierosolyma biennio circumsidet, tandem expugnat, Sedechiam Regem luminibus priuat, Vrbem cum templo succendit, mænia dirui, solo æquari iubet, populus (præter paucos admodum vinitores, & agricolas, & quos fuga seruauit) captus abductus Babylonem in exilium impietatis pœnas graui seruitio pependit. Factum est id vndeuicesimo regni anno Nabocodrosori Magni. In Daniele Propheta, & Hieremia plura de hoc rege scripta offendes: me indicare huiusmodi satis superque est. Amilinus Euilomerodachus Nabocodrosoro parenti succedit. Primo regni anno Ioachimum è carcere eripit, in precióque habet, regiæ mensæ conuiuam adhibet: vitam proximam regiæ Maiestati degere permittit, eidem annonam, & vestimenta tribuit: Neri tum ei cognomen populus indidit, quod lucerna Dauidici generis, quæ videbatur extinguenda, in ipso reaccensa sit. Quamobrem hymnorum sacrorum carmen octauum & octogesimum factum est, gratiæ immortali Deo actæ, bonisque ominibus, & votis, precationibus etiam solennibus, celerior Mesiæ aduentus efflagitatus est. Discesit Amilinus regni anno tricesimo, tribus relictis filiis, qui Imperium tenuerunt annos non amplius quatuordecim. Primus Regassar nomine tres regnauit annos: alter Labassarodochus sex: Balthasar tertius quinque. Tum Cyrus & Darius annos natus sexaginta duos fratres, filij Asueri Histaspis Medi, deuicto Apanda (Græcis est Astiages) rege Medorum, & Balthasare hoc interempto Imperium ad Persas transferunt: regnum Medorum, & Babyloniorum soluunt, qua tempestate Romæ exacti reges sunt ob stuprum illatum Lucretiæ, Persarum Reges pro necesitate sacrarum literarum paucis commemorabo. Metasthenem Persam sequor, qui verisimè de his, tempore Alexandri Magni prodidit. Cyrus & Darius autores regni Persarum ex æquo regnarunt in Perside annos duodecim, Babyloniæ duos, mortuo tum Dario Cyrus solus annos duos & viginti. Ipsi primo anno, quo Babyloni im cæperunt, Hebræos, qui iam septuaginta annos exularant, publico edicto restituunt solo natali, templumque cælesti numini restaurari mandant: sumptus publicè à Regibus ex fisco præbiti. Iudæi igitur duce Barachia, quem Zorobabel vocant, soluta captiuitate in Palestinam læti migrant. Nec mora e vestigio aram, vbi sacrificarent æternæ Maiestati construunt. Cúmque iam anno altero fundamenta templi iecissent, opúsque surgeret, Darius Rex decedit. Finitimi ob gentile aduersus Iudæos odium, eos ab incepto vi prohibuere. Longius aberat Cyrus, quam vt adiri posset, subacta enim Asia & vniuerso Oriente in potestatem redacto, Scythis bellum intulerat. Erat autem eo tempore Scytharum Regina Thomyris, quæ non muliebriter aduentu hostium territa, cum prohibere eos finibus posset, vadum Araxis fluminis transire permisit. Itaque Cyrus traiectis copiis, cum aliquantisper in Scythiam processisset, castrametatus est. Deinde postera die cum simulato metu & refugiens, castra deseruisset, vinum affatim & ea quæ erant epulis necessaria reliquit. Quod cum nunciatum Reginæ esset, adolescentulum filium ad insequendum eum cum tertia parte copiarum mittit. Cum ventum ad castra Cyri esset, ignarus rei militaris adolescẽs, veluti ad epulas, non ad prælium venisset, omissis hostibus, insuetos Scythas vino se onerare patitur: priusq; Scythæ ebrietate quàm bello vincuntur. Nã cognitis his, Cyrus reuersus per noctem saucios opprimit, omnesque Scythas, cum Reginæ filio interfecit. Amisso tanto exercitu, & quod grauius dolendum, vnico filio Thomyris orbitatis dolore non lachrymas effundit, sed in vltionis solatia intendit, hostesque recenti victoria exultantes pari insidiarum fraude circumdedit. Quippe simulata diffidentia, propter vulnus acceptum, refugiens Cyrum adusque angustias perduxit. Ibi compositis in montibus insidiis ducenta millia Persarum, cum ipso rege trucidauit: in qua victoria etiam illud memorabile fuit, quòd ne nuncius quidem tantæ cladis superfuit. Caput Cyri amputatum, in vtrem humano sanguine repletum conici iubet, cum hac exprobratione crudelitatis, Satia te sanguine, inquit, quem sitisti. Cyrus regnauit annos sex, & triginta, non initio tantum regni, sed continuo totius temporis successu mirabilis: vt de quo veridici Dei immortalis interpretes longo antè tempore, adiecto etiam proprio nomine, vaticinati sunt.

Cyrum excepit nepos ex fratre Dario Asuerus Artaxerxes primus (in historia Iudithæ Nabuchodonosor cognominatur, Græcis est Cambises) eius regni anno primo præsides

Nebuchadonosor templo bis spoliat. Iehoiakim iunior. Hierosolyma obsidetur. Hieremias. Sedechias Rex. Sedechias oculis priuatur. Amilinus Euilomerodachus. Psal. 88. Regassar. Labassarodochus. Balthasar. Cyrus. Darius Asuerus Histaspis. Apandas qui & Astyages. Reges Roma exacti. Lucretia. Metasthenes. Persarũ regni autores. Iudæi captiuitate soluti. Barachia qui & Zorobabel. Iudæi templum ædificant. Cyrus bellũ Scythis infert. Thomyris. Araxis flu. Thomyris filius occiditur. Cyrus vincitur & occiditur. Artaxerxes qui & Cambises.

BIBLIOTECA ... ROMA

præsides Syriæ (ob antiquam cum Iudæis simultatem) grauiter Iudæos Epistola accusant perfidiæ, cædis, defectionis eosdem arguunt: quamobrem Iesus Pontifex (demandata filio Heliakim, qui & Iehoiakim interim prouincia pontificis) legatus crimina obiecta confutaturus Babylonem proficiscitur, ibi tum se Rex continebat: vlturusque cædem patrui meditabatur expeditionem aduersus Arpaxat, cuius fraude atque ope Cyrus perierat. Ipse quoque Medos, Persas, & Assirios occuparat. Cum itaque bellicis tumultibus Asuerus intentus esset, Iesus auditus non est. Victor tandem Asuerus, cum Holofernem ducem suum ab Hebræis trucidatum accepisset, vetuit publicè rescripto mœnia vrbis & templum extrui. Tum Ioakim pontifex absente parente res gestas Iudithæ memoriæ commendauit. Tenuit gubernacula Artaxerxes annos viginti. Ipsi succedit filius Darius annos septem & triginta, cum fratre Cyro Artabane ob regnum contendit: deinde ad arma ventum est, ibi victor Darius, non solum acta parentis rescidit: sed votis nuncupatis quoque ædificari templum publicè edicto præcepit. Anno regni eius primo Iesus pontifex redit. Altero deinde anno adhortantibus Aggeo, & Zacharia nunciis Dei Opt. Max. Hebræi templum construunt, quarto demum anno perficiunt. Darius tertius cognomine Nothus postea Persis imperat annos vndeuiginti. Græci haud scio quem sibi pro hoc Dario Xerxem fingant. Hic à patre acceptum regnum filio per manus dedit. Is est Asuerus Artaxerxes Magnus, Darius Menecon maritus Edissæ, quæ & Hester neptis Mardochei, qui vitæ annos centum nonaginta octo expleuit. A quo per Epistolam admonitus, rogatusque Ioakim pontifex rem gestam literis mandauit: Anniuersariumque sacrificium instituit. Septimo huius regni anno Esdras sacerdos armarium diuinæ legis Palestinam migrauit: Vicesimo deinde anno pocillator Regis Neëmias subsequitur, mœnibus Hierosolyma cingit. Regnauit Artaxerxes annos quinque & quinquaginta. Postea Artaxerxes Ochus filius Edissæ tenet regnum annos sex & viginti: eius filius Arses quatuor. Postremus apud Persas regnauit annos sex Darius quartus Arsami filius Codomanus ante dictus, præfectus Armeniorum, bellum cum Alexandro Magno diu variante fortuna, magna virtute gessit. Postremo victus ab Alexandro, à cognatis occisus insidiis: vitam pariter cum regno Persarum finiuit, quod annos duntaxat (vt sunt omnia humana caduca) tres supra trecentos mansit: quemadmodum Arabarzanes quoque apud Q. Curtium, Alexandro literis aperuit. Sed longius ab incepto studium & necessitas sacræ historiæ nos traxit. Nunc ad Europam, Germanosque reuertar, si prius admodum pauca de Imperio Macedonum, quod & Græcorum vocari solet, attigero. Alexander ille Magnus Imperij Græcorum author, puer acerrimi ingenij, literarum studiis eruditus fuit, exacta pueritia per quinquennium sub Aristotele doctore inclyto omnium Philosophorum creuit. Accepto deinde Imperio Regem se terrarum omnium, & mundi appellari iussit. Annos natus viginti, cum triginta duobus peditum millibus, equitum quatuor Asiam Persarumque regnum inuadit: Hac tam parua manu, vniuersum terrarum orbem, vtrum sit admirabilius, vicerit, an aggressus fuerit, incertum est. Cum ad tam periculosum bellum, exercitum legeret, non iuuenes robustos, nec primo flore ætatis, sed veteranos, plerosque etiam emeritæ militiæ, qui cum patre, patruisque militauerant, elegit, non tam milites, quàm magistros militiæ electos putares. Ordines quoque nemo nisi sexagenarius duxit: vt si principia castrorum cerneres, Senatum te alicuius priscæ Reipub. videre diceres. Illius amici eius virtutis erant, ac venerationis, vt singulos Reges putares. Quippe ea pulchritudo & proceritas corporis & virtutum, & sapientiæ magnitudo in omnibus fuit, vt qui eos ignoraret, non ex vna gente, sed ex toto terrarum orbe electos iudicares: nec vlla gens vnquam tam clarorum virorum prouentu floruit, quos primum Philippus pater, mox Alexander tanta cura legerat: vt non tam ad societatem belli, quàm in successionem regni electi viderentur. Quis igitur miretur talibus ministris, Orbem terrarum victum? Sed vt breui hos imperiũ coaluit, ita breui collapsum est. Cum Alexandro maiestas eius orta, cum eo pariter occidit. Ipse enim sublato hoste (vt sunt animi hominum nimia fælicitate mersi, impotentes sui) successu rerum elatus, impatiensque tantæ fortunæ, vt Deus adorari voluit. Nec iracundiæ, nec voluptatibus temperare potuit: inter epulas ebrius suorum se sanguine aspersit: quorum ope potissimum vicerat, trucidauit crudelissimè. Duodecimo tandẽ regni anno, insidiis petitus à suis, qui eius crudelitatem latius serpere metuebant, veneno in ipso flore ætatis Babylone extinctus. Duces Alexandri declarato fratre eius Philippo Rege, primo specie alieni Imperij procurandi ingentia inuadunt regna (sed aduersus immodicas cupiditates nullus stat terminus, & difficile est eo contentum esse, quod offert occasio, sordent prima, cum maiora sperantur) interfectis Alexandri vxoribus, liberis, matre, omnibus denique, quicunque Alexandrum etiam longinqua cognatione contigerant: reges se à populo appellari iubent, ita ex vno Imperio quatuor confecere regna, Asiæ, Syriæ, Macedoniæ, Ægypti. Quodque Imperium sub vno stare potuisset, dum à pluribus sustinetur, corruit. Ipsi denuo in semetipsos arma vertunt, & cum ciuilibus bellis vires suas,

seque

Iesus pontifex. Iehoiakim.
Arpaxat.
Iudithæ historiæ autor.
Darius.
Cyrus Artabanes.
Aggæus, Zacharias.
Darius Nothus.
Asuerus Artaxerxes.
Darius Menecon. Edissa quæ & Hester.
Hester historiæ author.
Esdras.
Neemias.
Artaxerxes Ochus.
Arses Rex.
Darius quartus.
Codomanus.
Alex. Mag.
Darius vincitur.
Arabarzanes.
Monarchia tertia.
Aristoteles.
Disciplinæ militaris exemplum.
Philippus Alex. pater.
Alex. Mag. mores.
Philippus frater Alex. Rex eligitur

seque confecissent, facilem præbuere victoriam Romanis. Qui Regibus captis, trucidatis, pulsis, eorum regna in formam prouinciarum redegerunt. Paulus Æmilius Macedoniam, vno die duabus, & septuaginta vrbibus direptis, ac venditis. L. Cornelius Scipio Asiaticus Asiam: Cn. Pom. Magnus Syriam: Imperator Cæsar Augustus Ægyptum Romano subiecit Imperio. Hæ nunc regiones omnes Turcarum seruiunt Imperatori, non sine maxima Christianorum principum infamia, iacturaque Reipub. Christianæ: pudet, pigetque dicere, quàm degeneres simus. Nos pessima, atque diuersa inter se vitia, luxuria, atque auaritia pessundant. Maiores nostri (apud quos pluris ferrum, quàm aurum erat) lacte, & caseo, auenæ pulte, parco ac parabili victu contenti, pellibus ferarum, & rhenonibus (quæ venatio subministrabat) vestiti, Darium opulentissimum Persarum Regem (qui Græciam debellauit, Macedoniam domuit, Iolas nauali prælio superauit) turpi ex Germania submouere fuga: ipse enim Germanorum Orientalium (quos Scythas & Getas vocare solent) regi Landino nomine bellum intulit. Huius filiam Darius in matrimonium petierat. Landinus Persæ adfinitatem, amicitiamque spreuit. Darius ita se contemni non æquo ferens animo, ponte Danubium committit, armatis septingentis millibus hominum Daciam, qui nunc Septem castrensis tractus appellatus est. Non facientibus hostibus pugnæ potestatem, sero animaduertit interrupto ponte Histri, reditum sibi intercludi posse. Insidias igitur metuens, amissis nonaginta millibus hominum, trepide refugit, quæ iactura abundante multitudine inter damna numerata non est. Regnante deinde apud Persas Artaxerxe Magno, marito Edissæ, quæ & Hester, Germani seu ex veteri & antiquo gentis instituto, seu abundante domi multitudine, cum eos non caperent terræ, quæ genuerant, trecenta millia hominum ad sedes nouas quærendas velut peregrinatum miserunt. Alij scribunt latrocinandi studio, alienaque rapiendi, more prisco, cæteris contemptis, patrios deseruisse penates. Sunt qui tradant ab vltimis terrarum oris, cum omnia cingerentur Oceano, ingenti agmine profectos, cum iam media vastassent. Ex iis portio, duce Brenno filio Regis Angilorum (Sueuorum natio est) in Italia fauentibus (qui ante Alpes transgressi erant) Germanis consedit: quæ & Vrbem Romam captam incendit: quemadmodum mox enarrabimus. Et portio Illyricos sinus per strages Barbarorum penetrauit, & in Pannonia consedit: ibi domitis Pannoniis per multos annos cum finitimis bella gessit. At in Italia M. Cæditius de plebe, nunciauit Tribunis, se noctis silentio audisse vocem clariorem humana, quæ Magistratibus dici iuberet, Gallos (hoc est albos) & Teutonas, atque Germanos aduentare: Id (vt fit) propter autoris humilitatem spretum est, & quod longinqua tum, eoque ignotior gens erat. Brennus Sueuorum Regulus, legatos ad Dionysium Siciliæ Regem (qui tum aduersus Græcos eam partem Italiæ incolentes, quæ tum Magna Græcia dicebatur, vbi est Tarentum oppidum, bellum gerebat) mittit, societatem ac amicitiam petitum: gentem suam inter hostes eius positam esse, magno vsui ei futuram, vel in acie bellanti, vel de tergo intentis in prælium hostibus, aperuit. Grata legatio Dionysio fuit. Ita pacta societate, & Teutonum auxilio auctus, bellum velut ex integro restaurat. Germani quoque eius societate freti, Ethruscorum oppida, quæ nondum expugnarant, sibi deposcunt, belloque lacessunt. Boij, qui ante ducentos annos in Italiam transcenderant, cum Senonibus (quos fuisse Sueuos inter illustres constat authores: & etiam nunc apud nos carminibus antiquis canitur) Melpum Vrbem opulentia præcipuam, euertunt, atque delent, author est Cornelius Nepos. Brennus deinde Clusium obsidet, auxilio fuisse Boios Sueuis ex Plinio existimare licet. Romani tum Imperij radices Tiberino agro, Latioque antiquo millibus passuum quinquaginta finiebantur. Vicinæ Vrbes, velut æmulæ, vltro etiam bello lacessebant. Clusini nouo, & incognito hoste exterriti legatos Romam, qui auxilium à Senatu peterent, miserunt. De auxilio nihil impetratum. legati tres missi, qui Senatus & populi nomine agerent cum Germanis, ne socios populi Romani, atque amicos, à quibus nullam iniuriam accepissent, oppugnarent, Romanis eos bello quoque, si res cogat, tuendos esse. Legatis in concilio Germanorum respondetur: Qui nam gentium sint Romani, nescimus: nec quicquam nobis cum ipsis rei est, Clusini partem agri, quem latius possident, quàm colant, concedant, aliter pax impetrari non potest. Suscipientibus deinceps Romanis, atque quærentibus, quid nam Germanis in Italia omnino rei, & quod nam ius id esset, agro possessores spoliare. Accensis inde vtrinque animis, primò ad iurgium ventum est, mox prælium conseritur. Legati quoque contra ius gentium arma capiunt, & fortiter ante signa Clusinorum pugnant. Quod vbi Germani agnouere, signo dato, per totam aciem receptui canunt. Omissa inde ira aduersus Clusinos, in Romanos belli studium conuertunt. Erant qui extemplò Romam eundum censerent. Vicit seniorum sententia. Legati prius mittuntur questum iniurias, postulatumque, vt pro iure gentium violato, legati dederentur. Vbi mandata popularium Germani exposuerunt, Senatus

P. Æmili. L. Corn. Scipio. Imp. Cæs. August.

Darius Rex Persarum.

Germani Orientales qui. Landinus Rex.

Darius aduersus Germanos exercitum parat.

Iterum egressa ex Germania.

Germanorum transmigratio.

Brennus.

Germani in Pannonia considunt.

M. Cæditius.

Boij.

Melpum delent Boij. Clusium.

Romani Imperij radices

Senatus cognitionem de postulatis ad populum reiicit. Vbi plus gratia, ac opes valuerunt, vltro honos habitus violatoribus iuris humani, Magistratus delati, ne dum multa indiceretur. Ipsi Tribuni militum consulari potestate creati sunt, tantum abfuit, vt dederentur, aut de eorum pœna ageretur. Infensi Germani bellum propalam minitantes, ad

Galli Senones Romam petunt. Alliensis cōflictus.

suos redeunt, confestim citato agmine Romam versus tendunt. Vrbes alias raptim prætereuntes omnia tumultu complent. Romam se ire magno clamore significant. Fit fuga agrestium. Romani fama, nunciisque Clusinorum, aliorumque populorum exciti, ad vndecimum lapidem ab vrbe iuxta Alliam flumen hostibus occurrunt. Brennus Regulus Sueuorum, omissa multitudine, quæ in æquo campi consederat, in subsidiarios, qui editum locum occuparant, impetum dat. Parum per illos tutatus est locus. Vbi loco pulsi, continuò omnes terga vertunt, fit fuga passim, pauci Romam, pars maxima Veios

Romanorū fuga.

perfugit. In turba impedientium fugam, qui ad ripam Tiberis abiectis armis defugerant, magna strages facta: multos imperitos nandi, aut inualidos, hausere gurgites. Erat inter viam Salariam & Tiberim lucus permagnus, plerique victi ac fugientes è prælio se

Lucaria festa.

occultauerunt ibidem: vbi & quotannis festa in hoc luco posthac celebrant, lucariaque vocabant. Germani tam repentina victoria præter spem potiti, haud multo ante Solis occasum ad Vrbem Romam perueniunt. Vbi cum Equites progreßi, non portas clausas, non stationem pro portis excubare, non armatos esse in muris retulissent, noctem, insidiasque, & ignotæ situm vrbis veriti, extra Vrbem consederunt. Romæ vbi hostes adesse nūciatum est, qui tum ibi erant totam Vrbem lamentis implent, rati reliquos omneis cæsos esse. Iuuentus armata in arcem fugit. Cæteri qui inutiles bello, ex vrbe cum liberis, vxoribus effusi, per agros dilabuntur, vrbesque petunt finitimas: sacra in doliolis condita, Flamines ac Vestales virgines sacello defodiunt, cum cæteris quæ ferre poterant, ex vrbe excedunt. Turba seniorum, qui amplißimis vsi erant honoribus, domos regressa, insignibus magistratuum, cultuque fortunæ priscæ amplißimo, in medio ædium, sellis ebur-

Senones Romā ingreßi.

neis sedens, hostium aduentum expectabat. Senones postero die apertam Vrbem inuadunt, primoque trepidabant, ne qui subesset dolus. Mox vbi solitudinem vident, Vrbem patente porta ingrediuntur, in forumque perueniunt acie instructa. Solitudine absterriti, suspectis locis præsidia collocant, ne quis in dißipatos impetus fieret. Cæteri dilapsi ad prædam patentes paßim domos adeunt, ubi sedentes in sellis senes Augusto ornatu, habituque veluti simulachra Deorum venerabundi intuentur. Vnus ex senibus in caput Sueui barbam suam (vt tum omnibus promissa erat) permulcentis scipionem eburneum impegit: ab eo initium cædis ortum, omnes cæteri quoque in suis sedibus trucidantur. Tecta deinde diripiunt Germani, exhaustis faces admouent, totam Vrbem igne, fer-

Capitolium obsidetur. Venus Calua

ro vastant: sex menses circa arcem hærent, obseßi in Capitolio Romani ex mulierum capillis tormenta faciunt, inde ædem Veneri Caluæ consecrarunt. Panis iactatus in Germanorum castra, vt desperarent inopia subigi posse Romanos. Pestilentia enim famesque obsessos pariter & obsidentes vrgebat: induciæ factę, obsidio soluta est. Mille pondo auri

Camillus Senones cædit, & Romā liberat. Titus Liuius de Vrbe cond. cap. 13. Roma capta quando. Manlius Torquatus. M. Val. Coruinus.

Romani redimunt pacem: inter accipiendum aurum Camillus collectis profugis ex prælio Romanis, Germanos imparatos, inopinatosque, & nihil mali suspicantes facile cecidit. Fugientibus, ne desperantibus rediret in præcordia virtus, non solum via data sed & nauigia permissa, quibus Tiberim transirent, & commeatus, ita censente Senatu, præbiti sunt. Capta Roma est quartodecimo, Calendas Augusti, ab V.C. anno supra trecentesimum quarto & sexagesimo. Hunc diem Roma fastis mandauit, aterque decreto pontificum iudicatus est. Cum reliquiis & aliis Italiam incolentibus subinde pugnatum est. Manlium Torquatum, M. Valerium Coruinum, aliosque Romanos duces cum his bellasse in Annalibus inuenio. Complura prælia tumultuaria latrocinantium more fuerūt. Ipsi enim ingenti sæpius precio mercedeque conducti ab Ethruscis, Vmbris, aliisque Italiæ populis infestis Romæ velut in ceruicibus positæ, Romanum peruaserunt agrum. Cum sæpe alias, tum eo anno, quo Q. Fabius Maximus, quintum, P. Decius, quartum Coss. fuerunt, Teutonici tumultus præcipuus terror ciuitatem tenuit: Imperatoresque

Galli Senones aduersus Romanos mercede conducti. Clusiū Carmas dictum. Scipio. Legio Romana à Gallis cæsa. Decius. L. Cæl. in prætextatis. Philippus Macedoniæ Rex.

bello ambo delecti, Senones Sueui multitudine ingenti, rursus ad Clusium (quod Carmas olim appellabant) venerunt, legionem Romanam, castraque oppugnatum. Scipio qui castris præerat, loco adiuuandam paucitatem suorum militum ratus, in collem, qui intra Vrbem & castra erat, aciem erexit: sed ut in re solita, parum explorato itinere ad iugum perrexit, quod hostes ceperant, parte alia aggreßi: ita cæsa à tergo legio, atque in medio, cum hostis vndique vrgeret, circumuenta: deletam legionem, ita vt nuncius non superesset, quidam authores sunt. Nec ante ad Consules, qui iam haud procul a Clusio aberāt, eius cladis fama perlata est, quam in conspectu fuere Teutonici equites: pectoribus equorum (qui mos adhuc est Orientalium Germanorum) suspensa gestantes capita, & lanceis infixa. Congreßi cum duobus Coss. cum equitatum Romanum in fugam vertissent, Decium deuotum Diis Manibus occidunt: superstitione magis deinde, quàm virtute victi sunt. Iidem paruo pòst tempore, cum ipsis populus Romanus bellum ob violatos lega-

tos in-

tos indixiſſet, L. Cœlium prætorem cum legionibus profligarunt. Hæc ad Occidentem, & Meridiem tum geſta, in Oriente, & Aquilonis in ora, non minor tumultus fuit Philippus Macedonum Rex, pater Alexandri Magni, poſteaquam multis vrbibus direptis, Græciam domuerat, finitimos in poteſtatem redegerat, in eam Magnæ Germaniæ partem, quæ Hiſtro, Pontóque contermina eſt, Danubio traiecto, prædandi cauſa proficiſcitur, more negociantium impenſas belli alio bello refecturus. Mathæas qui eo tempore erat Rex harum regionum, cum copiis occurrit. Cumque ſui virtute, ac animo præſtarent, aſtutia Philippi vincuntur. Capta pecoris magna vis, & viginti millia puerorum ac fœminarū, auri, argentique nihil. Sed reuertentem Philippum accolæ Hiſtri armis excipiunt. Philippus ita in femore vulneratus eſt, vt per corpus eius equus interficeretur, cum omnes occiſum putarent, præda amiſſa eſt. Nec impunè nos Philippi filius Alexander magnus laceſſiuit. Nam Zopyrion præfectus Ponti ab ipſo relictus, ocioſum ſe ratus, ſi nihil ipſe geſſiſſet, adunato triginta millium exercitu, maioribus noſtris bellum intulit. Cæſus cum omnibus copiis, pœnas temere illati belli genti innoxiæ luit. Ea quoque tempeſtate Germanos in Aſia militaſſe, præter famam vulgatiſsimam, antiqua carmina, domeſtica videlicet teſtimonia, autorem habeo Q. Curtium, qui inter auxilia Darij Regis Perſarū (quem variæ gentes ne ſociis ſatis quidem notæ ſequebantur) Sueuos connumerat. Canitur apud nos Alexandrum Aſia perdomita in Europam arma conuertere decreuiſſe, miſiſſeque ad Germanos, finitimóſque quendam ex amicis, qui denunciaret ne Tanaim atque Hiſtrum amnes iniuſſu Regis tranſirent: à latrociniis ſe continerent. Maiores noſtri militiæ factis magni, ad verborum, linguæque certamina rudes, gladium Alexandro miſere per legatos, quos conuiuio adhibitos cum Alexander, quid nam maximè timerent, ratus ſe dicturos, interrogaret: Nihil aliud Rex præſtantiſsime (inquiunt) quàm ne cœlum in nos corruat. Adfuerunt & Germanorum Orientalium (quos Sarmatas, & Scythas ſcriptores rerum, nos Venedos, ipſi ſe Sclauos vocant) oratores, hos ita locutos accepimus: Si Deus auiditati tuæ par corpus dediſſet, orbis terrarum te non caperet, altera manu Orientem, altera Occidentem contingeres. Et hoc aſſecutus ſcire velles, vbi ſolis fulgor abſconderetur. Sic quoque concupiſcis quæ non capis, ab Europa petis Aſiam, ex Aſia tranſis in Europam. Deinde ſi humanum genus omne ſuperaueris, cum ſyluis, & niuibus, & fluminibus, feriſque beſtiis bellum geſturus es. Arbores magnæ, quæ diu quidem creſcunt, vna hora extirpantur: Leo quoque minimarum auium pabulum eſt, & ferrum rubigo conſumit. Nihil tam firmum eſt, cui periculum non ſit etiam ab inualido. Quid nobis tecum eſt? nunquam terram tuam attigimus, qui ſis, vnde venias, licet ne ignorare in vaſtis ſyluis, paludibúſque viuentibus? Nec ſeruire vlli poſſumus, nec imperare deſideramus. Gloriaris te ad latrones perſequendos venire, omnium gentium quas adiſti, latro es. Iam etiam ad pecora noſtra auaras, & inſtabiles manus porrigis. Impone fœlicitati tuæ frenos, facilius eam reges: ſi Deus es, tribuere mortalibus beneficia debes, non ſua eripere: ſi autem homo es, id quod es, ſemper eſſe te, cogita. Nos Aſiæ, & Europæ cuſtodes habes: vtrique imperio tuo finitimos, hoſtes an amicos velis eſſe conſidera. Contra Rex fortuna ſua, & conſiliis ſuorum ſe vſurum eſſe reſpondit: nam & fortunam cui confidat, & conſilium ſuadentium ne quid temere, aut audacter faciat, ſe ſecuturum. Ita dimiſsis oratoribus Tanaim traiicit, ibi more veterum ducum aram, atque columnam in terminis poſuit, meminit Ptolomæus. Inde Alexandria in ripa Tanais condita, in Aſiam reuertitur: ſatis & ad gloriam, & vtilitatem perfectum ratus, Germanos vlteriores laceſſere declinauit. Alexander popularibus noſtris etiam imperitis notior eſt, quàm ſui reges, & Imperatores: quorum ne nomina quidam norunt. Saxones, & Sueui tum ſe ſtipendia feciſſe prædicant. Noricos, Boióſque eidem bellum indixiſſe antiquis canitur carminibus. Poſt mortem eius magna hominum vis, ſeu inopia agri, ſeu ſpe prædæ Germania, Pannoniaque migrarunt. Hortante deinde ſucceſſu, diuiſis agminibus alij Macedoniam patriam Alexandri Magni duce Belgio: Alij Græciam ducibus Brennone, Euridano, & Theſſalono: Pars Thraciam viginti millia hominum, cum Lomnorio, & Luthario Regulis, ferro omnia proterens, petiuit. Circa Hemum caſtra locant, contra Caſſandrum, & Lyſimachum Reges Macedonum, cum valli gratia ſyluas cæcidiſſent, fontes nati ſunt deciſa ſylua, quos arborum alimenta conſumebant. Dromichetes quoque Getarum Rex Lyſimachum regem viuum capit inferentem ſibi bellum: oſtendens ei inopiam ſuorum, liberum dimiſit: admonens opulenti populi ducem ſtolidè aduerſus inopes occupaſſe bellum: quòd magis domi illi timendum ſit: quod belli certamen anceps, præmia victoriæ nulla, damna manifeſta: cum diuite in hoſte plura concupiſcenda, vltro magis prodituros obuiam: proinde inquit, ne talibus bellum inferas, ſed potius amicis vtere. Tantus deinde Germanici nominis terror erat, vt etiam reges non laceſsiti, vltro pacem ingenti pecunia mercarentur. Solus Rex Macedoniæ Ptolomæus Ceraunos, frater Ptolomæi Philadelphi Regis Ægypti, aduentum horum intrepidus audiuit, iiſque cum paucis occurrit. Belgius igitur ad tentandos Macedonum animos, legatos ad Ptolomæum mittit, offerens

Mathæas Germaniæ Rex.
Philippus vulneratur.
Alex. Mag. Zopyrion.
Germani in Aſia militant.
Sueui in Darij exercitu.
Alex. Mag. legatio ad Germanos.
Germani facti magni.
Arrianus de rebus geſtis Alex.
Germanorū ad Alexādri rogata, reſponſio.
Germanorū inſolentia in reſpondendo & interrogando.
Ara Alexādri.
Alexādria.
Saxones. Sueui.
Belgius. Brenno. Euridanus. Theſſalonus.
Lomnorius.
Germani aduerſus Lyſimachum & Caſſandrum.
Dromichetes.
Lyſimachus capitur.
Belli certamen anceps.
Reges multi à Germanis pacem emūt.

Ptolomæus Ceraunos. Belgius.

offerens pacem, si emere velit. Sed Ptolomæus inter suos belli metu pacem Germanos petere gloriatus: nec minus ferociter se legatis, quam inter amicos iactauit. Alter se pacem daturum negando, nisi principes suos obsides dederint. Non enim fidem, nisi inermibus habiturum, milites se habere, filios eorum, qui sub Alexandro rege stipendia toto orbe terrarum victores fecerint. Renunciata legatione risere Germani, vndique acclamantes breui sensurum, sibi, an illi consulentes pacem obtulerint. Interiectis diebus prælium conseritur, victi Macedones cæduntur, Ptolomæus multis vulneribus saucius capitur, caput eius amputatur, & lancea fixum tota acie ad terrorem hostium circumfertur: paucos ex Macedonibus fuga seruauit: cæteri aut capti, aut occisi. Hæc cum nunciata per omnem Macedoniam essent, portæ Vrbium clauduntur, luctu omnia replentur. Desperantibus omnibus, Sosthenes vnus de Macedonum principibus, contracta iuuentute, & Germanos exultantes victoria compescuit, & Macedoniam ab hostili depopulatione defendit. Interea Brennus, quo duce portio Germanorum in Græciam se effuderat, audita victoria suorum, qui Belgio duce Macedonas vicerant, indignatus parta victoria, opimam prædam, & Orientis spoliis onustam, tam facile relictam esse, centum quinquaginta millibus peditū, & quindecim millibus equitum in Macedoniam irrupit. Cum agros, villasque depopularentur, occurrit ei cum instructo exercitu Macedonum Sosthenes. Sed vincuntur Macedones, intra murósque se condunt. Victor Brenno, qui & Brennus, nemine prohibente, totius Macedoniæ agros deprædatur. Inde animum ad delubra auro, argentóque ornata conuertit, dictitans aurum esse offensam religionis, locupletesque deos nullis opibus egere: vt qui eas largiri hominibus soleant. Statim igitur Delphos vertit iter. Vbi templum tum Apollinis erat positum in monte, rupe vndique impendente, orbi terrarum celebratissimum, locupletissimúmque. Vbi & oracula edebantur, responsa ab insanis Vatibus dabantur consulentibus. Ciuitatem ibi fecerat hominum frequentia, qui vndique concurrebant. Multa ibi & opulenta regum, populorum que munera. Igitur Brennus cum in conspectu haberet templum, diu deliberauit, an confestim rem adgrederetur, an verò fessis de via militibus noctis spacium ad resumendas vires daret. Euridanus & Thessalonus duces, qui se ad prædę societatem iunxerant, amputari moras iubent, dum imparati hostes, & recens suus aduentus terrori esset. Interiecta nocte, & animos hostibus, forsitan & auxilia accessura, & vias quæ nunc pateant, obstructum iri. Sed vulgus inconditum, ex longa inopia attenuatum, vbi primum vino, cæterisque commeatibus referta rura inuenit, non minus abundantia, quàm victoria lætum per agros se sparserat, desertisque signis ad occupanda omnia, pro victoribus vagabantur. Prius itaque suam Vrbem Delphi viribus sociorum permaniuere, quam hostes vino velut prædæ incubantes ad signa reuocarentur. Habebat Brennus lecta ex omni exercitu peditum quinque & sexaginta millia: Delphorum & sociorum non nisi quatuor erant millia. Quorum contemptu Brennus ad acuendos suorum animos prædę vbertatem omnibus ostendebat: statuasque cum quadrigis, quorum ingens copia procul videbatur, solido auro fusas esse, plusque in pondere, quàm in specie habere prædæ, adfirmabat. Hac asseueratione incitati Germani, simul & hesterno mero saucij, sine respectu periculorum in bellum ruebant. Contra Delphi plus in Apolline Deo suo, quàm in viribus spem ponentes, cum contemptu hostium resistebant: scandentésq; Germanos è summo montis vertice, partim saxis, partim armis obruebant. In hoc partium certamine, repente vniuersorum templorum antistites, simul & ipsi Vates cum insignibus & infulis, pauidi vecordiæ suæ in primam pugnantium aciem procurrunt. Aduenisse Deum clamant: eumque se vidisse desilientem in templum per culminis aperta fastigia: dum omnes opem Dei suppliciter implorant, iuuenem supra humanum modum insignis pulchritudinis, comitesq; ei duas armatas Virgines, ex propinquis duabus Dianæ, Mineruæq; ędibus occurrisse. Nec oculis tantum hæc se perspexisse, audisse etiam stridorē arcus, ac strepitum armorum. Proinde ne cunctarentur Dus antesignanis hostem cædere, & victoriæ Deorum socios se adiungere, summis obsecrationibus monebant. Quibus vocibus incensi omnes certatim in prælium prosiliunt. Terræ motu mox (seu natura seu præstigiis malorum geniorum id factum) portio montis abrupta, Germanorum strauit exercitum, & confertissimi cuncti hostium, non sine vulneribus dissipati ruebant. Insequuta deinde tempestas est, quæ grandine, & fulgure saucios ex vulneribus absumpsit. Dux ipse Brennus, cum dolorem vulnerum ferre non posset, pugione vitam finiuit. Hæc Græci scriptores de Brenno. An verò hæc sint commenta sacerdotum, insanorumque Vatum, & fallacissimorum spirituum præstigiæ, inaniaque terriculamenta, haud facile dixerim. Maiores nostri inter cæteros heroas Germaniæ Brennum antiquis celebrant carminibus: Sueuum fuisse, victoria & præda potitum traditur. Commilitones quidem eius (quod sanè constat) onusti auro & argento, per eadem vestigia, qua venerant, domum repetiuere. Pars Euridano duce ad confluentem Saui amnis sedes ceperunt, Scordisci posthac appellati sunt. Thessalonus verò non cum mediocri populo prædæ dulcedine Illyricum repetiuit:

Macedones victi. Ptol. Ceraunos captus occiditur. Sosthenes defendit Macedoniā. Brennus in Macedoniā irrupit. Macedones a Brenno victi. Templū Apollinis apud Delphos. Euridanus. Thessalonus. Apollo Delphis auxilio venit. Brennus semet interfecit. Euridanus ad Sauum venit & sedes occupat Scordiscis. Thessalonus vbi sederit.

periuit: spoliatisque Histris, in Pannoniæ atque Norici confinio consedit. De bello superiore Brenni ita Propertius scribit:

Torrida sacrilegum testantur lumina Brennum,
Dum petit intonsi Pythia templa Dei.
At mons laurigero concussus vertice, duras
Gallica Parnassi sparsit in arma niues.

Peditum verò quindecim millia, equitũ tria, qui (cum Brennus proficisceretur in Græciam) ad terminos gentis tenendos relicti fuerant, ne soli desides viderentur, fugatis Getarum, Triballorumque copiis, Macedoniæ imminentes ad Regem Antigonum (qui Ptolomæo, Sosthenique successerat) legatos mittunt, qui pacem venalem offerrent, simul & regis castra specularentur. Quos Antigonus pro regali munificentia, ingenti apparatu ad cœnam inuitauit. Sed Germani expositum grande auri, argentique pondus admirantes: atque prædæ vbertate sollicitati, infestiores quam venerant, reuertuntur. Quibus Elephantes, velut inusitatas ipsis formas Rex ostendi iusserat, naues onustas copiis demonstrari: ignarus, quod quibus ostentatione virium metum se iniicere existimabat, eorum animos, vt ad opimam prædam sollicitabat. Itaque Legati ad suos reuersi, omnia in maius extollentes, opes pariter, & negligentiam regis ostendunt: referta auro, & argento castra esse: & neque vallo, fossaue munita, & quasi satis munimenti in diuitiis haberent, ita eos omnia officia militaria intermisisse: prorsus quasi ferri auxilio non indigerent: quoniam abundarent auro. Hac relatione animi satis ad prædam incitabantur. Accedebat cum exemplum Belgij, qui non magno antè tempore Macedonum exercitum cum rege trucidauerat. Itaque consentientibus omnibus, nocte castra Regis aggrediuntur, qui præsentiens tantam tempestatem, signum pridie dederat suis, vt omnibus rebus ablatis, in proximam syluam taciti se occultarent. Neque aliter seruata castra, quam deserta sunt. Siquidem Germani, vbi omnia vacantia, nec sine defensoribus modò, verum etiam sine custodibus vident, non fugam hostium, sed dolum arbitrantes, diu intrare portas timuerunt. Ad postremum integris & intactis munimentis scrutantes potius, quàm diripientes castra occupauerunt. Tunc ablatis quæ inuenerant, ad littus couertuntur: ibi dum naues incautius diripiunt, à remigibus, & ab exercitus parte, quæ eò cum liberis & coniugibus confugerat, nihil tale metuentes trucidantur.

Antigonus Rex.

Germanorũ legatio ad Antigonũ.

Belgius.

At Lomnorius, quem Strabo Leonorium nominat, & Lutharius tertij agminis reguli (quos suprà commemoraui) in Thraciam iter auertunt. Ibi cum resistentibus pugnando, pacem petentibus stipendium imponendo, Byzantium (quæ nunc Constantinopolis est) perueniunt: eam omnem oram vectigalem faciunt: Vrbes regionis eius obtinent, & aliquandiu possederunt. Cupido deinde eos in Asiam transeundi capit, cum audissent ex propinquo, quanta vbertas terræ eius esset. Lysimacha vrbe capta, Cherroneso omni armis possessa, ad Hellespontum descenderunt: ibi cum exiguo freto diuisam cernerent Asiam, multo magis animis incenduntur. Nuncios itaque ad Antipatrum præfectum de transitu mittunt. Quæ res cum lentius spe ipsorum protraheretur, inter Regulos seditio orta est. Lomnorius retro, vnde venerat, cum maiore parte hominum repetit Byzantium. Lutharius Macedonibus (quos Antipater per speciem legationis ad speculandum miserat) duas tectas naues, & tres lembos adimit, his alios, atque alios, dies noctesq; transuehendo intra paucos dies omnes copias traiecit. Haud ita multo post Lomnorius quoque Nicomede Rege Bithyniæ adiuuante, à Byzantio transmisit. Ex Europa itaq; transgressi coëunt in vnum rursus Reguli, copiasque iungunt. Primo Ilium (quam Troiam vulgo dicunt) occupant, ibi se munire decreuerant. Verum cum sine mœnibus esset, relinquunt. Deinde Nicomedi, qui aduersus Zybœam, partem tenentem Bithyniæ bellum gerebat, auxilia ferunt. Eorum opera deuictus Zybœa est, Bithyniaque omnis in ditionem Nicomedis decessit: cum quo Germani diuisere regnum. Profecti subinde ex Bithynia in Asiam processerunt: non plus ex viginti millibus hominum, quam decem armata manu erant: tamen tantum terrorem omnibus gentibus iniecerunt, vt quas adissent quas non adissent, imperio parerent, tributa penderent. Proinde stipendia ipsi ex tota Asia cis Taurum monte exigebant. Denique neque Reges Orientis sine mercenario eorum exercitu, vlla bella gesserunt: neque pulsi regno ad alios quàm ipsos confugerunt. Tantus terror Germanici nominis, siue armorum inuicta felicitas fuit, vt aliter neque maiestatem suam tutam, neque amissam recuperare se posse sine Teutonica virtute arbitrarentur. Teutonumque ea tempestate tantæ fœcunditatis iuuentus fuit, vt Asiam omnem velut examine aliquo implerent. Itaque (vt iam dixi) à rege Bithyniæ in auxilium inuocati, regnum cum eo parta victoria diuiserunt, ad Halim amnem consederunt, eam regionem Galatiam, Gallogræciamque authores rerum nominant, quos Germanos fuisse, suprà ex D. Hieronymo docui. Nam & corpora procera, promissæ, & rutilatæ comæ (quales Cn. Manlius Cos. apud T. Liuium refert) non aliam regionem, quam Germaniam indicant, quæ tum quoque Gallia dicta fuit. Video & à tempestatis nostræ scriptoribus Carolos, Lotharios,

Strabo li. 12.
Lutharius.
Byzantium Germani occupant.
Lysimacha capta.
Germani ad Antipatrũ nuncios mittunt.
Seditio inter Germanorũ regulos.
Nicomedes Rex Bithyniæ.
Troiã Germani occupant.
Zybœa.
Germani Asiam tributariam fecerunt.
Strabo li. 12.
Galatia.
Gallogræcia.
Germania dicta Gallia olim.

Galli qui dicantur.

Lotharios, Ludouicos, Carolomanos, Arionulphos, Godofridos, Baldouinos. Flandros, Brabantinos, reliquos Belgas, cum Germani sint, appellari tamen Gallos. De Galatis superioribus Claudianus Poëta, qui plurima de nobis scripsit, ita canit:

Nuper ab Oceano Gallorum exercitus ingens,
Illis, ante vagus, tandem regionibus hæsit,
Pro Rheno poturus Halim, &c.

Hæc omnia ex lib. 18. Pisinus, alij Tesinus. Tauium. Tarentum. Pyrrhus. Romani quando trans Apenninum arma tulerint. Romani contra Boios. M. Claudius Cos. Viridomarus à Romanis cæsus.

Ad hos D. Paulus scribit. Peculiaria gentis nomina Tholistobogi, quorum caput Pisinus, Voturi, Ambiati, Tectosages, Ancyra ciuitas, Teutobodiaci, Trogini, siue Trocini, quorum est Tauium. Sed ad Europam, Italiamque rursus redeo. Post Tarentum, Pyrrhum Regem, Carthaginenseſque primo bello deuictos, subacta iam Italia, trans Apenninum primum promota sunt arma Romana: plurima deinde bella Romano populo cum Boiis, sociisque eorum fuere: plures de ipsis Triumphi, quàm de toto orbe terrarum acti sunt, donec Boij, qui amplissimi erant, eiecti sunt, socij eorum deleti. Ante bellum igitur Punicum secundum M. Claudius Cos. primus Romanorum cum exercitu Apenninum montem, Padumque amnem transcendit: cum Boiis & sociis eorum manus conseruit, eos aliquot præliis egregiè fudit, ad pacis demum conditiones coëgit. Nam Viridomarum Regem illorum, sua manu occidit, tertia post Romulum opima spolia, quæ dux duci detraxit, retulit. de hac victoria Propertius hæc fecit carmina:

Claudius à Rheno traiectos arcuit hostes,
Belgica cum vasti parma relata ducis.
Virdomari genus hic Rheno iactabat ab ipso Nobilis, &c.

Placentia. Cremona.

In agro illorum Coloniæ deductæ sunt Placentia & Cremona, velut claustra ad eorum tumultus opposita, Romano Colono oppletæ sunt. Missus quotannis ab vrbe prætor cum exercitu, qui illos in officio, fideque contineret, ceruicibusque ipsorum immineret. Histriam quoque tum & Illyricos subiecere Romani. Non longo pòst deinde tempore Hannibal dux Carthaginensium, grauiter Italiam armis premit: ad Trasimenum lacum Germanis acerrimè pro Romanis pugnantibus, deductis ordinibus facit abeundi potestatem, abeuntes sine suorum sanguine sternit. Deinde Romanum militem graui prælio ad vicum Cannas fudit. Eodem anno noua clade adfecta est Roma, alia super aliam cumulante in eum annum fortuna. L. Posthumius prætor consul absens tertium, cum Tito Sempronio Gracho creatus, cum exercitu à Boiis deletus est. Sylua erat circa Mutinam vasta (Litanam vocabant) qua exercitum traducturus erat, eius syluæ dextra, læuaque circa viam Boij arbores ita inciderunt, vt immotæ starent, momento leui impulsæ occiderēt. Legiones duas habebat Posthumius, sociūmque à supero mari conscripserat tantum, vt quinque & viginti millia armatorum in agros hostium induxisset. Boij oras extremæ syluæ cum circumsedissent: vbi intrauit agmen saltum, extremas arborū succisarum impellunt, alia in aliam instabilem per se, ac malè hærentem incidentes, ancipiti strage arma, viros, equos obruerunt, vt vix decem homines effugerent. Nam cum exanimati plerique essent arborum truncis, fragmentisque armorum, cæteram quoque multitudinem inopinato malo trepidam, Boij saltum omnem circumsedentes interfecerunt: paucis è tanto numero captis, qui fluminis pontem petentes, obsesso ante ab hostibus ponte, interclusi sunt. Ibi Posthumius omni vi ne caperetur reluctans, occubuit, spolia corporis, caputque ducis præcisum Boij ouantes, templo, quod sanctissimum apud eos erat, intulerunt. Purgato inde capite (vt mos tum erat Germaniæ, quemadmodum & Plinius & Paulus Ticinensis produnt) caluam auro cælauerunt. Idque sacrum erat, quo solennibus libarent: poculumque idem sacerdotis esse, ac templi Antistitis. Vidi ego nostrates ex ossibus capitum humanorum bibere, diuorūmque capitibus pro pateris vti. Præda haud minor, quàm victoria Boiis fuit. Hac clade nunciata Romæ, in maximo pauore per multos dies Vrbs fuit: bellum id eo anno omissum, quamquam ita stimularet, de hoste Hannibale consultatum est. Quo superato, legati Placentinorū, Cremonensiumq́; Romę conqueruntur, ab accolis Boiis agrum suum incursari, & vastari, magnam partem Colonorum dilapsam esse, & frequentes se Vrbes, agrum vastatum ac desertum habere. Cn. Seruilius Cos. contra Boios mittitur, sed nulla re memorabili gesta, patre Cn. Seruilio Triumuiro agrario, & C. Lutatio patruo ex seruitute post sextumdecimum annū, receptis, qui ad vicum Canetum circa Mutinam capti fuerant. Hinc patre, illinc patruo latere circumdatus, priuato magis, quàm publico decore Romam rediit. Facta deinde pace cum Carthaginensibus, P. Ælius Cos. cum audisset à Boiis incursationes in agros sociorum factas, duabus legionibus tumultus eius causa scriptis, additisque ad eas quattuor cohortibus de exercitu suo, C. Appium præfectum sociorum, tumultuaria hac manu, agrum Boiorum inuadere iussit: ipse eodem aperto itinere per montes duxit. Appius ingressus hostium fines, primo populationes satis prosperè ac tutò fecit: delecto inde ad castrum Mutilum satis idoneo loco, ad demetenda frumenta (iam enim maturæ erant segetes) profectus, neque explorato circa loco, nec stationibus satis firmis (quæ inermes, ac operi intentos tuerentur) positis,

Livius li. 3. dec. 3. Boij. Posthumius occiditur. Germanorum mos vetus.

Histria. Illyrici. Hannibal. Trasimenus lacus. Cannæ. L. Posthumius. T. Semp. Grachus. Mutina. Litana sylua, an der Leitten.

Cn. Seruilius. C. Lutatius. Canet. vicus. P. Ælius.

C. Appius. Mutilum castrum. [illegible]

positis, improuiso impetu Boiorum cum frumentatoribus est circumuentus. Inde pauor, fuga etiam armatos cœpit: ad septem millia hominum palantia per segetes sunt cæsa, inter quos ipse C. Appius præfectus, cæteri in castra metu propulsi, inde sine certo duce, consensu militari, proxima nocte, relicta magna parte rerum suarum, ad Consulem per saltus prope inuios peruenere: qui (nisi quod populatus est Boiorum fines, & cum Liguribus fœdus icit) nihil quod esset memorabile aliud in prouincia cum gessisset, Romam rediit. Continuò deinde Boij cum sociis Placentiam, ceruicibus suis impositam, de improuiso inuadunt, capiunt, diripiunt, ac magna ex parte incensa, vix duobus millibus hominum inter incendia ruinásque relictis, traiecto Pado, ad Cremonam diripiendam pergunt. Vicinæ Vrbis audita clades spatium Colonis dedit ad claudendas portas, præsidiáque per muros disponenda, vt obsiderentur tamen prius, quàm expugnarentur, nunciósque ad populum Romanum mitterent. L. Furius Purpurio, qui tum prouinciæ præerat circa Ariminum, consulari exercitu, & sociali auxilio cum Boiis obsidentibus Cremonam, pugnam conseruit. Ancipiti prælio exceptus ædem Ioui vouit, si eo die hostes fudisset. Tandem cum vtrinque diu fortiter pugnatum esset, iam huc, iam illuc inclinante fortuna, cæsi sunt tres Imperatores nobiles Boiorum. Ipsi Boij in fugam versi, castris exuti sunt. Læta victoria Romæ fuit literis allata, supplicatio in triduum decreta, Furius de Boiis triumphauit. Deinde Cn. Cornelius Cethegus, & Q. Minutius Ruffus Cos. in agrum Boiorum legiones ducunt, Iunoni in foro olitorio ædem vouent, si potiantur victoria: effusis populationibus peragrant fines hostium. Boij ob sociorum defectionem fracti animis, pugnam detrectant, relictis castris dilapsi, dissipati per vicos sunt, vt sua quisque defenderet. In sequenti anno L. Valerius Cos. circa Litanam syluam Boios fundit. Idem sub sequenti anno proconsul circa Mediolanũ cum Boiis, & sociis eorũ, Dorulaco ipsorum Imperatore, signis collatis, pugnat: aliquot millia hostium cæsa sunt. Eodem anno (deuicto iam Philippo Rege Macedoniæ) florentissimis cum rebus Imperij, & augescentibus annis fortuna, victis potentissimis regibus, & Imperatoribus T. Sempronius Cos. in Boiorum agrum legiones ducit, Boiorum res tum Dorulacus Regulus eorum, cum duobus fratribus Britomaro, & Ariouisto gerebat, tota gente cócitata ad rebellandum, castra locis apertis posuit, dimicaturus cum Consule. Qui vbi, quantæ copiæ, quanta fiducia esset hosti sensit, ad Cornelium Scipionem Aphricanum (qui Hannibalem vicerat) collegam nuncium mittit, vti maturaret venire, se tergiuersando in aduentum eius rem extracturum. Contra Boij vbi consilium Romani Consulis intellexerunt, maturandum rati priusquam coniũgerentur consulum copiæ, per biduum steterunt parati ad pugnam, si hostis contra egrederetur. Tertia die vi vallum, castra ab omni parte aggressi sunt. Consul iubet efferre Romanos signa, sed in ipso exitu ita conferti stetere Boij, vt clauderent viam. Diu in angustiis pugnatum est, obnitebantur Romani, vt signa foras efferrent: vrgebant corporibus, scutis Boij, vt aut ipsi castra penetrarent, aut exire Romanos prohiberent. Quorum duo inde primipili centuriones, signa adempta signiferis in hostes iecerunt. Dum milites repetunt enixè signum, erupere secundana porta commilitones. Iamque hi extra vallum pugnabant, alia ex parte Boij in portam Quæstoriam irruperant, L. Posthumium Quæstorem, duos præfectos, & ducentos fermè milites resistentes pertinacius occiderant, captáque ab ea parte castra erant: sed ab aliis Romanis Boij, qui intra vallum erant, partim occisi, partim eiecti sunt. Tandem & Romani alij erupere castris: ita simul tria prælia circa castra locis distantibus erant. vsque ad meridiem æquis viribus pugnatum. Labor & æstus emollida & fluida corpora Boiorum, & minimè patientia sitis, decedere pugna coëgit. In paucos restantes impetum faciunt Romani, fusósque compellunt in castra. Signum receptui à consule datum: ad quod maior pars receperunt se. Pars certaminis studio, & spe potiundi castris hostium perstitit ad vallum. Boij erumpunt ex castris, fusi deinde Romani, qui imperio Consulis parere noluerant. Ita varia hinc atque illinc, nunc victoria, nunc fuga fuit. Boij sese receperunt in intima finium: Consul Placentiam legiones duxit. Scipio alio exercitu iuncto cum collega per Boiorum agros populantes eunt, quoad syluæ paludésque passæ sunt. Post hæc L. Cornelius Merula Cos. M. Marcellus, & T. Sempronius viri Consulares in Boiorum fines arma mouent, pugnatum diu vtrinque varia fortuna, donec sol ingenti ardore torrebat minimè patientia æstus corpora Boiorum. Boij inde licet diu obstabant, demum terga dederunt, in fuga multi perierunt. Deinde L. Quintius Cn. Domitius Ænobarbus Coss. Boiorum agros duobus agminibus rursus vastant. Equites pauci cum præfectis, deinde vniuersus senatus, postremò, quibus aut fortuna aliqua, aut dignitas erat, ad mille, ad Coss. transfugerunt. Ad vltimum dum M. Attilius Glabrio cum Antiocho Magno Rege Syriæ, & Asiæ (qui Dacos, & Getas Germaniæ magnæ populos auxiliares habuit) bellum gerit. P. Cornelius Nasica, vir optimus à Senatu iudicatus, Coss. in agrum Boiorum legiones induxit, cum Boiorum exercitu signis collatis prosperè pugnauit: Boios acie vicit, castris exuit. Cum tot millibus Boiorum, nemo Imperatorum ante Scipioné hunc conflixit. Ingens

C. Appius occiditur.

Placentia à Boiis capta.

L. Furius Purpurio.

Furius de Boiis triumphat.

Cn. Corn. Cethegus.

Q. Minutius Ruffus.

L. Valerius.

Dorulacus.

T. Sempronius.

Britomarus.

Ariouistus.

Corn. Scipio Aphricanus.

L. Cor. Merula.

M. Marcellus.

T. Sẽpronius

L. Quintius.

Cn. Dom. Ænobarbus.

M. Attilius Glabrio.

Antiochus.

P. Cor. Nasica.

bellum, magna victoria fuit, castra capta sunt. Boij post eam pugnam extemplo, nempe biduo dediderunt se: obsides dati à Boiis futuræ pacis signum. In deditionem itaque accepti, agri parte ferè dimidia multati sunt, quò si vellet populus Romanus Colonias deduceret. Supplicatio eius victoriæ caussa decreta à senatu, victimæque maiores cæsæ: Scipio de Boiis ingenti apparatu triumphauit. Nec sic quidem pax diuturna, legati Placentinorum & Cremonensium Romam veniunt, in Senatu quæruntur inopiam colonorum, tædio accolarum Boiorum ipsas reliquisse Colonias, placuit omnino finibus,

Boii ex Italia ad Noricos & Tauriscos migrant.

Italiaque depellere Boios. Boij aleam belli tentare amplius detrectantes, cedendum fortunæ victoris gentium populi rati, ad Tauriscos, Noricosque, & vsque ad Histrum amnem, qui & Danubius, demigrant: inter amnes Danubium, & Draum occidentem versus sedes capiunt, & omnem agrum, qui ad Illyricum pertinet, pascendis iumentis, pecoribusque idoneam occuparunt, vbi nunc pars Austriæ Vngariæque est. Bellum deinde contra Dacos, qui alteram ripam Danubij tum incolebant, gesserunt. ita apud Strabonem, & in domesticis libris inuenio. Tenuere Italiam annos quadringentos.

Boiorum sedes primæ, vbi nunc Austria pa.

Boii quam diu in Italia.

Gallia Togata.

Post eiectos Boios in eorum regionem Coloniæ à Romanis deducuntur, Gallia Togata posthæc dicta est, quæ Ptolomæo subiacet montibus Apennini, vsque ad Rauennam, & Rubiconem producta.

L. Valerius Flaccus. M. Atilius Sarranus. L. Valerius Tappo. Mutina. Parma. Aquileia.

Tertio itaque Calendas Ianuarias Bononiam, Latinam Coloniam ex Senatus Consulto L. Valerius Flaccus, M. Attilius Sarranus, L. Valerius Tappo Triumuiri deduxerunt, tria millia hominum sunt deducta, Equitibus septuagena iugera, cæteris Colonis quinquagena sunt data. Ager captus de Boiis, quorum Bononia fuerat. Boij Tuscos expulerant. Mutina quoque ac Parma Coloniæ Romanorum ciuium deductæ sunt. Bina millia hominum in agrum, qui proximè Boiorum, ante Tuscorum fuerat: Octena iugera Parmæ, quina Mutinæ acceperunt. Diuiserunt agros tres viri M. Æmilius Lepidus, T. Ebutius Carus, L. Quintius Crispinus. Aquileia quoque Latina Colonia deducta est in agro Boiorum: tria millia peditum, quibus data quingena iugera, centurionibus centena. Centena quadragena Equites receperunt. Deductæ sunt & aliæ complures,

Rauenna.

sicuti Rauenna, Ariminum, Pisaurum: quæ si quis cognoscere velit, rerum scriptores euoluat. Nos breuitati suscepti operis satisfecimus. Refert Strabo in Tauriscis & Noricis ea tempestate

Aurariæ repertæ.

Aurarias haud procul Aquileia repertas, altitudine a solo duos duntaxat pedes: Aurumque fossile inuentum in modum fabæ, partim purum, partim decoquendam octaua parte. Itali adiuuabant Noricos, sed vbi in Italia triente carius vendi aurum Norici acceperunt, eiectis Italis soli vendiderunt. Eodem tempore post Antiochum Magnum

Cn. Manlius Volsco.

deuictum Cn. Manlius Volsco cum Germanis Asiam incolentibus (quos Galatas, Gallogræcosque vocant) quod inter auxilia Antiochi fuerant, bellum gessit, duobus prælijs fusos, fugatósque ad pacis conditiones pepulit: denunciatum est, vt agrorum suorū terminis se continerent: moré vagandi cum armis finirent: pacem seruarent cum finitimis, cæterùm liberi suis legibus viuerent. Negatus tamen est victori Triumphus, quia caussam belli non adprobauit Senatus. Hic Manlius primus omni genere licentiæ corrupit milites, luxuriæ peregrinæ origo ab exercitu Asiatico in vrbem inuecta est.

Respub. Romana sancta. Respub. Ro. mutatio.

Hactenus populus Romanus parsimoniæ, paupertatis amator, Respublica magna, sancta, bonis exemplis diues, nullus opibus, nullus pecuniæ honos fuit. Labente deinde paulatim disciplina, crescentibusque vitiis cum magnitudine Imperij auaritia, luxuria, studium pecuniæ, lætalis ambitus cum intestinis seditionibus immigrarunt. Iusticia, fides cum sociis omnia venalia cœpta haberi: Respublica bellis socialibus, seruilibus, gladiatoriis conflictata est. Cum Germanis breuis sane, & ad colligendum spiritum, requies secuta est.

Cæcilius Metellus. Cn. Papirius Carbo.

Anno ab V. C. sexcentesimo, quadragesimo Cæcilio Metello, & Cn. Papirio Carbone Coss. armorum crepitus, & tubæ sonitus auditus e cœlo futuras portendit calamitates. Ab eo enim tempore horribili Marte vlularunt Cimbri, Teutones, Ambrones cum Regibus suis Celeo. Teutobocho, Boiorix transcendentes Rhenum multis mox cladibus Romanorum, suisque nobiles.

Germaniæ Magnæ populi.

Germaniæ Magnæ hi populi qui ab Oceano Germanico ex suis regionibus (quas nunc Saxones, Daniqque incolunt) in Illyricum prouinciam Romanam, seu spe prædæ, seu inopia, egestateque agri cum copiis profecti fuerant, irruptum in Italiam. Miscescentia hic alpium iuga, facilem in Italiam aditum præbent.

Cn. Papirius Carbo Cos.

Cn. Papirius Carbo Cos. ne quid Respublica detrimenti pateretur, cum armis, hostes aditu Italiæ prohibiturus, circa Noreiam Vrbem supra Aquileiam Coloniam Romanam, occurrit, signis collatis re infecta discedit. Germani vexato Illyrico. Consulem iterum aleam belli, haud auspicato tentare cogunt. Ipsum cum exercitu fundunt, trucidant, delent. Deinde haud scio, quam ob caussam ad Heluetios, plurimo quidem auro locupletes, verùm in pace vitam agentes, iter fecerunt.

Heluetij Galliam occupant.

Heluetij cum viderent Cimbrorum opes præda partas, longè suis maiores esse, Cimbris, Teutonisque, maximè Tigurini sollicitati ab ipsis, sese coniungunt. Coniunctis itaque viribus totam Galliam occupant, atque depopulantur. Transgressi Pyreneos montes Hispaniam

niam inuadunt, magna illata calamitate, pulsi inde à Celtiberis in Gallias remigrarunt. Circa flumen Rhenum impedimenta, quæ secum agere ac portare non poterant, deponunt: aliquot millia hominum ex suis custodiæ ac præsidio relinquunt. Hi post aliorum abitum à finitimis agitati, cum alias bellum inferrent, alias illatum defenderent, consensu eorum omnium pace facta, intra Mosam, Oceanumque sibi locum domicilio delegerunt: condideréque Aduaticos & Neruios. Vltro in affectatione Germanicæ originis (vt ait Cornelius Tacitus) ambitiosos, nunc Brabantinos, Flandrosque nominamus. Cæterùm Cimbri, Teutones, Ambrones, & Tigurini Diuicone principe, cum omnem Galliam occupassent, in Prouinciam exire, atque inde in Italiam contendere parabant. In prouinciam igitur Romanorum rectà tendunt: iter inde in Italiam facturi. Quacunque ibant laté, longeque omnia deuastabant. Lucium Cassium Cos. in finibus Allobrogum, Sabaudienses sunt, cum exercitu cædunt. L. Pisonem legatum auum L. Pisonis, soceri Iulij Cæsaris, eodem prælio interficit. Milites qui ex clade superer ant obsidibus datis, & dimidia rerum omnium parte vt incolumes dimitterentur pacti, sub iugum missi sunt. Mox Germani ad M. Iunium Syllanum alterum Consulem in castra legatos mittunt. Inde ad Senatum, petentes vt populus Romanus aliquid sibi agrorum terræúe daret, quasi stipendium: cæterum, vt vellet manibus atque armis suis vteretur. Senatus negauit. Repulsi igitur quod nequiuerant precibus, armis petere constituunt. Syllanum aggressi in fugam vertunt, castris exuunt, cum exercitu cædunt. Inde Aurelius Scaurus Legatus Cos. haud secundiore fortuna confligit, fuso eius exercitu ipse captus est: & cum in consilium ab hostibus euocatus, deterreret eos, ne alpes transirent Italiam petituri, eo quod diceret Romanos minimè vinci posse, a Bolo rege feroci iuuene occisus est. Eodem fato à M. Manlio, Q. Seruilio Cepione proconsulibus malè pugnatum est: victi prælio, fugati, binis castris exuti sunt: octoginta millia Romanorum cæsa sunt, calonum & lixarum quadraginta. Germani itaque (sicuti est apud Tacitum) ea tempestate, Carbone, & Cassio, & Scauro Aurelio, & Seruilio Cæpione, M. quoque Manlio fugatis & captis, quinque simul consulares exercitus populo Rom. abstulerunt. quo metu omnis Italia contremuit. Vouit Victor gentium populus ludos Ioui Opt. Max. si Rempublicam in meliorem statum vertisset.

Aduatici.
Neruij.
Diuico Germanorum princeps.
L. Cassius.
L. Piso.
M. Iunius Syllanus.
Aur. Scaurus capitur.
Bolus Rex Scaurum occidit.
M. Manlius.
Q. Seruil. Cepio Germani quinque exercitus Consulares Ro. abstulerunt.

Actum erat de Imperio, nisi C. Marius illi sæculo contigisset. Is cum bellum prospere gerebat in Aphrica aduersus Iugurtham regem Numidarum. Absens contra legem, maiorúmque instituta Consul factus: eique decretum bellum Germanicum. Ea tempestate spes, atque opes Vrbis in illo sitæ. Ipse ergo Marius cum Quinto Catulo Cos. non ausus congredi statim, militem tenuit in castris, donec inuictus ille ardor, & impetus consenesceret. Ad explorandam quoque Gallorum, & Ligurum fidem, literas eis mittit binas Consul, quarum primæ prohiberent, ne interiores, quæ signatæ erant, ante certum tempus aperirent. Eas ante diem præfinitum repetit, reseratas reperit, hostilia agi intellexit. Germani cunctationem Marij metum interpretantes, tripartito agmine fiducia vrbis potiundæ per alpes, id est, claustra Italiæ feruntur. Habebant Romani pro portento alpes ab ipsis exuperatas, quemadmodum antea ab Hannibale Teutones, & Ambrones alpes emensi, summa vi castra Marij oppugnant: summa vi à Mario defenduntur. Lucius Marius Romanus Teutono prouocanti ad singulare certamen: respondit, si cupidus mortis esset, laqueo eum posse vitam finire. Cumque demonstraret gladiatorem contemptæ staturæ, & propè exactæ ætatis, dixit: si eum superasset, continuò cum victore congressurum. Marius deinde ne hostium copiæ coniungerentur, occupatis compendiis, velocitate præuenit: priores Teutonas sub ipsis alpium radicibus assequutus in loco Saluiorum, quem Aquas Sextias vocant, vbi pugnaturus postero die, Marcellum cum parua manu Equitum, peditumque noctu post terga hostium misit. Et ad implendam iusti equitatus speciem agasones, lixas armatos simul ire iussit, & iumentorum magnam partem instratorum centunculis: qui, cum mane prælium iniretur, in terga hostium irruerunt. Ita Marius duobus prælijs victos oppressit, in fugam vertit. Metatores Marij per imprudentiam ita castris locum ceperant, vt Germani vallem tenerent, Romanis nulla aquarum copia esset. Flagitante aquam exercitu, Viri (inquit Marius) estis, en illic habetis: itaque tanto ardore pugnatum est, eaque cædes fuit, vt flumen cruore flueret. Reliquias Teutonum, quia nox circumuenerat, circumsedens Marius, sublatis subinde clamoribus per paucos suorum territauit, insomnem hostem detinuit. Ex eo consequutus, vt postera die irrequietum facilius debellaret.

C. Marius.
Iugurtha Rex Numidiæ.
Q. Catulus.
Germani per alpes transeunt in Italiam.
Germani castra Marij oppugnant.
L. Marius.
Aquæ Sextiæ.
Marij victoria contra Germanos.

Teutobochus Rex, quaternos, senosque transilire solitus, proximo in saltu comprehensus insigne spectaculum fuit. Quippe vir proceritatis eximiæ, super trophæa ipsa eminebat. Sublatis Teutonis, & Ambronibus, in Cimbros conuertitur. Hi repulso, fugatoque ab Alpibus, Q. Luctatio Catulo proconsule, qui fauces alpium insederat, & ad flumen Athesim castellum editum reliquerat. Ipse à Cimbris pulsus cum vnam spem

Teutobochus Rex.
Q. L. Catulus.

salutis haberet, si flumen transisset, cuius ripam hostes tenebant. In proximo monte copias ostendit, tanquàm castra positurus, præcepitque suis, ne sarcinas soluerent, aut onera deponerent: ne quis ab ordinibus, aut signis discederet. Et quò magis persuasionem hostium confirmaret, pauca tabernacula in conspectu erigi iussit, ignes fieri, vallum quosdam struere: quosdam lignatum ire, vt conspicerentur. Cimbri ista verè existimantes agi, ipsi etiam castris delegerunt locum: dispersi in proximos agros ad comparanda necessaria mansuris, dederunt Catulo occasionem traiiciendi fluminis. Fugientem igitur proconsulem, exercitumque per hyemem Tridentinis iugis in Italiam prosecuti, traiiciunt. Si statim infesto agmine Vrbem petiissent, grande discrimen fuisset. C. Marius, & Q. Catulus coniunctis exercitibus cum soli, cœlique clementia robur hostium elanguisset, eos vini dulcedine mitigatos, dolo in tempore aggrediuntur.

Fuluius.

Fuluius collatis cum hoste castris, Equites suos iussit succedere ad munitiones eorum. Lacessitis hostibus, simulata fuga, recessit. aliquot dies id facit. Auide insequentibus Cimbris, animaduertit castra eorum nudari per partem exercitus, consuetudine custodita post castra hostium consedit, atque cœpit deserta castra. Diem deinde pugnæ à Mario petunt Cimbri: ille proximum dat, additque virtuti dolum. Primum namque diem nebulosum nactus, hosti inopinatus occurrit: tum ventosum quoque, puluis in oculos & ora hostium ferebatur. Tum acie conuersa in Orientem, ex splendore galearum, ac repercusso quasi ardere cœlum visum est.

Marii cum Cimbris pugna.

Scribunt alij Marium constituta die pugnaturum, firmatum cibo militem ante castra collocasse, vt per aliquantulum spacij, quo hostes aberant, exercitus potius hostium labore de via profligaretur: fatigationi deinde eorum aliud incommodum addidisse, ordinata acie suorum vt aduerso Sole, vento, puluere hostium occuparetur exercitus.

Cimbri victi. *Vxores Cimbrorum, fortiter pugnant.*

Cimbri itaque, & Teutones fusi, deletique sunt. Nec minor cum, vxoribus eorum pugna, quam cum ipsis fuit, cum obiectis vndique plaustris, atque carpentis, altè desuper, quasi de turribus, lanceis, contisque pugnarent. Desperata tandem salute, suffocatis, elisisque passim infantibus, suis, aut mutuis concidere vulneribus, aut vinculo è crinibus suis facto, ab arboribus, iugisque plaustrorum pependerunt. Canes quoque Cimbros defenderunt, cæsis dominis eorum plaustris impositi.

Celeus Rex.

Celeus Rex in acie dimicans impigre, nec inultus occubuit.

Tertia Tigurinorum manus, quæ quasi in subsidio Noricos insederat alpium tumulos, in diuersa lapsi fuga ignobili, & latrociniis euanuit eodem momento. Hunc tam lætum, tamque felicem libertatis Italiæ, adsertique Imperij nuncium (autores sunt Plinius, & L. Florus) per Deos Castorem & Pollucem datis Prætori literis populus Romanus accepit.

Castor & Pollux. *Ostentum de victoria Ro. contra Cimbros.*

Factum hoc quoque, bellis illis populi Romani Quiritibus ostentum. Nuceriæ in luco Iunonis Vlmus, posteaquàm ei cacumen amputatum erat, quoniam in aram ipsam procumbebat, restituta est sponte, ita vt protinus floreret. A quo deinde tempore Maiestas populi Romani resurrexit, quæ ante vastata cladibus fuerat. Illique & deinde vsque ad nostram memoriam (inquit Salustius) Romani sic habuere, alia omnia virtuti suæ prona esse, cum Germanis pro salute, non pro gloria certare. Marius totius consensu ciuitatis summo honore receptus est: pro duobus Triumphis, qui offerebantur, vno contentus fuit. Nobilitas quoque, quæ nouo homini (vt fit) inuidebat, veritate coacta est fateri, conseruatam ab eo Rempublicam. Vix horum bellorum cruoribus expiatis, vncta arma erant.

Mithridates.

Mithridates Magnus Rex Ponti intonuit, duarum & viginti gentium Rex, totidem linguis iura dixit, pro concione singulos sine interprete affatus est. Maximus sua ætate Regum, in reliqua ingenij magnitudine, Medicinę peculiariter curiosus: ab hominibus subiectis, qui fuere pars magna terrarum, singula exquirens, quid quæque radix polleret, ad quos vsus herbarum folia pertinerent: Scrinium commentationum harum, & exemplaria, & effectus in arcanis suis reliquit.

Mithridates medicina, in deliciis.

Pompeius Regia præda potitus, transferre e sermone Romano, Libertum suum Leneum Grammaticæ artis doctissimum iussit.

Leneus Grammaticus libertus Pompeii.

Hic igitur de quo dixi, Mithridates, velut turbo Septentrionem Orientemque inuoluit arma aduersus Romanos. Ad Sarmatas, Germanosque legatos mittit, variis beneficiorum muneribus illicit, Arsacem Regem Parthorum ad belli societatem inuitat, ad auxilium ferendum cohortatur: ad opprimendumque Romanos, gentium latrones, hostesque regum concitat. Tigranem quoque Regem Armeniæ & Syriæ sibi coniungit.

Arsaces Rex Parthorum. *Tigranes.*

Sic excitatis omnibus in bella Romana descendit. Tanta eius magnitudo fuit, vt non sui tantum temporis Reges, verum etiam superioris ætatis vicerit. Bella cum Romanis per sex, & quadraginta annos varia fortuna gessit. Cum summis Imperatoribus res illi fuit, Sylla, Lucullo, Pompeio Magno: Asiam occupauit, iussu eius quicquid ciuium Romanorum in Asia fuit, vno die trucidatum est. Aquilio duci capto aurum in os infudit, Græciam, Athenas cœpit: ita victus, vt maior clariorque resurgeret: instaurando prælio, damnisque suis terribilior redderetur.

Aquilius. *Mithridates.* *Græciam & Athenas cepit.*

Denique ad postremum non vi hostili victus, sed voluntaria morte, in auito regno, senex hærede filio decessit. Dum hæc in Asia geruntur, & Græcia, Germani, & Galli feruili tumultu Granico duce Italiá correptis armis vastant. CL. Pul-

Bellum Gladiatorum. *Granicus Dux CL.*

Pulchrum, P. Vorenum prælio vincunt: domiti tandem sunt à M. Crasso. Quoniam ad Armeniæ mentionem venimus, origo eius altius repetenda est. Nam eam nostratibus vulgo notam esse (vt in qua reparatum sit genus humanum post illam aquarum cladem decantatissimã) reperio. Armenia duplex est, maior, & minor: hæc cis Euphratem est, ad septentrionem, Occidentemque, Cappadociam, ad Austrum vero Ciliciam spectat. Vrbes in ea Nicopolis (vbi Pharnaces filius superioris Mithridatis Romanas adflixit copias) Claudiopolis, Iuliopolis. Maior trans Euphratem ponticas gentes Medos, Assyrios, Mesopotamiam contingit: ciuitates Artaxata, caput gentis, Tigranocerta, Sagalbina in ripa Araxis fluminis, vbi Noas habitauit. In ea sunt montes Gordei, in quorum verticibus Nauis, qua vectus Noas, recubuit. Paruit Armenia Regibus Assyriorum, Persarum, deinde Macedonum. Victo verò Antiocho Magno à Romanis, peculiares cœpit habere reges. Regnarunt ibi Araxias, & Radriadas: post hunc Tigranes, quem primo Lucullus, deinde Pompeius deuicit captis Artaxatis. Eidem Syriam ademit: in Armenia supplicem regnare permisit. Tigranocerta Tigranes condidit: reliquit duos filios Tigranem, & Artabazum, quem vt proditorem M. Antonius Triumuir occidit. Imperat. Cæsar Augustus Armeniam in formam prouinciæ redegit. Dati tamen à Romanis aliquando reges fuerunt. Pompeius (vnde digressus sum) Asiam extremam prouinciarum tum Romani Imperij mediam fecit, tanta felicitas vnius hominis valuit. Interim ad septentrionem Rex Germaniæ Ariouistus (cuius vxor soror erat Voccionis Regis Noricorum) cum copiis Rhenum in Gallias transit. Galli semel atque iterum armis contendunt, pulsique magnam calamitatem acceperunt: omnem nobilitatem, omnem senatum amiserunt: fracti præliis, calamitatibus, obsides dederunt. Centum viginti millia Germanorum in Gallias traducta sunt: agrique inter ipsos distributi sunt. Boiorum quoque (qui trans Rhenum incoluerant, inquit Cæsar, & in agrum Noricum transierant, Noreiamque oppugnarant) triginta millia Rege Numeio ad Heluetios vicinos, & consanguineos suos, vtramque Rheni ripam longè lateque incolentes, pergunt. Nunc ea loca tenent Suitenses, Brisacij, Elisacij, & huiusmodi gentes, quę inter Rhenum, Moënúmque amnes domicilia habent (Ptolomæum, Tacitúmque sequor) inter quas, & accolæ syluæ Nigræ, quam & Ptolomæus, & Cæsar Heluetiorum cognominant, magno errore illorum, qui eam Bacenim crediderunt, quum hæc Sueuos, ac Cheruscos pro natiuo muro diuidat, ambæque gentes accolæ Albis fluminis fuerint: autores Claudianum, Lucanúmq; in tanta testium copia citasse sufficiat, quorum prior ita refert.

Pulchr. P. Vorenus. M. Crassus. Armeniæ descriptio. Armenia duplex. Nicopolis. Claudiopolis. Iuliopolis. Artaxata. Tigranocerta. Sagalbina. Noas. Gordei montes. Artaxias. Radriadas. Tigranes. Tigranes alter. Artabazus. Armenia prouincia Rom. facta. Ariouistus Voccio. Galli pulsi à Germanis. Germani in Gallias traducti. Suitenses. Brisacij. Elisacij. Sueuorum antiqua sedes.

Ingentesq́; Albim liquere Cherusci,
Alterius versus hij sunt.
Fundit ab extremo flauos Aquilone Sueuos.
Albis.

Sed cœptam rem prosequar. Heluetij, & Boij coniunctis copiis, occupare Gallias, in prouinciam Romanam exire, atque inde in Italiam contendere, quemadmodum antea Teutonas, Cimbrósque fecisse nouerant, compositis necessariis ad huiusmodi expeditionem, meditabantur. Ad flumen igitur Rodanum, Geneuam oppidum extremum Allobrogũ armati consident. Ex eo oppido pons ad Heluetios pertinebat. Diuitiacus Heduus Galliarum princeps profugus Romam ad Senatum auxilium postulatum venerat. Mittitur in Galliam à Romanis cum legionibus aliquot C. Iulius Cæsar, vii Consularis, socer Cn. Pompei Magni. Is iter prohibiturus pontem, qui erat ad Geneuam, rescindere iubet. Boij cum Heluetiis retro pedem referunt ad Ararim flumen (Soanam vocant) in fines Heduorum (Burgundiones sunt) perueniunt: agros populantur, ratibus, lintribus iunctis flumen transeunt. Tres partes transierant, quarta fere pars circa flumen Ararim reliqua erat. Ad eam Cæsar in auxilium vocatus ab Heduis peruenit. Eos impeditos inopinantésque adgressus, cędit, in fugam vertit: ponte deinde subito in Arari facto, exercitum traducit. Boij cum socius repentino aduentu Romanorum commoti, Legatos ad Cæsaré mittunt, cum de pacis conditionibus inter eos nó conueniret, ancipiti prælio diu, ac acriter pugnatum est ab hora septima ad vesperam: inde ad multam noctem Boij cum socius victi, castrisque exuti, supplices à Cæsare, internunciis vltro citroque missis, pacem impetrarunt. Heluetij domum vnde venerant redire iussi sunt. Boios (petentibus Heduis) quod egregia virtute erant cogniti, vt in finibus suis collocarent Cæsar concessit. Quibus illi Gergouiam oppidum, & agros dederunt: eósque postea in pacem iuris. liberatisque conditionem, atque ipsi erant, receperunt. Cum Romanis æquo iure fœdus ictum est, quamobrem & à Plinio in descriptione Galliæ Lugdunensis Boij fœderati appellantur. De his Corn. Tacitus ita: Maricus quidam è plebe Boiorum, inserere sese fortunæ, & prouocare Romana arma simulatione numinis ausus est: iamque adsertor Galliarum, & Deus (nomen id sibi indiderat) concitis octo millibus hominum, proximos Heduorum pagos trahebat: cum grauissima ciuitas electa iuuentute, adiectis a Vitellio Cæsare cohorti-

Heluetiorũ & Boiorum in Italiam irruptio. Geneua. Diuitiacus. C. Iul. Cæsar in Galliam missus. Araris qui Saona. Hedui. Cæsar Heluetios cum Boiis vincit. Boiorũ sedes apud Heduos. Gergouia. Boij fœderati dicti. Maricus. Cor. Tacitus lib. 18. annalium.

Vitellius. *Paulinus.*

cohortibus, fanaticam multitudinem disiecit. Captus in eo prælio Maricus, ac mox feris obiectus: quia non laniabatur, stolidum vulgus inuiolabilem credidit, donec Vitellio inspectante interfectus est. Paulinus etiam ad Ausonium Poëtam illorum mentionem facit, Theodosio rerum potiente. Versus eius hi sunt.

An tibi me, domine illustris, si scribere sit mens,
Qua regione habites placeat reticere nitentem
Burdigalam, & piceos malim describere Boios.

Ludouicus Gibbosus dux Bauariæ. *Gallorum legatio ad Cæsarem.* *Cæsaris legati ad Ariouistum.* *Ariouisti responsum.*

Borbonios nunc vocari autores habeo, vnde genus maternum Ludouicus Gibbosus vltimus Angilostadiensium princeps, auorum memoria duxit. Bello superiore Heluetiorum, Boiorumque confecto, totius Galliæ legati ad Cæsarem conueniunt, de Germanis conqueruntur, multa millia quotidie Rhenum transire, quibus locos, sedes, agros dare coguntur: futurum esse paucis annis, vti omnes è Galliæ finibus pellerentur, atque omnes Germani Rhenum transirent. Deinde Galliis occupatis, vt ante Cimbri, Teutones fecissent, in prouinciam exirent, atque inde in Italiam contenderent. Cæsar Gallorum animos verbis confirmat, sibi eam rem curæ fore respondit: Legatos ad Ariouistum Regem Germaniæ mittit, qui ab eo postularent, vt aliquem locum medium vtriusque colloquio deligeret, velle se de Republica, & summis vtriusque rebus cum eo agere. Cum Legati imperio, mandatisq; defuncti, vti veniret ad Cæsarem, dicerent. Quis autem est Cæsar? Ariouistus respõdit: & si vult veniat, inquit, ad me: si quid mihi à Cæsare opus esset, venirẽ forsitan. Et quid ad illum, quid agat nostra Germania? Num ego me interpono Romanis? Nõ satis mirari possum, quid nam in mea Gallia, quã bello vici, aut Cæsari, aut omnino populo Romano negocij sit. Cum vult Cæsar cõgrediatur, intellecturus est, quid inuicti Germani, exercitatissimi in armis, qui intra quatuordecim annos tectum non subierunt, virtute possint. Tantus itaque subito terror omnem exercitum Cæsaris occupauit, vt testamenta passim in castris scriberentur, Galli, mercatorésque ingenti magnitudine corporum Germanos, incredibili virtute, atque exercitatione in armis esse prædicabant: sæpenumero sese cum his congressos, ne vultum quidem, atque oculorum aciem dicebant ferre potuisse. Quidam petebant à Cæsare, vt eius voluntate à castris discedere liceret: & alius alia causa illata, quam sibi ad proficiscendum necessariam esse diceret. Nonnulli renunciabant non fore dicto audientes milites, cum castra mouori iussisset. Cæsar conuocato concilio, orationeque confirmatis militibus, à Vesontione Sequanorum maximo oppido Rhenum versus proficiscitur. Cum iter non intermittitur, septimo die quatuor, & viginti millibus passuum à copiis Ariouisti castrametatur. Ibi vltro citroque missis legatis, de pace frustra actum est. Inde Ariouistus castra promouet, millibus passuum sex à Cæsaris castris sub monte considet, à Rheno millia passuũ quinq;. Copias suas in castris continet, nec pugnandi copiam Romanis facit. Germanis tum nec consuetudo nec fas erat, ante nouam. Lunam decrescente lumine syderis, prælio contendere. Quod vbi Cæsar intellexit, religione impeditos aggreditur, coacti Germani pugnant, post multa illata, acceptaque vulnera in fugam versi, ad flumen Rhenum perueniunt: ibi viribus confisi, Rhenum tranare contenderunt: aut lintribus inuentis salutem sibi petierunt. In his fuit Ariouistus, qui nauiculam ad ripam deligatam nactus, ea profugit. Reliquos Equites Romani consecuti interfecerunt. Belgæ deinde (qui à Germanis orti sunt, sicut apud Cæsarem Rhemi referunt, Rhenumque antiquitus traducti, propter loci fertilitatem ibi consederunt, Gallos qui ea loca incoluerant, expulerunt) communi omnium suffragio arma corripiunt, Germanis transrhenanis se coniungunt. Cæsar Belgas aliquot præliis victos in deditionem, potestatemque populi Romani redigit: Germanos transrhenanos Gallia expulit, inde in Illyricum proficiscitur. Galli rursus rebellant, in Germaniam pro auxilio mittunt. Redit Cæsar, Belgas superat, Aquitaniam subiicit, à Menapiis, qui Geldrenses sunt, & nunquam legatos ad Cæsarem miserant, syluis, paludibus, & tempestatibus prohibitus est. Germani transrhenani rursus Rhenum vocati à Gallis transeunt: non longè à mari, quo Rhenus influit. Inde latè, longeque populantur: obuiam venit cum exercitu Cæsar, in fugam eos vertit, cædit, trans Rhenumque pellit. Mittit & nuncios in Germaniam magnam, interminatur, ne posthac in Gallias veniant. Sed ingentes eius minæ in ludibrium versæ. Cæsar vt Germanos terreret, haud procul infra eum locum, vbi nunc Agrippinensis Colonia est sita pontem faciundum, licet summa difficultate, curat: opere omni effecto, exercitum traducit, relicto ad vtranque partem præsidio, Germani se in syluas abdiderant, ibique conueniebant frequentes. Cæsar duo de viginti diebus trans Rhenum consumptis, satis & ad laudem, & vtilitatem perfectam arbitratus, in Galliam se recepit, pontemque rescidit. Menapij rursus frustra temtati à Cæsare: Treuiri quoque neque ad concilia Cæsaris vocati veniebant, neque imperio parebant. Transrhenanos Germanos crebris legationibus sollicitabant, pecuniam pollicebantur. Duo de principatu Treuirorũ inter se contendebant Induciomarus, inimico

Vesontium oppidum. *Germanorũ superstitio in conflictu.* *Germanorũ fuga.* *Belgæ à Germanis orti sunt. Cæsar lib. 2. de bello Gallico.* *Menapij hodie Geldrẽses.* *Colonia Agrippinẽsis.* *Induciomarus. Cingetorix Eburones qui.*

inimico in Romanos erat animo: Cingetorix gener Induciomari Romanas sequebatur partes. Eburones Germani cisrhenani inter Mosam, & Rhenum, vbi nunc Iuliacensis ducatus est, Q. Titurium Sabinum, & L. Arunculeium Cottam legatos Cæsaris, vnam legionem, cum quinque cohortibus in finibus, vt ait Suetonius, Germanorum insidiis interficiunt. Hac clade audita, Cæsar adeò indoluit, vt barbam, capillumq; submiserit. Tum quoque Belgæ omnes, quos Cæsar cisrhenanos Germanos vocat, ad arma concurrunt. Omnes suspecti præter Heduos, & Rhemos erant. Induciomari igitur Treuirorumque nunciis impulsi Belgæ, lignatoribus oppressis, Romana oppugnant castra. Magnam manum Germanorum conductam Rhenum transiisse passim Galli prædicant, quorum terrore Romanos vincunt. Treuiri apertè rebellant, aliosque concitant. Menapij, qui vni ex Gallia, de pace ad Cæsarem nunquam miserant, arma capiunt. Germani transrhenani flumen traiiciunt, hyberna oppugnant, quæ summa vi & difficultate, maximóque periculo Q. Tullius frater Ciceronis defendit. Belgæque non expectato auxilio Germanorum Romanos adgrediuntur, sed fusi, terga vertunt. Germani fuga Belgarum intellecta, domos reuertuntur. Romani interfecto Induciomaro Treuiros recipiunt. Senatores Treuirorum in Germaniam trans Rhenum profugiunt. Quietior posthac Gallia fuit. Cæsar ægrè ferens Germanos toties Rhenum traiicere, rursus ponte facto, vbi nunc Agrippinensis Colonia est, Rhenum cum copiis transit. Germani in syluis delectus agunt. Cæsar parte pontis, qua Germaniam attingebat recisa, in Galliam reuertitur. Nostrates vi pulsum esse, dixisseque referunt, Satis est, superque vidisse Germanos. Et Pompeius narrat apud Lucanum, fugisse Cæsarem ex Germania.

Q. Tit. Sabinus. L. Arunculeius. Belgæ ad arma concurrunt. Treuiri rebellant. Q. Tullius. Induciomaro interfecto. Cæsar Rhenum transit. Cæsaris dictum.

Dant animos (inquit) *Rheni gelidis quod fugit ab vndis.*

Venit in mentem scitum illud Imperatoris Maximiliani dictum, qui Flamini Romano interroganti, num Cæsaris commentaria legisset: respondit, Cæsarem de rebus suis inflatius scripsisse, vt qui se victorem, cum victus sit, faciat.

Imp. Max. dictū scitū.

Cæsar igitur cum compertum haberet, Germanos nullis aduersus Romanos auxilia denegare, nec minis, nec armis terreri, quin Rhenum transeant: neque Gallos, sine eorum fauore, & consensu in officio quietos contineri posse (Galli enim sæpius animos tollebant, sæpius rebellabant, inflati auxilio Germanorum, quorum vicinitas propinqua, & multitudo erat infinita) trans Rhenum in Germaniam mittit, Germanorum animos, quos ferro non poterat, auro sibi conciliat, muneribus allicit, stipendiis inuitat: ab ipsis Equites, pedites ite accersit, quorum opera perdomitam Galliam (quę vniuersæ communi omnium consensu libertatis vindicandæ, & pristinæ belli laudis recuperandæ, coniurarat inflata quingentorum Equitum ex Germania aduentu) felicissimè in ditioné ac obsequium redegit. Gallia itaque omni nouem annis deuicta, & in prouinciæ formam redacta, supplicatio viginti dierum Romæ decreta est. Galli posthac, vt Strabo refert, armis positis, agriculturæ operam dare coacti sunt. Fecere deinde Romani in Gallia Belgica duas Germanias, Superiorem & Inferiorem, quæ adhuc nomina retinent. Plinius, Tacitus, Ptolomæus, cæteri rerum scriptores explanant, nos in subsequens volumen relegamus. In bello deinde quoque Ciuili, Cæsar opera Germanorum vsus est, in Græcia, Hispania, Europa, Ægypto, Asia, Aphrica, quemadmodum ipse Hircius narrat. Nam & Voccio Rex Noricorum in id bellum trecentos Cæsari misit Equites. Apud Pompeianos etiam quingenti fuere Germani, quos antea Alexandriæ reliquerat Aulus Gabinius præsidij causa apud Regem Ptolomæum, qui pulsus à suis Romam venerat, auxilium postulatum, & iussu Pompeij reductus est in Ægyptum. Causas huius belli, plusquam Ciuilis paucissimis aperiam, quæ nisi in Republica Christiana peius sæuiant, mentiar, dispeream que. Sed ad Romanos stylum verto. Iam penè toto orbe iustitia, ac labore pacato, cuncta maria, terræque patebant Romanis. Sæuire fortuna cœpit (otium enim, ac secundæ res animos sapientum fatigant, nedum mali licentiæ temperét) creuit primò studium pecuniæ, deinde libido dominandi: paulatim diuitiæ honori esse cœperunt, & eas gloria, potentia sequebantur. Virtus hebescere, paupertas probro haberi cœpta est. Ex diuitiis superbia, inuidia, luxuria, doli, fallaciæ inuasere. Qui plurimum largiebatur, plurimum authoritate pollebat. Probitas plerisque paupertatis causa erat: fides, pietas, cæteræque bonæ artes subuertebantur. Omnia venalia erant. Plerique mortales inimicitias, amicitias ex commodo æstimabant. Omnia vtilitate metiebantur: aliud clausum in pectore, aliud promptum in lingua habebant. Magis vultum bonum, quam ingenium præstabant: discordiæ, seditiones pro honore, Magistratibusque grassabantur, cædes impunè edebantur: diuina humanaque commixta erant, vt fit, vbi ignobile vulgus, paucorumque potentia dominatur. Nunquam haud dubiè coire aut consentire corpus Imperij potuisset, nisi vnius præsidis nutu, quasi anima & mente regeretur. Quod cum fieri non posset citra sanguinem, & absque bello Ciuili, cuius victoria ferè cruentissima esse solet: acerrima quippe sunt proximorum odia. Inclinare cœpit tandem fortuna ad C. Iulium Cæsarem. Cuius proprium ac peculiare fuit clementiæ insigne, qua vsq; ad pos-

Cæsaris legatio ad Germanos. Gallia prouincia facta. Germania duplex. Voccio Rex. Aulus Gabinius. Ptolomæus Auletes. Diuitiarum fructus. C. Iul. Cæsar princeps clemens.

ad pœnitentiam omnes superauit. Eius dictum refertur: Nihil sibi solennius esse, quàm supplicibus ignoscere. At factio nobilitatis, cuius commune malum est superbia, Cæsari inuidebant: eius victorias calumniabantur, fortunæ ac felicitati oblatrabant. Ipsum vt adfinem Marij procerum inimicissimum, & quem Sylla Dictator optimatium partibus cauendum, exitióque futurum prædixerat, criminabantur: spoliare eum exercitibus, inde in ordinem redigere, atque opprimere conabantur. Nam & amici Cæsaris omnes vrbe pulsi sunt. Cæsar vim vi pulsurus, accitis Germanis, & Gallis, cum legionibus, quibus Galliam subegerat, in Italiam transit, armata manu versus Romam contendit. Vbi omnis nobilitas metu perculsa, duce Cn. Pompeio vrbe, Italiaque profugit. Cæsar Romam vacuam aduersariis intrat, Consulem seipsum facit. Republica Romæ ordinata, aduersarios latè per orbem terrarum palantes insequitur, feliciterque, celerius opinione omniũ, deuincit. Inde Romam reuersus cuncta in suam vnius potestatem, arbitriumque trahit. Ita finis Reipub. datus: mos vni parendi repetitus est. Sub idem tempus post Ariouistum in Germania maximè Orientali, imperitasse reperio Boërobistam, genere Dacum, qui populares suos Dacos & Getas crebris hactenus & bellis, & cladibus attritos, victus sobrietate & obedientia recreandos curauit: & quotidiana armorum meditatione, laborúmque patientia instructos, eo promouit, vt facile cæteris Germaniæ tum populis virtute anteirent. Vsus est auito more gentis, sacro consultore, vateq; fatidico Diceneo quodam Mago, qui diu Ægypti oras peragrarat, sacerdotésque audierat. Huius persuasione vites excisæ sunt, vitámque abstemiam sine vino agere decretum est. Denique Boërobistas his bonis suorum artibus fretus, latissimum intra paucos annos peperit Imperium: finitimis omnibus subiectis, audacter Danubium traiicit. Ipsum Iulium Cæsarem mundi domitorem, victorémque gentium populum, armis lacessere ausus est. Thraciam, Macedoniam, Illyricum prouincias Romanas ferro, flamma deuastauit. Vrbes diripuit, vicos incendit præda ingenti potitus, impunè vltro, citroque commeauit. Apuliam, inde Romam inuadere parauit, maximum terrorem, & Iulio Cæsari, & populo Romano incussit. Boios qui ad amnes Danubium, Arabonem, & Draum sedes centum quinquaginta annos tenuerant, posteaquam Italia pulsi, vti paulò ante narrauimus, eo transierant, in Germaniam Magnam transduxit. Intra flumina Tyram, & Borysthenem, & Vistulam, finitimásque regiones vicatim distribuit, vbi nunc Roxolani, Bolij, Bodolij, Vngari, Moldauij, Valachi nominantur, habitarunt ibidem Boij commixti Basternis, Alanis, Gepidis, Vandalis, Quadis, Sarmatis, & dicto audientes fuerunt Regibus Dacorum, quos & Getas, & Scythas vocant. Nos Danos, & Gotos adpellamus. Ipsi ne Boij posthac duces, Regésue habuerint, nemo tradit, nec ego facile dixerim. Apud scriptores, quos ego quidem hactenus euoluerim, ne nomen quidem Boiorum posthac inuenio. Quicquid gestum actúmue est, vt notioribus, Gotis attribui solet: quorum magnitudo Boios facile obscuriores reddidit. Atque haud scio an hi sint, quos Ptolomæus, corruptè fortassis Boëmos nuncupat, & gentem magnam dicit, superioribus nationibus confinem. Satis constat tria tum fuisse genera Boiorum. Tria & triginta millia ob virtutem à Iulio Cæsare, in Gallia Lugdunensi, in oppido Gergouia in monte sito, collocati sunt. Quidam Borbonios esse autumant.

C. Marius. L. Sylla. Ariouistus vbi regnarit. Boerobista Dacus. Diceneus Magus. Vites excisæ apud Germanos. Boiorum in Germaniã migratio. Roxolani. Boij vel Polonij Bodolij. Vngari. Moldauij. Valachi. Basternæ. Alani. Gepidæ. Vandali. Quadi. Sarmatæ. Getæ. Scythæ. Dani. Goti. Boemi. Gergonia oppidum.

Narisci (quos in initio commemorauimus) auitas nunquam amisere sedes, ab Oriente sese contingunt Boiemiam. Ex qua alia manus Boiorum profecta in Italiam. Inde ad Tauriscos in Noricum, & ad circumiectos Histro locos commigrarunt. Postremò tædio accolarum Romanorum, agrum omnem qui ad Illyricum pertinet, pascendis ouibus idoneum vicinis reliquerunt, in exilium velut peregrinatum ad Getas secesserũt, cum quibus, & Hunnis militare posthac consueuerunt. Nam Hirros, Schiros, Buros haud dubiè Boiorum nationes, inter illorum auxilia lego. Post mortem Attilæ demum velut noua sobole aucti, vires recuperarunt. Sed isthæc in tertium differo librum. Harum rerum omnium testes non solum patrios Annales, verùm & Iulium Cæsarem, Strabonem, Franciscum Philelphum, alios illustres scriptores habeo, qui de dubiis rogentur omnibus: in plerisque fidem meam non adstringo. Regio autem quam reliquere Boij, in solitudinem penitus redacta est, quamobrem adpellantur à rerum scriptoribus, Deserta Boiorum. Ptolomæus Pannoniam superiorem more suo nominat: cæteri Noricis coniungunt. Operæ precium est verba Plinij, autoris grauissimi, subscribere: Noricis (inquit) iunguntur lacus Peiso, Deserta Boiorum. Iam tamen Colonia Diui Claudij Sabaria, & oppida Sarcabantia, Iulia habitabantur. Inde glandifera Pannoniæ. Sabaria patria Diui Martini, nomen retinet: alij Græcium Boiorum, quod caput Stiriæ est, esse arbitrantur. Vbi Diuus Quirinus Episcopus Silcianus sub Imperatore Galerio Maximiano pro religione Christiana se deuouit, molari ad collum eius ligato, in amnem Sabarum præcipitatus est è ponte: diutissimè supernatat, populum docet, hortatur ad constantiam Christianæ pietatis: vix tandem precibus à cœlesti numine obtinuit, vt mergeretur. Meminit huius D. Hieronymus. Vitam eius carmine complexus est Prudentius, vir perquàm eruditus, indignus

Nariscorũ sedes. Taurisci. Boij ad Getas migrãt. Hirri. Schiri. Buri. Deserta Boiorum. Pl. li. 3. c. 24. Lacus Peiso. Sabaria. Sarcabantia. Iulia. Græciũ Boiorum Bayrisch Gretz. D. Quirin. Sabarus amnis. D. Hieronym. Prudentius.

indignus qui à Christianis non magis legatur. Sabarum flumen quidam Litam, alij Muram interpretantur. Sacarbantia abfuit à Sabaria iuxta Antonini Itinerarium millia passuum quatuor, & triginta: fuitque media inter Sabariam, & Carnuntum, insignis olim sepulchro Diui Quirini, de quo iam diximus. Cum Germani eas regiones infestas redderent, incursarentque, Romani fugam capessunt, in Italiam profugiunt, ossa Diui Quirini Romam secum transferunt. Carnuntum, cuius Plinius, Diuus Hieronymus mentionem faciunt, fuit vrbs sub Danubio, in confinio Vgrorum, & Austriacorum. Hunnoburgium esse, sunt qui opinentur magis, quàm sciant. Ibi Imperator M. Antoninus Philosophus mortuus, & Imperator Septimius Seuerus electus est. Ptolomæo, & Græcis Carnus Carnuntis est. Extat & in eodem tractu adhuc oppidum Sempronium OEdeburgium, id est, desertam Vrbem nostrates nominant. ea lacui Peisoni nomen fecit, qui in longitudinem quinque & quadraginta millia passuum, quindecim in latitudine patet: ambitu comprehendens mille passus plus centies, effundit Arrabonem fluuium. Iuliam quidam esse arbitrantur vrbem Stiriæ, quæ nomen retinet. Alij Iulium Carnicum, Charionum oppidum nobile: & id nomen corrupto nonnihil sono (vt fit licentia vetustatis, & vulgi consuetudine) seruat. Ego, vt mihi incomperta in medio relinquo, nec adfirmare, nec refellere animus est. Deserta Boiorum, nunc Vgrorum sunt. Cum autem posthac ad Romanos Imperatores venturi sumus, & Romani Imperij nomen sacrosanctum Germaniæ populis, sicuti tempus postulat, à prima origine radices eius, quam paucissimis in subsequenti volumine repetam: per quos cœperit, per quos adoleuerit, vt deinde paulatim, labente disciplina, consenuerit, donec ad hanc extremam, & decrepitam ætatem peruenit, qua apud Germanos animam agit.

Lita.
Mura.
Sacarbātia.
Carnuntū.
M. Ant. Philosoph.
Imp. Sempronium OEdeburgium.
Arrabo fluuius.
Iulium Carnicum.

Per nefas cæci ruimus: ruunt res
Imperi, florent minus, & minus iam,
Nilq; nunc restat nisi vana magni
Nominis vmbra.

FINIS PRIMI LIBRI.

ANNALIVM BOIORVM LIBER
SECVNDVS HAEC CONTINET.

VRBIS Romæ Romaniq; Imp. Originem.
Romanos Imp. quid quisq; cum Germanis gesserit.
Romani Imp. descriptionem, & prouincias.
Vindelitiæ, Norici, Rhetiæ situs.
Vindelicia quando subiecta sit Romanis.
Vrbium nomina, situs, vestigia, quas ibi condidere Romani.
Vetustates Romanæ, quæ passim in Boiaria reperiuntur.
Præsides Romanos harum regionum.
Declinationem Romani Imp. quomodo à Germanis solutum sit, præcipuè in Occidente, Europa, & Aphrica.

AVTORES QVOS SECVTI SVMVS.

DOMESTICI.

Vitus Arempeck: eius mentio suprà facta est.

Romerius de rebus gestis Germaniæ.

Ioannes Ebram à VVilnberg, Equestris ordinis decurio (arx est VVilnberg quinq; millibus passuum à patria mea) præfectus Burckhusianæ arcis, curatorq; Hedouigæ vxoris Ducis Georgij, auspicijs Imperatoris Friderici tertij Cæsaris Aug. de rebus Boiorum, patrio sermone, magna cura, & impensis perscripsit.

Georgius Hugo Philosophus, curator Altaichij inferioris (Cœnobium est Diuo Benedicto dicatum) is iussu Georgij Ducis, Latinè perscripsit Boios.

LATINI.

Veteres vitæ Diuorum, quæ paßim in Bibliothecis delitescunt adhuc.

Diuus Hieronymus genere Noricus.

Suetonius Tranquillus, Magister Epistolarum Imperatoris Hadriani in vitis Cæsarum.

Cornelius Tacitus Eques Rom. in historia Augustali, ab exitu Augusti, ad Imp. Traianum triginta libros scripsit.

AElius Spartianus: AElius Lampridius: Iulius Capitolinus: Treuellius Pollio: Flauius Vopiscus: Vulcatius Gallicanus, in vitis Cæsarum, ad Imperatores Diocletianum, & Constantinum Maximum, atq; ad Iunium Tiberianum, virum illustrem, præfectum Vrbis.

Ammianus Marcellinus in vitis Cæsarum, sub Imp. Constantio, Iuliano, Iouiano & Valentiniano equo meruit.

Eutropius vir Consularis ad Valentem Augustum scribit, fratrem Valentiniani, præfectus Equitum, stipendia fecit sub Constantio, & Iuliano.

Sextus Ruffus Festus vir Consularis ad Valentinianum Augustum scribit.

Sextus Aurelius Victor in vitis Cæsarum, vsque ad Theodosium Magnum, vir Consularis, præfectus fuit à Iuliano Imp. Pannoniæ secundæ.

Eugypius Noricus sub Attila vixit, scripsit vitam Diui Seuerini Norici, Importuno Cons. Romano.

Aurelius Caßiodorus Vir Consularis, in libro de Cons. ad Theodoricum Regem Gotorum, Occidentis procuratorem, præfectus prætorio, & Magister Epistolarum, eius particulæ sine capite, sine calce adnexa est Chronicis D. Hieronymi, falsóq; Prospero adscribitur.

Prosper Aquitanus Burdegalensis, in Chronicis, tempore Attilæ scriba Leonis primi Pont. Maximi.

GRAECI.

Dion Bithynus in vitis Cæsarum.

Herodianus de temporibus suis.

Eusebius Pontifex Cæsariensis in Chronicis, & Ecclesiastica historia.

ANNALIVM BOIORVM Liber secundus.

PROOEMIVM.

HACTENVS quæ à nobis ante Cæsarum tempora gesta sunt, sicut apud illustres rerum autores inueni, breuiter perstrinximus: nunc perquàm paucis indicabo, quemadmodum Romanos, rerum dominos, maiores nostri armis vltro etiam lacessere ausi fuerint. Duos quippe perpetuos hostes Parthos atque Germanos (Romani Barbaros vocare solent) hinc Occidens, illinc Oriens Romanæ Maiestati velut obices fataliter obdiderunt. Quod Vergilius rerum Diuinarum, humanarumque (etsi dissimulet magis, quàm ostentet) doctissimus vates obiter, elegantissimè tamen, vt omnia, hisce carminibus attigit.

Hinc mouet Euphrates, illinc Germania bellum &
Ante pererratis amborum finibus exul.
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.

Nec hoc Horatius acutissimi vir ingenii præteriuit.

Quis Parthum (inquit) paueat? quis Gelidum Scythen
Quis, Germania quos horrida parturit
Fœtus, incolumi Cæsare

Ipsa quidem Germania sæpius triumphata, nunquam tamen victa est. Multa inuicem damna data, acceptaque. Non Samnis (verbis vtor Taciti) non Pœni, non Hispani, Galliæ, ne Parthi quidem sæpius admonuere, quippe regno Arsacis acrior est Germanorum libertas. Nec impune C. Marius in Italia, D. Iulius in Gallia, Drusus, ac Nero & Germanicus, in suis eos sedibus perculerunt. Nam vti scribit ad Constantinum Maximum Nazarius insignis Rhetor (cuius filia Eunomia Christo virginitatem deuouit, & patrem eloquentia æquauit) Germanorum natio per se potens, & post Romanam magnitudinem secunda in terris, nunquam non operam, & fœdera licitata est Romanis principibus. Quemadmodum quoque docet Claudianus Alexandrinus, Vates doctissimus, de Germania ita cantans:

Eunomia.

Illi terribiles, quibus ocia vendere semper
Mos erat, & fœda requiem mercede pacisci.

Et sicuti nostro æuo Rex Celtarum Suitonibus, & Germanis aliis rei bellicæ peritis, dona muneraque quotannis distribuit, stipendia perpetua largitur: ab ipsis pacem, & fœdus mercatur: Ita empta auxilia sunt Germanorum contra Germanos: etiam hostem hoste oppugnauit Romanus, quòd idem Vates docet hisce carminibus,

Vtitur auxiliis damni securus, & astu
Debilitat sæuum cognatis viribus Histrum
Et duplici lucro committens prælia, vertit
In se barbariem nobis vtrinque cadentem.

Ferarum gentium velut examina Danubius, ac Rhenus in Romanũ effudere solum: vrbs capta est, quæ totum cœpit orbem. Vandali Aphricam, Franci, Burgundiones Gallias occuparunt: Saxones Britanniam, Longobardi Italiam tenent: Sueui Rhetias: Boij Vindeliciam, atque Noricorum regna possident: Pannoniam Hunnus, Mæsias Bulgares. Dalmatiam Illyricam Venedus inuasit. Quod tamen mirere, Roma gentium domina, haud aliis, quàm Germanis, hostibus suis, Imperatorum suorum (sicuti nunc Pontificum) salutem ac vitam credere ausa est. Constat enim consensu scriptorum, Germanorum cohortes a Cæsarib. ad custodias corporis institutas, multis experimentis fidelissimas fuisse. Postremo omnium demum, ad Germanos gentem fidei commissæ (sicuti ait Tacitus) patientiorem, terrarum Dea, gentiumque Roma, cui par est nihil, & nihil secundum, cum fascibus, & Aquilis commigrauit. Eius primordia, vt negocium postulare videtur, iamiam aperiam.

Capta Troia, in cæteros sæuitum est Troianos. ab Ænea vetusti iure hospitij, & quia pacis, reddendæque Helenæ semper author fuerat, omne ius belli Græci abstinuerunt. Æneas deinde variis casibus terra marique iactatus, in eam partem Italiæ venit, quam tum Rex Latinus tenebat, qui filiam suam Lauiniam nomine in matrimonium Æneæ dedit. Æneas vtramque gentem Latinos nominat, oppidum condit, ab vxoris nomine Lauinium appellat. Regnatum est ibi triginta ferè annis. Ascanius filius Æneæ (qui patri successerat, & quem Iulum, Iulia gens autorē nominis sui nuncupat) Lauinium opulentam vrbem (vt tum res erant) matri, seu nouercæ relinquit, nouam ipse aliam sub Albano monte condidit: quæ ab situ porrectæ in dorsum vrbis Longa Alba appellata. Syluius deinde regnat Ascanij filius, casu quodam in syluis natus. Is Æneam Syluium creat: is deinde Latinũ Syluium. Mansit posteà Syluius omnibus cognomen, qui Albæ regnarũt: Latino Alba ortus, Alba Atys, Aty Capys, Capy Capetus, Capeto Tiberinus, qui in tractu Albulæ amnis submersus, celebre ad posteros nomen flumini dedit. Agrippa inde Tiberini filius. Post Agrippam Romulus Syluius à patre accepto imperio regnat, Auentino, fulmine ictus ipse, regnum per manus tradidit. Is sepultus in eo colle (qui nunc pars est Romanæ vrbis) cognomen colli fecit. Proca deinde regnat. is Numitorem, atq; Amulium procreat. Numitoris ex filia nepos Romulus, vrbem Romam, Romanumq; condidit imperium: vndecimóque Kalendas Maij vrbis Romæ natalis est. Vates æternam fore prædixerunt. Res Albana secundum Titum Liuium, Iustinum, Virgiliúmque Maronem, ter centum stetit annos. Sub septem deinceps regibus regnatum Romæ: ab condita vrbe ad liberatam annos suprà ducentos quatuor & quadraginta. Nec amplius, quàm ad sextum decimum lapidem Romanum radices imperium egerat. Regium Imperium, nonne atq; (quod initio conseruandæ, atq; augendæ Reipub. fuerat) in superbiam, dominationemque se conuerterat? Reges exacti sunt, Regium nomen antiquatum, vt exosum, inuisumque: Romani iureiurando adacti, neminem passuros Romæ regnaturũ. Immutato more, annua imperia, binósque Imperatores sibi fecerunt, quos Consules, à consulendo dixerunt. eo modo minime putabant licentia insolescere animum humanum. Consulum ductu & auspicio, incredibile memoratu, quantum Respub. creuerit. Domi, militiæque boni mores colebantur, concordia maxima, minimaque auaritia erat. Domi parci, in amicos fideles erant: paupertati, ac parsimoniæ honos maximus erat: quanto rerum minus, tanto minus cupiditatis erat. Ius, bonumque non magis legibus, quam na-

Æneas. Latinus rex. Lauinia. Lauinium oppidum. Ascanius qui & Iulus. Lõga Alba. Syluij. Alba Atys Capys. Capetus. Tiberinus. Tibris fluminis. Agrippa. Romulus Syluius. Auentinus. Proca. Numitor. Amulius. Romulus Romæ cõditor. Roma natal. Reges exacti.

tura

Romanorum parsimonia. Disciplina militaris.

cura valebat. Disciplina militaris diligentissime colebatur: quæ iam inde ab initiis vrbis tradita per manus, in artis perpetuis præceptis ordinatæ modum venerat, & a maioribus, quasi hæreditario iure relinquebatur posteris. Reges proinde magni bello domiti: nationes feræ, & populi ingentes vi subacti, orbis terrarum victus est. Tota Europa, præter Germaniam, Pannonias, Mæsias, Noricum, Rhetias, Vindelicos in ditionem redacta. Aphrica cessit, postea quàm Carthago æmula Imp. Romani à stirpe interiit. Asia, Armenia, Syria, Cilicia, Palestina, Mesopotamia armis Romanis parere coactæ: cum Regibus Parthorum, Ægyptique fœdus ictum est. A regibus exactis ad Iulium Cæsarem numerantur à Corn. Tacito anni quadringenti sex & quinquaginta: ab V.C. vero septingenti.

IVLIVS.

Imperat vnde dictus. Cæsaris nomen.

IMPERATOR C. IVLIVS CÆSAR dictator perpetuus, deuictis optimatum partibus, popularem Republic. statum (ipsi libertatem vocant) sustulit ad vnius potestatem, principatumque Romanum coëgit Imperium. Qui mos posthac per annos mille quingentos sexaginta quinque continenter obseruatus, adhuc manet. Imperatoris commune eius cognomen, qui iussu populi exercitus ductabat (dictus, vt docet Varro ab imperio populi, qui eos, qui id attentassent, oppressit hostis) temporarium antea, prænomen perpetuum (quod regium libero populo inuisum esset) factum, ad principes Romanos transit. Et Cæsar, quod ante cognomen familiæ fuerat, iam dignitas est, atque suprema potestas, sacrosancta Germanis. De tam celeberrimi nominis natura, & origine Plinius ita tradit. *Auspicatius* (inquit) *enecta parente quidam gignuntur, sicut Scipio Aphricanus prior natus est: qua de causa & Cæsones adpellati. simili modo natus & Marlius qui Carthaginem cum exercitu intrauit.* Nec me fugit Sextum Festum Pompeium, Ælium Spartianum aliter sentire, quibus non præferre Plinium piaculum est.

Libri Iulij Cæsaris.

Cæterùm C. Iulio gentilicium est: nec enim ipse ita natus est. Cum Pontificatum Maximum petiit, prædixisse matri Aureliæ fertur, domum nisi se Pontificem non reuersurum. Eam in Gallia bellum gerens, demum amisit. Pater quoque eius (Lucius ni fallor) Cæsar dictus est. Ipse sanè C. Iulius Cæsar eloquentia, & eruditione (teste etiam Cicerone) nulli secundus fuit. Reliquit de anologia, quos ad Ciceronem scripsit, duos libros: & rerum suarum commentarios Gallici, Ciuilisque belli, qui eruditorum consensu multum probari solent. Fastos quoque correxit, iam pridem ignauia Pontificum, per intercalandi licentiam adeò turbatos, vt neque messium feriæ æstati, neq; Vindemiarum autumno competerent. Ad cursum Solis annos singulos redegit, Sosigene perito eius scientiæ adhibito, ad trecentos sexaginta quinq; ipsorum annorum dies, adiecit etiamnum intercalarios diei, noctisque quadrantes, vt quarto quoque anno, sexto Kalendas Martij vnus intercalaretur dies: quemadmodum hactenus vel à nobis obseruatum est. Verùm quoniam Solis motus, scrupulorumque prope inexplicabilis ratio est, idem error obrepsit fastis nostris, ad quos emendandos Ioannes de Monte Regio, patrum memoria, Paulus Miltenburgensis nostra ætate, homines Germani, à maximis Pontificibus Romá adciti sunt. De qua re libri editi venales circũferuntur. Destinarat insuper Cæsar, si per cædem licuisset, Ius Ciuile ad certum modum redigere: atque ex immensa, diffusaque legum copia optima quæque, & necessaria in paucissimos conferre libros. Bibliothecas Græcas, & Latinas, quas maximas posset, publicare, data Marco Varroni cura comparandarum, digerendarumque. Idem, vt clemens erat, nihil aliud efficere volebat (scribit Lactantius) etiam in ipso belli Ciuilis ardore, quàm vt bene de Repub. mereri videretur, duobus optimis ciuibus Cicerone, & Catone seruatis. Rerum gestarum magnitudine omnes superauit. Signis collatis quinquagies bis dimicauit. Nam præter ciuiles victorias, vndecies centum & nonaginta duo millia hominum occisa prælijs ab eo: quod ita esse confessus est ipse, bellorum ciuilium stragem non prodendo. Daci sub eo, cæteræq; Germaniæ Orientalis gentes, Rege Schirio (quem & Scorium vocare reperio, Boërobistæ successerat) in Thraciam Pontum se effuderant, Romanas prouincias latè vastabant: & vt ait Horatius, penè occupatam seditionibus deleuit vrbem Dacus. Contra quos dum expeditionem, indeq; in Parthos bellum meditatur, ob suspicionem adfectati Regij nominis, in curia sedens, à Senatu patricijsque inuasus, tribus & viginti vulneribus in terram datus, cæsusque est ætatis anno sexto, & quinquagesimo: initæ dictaturæ quarto. Sic ille qui terrarum orbem humano sanguine impleuerat, tandem ipse suo sanguine curiam impleuit.

Soſigene. *Ioan de Monte Regio. Paulus Myltenburgensis.* *Iulius Cæsar rerũ gestarũ magnitudine omnes superauit.* *Iulij interitus.*

OCTAVIVS.

Octauij propinquitas.

IMPERATOR C. Octauius (ita enim à Flacco & Ausonio nuncupatur, quamuis apud hunc Octauianus quoque, metri necessitate forsan legatur) Cæsar Augustus, Accia nepte Iulij Cæsaris genitus, adoptatus ab auunculo successit. Germanorum manus inter armigeros circa se habuit, partim in vrbis, partim in sui custodiam. Dum necem auunculi, parentisq; vindicare, acta eius tueri summa vi conatur, rursus armis ciuilibus orbem

bem Romanum concuti necesse fuit. Quibus dum duodecim ferè annos conflictatur, distringuiturque circa mala sua imperium, Daci, Getæ, cæteri Germaniæ magnæ populi, Romanos dissidentes armis adoriri,& inuadere parabant. Vnus ducum, Scorio nomine, duos canes in conspectu popularium committit, hisque acerrimè inter se pugnantibus, Lupum ostendit: quem protinus canes omissa inter se rixa adgressi sunt. Ita ille non tam verbis, quàm rebus hoc spectaculo admonuit, Romam mature ruituram, suisque viribus perituram, si hoste careat externo. Quo tempore & Octauianus Cotisoni Getarum regi (vt facilius Germani noua adfinitate continerentur) Iuliam filiam despondit: sibi quoq; inuicem filiam Regis in matrimonium petiit. Finitis bellis ciuilibus, Republica in meliore statu confirmata, tractatum in Senatu est, an quia condidisset Imperium, Romulus vocaretur. Censentibus quibusdam ita eum appellari oportere, quasi & ipsum conditorē Vrbis, Munatij Planci oratoris, discipuli Ciceronis (qui rector Galliæ Comatæ Lugdunum extruxit) sententia præualuit, vt Augustus potius vocaretur, non tantum nouo, sed etiam ampliore, sanctiore, reuerentioreque cognomine: quòd loca religiosa, & in quibus augurato quid consecretur, Augusta dicantur ab auium gestu, gustúue, id est, quia ab auibus significata sunt, & aues pastæ id ratum fecere: sicut Ennius docet scribens.

Romanus orbis bellis ciuilebus habet. *Scorio.* *Cotiso.* *Octauius vocatur Augustus.* *Munatius Plancus Lugduni conditor*

Augusto augurio postquàm inclyta condita Roma est.

Ouidius quoque in Fastis.

Sacra vocant Augusta patres, Augusta vocantur
Templa sacerdotum rite dicata manu.
Huius & augurium dependet origine verbi
Et quodcunq; sua Iuppiter auget ope.

Conuersus inde Augustus ad gentes exteraque bella, inter alia totum Danubij tractum (Rheni oram, qua Galliam contingit, Iulius domuerat) pacare, in Romanam ditionem redigere neruos intendit, ferocissimè ad Septentrionem conuersa plaga emicabat. In Galliam igitur Comatam, Germanorum incursionibus & discordia principum inquietam, necdum frenis seruitutis adsuetam, cum exercitu CL. Tiberius Nero priuignus Augusti profectus est, (gloriatur ipse apud Tacitum, se nouies in Germaniam missum esse ab Augusto, pluraque consilio, quàm vi perfecisse) muneribus animos Germanorum,& ingenti pollicitatione præmiorum sibi conciliauit. Sycambros, Chattos, Sueuos in ditionem accepit. Quadraginta eorum millia, qui se dediderant, in Galliam traduxit & traiecit: iuxtaque Rheni ripam in proximis Rheno agris, sedibus adsignatis collocauit.

Cl. Tiber. Nero Augusti priuignus.

MAROBODVS quoque Rex Sueuorum magnitudine beneficiorum in fœdus illectus est. Habitabant tum Sueui in Boiemia, Lusatia, & finitimis regionibus trans Albim: quemadmodum & Lucanus hisce docet versibus.

Marobodus Rex. Sueuorum antiquæ sedes.

Fundit ab extremo flauos Aquilone Sueuos
Albis, &c.

Is Marobodus à puero versatus Romæ erat: fuerat ab Augusto magnas opes consecutus: cum domum rediit, maximum, latissimumque adeptus est regnum. Ipse Bubienum caput Boiemiæ Marobodum à se cognominauit, quam nunc Pragam dicimus, id mihi ex Strabone, Corn. Tacito, & Ptolomæo ex diligentissima segmentorum, & partium obseruatione compertum est. Cimbri quoque Lebetem, plurima sacrorum cæremonia consecratum Augusto dono misere, & amicitiam postularunt, deprecantes veteres iniurias, quibus adfecerant eorum parentes populum Romanum. Compotes voti facti domum remearunt. Deinde M. Lollio demandata custodia Rheni, arma ad Danubij tractum conuertuntur. Tiberius, Drususque Nerones fratres Germani, priuigni Augusti, Rhetos. Vindelicos, Noricos in ditionem redigunt Romanam. Sed de his paulò post plura dicam. Pannonios, qui tribus fluminibus Sao, Drao, Danubio vallantur, Vibius, atque M. Vinicius domuit. Marcomani, Quadi, Varistæ, Sueui incolæ Boiemiæ, de locis intra Draum & Danubium pulsi. Mœsi ab Oriente, & Sao flumine Pannonios excipiunt, inde cum Danubio ad Pontum Euxinum, & confinia Asiæ procurrunt. Hi per Marcum Crassum victi sunt. Vnus ducum antè aciem postulato silentio. Qui vos inquit estis? responsum inuicem, Romani rerum domini: & illi, ita (inquiunt) fiet, si nos viceritis: & statim ante aciem immolato equo concepere vota, vt Cæsarum ducum extis & litarent, & vescerentur. Daci, qui & Getæ, & Goti, transdanubianus populus sub Cotisone rege agebant, quoties concretus gelu Danubius iunxerat ripas, decurrere solebant, & vicinia populari. Nacti quoq; alias occasionem crebro incursiones in Romanas prouincias faciebant. Contra hos Augustus Lentulum cum quinquaginta millibus hominum misit, qui tribus eorum ducibus cum magna copia cæsis, impetus repressit, vltra vlteriorem ripam pepulit, citra præsidia constituit. A ducentis millibus militum ad quadraginta millia eorū tum potentia contracta est: tot millia hominum eo bello trucidata sunt. Nec parum aberat, quin Romano omnino subditi fuissent Imperio, si non opibus cæterorum Germanorum

Bubienum Marobodū dicitur quæ Praga est. *Pannonij.* *Vibius.* *M. Vinicius.* *M. Crassus.* *Florus lib. 4. cap. 12.* *Daci qui & Gethæ, & Goti.* *Lentulus Gethos repressit.*

 freti

freti se eduxissent. Sic Dacia non victa sed submota, atque dilatata est. Limes per Rhætias, Vindelicum, Noricum, Pannoniam, Moesias, inter Barbaros, & Romanos Danubius ab Augusto constitutus est, & ripa Romana præsidio militum firmata. De Dacis Horatij carmina subscribere libuit.

Mitte ciuiles super vrbe curas
Occidit Daci Cotisonis agmen
Medus infestus sibi luctuosis
Dissidet armis.

Inter hæc Sicambri, vbi nunc Bettofali habitant, duce Melone correptis armis subito, & de improuiso Romanos vi adoriuntur: M. Lollium cum copiis profligāt: Aquila quintæ legionis potiuntur, cremántque. In ignominiam populi Rom. viginti Centuriones crucibus adfigunt. Exinde alii quoque pacem soluunt in armáque ruunt. Horum & Horatius Vates doctissimus meminit, his versibus.

Concines maiore poeta plectro
Cæsarem, quandoque trahet feroces
Per sacrum cliuum, merita decorus
Fronde Sycambros. Idem
Te cæde gaudentes Sycambri
Compositis venerantur armis.

Augustus per Drusum Nerone bellum contra Germanos gerit.

Cæsar igitur Augustus sentiens se Gallias, & conterminas prouincias tuto, & quietè nō posse tenere, quòd crebrò Germani in Romanas prouincias, facilem nacti occasionem, incurrerent, omnia inquietarent, igne, ferro, flamma cuncta vastando: simul & in honorem patris sui Cæsaris, quem bis transuectum ponte Rhenum, bellum quæsisse sciebat, Germaniam facere prouinciam concupiuit. Curam atque onus Germanici belli Cl. Druso Neroni delegat: ab. Vrbe igitur ad ripam Rheni pergit. Ipse Germanicis bellis, quæ per legatos administrauit, aut interueniebat, aut non longè aberat: Rauennam, vel Mediolanum, vel Aquileiam vsque ab vrbe progrediens. Drusus Bonnæ, Nouesiique Rhenum pontibus iunxit, classibusque firmauit. Chattos, Sycambros, Sueuos, Angrios, Cheruscos, id est, Hessos, Bettofalos, Thurogos, Saxones cis Albim pariter adgressus, qui Sueuis trans Albim, & in Boiemia (quorum Rex Marobodus) fœderati erant. Cæsar etiam Augustus Albim transgredi vetuit, ratus se facilius domiturum hos, si Transalbiani quieti essent, nec eos lacessisset. Species quoque mulieris Germanæ habitu Drusum amplius tendere sermone Latino prohibuit. Ipse Drusus in tutelam prouinciæ trans Rhenum præsidia, stationes militares disposuit, fossas noui, & immensi operis effecit, Drusianas vocant. Per Amisiam flumen, per Albim, per Visurgim, per Rheni quoque ripam, quinquaginta amplius castella extruxit. Primus Romanorum ducum Septentrionalem nauigauit Oceanum. Ipse tandem inter Rhenum & Salam flumina, cum belligeraret, equo super eius collapso, tricesimo, quam id acciderat die oppetiit, in Germaniáque (vt ait Plinius) periit in æstiuis castris. Tiberius Nero nocte ac die longissimum iter vehiculis tribus emensus festinauit ad Drusum fratrem ægrotantem in Germania, in ea fuerūt ducenta millia passuum.

Drusiana fossa, & castella.

Drusi mors. Tiberius Nero Druso fratri [illegible] Drusi [illegible].

Claudianus de Druso ad Imperatorem Honorium:

Nobilitant veteres Germanica fœdera Drusos,
Marte sed ancipiti, sed multis cladibus empta.

Ouidij versus ad Liuiam Drusillam vxorem Augusti subtexam.

Occidit exemplum iuuenis venerabile morum:
Maximus ille armis, Maximus ille toga.
Ille genus Sueuos acre, indomitosque Sycambros
Contudit, inque fugam barbara terga dedit.
Ignotumque tibi meruit Romane triumphum,
Protulit in terras imperiumque nouas.
Funera ducuntur Romana per oppida Drusi,
Heu facinus, per quæ victor iturus erat:
Per quæ deletis Rhætorum venerat armis,
Heu mihi quàm dispar huic fuit illud iter?
Nec tibi deletos poterit narrare Sycambros,
Ensibus & Sueuos terga dedisse suis:
Fluminaque, & montes, & nomina magna locorum,
Et si quid miri vidit in orbe nouo.
Facta ducis viuent, operosaque gloria rerum
Hæc manet, hæc auidos effugit vna rogos.
Stabis & in rostris tituli speciosus honore,
Causaque dicemur nos tibi Druse necis.
At tibi ius veniæ superest Germania nullum,
Postmodo tu pœnas Barbare morte dabis.

Spiritu

Spiritus ille minax, & Druſi morte ſuperbus,
Carnifici in mæſto carcere dandus erit.
Aſpiciam regum liuentia colla cathenis,
Duraq; per ſæuas vincula nexa manus.

Idem in Faſtis.

Et mortem, & nomen Druſo Germania fecit.

Druſi monumentũ Moguntiaci.

Druſi monumẽtum adhuc Moguntiaci monſtratur, cuius & Diuus Hieronymus mentionem facit. Exercitus enim ei honorarium tumulum excitauit, circa quem deinceps, ſtato die quotannis miles decurreret, Galliarumq́ue ciuitates publicè ſupplicarent. Defuncto Druſo fratre, Tiberius ab Auguſto adoptatus, conſorsque tribuniciæ poteſtatis conſtitutus, in Germaniam mittitur.

Tiberius ab Auguſto adoptatur & in Germaniam mittitur.

Nam intra Rhenum, Albimque Saxoniæ gentes peragrauit cum exercitu, inde in vrbem redit. C. Sentium Saturninum virum Conſularem caſtris præficit. Inde Noricum petit, Boiemiam, vbi tum Marcomani, Sueui genere, cum Marobodo rege habitabant, inuadere tentat, à tergo illis Sentium Saturninum imminere iubet.

C. Sent. Saturninus. Marcomani. Sueui.

Fuitq́ue tum ſub Tiberio in Germania præfectus Equitum P. Velleius Paterculus ſcriptor hiſtoriarum. Tum Pannonia, Dalmatia rebellat. Idcirco Tiberius Marcomanis omiſsis Pannonias aggreditur. Paterculus Annalium ſcriptor quæſtor partem exercitus a Roma traditi ab Auguſto ad Tiberium perduxit, legatus deinde eius fuit.

P. Vel. pater culus hiſtoriog. aphus.

Orientis ab ora ferociter Danubius, Saúsque ſæuiunt, indignabantur, oppreſsis indignis, ripas ſuas milite Romano cuſtodiri. Totum Illyricum, quod inter Italiam, regnumque Noricum, & Thraciam, & Macedoniam, intérque Danubium flumen, & ſinum maris Hadriatici patet, ab impoſito Romanæ ſeruitutis reſiluit iugo.

[illegible] ſeruitute liberatur.

Gentes ferociſsimæ Moeſi, Pannonij, rege Bathone rebellarunt: nemine dubitante, quin Germani iuncturi ſe Pannoniis fuerint, niſi prius Illyricum debellatum eſſet.

Moeſi Pannonij gentes ferociſsimæ. Bathon Rex.

Occupata armis Macedonia, pars in Italiam properare decreuerat.

Macedonia armis occupata.

Omnia in omnibus locis igni, ferro vaſtata, oppreſsi ciues Romani, trucidati negociatores, magnus vexillariorum numerus ad internecionem cæſus. Audita in Senatu vox, Auguſti decimo die, ni caueretur, poſſe hoſtẽ in vrbis Romanæ venire conſpectum. Senatorum, Equitúmque Romanorum exactæ ad id bellum operæ, habiti delectus: reuocati vndique omnes veterani, viri, fœminæque ex cenſu libertinum coacti dare militem. Ad tutelam ripæ Rheni fluminis, item ad præſidium Coloniarum, Illyricum Danubiúmque contingentium, ſerui Romanorum manûmittuntur, militiæque libertini ſub proprio vexillo adſcribuntur. Datur rurſus Tiberio Neroni tribunicia poteſtas in quinquennium, delegatur & Germaniæ pacandæ ſtatus. Sed nunciata Illyrici defectione, tranſit ad curam noui belli: quod grauiſsimum omnium externorum bellorum poſt Punica, per quindecim legiones, parem auxiliorum numerum triennio geſsit, in magnis rerum omnium difficultatibus, ſumma frugum inopia, ſæpius reuocatus perſeuerauit, metuens, ne vicinis & præualens hoſtis inſtaret vltro cedentibus.

Illyrico bellũ grauiſsimum infert Tiberius.

Cum Pannonij in aciem oriente Sole ſtatim proceſsiſſent, continuit ſuos, paſſusque eſt & hoſtem nebula, & imbríbus, qui fortè eo die crebri erant, verberari, ac demum, vt feſſum ſtando, & pluuia, non ſolum animo ſed laſsitudine quoque deficere animaduertit, dato ſigno adortus ſuperauit, perdomuit, ac in ditionem redegit. Sub idem tempus, dum hæc in Illyrico geruntur, Germaniæ magnæ magis victæ, quàm domitæ, Quintilius Varus ab Auguſto præficitur. Cuius auariciam, libidinem, atque ſuperbiam, cum Germani, læta bello gens, ferre non poſſent, proceres hi Libes ſacerdos Chattorum, Segimundus filius Segeſti, ſacerdos Cheruſcorum, Veromarus Chattus, Egimarus, & filius Selithacus Cheruſci, Berthorites frater ſuperioris Melonis, cum filio Theoderico Sycambri, clanculum coniurant, autore Armenio, filio Segimari ex Cheruſcis oriundo: qui inter Viſurgim & Albim habitant, & communi nunc vocabulo Saxones vocantur. Segeſtes ſocer Arminij, huiúsque frater Flauius cum Romanis ſentiebant.

Quintilius Varus Germaniæ præfectus.

Saxonum principes.

Varum detecta coniuratione fruſtra commonent, ipſi ad Romanam transfugiunt ripam. Varus fretus viribus, & multitudine militum rem huiuſmodi contemnit, ſuſpectos coniurationis ad tribunal citari iubet.

Varus.

Germani duce Arminio arma corripiunt, improuiſo vndique inuadunt, opprimunt, trucidant reſiſtentes, capita occiſorum præfixa haſtis ad vallum Arminius admoueri iubet.

Germanorũ crudelitas.

Caſtra inde expugnantur, diripiuntur: tres legiones, totidem alæ, ſex cohortes cum duce legatisque, & auxiliis omnibus, in ſaltu Teutoburgenſi (vbi adhuc ciuitas, & ſaltus nomen ſeruat, in ducatu Cleuenſi, vbi quondam emporium, quod nunc Francofortum, fuiſſe fertur) deletæ ſunt, ante diem quartum Nonas Sextiles, quem decreto Pontificum inter atros referri placuit.

Saltus Teutoburgenſis. Franckfurt.

Varia, miſeranda cædes per ſyluas, per paludes fuit: patronis cauſarum crudelius inſultatum, aliis oculi eruti, aliis manus amputatæ. Vnius caput reſciſſa prius lingua in manu tenens Germanus inquit, Vipera, ſibilare deſiſte. Signa, & Aquilæ in manus hoſtium venere. Hacq; clade factum eſt, vt imperium, quod diu litore Oceani non ſteterat, in ripa Rheni fluminis ſtaret. Atrociſsima calamitas,

qua nulla post Crassi in Parthis damnum, in externis gentibus grauior Romanis fuit. Exercitus omnium fortissimus, disciplina, manu, experientiaque bellorum, inter Romanos milites princeps, ad internecionem more pecudum contrucidatus. *Arminius Germaniæ liberator.* Arminius itaque (sicut Tacitus narrat) liberator haud dubiè Germaniæ: & qui non primordia populi Romani, sicut alij Reges, ducésque, sed florentissimum Imperium lacessierit, prælijs ambiguus, bello non victus, septem & triginta annos vitæ, duodecim potentiæ expleuit. *Verba sunt Corn. Taciti lib. 2. Annalium in fine.* Canitur adhuc apud Barbaras gentes, Græcorum annalibus ignotus, qui sua tantum admirantur, Romanis haud perinde celebris, dum vetera extollimus, recétium incuriosi. Hac strage Romæ nunciata Augustus excubias per Vrbem indixit, ne quis tumultus existeret, & præsidibus prouinciarum propagauit imperium contra leges, institutaque maiorum, vt à suetis, & peritis socij continerentur. Vouit & ludos magnos Ioui Opt. Max. si Rempublicam in meliorem statum vertisset. Adeò namque consternatus fuit, vt per continuos menses barba, capillo submisso, caput interdum foribus illideret, vociferans, Quintili Vare, legiones redde. Diemque cladis quotannis mæstum habuit, ac lugubrem. *Augustus diem cladis tantæ mæstū habuit quotannis.* Sub idem tempus, cum hoc ad Occidentem, inter Rhenum Albimque geruntur, Tiberius tum victor Romam rediit, prætextatus, & laurea coronatus vrbem intrauit, triumphū tamen ipse distulit, mæsta ciuitate clade Variana. Proximo deinde anno repetita Germania, vacillantium cis Rhenum sitarum gentium animos, Gallias confirmat. *Tiberius victor Romam redit laurea coronatus.* Quum animaduerteret Varianam cladem temeritate & negligentia ducis accidisse, nihil non de concilij sententia egit (semper aliàs sui arbitrij, contentúsque se solo) cum pluribus de ratione belli communicauit, curamque solito exactiorem præstitit. Traiecturus Rhenum, commeatum omnem ad certam formulam restrictum, non antè transmisit, quàm consistens apud ripam explorasset vehiculorum onera, ne qua deportarentur, nisi concessa, aut necessaria. *Tiberij vitæ ordo.* Trans Rhenum eum vitæ ordinem tenuit, vt sedens in cespite nudo, cibum caperet: Sæpe sine tentorio pernoctaret. Præcepta diei sequentis omnia, & si quid subiti iniungendum esset, per libellos daret: addita monitione, vt de quo quisque dubitaret, se nec alio interprete, quacunque vel noctis hora, vteretur. *Disciplina militaris.* Disciplinam acerrimè exegit, animaduersionem, & ignominiarum generibus ex antiquitate repetitis: atque etiam legato legionis, quòd paucos milites cum liberto suo trans ripam venatum misisset, ignominia notato. Vindicare, abolereque illatam ignominiam, non superare Germaniam, propositum erat: quam licet tanti putasset vincere Augustus, ipsa magis tamē turpiter amissa est, quàm gloriosè acquisita. *Tiberius triumphum agit.* Tiberius re prosperè gesta, non multum abfuit, quin occideretur. Ex Germania in vrbem post biennium reuersus triumphum, quem distulerat, egit. *Batho Dux Pannoniæ.* Bathonem Pannoniorum ducem, ingentibus donatum præmiis Rauennam transtulit, gratiam referens, quòd se quondam cum exercitu iniquitate loci circumclusum passus est euadere. *Germanicus filius Drusi. Tiberius.* Tum Germanicus Tiberius Cæsar, filius Drusi, sub obitum ferè Augusti in Germaniam, non subiiciendæ gentis, sed vindicandæ cladis acceptæ causa cum exercitu perrexit: iacere enim adhuc insepultæ reliquiæ Varianæ cladis ferebantur. Nunc (vt pollicitus sum) ad Rhetos, Vindelicos, Noricosque redeo.

Occidentale Rhetiæ latus (vti est apud CL. Ptolomæum Cosmographorum haud dubiè diligentissimum) Rheno: indeq; ducta linea ad fontes Danubij, includitur. Septentrionale Danubius, Orientale finit OEnus in Alpibus. Lycus extra Alpes (Graias Ptolomæus nominat) quæ ab Austro Rhetiam ab Italia submouent. *Rhetiæ descriptio & gentes & vrbes.* Eam nunc Sueui cis Danubium incolunt, Curenses, Engadini, Graopundi, Voltureni super Comum: Ananici, Tridentini suprà Veronam possident. Rhetorum partem Vindoligos esse docet Strabo, vbi imperiti, similitudine nominum decepti, Vindelicos legunt. Illorum oppida Brigantium, siue quod idem est, Bricantium, & Cabodunum nomina seruant. Augustam (quam splendidissimam Rhetiæ Coloniam Tacitus adpellat) nonnulli Drusomagum à Ptolomæo vocari opinantur. Quidam falsò Vindelicorū cognominant. Primus Rhetiam coluisse fertur Tuisconis Tetrarches nomine Adulas: à quo mons adhuc nomen retinet. Deinde longo post tempore Rhetus dux Ethruscorum, Italia pulsus eam occupauit, Rhetiamque à suo nomine adpellauit, Tarquinio Prisco tum Romæ regnante. Demum Alemani Sueui, ea tempestate, qua Hyldericus primus, & Ludouicus apud Francos imperitauit, pulsis Romanis, sedes ibi collocarunt.

Norici descriptio. Noricos tres amnes altissimi, OEnus, Danubius, Drauus (qui in alpibus Noricis, vt ait Plinius, oritur) vallant. Nunc Boij, Austriaci, Stirij, Charini, Tyrolij Noricum tenent. Tuisco Germanorum, & Sarmatarum conditor, Histrum filium Ebri in hanc regionem cum colonis misit, qui Danubio, & Histriæ celebre ad posteros nomen dedit. Post hos imperitasse reperio Tibilenum peculiarem Noricorum Deum, & Taurum, à quo mons Taurus adhuc nominatur. Subsequitur hunc Panno, à quo Pannonia, pars Norici dicta, nomen vetus retinet, paret Pontifici Iuuauensi, succedit Penno, vnde Penninæ Alpes, & mons Penninus vocatus, vbi oriuntur Athesis, & OEnus, Venusticum (hoc est Venster mons) vulgo nominant, à Vennone successore Pennonis, & authore Vennonum.

hi acco-

hi accolæ sunt fontium Athesis, vocabulum vetus manet. Tauriscum Tyrannum, à quo Taurisci conditi, vicit Hercules. Potitus est dehinc rerum Noricus filius Alemani Herculis, regis Germaniæ magnæ, vnde Noricum cognomen recepit. Tempore Iulij Cæsaris paulò ante natum Christum seruatorem nostrum, regem Noricorum fuisse reperio Voccionem, qui Cæsari contra Pompeium in bello ciuili trecentos Equites in auxilium misit: Cuius etiam sororem duxit Ariouistus Rex Germaniæ magnæ. Post hunc vltimus Rex Noricorum Critolirus, postea Noricum in Romanam prouinciam redactum est. Horum omnium Regum nomina crebrò in fastis reperio antiquis. Medij inter hos Vindelici, à Rhetis Lyco, à Noricis OEno, à Germania magna Danubio separantur: nostro æuo superiorem, inferioremque Boiariam nominamus, vti suprà in libro primo explanauimus. Ita quoque & inscriptio, & vetus monumentum comprobat Reginoburgij, quod caput Boiorum est, lapidis huius inscriptionem paulo inferius offendes. Quinam Vindelici fuerint, incertum diuersi faciunt authores. Porphirio Thracas fuisse, eiectos ab Amazonibus in exilium se contulisse, hisque regionibus insedisse commemorat. Verum Seruius Amazonum, Cimbrorumque sobolem testimonio Horatij, esse censet. Sunt qui a Vandalo Rege Germaniæ conditos, & dictos velint. Alij à Vindis, & Lyco dictos esse opinantur. Sunt autem Vindi pagi Boiariæ intra Isaram, & Lycum. Nam fluuium Rhetiæ, qui supra Augustam Lyco miscetur, quem vulgus Bertham, Latini & Fortunatus Virdonem vocant, quis vnquàm Vindam dixerit? nisi qui sibi somnia fingũt, & grauissimos authores ad suæ ignauiæ patrocinium malunt erroris ridiculi accusare, quàm operam dare, vt illos rectè intelligant. Ego cum Rhetiam secundam hanc regionem & incolas à T. Liuio semigermanos vocari reperiam, facile in eam ducor coniecturam, vt Vindelicorum nomen, ab Vndeinlec, Germanico vocabulo, quod infra Lycum declarat, elisis, commutatis, additisque literis (sicut consuetudo scriptorum est) detortum esse existimem: quemadmodum & in quibusdam antiquis lego exemplaribus, & etiam nunc Austria supra flumen Anassum, infráque vsurpari solet. Fuere Vindelici, Norici, Rheti, gentes ferocissimæ, Italorum infestissimi hostes, crebro in Italiam incursationes factitabant, igne, ferro, flamma omnia vastabant, vrbes diripiebant. Cum vicum, aut oppidum cæperant, non modò puberes, verum etiam infantes trucidabant. Nec hisce contenti, fæminas etiam vterum ferentes necarunt, quascunque marem concepisse Vates, & sacrificuli sui diuinabant. Ad retundendam harum omnium gentium crudelitatẽ, anno ante natum Christum, viuentium regem, & dominum mundi, quintodecimo, Claudius Tiberius, & Drusus, Nerones, fratres Germani, priuigni Augusti à vitrico, cum legionibus & copiis missi sunt. Et, vt verbis Paterculi vtar, diuisis partibus, Rhetos, Vindelicósque adgressi, multis vrbium & Castellorum oppugnationibus, nec non delecta quoque acie feliciter functi, gentes locis tutissimas, aditu difficilimas, numero frequentes, feritate truces, maiore cum periculo, quàm damno Romani exercitus, plurimo cum earum sanguine, æstate vna, omnes huius cardinis populos perdomuerunt. Bis aperto Marte pugnatum est, multum sanguinis effusum est. Riui cruore humano colorem mutarunt. Mulieres deficientibus telis, infantes ipsos adflictos humo in ora militum aduersa miserunt. Horatius Flaccus Poëta Lyricus, quartũ librum Carminum longo interuallo posteris iussu Augusti ad celebrandum hoc bellum conscripsit. Eius carmina hæc sunt: ociosis, & curiosis placuit subtexere.

Videre Rheti bella sub alpibus
Drusum gerentem. & Vindelici, quibus
Mos vnde deductus per omne
Tempus Amazonia securi
Dextras obarmet, quærere distuli.
Nec scire fas est omnia, sed diu
Lateq; victrices cateruæ
Consiliis iuuenis reuictæ, &c.

Horat. lib. 4. Ode 4.

Idem ad Augustum.

O qua sol habitabilis
Illustrat oras, maxime principum,
Quem legis expertes Latinæ
Vindelici didicere nuper
Quid Marte posses, milite nam tuo
Drusus Gelonos, implacidum genus,
Brennosq; veloces, & arceis
Alpibus impositas tremendis
Deiecit acer plus vice simplici.
Maior Neronum mox graue prælium
Commisit, immanesq; Rhetos
Auspiciis pepulit secundis.
Spectandus in certamine Martio
Deuota morti pectora liberæ
Quantis fatigaret ruinis,
Vt barbarorum Claudius agmina
Ferrata vasto diruit impetu:
Primosq;, & extremos metendo
Strauit humi sine clade victor.
Te copias, te consilium, & tuos
Præbente diuos, nam tibi, quo die
Portus Alexandria supplex
Et vacuam patefecit aulam.
Fortuna lustro prospera tertio
Belli secundos reddidit exitus,
Laudemq;, & optatum peractis
Imperijs decus arrogauit.

Marginal notes: Voccio Rex Noricorum ante Christũ natum. — Critolirus, vltimus Noricorum Rex. — [illegible] — Vindi qui. — Wertach. Virdo. — Vindelici etymon. — Vindelicorũ, Noricorum, Rhetorum ferocitas.

Item

Item Ouidius de Druso, ad Liuiam Drusillam Augusti vxorem.

Fortuna arbitrijs tempus dispendit vbique,
Illa rapit iuuenes, sustulit illa senes,
Quæ tamen hoc vno tristis tibi tempore venit.
Sæpe eadem rebus fauit amica tuis.
Quod spes implerunt, maternaq; vota Nerones.
Quod pulsus totiens hostis vtroq; duce.
Rhenus, & alpinæ valles, & sanguine nigro
Decolor, infecta testis Isargus aqua.
Danubiusq; capax, & Dacius orbe remoto
Appulus huic hosti per breue pontus iter.
Armeniusq; fugax, & tandem Dalmata supplex,
Summaq; dispersi per iuga Pannonij.
Consul, & ignoti victor Germanicus orbis.
Qui fuit, heu mortis, publica causa leger.

Sed ordinem cœptum prosequar. Romani victores superiores regiones in formam prouinciæ redegerunt, Colonias deduxerunt, Romanis, Italicis Colonis oppleuerunt. Arces, & munimenta locis editioribus, & natura munitis, condiderunt. Per omnem Danubij ripam nauigia excubitoria præsidia, stationésq; militares, quæ Germanos vado arcerent, dispositæ, atque constitutæ: exercitúsq; prouinciatim distributi, qui subiectos in fide continerent, & ab incursationibus Germanorum defenderent. Prædia stipendiaria (Parrochias vocabant) militibus, quemadmodũ nostro æuo sacerdotibus, assignata sunt.

Parrochiæ prædia stipendiaria.

Custodiere Vindeliciam, præter auxilia tres legiones, Martia Quarta, Quinta Bachaua, quę per ripam Danubij per suas stationes & cohortes collocatæ sunt. Castra quoque subdio, vallo, fossáque munierunt, æstiua & hyberna constituerunt, vbi militares copiæ, legiones, & auxilia excubarent, séque tutarentur, si hostis inualuisset. Æstiua fuere in inferiore Boiaria, vbi est vicus Gisalena. Hibernorum vestigia monstrantur in superiore Boiaria, supra Gisoueltas vicum, & Cœnobium sacratarum fœminarum, vulgus Vallum, fossásque & c[...] Romana nominant. Aurariæ, & Ferrariæ Noricorum, quas & Strabo, & Plinius H[...]tiusque memorant, Reipub. fiscoq; addictæ sunt.

Gisaleria. Gysythering. G[...]nfeld Auraria & Ferraria Noricorum.

Nobilitas, principes, sacerdotes (ne relinqueretur materia bellandi) aut occisi, aut captiui Romam cum vxoribus, liberis abducti, cathenis collo, manibúsque colligati, triumphati sunt. Deinde partim Leonibus, Apris, & huiusmodi bestiis in circo, harenáue obiecti, Rom. populo crudelissimũ spectaculum, sanguinariamque præbuere voluptatem: pars in carcere necati, sublatiq; sunt: quemadmodum nostro æuo Turcas factitare fama est. Plebes ademptis omnibus armis, agriculturæ operam dare (vineas tamen, ac vites colere prohibita) tributa annua pendere iussi, amissis legibus patriis, linguáque paulatim in mores sermonemque transit Romanum. Non solum manu Roma gentium regina (vt ait Plinius) sed etiam lingua superauit gentes.

Roma lingua etiam gentes superauit.

Nec enim apud victorem, & magistratus alia lingua, quàm Romana (quæ vsitatius latina dicitur) loqui, vel agere quicquam licebat: nedum rescripta, responsáque alio ederentur sermone. Legimus Imperatores ipsos in Senatu nominaturos etiam necessitate Græco vocabulo rem, veniam postulasse, quod sibi verbo Gręco vtendum esset: atque etiam in decretis patrum, Græcam commutandam vocem consueuerunt, & pro peregrina Latinam requirendam: aut si non reperiretur, vel pluribus per ambitum verborũ rem enunciandam. Militem quoque Græce testimonium interrogatum, nisi Latinè respondere, vetitum fuit. Data siquidem opera est (ita Diuus Aurel. Augustinus etiam scribit) vt imperiosa ciuitas non solum iugum, verùm etiam linguam suam, domitis gentibus, per pacem societatis imponeret, per quam non deesset, imò & abundaret etiam interpretum copia. Superiores regiones, quas dixi, præcipuè Vindelicia (vbi nati, & cuius situm, gentesque describere polliciti sumus) Romanis paruerunt quingentos triginta quinq; annos.

Vindelicia quamdiu Rom. paruerit.

Missus & datus est à Romano Imperatore rector (quem & præsidem, procuratorem, ducẽ, comitem, legatum vocabant) qui maius imperium in ea prouincia habebat secundum principem: & ne ille fines prouincię, nisi soluendi voti causa, dum tamen non abnoctaret, excederet, lege cautum fuit. In suæ prouinciæ homines imperium tantum habebat, interdum & aduersus externos, si quid commisissent mali. Primus præses fuit post Claudios Tiberium & Drusum Nerones, L. Piso vir Consularis.

L. Piso præses.

Præterea Quæstores atque procuratores, cum scriba, qui prædia Cæsaris, & fisci bona curarent: item qui ius dicerẽt, singulis prouinciis dati sunt: assideréque duntaxat in prouincia nati permissi sunt. Nec enim cuipiam, nisi in sua prouincia, assessori esse licuit, ita lege sancitum erat. Non ingratum fore existimo lectori, si breuiter & in transcursu dicatur, quemadmodum princeps vrbium, caputque mundi Roma, numine cælesti electa, sparsa congregarit imperia, ritus molliret, tot populorum discordes, ferásque linguas sermonis commercio traxerit ad

Roma caput mundi sparsa congregauit imperia.

colloquia,

colloquia, humanitatem homini dederit, breuiter, vna cunctarum gentium in toto orbe patria facta fuerit, prius Claudiani de tanta vrbe carmina subnectere libet. *Claudian. In laudem Stiliconis panegyrico 3*

Proxime Diis Consul, qua tanta prospicis Vrbi,
Qua nihil in terris complectitur altius æther,
Cuius nec spatium visus nec corda decorem,
Nec laudem vox vlla capit, quæ luce metalli
Æmula vicinis fastigia conserit astris:
Quæ septem scopulis zonas imitatur olympi,
Armorum, legumq́; parens: quæ fundit in omnes
Imperium, primiq; dedit cunabula iuris.
Hæc est, exiguis quæ finibus orta, tetendit
In geminos axes, paruaq́; à sede profecta
Dispersit cum sole manus: hæc obuia fatis,
Innumeras vno gereret cum tempore pugnas:
Hispanas caperet, Siculas submitteret vrbes,
Et Gallum terris prosterneret, æquore Pœnum.
Nunquàm succubuit damnis, & territa nullo
Vulnere, post Cannas maior, Trebiamq́; fremebat.
Et cum iam premerent flammæ, murumq́; feriret
Hostis, in extremos aciem mittebat Iberos:
Nec stetit Oceano, remisq́; ingressa profundum,
Vincendos alio quæsiuit in orbe Britannos.
Hæc est in gremium victos quæ sola recepit,
Humanumq́; genus communi nomine fouit
Matris, non dominæ ritu: ciuesq́; vocauit
Quos domuit, nexuq́; pio longinqua reuinxit.
Huius pacificis debemus moribus omnes,
Quod veluti patriis regionibus vtitur hospes,
Quòd sedem mutare licet, quòd cernere Thulen,
Rursus, & horrendos quondam penetrare recessus.
Quod bibimus passim Rhodanum, potamus Orontem,
Quòd cuncti gens vna sumus, nec terminus vnquam
Romanæ ditionis erit: nam cætera regna
Luxuries vitiis, odiisq́; superbia vertit.

At nunc regina vrbium gentiumq; domina non solum semidiruta, sed libertate etiam amissa Seruo seruit seruorum. Sed rem cœptam prosequar.

Romani diligentissimè omnium disciplinam militarem resque bellicas coluerunt, atque milites curarunt. Ita supergressi omnium penitus nationum regna, maximum latissimumque condidere imperium, id quod etiam cælestis Philosophiæ penetralibus continetur. *Vbicunque Romanus vicit* (verba sunt Senecæ) *habitauit, Colonos in omnes prouincias misit.* Ad hanc commutationem locorum libens nomina dabat: & relictis aris suis, trans maria sequebatur Colonus senex. *Posteaquam enim* (narrat Seuerinus Boëthius) *Romanus hostilem terram obtinuit, deletis hostium ciuitatibus, denuò nouas vrbes constituit, dato Coloniæ nomine, ciues iterum ampliauit, milites Colonos fecit: vrbes prouinciarum exercitus adsignari iussit: propter subitas bellorum acies, non solùm eas ciuitates demum cingere muris, verum etiam loca aspera, & confragosa saxis allegari præcepit.* Nam huiusmodi agros (sicuti refert Tacitus) vligines paludum, & iuga montium emeriti accipiebant, vt illis maxime propugnaculo esset ista loci natura: Id etiam docet Ouidius isthoc carmine. *Militaris disciplina apud Rom. Ro. Imp. latissimum.*

Fessus in acceptos miles deducitur agros.

Ab hac agrorum noua dedicatione culturæ, Coloniæ appellatæ, quæ his victoribus, qui Reipublicæ causa arma cœperunt, adsignatæ sunt.

Militares copias in duo diuiserunt genera, Legiones, & Auxilia. Legiones ab eligendo dictæ, ex propriis militibus, tanquàm ordinariis & legitimis constitutæ fuerunt: satius enim esse arbitrabantur, suos erudire armis, quàm alios mercede conducere. Nec cuiquàm militare licuit, nisi is sacramento rogatus, solenni ritu in verba Imperatoris, præeunte legato, iurasset. Hoc authoramento soluti, exauthorati vocantur. Pascebantur publica annona milites: & partē donatiui dimidiam apud signa deponere cogebantur, ne per luxum, & lasciuiam peculiū castrense absumerent, aut temerè ab signis, & fortius pro suo dimicarent. Auxilia serius recepta ab exteris, etiam ab hostibus contra hostes accersita, emptaq; mercede sunt: & tanquam leuis armaturæ in acie legionibus adiungebantur, vt in his præliandi magis adiumentum, quàm principale subsidium foret. Vtrique ordines, prouinciatim distributi sunt. Præterea ærariū militare, prouinciæ, oppida, prædia stipendiaria (Parrochias vocabant, quemadmodū apud nos Ecclesiastica militis, & sacerdotibus) milti- *Colonia. Auxilia. Parrochiæ.*

militibus constituta sunt, vt perpetuò sine difficultate suppeterent sumptus ad tuendos, prosequendosque milites. Quicquid vbique militum fuit, ad certam stipendiorum, præmiorúmque formulam adstrictum est, definitis pro gradu cuiusque, & temporibus militię, & commodis missionum, ne aut ætate, aut inopia post missionem ad res nouas sollicitari possent.

Agri de hostibus capti, militibus donati.

Agri capti de hostibus, donati militibus fuerunt, addita iumenta & serui, vt possent colere quod acceperant, ita vt ad hæredes quoque, si militarent, nec vnquam ad paganos, transirent: quo diligentius pro Repub. bellicis muneribus operam nauarent, si sua rura defenderent. Emeritis, maximè tribunis, ducibus, præfectis, agri, villæ, oppida, quæ necessaria quoad viuerent, suppeditarent, dabantur: illis quoque liberos, si vtiles imperio forent, succedere aliquando permissum est. Præter hæc ab Imperatore accipiebant præsides prouinciarum argenti pondo vicena, phialas senas, mulos binos, equos binos, vestes forenses binas, domesticas singulas, aureos centenos, cocos singulos. Et si vxores non haberent, singulas concubinas, quod sine his esse non possent. Reddituri deposita administratione mulos, mulas, equos, muliones, & cocos: cætera sibi habituri si bene egissent: in quadruplum reddituri, si male.

Legatus.

Ante Legatum quoque decem milites soliti sunt semper ambulare. In demortuorum verò militum, siue missorum, siue aliam quandam ob causam abeuntium, locum, singulis penè mensibus Tyrones suffecti sunt, quos armis, ad scutum, ad palum, punctim, cæsim feriendo: notando, gradiendo, saltando, equitando, sagittis, missilibus, iactu lapidum, & huiusmodi præexercitamentis accuratissimè Tribuni exercuerunt.

Tyrocinia. Torneamenta.

Vnde Tyrocinia dicta sunt, quæ vulgus literatorum Torneamenta vocare solet. Penes quemque Imperatorum breuiarium totius Imperij fuit, quantum militum vbique sub signis essent: quantum pecuniæ in ærario, & fiscis, & vectigalium residuis, adiectis eorum nominibus, à quibus ratio exigi posset. Milites quoque suos vt scirent, vbique Imperatores in cubiculo habuere breues, in quibus nomina, dignitates, tempora, & stipendia conscripta, cum soli erant, hæc recensebant, de promouendisque cogitabant, & annotabant.

Classes Romanorum vbi.

Classis etiam Rauennæ, & altera Miseni, ad tutelam superi, inferique maris collocata fuit. Nunc mare Venetum, Longobardorúmque vulgo appellatur. Vnde commodè ad Asiam, Aphricam, Græciam, ad omnes partes, membraque Imperij, si quid noui accideret, nauigari posset.

ORBEM autem terrarum, qui Romani paruit, Reges, Pontifices, Tetrarchæ tenuerunt: quam verò ipsi habuerunt, prouinciam vocarunt. Præfectos, & Quæstores in eam misere. Fuerunt etiam nonnullæ ciuitates liberæ conditionis. Aliæ ab initio per amicitiam, aliæ ab ipsis honoris causa libertate donatæ: hæ secundum patrias leges viuebãt, sociæ, fæderatæque nuncupabantur.

Oppidorũ genera quinque.

Quinque oppidorum genera fuisse apud Plinium lego, Colonias, Municipia, vrbes fæderatas, liberas, Stipendiarias. Hæ stipendia militibus contribuebant. Ærario quoque militari vectigales erant. Fœderatæ certis quibusdam pactis, quæ fœdere expressa fuerant, constringebantur. Liberas, nemini obnoxias, nemini quicquam præstitisse, sui iuris, suæ spontis fuisse vocabulum indicat. Municipiis concessum erat (sicut Gellius docet) vt ciuitatis Romanæ honorem quidem caperent, sed negociis tamen, atque oneribus vacarent.

Municipes.

Et Municipes fuerunt ciues Romani suo iure, & suis legibus vtentes, muneris tantum cum populo Romano participes, à quo munere capessendo adpellati videntur, nullis aliis necessitatibus, neque vlla lege Pop. Roma. adstricti.

Coloniæ.

Coloniæ suis radicibus non vtuntur, sed ex ciuitate quasi propagatæ sunt, & iura institutaque omnia populi Romani, non sui arbitrij habent: quæ tamen conditio, cum sit magis obnoxia, & minus libera, potior tamen & præstabilior existimabatur, propter amplitudinem maiestatemque populi Romani, cuius istæ Coloniæ, quasi effigies paruæ, simulacráque esse quædam videbantur. Nam, vt D. Aurelius, Augustinus ait, *Ciuitates à maioribus ciuitatibus, velut populorum examinibus conditæ, Coloniæ nuncupantur.*

Prouinciarum duo genera. Validiores.

Prouinciarum duo genera erant, Validiores, quæ militum præsidio indigebant: vt gentibus nec dum subactis finitimæ, steriles, & cultu difficiles erant: & quas annuis magistratuum imperiis regi nec facile nec tutum erat, Cæsares susceperunt, administratorésque in eas miserunt, quos Legatos, Præsides, Rectores, Procuratores, Duces vocari apud rerum scriptores reperio.

Pacatæ.

Reges quoque ac Pontifices, & Tetrarchæ ad ius Cæsarũ semper spectarunt. Cæteras quæ pacatæ fuerunt, & facile sine armis retinebantur, populo Rom. ipsi Cæsares concesserunt, proconsulibus, & prætoribus sortitò permiserunt. Gentibus victis, teste Plinio, semper argentum, non aurum in tributo populus Romanus imperauit. Et quo celerius, ac sub manu adnunciari, cognoscique posset, quid in prouincia quaque gereretur, iuuenes primò modicis interuallis per vias militares, dehinc vehicula disposita sunt: cõmodius id visum est. quod idem qui in loco proferebat literas, si quid res exigat, interrogari poterat. Operæprecium fecisse videor, si perquam paucis magnitudinem Romani Imperij indicauero: prouincias cum insignioribus vrbibus, in breui quasi tabella depinxero, simul vt intelligatur, plane nihil earum rerum (quas tantopere mortales admirantur, & pro quibus acerrimè armis diuina, humanaque miscendo dimicant) saluum, certumque

tumque fore,cum Romanum perierit Imperium,quod omnium florentiſsimum, potentiſsimum,& ſecundum Deorum opes (vt ait Liuius) maximum fuerit. Italia illa quondam altrix victoris omnium gentium populi, omnium terrarum alumna, eadem & parens,violati orbis pœnas nec dum expiata,adhuc luit,pro qua, tanquàm re derelicta, pugnis decertant ſæuiſsimè iampridem Pontifex Romanus, Germani, Franci, Galli, Celtæ, Hiſpani. Eandem tanquàm dubiæ poſſeſsionis in medio poſitum ſolum,pro vt quiſque viribus inualuit,trahunt,vexant,lacerant,vaſtant. Sed feſtinanti ad res Boiorum, quod pollicitus ſum,modo aperiendum eſt,altiusque repetendum.

Italia omniũ terrarũ parẽs & alũna.

Romani ex vna ciuitate profecti,belli,pacisque artibus omnium mortalium quondam clariſsimi,primo totam Italiam,deinde proxima quæque Italiæ, poſtremò Europam, Aphricam, Aſiam armis,& virtute ſibi parêre coëgerunt. Cum Oceano, Gallico, Hiſpanico,mare Mediterraneum omne,quacunque latiſsimè diffunditur, cum Inſulis omnibus in obſequium redegerunt.

Romani Imperij magnitudo deſcribitur.

Terrarum orbis vniuerſus in tres diuiditur partes,Europam, Aſiam,Aphricam. Origo ab occaſu Solis,& Gaditano freto,qua irrumpens Oceanus Atlanticus in maria interiora diffunditur. Hinc intranti dextera Aphrica eſt,læua Europa, ante has Aſia eſt. Termini,Tanais,& Nilus. Europam totam tenuerunt Romani, præter eas partes, quæ inter Danubium,Rhenum,& Tanaim amnes,Septentrionalem Oceanum cõtinentur, ita Strabo docet. Danubius enim,ac Rhenus extremam Rom.Imperij (ſicuti Plinius nominat) marginem alluerunt. Id quidem eleganter Claudianus deſcribit. Verſus eius hij ſunt.

Orbis terrarum diuiſio.

Claudianus.

Prominet Hercynia confinis Rhetia ſylua,
Quæ ſe Danubij iactat, Rheniq; parentem:
Vtraq; Romuleo prætendens flumina regno.

Altera ripa Romanorum,alia Germanorum fuit. Danubij ripam, qua Rhetos, Vindelicos,Noricos,Pannonias,Moëſos præfluit,Legiones viginti, Rheni verò oram Gallicam duo exercitus,ſuperior,inferior cuſtodierunt. In vno quoque quatuor fuere legiones exercitu,cognomina earum apud Tacitum leguntur. Atque hij amnes cum aucti aquis erant,ab omnibus,qui oram Galliæ,Rhetiarum,Vindelicorum,Noricorum, Pannoniæ,Moëſiarum incolebant,dijs honor habitus, gratiæque actæ. Quòd ſi defeciſſent,aut ſiccitate decreuiſſent,aut denique glacies ripas coniunxiſſet,omnis tum ætas,atque ſexus, viri,mulierculæ,iuuenes,ſenes,pueri,puellæ publicè,& priuatim indixere iuſticium: ab auguribus,ſacerdotibus,ſacrificulis feriæ conceptæ, ſupplicationes decretæ,circa omnia puluinaria deorum ſupplicatum eſt: hoſtiæ maiores, minores mactatæ, & peculiaribus cæremonijs,ſacris ſolennibus,votis,& comprecationibus Ioui Elicio operati ſunt Pontifices minores,& maximi Flamines,vt impetrarent pluuiam,inundationemq; horum fluminum,ne Germanis pateret tranſitus. Meminit & Claudianus.

Alta nec incertis mentimur flumina votis,
Excidio latura moram, non poſcimus amnes
Vndoſam ſeruare fidem, nubesq; fugaces,
Aut coniuratum querimur ſplendere ſerenum.

Aphrica ora,quæ nobis ex aduerſo eſt,tota Ro.paruit,vſque Æthiopas. Nam reliqua vel inhabitabilis & ſterilis eſt,ob harenarum tumulos,vel à paſtoribus incolitur.

Aphrica.

Aſia quoq; quæ ad nos vergit,tota Romano ſubiecta fuit imperio,præter Scythas.Parthos,Perſas,Indos. A quibus tamen ſemper aliquid quotidie demere ſolebant. Termini Tigris,Caucaſus mons,mare Rubrum,& Pontus Borealis.

Aſia.

Europam,quatenus paruit Romanis,in ſex diuiſerunt partes,quarum vnamquámque prouincijs rurſus determinarunt. Nomina illarum hæc ſunt. Italia,Hiſpania,Gallia, Illyricum,Thracia,Græcia.

Europa.

Italia patet longitudine,vbi longiſsima eſt,decies centena, & viginti millia paſſuum. Latitudo varia eſt. Vbi latiſsima,quadringenta millia paſſuum explet: aliquibus locis centum triginta quinque non excedens. Italiam Imperator Cæſar Auguſtus in vndecim diuiſit regiones,quibus adiectę ſunt ſex prouinciæ,Sicilia,Sardinia,Corſica,Rhetia prima, Rhetia ſecunda,Alpes Graiæ,Penninæ.

Italia.

Prima Italiæ regio incipit à Tyberi, terminatur Vulturno amne; continet Latium, Campaniam,Picentinos: antiquum Latium a Tyberi Circeios ſeruatum,millia paſſuum quinquaginta longitudine. Deinde proceſsit ad Lirim amnem, ibi Roma terrarum caput. Anxur, quæ & Terracinæ Volſcorum, Tibur, Præneſte, Ardea, Fidenæ, Formiæ, Sinueſſa: extremum in adiecto Latio Campania eſt à Sinueſſa ad Surrentum promontorium,in ea ſunt Sarnus amnis, Vulturnus amnis: oppida,Capua,Aquinum, Cumæ, Miſenum,vbi Claſsis Romana,Puteoli,Neapolis, Nola, Lacus Auernus. Nunc regnum eſt Neapolitanum,varios ſortitum dominos pro libidine Romanorum Pontificum. Conradum vltimum Sueuorum ducem Celtæ interfecerunt: hos pepulerunt Hiſpani. Picentini a Surrento promontorio, ad Silarum amnem triginta millia paſſuum procedunt.

Italiæ regio I.

Conradus vltimus Sueuia Dux & Siciliæ Rex.

Oppidum eorum Salernum. Secunda amplexa eſt Hirpinos, Calabriam, Pediculos, Apuliam, Salentinos. Hirpinorum fluuius Aufidus, Beneuentum, Cannæ, nobiles clade Romana. Calabriæ oppida, Brunduſium, Hidrus, Hidruntum. Pediculorum, Rhudia, Egnatia, Barium quod ante Iapyx. Apuliæ vrbes ſunt, Salapia, Sipus, Sipontum, vbi Nicolaus Perotus Pontifex fuit, vir de lingua Latina bene meritus. Eſt & in Apulia Garganus mons. Salentinorum oppidum Galleopolis.

Nicolaus Perotus.

Tertia Italiæ regio cōplectitur à Silaro amne Lucaniam, Brutiam, Magnam Græciam. Lucanorum oppida, Peſtum, Velia, Brutiorum Regium. Magnæ Græciæ, Locri, Tarentum, Petilia, Croton, Metopontum, quo tertia Italiæ regio finitur. In quarta ſunt Frentani a Tiferno flumine, Anaxini, Carentini, Peligni quorum oppidum Sulmo. Marſi, Fucinus lacus, Veſtini. Equiculorum, Cliterni Carſeoli. Sannites qui & Sabelli, Sabini vbi amnes Nar, & Anio, & ortus Tyberis.

Lucanorum oppida.

Quinta regio continet Picentes, Picenósque, Hadriam Coloniam, & Anconem terminum quintæ, ſextæque initium. Hæc complectitur Vmbriam, agrum Gallicum, circa Ariminum. Ab Ancone Gallica ora incipit, Togata Gallia cognomine. Oppida in ea ſunt Senogallia, Piſaurum. Septima regio ſub Apennino eſt a Macra fluuio ad Tyberim, continet Hetruriam, (eadem & Tuſcia eſt) ſunt in ea Luna primùm Hetruriæ oppidum (vbi portus Veneris nominatur) Senæ, Piſæ, Luca, Piſtorium, Florentia, Aretium, Peruſia. Octaui regio determinatur Arimino, Pado, Apennino, in ea ſunt Gallia Togata Ariminum, Rubico fluuius, vt ait Ptolomæus Boiorum quondam finis Italiæ, Rauenna, Bononia, Felſina vocata cum eſſet princeps Hetruriæ. Mutina, Parma, Placentia, Forum Clodij Populi Cornelij, Licinij, Fauentia. In hoc tractu interierunt Boij (quorum tribus centum & duodecim fuiſſe autor eſt Cato) & Senones, qui cæperant Romam. Nona eſt Liguria, ſub Alpibus inter amnes Varum, & Macram, qui Liguriæ finis Apenninus, Nicea, Albigaunam, Vada Sabacia, Genua, Dertona, Pollentia, Aſta, Alba Pompeia. Decima complectitur Venetiam, Carnos, Hiſtros. Lacus in hac regione inclyti, Larius, Verbanus, Benacus, qui ſunt Gardæ, Oppida Venetiæ ſunt, Tridentum, Vicentia, Atheſis ex Tridentinis iugis ortus, Patauium. Cænomanorum Brixia, Cremona, Mantua, Verona. Carnorum, Iulienſes, Foroiulienſes, Tauriſani, Aquileia, Tergeſte. Hiſtriæ, Parentium, Pola. Vndecima regio Italiæ, ſecundum deſcriptionem Auguſti Tranſpadana vocatur, in qua ſunt Auguſta Taurinorum, Salaſsiorum, Auguſta prætoria, Eporedia, Vercellæ Libitiorum, Nouaria, Ticinum, Laus Pompeia, Inſubres, Mediolanū, Bergamum, Comum. Italiæ regionibus hæ prouinciæ coniunctæ fuerunt, Italicæque cognominatæ Sardinia, Corſica, quæ & Cirnos, Sicilia. Inſulæ hæ primum prætoriæ fuerunt, poſtea ſingulæ à præſidibus rectæ ſunt. Alpini omnes populi, è ſupero ad inferum mare (Venetum & Longobardum nos vocamus) Rhetia prima, Rhetia ſecunda, quæ & Vindelicum, de qua mox plura. Rhetia & Vindelicia, cum alpium parte, à Boiis & Sueuis, pulſis Italis poſsidentur. Italia præter Romam, Imperio ablata fuit, per Longobardos gentes Germanas, à quibus Italiæ adhuc cognomen manet. Carolus Magnus, qui primus Germanorum potitus eſt Romanarum rerum, rurſus Imperio coniunxit.

Togata Gallia.

Venetiæ oppida.

Interitus Boiorum.

Italiam Imperio ablatam Carolus Mag. rurſus ei cōiunxit.

Sicilia vt prima omnium prouinciarum fuit, ita vltimo prærepta eſt Romanis Imperatoribus, non ſine detrimento Reip. Chriſtianæ, occiſo crudeliſsimè Conrado adoleſcente, vltimo Sueuorum duce. Cuius manibus amplius ducentos annos cōtinenter mutua Gallorum, Hiſpanorum, Germanorúmq; cæde parentatur, velut patria ſacerdotibus Romanis committentibus, quibus opulentiſsimus quiſq; regū, maxime formidoloſus exiſtit. Paret nunc Sicilia Carolo Imper. Maximiliani nepoti, regum nominis Chriſtiani potentiſsimo.

Sicilia. Conradus Cæſar. Conradinus Sueuorū dux vltimus occiſus.

Hiſpaniarum prouinciæ ſeptem erant, Betica, & Luſitana Conſulares fuerūt, Plebi Senatuiq; Romano adtributæ, in alias præſides à Cæſarib. miſsi ſunt. Nunc tota Hiſpania, præter Luſitaniam, potitur Carolus ſuperior Imper. Maximiliani Cæſaris Auguſti ex filio nepos, &c. Tarraconenſis prima prouincia Hiſpaniæ, citerior quoq; adpellata Hiſpania, ad Pyrenea iuga cubat, quæ Runciuallem vocamus: nunc eſt Nauarriæ Caſtiliæque regnum. Carthaginenſis ſecunda eſt, à Carthagine noua ita nuncupata, Gotolaniam, Cataloniamq; vocant. Betica tertia prouincia, Granatæ eſt regnum, vlterior dicta quondam Hiſpania, in qua ſunt Gades, Hiſpalis, Cartheia, quæ & Tarteſſos, Corduba, Calpe mons. Quarta Hiſpaniæ prouincia, veteribus Luſitania, nobis eſt Portugallia. Caput eius, & emporium nobiliſsimum Vlyſsipo. Calleciam, ſiue Callecos quintam prouinciam, Galliciam nominat vulgus, D. Iacobi ſepulchro inſignem, quò frequens ſuſceptis votis Germaniæ populus proficiſcitur. Sexta eſt Tingitana, Mauritania dicta, trans fretum in terra Aphricana, eadem & Bogudiana, inter Calpem Hiſpaniæ extimum montem, & Abylam Aphricæ; ius petere in Betica iuſſi, idcirco & Hiſpaniæ addicta: ibi Atlas mons fabuloſiſsimus. Vltima Hiſpaniarum prouincia, Baleares ſunt Inſulæ, Maioricas adpellant. Hiſpanias pulſis Romanis, poſt mortem Theodoſij Magni occuparunt Germaniæ magnæ populi Goti, Alani Sueui, Nauarri, quorum progenies huc vſque regnauit.

Hiſpaniarū prouinciæ ſeptem.

Hiſpaniarū prouincia.

In Gal-

In Galliis fecerunt Romani sexdecim prouincias, quarum hęc nomina sunt. Germania secunda habuit vrbes, & copiosas, & amplissimas. Agrippinensem Coloniam, & Tungros: Amnis Scaldis Plinio terminus fuit. Germania prima, præter alia municipia complectitur Araris fontes secundum Marcellinum, Argentoratum, Nemetum, Augustam, Vangionum ciuitatem, Borbetomagum, Moguntiacum. Belgicæ primæ vrbes sunt Treuerorum Augusta, domicilium Augustorum, Mediomatrici. Leucorum vrbs Tullum, Verodunum, hæc tota Imperatoribus nostris dicto audiens est. Belgicæ secundæ oppida Rheni, Suesiones, siue Vessonum Augusta, Veromandui, Attrebates, Ambiani, Cathalauni, Turnacum, Cameracum vrbs Imperatoria, Morini, Bononia Flandrorum, pars Germanis paret, pars Francis Occidentalibus. Sequanorum (quæ quinta est prouincia Galliarum) vrbes sunt Vesontio, Auenticum, caput Heluetiorum Verona est, Basiliensium ciuitas, Vindonissa, Argentuaria (Colmaria est) Rauracorum Augusta, subdita Germanis: sunt quos Francos Orientales quondam vocarunt. Alpes Cottiæ à rege Cotto dictæ habent Segusionem oppidũ clarum sepulchro Cotti, Centronum Tarantasiam. Viennensis prouincia amplectitur Viennam, Geneuam, Valentiam, Arelaten, Massiliam, regnum Arelatense olim dictum, nunc Delphinatus vocari solet. Carolus quartus, filius eius Sigismundus, Imperatores Romani, primogenito Regis Francorum dono dederunt. Tabulas legi Luteciæ Parisiorum in Cænobio Diui Victoris, dum ibi adolescens studium Philosophiæ sectabar, pars Cæsaris adhuc clientes sunt. Narbonensis primæ oppida Narbo, Martius, Tolosa, Nemausum, Agatha: Secundæ, Aquæ sextiæ, Apta Iulia, forum Iulij Antipolis. Lugdunensis primæ Prouinciarum Galliæ decima continet Lugdunũ, Heduos, Lingonas, Cabillonem. Lugdunensis secundę sunt Rothomagus, Turoni, Constantia. Tertiæ verò Senones Carnutum, Trecasses, Aureliani, Lutecia castellum quondam Parisiorum, nunc vrbium maxima, caputque Celtarum. Aquitania prima complectitur Burdegalam, patriam Ausonij Poëtæ, Santhonas, Pictonas, Petrogoricos. In secunda Aquitania numerantur Auerni, Rutheni, Cadurci, nouem populorum prouincia, cuius & Hieronymus meminit. Eius vrbes Ausci, Elusates, Conuennæ, & Consoranni, meminit & Marcellinus. Britannia prima, secundaque, nunc sunt Anglia, & Scotia. Gallias præripuere Romano Imperio Franci, Burgundiones, Nordomani ex Germania profecti: Britannias Angli, Scoti, Saxonum, Sueuorumque soboles, ingentia ibi regna condiderunt, quæ adhuc nominantur.

Galliarum prouinciæ sexdecim, Germania secunda. Germania prima. Belgica prima. Belgica secunda. Sequani.

Illyrici decem erant prouinciæ. Noricum Ripense, iuxta Danubium est: Ripensem enim Danubium à Romanis vocari, autor est Metellius Tigurinus in Lyricis. Inde & Riparij Ripariolique dicti milites, qui Danubium limitem custodiebant, Austria est. Noricum Mediterraneũ primum, siue superius, Boij trans OEnũ, & Tyrolij possident. Noricum Mediterraneum inferius, atque secundum, Stirios, Carionas vocamus. Valeria quarta prouincia Illyrici, quondam pars Pannoniæ, inter Draum, Danubiumque, Occidentem versus continetur, à Valeria filia Imperatoris Diocletiani ita cognominata, pars est Austriæ, & Vngariæ. Pannonia inter amnes, Draum, Saum, Danubiumque, nunc est Vngaria, Carnique: in ea fuit Sirmium, vbi Bacontius flumen in Sauum fluit. & Almus mons, quem vitibus Aurelius Valerius Probus conseuit. Ipse enim primus Gallos, Hispanos, Illyricos, prouincialésque omnes Europæ vineas colere, vináque exprimere permisit, anno Christi ducentesimo, octogesimo secundo. Nominantur adhuc in Vngaria vina Sirmensia. Inde quadraginta quinque millia passuum Taurunum, Græca Alba est: vbi Danubio miscetur Saeus. Pannoniæ iungitur prouincia, quæ Mæsia adpellatur. Incipit à confluente supradicto, ad Pontum vsque decurrit. Duas fecere Romani, superiorem, inferioremque: tenuerunt illam Triballi, nunc Seruij & Bulgares vocantur: hanc Scythæ minores, & inferiores, Valachi sunt, & Bulgares. Inter has fuit Dacia Ripensis, octaua prouincia, quam Romani cis Danubium amissa Dacia Danubiana, fecerunt. In Liburnia, Illyricum propriè dicta, Iadera Colonia est, Sclauoniam vocant. Vltima prouinciarum Illyrici fuit Dalmatia, vrbes sunt Salona, Epidaurus, quæ & Regusium. Præter Noricum, & Pannonios, quos tamen continuis lacessit armis, cæteras prouincias nunc possidet Rex Turcarum. Terminus inter Christianos, & Turcas Sauus est fluuius. Noricũ Boij, Pannonias Vgri tenent. Thracia inter valentissimas Europæ gentes, sex amplexa est prouincias. Hemimons est prima, ibi Meligetæ, & Scythæ: deinde Ponti ora, cuius vrbes Metembria, Apollonia, Sythonij. Inde Rodope tertia Thraciæ prouincia, clara est Philippopoli, quæ antea Poneropolis, & à situ Termontium dicta. Hadrianopolis prætorium est Regis Turci.

Illyrici prouinciæ decem. Riparij, Ripariolij, milites. Noricũ mediterraneũ. Pannonia. A. Val. Probus Almum montem vitibus cõseuit. Sauus flumius terminus est inter Christianos & Turcas. Thraciæ prouinciæ sex.

Quarta Europa propriè dicta, & prætura Vrbana, Constantinopolim caput Turciæ cõtinet. Quinta est Proponctidis ora, cuius vrbes sunt Selimbria, Perinthus, Heraclea, Bisalta, Chersonesus sexta inter prouincias Thraciæ, & vltima habet vrbes Seston & Callipolim. Hæ prouinciæ omnes iam pridem explosa Philosophia Christiana, Turcis seruiunt.

Thraciæ coniungitur Græcia, quam in septem prouincias diuisere Romani. Quarum

Græciæ prouinciæ septẽ.

prima Macedonia erat, inclyta Alexandro Magno regum fortunatissimo terrarumq; imperio. Eius pars Pœonia, vrbes Dyrrachium, Neapolis, Philippi, Amphipolis, Apollonia, Thessalica, Berœna, quibus omnibus D. Paulus religionis nostræ mysteria aperuit. Thessalia cohæret Magnesiæ. In ea sunt Larissa, Peneus flumen, Pharsalia, Tempe. *Epyrus.* Epyrus tertia prouinciarum, nunc Romania est, continet Chaoniam, Pindum montem, Molossos, Actium, Nicopolim, Acarnaniam, Acheloum flumen. Huic coniuncta est Hellas, quæ & propriè Græcia à Rom. dicta est. Hæc habet Ætholos, Naupactum, Locros, Phocida, Delphos, Parnassum montem, Opunta, Castalium fontē, Dorida, Beotiam, Thebas, Heliconia montem. Attica, in qua Athenæ vrbs quondam nullius indiga præconij [illegible] claritas superfluebat, ne nomen quidem nunc auditur. *Peloponnesus peninsula.* Peloponesus quinta prouincia Græciæ, Pelasgia antea dicta, nunc Morea vocatur peninsula est, angustiq; vnde procedit Isthmos adpellata: ibi Corynthus, & Cenchreæ. Achaiæ nomen prouinciæ ab Isthmo incipit, in qua sunt Patræ Colonia, vbi Diuus Andreas pro pietate Christiana se dedit, [illegible] Helis, Pisa, Lacones, Sparta, Amiclæ, Argolica, Inachus fluuius, Argos, Mycenæ [illegible]. Arcadia mediterranea Peloponesi tenet: Palantium ibi oppidum: vnde Palatium Romæ nunc commune prætorij vocabulum vulgo vsurpatum. Euboea insula nunc Negropont vulgo vocatur, in ea vrbs Calcis, hæc sexta est Græciæ prouincia. Septima est Creta insula, eadem & Candia, Græciæ (vnde claritas non solum literarum, sed religionis nostræ quoq; effulsit) omnes prouincias possidet Turca, occisis Christianis in [illegible] nos inanibus consultationibus tempus trahimus, & intestinis bellis [illegible] Reipub. Christianæ, Imperijq; fœde sugillamus. Quicquid in Aphrica alteram [illegible] parte possederunt Romani, in duo diuiserunt membra Aphricam propriè dictam, & Ægyptum. Deinde vtramq; in suas prouincias. Aphrica Græcis est Lybia. *Aphricæ prouinciæ sex.* Aphricæ sex fuerunt prouinciæ. Prima proconsularis, in qua Carthago, Romani olim Imperij pertinax æmula, & Vtica morte Catonis clara. Prouincia secunda erat Bizantium, Lybiphenicia quoq; dicta: regio eximiæ fertilitatis. Oppida in ea sunt Leptis primam, Adruntum, Ruspa, quæ & Ruspina. Huic ab Occidente connectuntur prouincia Tripolitana presidialis, in qua Leptis patria Septimii Seueri Imp. Rom. & Numidia Consularis: hæc has habet vrbes: Cirtham, Siccam, Hypponem, Regium.

Mauritaniæ prouinciæ duæ. Mauritaniæ duæ erant, Sitiensis, & Cæsarea, eadem & Bochi. in hac numerantur Cæsarea, colonia Germanorum. Has prouincias interceperant Vandali, gens Germanica, post mortem Imperatoris Theodosij Magni. Restituit Iustinianus primus. Saraceni Imperatori Heraclio, eiusque nepotibus, & religioni Christianæ abstulerunt, & adhuc possident.

AEgypti prouinciæ sex. Ægyptus, Cereris horreum Romani populi fuit: ex qua maxima habuere tributa Roman. Cæsares. Custodierūt eam legiones tres, vndecim cohortes, præter auxilia. Distributa fuit in sex prouincias. Prima erat Alexandria, in qua Alexandri vrbs nomen retinet. Canopes, huic connexa est Augustana in qua fuerunt Pelusium, Bubaste. Tanis, vbi Moses miracula fecit. Memphis, cui propinquum erat castellum Babylon nomine, nunc Alchairam vocant, prætorium regis AEgypti, vulgus Sultanum vocat. Thebais tertia AEgypti prouincia, contermina AEthiopiæ, complectitur Diospolim Magnam, quæ & Thebæ, centum portarum fama nobilis. Quarta prouincia AEgypti, Romanis Lybia sicca, Græcis est Marmarica: in ea sunt Paretonium, Mareotis, Catabathmos oppidū, & vallis repente conuexa. Cyrenaica eadem & Pentapolitana, regio quinta fuit: continet Psyllos gentem, insignis maxime quinque vrbibus Beronice, Arsinoe, Ptolemaide, Apollonia, Cyrenæ. Inde extima Romanorum prouincia in AEgypto Ammoniaca dicta: in ea fuerunt Alexandri statio, Ammon, Syene castrum, finis, vt ait Plinius, Rom. Imperij.

AEgyptus à Saracenis occupata. Aegyptum, victo Imperatore Heraclio, deletis Romanis, pietate Christi exsibilata, occuparunt Saraceni: quam ad nostram vsq; ætatem tenuerunt. Ab hinc triennium Selimus Turcarum Rex Saracenis prælio victis, victor Memphim intrauit. *Selimus Turcarum Rex.* Greges olim Monachorum, & Heremitarum examina aluit Aegyptus.

Asiæ prouinciæ. ASIAM tertiam orbis terrarum partem (quæ maior Europa, & Aphrica est) ab occidente totam possederunt Romani. Termini ab Oriente Tigris, a Septentrione Pontus, & Caucasus mons, Caucasiæque portæ: à meridie mare Rubrum fuit: vbi instituta classis à Romanis Imperatoribus erat, vti per eam Indiæ fines vastarentur. Diuisere Romani Asiam in quattuor membra, Asiam propriè dictam, quæ & minor, Pontum, Syriam, Insulas. *Asiæ diuisio. Asiæ prouinciæ 12.* Vnaquæque pars suas habuit prouincias. Asiæ minoris prouinciæ fuerunt duodecim. Mysia minor, quæ Eolis ante dicta: adiacet Helesponto, continet Lampsacum, Abydum, Parium. Hanc sequitur Phrygia minor, quæ & Troas: in ea sunt vrbes Troas, eadem Alexandria. Colonia Romanorum, Assum, Ilium, quam Troiam vulgo nuncupant. Mysia maior, tertia minoris Asiæ prouincia, continet oppida Adramytum, & Pergamum. Quarta prouincia est Lydia, quæ & Mæonia olim, & Phrygia: in ea sunt Hierapolis, vbi Diuus Philippus cum filiabus honorificè sepultus, Thiatira, Sardi, Philadelphia. Huic [illegible] est quinta Ionia, in ea sunt Smyrna, Colophon, Ephesus. Sexta huic cohæret cognomine

mine Caria,& Doris,vbi Miletus,Halicarnassus,Gnidus Loadicia. Lyciæ septimæ Asiæ minoris prouinciæ sunt Patera,& Myrrha,Galatiæ octauæ Pepinus, Ancyra, Claudiopolis. In Pisidiæ nouæ prouinciæ verticibus quondam Solymi fuerunt: quorum Colonia *Solymi.* Cæsarea, eadem & Antiochia. Pisidiæ connectitur Isauria,quam Calicadnus amnis secat mediam,oppida Seleucia,Claudiopolis colonia. Decima Asiæ minoris prouincia Pamphilia nominatur,Mesopia ante dicta,in qua sunt Attilia,& Perge. *Pamphilia.* Lycaoniæ vndecimę sunt Iconium,ciuitatum quatuordecim,vrbs celeberrima,Listra,Derbe. Duodecima Asiæ minoris prouincia est Cilicia,vrbes in ea Tharsus,patria Diui Pauli, Pópeiopolis, Philadelphia,Epiphania Augusta. *Listra, Derbe.* *Cilicia.* Ponti fuerunt vndecim prouinciæ. Prima Bosphorana est,continet Chalcedona,Nicomediam. *Tarsus.* Deinde est Bithynia, cuius vrbes sunt, Nicea, Prusa, Iuliopolis, Bithynis, quæ & Claudiopolis. *Ponti prouinciæ xi.* Paphlagonia tertia est: oppida in ea sunt Pompeiopolis,Hieropolis,Germanopolis. *Bosphorana.* Inde Pontus est Amasiæ, qui & Galaticus: vrbes eius sunt Amasia,& Sebastopolis. *Bithynia.* Sequitur Pontus Polemoniacus, cuius sunt Cærasus,& Trapezus,Neocæsarea. Cappadocia sexta prouincia subiicitur Ponto Polemoniaco,ante Leucosyri dicti,quorum sunt Thyana, Mazaca,eadem & Cæsarea, Thermodoon flumen, hanc ab Oriente excipiunt Armeniæ duæ. *Pontus Polemoniacus.* *Cappadocia.* In minori sunt Satala, Iuliopolis, Claudia, Melitina, Nicopolis. In Armenia maiori numerantur Albanopolis, *Albanopolis.* vbi D.Bartholomæus obiit, Artaxata,Tigranocerta,Sagalbina, quam Noas post inundationem terrarum condidit,amnis Araxes,Gordæi montes,vbi Noas nauim, qua seruatus est,reliquit. Colchica regio,Iberia,Albania tres prouinciæ subduntur Ponto, & Caucaso monti, qui eas à Sarmatia Asiæ disterminat. *Colchica regio.* Colchi insignes sunt Phasi amne, & vrbe Dioscoriade,quondam adeò clara,vt in eam trecentas nationes,quæ dissimilibus linguis loquerentur,descendisse proditum sit: postea à Romanis centum & triginta interpretibus negocia ibi gesta sunt. In Hyberia sunt portæ Caucasiæ,quæ in Sarmatiam tendunt: ingens opus naturæ, mótibus interruptis,fores obditæ,ferratis trabibus subter medias amne fluente: cæcè illi erant,qui eas Caspias vocare solent,longissimè inde distantes, vix vllo propter adpositos montes aditu ad Caspium mare. Caspiæ portæ in Media sunt, tendunt ad Parthos. Albaniæ oppida sunt Cabalacha,& Albania.

Syria terrarum maxima,pluribus distincta nominibus,decem Romanorum prouincias complexa erat. *Syriæ prouinciæ.* *Palæstina.* Prima Palæstina communi vocabulo adpellata,comprehendit Idumæam,Palæstinam propriè dictam,Iudæam,Galilæam,Samariam,Arabiam: cuius oppida Bostia,Gerala,Philadelphia,Saracenos,Mare Rubrum,in quo classis Romana. Vrbes Palæstinæ Azotus,Ascalo,Cæsarea ante turris Stratonis,Lydda,Assaron, Ioppe, antiquior inundatione terrarum. Hierosolyma quondam fuere clarissima vrbium Orientis. *Vrbes Palæstinæ.* Inde secunda prouincia erat Syria Damascena,quæ & Decapolitana, continet Damascum. Scitopolim,Philadelphiam: Tetrarchias regnorum instar singulas. Phœnicia tertia prouinciarum inclyta Tyro,& Sydone,Berito, Sareptáque oppidis,& monte Carmelo. *Syria Damascena.* Antiochia quarta pars est,Ciliciam contingit. clara est Antiochia, quæ ante Epidaphne cognominata,Oronte amne diuiditur. Vbi primum Christianum nomen ortum est. *Antiochia. Act. 11.* Comagena,quæ & Augustofratensis: Syria citra montem Taurum est,vbi Samosata,sedes quondam Comageni regni clarissima. In hanc vergit Sophena, Taurumque montem transit. Adiabenen septimam prouinciam Tigris,& montes cingunt: eius caput est Antiochia,quæ,& Nisibis vocatur. Assyriorum ibi initium,quorum vrbs est Ctesiphon. *Babylonia. Syriæ vltima prouincia.* Cœlesyriæ connumerantur Edessa, Epiphania,Salamis, Constantia. Antiochia separatur à Cilicia Amano monte,Iturea,Traconitis, Palmyra, Paradysus,Seleucia. Mesopotamia inter Euphraten,& Tigrim est: Vrbes sunt Charræ, Edissa: huic coniungitur Babylonia Syriæ vltima prouincia. *Christophor. dux Boiorũ in Rhodo sepultus.* Insularum nominatissimæ Cyclades,Rhodos,& Cypros. In Rhodo humatus est Christophorus dux Boiorum, patruus nostrorum principatum. In Cypro obiit mortem Welpho primus,dux Boiorum. *Welpho dux Boiorũ in Cypro obiit.*

Vniuersas Asiæ prouincias legati Christi,& potissimum Diuus Paulus dux, & antesignanus religionis nostræ peragrauit, & Imperatori, seruatorique nostro subdidit. Vnde velut ex fonte ad nos veritas defluxit. Verùm paulatim Romano Imperio armis, vique ablatæ,explosa Philosophia Christiana Turcis seruiunt. Nos crebris parricidiis (nam dicere bellis,mihi religio est) pro opibus,gloria,potentia,rebus fluxis,& fragilibus,sub religionis obtentu sæuius grassamur,& æterna bona profligamus. Bona verba quæso. olim dictum est: omnis homo mendax: & vitia erunt,donec homines erunt. Qui vitia odit, homines odit. Ego ad Vindelicos rursus redeo,vnde Imperij Romani contemplatio mę abduxerat.

Vindelicorum gentes Tunicates,Consuanetæ,Belauni,Senones,Brenni,Geloni,Lycatij, à Ptolomæo,Plinio,L.Floro,Flacco Horatio commemorantur: eas ordine paucis absoluam. *Vindelici.* Tunicates Septentrionalem oram iuxta Danubium tenuerunt, vulgo Tunca vocari solet. Imperatoribus,& regibus nostris est Tonage,hoc est,Danubij terra,siue pagus. Apud Ptolomæum corruptè legitur Runicates. Habitarunt inde Leuni, quos

Horatius Gelonos adpellat. In superiore Boiaria inter amnes Isaram, & Ilmum adhuc nominantur flumen, & Pagus Glan, & Glaneck, hoc est Geloni cornu. Sub his fuerunt Consuanetæ, siue Cosuanoces, quos à Floro Senones vocari inuenio: inter Isaram, OEnumque tribubus, & flumini nomen fecerunt (ersundau & Senta) consuetudo ob commoditatem dicendi, vti fit, t, literam addit. Belaunorum vrbs antiquissima, ita incolæ referunt in ripa Ambronis, non longè ab eiusdem nominis lacu, adhuc extat. Ibi superior Boiaria fertilissima est. Inde haud procul in sylua disiecta visitur pyramis, ingenti mole saxorum constructa cum hac inscriptione.

M. ANTONIN. IMP. AVG.

Brennos Horatius, & Florus adpellant, quos Ptolomæus, Breunos, quarta litera u vocalis est, quod inscitia librariorum factum esse apparet. Inter Oenum, & Isaram ad radices alpium, adhuc ostenditur arcis dirutæ vestigium, & sylua, quibus Brennus nomen manet: quamuis eodem nomine mons sit Noricorum nominatissimus, quem à Cassiodoro Breonum, ab Aristotele, Plinio, Ottone nostro Pyreneum vocari compertum est. Ambo vocabula idem valent, à comburendoque deducta sunt. Lycatij ab occidente claudunt Vindeliciam, accolę Lyci sunt, vernacula lingua à nobis, Lechrainer, quòd ripam Lyci insedeant, dicti. Pergamus nunc ad vrbes, & arces, aliaque munimenta à Romanis in Vindelico extructa, quæ celebrati authores prodidere: & ego missus à principibus nostris ad hæc commentanda, indagaui: quorum omnium vestigia, & vocabula, sono tamen nonnihil, licentia, consuetudine & vetustatis iure corrupto, manent, & demonstrantur. Vbi numismata, aurea, argentea, ærea, varia supellex instrumenta domus, saxa, effodiuntur passim quotidie Romanis literis inscripta. Quamuis lapidum, atque huiusmodi monumentorum maxima pars partim confracta, & in calcem soluta, coctaque sit, partim obstructa, ihtorij, tectorioque oblita, & literis inuersis, intrinsecus ad humum, pariete meue legi non possit: in quibusdam iniuria cœli imbriumque elisæ sunt literæ. Quæ extant & legi possunt referam, atque primum ab hostiis Lyci, ad hostia Oeni Danubium sequar.

Brennus, der Brenner. Lica r. Lechrainer. Schonofeld. Kaschaim. Lechsgmünd.

Lycostoma arx, nunc semidiruta, olim celebratissima, principes suos habuit, qui Cœnobia Schonofeld, & Cæsaream condidere. ibi hostia sunt Lyci, qui ibi in Danubium erumpit. Vnde nomen loco, & patrio sermone, quemadmodum Græco Lechesmond, hoc est Lycios, vocari integrè solet: corruptè, vulgi (vt fit) vsus effert Lechsgmund. Lapis hic repertus subscribitur.

D I M
IVL VST V
S V A XXVI
AMABILI
S MATER
F C.

Inde ad octauum lapidem, occidentem versus, supra Neoburgum vrbem, ostenduntur, & visuntur duarum arcium vestigia, Calatinum, siue Galeodunum, & Atilia: illam Calatin, atque Cæsarisburgium, hanc Altoburgium accola nunc adpellat. Vetusti lapides, qui ibi fuere Neoburgium translati sunt.

D. M.
TIB. CASSIO CONSTANTINO IVNIORI MISERRIMO QVI VIXIT ANNOS III. M. IIII. D. XXII. FECIT TIB. CL. CONSTANTINVS PATER FILIO DVLCISSIMO, A QVO SIBI FACIENDVM OPTAVERAT: ET CASSIÆ VERÆ MATRI EIVS ET CLAVDIO IANVARIO, VICTORI ET MARCELLINO LIBERTIS FIDELISSIMIS VIVIS FECIT FIDELI QVONDAM ET CAIO ET MODESTO SVIS RARISSIMIS
PERPETVÆ SECVRITATI.

Aliud ibi monumentum.

P Æ L T SATVRNINVS ATILIENSIS COLONIÆ VETERANORVM CIVIS VET. VIXIT A LXXV. SATVRNINVS C R F S C ET S IIII KLENDS IAN.

Sunt adhuc ibi complures huiusmodi lapides, sed legere nemo potest: partim fracti, partim obstructi sunt literis introrsum versis. Infra Neoburgium deinde quinque circa millia passuum, in ripa Germaniæ cubat Aureatum, nunc vicus, & regia Episcopi Aichstetensis, qui & se Aureatensem cognominare solet Pontificem, Nassofelstium, quod ibi palustris locus sit, vulgi sermone adpellatur. Ibi præter numismata calcaria, fictilia, Samia, & huiusmodi instrumenta, quæ mihi Gabriel Pontifex Aichstatensis ostendit, tria monumenta reperta sunt, Aichstadiumque transuecta, ita mihi idem retulit Pontifex. Inscriptiones illorum subnotabo.

Aureatum Nassenfeld.

DEO

DEO MERCVRIO
CL ROMANVS
DVPL ALÆ AVR
V S L L M.

IN HO
D D
MARTI
VICTORI LILI F
V S L M

I O M
DIS DEA
BVSQ. PVB
CONSTITV
TIANVS

A Lyci hoſtiis, vnde cæpimus, ripa Danubij clementioribus quidem collibus, crebris tamen, & ſyluoſis adtollitur, Aureati paulatim ſubſidere, extendiq; incipit, Labitur inde Danubius maximè per plana, ad tricelimum fermè lapidem, & qua Germaniam contingit planicies, agrique iacent fertiliſsimi, feraces Zeæ, quinque millia paſſuum in latitudine patent. *Zea feraces.* Ad arcendos Germanos duxere à tergo Romani vallum, aggeremque ſuperioris longitudinis: alta præterea foſſa munierunt, in quam immiſere paludem, cuius ſupra mentionem iam fecimus: veſtigia adhuc videmus. Quidam falsò veterem Danubij alueum eſſe arbitrantur: accolæ ſuo more corrupto ſono Pfal, hoc eſt vallum adpellant, Romanorum eſſe aiunt. Extat etiam nunc ibi mons cognomine Romanus. A tergo *Pfal.* huius munimenti ſyluæ aſpectu horridæ, Hercinei ſaltus particulæ apparent verſus Septentrionem, Alemanumque fluuium vergunt. Supra Neoſtadium finitur huiuſmodi vallum, vbi rurſus ora Germaniæ, vaſtis iugis, informis ſaltibus, abruptis ripis, triſti aſpectu, & cultu: vſque ad hoſtia OEni inſurgit, adeò vt nobis etiam qui in altera ripa Vindelicum incolimus, horrorem incutiat.

Proximè Ignolſtadium in ripa Schutari, veſtigia munimenti viſuntur: ibi hic lapis oſtenditur.

MERCVRIO
TEMPLVM
EX VOTO SVS
CEPTO CL AV
GVSTANVS
L L M

Inde Cæſarea vicus, & regia contingit vallum ſuperius, tanquam porta, abeſt ab Aureato quindecim, ab Angiloſtadio quinque millium paſſuum interuallo. *Cæſarea. Keſching.* Vulgus breuitati ſimul, & commoditati dicendi, vt ſolet, ſtudens, Kelcing nuncupat. In diplomate Diui Hainrici Imperatoris, quod mihi Reginoburgij in inferiori ſacratarum fœminarum Cænobio demonſtratum eſt, integre Keſchring, hoc eſt, Cæſarea vocatur. Iſtæc ibi exiſtunt monumenta:

PII CÆS. DIVI HADRIANI FIL. DIVI TRAIANI NEPOTI DIVI NERVÆ PRONEPOTI AVREL. HADRIANO ANTONIN. AVG. PIO PP. PONTIF. M. TRIB. POT. IIII. COS. III. ÆL. FL. C.

Poſitum hoc monumentum eſt circa annum Chriſti centeſimum, ac ſexageſimum.

Aliud.

D M
M VARIVS
MONTANI
NVS V A XXII
VAGƷMI
NA MATR
P. C.

Subſequens in ara eſt, eliſis quibuſdam literis.

D M
IVL GƷNAN SENI
LIS C MI IVL
VETA L VIX
AN LXILLVA
H.

Diſtat ab hac ad decimum lapidem Epona, & ipſa tamquam porta contingens valli extrema. *Epona. Pherī, Phering Oiling. Celſus die Kelcz Ponburg.* In campis, aruoque prope Phering vicum Danubianum & OEtolingonas arcem, vbi Celſus oritur, veſtigia extant. Pinoburgium accolæ vocant, in inſtrumentis eſt Epinaburgium ſcriptum: ibi reperi lapides Romanis literis inſcriptos.

1.

D. M.
LOCEANEOLO
MAXIMILLIO
MIRIOCIVICA
NÆ AN XX
MARENIA CC.

2. VAL VALESIÆ
VAL FLORVS . CON
IVGI FITEM SIBI
V. F.

3.

D. M.
PEMPTENA
DALMATA VIX
AN XXV.

4.

CAMPES ET
EPONÆ ALAI
SNTGHPCR QVI ET
AƷBASSIANVS
ᶜRRÆF VSLEM.

In prætorio Orolingonum.

IN HONOR. DD.
EENAV⁻ƷVSTAƷF
CONLABSM COR
NEL ROGATVoR
AƷFC° HIMLSQVER
CONI ME EREST.

Artobriga minor, quæ & Cenum. Enning. Artzberg.

Artobriga minor, quæ & Cenum: maior quæ & Valentia, duobus millibus passuum distant, nomina seruant, Artzberg vernacula lingua in instrumentis Pontificum, & Principum vocantur. Absunt ab Epona, itidem patria mea Abusina, quinq; supra Reginoburgium viginti milliũ passuum interuallo: vtraq; Danubij ripam contingit. Illa iuxta pagum Enning, hæc iuxta Cænobiũ Weltenburgium. Extant fossa, pars mœnium, agger, loco edito, & natura munitissimo: extenduntur in Peninsulam, quam Alemanus, & Danubius efficiunt, latitudine duo ferè millia passuum patent, in longitudine quatuor, eique ad ripam Alemani, qui non longè in Danubium euoluitur. Præruptæ ibi rupes, vtrinque Alemanum, & Danubium cohibent: accolæ Romanam Salam nuncupant. Lapidem reperi ibidem, in quo sculpta est Minerua, & altera parte ara, vbi ritu solenni Taurus Mineruæ immolatur, cui subiectæ sunt hæ literæ in eodem monumento incisæ.

NVNC RET MINER SAC CENO COH III BRIT
ARAM T F L F E L X PRÆF EX VOTO POSVIT
L M DEDICAVIT KAL DEC GENTIANO ET
BASSO CONS.

Septimi. Seuerus Imperator in Britannia mortuus anno Christi 213.

His Coss. vti Cassiodorus prodit Imperator Septimius Seuerus mortuus est in Britannia, fuit is annus Christianæ salutis ducentesimus, atque tertius decimus.

Proximè patriam meam.

D T M
IVL DVB AVS C R V V I AN LXX INGENVA.
IN GEN VI AN LXX IVLIANA VI AN III FILI
F C.

Abach.

Abudiacum Danubij (Abach est) vicus, & arx supra Reginoburgium ad decimum lapidem: incunabula Diui Hainrici Imperatoris Romani, ipse pontifici Bambergensi, vbi humatus est, dono dedit. *Otto Episcopus.* Diuus Oto eiusdem vrbis Episcopus Cænobio, quod extra Reginoburgium condidit, in ripa Danubij donauit: destructaque arx est, ne ab Auaris occuparetur principibus. *Ludouicus primus Boiorum Dux arcem destructam instaurauit.* Ludouicus primus, dux Boiorum, præfectus quoque prætorio Rheni, vicum occupauit, arcem instaurauit, alia largitus Cęnobio prędia, satisfecit Monachis. Haud procul treis offendi lapides cum hac inscriptione.

I O M STATORI
FI. VET. VIE. AVVS
LEG. III ITA NREVER
SVSABEX PEDIEBVRICA
E X VOTO
POSVIT.

DEO MERCVRIO FORTVNÆ
D SACRVM VIR MARCELLVS
DECIALI FILSA SING
COS. PP K III. D SI
L MD LXKIVNLV.

D S M
CL. MATERNIN MATRI
VIX AN LX HILARINE
SAMMOT CONIVG VIVÆ.

Reginoburgium Quartanorum vrbs.

Inde Quartanorum Vrbs, à quarta legione ita dicta, habitatur, eadē & Augusta ab Imperatore Tiberio cognominata, nũc Reginoburgium, vernacula lingua adpellamus: sicut

Leo iij Pontifex Max. narrat. Atque haud scio, quamobrem vulgus literatorum Ratisbonam vocet. Ego in diplomatibus Imperatorum nostrorum Reginoburgium, aliquando & Regenam vocari reperio. Ita eam Diuus Wilibaldus quoque, primus Aichstadiensis Pontifex, sua tempestate eloquentissimus nuncupat: ut quemadmodum Augusta Augspurg, Isis Eisenburg, Norea Noremburg, Velsera Weisenburg est, sic & Regina Regenspurg. Grammatistæ olim ingeniorum ostentatores, quod Reng Germanis imbrem, Burg ciuitatem valeat, nunc Græco vocabulo Hyetopolim: nunc semilatino, semigræcoque Imbripolim fecerunt. Sane quam magis non desinunt Germana fornace, & Græca, Reginopolim conflarunt. Sicuti & nostro æuo Angilostadium, hic Auripolim, alius Chrysipolim: illi Angeli olim licenter ambitioseque, ne dicam inepte, atque inerudite faciunt. Hyetos Græcis est imber, polis ciuitas, Chrysos aurum. Sequor ego Carolum Magnum Imperatorem Romanum, qui ex Reingspurg barbaro vocabulo, Reniburgium, Romana incude haud infeliciter format. Quod nomen accepit a Reginopyrga uxore Theodonis primi, qui pulsis Romanis, & occisis (sicuti in tertio narrabimus libro) Boios ibi collocauit. Saxa quæ integra sunt adhuc, & leguntur, illæc sunt.

VVilibaldus primus Aichstadiensis Pontifex.

Reginopyrga uxor Theodonis primi.

DE PERPETVÆ SECVRITA † IVL MVRSÆ
CONI PIENT VIX AN XLII. ROAFRI † FEMINÆ
REVERENTISSIMÆ ꟻ FILII FILIÆ OBITIS
ꟻ IVL NONNÆ MATRI PIENT VIX AN LXXX
ꟻ IVL VICTORINÆ SOCR VIX AN LXI ˉEM
VIVIS AVRELIÆ AVR MILITARI FILˉE AMICIS
QVORVM I M CINESIA ˉE RIBISCA ꟻ AES
SVNT ET POST H OBITVM EOROSSA RE CON
DI INE SEPVLCHR PERMISIT M A VR MILIT
OMHM EX E O LIIII † ALI VIVVS V FECIT.

Aliud ibidem.

D M
ˉE MEMORIE
MISERRIMOR M
VINDELI CIS
PR MOCENI AN
ˉE VICTORI
ꟻ VRE FIL
VINDEL SVRINVS
INFEL X PATER FC.

IOM ET PERPETVÆ SECVRITATI ET
MEMORIAE DVLCISSI
MAE AVRELIAE M
AVRELIAE P ÆL IVVIANVS
CONIVGI INCOMPARABILI.

D M
TOGIO ˉE IVNGATO
ˉE SEVERINO FILIS
EIVS TVLLIA MARI
TO ˉE FILIS PIENTI
SSIMIS MEMOR FEC.
IANVF
ˉE CONI
RARISSIM
Æ VANI. XX
PRC CL D IV
STVS CNNIVX.
SIG PRO SA
S V L L M
ALBINO ET ÆMILL
COSS.

D M
ET PERPETVAE SEC
VR DEO TITANO V
IXIT AN XV FEC IVL PO
TITI TVS FILIO IMIGR
I ˉE L ET FL IANVARIA MATER
ET IVL VENVLANTA VIVI FE.

Ab

Pfetter vocant. Strubinga. Gygantis magnitudo ostenditur.

Ab Reginoburgio ad exorientem solem quintodecimo lapide, Vetera castra in villas abierunt. Haud procul inde æstiua sunt Romana: effossa ibi sunt ossa Gygantis. Strubingamque translata, ad Albertum, parentem principum nostrorum. Ex illorum dimensura, secundum membrorum naturalem inter se rationem, magnitudo picta Gygantis Strubingæ ostenditur.

Moenzing. Azalburg. Pitonium. Incolæ Bichelburg.

A quo quinque millia passuum Occidentem versus abest Mocenia, pagus est, nomen manet. Hostia ibi Lauari amnis. Augusta Acilia: Azalburg, vetúsque vrbs est (ita vocare solent) extra Strubingam, nouum celebre inferioris Boiariæ oppidum. Regia quondam ac prætorium principum Boiariæ, Selandiæ, Hollandię, Phrysię Hannoniæ, quorum ibi ostenditur Mausoleum. Inde decem millibus passuum extat Pitonium: agger, portæ, mœnia integra sunt, intus villæ cubant, incolæ Bichelburg adpellant: referunt ponte marmoreo ibi Danubij ripas coniunctas fuisse, fornicumque bases adhuc conspici, cum aqua plus solito breuior est. Quintanorum vrbs supra Villi hostia, ad octauum lapidem, in villas abiit, nomẽ pago fecit, Kyntzge suo sermone incola vocat: insignis est sepulchro

Kyntzen. Auringe. Diui Seuerini Norici.

Diui Syluani qui tempore Attilæ vixit. Diuus quoque Seuerinus Noricus post mortem Attilæ versatus est ibi. Visuntur vestigia putei Salmarij. Eugisippus, & Antonius mentionẽ faciunt. Baiodurũ, Bathauia est: vtrunque nomen manet. Tria ibi flumina (vnde cognomen Bathauiæ inditum) confluunt: ab Occidente Danubius, Meridie OEnus, a Septentrione Ilissus. Baiodurum, & Artobrigam Ptolomæus quoq; ponit sub Danubio vrbes. Baioduri lapis vetus existit, in quo insculptæ sunt Romanæ literæ, quas hic notabo.

FAVSTINI
ANO VECTI
ILLYR VIL
IN GENVS
FIL ET FELIX
7SC EX VII/
EIVS B M PP

Hæc sunt monumenta, vrbes, arces, quæ iuxta Danubium possedêre Romani. In via, qua a Strubinga Augustam Rhætiæ pecora agi, butyri oleum, & huiusmodi deuehi solent.

Lauarus amnis. Rockinga. Rogingæ.

Regium pagum alluit Lauarus amnis, quindecim millia passuum à Reginoburgio Austrum versus, Rockingam vlus, Imperator Hainricus secundus Rogingam nuncupat. Quidam falso Reginoburgium esse arbitrati sunt. Inde Abusina, patria mea, Regia, & oppidum ad Apsum amnem sita, extat turris quadro sectoque lapide extructa, vt incolæ ferunt, à Romanis. Visuntur in agro Abusino vestigia Castrorum, Italica vulgus adpellat. Hæc quondam suis inclyta fuit præfectis, quos Comites vocant, me puero defecerunt. Hinc ad vigesimum lapidem Vallatum, pagus est, & syiua, ibi Hyberna fuisse Romanorum

Pfal.

fama proditum est: fossam Romanam, & Pfal, hoc est vallum consuetudo nuncupat. Ab eo millia passuum quindecim Sumuntorium, Hochouartum, hoc est, alta specula vocatur: vicus & cœnobium fœminarum est: olim arx munitissima, vnde quàm latissime quoque versum patuit prospectus: ipsa nobilitata quoque suis principibus fuit. Hinc oriunda est mater Diui Conradi Constantiensis Pontificis. supplicandi gratia adhuc frequens coit populus. Multa hic Diuorum ossa condita sunt. Iuxta Isaram hæc fuere oppida: Inu-

Inuerinum Mittenuald vocat.

trium, nunc Mittenuald nominant, vicus est non longè à fontibus Isaræ. Lapidem inscriptum Romanis literis Imperator Maximilianus Cæsar Augustus OEnobrigam inde deuehi iussit. Cambodunum, iuxta lacum Tigurinum fuit, compluribus pagis hoc nomen manet. Ita Fruximum, & Tollusium vetera retinent vocabula. Inter hæc fuit Au-

Strabo l. 4. Ptol. lib. 2. cap 13.

gusta Vindelicorum, iuxta traditionẽ Ptolomæi exactissimi Cosmographorum, ad quindecimum fere lapidem supra Monachium, proxime Wolfrazhusium vicum & arcem, claram olim potentissimis principibus, qui Dalmatia, Histria, Norico, Vindelicia, Francia,

Scaphitiar. Lusa & Isara rapidissimi amnes. Campus Perlacha.

Burgundia potiti sunt. Condita fuit Augusta, vt reliqua subiectam, ad Pontes Scaphomos, vbi duo rapidissimi amnes Lusa, & Isara ex alpibus confluunt. Contingit viam, quæ strata à Romanis ab OEno ad Lycum adhuc monstratur, Boius Hochstrassen adpellat. Proximus est Verres lacus Vindelicorum maximus: & campus Perlacha, in quo Theod, Magnus legiones Romanas secundo prælio fudit. Pagi haud procul absunt, quibus nomen vetus manet, vbi & monumentum extare dicitur. Nunc OEni oram prosequar,

Medullum.

Medullum prope Myldorff fuit, extant vestigia arcium nomina retinentium: Habuere suos prælides, qui intinere Mystis D. Aurelij Augustini duo collegia Garzum & Augiam.

Garzum & Augia, coenobia. Caenoburgium vicus & arx.

Carnodunum supra Wasserburgium extitit: vbi nunc Attal Cœnobium & Hochunum quondam vrbs fuit: quæ olim & suis nobilitata erat principibus, Wasserburgium translata est. Cubat adhuc in ripa OEni vicus & arx, Carnoburgium appellamus. quondam præfectis limitum inclyta, quos Marchionas vocant: duos ibi inueni lapides, qui has continent literas.

D M

D M
CLOD. MARIANO
FRVMENTARIO
LEG. VII GEM
LVCANIVS
LAVRENTIVS
FACEVNDVM
CVR.

Non integrum est.

ET CASS PO
TENTINVS
IIVIR
CILONE II ET
LIBONE COS
XV KAL NO.

His Consulibus fuit Imperator Septimius Seuerus, & vti Cassiodorum, Hieronymumque legenti palam est, fuit is annus ab orbe seruato ducentesimus Inde ab Cambuduno abest ad quintum lapidem Aurisium, nobis Rod Cænobium, diuo Benedicto dedicatum: olim prætorium, insigne etiam peculiaribus præfectis atque Comitibus. Ingentis molis hic columnæ, pilæque è saxo integro excisæ, quæ templi cameram sustinent. *Rod Cænobium, D. Benedicto dedicatum.*

Hoc Aurisij monumentum reperi. *Aurisij monumentum.*

D M
ET PERPETVÆ S
CORNELIO COH
V. LEG XX MILITI
PRETORIONEN
LIII VIXIT AN
CERVNT COR
NICEFORVS E
PRÆPES LIBERS
PATRONO BE
NE MERENTI
POSVERVNT.

Abudiacum proximè Rosenhaim, & hostia Magnoualdæ fluminis in villas abiit Happinga agricolæ vocant, lapis hic ibi demonstratur.

D M
SEPTIMIÆ
TYCHE QVÆ
VIXIT ANNIS
XXXVI SEPTI
MIVS IVLIA
NVS CONIV
GI ET LIBERT
KARISSIMAE.

Est & alius ibi lapis, sed detritis literis legi, præter hæc, non potest.

IVL ET SEPTIM
AMANDVS EQR
ET BASSVS POSVIT.

Connumeratur in Itinerario Antonini Iseniscus, flumen, & vicus est, vbi collegium sacerdotum, Pontifici paret Fruxinensi. Vti & Parthanum in alpibus Penninis. Ambro flumen, & pagus in superiore Boiaria, nomen vetus servat. Hæc est Vindelicia cum vrbibus, oppidis, vicis, arcibus & regiis, secundùm descriptionem Romanorum. Vindelicis extra alpes, intra verò Rhetis iunguntur Norici, quorum oppida iuxta Danubium sunt Aredata, Laureacū, ibi Archymistes quondam, Bathauiam nūc translatus est. Infra Lyncium vici sunt nostro æuo Ardacar, & Larc vocamus. Claudonium, Plinius Claudiam nuncupat. ... metienti circulos, & segmenta, Præclara Pontificis Regmoburgensis municipium esse videtur. Cecij, Patria Diui Floriani, ad radices montis eiusdem cognominis, in villas abiit, Ceisamuram incola vocat. Fauium ab Eugipio Norico, Eugenio secundo Pontif. Max. nuncupatur. In codicibus Plinianis Flauium legitur, nunc Vienna est Austriæ: Noricorum vrbs maxima, clarissimáque. Longe à Danubio absunt Celeia, Patria Diui Maximiliani Archymistæ Laureacensis, & Petauio, quemadmodum apud Plinium,

Isis.

Ambro flumen.

Norici.

Vienna, Noricorū vrbs maxima & clarissima.

Plinium, Prolomæum, Diuum Ambrosium, & Marcellinum leguntur, nomina retinent, Iuxta OEnum fuere pontes OEni. Vtinum est Regia, & Mausoleum Regum Boiariæ, celebre vetusto Deiparæ Virginis templo. Vbi confluunt tria flumina OEnus, Iterulcus Vindelicus, & Merena Noricus.

Gallus: Hispanus, Tiberiś, Potor
Hister, & Rhenus coeunt frequentes
Votaś, reddunt.

In angustiis alpium sunt Sabona, arx est, nomen seruat, imminet Clusio oppido. Pontifice insignis erat, qui nunc Brixiam incolit. Ibi via manufacta interruptis angusto transitu iugis, ita vt vix singula meent plaustra, longitudine decem fermè millia passuum, dextra, læuaque impendent scopuli, patet vallis altissima, incessaque. In qua Isacus amnis præceps, spumansque cum magno strepitu per saxa fertur subiecta. Monumenta quæ ibi inueni, hæc sunt. Columna marmorea iussu Imperatoris Maximiliani seruata, hanc habet inscriptionem.

Eisack.
Columna marmorea a Maximiliano Imperatore seruata.

IMP CÆS AVG MAXIMILIANO
P. F INVICTO

Quatuor quoque ibi saxa ostenduntur.

ISIDI
MYRIONYMÆ
SACRVM
FESTINVS T IVLI
SATVRNINI G PP
SERARI POSVIT
FORTVNATVS
EIVSDEM SER T S
FACIVNDVM
CVRAVIT
D I M

Ǝ SOLI SOCI
O SAC VALEN
TINVS SE
CVNDO NS
OB MEMOR
PATRIS SVI
EX COLLEG
V S L M

ISIDI AVG
FESTINVS
T IVLI SATVR
NINI G PP SER
RARI EX VOTO.

MATRI AVG
CONSERVATORI
CORPORIS SVI
MERCVRIALIS AVG
N VII EX IVSSV NVMI
NIS IPSIVS SIGILLVM
MARMOREVM POSVIT.

Iulium Carnicum.
Iuuauia.
Salisburgium
Saltza.

Iulium Carnicum, sunt qui Villacum esse arbitrentur. Iuuauia nunc Salisburgium est, Poëdicum Prolomæo (ita vetera diplomata ostendunt) pagus ibidem nomen seruat: Archiflamini, & Legato Romano perpetuo patet. Iuuauus flumen præterfluit, Saltzam nominamus. Monumenta subscribo.

In Lambach Monasterio super flumen Ens.

P AEL FLAVI DEC ET II VIR ET FLA
MINIS AEL CECIENSIVM ITEM DEC
ET II VIR ET PONTIFICIS COLONIA AV
RELIA ANTONINIANA OVIL TRIB LEG
III AVG ET AELIAE P FILIAE FLAVIANAE
FILIAE EIVSDEM ET AEL MAVSV
PATRIS EIVS ET ORCETIAE SISAE MA
TRIS EX PRECEPTO EIVS ORCAI
TTE VRSA PROPINQVA INPENDIO
HEREDIS FIERI INSTITVIT

L CO.

L COTINIVS
L F MARTIALIS
DEC IVVAVE II. I. D
SIB ET PECCIÆ LAT
INAE VXORI V F.

SERENVS CLA
PRÆSENTINÆ
CONIV OPTIMÆ.

FRONTO COS
SONIS FIL AN
NORVM LXXX
BANONA AGISI FIL
OBIT AN LXXXV.

IVLIÆ PROCILIÆ AN
XLVIII L COCCEIVS CVPITVS
MARITVS IVLIVNIAA
ET COCCEI PROCVLVS FLO
RENTINA CVPITVS FILII
F E C E R V N T.
MERCVRIO ÆDEM
FECIT ET
SIGNVM
POSVIT
T TOGIONIVS
CVPITVS
C TOGI SVMMVS
FIL REFECIT.
IVL HILARÆ
CON A XL.
T CORNELIVS
MARCELLINVS
T PATERNIA
FLORINA CON
VIV SIB FEC.
RENNIVS FIRMVS
SAMIANTA VIVENI
VRSO FILIO OBIT
ANNORVM XXX.
VIVI FECERVNT.
HERCVL
AVG N
PVDENTIVS
MAXIMINVS
VET EX DEC
ALÆ TAMI
V S L M.
IMP CÆS N L
SEPTIMI SAVERI
PII PERTINACIS
AVG ARAB
ADIAB PARTHICI
MAX ET IMP CÆS
M AVREL ANTONINI
AVG
IVVAVIA DD.
SEPTIMIVS SEVERVS
PIVS PERTINAX
ARAB PARTHICVS
MAX ET M
AVREL ANTONINVS

AVGG LE
GIONE N
SVMPT MIL
CÆSARI G AVGG
PR. PR.
CI ARABICÆ
STA
B POLLIENO.
AEMILIANO.

Aguntum. *Gerholdus dux Boiorū.* *Seum Monasterii Soin.*

Aguntum, siue Agontum, Plinius, Ptolomæus, Antoninus, Paulus Longobardus, Fortunatus commemorant. Ibi Gariovalda dux Boiorum cum Venedis & Sclauis pugnauit: vestigia extare circa Iuuauim aiunt: ego nec adfirmo, nec refello. Quatuor quidem illic reperti sunt lapides, ad Seumque Monasterium translati. Inscriptiones hic libuit notare.

1

CN TREBONIO FIRMO ET VAL IANTVMARÆ
C TREBONIVS FAVSTVS II VIRVM ET PRÆF
ID CIVITATIS AGVONT PAREN. OPTIM E SBI
E TREBONIÆ MAXIMIÆ EXORATÆ
CONIVGI FECIT.

2

I O M D D
C RESTIMVS
RESTITVTIANVS
GIEGEI IVLIA
HONORATA
CONIVX EIVS
V S L L M.

3

FVSCIA PRO
CVLI FILIA SE
CVNDA OBIT
ANN XXX H S E
HEREDES PVDENTI MATRI
FECERVNT.

4

BEDAIO AVG
ET ALOVNIS
SACR
C C ATIVS
SECVN DIA
N VS IIVIR
IMP ANTONIN
II ET SACERDOTE COS.

Macrinus Ro Imp. an. Christi 220. *Teurina. Berunum, pagi.*

His consulibus occisus est Macrinus, qui Imperium occuparat, sicut est apud Cassidorum. fuit annus à nato Christo Domino, & Deo nostro ducentesimus & vicesimus. Ita Eusebius, & D. Hieronymus adnotarunt in Chronicis. Iuxta radices Caruancæ montis, ad Chiminum lacum Noricorum maximum, Teurina, & Berunum, siue (quod idē esse quidam opinantur,) Virunum, quondam celebres fuere vrbes: quarum & Plinius, & Ptolomæus mentionem faciunt: nunc sunt pagi, villæque morientium reliquiæ, quibus nomina manent. Sub dio visuntur, pauimenta constrata ex tessellis marmoreis, varij coloris, varias rerum facies simulantia. Multiplex ibi effoditur supellex, præter Romana numismata. Hoc monumentum ibi extat:

L TERENTIO VERO IIVIRO TEVRN PRÆF
IVRID OBIT AN LX ET SEPPIÆ C F PRESENTIÆ
L TEREN VERINVS ET C TERENTIVS PRESEN-
TINVS PARENTIBVS OPTYMIS FECERVNT.

Tridentum Noricorum.

Tridentum à Strabone Rhetis, à Ptolomæo Venetiæ attribuitur, nunc Noricorum est, auctæ Germaniæ terminus. Theodericus Rex Gotorum mœnibus cinxit contra Boios. In tertium librum plura consulto differo. Oppida Noricorum Vianam, Æmoniam, Soluense, quæ Plinius: & Gamanodurum, Gebodunum, Badacum, Vacorium, Pedicum, Idunum, Santicum. quæ Ptolomæus recenset, prætereo: ad alios, qui diligentius indagēt, relego.

relego. Animus est ea duntaxat studiosius persequi, quæ ad Vindeliciam, geniale solum, spectent. Romana monumenta, quæ in Boiaria Noricorum Brunduni, Burckhusij, Styraci, subscribam. *Braunauæ. Burckhausen.*

Burckhusij.

L BELLICO L F QVARTIONI DECVRIONI
IVVAVENSIVM II VIRO IVRISDICVNDI VIXIT
AN LVIII SAPLIÆ BELATVMARÆ CONIVGI
AN LXII BELLICIVS SECCIO ET BELLICIVS
ACHILLES CVM CONIVGIBVS EX TESTAMEN-
TO FACIVNDVM CVRAVERVNT

Aliud in agro Burckhusiano.

LOL. POCCA VF SIBI ET
VIATORI
CONIVGI
OBIT AN L
ET ANNONI FIL
OBIT AN XXX
POSTERIS O SVIS
V F

Brunduni in ripa OEni.

VICTORIÆ AVG. RESTITVT
PERPETVS ET ATTINIANA MATRONA
PRO SE ĒE RESTITVTIS RESTITVTO ·E
FLORINO FILIS V S L L M.

Styracij in alpibus Noricis.

POSTHVMIA
VICTORIA
SIBI ET
TI CLAVDIO RAE
TICIANO GENE
RO PIISSIMO

In ripa Iuuaui prope Lauffen Noricorum.

SEX IVL APTVS
VETERAN EX PR
OB AN L *Apud Laufen. Lauffen.*
MAXIMILLA MARITO
OPTIMO ET SIBI
V. F.

In ripa Iuuaui lapis II.

MARCIVS ATT
IVS MARCELLIN
VS VET CON P S O
AN XXX MAR *Quidam legunt L.*
CIVS MAESV T
F MÆRM CVB
III.
CL SENECA
OB AN LXV
SENECIO TER
HONORATÆ SER
MATRI ET FRATRI
ET SIBI ET SVIS
V. F.

Satis euagati sumus, ad narrationem redeo. Augustus (inde enim diuerti) annos LVII. M. VI. peretatis expleuit, cum M. Antonio duodecim annis, solus quatuor & quadraginta Rempublicam administrauit. Princeps belli, pacisque artibus iuxta clarissimus, versu, prosa, Græce, Latine valuit. Ingenia seculi sui omnibus modis fouit, reci- *Augustus quandiu imperarit. Augusti genus loquendi.*

tantes benigne, patienterque audiuit. Plurimum dilexit Horatium, Vergiliumque Poëtas. Genus loquendi secutus est elegans, & temperatum: vitatis sententiarum ineptiis: atque concinnitate, & reconditorum verborum (vt ipse dicebat) fœtoribus, præcipuam curam duxit, sensum animi quam apertissimè exprimere, quod quò facilius efficeret, aut nec vbi lectorem, vel auditorem obturbaret, ac moraretur: neque præpositiones verbis addere, neque coniunctiones sæpius iterare dubitauit: quæ detractæ afferunt aliquid obscuritatis, etsi gratiam augent, Cacozelos (id est nimis anxiè superstitioseque loquentes, stylumque morositate quadam obscurantes) item antiquarios, vt diuerso genere viciosos, pari fastidio spreuit.

Augustus Ortographiam neglexit.

Ortographiam, hoc est formulam, rationemque scribendi à grammaticis institutam, non adeo custodiuit: secutus potius eorum opinionem, qui perinde scribendum, ac loquamur existimant. Ad epistolas omnes, horarum quoque momenta, nec diei, sed & noctis, quibus datæ significarentur, addebat. In euoluendis vtriusque linguæ authoribus, nihil æquè sectabatur, quàm exempla & præcepta publicè, vel priuatim salubria: eaque ad verbum excepta, aut ad domesticos, aut ad exercitum, prouinciarumque rectores, aut ad Vrbis Magistratus, plerunque mittebat, pro vt quique monitione indigerent.

Anni ratio.

Etiam libros totos & Senatui recitauit, & populo notos per edictum fecit sæpe: quo magis persuaderet rem non à se primò animaduersam, sed antiquis iam tum curæ fuisse. Annum à Iulio ordinatum, sed postea negligentia Pontificum conturbatum, ad pristinam rationem redegit. Fastos correxit, & motu Lunæ tum sua opera inuento, adnotauit. Orbem terrarum diligentissimè descripsit, Vrbi spectandum proposuit, porticum, quæ huiusmodi rem complecteretur, perfecit. Dionysium orbis terrarum situs authorem tum recentissimum ad commentanda omnia in orientem, vnde oriundus erat, præmisit, ituro in Armeniam ad Parthicas, Arabicasque res maiore filio.

Augusti dicta.

Eius dicta memoratu digna sunt ista hæc. Satis celerè fieri, quicquid fiat bene. Aureóque hamo cum piscari, qui bella temerè susciperet, vbi maior damni, quam emolumenti spes esset. Domini appellationem, vt maledictam, & opprobrium semper exhorruit.

Eius modestia.

Cuius modestiam vtinam Deus faxit, vt Christiani sequamur, edicto dominumque se posthac appellari vetuit, ne a liberis quidem, aut nepotibus suis, vel serio, vel ioco passus est: atque huiusmodi blandicias etiam inter ipsos prohibuit. Non temerè vrbe, oppidóue vllo egressus, aut quopiam ingressus, nisi vespere, aut noctu, ne quem officij causa inquietaret. Marmoream (vt ipse dicebat) Romam reliquit, quam latericiam acceperat. Eius fœlicitas cæteris postea optata est Imperatoribus. Ipsis enim acclamari solitum, felicior Augusto, melior Traiano. Omnes sibi illatas graues ignominias cladesque duas omnino, nec alibi, quàm in Germania accepit, Lollianam, & Varianam: sed Lollianam maioris infamiæ, quam detrimenti: Varianam penè exitiabilem, quæ fœda maiestatis eius (ait Plinius) sugillatio fuit.

Augusti mors.

Mortuus est quarto decimo Kalend. Septemb. hora diei nona, septuagesimo & sexto ætatis anno, diebus quinque & triginta minus, duobus Sextis, Pompeio, & Apuleio Coss. Imperante Augusto crebro, & passim plus solito, pleráque ostenta, prodigiáque in cœlo, & in terris visa sunt. Consulti Astrologi, Vates, sacrificuli, ipsa etiam deorum oracula responderant, principem, Dominumque terrarum naturam parturire. Romani id ad Augustum referebant, prudentiores de Christo viuentium Rege, & Domino mundi interpretabantur:

Christus Imperij Augusti anno 42. 8. Kal. Ianuarij natus.

qui altero, & quadragesimo Imperij Augusti anno natus est, octauo Kalendas Ianuarias: quo die tum (vti Plinius ait) bruma erat, literatores hyemale solsticium vocant. Ea potissimum tempestate posthac omnia oracula conticuisse, atque defecisse, cultores etiam Deorum testes sunt, Strabo, Plutarchus, & alij plerique omnes. Christi seruatoris gentis humanæ auos, proauósque, & totius generis seriem pro necessitate sacrarum literarum, vti tempus postulat, subnectam. Huius mundi ætates, in cælestis scripturæ sacrario, senario numero (vt Mathematici docent, pleno, esse definitos comperio: quas tamen non annorum multitudine, sed prole, nepotúmque numero dimetimur, & stirpis successione. Duodecima sobole, tres reliquæ quartadecima determinantur. Vterque numerus, alius aliam ob causam Philosophis, Vatibus, & Theologis sacrosanctus est.

Ætas prima 1656. Secunda. 292. Tertia. 941. Quarta. 473. Quinta. 596. Sexta, & vltima est Christi, cuius dies & annos nemo scit. Virg. Maro.

Prima ætas est ab orbe condito, ad eundem aquis obrutum annis mille sexcentis, sex & quinquaginta. Ab orbe ab aquis restituto ad Abrami conditoris Iudæorum natalem numerantur anni ducenti nonaginta duo, qui sunt secunda ætas. Inde ad regnum Dauidis tertiam est seculum, continet annos nongentos, vnum & quadraginta. Quarta ætas à Dauide ad exilium, dum à cultoribus summi Dei Babylonem migratum est, complectitur annos tres & septuaginta supra quadringentos. Ab exilio Babylonico ad natum Christum anni sunt sexcenti, quatuor minus, quæ est ætas quinta: Christi sexta, & vltima est: cuius dies & annos scit nemo. Eandem Philosophi quidam, Sybillæ, & Poëtæ prædixerant futuram, qua de cœlo rediret, depulsa olim terris Iustitia. De hac & Virgilius Maro (authorem habeo Diuum Aurelium Augustinum) Poëtarum nobilissimus ex sententia Sybillæ ita cecinit.

Vltima

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas.
Iam noua progenies cælo demittitur alto.
Iam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna.

Anni itaque ab orbe condito ad secundum,& tricesimum annum regni Herodis primi,quo natus est Christus, secundum Philonem sunt ter mille, nongenti, quinquaginta octo. Et quantum est à primordio mundi ad Abramum,tantundem penè ab eo ad Christum,ademptis duobus & sexaginta annis: quibus populus Dei,quasi vita defunctus, capite diminuto seruiuit Regi Babylonio. Propago generis ante Dauida clara, manifestaque est,posthunc nonnihil scrupulorum atque nodi habere videtur, sed illustribus fretus scriptoribus omnia eximam,dissoluámque. Imperator Iulianus Cæsar Augustus, & Porphyrius Phœnix philosophus,rabidi aduersus Christum canes,calumniátur Euangelistas nostros,quasi duos genitores vni tribuant filio: cum tamen Matthæus proauos contexat ipsius Ioseph,partim legales à Salomone ad Ioram, cuius filius Ozias non quidem gradu sanguinis,sed lege & successione fuerit: inde naturales subtexat. Lucas verò describit genus Deiparæ Virginis,cuius maritus Iosephus,ipsius Heli (qui & Ioakim vulgo est pater Mariæ) filius erat,non quidem natura,sed,vt ait. D Hieron. lege matrimonij. Lege sancitum erat apud Hebræos,quæ iubebat defuncto fratri absque liberis, posteros instauraret viuentem: & ita natus duos habebat parentes,vnum natura, alterum lege, & successione, in cuius (nimirum mortui) nomen & familiam adoptatus, hæreditatem ipsius defuncti quoque adibat. Ita in regia familia quoque constitutum est. Dauida enim complures habuisse filios,inter eósque regno certamen esse ortum,ipso adhuc viuente, constat: donec Dauid lege cauit, & edicto declarauit, Salomonem minimum natu fore regem,atque eius nepotes: cum proximum illi ætate fratrem Germanum,Nathan nomine,eiusque posteritatem regiæ domus præfectos perpetuò esse iussit. Ex quibus & regia progenies, si Salomonis deficeret,instauraretur. Quamobrem Ahiasarim,& Mathathim,Hebræo sermone hi dicti sunt fratres principis, & donati successione regia. Ipsi enim tanquam regiæ sobolis restitutores cum filiis regum educabantur,erátque præfecti prætorio, palatiique & Aulæ rectores: tribum possidebant Beniamin: quemadmodum proles Salomonis tribum Iudæ. Intercidit autem genus Salomonis in Ochozia Rege. Qui cum vnum regnasset annum occisus est,nec liberos reliquit. Mater eius Athalia,videns filium suum interfectum esse absque liberis,conata est delere omnem prolem Regiam. Interfecti itaque sunt omnes posteri Nathan,quorum ius erat recuperare & restituere regiam stirpem,quæ in Salomonis sobole defecerat. Attamen diuinæ Maiest. nutu , & opera sororis Ochoziæ vxoris Pontif. vnus infans à Nathan octaua soboles , seruatus , subtractúsque periculo in templo clanculum educatus est. Is septimo deinde anno,interfecta Athalia,Rex à populo creatur,appellatúrque Ioas Simeon,primus Rex de progenie Nathan,cum iam Salomonis genus intercidisset. Fuere posthac omnes Reges binomines, aliqui & trinomines. Vt autem omnia facilius intelligantur,rudiusculè, pinguique Minerua rem subiiciam oculis,stemmáque proponam.

Herodes primus.3958.
Iulian Imp.
Porphyrius.
Iosephus.
Heli qui & Ioachim.
Nota.
Dauid.
Ochozias.
Athalia.
Ioas Rex.

Paralipomenon lib.1. cap.3.

REGES — Dauid. BERSABE. — PRÆFECTI DOMVS REGIÆ.

Salomon annos 40. regnat.
Roboam 17.
Abia 3.
Asa 41.
Iosaphat 25.
Ioram 8.
Ioachas.
Ochozias.
Azarias.

In hoc defecit progenie Salomonis posita rerum annos 95. Mater huius Athalia succedit, septem regnat annos: interfecit prolem regiam.

Nathan.
Mathathan.
Menna.
Heliachim.
Iona.
Iudas.
Ioas.
Simeon.
Amasas.
Leui 29.
Ozias.
Mathat. 51.
Ioatham.
Iorem 16.
Achas.
Heliezer 16.
Ezechias.
Iesus 29.
Manasses.

Rex primus de sobole Nathan, vnde prognata deipara Virgo: regnat annos 40. interfecta Athalia.

Lib. Reg. 3. cap. 4.

Lib 1. Par. cap. 3.

Her 55.
Amon.
Helmadan 2.
Iosias.
Ohosan 31.
Iechonias. — Regnauit tres menses, dies decem, migrauit Babylonem, vltro se Chaldæis tradidit.
Neri.
Ioachim. — Duces inde pro Regibus fuerunt.
Iehoiachim. — Regnat 11. ann. occisus à Chaldæis.
Mesezabel.
Schealthiel.
Iechonias.
Melchi.
Heliachim.
Ioakym.
Iehoiakym.
Ioachas. — Tres menses regnat, captiuus abductus in Ægyptum.
Addi.

Babylone natus est, vulgo Salathiel dicitur, genuit & ipse Babyloniæ Barachiam, cognomento Zorobabel.
Neemiæ 3.

DVCES Iudæorum progenies Christi. — BARACHIAS Zorobabel Dux. — A Babylone reuersus Hierosolyma, fuit dux annos 58.

Mœnia ædificat Neemiæ 3.

Remsa.
Mosolla.
Moscholla 66.
Iohannaben.
Resa 53.
Iudas primus 14.
Iosephus primus 7. — Hircanus cognomine tempore Alexandri Magni.
Semei.
Abner 11.
Mathathias.
Elyh 12.
Maath.
Asar 9.
Hagge.
Artaxat 10.
Hesli.
Agai 8.
Naum.
Maslot 7.
Amos.
Syrach 14.
Mathathias.
Siloa 10.
Iosephus Iunior. — Familiaris fuit Ptolomæo Euergetæ tertio, Regi Ægyptio.
Arses 60.
Ianne secundus. — Ab Ptolomæo quinto Epiphane honore magno exceptus est, ei Iudas Machabæus Pontifex præripuit ducatum, quod magnarum calamitatum Iudæis causa extitit.
Hircanus.
Melchi.
Leui.
Mathat.
Heli.
Maria. — Hic Hebræis est Heliakym, Ægyptiis Iehoiakym, vulgo Ioakym, pater Deiparæ Virginis, auus Christi secundum carnem.

Eusebius & Philo.

Abiud. — Progenies Iosephi Paral. lib. 1. cap.
Ananias.
Eliakym.
Azor.
Sadoch.
Achim.
Eliud.
Eleasar.
Mathan.
Iacob.
Ioseph. — Filius Heli non natura, sed lege matrimonii.

Χριστὸς.

CHRISTVS (vt nominis rationem propter ignorantium errorem exponam) non proprium nomen est, sed nuncupatio potestatis & regni: sic enim Iudæi Reges suos adpellant. Erat Iudæis ante præceptum, vt sacrum conficerent vnguentum, quo perungi possent

possent hi, qui vocabantur ad sacerdotium, vel ad regnum. Et sicut Romanis indumentum purpuræ erat insigne (ut nunc Aquila est) Regiæ dignitatis, sic illis vnctio sacri vnguenti nomen ac potestatem regiam conferebat. Maschach Hebræis vnxit est, & inde Messias. Græci etiam veteres χρίειν, vngi dicebant. Ob hanc rationem nos eum Christum nuncupamus, id est vnctum, qui Hebraicè Messias dicitur: vtroque nomine Rex significatur. Non quòd ille regnum terrenum fuerit adeptus, fragile nimirum, & caducum atque fluxum: sed quod cæleste, ac sempiternum est. Proprium eius nomen est IESVS, Hebræis IEHOSCHVAH, quod servatorem valet. Nos eum communi nomine regis, tanquam natura immortalem, unum, solum, verum Regem, regiæque potestatis mancipem adpellare solemus. Cæteri Reges umbratici sunt, voluntate & arbitrio vulgi & creantur, & abdicantur, nascuntur, & intereunt ut cæteri mortalium. Perplacet inscriptiones numismatum, quę Imperatorum Romanorum nota signata sunt, quòd hæc res iucunda lectoribus, & studiosis vtilis esse soleat, subscribere: eorum duntaxat, quæ in provincijs, quas Boij nunc possident, inveni, & comparaui. Nam passim in agris, uti supra commemini, effodiunt agricolæ.

Messias. χρίσαι

IESVS.

Inscriptiones monetarū apud Romanos.

DIVVS AVG.
S C

Altera ex parte nota est.
Aquila volans ex suggesto.

CÆSARI AVGVSTO
S. P. Q. R.

Altera parte subscriptam currui triumphali.
AVG P M COS IIII
AVGVR TRIPOT

Aliud

NERO CLAVD CÆSAR
AVG GER PM TR P IMP P P
DECVRSIO
S C.

Aliud.

NERO CLAVD CÆSAR
AVG GER PM TR P IMP P P
GENIO AVGVSTI
S C.

TIBERIVS III.

CLAVDIVS TIBERIVS Nero, tristissimus (vt ait Plinius) hominum, cœpit anno Christi quintodecimo imperare, cum filiis Germanico adoptivo, & Druso naturali. Sub initium Imperij eius, robora Germanorum (inquit Tacitus) qui tum custodes Imperatori aderant, mittuntur cum Druso filio in Illyricum ad Pannonicas legiones sedandas, quæ exitiabili tumultu fremebant. Frisij quoque Transrhenani sub idem tempus pacem exuunt, milites Romanos cruci adfigunt: clarum inde inter Germanos Frisium nomen. Germanicus sub Augusti penè mortem missus in Germaniam ad vindicandam cladem Varianam, recipiendaque signa cum Varo amissa, aliquod præliis Chattos, & Cheruscos fudit. Varia belli fortuna cum Arminio, authore stragis Varianæ, pugnauit. Vxor Arminii Thosuelda nomine capta est cum Thumelico filio trimulo. Sesithacus etiam, & Rhamis vxor eius, filia Harpi Chattorum principis capti sunt. Inter auxilia Romana Chauci (Germana gens erat) Marsorum quoque dux Malouendus fidus Romanis, & Flauius Arminij frater Romanus erat miles. Segestes præterea, cuius filiam Arminius rapuerat, initio à genero dissentiens, ad Romanos transfugerat. Suevi insuper cum Rege Marobodo, Romanis fæderati erant. Arminius tamen bello non victus, prælijs ambiguus, bellum continuauit, donec Imperator Tiberius Cæsar Augustus, præsidia, exercitus, copias Romanas omnes, citra Rhenum in Galliam Belgicam deduci iussit: ne hostes conciret, neue cæteri Germani, qui hactenus quieti fuerant, & fœdus seruarant, irritarentur: & iunctis viribus Romanum inuaderent Imperium. Germanicus post sextum cladis annum, anno seruatoris nostri vndeuigesimo, Imperij verò Tiberij quarto, septimo Kalendas Iunias triumphauit, Aquilas tamen duas, aliquaque signa (sicut narrat Florus) sua adhuc ætate Germani detinebant. id fuit sub Traiano. Segestus cum cognati sui triumpharentur, adfuit, honorificè habitus, incedebat in pompa.

Cl. Tib. Neronis Imperium.

Germani cum Druso in Illyricum mittuntur.

Chatti & Cherusci à Germanico fusi.

Arminius Varianæ stragis author.

Harpus Chattorum princeps.

Suevi Romanis fæderati.

Reddita libertate Germaniæ, pulsisque Romanis, Armenij fauor apud omnes gliscit: palam vt adsertor Germaniæ, more gentis canitur. Marobodi Regis nomé inuisum, ipse prodi-

Germania in libertatem asserta pulsis Romanis.

proditor, & desertor patriæ nuncupatur, vt qui fugax in latebris Hercyniæ latitauerit. Non solum Cherusci, & socij eorum, vetus Armenij miles, bellum sumût, sed è regno Marobodi quoque, Senones, ac Longobardi Sueui genere deficiunt. *[Marobodus proditor dictus.]* Pulsus Marobodus secedit, inuocatque Romanos: transgressus Danubium, qua Noricam prouinciam præterfluit, Rauennæ duodeuiginti annos consenuit. *[Catoualda. Viuilus.]* Catoualda quoque, qui Marobodo pulso, eius regnum occuparat, viribus Hermundorum, à Viuilo Germania deturbatur. Ipse ad Romana itidem confugit arma. Ductus est Forum Iulij, Narbonensis prouinciæ, vtrunque comitati confinio Morauiæ Austriacorum, Vgrorumque intra Marum, & Cusum flumina collocantur, dato Rege Vannio gentis Quadorum: Huius regni Vanniani meminit & Plinius. *[Vann. Quadorum rex. Druidæ. Drudiensuesi.]* Druidas quoque Gallorum Philosophos, & vates Imperator Tiberius exegit omni Gallia, succisa eorum sylua, ipsi in Germaniam trans Rhenum demigrarunt. In syluis, & sub quercubus de natura rerum, & Deorum Philosophati sunt. Terriculamenti nocturni genus, calciamentum Philosophicum, figura Mathematica, apud nos adhuc ab his nomina seruant. Defunctis ambobus filiis, iam senem, orbûmque Imperatorem Tiberium, Germani floccifaciunt, ruptis limitibus Imperii, Rheno atque Danubio, Gallias, Pannonias, Mœsias ferro, flamma, præda deuastant. Vicos diripiunt, incendunt, pecora, captiuos abigunt, impunè vltro citróque commeant: magno dedecore (teste Suetonio) Imperij, nec minori discrimine. *[Tiberij obitus.]* Obiit Tiberius octauo & septuagesimo ætatis anno: tertio & vicesimo Imperij, septimo decimo Kalendas Aprilis, Cneo Acerronio Proculo, Caio Portio Nigro Coss. *[Fabianus Vindelici rector.]* Rector Vindelicorum tempore Tiberij & Caij Cęsaris fuit Fabianus, ita Annales patrij produnt. Ferunt Tiberio excogitatum vitri temperamentum, vt flexibile esset, & totam officinam artificis eius abolitam, ne æris, argenti, auri metallis precia detraherentur: eáque fama diu crebrior, quàm certior fuit. *[Tiberius artium liberalium studiosissimus.]* Ipse Tiberius studiosissimè artes liberales vtriusque generis coluit, sed adfectatione, & morositate nimia stylum obscurabat: vt aliquanto ex tempore, quàm cura, haberetur præstantior. Carmen Lyricum composuit: fecit & Græca Poëmata. De Cometis præclaro carmine perscripsit. Aduersus conuitia, malos rumores, famosa de se carmina (quę vel hodie in Pontifices Romæ eduntur) subinde iactabat: in ciuitate libera, linguam, mentemque liberas esse debere. *[Tiberij dictum.]* Præsidibus onerandas tributis prouincias suadentibus, rescripsit, boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere. *[Quando Christus passus. Pontius Pilatus.]* Eius Imperij anno duodeuicesimo, Dominus mundi, Deusque noster Cruci adfixus est à Iudæis, duobus Geminis Coss. octauo Kalendas Aprilis: quo tum die Vernum erat æquinoctium. Eadem tempestate Pontius Pilatus, & ipse iam pro conscientia sua (inquit Florens) Christianus, legatus Iudææ, atque Hierosolymorum, omnem vitam, miraculaque Christi Tiberio Cæsari per literas aperit: violentia suffragiorum à Iudæis sibi extortum, vt in Crucem eundem dederit, eadem annunciat epistola. Cæsar rem ad Senatum cum prærogatiua suffragij sui, vt Christus pro Deo reciperetur. Senatus respuit, quòd ad se Pilatus non scripserat. Legum enim vetus erat decretum, ne quis Deus ab Imperatore consecraretur, nisi à Senatu probaretur. *[Persecutio Christianorum.]* Senatus itaque consulto vrbe eliminantur Christiani. Cæsar in sententia permansit, comminatus mortem edicto accusatoribus Christianorum. Cum autem Christi Comites, Legatique iussu præceptoris, & magistri sui, post reditum eius in cœlum, veritatem (quæ mordax est, & odium parere solet) Iudæis Hierosolymis primùm adnunciarent, ira simul & inuidia flagrantes Iudæi non solum cœlestem Philosophiam ipsis, tamen longo ante tempore per sacros Vates ab immortali Deo promissam non receperunt, sed & Doctores variis calamitatibus adfectos neci dediderunt. *[D. Iacobus. D. Stephan.]* Iacobum fratrem Ioannis securi percutiunt. Stephanum lapidibus obrutum interimunt. Vulgus Christum professum prædiis, agro, peculio, pecunia spoliant: bonis eorum publicatis. *[D. Petrus.]* Diuus Petrus in vincula coniectus, diuinitus liberatus euasit crudelitatem Iudæorum. Cæteri auditores Christi per prouincias dispersi, fundamenta Ecclesiæ vbique posuerût, multa per orbem terrarum, variaque à Iudæorum genere perpessi sunt: quemadmodum in sacra continetur historia. *[D. Paulus.]* Diuus Paulus Tharsensis, sæuissimus antea hostis, de cœlo tactus deuictus est, & ab Imperatore nostro militiæ nostræ armamentarius cœlesti oraculo designatus, constitutus est. Qui vt ipse fatetur, ab Hierosolymorû vrbe exorsus, per circumiectas quoquo versum regiones longè latéque vsque ad Illyricum, & Danubium amnem, cultoribus deorum primus arma militiæ Christianæ intulit. Et labefactatis deorum viribus, ducis nostri immortale signum vbique fixit. *[Lucius Cyrenensis.]* Eius commilito & cognatus Lucius Cyrenensis in Vindelicia, & Rhætiis, prouinciisque Histro conterminis, Christianæ pietatis sementem fecit, quæ paulatim radices egit, ac succreuit occulto velut arbor æuo. *[Crescens. Titus. D. Thomas.]* Crescens in Galatiam, hoc est Gallias, Germaniásque: Titus in Dalmatiam, ita D. Paulus narrat, profectus est. Thomam Germanis, & Scythis prædicasse testis est Sophronius. Oppidatim tum communi omnium suffragio delecti sunt sacerdotes, qui populum quisque suum docerent. Verùm postea ob discordiam, & impostorum fraudem, qui sub obtentu ceremoniarum religionem nundinabantur, complacitum est caput, & vnum, qui cæteris præesset, constituere. Maiorum

itaque

itaque ciuitatum Pontifices Aquileiæ Patriarches, Laureaci Archimystes creatus est. In actis Diuorum & Pontificum Laureacensium scriptum lego, Diuum Marcum, quem D. Paulus collegam suum vocat, eiusque mentionem & in Epistola ad Timotheum,& Philemonem scripta facit, in Norico Laureaci Philosophiæ nostræ mysteria interpretatum fuisse. Archimystæ Laureacensi (qui ab Vtilone Duce Boiorum Bathauiam, inde à Carolo Magno Salisburgium translatus est) duo & viginti Pontifices minores, dicto audientes fuisse fama & literis proditur. Pannoniam superiorem, & inferiorem: Noricum, & Vindeliciam, eidem olim addictas fuisse, vetera Romanorum Pontificum diplomata, quæ extant, testantur, vrbium hæc fuere nomina, quæ etiam apud celebratos authores reperiuntur, complurium nomina manent, quarundam vestigia mihi quidem incerta sunt. In Pannonia (nunc Vngaria) inferiore Siscia, Bolentium, Vetuaria, nisi Veloprinum sit, instauratum ab Gisala Regina, ex Boiaria oriunda, Teutoburgium, iam quinque Ecclesias vocant. Nitraua nomen retinet vetus: ita & Iulij mons, quod & Auguturium, in Germaniæ ripa, & Morauia. Arrabo, siue Giurinum adhuc nominatur in Pannonia. In Noricorum regno, in Stiria Petanio atque Petauio, & Celeia extant: Pistauiensis, & Aituris reliquiæ ostenduntur: apud Chariorias Tiburniæ, Solij,& Liburniæ vestigia superesse, periti regionis adfirmant. Iuuauia, nunc Salisburgium, Sabona, Brixina, atque Clusium est in alpibus Noricis Austriæ sunt Fauonium, nunc Vienna, & Valentia, vocabulum retinens vetustum, corrupto, vt fit, non nihil sono. Vindelicorum & Boiariæ fuisse reperio Bathauiam, Aureatum in vicum abijt, Augusta Vindelicorum interiit, reliquiæ tamen monstrantur. Plures ab alijs adducuntur, ego alijs inuestigandas relinquo.

Aquileia. Laureacum. D. Marcus. Archiepiscopi Laureacensis. Siscia. Bolentium. Petanio. Celeia. Petauio. Vuelß.

NERO CLAVD. CÆSAR DRVSVS
GERM. EX S C SACERD. COOP.
CÆSARES AVGVSTI F
COS DESIG.
NERO CLAVDIVS CÆSAR
AVG GER P M TR P IMP
S C

ROMA.

CALIGVLA. IIII.

CAIVS CÆSAR GALIGVLA, cognomen à castrensi loco traxit, quia manipulario habitu inter milites educabatur. De hoc ita Ausonius.

Caligula vnde nomen sortitur.

Post hunc Castrensis Caligæ cognomine Cæsar.
Successit sæuo sæuior ingenio.

Fax fuit generis humani. De eo dictum est, nec seruum meliorem ullum, nec deteriorem dominum fuisse. Contra Germanos, qui sub Tiberio, vt diximus, Mælias, Gallias, Pannonias, cæterasque prouincias Romanas depopulati fuerant ingenti conatu, & minacissimus bellum instruxit. Quos vt alicuius immensi operis fama territaret, sinum medium Baiarum, & Puteolanas moles trium millium & sexcentorum ferè passuum interuallo, ponte iunxit: contractis vndique onerarijs nauibus, & ordine duplici ad anchoras locatis, superiecto aggere terreno ac directo in Appiæ viæ formam, æmulatione Xerxis, qui non sine admiratione Hellespontum aliquanto angustiorem contabulauerit. Inde impetum Germanicæ expeditionis cæpit, legionibus, auxilijs, quantum antea nunquam vndique accitis: delectus vbique acerbißimè egit. Innumeras ex omnibus prouincijs contraxit copias, & omnis generis commeatum. Eo apparatu ad Rhenum profectus, nihil penitus gesit: ingentes eius minæ in ludibrium versæ, frustra omnis conatus fuit. Germani Gallias vsque proruperant, Galliæ quoque defecissent, nisi Sergius Galba, qui post imperauit, coercuisset. Quamobrem ipse ornamenta triumphalia accepit, & sacerdotium triplex, inter Quindecim viros, sodales Titios, item Augustales cooptatus. Germani Caligulæ imperitiam insaniamque hominis ridentes, metu simulato in tutis locis in insidijs delitescebant, vt hostem in intima, & ignota perinde iniqua pertraherent loca. Cum autem ipse Caligula trans Rhenum inter angustias, densumque agmen iter faceret, dicente quodam, non mediocrem consternationem, sicunde hostis appareret. Equum illico conscendit, ac propere versus ad Pontes, vt eos calonibus, & impedimentis stipatos reperit, impatiens moræ, per manus, ac super capita hominum translatus est, turpique fuga Romam rediit. Conuersus inde ad curam Triumphi, Gallorum procerißimum quemque legit, ac seposuit ad pompam: cogitque non tantum rutilare, & submittere, comam, sed & sermonem Germanicum addiscere: & nomina Germanica ferre. Germani interea Romanas inuadunt legiones, fundunt, pellunt. Ipse malæ pugnæ nuncio perterritus, fugam & subsidia fugæ, classes adparauit. Vni solatio acquiescens, transma-

Caligula generis humani fax. Sergius Galua. Caligula Romam effugit.

rinas sibi superfuturas prouincias, si victores alpium iuga, vt Cimbri, vel etiam vrbem, vt Senones, occuparent. Verùm pecunia pacem emit a Germanis. Vixit annos duodetriginta: imperauit triennio, & decem mensibus, diebusque octo, occisus est à suis triginta vulneribus, anno Christi altero & quadragesimo. Ad primum tumultum in auxilium adcurrerunt Germani custodes corporis: discurrunt gladiis strictis defensuri Cæsarem: ac nonnullos ex percussoribus, quosdam etiam senatores, inter quos Asprenas, Norbanus, & Anteius, inoxios interemerunt. In Theatrum inde procurrunt, populum Romanum sese ad internecionem deleturos occisurosque comminantur. Verum suppliciter rogati certioresque facti, Caium mortuum esse, pro mortuo, qui eorum pericula remunerari non posset, amplius pugnare detrectant. itaque desistunt infestare Romanos. Eloquentiæ Caligula plurimum attendit, quantumuis facundus, & promptus, peroranti verba & sententiæ suppeditabant. Lenius & comptius genus dicendi contempsit. Senecam tum maxime placentem, commissiones meras componere, & arenam esse sine calce dixit. Sub eo Matthæus primus, octauo postquam Christus in cœlum redierat anno, Euangelium in Iudæa scripsit. Ioannes in Græcam linguam transtulit: & Pontius Pilatus multis calamitatibus obnoxius sibi mortem consciuit. Occiso Caligula, Senatus in asserenda libertate consensit, censuitque nomen, & memoriam Cæsarum abolendam: diruendaq; templa odio crudelitatis. Consules cum senatu & cohortibus Vrbanis, forum Capitoliumque occuparunt, asserturi communem libertatem: biduo de mutando Reipublicæ statu hæsitatum est. Claudius, patruus Caligulæ, quinquagenarius, rumore cædis nepotis sui exterritus, prorepsit ad solarium proximum, interque prætenta foribus vela se abdidit: latentemque discurrens forte Germanus miles, nomine Gratus, animaduersis pedibus è studio sciscitandi, quis nam esset, agnouit: extractumque, & ad genua sibi accidentem adprehendens, sequentibus ait, iste est Germanus, eum imperatorem salutemus. Hinc ad commilitones alios adhuc frementes, perduxit. Ab his (quia sui defugerant) vicissim succollantibus, in castra delatus est tristis & trepidus: miserante obuia turba quasi ad pœnam raperetur insons. Receptus intra vallum, inter excubias militum pernoctauit, minore spe quàm fiducia. Vbi Gratus superior his verbis consolatus est, & hortatus: Noli de salute tua meticulosus esse, fortis, magno, altoque sis animo, vt Imperatorem decet, ac potius Imperium cogitato. Accitus deinde ipse per Tribunum plebis in curiam ad persuadenda quæ viderentur, vi se, & necessitate teneri respondit. Verùm postero die, & senatu segniore in exequendis conatibus per tædium diuersa censentium, & multitudine, quæ circumstabat vnum rectorem, & nominatim exposcente, armatos pro concione iurare in nomen suum passus est: pro militeque singulis ingentem pecuniam. Primus Cæsarum fidem militis etiam præmio pignoratus.

Germani victores.
Pecunia pacem à Germanis emit Caligula à suis occisus.
Caligulæ eloquentia.
Seneca.
Matthæus quando Euangelium scripserit.
Pontij Pilati mors.
Claudius, patruus Caligulæ.
Gratus miles Germanus, der Geraete usw.

CLAVDIVS V.

TIBERIVS Claudius Drusus cæpit anno Christi altero, & quadragesimo imperare. Imperauit annos tredecim, menses nouem, dies octo & viginti: occisus est boleto venenato ab vxore Agrippina, matre Neronis priuigni sui, tertio Idus Octobris, Asinio Marcello & Acilio Ausola Coss. quarto & sexagesimo ætatis anno, Imperij quartodecimo. Omnibus liberalibus studiis pertinaciter deditus, nec infacundus, nec indoctus fuit. Historiam scripsit hortante Tito Liuio. Item Ciceronis defensionem aduersus Asinij Galli libros, satis eruditam. Maxima cura Græca studia secutus est. Nouas commentus est literas tres numero, quasi maximè necessarias, X antisigma pro ps. Diagamma Æolicum Ⅎ pro u consonante, non inutiliter, vt ait Quintilianus. Extat talis scriptura, quam in titulis lapidum legi, ita, Ⅎale, Ⅎita. Sed post imperium eius euanuere, nemine audente veterem scripturam mutare. Quærente eo de fisci exiguitate, non absurdè dictum, abundaturum si à duobus libertis in societatem reciperetur. Druidarum religionem apud Gallias aboleuit, excisa sylua, in qua docere Druides consueuerant: ipsos in Germaniam aufugisse suprà admonuimus. Germanos coluit, & muneribus prosecutus est. Legatis eorum in Orchestra (locus est in Theatro, vbi Senatus spectabat ludos, à saltando dictus) sedere permisit: simplicitate, & fiducia eorum motus, quod in popularia deducti (cum animaduertissent Parthos & Armenios sedentes in senatu) ad eadem loca sponte transierant: nihilo deteriorem virtutem, aut conditionem suam prædicantes. Britannias Orchadesq; insulas per Vespasianum, qui postea potitus est rerũ. auxilio Germanorum Romano adiecit Imperio. Cheruscorum etiam gens regem Romæ petiuit, amissis nobilib. per interna bella: & vno reliquo stirpis regiæ, qui apud Vrbem habebatur, nomine Italus: paternũ huic genus è Flauio fratre Arminij, maternũ è Cathomaro principe Chattorum. Cæsar Claudius auctũ pecunia, additis stipatoribus, misit. pelli ceptus paulo post à nobilibus, Longobardorũ opibus refectus, vicit. Pater eius Flauius, patruus Arminius, auus

Claud. Drusus ab vxore Agrippina occisus.
Claud. Druidarũ religionis abolens.
Italus ex Cheruscis oriundus, qui & Italicus.

auus Cathomarus fuit, clarissimi tum Germaniæ Principes. Chauci eadem tempestate Germaniam inferiorem, quæ est in Gallia Belgica, incursant, dux gentis Gannasco, qui leuibus nauigiis prædabundus Gallorum maximè oram vastabat, non ignarus dites & imbelles esse, dolo insidiisque interceptus à Romanis interficitur. Nece eius Chaucorum mentes inuadere Romanum imperium summis viribus destinabant: sed desiderabatur dux tanto conatui non impar. Claudius ne hostem consciret, adversaque in Rempubl. casura mala, nouam vim in Germanias prohibuit & referri cis Rhenum in Galliæ ripam præsidia, copiásque Romanas iussit. In superiore quoque Germania trepidatum est iisdem temporibus, aduentu Chattorũ latrocinia agitantium: sed per luxum vino & somno vsi, oppressi sunt à Romanis. Quidam è clade Variana quadragesimum post annũ seruitute exempti sunt. Vannius etiam à Romanis, & Druso Cæsare filio Tiberij Imperatorib. Sueuis impositus, authoribus Viuilo rege Hermundorum, Vandone & Sidone sorore Vannij genitis, pellitur regno. Claudius sæpe oratus non arma interposuit certantibus Germanis, tutum Vannio perfugium promittens, si pelleretur: scripsitque P. Attilio Histro, qui Pannoniæ præsidebat, legionem, ipsáque è Pannonia lecta auxilia pro ripa, subsidio victis, ac terrori aduersus victores, ne fortuna elati Romanam quoque pacem turbarent. Nam vis innumera Legij, aliæque gentes aduentabant, fama ditis regni, quod Vannius per triginta annos prædationibus & vectigalibus auxerat: ipsi manus propria, pedites, Eques ex Sarmatis, Iazibúsque erat, impar multitudini hostium. Legius, Eumondurus (Sueuorum genera sunt) ingruerat, prælio funditur Vannius, ad classem in Danubio opperientem perfugit, secuti mox clientes, acceptis agris in Pannonia, desertisque Boiorum locati, Vando & Sido inter se partiti sunt regnum.

Chauci. *Gannasco.* *Vannius.* *Viuilus Rex Hermundorum.* *Vando.* *Sido.* *P. Attilius.* *Legij.*

Agrippina coniunx Claudij, mater Neronis, in Vbiorum oppidum, in quo genita erat, Veteranos, Coloniamque deduci imperat, cui nomen Agrippinensis Coloniæ inditum est ex vocabulo ipsius. Auus M. Agrippa gener Augusti, eam gentem in suam fidem acceperat Rhenum transgressam. Claudio principe legatus Vindelicorum fuit M. Antonius.

Colonia Vbiorum. *M. Agrippa.* *M. Antonius.*

Philippus auditor Christi Hierapoli (ciuitas est Asiæ) lapidibus obrutus, crucique affixus est. Felix quoque tum præses Iudææ fuit, apud quem D. Paulus vinctus perorat causam suam. Sub idem tempus Imperij Claudiani anno secũdo, quidam Petrum Romam venisse credunt. Quod mihi non fit verisimile: maximè cum Diuus Paulus narret Galatis, se duodeuigesimo post suam conuersionem anno Hierosolymis Petrum adisse: qui fuit annus imperij Claudiani decimus, Christi verò alter & quinquagesimus. Ibidem refert post hæc Petrum Antiochiam adiisse. Hoc satis quoque constat, tertio Neronis anno, Paulum & Lucam Romam deductos, biennio ibi commoratos fuisse. Vnde D. Paulus nomine suo, & Timothei ad plerósque scripsit, quos obscurissimorum quoque Romæ degentium verbis solicitè & anxiè salutat. Atque neque Paulus, neque Lucas vllam mentionem Petri faciunt, profectò non prætermissuri, si tum ipse Romæ fuisset. Denique cum Paulus in Epistola data Corinthi ad Romanos, vltimo Imperij Claudij anno (quod curiosius inquirenti sacram historiam, perpalam fiet) ex via properans Hierusalem, iubeat ignobiles Romæ salutari: tantum ducem, legatum Christi, nunquam silentio præteriret. Præterea in secunda ad Timotheum Epistola, dum secundo tribunali sisteretur, & gladius Neroni capiti eius immineret, conqueritur se ab omnibus derelictum, solum Lucam secum esse. Cum itaque non incelebrati authores sint, eodem quidem die, verùm non eodem anno Petrum & Paulum à Nerone Romæ occisos fuisse, suspicantur alij Petrum, Nerone principe, & post cædem Pauli, demum Romam commigrasse. Quamuis non desint, qui ipsum Romæ viuum quidem fuisse omnino pernegent: quòd Paulo (quemadmodũ est in arcanis sacrarum literarum) prouincia docendi cultores Deorum (quorum caput Roma) demandata fuerit à Christo, Petro Hebręos dũtaxat instituendi copia facta: quamobrem ipse & Babylonæ (vbi tum multi Iudæi, vt Iosephus scribit, erant: adeo vt potentissimum regem Persarum bello lacessiuerint) & ad Iudæos Christi sectatores scripserit. Has ego pugnas ad contentiosos in palæstram relego, coniecturas humanas, certi nihil adferre possem. Nam Babyloniam ab Petro, sicut à Ioanne Romam adpellari, authores sunt: alij Babyloniam Ægypti intelligunt, quæ nunc est Alchairum, antiquis Memphis.

D. Philippus. *Felix præses Iudææ.* *Paulus & Lucas Romã ducti, & biennio ibi commorati sunt.*

NERO VI.

DOMITIVS Nero Ænobardus in Germanos perquam munificus fuit: ipsisque (vt ait Tacitus) plurimum confidit. Qui in Armenia, Britania, quæ defecerant, recuperandis, tutandáque Syria, sedulò ei operam nauarunt. Milite quoque Germano in Ægypto, Hiberia, Albania in expeditione, quam ad Caucasias portas parauit, vsus est. Frisij gens Germaniæ Magnæ, agris vacuis ripæ proximis, militum vsui sepositis, cum insedere, authore Verrito, & Malorige. Hi profecti Romam ad Neronem dixere, nullos mortales armis, aut fide ante Germanos esse. Aderat iis Boiocalus, vinctũ se Cherusca rebellione, iussu

Domitius Nero in Germanos munificus. *Verritus.* *Malorix.* *Boiocalus.*

ne, iussu Arminij referens, mox Tiberio, & Germanico ducibus stipendia quinquaginta annorum obsequio meruisse. Nero vtrumque ciuitate donauit. Percrebuerat oriente toto vetus & constans opinio, esse in fatis, vt eo tempore in Iudæam profecti, rerum potirentur. Plærique de Romano Imperatore (vt exitus probauit) interpretati sunt: prudentiores ad Christum referunt. Iudæi (quorum caput Hierosolyma: nam cæteri sub Agrippa, & Regibus amicis in obsequio quieti permanserunt) ad se hoc vaticinium trahentes, cum & Cæstij Flori præsidis auaritiam ferre non possent, cæso præposito, rebellant. Legatum insuper Syriæ consularem, suppetias ferentem rapta Aquila in fugam vertunt. Contra rebelles Flauius Vespasianus præfectus militiæ, vt industriæ expertæ, nec metuendus vllo modo ob humilitatem generis ac nominis, cum maiore filio legato mittitur à Nerone cũ copiis. Et huic expeditioni miles Germanus interfuit. Aliquot vrbes Iudeæ captæ sunt. Flauius Iosephus scriptor historiarum, dux belli Iudæorum, victus captúsq; in vincula coniectus à Vespasiano vt interficeretur, constantissimè adseuerauit fore, vt ab eodem breui solueretur, verùm iam Imperatore. mortem quoque Neronis prædixit. Ob hoc viuere permissus à Vespasiano imperatore, deinde libertate donatur: in nomen & familiam adoptatur. Bellum & antiquitatem Iudaicam, & alia plæraque scripsit. Vespasianus duobus præliis Iudæos superatos intra mœnia Hierosolymorum compulit. Dum hæc in Palæstina geruntur, Galliæ tumultuantur, & Iulio Vindice duce, qui eas pro prætore obtinebat, rebellant.

Cestius Florus. *Fla. Vespasi.* *Fl. Iosephus historicus.* *Iul. Vindex.*

Acciti à Nerone Germani, viginti ferè millibus Gallorum occisis, Vindicem ad mortem compellunt, Gallias Neroni restituunt. Sed Hispaniæ quoque à Vindice antea sollicitatæ, desciscunt, Sergium Galbam Tarraconensis Hispaniæ rectorem, Imperatorem salutant. Vbi hoc diuulgatum, cæteri exercitus, & prouinciæ rebellant ob hominis scelera, factum sequuntur Hispanorum, in verba Galbæ iurant. Quinquennio quidem nemo melius Nerone imperauit, Rémque publicam administrauit: teste etiam Traiano, Principe omnium optimo, qui dicere solitus fuit: Omnes principes longè abesse à quinquennio Neronis. Postea in omne facinus flagitiumque erupit, magicæ vanitati, artium fraudulentissimæ deditus: cuius species plures essent: namq; & ex aqua & Sphæris, & ex aëre & stellis, & lucernis, ac peluib. securib. quoq; ac multis aliis modis, diuina promittit. Præterea vmbrarum, inferorumque colloquia: quæ omnia Nero, vana falsaque comperit. Primum imperare diis concupiuit: nec quicquam generosius voluit. Nemo vnquam illi arti validius fauit: omnia suppetebant, quæ huic solennia esse finguntur prauæ superstitioni. Immensum, & indubitatum exemplum est falsæ artis, quam dereliquit Nero. Proinde autem (ait Plinius) persuasum sit, intestabilem, irritam, inanem esse, habentem tamen quasdam veritatis vmbras, sed in iis veneficas artes pollere, non magicas. Attamen Senatus ille Romanus, ordo amplissimus, Simonem Magum statua & inscriptione sancti Dei inaugurauit: credo vt ob persecutionem in nostros motam, blandiretur Mago Neroni, cui homines immolare gratissimum. Ipse enim Vitricum Claudium, à quo adoptatus fuerat, & Britannicum fratrem veneno sustulit: vxorem Octauiam, matrem Agrippinam ferro occidit: Lucanum Poetam, eius patruum Senecam, præceptorem suum mori coëgit. Optimum quemque trucidauit, virtutes ipsas penitus excindere connitebatur. Nulli delegauit officium, vbi non adiiceret, scis quid mihi opus sit: & hoc agamus, ne quis quicquam habeat. Vrbem Romanam incendit, & lusitabundus è turri prospectauit. Pessimum omnium, & hostem generis humani fuisse vulgus etiam imperitum apud nos prædicat, adeò vt nomen eius ad Tyrannos adhuc transeat. Talem principem paulo minus quatuordecim annos perpessus terrarum orbis, tandem destituit. Statio militum discessit, custodes cubiculi direptis stragulis diffugerunt. Nunciata defectione exercituum, prouinciarumque literas prandenti redditas, concerpsit, mensam subuertit, Chrystallinos scyphos duos gratissimi vsus, solo inlisit. Desertus itaque ab omnibus, vrbis & orbis consensu, per libertorum fidissimos tentauit Tribunos, Centurionésque de societate fugæ: sed partim tergiuersabantur, partim apertè detrectabant. Vnus verò etiam proclamabat, vsque adeo ne mori, miserum? Varia deinde agitauit, cogitauitque, Galbam ne supplex peteret, an atratus prodiret in publicum, proque rostris quanta posset maxima miseratione veniam præteritorum precaretur, ac si animos flexisset: vel Ægypti præfecturam concedi sibi oraret. Sed deterritus est ne priusquam in forum perueniret, discerperetur. sic cogitationem hanc in posterum distulit diem. Ad mediam ferè noctem excitatus, prosiluit è lecto, misit circum amicos: & quia nihil à quopiam renunciabatur, ipse cum paucis hospitia singulorum adiit: verum omnium fores clausæ erant, nullus penitus respondebat. Ita rursus domum in cubiculum redit, percussorem, cuius manu periret, requisiuit: & nemine reperto, Ergo ego (inquit) nec amicum, nec inimicum habeo: procurritq; quasi præcipitaturus se in Tiberim, sed reuocato rursus impetu, vt nudo pede erat, atque tunicatus, penulam obsoleti coloris superinduit, adopertóque capite, & ante faciem obtenso sudario, equum côscendit, ad suburbanum Liberti sui circa

Quinquennio nemo melius Nero ne imperauit. *Nero flagitiosus, & facinorosus.* *Simon Magus.* *Nero de morte sibi consciscenda cogitat.*

quartum

ea quartum miliarium ab Vrbe fugam capessit. Statim tremore terræ, & fulgure aduerso pauefactus, audiit è proximis castris clamorem militum, & sibi aduersa, & Galbæ prospera ominantium. Etiam ex obuiis viatoribus quendam dicentem, hii Neronem persequuntur. Alium sciscitantem, ecquid in Vrbe noui de Nerone. Equo autem odore abiecti in via cadaueris consternato, detecta facie agnitus est à quodam, & salutatus. Dimissis deinde equis, inter fruticeta ac vepres, per arundineti semitam ęgrè, nec nisi strata sub pedibus veste, ad aduersum villæ parietem euasit. ibi hortante liberto suo, vt interim in specum egestæ arenæ concederet, negauit se viuum sub terram iturum. At parumper commoratus, dum clādestinus ad villam introitus pararetur, aquam ex subiecta lacuna poturus, manu hausit. Postea diuisa sentibus penula, traiectos surculos rasit, atque ita quadrupedes, per angustias effossæ cauernæ receptus in proximam cellam, decubuit super lectum, modica culcitra vetere pallio strato, instructum: fameque & iterum siti interpellante panem quidem sordidum oblatum aspernatus est, aquæ autem tepidæ aliquantum bibit. Tum vt quamprimum se impendentibus contumeliis eriperet, scrobem coram fecit, dimensus ad corporis sui modulum: aquam, ligna, alia quoque conferri iubet, curando mox cadaueri necessaria. Flebat ad singula, atque dictitabat, Qualis artifex pereo? Inter moras certior factus, se hostem à Senatu iudicatum, & ad Gemonias scalas condemnatum, & quæri, vt puniatur more maiorum, interrogauit, Quale esset id genus pœnæ. Et cum comperisset, nudi hominis ceruicem inseri furcæ, corpus virgis ad necem cædi, cadauer per Vrbem trahi, atque in cloacam abijci, conterritus duos pugiones, quos secum tulerat, arripuit, tentataque vtriusque acie, rursus condidit: causatus nondum adesse fatalem horam. Ac rursus segnitiem suam his verbis increpat, Viuo deformiter, turpiter pereo. Iam equites adpropinquabāt, quibus præceptum erat, vt viuum eum adtraherent. Quod vt sensit, ferrum iugulo adegit, iuuante Epaphrodito à libellis. Ita similem moribus suis exitum vitæ inuenit tricesimo & secundo ætatis anno, die quo quondam vxorem suam Octauiam interemerat, Anno restituto salutis septuagesimo. Non defuerunt tamen postea, qui eum viuere adhuc assererent, & breui magno inimicorum malo reuersurum. Denique post viginti annos extitit conditionis incertæ, qui se Neronem esse iactabat: tamque fauorabile nomen eius apud Parthos fuit, vt vehementer adiutus, & vix redditus sit. Quamobrem & quibusdam regionis nostræ sectatoribus persuasum fuisse existimarim, ipsum adhuc viuum alicubi clāculum detineri, foreque Antichristum, adeò, quod & id sentire Diuum Paulum interpretati sint. Ipse verò, inter cætera flagitia, Christianos supplicijs adflixit, quibus tamen primordio Imperij fauit: vt quem D. Paulus in vincula coniectus adpellauerit, ad ipsumque ductus Romam fuerit: vbi biennio liberè, & nemine prohibente, Philosophiæ Christianæ veritatem docuit: & quosdam ex familia Cæsaris recipere persuasit. Plebs Romana audita morte Neronis, pileata concurrit, tamquam seruitute crudelissimi domini liberata, atque manumissa. Hisce temporibus apud Rhætias, Vindeliciamque legatum fuisse Porcium Septimium, & Seuastum reperio, &c.

Gemoniarū scalarum pœna.

Neronis interitus.

Quidam se Neronem esse iactanis.

Porc. Septimius. Seuastus.

Lactantius.

Quemadmodum Lactantius narrat, Petrus & Paulus cum futura, quæ ipsis Christus aperuit, & alia multa mira Romæ prędicarent, tum etiam hoc futurum esse dixerunt, vt post breue tempus immitteret Deus Regem, qui expugnaret Iudæos, & ciuitates eorum solo adæquaret: ipsos autem fame, sitique confectos obsideret, tum fore, vt corporibus suorum vescerentur, & consumerent se inuicem.

Postremò vt capti venirent in manus hostium: & in conspectu suo, acerbissimè coniuges suas vexari cernerent. Violari, atque prostitui virgines, diripi pueros, paruulos allidi, omnia denique igni, ferro, vastari: captiuos in perpetuum terris exterminari, eo quod exultauerunt super amantissimum, & probatissimum Dei filium. Itaque post illorum obitū, cum eos Nero interemisset, Iudæorum gentem, & nomen Vespasianus extinxit, fecitque omnia, quæ illi futura prædixerant. Quandoquidem autem de Christianorum excruciatione, & sanguinis eorum seminatione mentio incidit, non abs re fuerit, paucis religionis nostræ primordia texere, vt intelligamus planè, quantum à vita, moribus, & institutis maiorum deciuerimus. Verissimum est profectò, aut illud Plinianum, multum referre in quæ tempora cuiusque virtus inciderit: aut hoc D. Hieronymi dictum, auctos temporalibus, spiritualibus diminutos esse. Admonet D. Paulus eos, qui piè velint viuere, multa aduersa perpessuros. Admonet & Christus seruator hominum, Doctor, & Magister noster, se gladium & ignem, non pacem missurum. Tantum abest, vt nobis pollicitus fuerit opes, gloriam, secundasque res huius seculi: pauperes, nudi, ęgrè veritatis grauitatem ferūt, nedum diuitijs, honoribus, imperijs onerati ferre possint: quæ plerumque malos efficiunt, sceleltos reddunt, bonos nunquam faciunt. Et spinæ, sentesque, nolis velis, appellari solent à Christo. Qui posteaquam immortali triumpho ad cœlos euectus, & cœlestis spiritus adoptiuorum filiorum mentibus illapsus est, eius comites, discipulique (sicut in sanctæ historiæ sacrario continetur) duntaxat Iudæos in Palæstina, & vbiq; gentium passim habitantes, tanquam diuinæ stirpis radicem Christianæ pietatis fonte imbuerunt. Ibi sacerdotes

Vespasianus Iudæos extinxit.

De religione Christiana.

Plinius. D. Hieronymus.

NOTA.

cerdotes & pontifices ira simul & inuidia commoti, quod a multitudine desererentur, & sua vitia patefierent, cognatos & gentiles suos Christo deuotos supplicijs affligunt, eos, velut impios, & patriæ religionis desertores, Deique immortalis (cuius legem datam Mosi soluerent) hostes, & proditores occidunt, trucidant, vrbibus eliminant. Primus Diuus Paulus omissa peruicacia & obstinatione inflexibili Iudæorum, quorum oculi veritati occlusi erant, cultoribus Deorum ianuam salutis aperuit: eiusque exemplum cæteri discipuli secuti sunt. Ibi tum mali genij, laruæque, cum cernerent se diuinitate, quam hactenus iniurie vsurparant, spoliari, suasque præstigias & commenta in vulgus edi & prodi: non solum externos hostes, verum etiam proprios domesticosque templo Dei concitarunt inimicos. Quidam enim sectæ nostræ philosophi (quemadmodum rerum Christianarum scriptores explicant) sub obtentu nominis, vitia celando male audiebant, vulgoque castigabantur, quod aliter viuerent, quam sapientibus conueniret. Et extiterunt (quod mirere) Petro & Paulo tam vigilantissimis pastoribus oues pascentibus, & procurantibus inter gregem latitantes qui veræ pietatis expertes titulo cæremoniarum, cœlestem philosophiá (vt illi vocant) cauponabantur: & per auaritiam facticijs sermonibus de vili plebecula negociabantur. O mores, ò tempora. Quid nunc fieri censes, vbi fides, iusticiaque etiam vulgari tritoque prouerbio depulsa terris in cœlum redijt? Vbi pastores non tantum non vigilant, sed & ipsi tecti pelle ouina oues deuorant, pessimis moribus perdunt, exemplis nimium periculosis sauciant, interimunt, & comedunt? Grauissimus est morbus qui à capite diffunditur. Illorum mores locum fecerunt mendacio prophanorum, qui insontissimos Christianos infanticidij, incestus crimine prædam habant: quibus flagitijs nostro æuo Iudæi insimili & infames sunt vulgo. Rumor erat, disciplinæ nostræ professores, vt genus hominum nouæ superstitionis ac maleficæ, non solum Magos, omnium mortalium scelerum reos esse, sed in abditis quoque conuiuijs, vbi infans recens natus immolaretur, sanguis inde pane exciperetur, quo sectæ candidatus vesceretur. Vbi post conuiuium (pabulum Iudæ nuncupabant) canes ad hoc adsuefacti lumina euerterent: initiatus deinde aut sororem, aut matrem incesto pollueret. Hæc initia, hos ritus solennes factionis esse, fama ementiebatur. Et vt odium letale intelligas, inquiri in nos (sicuti in sceleratos factitabatur) neglectum est: nec volebant illud, nec iubebant hostes, vt nomen inuisum præsumptis & non probatis criminibus, solum sui confessione damnaretur: & ne fama huiusmodi falsa esse conuinceretur, & probarentur non esse, quæ credere malebant. Tolerabilior hæc, quòd hominem Christianum, Deorum immortalium, Imperatorum, legum, morum, humani generis hostem, naturæ totius inimicum: omnis cladis publicæ, omnis populi incommodi causas existimabant. Vnde vulgo protritum prouerbium fuit, Deficit pluuia, causa Christiani nominis. Illud prætereo, quod superstitiosos, inutiles Reip. penitusque infructuosos stultissimos, crimini lesæ religionis Romanæ obnoxios, nos esse prædicabant. Alio quoque iniuriarum titulo postulati sumus (sed leuiusculum hoc & odio dignum) quod scilicet nostrates se fratres inuicem adpellarent, & essent: quod Romano Imperio (quod æternum fore credebant) male ominarentur, interiturumque adfirmarent: Insuper vocati sumus, quod Asinum ac Solem adoraremus. Cum odio sui acerba cepit veritas: lux semper inuisa fuit tenebris. Totus orbis terrarum consensu gentium in nomen Christianum conspirauit. Philosophi oblatrarunt, aduersus religionem nostram complures euomuerunt libros: impiam, anilemque superstitionem esse vociferantur. Contra pios quoque impia iura condita, constitutiones sacrilegæ, & disputationes Iureperitorum iniustæ aduersus nos factæ leguntur, rescripta collecta, vt docerent iniqua Iurisconsulti, quibus pœnis adfici deberent, qui se Dei cultores confiterentur. Iudices, & prætores plus ausi sunt, quam iubebantur: non solum authores faciundæ persecutionis fuerunt, sed & mordacius in nos, & Christum, eiusque comites debacchati sunt. Quos & Magiæ, & latrocinij accusarunt, vt proscriptorum damnatorumque bonis potirentur. Quidam etiam ad nos scripsere, vt humanè benigneque consulere putarentur: vulgus cæcum iure suo, Christianos in publico apparentes luto, lapidibusque incessebat: dijs suis sanguiné nostrum infanis clamoribus deposcebat & deuouebat. Non tam Iudæi tempestate nostra inuisi, quam nos illo tempore fuimus. Pontifices minores, Maximi, Flamines, Aruspices, Augures, item reges, sacrificuli, sæpe causa fuerunt iusticiam persequendi. Cum enim quidam nostratium sacrificantibus dominis adsisterent, imposito frontibus signo immortali, cœlestique nota, deos eorum fugauerunt: ne possent in visceribus hostiarum futura depingere. Quod cum intelligerent, conquerebantur, profanos homines sacris interesse: facile eos, quos oderint dijs, adesse. Ita adegerunt principes suos in furorem. Vbique luctus, vbique pauor, vbique plurima mortis imago: iustos & bonos vbique tanquam malos, & impios persequebantur, excruciabant, damnabant, occidebant. Varia genera crudelitatis exquisitissimæ mortium species excogitatæ sunt. Insontes Christiani non solum relegati suo cuique principi, in exilium acti, hostes Reip. iudicati, ad bestias, ad metalla, ad latomias condemnati. Vniuersus etiam populus cum ipso conuenticulo concrematus est: alij crucibus adfixi, pars lapidibus obruti, pars in flumina præcipitati sunt: hic dissectus est,

huic

huic viuo cutis detracta, ille igne excoctus: viuis lux, mortuis terra denegata est. Nullus voluminum numerus capiet (Lactantius proximus his rebus inquit) tam infinita, tam varia genera crudelitatis. *Lactantius.* Sæuiores illi carnifices, grauioresque fuerunt, qui neminem statuerūt occidere, nihilque aliud cogitarunt, quàm vt vincerent: hi exquisitos dolores corporibus immittebant, & nihil aliud euitabant, quàm vt ne torti morerentur. Iubebant tortis curam diligenter adhiberi, vt ad alios cruciatus membra renouarentur, & repararetur nouus sanguis ad pœnam. Hanc carnificinam quosdam biennio pertulisse literis proditum est. *Iulianus Ro. Imp.* Iulianus quoque Imperator talia tentans, vnius constantissimi adolescentis, Theodori nomine, fortitudine, (vt D. Aurelius Augustinus refert) à furore nos persequēdi deterritus est: ne itidem ab alijs victus, & minime compos, pudore, ruboreque afficeretur: & religionem, quam extirpare destinarat, corroboraret, & stabiliret. Exquisitior quippe crudelitas, illecebra erat magis. sectæ plures efficiebantur, quoties metebantur, semen erat sanguis Christianorum. Excruciati verò gratias agebant Christo, Deoq; canebant: nec patiendo defecti, carnificum vires delassabant. Omnis ætas, omnis sexus, omnis ordo, ex ciuitatibus, vicis, agris, mulierculæ, pueri, puellæ (de viris taceo) certatim ad cruciamenta ruebant, dilacerarē se toto corpore perpetiebantur: illis gemitum nec ignis extorqueri potuit. Accusatio votū, pœna felicitas erat. Neque aliunde, quàm de hostibus imperator immortalis copias suas succenturiauit. quod præter afflatum diuinum, hoc modo fiebat: Plurimi odio crudelitatis à deorum cultu fugabantur. placebat quibusdam virtus, ac fides ipsa: nonnulli suspicabātur deorum cultum nō sine causa malum putari à tam multis hominibus, vt emori malint, quàm id facere, quod alij faciunt, vt viuant. Aliqui cupiebant scire, quidnam esset illud bonum, quod ad mortem vsque defenderetur: quòd omnibus, quæ in hac vita chara sunt, præferretur: à quo nec bonorum, nec lucis amissio, nec dolor corporis, nec viscerum cruciamenta deterrerent. Valebant hæc plurimum, sed & illæ maximę causæ nostrorum numerum semper auxerunt. audiebat circumstans populus inter ipsa tormēta dicentes. Nolle sacrificare lapidibus humana manu factis, sed Deo viuo, qui sit in cœlis. Multi hoc verū esse intelligebant, & in pectus demittebant. Deindè (vt fieri solet de rebus incertis) dum inuicem inter se quærebant, quæ esset huius perseuerantiæ causa: multa quæ ad religionem pertinebant, diuulgata, ac per rumorem vicissim aucupata discebant: quæ quia bona erāt complacere necesse fuit. Præterea vltio consecuta (sicut semper accidit) ad credendum vehementer impellebat. Nec hæc quidem leuis causa erat, quod immundi dæmonum spiritus, accepta licentia, multorum se corporibus immergebant, quibus postea reiectis, omnes qui sanati erant, adhærebant religioni: cuius vim ac potētiam senserant. Ipsorū quoque deorum testimonia Christianos facere cósueuerunt: adiurati enim à Christianis, Dæmonas se malos, & vnum esse Deum, cui Christiani mancipārentur, confessi sunt. Coactique per nomen duntaxat Christi, profitebātur vnum Deum, vt disciplina Christiana doceret, colēdū esse: Christumque omnes ab æuo animas, restituto corpore iudicaturum. Hæ tot causæ in vnum collatæ, magnam Deo multitudinem mirabiliter adquirebant. Non defuere tamen (tanta est pertinacia impietatis, & ea erat contumacia Philosophorum) qui cum viderent, tot & tantis persecutionibus religionem nostram non solùm non diminui, sed è diuerso mirabiliter inualescere, commenti sunt haud scio quos versiculos, tanquam oraculum cōsulenti diuinitùs editos, in quibus Christum omnino quidem crimine soluebant. Petrum verò maleficio, magicoque susurro, occiso anniculo infante, dilaniatoq; , & ritu nefario sepulto extorsisse Deo trecentos sexaginta quinque annos, adfirmabant, quibus Christi nomen coleretur.

Expleto hoc annorum interuallo, deinde continuo Christi nomen penitus in obliuionem peruenturum ementiti sunt. Cōfinxere hanc fabulam eruditi, nimirum doctores Philosophię quę semper maioribus nostris suspecta fuit: vt cuius professores, adulatores, & tēpori seruientes, per inane nomen sapientiæ (sicut D. Paulus cōmonefacit) simplices seducebant. Ipsi enim (refert Tertulianus) inimicè adfectarunt veritatem, adfectandoque corruperunt: & quibusdam suis opinionibus sacras literas, ad Philosophicas sentētias adulterauerunt: adeò vt scitissimè à nostratium quopiam dictū esse referat sacer Hieronymus. Philosophos esse patriarchas Hæreticorum (vt adpellant) hoc est, impiarum sectarum, mendaciorum, dissidijque authores. Nam Philosophus, vt idem ait, est gloriæ animal, & populari auræ, atque rumorum venale & vile mancipium. Immortalis etiam Ambrosius, vt Christiani de eo malè opinarentur, philosophiam profiteri cœpit. *Philosophi patriarchæ sunt hæreticorum.* Verùm nostro quo diuinæ penetralia veritatis, philosophiæ ignaris præclusa esse opinantur. clauesque cœlestis Thesauri Aristoteli Stagiritæ. Dialecticisque acceptas referunt. At quàm piè, quàm verè, viderint doctiores. Ego ad reliqua pergo. Quòd si maximè verum esset, nullus Theologus esset in vniuersa Germania, quem ego quidem norim.

NERO CÆSAR AVGVSTVS
VESTA

IMP. NERO CAES AVG P. MAXIMVS
VICTORIA AVG.
S C.

GALBA VII.

Galba militari laude apud Germanos floruit.

SERGIVS GALBA nobilissimus, veteri & honorabili prosapia oriundus: dum vigebat, militari laude apud Germanos floruit: & fortitus proconsul Tarraconensem Hispaniam, diu prudentissimè administrauit prouinciam. Tandem Neronem timens, in desidiam & segniciem, quod nemo rationem ocij sui reddere cogeretur, conuersus est. Carthagine deinde Noua conuentum agens, tumultuari Gallias comperit. Legato Aquitanię auxilia implorante, superuenerût Vindicis literæ hortâtis, vt humano generi adsertorem, ducemque se accommodaret: nec diu cunctatus, condicionem partim metu, partim spe recepit. Nam & mandata Neronis de nece sua ad procuratores clam missa deprehenderat. Morte Vindicis consternatus non parum, perseuerauit tamen, adsumptoque Cæsaris nomine, ad vrbem properauit. Nero ab omnibus desertus seipsum interemit. Vulgatumq; est arcanum Imperij, alibi, quàm Romæ posse fieri Imperatorem. Galba vbi Romam venit, Germanorum cohortem a Cæsaribus olim ad custodiam corporis institutam, multisq; experimentis fidissimam, dissoluit, ac sine vllo commodo remisit in patriam. Quamobrem facilè à M. Saluio Otone, res nouas moliente, immissis equitibus in medio foro vrbis Romæ, a suis desertus contrucidatus est tertio ac septuagesimo ætatis anno, Imperij mense septimo. Nemo Imperatori opem ferre conatus, excepta Germanorum vexillatione, hi ob recens meritum, quod se ægros, atque inualidos magnopere fouisset, in auxilium aduolarunt: sed serius, itinere deuio, per ignorantiam locorum retardati, &c.

Galba Vindici auxilium fert.
Vindex moritur.
Galba à M. Saluio Otone occiditur.

OTO VIII.

Oto Imperiũ arripuit.

M. SALVIVS OTO, Neronis quondam intimus, & omnium consiliorum particeps, occiso eius fraude Galba dominationem occupat, Imperiumque arripit. Germanici cum exercitus fremebant, fraudari se præmijs, nauatæ aduersus Gallos & Vindicem operæ. Primi ergo obsequium rumpere ausi apud Agrippinensem Coloniam in verba Auli Vitellij iurant, qui pronus ad res nouas, à Galba in inferiorem Germaniam missus erat. Salutatur itaque Vitellius Imperator, consensu exercituum vtriusque Germanię statim Germanicus dictus est. Sperans inde auxilia aliorum Germanorum secutura, in Italiam, Vrbemque expeditionem parat. Præmissis vexillis Germanorum, ad Placentiam ventum est. Dalmatiæ, Pannoniæ, Moesiæ, Norici, Illyrici legiones, & totus Oriens, & Africa Otoniani erant. Placentia obsessa à Vitellianis, cohortes Germanorum, cantu truci, more patrio, nudis corporibus super humeros scuta quatiens hostes territât, naues mergunt Otonianorum. Victus itaque aliquot prælijs Oto Imperator mori decreuit, pugioneque & vno ictu se traiecit, infra leuem pupillam: & ita exanimatus est quinquagesimo, & octauo ætatis anno, & nonagesimo, quinto Imperij die, &c.

Vitellius salutatur Imperator.
Placentia à Vitellianis obsessa.
Otonis mors.

VITELLIVS IX.

Vitellius Roma potitur.

AVLVS VITELLIVS Post Otonem defunctum, Roma deinde potitur, sed octauo Imperij mense desciuerunt ab eo exercitus Mæliatum, atque Pannoniæ, & transmarini, Iudaicus, & Syriacus, ac pars in absentis, pars in præsentis Vespasiani (qui prospere cum filio in Iudæa bellum gerebat) verba iurant. Recusauit primo Vespasianus Imperium recipere, ob Germanicorum exercituum famam, & robur. Quibus vt par occurreret, trahit & ipse in partes Germaniæ gentes, Danubij accolas, principes Sarmatarum & Iazigum. Sido & Italicus Reges Sueuorum in commilitium acciti sunt à Vespasiano. Cui Volgesus quoque Rex Parthorum auxiliares copias pollicitus est, positis in latus auxilijs. Sido, & Italicus Suaui cum delectis popularium in prima acie versabantur. Infesta Rhætia, cui Portius Septimius incorruptæ erga Vitellium fidei, procurator erat, Sextilius Felix cum ala Auriana (vrbs fuit in ripa Achelis supra Tyrolios) & octo cohortibus ac Noricorum iuuentute ad occupandam ripam Oeni fluminis (quod Rhætos Noricosq; interfluit) missus est. Nec his aut illis prælium tentantibus, fortuna partium alibi transacta est. Flauius Sabinus frater Vespasiani, & reliqui Flauiani Romę in Capitolium compulsi, & à Germanis militibus, succenso templo Iouis, oppressi sunt. Domitianus filius Vespasiani apud æditurum clam pernoctauit, & mane Iliaci celatus habitu, interque sacrificulos vanæ superstitionis, quum se trans Tyberim ad condiscipuli sui matrem comite vno contulisset, ita latuit, vt scrutantibus, qui vestigia secuti fuerant, deprehendi non potuerit. Cęteri verò Germani, qui domi remanserant, vbi Italiam bello flagrare, cuncta inuicem hostilia, ciuilibusque armis Romanos discordes esse acceperunt, arma & ipsi capiunt: speque prædandi

Vespasianus cum filio in Iudæa ... gerit.
Volgesus rex Parthorum.
Portius Septimius.
Sextilius Felix.
Fla. Sabinus Vespasiani frater.

prædandi Romanas inuadunt prouincias. Roxolani Sarmaticæ gentes transito Histro, cæsis duabus cohortibus, magna spe ad Moesiam irrumpunt: Fronteium Agrippam Consularem, præsidemque occidunt: Dacorumque gentes expugnatis cohortium alarumque hybernis, vtraque Danubij ripa potiti sunt: inde castra legionũ excindere parabant. Per Rhætias quoque & Vindeliciam ingens vis Germanorum timebatur. Hæc ad Danubij oram gesta. Rhenus ferocius insurrexit, Galliasque adfectauit. Author belli Claudius Ciuilis Bathauus, socii armorum accedunt Brenno Caninefas, id est Selandus, Iulius Sabinus Lingon, Tullius Valentinus Treuir regio genere procreatus, è maioribus hostis populo Romano. Incitabat etiam non parum Velleda nationis Bructerę Virgo fatidica: alta turri habitabat. Prætoriam Triremem Romanis in Rheno ademptam, flumine Luppia, domum traxere Velledæ Germani. Vbij, genus Germanicæ originis (eiurata patria, Romanorum nomine Agrippinenses vocabantur) recepti sunt legati missi à Germanis trãsrhenanis ad concilium Agrippinensium, qui primo gradati, quod rediissent in numerũ, & corpus Germaniæ, deinde mœnia destrui, vectigalia abrumpi, Romanos trucidari postularunt. Moguntiacum quoque obsessum est, & cæsæ legiones Romanę sunt: quarum cęde patrata, Ciuilis Bathauus (vt dixi) dux belli propexum, rutilatumq; crinem deposuit. Idem molem à Druso factam diiecit, Bathauiam Insulam, excluso sinu maris reddidit quodammodo Germaniæ: pleraque huiusmodi tum copiosissimè tum elegãtissimè narrat Cornelius Tacitus in historia Augustali. Ego breuitati studens ad Boios festino: hæc magis, vt pollicitus sum, ostendo, quàm differo. Dum hæc in Germania geruntur, agminis Vespasiani antecessores Romam iam irruperant. Tum Vitellius omnibus abs se dilabentibus, zona se aureorum plena circumdedit, confugitque in cellam ianitoris: religato pro foribus cane, lecto & culcitra obiectis. Vnde extractus & agnitus, religatis post terga manibus, iniecto ceruicibus laqueo, veste discissa, seminudus in forum tractus est. Inter magna rerum & verborum ludibria, reducta coma capite, mento mucrone gladij subiecto vt visendam præberet faciem, neue submitteret. Quidam cœno stercoreque incessebant, alii vitia corporis & animi exprobrant. Tandem apud Gemonias (vbi fratrem Vespasiani necari permiserat) minutissimis ictibus excarnificatus, atque confectus est. Et inde vnco tractatus in Tyberim, anno vitæ septimo & quinquagesimo, &c.

Roxolani Fron. Agrippa præses occisus. *Cl. Ciuilis.* *Brenno. Iul. Sabinus Tul. Valentinus. Velleda.* *Bathauia insula Germaniæ reddita.* *Vitellius captus & occisus.*

VESPASIANVS X.

FLauius Vespasianus, matre Vespasia Polla gẽitus (filia Vespasiani Pollionis ter tribuni militum, præfecti castrorum) relicto filio maiore Tito in Iudæa: cui & belli conficiendi curam demandauit, ipse Romam omnium votis desideratus aduenit. Incertum diu, & quasi vagum Imperium, quod ignauia Cæsarum ab excessu Augusti per annos sex, & quinquaginta penè decoxerat, firmauit. Nihil antiquius duxit, quàm propè adflictam, nutantemque Rempub. stabilire. Cœpit imperare seruati orbis anno altero, & septuagesimo Domitianus filius eius, dum pater abest, expeditionem in Galliam & Germanias dissuadentibus paternis amicis inchoauit: tantum Lugdunum vsque progressus, pater Vespasianus Germanos muneribus & præmiis sibi conciliauit. Dum enim adhuc priuatus esset, eius amicus erat Ciuilis Bathauus dux Germanorum, qui, à Cereale duce Romano, à Vespasiano cum filio eius Domitiano ad Germanos pacandos misso, ad colloquium inuitatus, arma & bellum deposuit: Fœdus cum Vespasiano init, quod ad Domitianum vsque obseruatum est. Germanorum agmina ait Iosephus, sedarunt bella Ciuilia. Itaque Vespasianus, vt ait idem, pacauit Hesperiam tumultu Germanorum concussam. Vindelicorum præses fuit sub Vespasianis Imperatoribus Sextilius Felix. Cæterùm Titus filius Vespasiani, inter hæc Hierosolyma graui obsidione cincta expugnat, atque capit. Templum succendit, solo omnia æquat. Ipsi Iudæi obsessi, siti, fame confecti, corporibus suis pasti sunt: se inuicem bello intestino consumpserunt, Postremo capti in manus hostium venerunt: in conspectu suo acerbissimè coniuges suas vexari viderunt, violari, & prostitui virgines, diripi pueros, allidi paruulos: omnia denique igni, ferroque vastari: captiuos in perpetuum terris suis exterminari, Vndecies centena millia hominum fame & gladio perierunt: alia centum millia capta publicè venundata sunt. Coierat frequentior Iudæorũ multitudo Hierosolyma ex toto orbe terrarum Paschalibus. Iam enim adfore suum Messiam sibi persuaserant, sed ita pœnas ob Christum in crucem actum homicidæ dederunt. Capta itaque vrbe, templo subuerso, deinde ciuitatis vsque ad Hadrianum, per quinquaginta annos mansere reliquiæ. Prædicarunt hæc Romæ, omnia fore post breue tempus Iudæis, Petrus & Paulus & ea prædicatio in memoriam scripta permansit. Vespasianus pace terra marique parta, cum Tito filio triumphauit, turbatã Rempublicam tot malis in meliorem statum redigere, summam operam nauauit, ingenia & artes maximè fouit. Primas enico Latinis, Græcisque Rhetoribus annua centena constituit. Præstantes artifices, nec non poëtas coemit. Ærarium tabularum tria millia, quæ simul cum Capitolio conflagrauerant, restituenda suscepit, vndique inuestigatis exemplaribus. Instrumentum Imperij pulcherrimum ac vetustissimum, quo continebantur penè ab exordio Vrbis senatuscon-

Vespasianus relicto Tito in Iudæa Romam exoptatus aduenit. *Domitianus filius Vespasiani.* *Cerealis dux.* *Sextilius Felix. Vindelicorum præses sub Vespasiano.* *Titus Hierosolymam vastat.* *Vespasianus cum Tito triumphauit.* *Vespasianus ingenia & artes fouit.*

Templum pacis ædificatum. natusconsulta, plebiscita, de societate ac fœdere, ac priuilegio cuicunque concessit. Templum pacis quoque ædificauit, quod indocti concionatores mentiuntur, corruisse antequam extructum sit. Comissimus, dicacissimusque fuit: quendam è charis ministris dispensationem cuidam quasi fratri petentem, quum distulisset ipsum candidatum ad se vocauit, exactaq; pecunia, quantam is cum suffragatore suo pepigerat, sine mora ordinauit. Interpellanti mox ministro, alium tibi ait, quære fratrem, hic, quem tuū putas, meus est. Quidam auarum natura fuisse tradūt: idque ei exprobratum à sene bubulco, qui negata sibi gratuita libertate, quam adeptum Imperium orabat, proclamauerit, Vulpem pilum mure, non morem. Sunt tamen qui contra opinentur, ad cupiditatem necessitate compulsum summa ærarij fiscique inopia, quod & verisimilius videtur, quando malè partis optimè vsus est. Amicorum libertatem causidicorum figuras ac philosophorum contumaciam lenissimè tulit. Imperauit annos nouem, menses vndecim, dies duo & viginti: mortuus est Octauo Calendas Iulij, annum gerens ætatis sexagesimum ac nonum, superq; *Vespasiani mors.* mensem ac diem septimum. ne extremo quidem periculo mortis iocis abstinuit. Prima morbi accessione, vt puto, (inquit) deus fio. Et aluo repente ad defectionem soluta, imperatorem, ait, stantem mori oportere. Dumque consurgit ac nititur, inter manus subleuātium extinctus est, &c.

VESP. AVG P M COS IV. IMP. CÆ.
SALVS AVG

IMP. CÆSAR VESPASIANVS
AVG. TR. P.
TRIVMP. AVG.

IMP. CÆS VESPASIANVS
VICTORIA AVG.
S. C.

IMP. T. CÆS. VESP.
AVG. P M TRI P COS. VII.
ÆTERNIT. AVG.
S C.

TITVS XI.

FLAVIVS Titus Vespasianus adhuc priuatus, atque etiam sub patre principe, inciuilius, violentiusque egit, præter sæuiciam. Luxuria etiam in eo suspecta fuit, nec minus libido: suspecta & rapacitas, quod in concionibus patris nundinari solitum constabat: ne odio quidem, nedum vituperatione publica caruit. Propalam alium Neronem & opinabantur, & prædicabant. Nec temerè quis, tam aduerso rumore magisque inuitis omnibus transit ad principatum. At illi ea fama pro bono cessit, conuersaque est in maximas laudes: neque vllo vitio reperto, & contrà virtutibus summis materiam omnem vitiorum amouit. Beronicen Reginam, cuius amore infamis fuerat, inuitus inuitam ab vrbe dimisit. Tantumque illi ad promerendam omnium voluntatem vel ingenij, vel artis vel fortunæ superfuit. Et quod difficillimum est in Imperio, vt amor & deliciæ generis humani cognominatus sit. Merum miraculum est, quod in vno homine fuere ante principatum tot vitia, in principatu tot virtutes. Cum frequentius magistratus corrumpat anteà integros, adeò vt non inscite Lucanus dicat,

Exeat aula, qui vult esse pius:

Titus armorum peritissimus, lingua Græca & Latina disertissimus. Virtus & summa potestas non coeunt: id quod etiam vulgo dici solet, Diu in aula, diu apud inferos. Fuit Titus armorum, equitandi peritissimus, Latina, Græcaque lingua disertissimus: Oratione & poematibus promptus, & facilis ad extemporalitatem vsque: notis quoque velocissime excipiebat, chirographa quæcunque vidisset, imitabatur. Idem omnium officiorum curam ad se recepit patris nomine, & epistolas dictauit, edicta conscripsit, orationes in Senatu recitauit. Natura beneuolentissimus fuit: obstinatissimè tenuit, ne quem sine spe dimitteret. Non oportere, aiebat, quemquam à sermone principis *Titi dictum* tristem discedere. Laudatur etiam à nostræ religionis professoribus, illa vox memorabilis, recordatus quondam super cœnam, quod nihil cuiquam eo die præstitisset, Amici (in- *Incendium Romæ.* quit) diem perdidi. Sub eo tristia, & fortuita acciderunt: conflagratio Vesuuij montis in Campania: Incendium Romæ per triduum, totidemque noctes: item pestilentia, quanta *Vesuuius mons. Prodigia.* non temere aliàs. Sed libet rem curiosius enarrare. Mons est in Campania iuxta Neapolim nomine Vesuuius, ad mare vergit, ex quo cum magnus ignis subitò, nono Calendas Septembris, hora diei fere septima exarsit quod hoc modo factum est: Viri multi atq; magni, humanam omnem naturam excedentes, quales Gigantes describuntur, partim in finitima regione per vrbes, interdiu atque noctu per terram oberrantes, & in aere procurrētes visi sunt. Post hæc vehemens siccitas, & vehementes terræ motus facti sunt. Montes subsiliebant, sonitus è cauernis subterraneis tonitruis persimiles edebantur, terra mugire audieba-

audiebatur: mare fremebat, cœlum resonabat: fragor deinde immensus subitò, ceu collidentium montium auditus. Exiliebant primo lapides ingentes: inde tantus erupit ignis, ac fumus, vt aera totum obumbraret, totum solem occultaret: mox ex die nox, & tenebræ ex luce factæ sunt. Existimabantur Gigantes reuixisse: apparebant enim illorum effigies in fumo. Præterea tubarum sonitus audiebatur. Apparebant quoque nubes, inusitata specie & magnitudine procul intuentibus, incertum ex quo oriebantur. Erat forma & similitudine arboris pini, longissimo velut trunco, elata in altum, quibusdam ramis diffundebatur. Deinde in latitudine euanescebat, candida interdū, interdum sordida, & maculosa.

Arsuri timuere gentes fulgura mundi.
Tempus adesse putabant
Quo mare, quo tellus correptaq́; regia mundi
Ardeat, & mundi moles operosa laboret.

Pars ex domibus fugiebat, sub dioque extrema operiebatur: alij ex terra in mare, & rursus ex mari in terram profugiebant. Quidam trepidi & amentes præsenti periculo oppressi sunt. Eructabatur immensus cinis, occupabat terram, mare aera: incidebat calidior & densior, quo propius accedebatur. Iam pumices nigri & ambusti, & fracti igne lapides. Plurib. locis latissimæ flammæ atque incendia elucebant, quorum fulgor & claritas tenebris noctis excitabatur. Lędebantur homines pecudesque, pisces, & aues absumebantur. Iam dies alibi, illic nox omnibus noctibus nigrior densiorque, quam tamen faces multæ, variaque lumina soluebant. Deinde flammæ flammarumque prænuncius odor sulphuris: præcesserat per multos dies tremor terræ minus formidolosus, quia Campaniæ solitus. Illa verò nocte ita inualuit, vt non moueri omnia, sed euerti crederentur: crebris, vastisque tremoribus tecta nutabant, & quasi cuncta sedibus suis, nunc huc, nunc illuc abire, aut referri videbantur. Areæ ex quibus tecta adibantur, cinere, missisque pumicibus oppletæ insurgebant, vt si longior sub tecto mora esset, exitus negaretur. Sub dio, leuium exesorumque pumicum casus timebatur: quidam ceruicalia capitibus imposita linteis constringūt, id munimentum aduersus decidentia fuit. Iam hora diei prima, & adhuc dubius, & quasi languidus dies: rursus iam quassatio tectis, certæ ruinæ metus, excessum oppidis. Vehicula quanquam in planissimo campo in contrarias partes agebātur: ac ne lapidibus quidem fulta, in eodem quiescebant. Præterea mare in se resorberi, & tremore quasi repelli videbatur: certè processerat littus, multaque animalia mare in siccis arenis destituebat. Ab altero latere nubes atra, & horrenda ignei spiritus, certis, vibratisque discursibus rupta, in lōgas flammarum figuras dehiscebat: fulguribus illæ similes, & maiores erant. Nec multo post illa nubes descendere in terras, operire maria cœpit, quæcunque oppida, vicos cinxerat. Iam cinis his adhuc tamen rectus irruebat, fugientium tergis densa caligo imminebat, quæ torrētis modo infusa terræ, sequebatur in aperto fugientem. Mox nox, qualis in clausis locis lumine extincto. Audires vlulatus fæminarum, infantium quiritatus, clamores virorum, alij parentes, alij liberos, alij coniuges vocibus inquirebant. Vocibus noscitabant hi suum casum, illi suorum miserabantur. Multi ad deos manus tollere, plures nusquam iam deos vllos, æternamque illam, & nouissimam noctem mundo interpretabantur. Nec defuerunt qui fictis mentitisque terroribus, vera pericula augerent. Paululum reluxit, sed non dies: sed aduentantis ignis indicium videbatur. & ignis quidem substitit, tenebræ rursus, rursus cinis multus & grauis. Hunc identidem adsurgentes excutiebant, operti alioquin atque oblisi pondere. Tandem illa caligo tenuata, quasi in fumum nebulamue discessit. Mox dies verè, sol etiam refulsit, luridus tamen qualis esse, cum deficit, solet. Occurrebant trepidantibus adhuc oculis mutata omnia, altoque cinere tanquam niue obducta: metus præualebat. Nam & tremor terræ perseuerabat, & plerique lymphati, terrificis vaticinationibus, & sua & aliena mala ludificabantur. Duæ ciuitates conflagrarunt Herculaneum, & Pompei sedente in theatro populo. Tantus puluis fuit, vt ab eo loco in Africam, Syriam, AEgyptum, Romamque penetrauerit. Totus aer imminens puluere oppletus fuit: sol obscuratus, obtenebratusque est. Permultos dies metus erat maximus: nesciebant homines, quidnam rei esset, quod factum erat: nec coniecturari poterant: Existimabant omnia euerti, infima imis misceri, solem in terram ferri. Sequenti anno, ignis a terra progrediens vrbem Romam populatus est: subsequuta est pestis grauissima. Iudæi iræ, & diuinæ vindictæ tribuebant pœnas violati templi, ac ciuitatis a deo electæ & euersæ, Cæsarem Titum, atque Romanos dare interpretabantur. In his tot aduersis, ac talibus, Imperator Titus non modò principis sollicitudinem, sed & parentis affectum vnicum præstitit. Nunc consolando per edicta, nunc opitulando, quatenus suppeteret facultas, medendæ valetudini leniendisque morbis: nullam diuinam, humanamq; opem non adhibuit, inquisito omnium sacrificiorum, remediorumque genere. Curatores restituendæ Campaniæ è consularium numero sorte duxit. Bona oppressorum in Vesuuio, quorum hæredes non restabant, restitutioni afflictarum vrbium attribuit. Vrbis incendio absumptis operibus, ac templis, ornamenta suorum prętoriorum destinauit. Præposuit cōplures ex eque-

Herculaneum, Pompei.

Titus obiit.

ex equestri ordine, quo quæque maturius peragerentur. Actum fuisset de genere humano, si talibus & tot malis sæuus contigisset, ac truculentus Imperator. Inter hæc morte præuentus, maiore (vti scribunt) hominum damno, quam suo, excelsit, Idibus Septembris post biennium, & menses duos, diesque viginti, quam successerat patri altero & quadragesimo ætatis anno. Quod vt palam factum est, non secus ac in domestico luctu, mærentibus publicè cunctis, vbique fletus vbique lachrimæ fuerunt. C. Plinius secundus Veronensis vir omnium rerum studiosissimus, qui præclara monumenta ingenii reliquit, licet occupatissimus esset officiis maximis, & amicitia principum, periit, dum superius mōtis miraculum propius, vt eruditissimus, noscere concupiuit, ætatis anno sexto & quinquagesimo. Scripsit idem bellorum Germaniæ viginti libros: quibus omnia, quę cum Romanis bella vnquam gessimus, collegit, inchoauit cum in Germania militaret, sed hi libri non extant, perierunt incuria temporū. Nec est quod, si per fata liceret, legere malim.

C. Plinius secundus perit.

IMP. TITVS CÆS VESPASIA
NVS AVG P M TR P IX
XV AVG VII P P

IMP. T CÆS VESP AVG P M TR P COS VII
AETERNIT. AVG
S C

DOMITIANVS XII.

Domitianus Titi frater impius Imperator.

FLAVIVS Domitianus fratri Tito, & parenti dissimilimus, super ingenii naturam inopia rapax, metu sæuus. Primus dominum, & Deum se adpellari iussit. Extat de hoc Epigramma Martialis, qui, sicut & Quintilianus plurimum Domitianum laudāt: ab eoque amati sunt. Tentauit in Christianos arma, sed facile cœptum repressit, restitutis quos relegauerat. Mathematicos, & Philosophos vrbe pepulit. Bellum ciuile motum à L. Antonio, superioris Germaniæ præside, absens per Normanium Lappium confecit mira felicitate, quum ipsa dimicationis hora, resolutus repente Rhenus, transituras ad Antonium Germanorum copias prohibuisset. Germani deinde transrhenani, transdanubianique fœdus cum superioribus principibus obseruatum soluunt auaricia Domitiani, quod solitis stipendiis defraudabantur, commoti. Transitis Rheno & Danubio vtraque ripa potiuntur, Galliam, Mæsiam, Pannoniam, Vindeliciam, Rhætias, Noricum, prouincias Romanas, igne, ferro, præda deuastant, vicos incendunt, vrbes diripiunt. Agrippa Pompeius legatus Illyrici: Oppius Sabinus Consularis, Cornelius Fuscus legatus, cui summam belli Domitianus commiserat, cum legionibus cęsi sunt: caput Sabini abscissum, per populares circumlatum. Domitianus Rhenum, Danubiumque nauibus in modum pontis contabulauerat: viribus Ro. Imperii Germanos inuaserat: verum a Germanis (vt ait Tacitus) tot exercitus oppressi, ac deleti: tot militares viri cum cohortibus expugnati, ac capti sunt, vt iam non de milite Imperii & ripa, sed de hybernis legionum, & possessione prouinciarum dubitatum sit: damna damnis continuabātur: omnis annus funeribus, & cladibus insigniebatur. Nec iam de libertate Germani (addit Plinius) sed de virtute Romanorum certabant: ac ne inducias quidem, nisi æquis conditionibus inibant, legesque vt acciperent, dabant: ingentibus damnis, immēsis muneribus (verba sunt Cæcilii Plinii) paciscebamur. Empta tandem pax est à Germanis, annua tributa constituta, vti se trans Rhenum, Danubiumque continerent. Nec siquidem securus omnino Domitianus iners ipse, alienisque virtutibus tunc inuidus. Traianum (qui pōst imperauit) virum & belli, & pacis artibus, vt quisquam illa ætate esse poterat, clarissimum, vt validissimum præsidium exciuit ex Hispaniis, Germanis, quæ in Galliis sunt, præfecit, vt Germani transrhenani virtute quoque Traiani, & admiratione, iustitiaque in fœdere detinerentur. Quibus licet Domitianus coactus fuerit pendere, nihilominus Germanicus dictus est. Falsum ex Germania duxit Triumphum, emptis per commercia, quorum habitus & crines in captiuorum speciem formarentur. Domitianus ob crudelitatem, conscia vxore sua Domitia Longina, in cubiculo vulneribus septem contrucidatus est quartodecimo Calendas Octobris, anno ætatis quinto & quadragesimo, Imperii quinto decimo super mensem quintum. Clypei & imagines eius passim, vbique per Romam in terram deiectæ, & à populo per ignominiam publicè conculcatæ. Regionibus, & prouinciis, quas nunc Boij possident, præsedit Sosius Senecio, vir consularis. Dion Chrysostomus aurea præditus lingua, Rhetor & Philosophus, cum philosophi Romæ passim à Domitiano proscriberentur, ad Gotos, Germanosque se trans Danubium contulit, exulauitque apud Germanos: orationem Comæ composuit &c.

Romani principes cæsi.

à Germanis pacem emerunt.

Domitianus dicitur Germanicus. Domitiani interitus.

Dion Chrysostomus.

IMP. CAESAR DOMI-
TRAIANVS AVG TR P COS
VII.

NERVA

NERVA XIII.

COCCEIUS Nerua, occiso Domitiano cœpit imperare anno Christi, terrarum Domini, Deique rerum vndecentesimo, imperauit annum vnum, menses quatuor. Adoptauit Traianum (qui tum Germaniæ, quæ est in Gallia Belgica præsidebat, annum ætatis secundum & quadragesimum gerebat) ipsum Cæsarem designauit: Imperij insignia eidẽ in Coloniam Agrippinensem missa sunt. Domitiani omnia acta rescissa, restituti quos relegarat. Porrò Nerua perijt in hortis Salustianis, ætatis anno altero & septuagesimo.

Nerua Traianum designauit Cæsarem.

Neruæ interitus.

IMP. NERVA CAES. AVG P M TR
P COS II P P
SALVS PVBLICA.
IMP. NERVA CÆS AVG P M TR P
COS II P P.
CONCORDIA EXERCITVVM
DIVVS AVGVSTVS
IMP NERVA CAES AVG
S C

TRAIANVS XIIII.

M. VLPIVS Traianus, apud Agrippinensem Coloniam, Rheno conterminam, & inferioris Germaniæ (quæ est in Gallia Belgica) caput Imperator salutatus est: Germanos magno labore ad pacem illexit: ipsis munera & stipendia ex imperij maiestate largitus est. In vtroque flumine Rheno & Danubio nauigauit: de quo Claudianus ita cecinit.

Traianus Imperator salutatur.

Claudianus

Ante tubam nobis audax Germania seruit.
Cedant Druse tui, cedant Traiane labores.
Vestra manus quicquid dubio discrimine gessit,
Transcurrens egit Stil.co, totidemq; diebus
Edomuit Rhenum, quod vos Potuistis in annis,
Quem ferro, alloquiis, quem vos cum milite, solus.

Traianus contra Dacos.

Cæterùm in Dacos (qui sint, sæpius dictum) expeditionem parauit. Traianus indignè ferebat, annua his dependi tributa. Lapideum pontem, ingens & vix credibile opus, infra Sauum amnem in Histro faciundum curauit: viginti pilæ ex quadrato & secto lapide constructæ, fornicibus coniunctæ, totum opus sustinebant: quarum altitudo, præter fundamenta, erat centum & quinquaginta pedum latitudo pedes sexaginta patebat: distabant inter se centum, & septuaginta pedes: eratque lõgitudo pontis pedum tria millia, & pedes quadringenti. Rex Dacorum Decebalus, dux autem Susagus in Mœsia Callidromum seruum Laberij Maximi cæperant, munerique Parthorum Regi Pacoro miserant. Primũ ad fœdus à Traiano cum cæteris Germanis Daci illecti fuerant. Verùm deinde viribus Parthorum freti, pacem exuunt, fœdus rumpunt. Traianus cum copijs Danubium transit: vbi dum incautus agit, penè confossus est ab sicarijs à Decebalo immissis. Buri, gentes Boiorum, fungum Romanis literis inscriptum misere Traiano, hortatique sunt & monuere, vt domum ipse reuerteretur. Traianus intrepidus bellum continuauit, cum Dacis conflixit, hostem fudit: totam Daciam trans Danubium in Barbarico solo (quæ in circuitu habuit decies centena millia passuum) subegit, atque in prouinciæ formam redegit, Colonias deduxit. Segethusa Regia (quæ nunc Corona nuncupatur) vi capta est. Decebalus Rex sibi mortem consciuit. Ea nunc regio Teutonas habet, Sibenburgenses nominamus. Ibi apud Albam Iuliam hic nummus inuentus est hoc anno, mihique donatus à Ioanne Vangione Franco, viro admodum erudito, & medico earum gentium, cum ad me Abulnam (natale solum) petens, diuerteret.

Lapideus pons in Histro.

Rex Dacorũ Decebalus.
Susagus.
Pacorus Parthorum Rex.
Traiani bellum cum Dacis
Segethusa regia vi capta.
Dacia quæ Sibenburg hodie dicitur.
Io. Vangio.

IMP. M. IVL. PHILIPPVS
PROVINCIA DACIA.

Porrò Traianus Romam reuersus de Dacis triumphauit. Inde arma ad Orientem trãs Euphratem vertit. In Armenia cepit Satalam, Elegiamque vrbes. Deinde Babyloniam, Nisibim, Ecbatana, Seleuciam, Arbelam occupat: Vbi Alexander Magnus cum Dario Rege Persarum pugnam conseruit. Inde in mari Rubro Traianus nauigauit, vsque ad Indiæ fines ditionem Romanam propagauit. Inter hæc Senatus ille Ro. cuius authoritas plurimum sub Traiano valuit, leges, quas ante aduersus nos, vt contumelia Deorum insignes tulerat, exerceri Senatusconsulto iussit. Christiani idcirco vulgi, & iudicum impietate captati, quasi deorum immortalium, Reipublicæ hostes, læsæ religionis Romanæ crimine condemnati sunt: complures occisi, omnis ordo, ætas, sexus, per vicos, agros, vario suppliciorum genere adflicti. Inter quos Simeon Pontifex Hierosolymorum, filius Cleopæ (qui frater fuerat Iosephi mariti Deiparæ

Traiani triumphus de Dacis.

Christiani condemnati sunt.
Symon Pontifex.

B. Ignatius [illegible]

[illegible] Virginis natus annos centum, & viginti cruci adfixus est. Iidem Ignatius An-
.ochiæ Episcopus Romam missus ad bestias condemnatur. Cæcilius Plinius Nouoco-
mensis qui tum proconsul Bithyniæ erat, commotus multitudine pereuntium, vltrò cer-
tatimque ad mortem procurrentium, sollicitus mysteria religionis nostræ. admotis etiam
quæstionibus, inquisiuit: deinde Traianum consulu.t, eidem aperit, nihil aliud se de Chri-
stianis inuenisse, quàm solitos stato die, ante lucem conuenire, carmen Christo, sicuti Deo,
dicere inuicem, ipsosque sacramento non in scelus aliquod obstringi, sed ne furta ne latro-
cinia, ne adulteria committant: aut ne fidem fallant, neue depositum adpellati denegent.
Quibus [illegible], morem discedendi esse, rursusque coeundi ad capiendum cibum, promis-
cuum tamen atque innoxium. Rescripsit Traianus, Conquirendos non esse Christia-
nos: ita quadam ex parte frustratus est leges superiores contra nos latas. Sub idem tẽpus
terra tremuit, multæ vrbes euersæ sunt. Antiochia pene deleta est hoc malo. Iudæi tum
quoque (gens olim [illegible] domestica, nunc opinione sua calamitosior) arma corripiunt per

Agrippa vltimus Rex Iudæorum.

orbem Romanum (obierat enim Agrippa vltimus Rex eorum) Romanis rebellant, Mes-
siam suum (quem adhuc populus infelicissimus expectat) adfore credebant. Nonnihil
& spei in Christianis collocabant, qui vt cultores vnius Dei tum à Romanis varijs adficie-
bantur pœnis. In Lybia circa Cyrenem ducibus Andrea & Luca, cultores deorum Ro-
manos, Græcosque sine discrimine subito inuadunt, statim trucidant, nec cæde contenti,
humanis carnibus vesci cæperunt: horum intestinis stillante adhuc sanguine tincti, pelli-
busque velati, multos per medium vsque ad verticem dissecant: plures bestijs dilaniandos
obijciunt, alios inter se digladiari cogunt. Ducenta & amplius ibi hominum millia eo fu-

Salamina vrbs a Iudæis solo æquata.

rore armis Iudæorum perempta sunt. Ingens item ab eis cædes in Ægypto patrata: in A-
lexandria ipsi cultores numinum Iudæos superarunt. Nec minore clade Cyprij adflicti
sunt: cultoribus enim deorum occisis, Salaminam vrbem Iudæi solo æquarunt, duce Ar-
themione conspirarant. Circiter ducenta, & quadraginta millia hominum ibi à Iudæis

Lusius Quietus Iudæos Mesopotamia exturbauit.

trucidata sunt. Quamobrem lex lata est. qua insulam vel vi tempestatis, vel errore con-
tingere post hac Iudæo capitale foret. Sed non multa tanta strages mansit. Traianus Lu-
cium Quietum cum exercitu, alijsque ducibus contra Iudæos mittit, ipsos Mesopotamia

Ioannes Euangelista exul in Pathmo Insula Euangelium scripsit Ephesi sepultus.

exturbauit Quietus. deinde per vniuersum orbem terrarum, eos, qui conscij cædis fuerant,
profligauit; infinita tum Iudæorum millia occisa, deletaque esse referunt & Eusebius, &
Hieronymus: ijdem scribunt diuum Ioannem Euangelistam sub Traiano decessisse. Vt
Dorotheus tamen Martyr, & Pontifex Tyri narrat, diuus Ioannes sub Traiano exulauit in
Pathmo insula: ibique Euangelium scripsit: & Ephesi edidit per Gaium hospitem, & mini-
strum suum: cuius & D. Paulus meminit in Epistola, quã ad Romanos scripsit. Post mor-
tem sepeliuit. Vixit annos centum & viginti. Sunt tamen qui dicunt ipsum nõ sub Tra-
iano, sed Domitiano exulasse in Pathmo. Quod adolescens & imberbis pingitur, picto-
rum sunt solita mendacia, quibus licet quicquid velint: cum non minor Christo ætate fue-
rit. Tertulianus refert, quòd Ioannes missus à Nerone in feruentis olei dolium, purior,
& vegetior exiuerit. Traianus apud Selinuntem Ciliciæ vrbem, quæ deinde Traiana-

Traiani mors.

polis dicta est, obijt mortem, cum imperasset annos vndeuiginti, menses sex, dies quinde-
cim. Vixit annos L XII. M. IX. D. IV. Quæcunque ab egregijs expectantur principi-
bus, sanctitas domi, in armis fortitudo in Traiano fuere. Optimi cognomen ob virtutes
ei inditum fuit: eiusque bonitas deinde cæteris Imperatoribus, solennibus adclamationi-
bus optata est. Senatus populusque Romanus ita designato Cæsari Romæ adprecabantur:
Sis felicior Augusto, melior Traiano. Primus externorum Romanarum rerum potitus
est: nec enim ex Italia, sed ex Hispania oriundus fuit. Cuius etiam regem Carolum, nepo-
tem Imperatoris Maximiliani Cæsarem, Germania hisce diebus designauit: quem Christus
terrarum dominus, deusque rerum amet, & meliorem Traiano reddat: vt labantem Remp.
Christianam tandem fulciat. Traiani tempore procurauit prouincias, quas tenemus C L.
Restitutus Restitutorũ monumentũ adhuc apud nos extat, supra in Augusto, si libet leges.

Inscriptiones numismatum, quas in Boiaria inueni.

IMP. CAES. NERVA. TRAIAN. AVG.
GERM. PONT. M. TR. P. COS. II

IMP. TRAIANO AVG. GER. DAC. PMTRP. COS. V
P P S P Q R OPTIMO PRINCIPI.
IMP. CAES. NERVAE TRAIANO AVG. GER. DAC.
P M TR P COS. VI PPSPQR OPTIMO PRINCIPI
S C.

IMP. CAES. NERVA TRAIAN. AVG. GERM. PM
TR POT . S . C.
IMP. CAES. TRAIANVS
P M TR COS IV.

HADRIA-

HADRIANVS XV.

AELIVS HADRIANVS adoptatus à Traiano, verſu, oratione proſa, vtraque lingua doctiſsimus. Græcorum ſtudijs nimis deditus, adeò vt Græculus cognominatus ſit: ac à Plinio dictum de eo extet,

Hominem ne Romanum tam Græcè loqui?

Hadrianus à Traiano adoptatur.

In omnibus artibus peritiſsimus, nihil eorum ignorauit quæ & in pace, & in bello, ſiue ad principem, ſiue ad priuatum ſpectent. incredibilis memoriæ, nominatim quoſque ſalutauit, adeò vt nomenclatores corrigeret. Officia militaria, munia aulica, & Palatina munera, poſt Auguſtum ad certam formam redegit, quæ ad Conſtantinum & Theodoſium Imperatores, & declinationem Ro. Imperij pauciſsimis mutatis obſeruata eſt. Liberaliſsimus in omnes fuit: non paſſus eſt quicquam à ſe peti, pro neceſsitate cuiuſque vltro omnia fecit. Æquo animo ferebat etiam ab humilimo quoque ſe admoneri & corrigi. Talis ſit Imperator (dicere ſolebat) erga quemque, qualem, ſi ipſe priuatus eſſet, erga ſe Imperatorem eſſe vellet. Tranſeuntem mulier quædam orabat, vt ſe audiret. Et cum ille reſpondiſſet, ocium mihi non eſt, illa deinde clamans, ait, Noli ergo imperare. Tum cōuerſus eam audiuit. Sæpe iactauit ſe ita Remp. geſturum, vt ſciret rem populi, non ſuam propriam eſſe. Vulgus imperitum, abuſi ſimplicitate, & clementia noui principis (absq; præcepto, teſte etiam Diuos Hieronymo, & Euſebio) Imperatores ſanguinarijs acclamationibus noſtros ad pœnam depoſcere ſemper conſueuerunt, vt ſcilicet à pietate princeps auſpicaretur Imperium: propiciosque deos haberet, qui placati Chriſtianorum, hoſtium ſuorum, ſanguine ſucceſſus proſperos Cæſari darent: & aduerſa à Rep. in caput impiorum auerterent. Plurimi tum qui Chriſtianos oderant, in nos ſæuire cœperunt. Quadratus Pontifex Athenienſium, legatorum Chriſti auditor, & Ariſtides Athenienſis philoſophus eloquentiſsimus, libros, in quibus tutati ſunt religionem noſtram, præſenti Hadriano legēdos exhibuerunt: & tantæ admirationi omnibus fuerunt, vt perſecutionem grauiſsimā illorum excellentia ſedarent ingenia. Serenus quoque Granius legatus Galliç Belgicæ, vir adprimè nobilis, ad Hadrianum literas mittit, iniquiſsimum eſſe dictitans, clamoribus inſanis vilis plebeculæ, hominum innocentium ſanguinem concedi, & ſine vllo crimine, nominis tantum, & ſectæ reos fieri. His omnibus commotus Hadrianus, Minutio Fundano proconſuli Aſiæ reſcripſit, ſine obiectu criminum Chriſtianos condemnandos non eſſe. Cogitauit, & Chriſtum inter deos recipere, & templa ſine ſimulachris in omnibus ciuitatibus, quæ Chriſto dicarentur, extrui iuſsit: quæ idcirco quòd numina non habebāt, Hadriani longo tempore, vſque ad Conſtantinum dicta ſunt. Sed Hadrianus à propoſito deterritus eſt per ſacrificulos & philoſophos: qui in fatis eſſe dicebant, ſi hoc faceret, deorum religionem, cum Romani Imperij maieſtate interituram, & omnes Chriſtianos futuros, cætera templa deſerenda. Hieroſolyma pridem euerſa, ruſus habitari iuſsit, atque vrbem Æliam Capitolinam, ſiue vt apud Ptolomæum lego, Capitoliam, adpellauit. Ioui item ex aduerſo templi ædem excitauit. In aditu quondam templi ſtatuam ſuam equeſtrem dedicauit. In loco reſurrectionis Chriſti ſeruatoris noſtri, ſimulachrū Iouis: in Crucis viuificæ rupe, ſtatua Veneris marmorea à cultoribus deorum poſita: & vbi Chriſtus terrarum Deus natus eſt, cultus Adonidis Amaſii Veneris inſtitutus eſt. Arbitrabantur authores perſecutionis ita tolli poſſe fidem reſurrectionis & immortalitatis, ſi loca ſacroſancta Chriſtianis numinum cultu polluiſſent. Hoc ita manſit per annos circiter cētum & octoginta, vſque ad Imperium Conſtantini. Porrò bellum hinc graue, & diuturnum natum eſt. Magno enim dolore adficiebantur Iudæi, atque indignabantur peregrinos ſecum habitare in ciuitate, & illud quoque grauius ferebant, externa ſacra fieri. Quieuere tamen ab armis & cædibus Hadrianum veriti: qui per ea tempora in vicinis locis conſtiterat. Nihilo tamen ſecius clanculum conuentus agebant, commeatus, arma præparabant: quibus vti poſſent, quoties belli neceſsitas poſceret. Poſteaquam verò longius aberat Hadrianus, in arma vertuntur: quanquam aperta acie cum Romanis congredi auſi non fuerint: tamen de cauernis, & cuniculis, mœnibusque, quaſi latrocinia agitabant, quoties violabātur, per occultos meatus ſubterraneos, quos ante ad hunc caſum fecerant, elabebantur. Impetus eorum primo Romani contempſerunt. Defuerat hactenus Iudæis dux, Deinde quidam nomine Barcozabas, id eſt, filius mendacij. Meſsiam ſe diuinitus miſſum mētitur: ſtipulam ſuccenſam in ore anhelitu ventilābat, vt flammas euomere putaretur. Huic Haquiua, Hebræorum vates adhæſit, eumque immutato nomine nuncupauit Barcocaban, hoc eſt filium ſtellæ, de qua Bileamus apud Moſen Balaco Regi prædixit. Darah, inquit, cocab min Iaacob: id valet, orietur ſtella ex Iacob. Vniuerſa tum prouincia tumultuari cœpit: & qui vbique gentium erant, conſpirauere Iudæi. Vniuerſus orbis terrarum ex motu Iudæorum concuſſus eſt. Multa mala partim clam, partim apertè in Romanos edebant Iudæi. Animos quoque Chriſtianorum Cocabas ille tentauit, hortatusque eſt ad ſocietatem belli, vt conſilio, armisque communibus, parique ſtudio cognatam religionem, & vnius veri ſummique Dei cultum, aduerſus Romanos, falſorum numinum

Hadriani liberalitas.

NOTA.

Quadratus Pontifex. Ariſtides philoſophus. Serenus Granius legatus.

Templa Hadriani.

Hieroſolyma reſtituitur.

Iouis ſimulachrum. Statua Veneris. Cultus Adonidis.

Iudæi bellū contra Romanos mouent.

Barcozabas.

Haquiua vates.

minum

Christiani à Iudæis enecantur. *Hadrianus contra Iudæos.*

minum cultores adsererent. Quod cum Christiani recusarent, variis ipsos cruciatibus enecant. Hadrianus vbi intellexit, quam graue & periculosum bellum exortum foret, præcipuos Romanorum duces aduersum Iudæos misit. Attinium Ruffum, Martium Turbonem, & alios quorum primus Iulius Seuerus, in Iudæam ex Britannia vocatus. Hic minimè ausus est prælium committere, multitudine impar erat, & hi de salute desperauerant. Diuisis igitur copijs, carptimque adortus est, vt quosque poterat comprehendens pro multitudine militum, atque tribunorum, tum ab alimentis & commeatu interclusos, tardius quidem, sed minore cum periculo penitus oppressit. Decem enim annos cum ipsis bellatum est: pauci admodum euasere, atque à cæde superstites fuerunt. Arces eorum quinquaginta celeberrimæ dirutæ sunt. Vici ad nongentos, & octoginta quinque (qui sane frequentes, & nominatissimi erant) direpti, & mox igne consumpti sunt. Viri in prælijs bellicosissimi ad quinquaginta millia, & trecenta cęsi sunt, fame, igni, morbis ingens multitudo absumpta: ferè omnis Iudæa desolata est. Barcocabas ab Hadriano occisus est. Vltima hęc Iudæorum strages, atque ruina. Huc vsque, sicuti est apud Philonem, reges habuerant post excidium Hierosolymorum Agrippam, atque Agrippinum. Omnis tum dignitas penitus ablata, per orbem terrarum reliquiæ diuenditæ sunt. Lege cautum est, ne posthac perpetuo, vel aduenarum iure, terram patriam (ne vestigio quidem) salutare Iudęo liceret, nedum Aeliam intrandi ius esset. Quanta deliquerunt fiducia legis mortuæ & patrum inflati? probat exitus hodiernus ipsorum. dispersi, palabundi, & cæli, & soli sui extorres vagantur per orbem, sine lare, sine homine, sine Deo, rege. Reginoburgium, caput Boiorum, se ante natum Christum habitasse credi postulant: tamen hoc anno expulsi exactique. Aedes eorum dirutæ, soloque æquatæ sunt: ibi Deiparæ virgini victrici templum construitur, frequensque coit sturnatim populus. Fuit Hadrianus omnium curiositatũ explorator: quæcunque legit, aut audivit, experiri conatus est. Omnes prouincias adiuit, per omnes vrbes Imperij peregrinatus est: amator pacis, nullum mouit bellum. Omnes neruos intendit ad pacem per orbem terrarum retinendam. In Germaniam transijt, pacis magis quàm belli cupidus. In Danubio, Rhenoque nauigauit. Adeo tamen militiæ diligens fuit, adeò milites exciuit, vt equites eius armati Danubium transnatauerint, & hostes obstupefecerint. Quærentibus Germanis de imminutis stipendijs, cognita causa fœdus composuit, ab ipsisque pacem redemit: munera haud mediocria ipsis distribuit. Germani receptis pecunijs nihil nouarum rerum moliti sunt. Vindelicorum tum Duces fuerunt Aelius Verus, L. Aurelius Annius, Tiberius, & Italicus vir consularis. Vixit Hadrianus annos LXXII. M. V. D. XVII. Imperauit annos, XXI. M. XI.

Barcocabas ab Hadriano occisus.

Hadrianus pacis magis quàm belli cupidus.

HEL. HADRIANVS
S. C.

HADRIANVS AVG COS III PP
SALVS AVG.

HADRIANVS AVG. COS. III. PP
RESTITVTORI GALLIAE.

HADRIANVS AVG. COS. III. PP.
ROMA FELIX.

HADRIANVS AVG. COS. III. PP
MONETA AVG.

HADRIANVS PF AVG.
COS. III. PROVIDENTIA AVG. S C.

IMP. TRAIANVS HADRIANVS AVG. PM
TR. P. COS. AETERNITATI AVGVSTI S C.

DIVA SABINA AVGVSTA
HADRIANI AVGVSTI CONIVX

ANTONINVS PIVS XVI.

TITVS Aelius Arrianus Antoninus Pius, quem Hadrianus adoptauit, natura omnium principum clementissimus fuit, & placidissimi ingenij. Vnde merito cognomen Pij a virtutibus sortitus est, pacis amator, nec gloriæ cupidus. Dicere solebat, malle se vnum ciuem seruare, quàm mille hostes occidere. Eloquentiæ singularis, Rhetoribus, Philosophis, per omnes prouincias salaria & honores decreuit: formaque conspicuus fuit: largus sui, alieni abstinens. Nullam prouinciam adijt, quod grauis esset, principis etiam par-

iam parci. comitatus prouincialibus, in vrbe resedit, vt medius, vndique nuncios citius acciperet. Nulli eorum, quos Hadrianus prouexit, successorem dedit. Nihil sordidius, imo crudelius esse dictitabat, quàm si hi Rempub. arroderent, qui nihil in eam suo labore conferrent. Quanta in eo æquitas fuerit, nationes exteræ declarant: quæ (vt etiam nostrates referunt) positis armis, ipsum vt patrem, vt numen aliquod terris de cœlo demissum venerati sunt: causasque suas, & controuersias eius arbitrio permiserunt. Numæ Pompilio in omnibus comparatus fuit. Tantæ authoritatis apud omnes gentes, vt per tres & viginti annos prorsus sine sanguine ciuili, & hostili (quod nemini principũ contigit) imperauerit. Dacos & cæteros Germanos in initio post Hadriani mortem inuadere Romanos fines meditantes, facile virtutibus ad pacem & fœdus illexit. Erat hisce temporibus Auidius Cassius legatus prouinciarum, quas nos iam tenemus. Tria millia Transdanubianorum Danubij ripis hostili animo considerant, quos negligentius agentes, auxiliaria manus authoribus Centurionibus circumuenit, atque trucidauit: & ingenti præda ad Cassium rediit. Sperabât Centuriones præmium, quod per parua manu tantum hostium, segnius agentibus, & ignorantibus ducibus suis deleuissent: Cassius rapi illos, ac in crucem iussit tolli, seruilique supplicio adfici: causans euenire potuisse, vt insidiæ essent, & ita reuerentia Maiestasque Imperii periisset. Cum ingens in exercitu seditio orta esset, prosiluit nudus, solo campestri tectus, & ait, percutite me, si audetis: & corruptæ disciplinæ facinus addite. Tunc conquiescentibus seditiosis, meruit metui, quia non timuit. Terroreque huius tacti perculsi Transrhenani, centum annorum fœdus ab Antonino absente petierũt. Iustinus Philosophus, Christianæ pietatis mystes, Antonino & filius eius, Senatuique Romano librum scriptum contra deos pro religione nostra obtulit Romæ atque insidiis Crescentis Cynici Philosophi accusatus, pro Christo sanguinem suum fudit. Cæterum Antonius, ubi Antoninum generum suum adoptauit, febre decessit, ætatis anno altero & septuagesimo. In numerum deorum, vt omnes Imperatores, qui bene gubernarunt, relatus est à Senatu Romano. Roma enim alios deos recepit, Cæsares dedit. Fuit eidem ara in prouincia, quá habitamus, dicata extat inscriptio, quam supra in Augusto offendes. Ritum huiusmodi consecrandi Imperatores explicare necesse est. Vita defuncto Imperatore, erat tota urbe Romana quasi luctus quidam festæ celebritati promiscuus. Corpus quidem sumptuoso funere more cęterorum hominum sepeliebatur. Ceream deinde imaginem, mortuo quam simillimam fingendam curabant: eamq; in Regiæ vestibulo proponebant supra eburneum lectum, maximum, atq; sublimem, vestibus instratum aureis, et imago illa ad ægroti speciem pallida recumbebat. Circum lectum vtrinque magnam partem diei sedebât. à læua quidem Senatus omnis atratus, à dextra verò matronæ, quas virorum, aut parentum dignitas honestabat. Quæ sine omni mundo muliebri lugentium speciem præ se ferebant: nulla aurum gestabat, nulla monilibus ornata conspiciebatur, omnes vestibus albis exilibus indutæ erant. Hæc ita per septem dies continuos fiebant. Medici quotidie ad lectum accedebant, inspectumque velut ægrum deterius se habere subinde pronunciabât. Deinde vbi iam visus obiisse morté, lectum humeris attollebant Equestris, Senatorijq; ordinis nobilissimi, ac lectissimi iuuenes: perque viam sacram in vetus forum deferebant, vbi magistratus Romanorum deponere Imperium solebant. Vtrinque autem gradus quidem erant ad scalarum similitudinem extructi, in quibus altera ex parte puerorum chorus erat è nobilissimis, atque patriciis: altera fæminarum illustrium hymnos in defunctum carminaque canentum, numeris lamentabilibus. Quibus peractis, tollebant iterum lectum, atque extra vrbem in campum Martium deferebant. Vbi quà latissimè campus patet, suggestus quidam ex ingentibus lignis specie quadrata extructus erat in formam tabernaculi: quod interius totum aridis fomentis oppletum, extra intextis auro stragulis, atque eboreis signis, varijsque picturis exornatum erat. Infra verò alterum minus positum, forma & ornatu persimile erat. Tertium item, & quarum semper superiore contractius, ac deinceps alia, donec ad extremum, quod est omnium breuissimum, perueniatur. Lecto igitur in secundum tabernaculum sublato, aromata, atque suffimenta omnis generis, fructus, herbas, succos omnes odoratos conquirebant: atque omnes aceruatim effundebant: certatim quisque hoc munere perfungebatur. Vbi ingens aceruus aromatum adgestus erat, ac locus omnis expletus, tum circa ædificium illud equitabant vniuersi equestris ordinis certa quadam lege recursu, & motu in orbem decurrentibus. Currus item circum agebantur residsi purpuratis rectoribus, qui personas ferrent ducum omnium Romanorũ, principumque illustrium. Quæ vbi celebrata erant, facem capiebat Imperij successor, eámque tabernaculo admouebat. Tum cæteri omnes vndique ignem subijciebant, cunctaq; illico fomitibus illis aridis, odoramentisque referta igni valido corripiebantur. Mox ab extremo, minimoque tabernaculo, tanquam è fastigio quodam, simul cum subiecto igni Aquila dimittebatur, quæ in cœlum credebatur ipsam principis animam deferre, ac iam ex illo vna cum cæteris numinibus, Imperator colebatur. Patres ne consultos tam dementes fuisse, vt diuinitatem, quam mortales stultissimi non possidebant, sese tribuere alij posse

Antoninus sine sanguine imperauit.

Auidius Cassius legatus.

Iustinus Philosophus martyr.

Antoninus febre mortuus, & inter deos receptus.

Ritus consecrandi Imperatores.

Alius est in antiquis nummis expressus ordo eiusmodi tabernaculi. Sed quia Auctinus ita sensit, consequamur.

Iij posse opinarentur:& tam stolidos extitisse, qui istis ineptissimis ludibriis cœlum aperire crederent, satis mirari non vacat. Nummi apud nos passim ab agricolis vbi vestigia antiquorum oppidorum visuntur, effodi solent: in quibus huiusmodi ædificium, & inde Aquila volans conspicitur, cum hac inscriptione.

DIVVS AVG.
DIVVS M. ANTONINVS PIVS
CONSECRATIO.

ANTONINVS AVG PIVS P P. TR. P II
MVNIFICENTIA AVG. COS. IV.
S C.

IMP. ANTONINVS PIVS AVG
FIDES MILITVM

ANTONINVS PIVS FEL. AVG.
CONCORDIA MILITVM

ANTONINVS AVG P. P
TRIBVNICIVS. H.

ANTONINVS AVG. PIVS F. TR. P.
COS. S C.

IMP. ANTONINVS PIVS AVG.
TR. POT. XVI.

ANTONINVS PIVS TR. P. P. M.
COS XIX.

ANTONINVS AVG. PIVS TR. P. COS. III.
AVRELIVS CÆSAR TR. P. COS. S C.
AVRELIVS CÆSAR ANTONINI AVG.
PII FIL. TR. POT. COS. II. S C.

M. ANTONINVS XVII.

M. Aurelius Antoninus pius & cognomine philosophus. Eutychius. Proculus. Prodigia Rom. Imp. cladem portendentia. Vologesus Rex. Attidius Cornelianus.

M. AVRELIVS Antoninus pius, ante Annius Verus dictus: sapientissimus grauissimusque principum, omni virtutum genere se exercuit, literarum studiis omnium Græcorum, Romanorumque secundus. Quamobrem philosophus & cognominatus est, & fuit. Præceptor eius in Grammaticis Eutychius. Proculus Siccensis. extat in Bibliothecis Boiariæ non longe è patria mea. Admodum clemens atque ciuilis erga omnes fuit. Adeuntium cuiuis dextram placidè dabat. Tranquillitati summæ successerat (quo manifesta fiant rerum humanarum volumina) sæuissima tempestas. cui diuinitus Marci prudentia, constantiaque obiecta est. Nisi hisce virtutibus prædictus rector contigisset, de Romano Imperio actum fuisset: adeo terræmotus, inundationes aquarum, lues grauissima, genus humanum, orbem terrarum adflixerunt. Locustæ infestæ agros, depastæ sunt prata & arua. Fame inde laboratum est. Crebra quoque bella, ferocissimi hostes emicuere. Vologesus Rex Parthorum, fugato Attidio Corneliano, qui Syriam tum administrabat, Romanas inualit prouincias, interfecto legato, & cæsis legionibus, Syris defectionem meditantibus, orientem vastauit. Imperator L. Aurelius Antoninus Verus (antè L. Commodus dictus) frater & filius adoptiuus Marci, contra Parthos arma mouit. Ipse Antiochiæ voluptati deditus erat. Duces eius Statius Priscus, Auidius Cassius, Martius Verus confecerunt bellum Parthicum: prouinciis Romanis non solum Parthos expulerunt, sed & Babylonem in Mediamque penetrarunt. In Babylonia de templo Apollinis, ex arcula aurea, quam miles fortè inciderat, spiritus pestilens euasit. Inde pestilentia subsecuta, totum orbem adflixit: nec minus fames, inundatioque sæuit. Tum quidam ex his calamitatibus, & solitudine hominum, diripiendæ Romæ occasionem quærens, cum quibusdam conscius concionabundus de Caprifico arbore in Campo Martio asseuerauit, ignem de cœlo lapsurum, finemque mundi adfore, si ipse lapsus in ciconiam verteretur. Decidens deinde ex sinu ciconiam emisit. Sed proditus Marco est, ad ipsumque deductus. Imperator confesso veniam dedit. Chatti quoque, & Chauci transrhenani Germaniæ Magnæ populi, Gallias irrumpunt, vastant. Item Rhætos, Vindelicos, Noricum pari sæuitia peruagantur. Britanni quoque rebellant. contra hos Calphurnius Agricola missus est. In Gallias & Germaniam cisrhenanam proficiscitur Didius Iulianus, qui post imperauit. Noricorum, Vindelicorumque duces Aufidius Victorinus, & P. Ælius Pertinax, post Commodum rerum potitus, patrio etiam carmine apud nos celebratus, ab hostili Germanorum incursatione Rhætias, Vindeliciam, Noricumque vindicarunt. Marcomani quoque (Sueuorum natio est, quæ tum in Boemia sedebat, vsque ad Danubium protenta) Romanis imminebant, Pannonias Moesias, Illyricum vastabát, dum geritur Parthicum bellum. Tantusque timor belli Marcomanici fuit, vt vndique sacerdotes acciti fuerint, peregrini ritus impleti. Roma omni genere religionum lustrata, celebrata Romano ritu, lectisternia per septem dies. Scriptum ducibus, vt quauis arte bellum traherent, ac suspenderent,

Callidum commentum cuiusdam.

Didius Iulianus.

ſpenderent, donec orientale finiretur: ambos Imperatores neceſſarios eſſe bello Germanico. Reuerſo igitur L. Antonino, ambo Imperatores M. & L. (ea enim tempeſtate primum Reſpub. à duobus Auguſtis æquo iure adminiſtrata eſt) paludati vrbe profecti ſunt. Marcomani omnia conturbarant, aliæ quoque gentes pulſæ à Marcomanis, bellum Romanis minabantur, niſi reciperentur, in Romanoq; ſolo ſedes concederentur. Amiſſus eſt Furius Victorinus præfectus prætorio: eiuſque exercitus interemptus. Imperatores iam Aquileiam venerant, quo Germani (qui ia ab armis Pannonia relicta diſceſſerant domū) legatos mittunt, pacem poſtulant, authores tumultus interemptos eſſe referunt, veniamque præteritorum orant, ſe poſthac neminem regum, qui nō ſit à Romanis principibus datus, paſſuros pollicētur. Lucius cum nihil periculi amplius eſſet, Romam redeundum cenſebat. Marcus verò exiſtimabat Germanos fugam ſimulare, & cætera, quæ pacem oſtenderent: ideo ne tanti conatus adparatuſque fruſtra forent, inſtandum eſſe dicebat. Vrgente tamē Lucio, compoſitis prius omnibus, quæ ad munimē Italiæ atque Illyrici pertinebant, Romam reuertuntur. Lucius ſubito morbo, quem Apoplexiam Medici noſtri vocant interiit. Inter hæc omnes gentes ab Illyrici limite, vſque in Galliam conſpirant, Marcomani, Variſtæ, Eumunduri, Boiemiæ tum incolæ: quibus coniuncti ab orientis ora Quadi, Danubii ripam in Germania inſidentes. Atque hi omnes Sueni fuerunt. Quibus auxiliares fuerunt Boiorum nationes, & Venedorum atque Sclauorum trans Viſtulam & citra eo tempore habitantium. Quorum hæc nomina Buri, Hirri, Halii, Salii, Laziges, Guhtones, Vandali, Sarmatæ, Roxolani, Baſternæ, Alani, Peucini, Sicobotes, Saboci, Cyſtoboci. ſiue Caſtoboci. Horū Ptolomæus ferè, qui ſub idem tempus quàm clariſsimè Mathematica commentatus eſt, mentionem facit. Hoc bellum grauiſsimum fuiſſe, quantum nulla vnquam memoria extiterit, tradunt Romani ſcriptores, Marcomanicum vocari ſolet. Grauis peſtilentia multa millia paganorum, & militum abſumpſerat: penè ad internecionē Romanus delectus eſt exercitus. Marcus omni cura hanc expeditionem parauit. Seruos (quemadmodum bello Punico factum erat) in militiam aſciuit, quos Voluntarios, exemplo Volonum, adpellauit. Armauit etiam gladiatores, hos obſequentes latrones nuncupauit. Dardaniæ quoq;, ac Dalmatiæ milites legit: emit & auxilia Germanorum contra Germanos. Quoſdam in deditionem accepit: infinitos in Romano ſolo collocauit, plurimos in Italiam tranſduxit. Cum autem hoc bello ærariū exhauſiſset, ſtipendiaque (quę militibus largiretur) deficerent, neque in animum induceret, vt prouincialibus, Senatuique moleſtus eſſet, extra ordinem aliquid tributorum imperando, auctionem, ſectionēque fecit, inſtrumenta Imperatoriæ ſupellectilis, Cæſareique cultus, ornamenta & res aulicas in foro Traiano diſtraxit: aurea, Chryſtallina, Myrrhina, argētea vaſa & pocula: gemmas, mundum muliebrē, vxoris Fauſtinæ, veſtem ſuam & cōiugis auratam, ſericam vendidit: ſigna quoque cum tabulis magnorum artificum. Per duos continuos menſes iſthæc venditio celebrata eſt: tantumque auri redactum, vt reliquias Marcomanici belli ex animi ſententia perſequerentur. Nam & Pannonias, Germanis pulſis, ſeruitio liberauit. Marcomanos in tranſitu Danubij deleuit, prędam excuſsit, prouincialibus reddidit. Multi tamen nobiles Romani, plurimarumque gentium proceres bello hoc Germanico, atque Sueuico interierunt, quibus omnibus ſtatuas in foro Vlpiano poſuit. Suadebant ſæpius amici, vt à bello diſcederet, Romamque veniret: monitus ipſorum contempſit, in propoſito perſtitit: Danubioque traiecto, Quadorum regionem, Danubio continuam (quā Marcofeldas nominamus) occupat. Ibi fugam ſimulantibus Germanis, ad inſidias, locaque iniqua cum omni exercitu tractus, à ſubito erumpentibus Germanis circumuentus eſt. Romanus miles non ſolum de labore, via, defatigatus, verùm æſtu, & ſiti quoque laborabat. Nec ſpes vlla erat ſalutis, quin vti pecudes, & oues deprenſi in cauea, multi à multitudine hoſtium trucidarentur, atque mactarentur. Legio tum Chriſtiana comprecationibus pluuiam exercitui Romano, quo ſitim ſedaret, & aduerſum Germanos fulmina diuinitus impetrauit. Manus Germanorum de cœlo tacta ad internecionem deletur abſque ope humana. Extant Imperatoris literæ, quæ teſtantur Chriſtianorum militum precibus ſe, & Romanas vires ſeruatas eſſe. Legio inde Chriſtianorum Fulminatrix cognominata eſt. Et Auguſtus noſtrates, non tātum crimine, & legibus aduerſus nos latis, ſoluit, ſed & pœnam accuſatoribus Chriſtianorum edicto publico comminatus eſt, & ſtatuit. Dedicarant & ipſi Marco religionis noſtræ apologiam, legendamque exhibuerant, Iuſtinus Philoſophus, Melito Aſianus Sardenſis Epiſcopus, Apollinarius Aſię Hieropolitanus pontifex, & Bardeſanes ex Meſopotamia oriundus. Ingratiſsimi hominum Romani, ex inueterato in nomen Chriſtianum odio, magicis artibus, moribuſue Marci, cœleſte beneficium, diuinamque opem tribuunt, quod & Claudianus docet, ita ſcribens:

Nec tantis patriæ ſtudiis ad templa vocatus
Clemens Marce redis, quin gentibus vndique cinctam
Exuit Heſperiam, paribus fortuna periclis.
Laus ibi nulla ducum, nam flammeus imber in hoſtem
Decidit: hunc dorſo trepidum flammante ferebat

h 3 ambuſtus

Furius Victorinus cũ exercitu perit.

Marcus Germanorũ dolum ſuſpicatur.

L. Apoplexia extinctus.

Marcomanicum bellũ longè grauiſsimum.

Peſtilentia laſſura exercitus Romani.

Voluntarij Volones.

Gladiatores obſequentes latrones nũcupati.

Cæſarea ſupellex Romæ venditur.

Panoniæ ſeruitio liberantur.

Cæſis in bello Ger. nobilib. Rom. ſtatuæ in foro Vlpiano ponuntur.

Quadorum regio nunc Das Marchfeld dicitur.

Romanus miles in anguſtijs poſitus.

Piorum precum effectus.

Chriſtiana Legio fulminatrix.

Impij Romani Cœleſte beneficium magicis artibus tribuunt.

Ambustus sonipes, hic tabescente solutus
Subsedit galea liquefactaq́; fulgure cuspis
Canduit, & subitu fluxere vaporibus ensis,
Tum contenta polo mortalis nescia teli.
Pugna fuit, Chaldæa Magos seu carmina ritu
Armauere Deos: seu quod reor, omne Tonantis
Obsequium, Marci mores potuere mereri.

Marcus Bohemiæ & Poloniæ regnum prouincias facere conatur.

Voluit deinde Marcomaniam, hoc est Boemiam adgredi armis, eamque in formam prouinciæ redigere. Verum in oriente Auidius Cassius rebellauit, coactus Marcus Orientem petijt. Cassius occisus est, caput eius abscissum, ad Marcumque delatum. Qui reuersus Romam, ornamenta Imperialia, quæ ante vendiderat, redemit ab emptoribus. Nulli quidem, qui ea seruare voluit, ac reuendere noluit, molestus fuit. Deinde rursus ad conficiendum bellum Marcomanicum conuersus, triennio cum Quadis, Marcomanis, Sarmatis bellauit. Connitebatur Marcomaniam & Sarmatiam, hoc est Boemiæ & Polonæ regnum prouincias facere. In administratione huius belli apud Carnutum morbo subito corripitur. Vbi salutem desperauit, aduocauit amicos & filium, & hortatus est, ne reliquias belli contemneret, atque ita maiestatem Rom. Imperii proderet. Terrebant Marcum Germani gens vicina, quam nondum plane subiecerat, sed partim in societatem munificentia asciuerat, alios bello, armis domuerat. Nonnulli effugerant, qui metu Marci in præsens se continebant. Timebat Marcus ne despecta filii ætate, læta bello gens arma resumeret. Hæc secum voluens defecit Bendobonæ, ætatis anno sexagesimo primo, Imperii vndeuicesimo supra mensem. Imperauit cum fratre nouem, solus decem. Decessit filio Commodo hærede, cum maximo Reip. incommodo. Per hosce octoginta annos (tot enim ab exitu Domitiani ad Commodum numerantur) diuino fauore contigere Romanæ aulæ procerum mitissimi: qui egregiè, persanctè, nec minus fortiter domi, forisque Rempublicam administrarunt. Non necessitate, adulationeque (vti fit) verum verissime, meritissime cognominati sunt Patres patriæ, sanctissimi, sapientissimi, principes optimi, prudentissimi, clementissimi Imperatores. Centum deinceps anni subsequuntur

Optimis Imperatoribus succedunt pessimi anni centum.

pestilentes, calamitosi, infames, perniciosi Reipublicæ, bonis malisque omnibus. Quidam nostratium, vltima fata impendere orbi terrarum, rebusque, & Christum regem cœli in maiestate adventurum eo seculo opinati sunt, scriptisque prodiderunt. Fuit tempestas sanè concitatissima crebris bellorum tumultibus, turbulentissima ciuilium armorum procellis, continua principum mutatione insignis, quorum maxima pars sæui, truculenti, auari, cædis, sanguinisque auidissimi, stupris, ganeis dediti: flagitiis supra captum humanũ (quæ mihi apertè nominare religio est) polluti. Virtutum literarumque hostes, optimi cuiusque capitales inimici. Quos etsi suprema illa Maiestas, salutaribus patronis, sed admodum paucis, interpolarit, ne omnino periret Romanum Imperium, parum tamen hi proficere potuerunt, breui rerum potiti, perempti, trucidatique sunt: posthabita tum Senatus, populique Romani authoritate. Turba militaris subito principes dedit: subitò eodem scelere sustulit. Imperium enim cauponari solebant: ita omnes Cæsares, vi, fraudeque perierũt sine discrimine iuxta boni, malique. Prætereo latronum bella, Triginta Tyrannos, qui per diuersas orbis partes Rempub. rapuerunt, dilacerarunt, vexarunt. Illustrissimus quisque atque ditissimus ciuium interemptus est in Italia, & prouincijs. Quæ præter sæuissimorum dominorum compilationes, a Germanis in Occidente, à Parthis, Persisque in Oriente, crebris excursationibus vastatæ, direptæ exhaustæque sunt. Pestilentia, fame crebrò laboratum. Roma incendio vastata, ibique templum pacis incẽsum. Nequaquam loqui, quæ sentiebas: at sentire, quæ loquebare, licebat. Ea infelicitas temporum erat: tot calamitatibus durasse Rempub. aut omnino Romanum nomen, mirari soleo. Quid miseris tum illis, qui hæc omnia perpessi sunt, animi fuisse credis? cum legenti duntaxat, ac obiter reuoluenti memoria, horrorem & dolorem incutiant. O miseranda, ô lugenda Resp. Romana, quam iure pilam fortunæ dixeris. Huccine venêre imbecillitatis Romani rerũ Domini, vt per mulierculas Victorinam in Occiduo sole, Zenobiam verò ad Eurum, seruati, armisque defensi sunt? Sub Diocletiano caput sustulit Romana Maiestas, quem parẽtem, conditoremque aurei sæculi rerum autores vocare solent. Iam inscriptiones numismatum, quæ in Boiaria reperi, & inueni, Commodumque paucis subtexam, &c.

Nouissio pessimorum principum.

Triginta tyranni passim Remp. assignunt.
Roma incendio vastata.
Romani per mulierculas seruati.
Zenobia Victorina.
Diocletianus parens aurei seculi dictus.

L. AVREL VERVS AVG ARMENIA
CVS TR POT P M COS II
S C.

MARC ANTONINVS AVREL VERVS
AVG IMP II COS TR P IV.
S C

IMP M AVREL ANTONINVS AVG
CONCORD AVG TR P XVI
COS III.

FAVSTINA

FAVSTINA DIVA AVG
FÆCVNDITAS.
FAVSTINA AVG
CONCORDIÆ.

DIVA FAVSTINA
AETERNITAS.
PIA FAVSTINA AVGVSTA
DIA VENVS VICTRIX.

COMMODVS XVIII.

M. AVRELIVS Commodus Antoninus imperauit annos tredecim: sæuior Domitiano, impurior Nerone fuit. Ab aulico famulitio (quos mures, & tineas Imperator Licinius vocare solebat) corruptus est. Hi cum voluptates vrbis crebro adolescẽti commemorarent, perpulere eundem, vt contra monita parentis, contra consilia amicorũ paternorum, bellum à patre contra Germanos cæptum, & penè confectum, deleteret. Nã Germanos magnis præmiis in amicitiam sibi adiunxit, qui (vt ait Herodianus) periculorum despicientes, aut populationibus, incursibusque victum parant, aut proposita mercede pacem venalem habent. Commodus igitur, vt pecunia, qua maximè abundabat, securitatem redimeret, nihil Germanis, videlicet petentibus, denegauit. Regibus Germanorum addictus arma deposuit, Romamque profectus est. Vbi omni flagitiorum scelere se contaminauit: crudelissimus in omnes, etiam suos, fuit. Britannia (cuius duces Clodius Albinus & Iunius Seuerus) Dacia, Germani in Gallia, eius imperium detrectarunt, omnia sedata per duces sunt. Maternus quidam conquisita ingenti latronum manu, grauiter Hispanias, Gallias, Italiam adtriuit: Romam quoque tẽtauit, vbi proditus a suis occubuit. Romam incendium, fames, pestilentia adflixit. Templum pacis combustum est. Tandem electus cubicularius Q. AElius Lætus, Præfectus prætorio, Martia concubina, aduersus Commodum conspirant: veneno primo hominem adgrediuntur. Quod cum parum proficeret, per Narcissum athletam, cum quo exerceri solebat, Commodus strangulatus est Anno ætatis tricesimo secundo. Sic fecit, sic passus est. Nomen eius ex omnibus monumentis erasum. Legatus in prouincia Vindelicorum, quam Boij tenent, fuit Septimius Seuerus, postea Roma potitus: canitur adhuc apud nos. Apollonius Senator Romanus, accusatus a seruo, quòd Christianus esset, iussus religionis rationem reddere, insigne volumen primus latinorum Romana lingua de religione nostra scripsit: & in Senatu recitauit, securique percussus est sententia Senatus ob pietatem in Christum. Vetus enim lex erat, Christianum delatum, nisi negaret Christum, non dimittendum, sed capite plectendum esse.

Notatio M. Aurel. Commodi Ant. & quã diu imperarit. — *Maternus.* — *Q. Aelius Laetus.* — *Septimius Seuerus.* — *Apollonius ob religionẽ Christianã interemptus.*

COMMODVS ANTON AVG TR. P IMP. S C
COS IV.
M. COMMODVS ANTONINVS AVG PIVS BRIT
P M TR P X IMP. VII COS II P P.

PERTINAX XIX.

PVBLIVS Aelius Pertinax obscuris crepundijs apud Ligures natus, eruditissimum Grammaticum Sulpitium Apollinarem audiuit. Post quem Grammaticen professus, ludum aperuit literarium. Vbi cum minus lucri esse videret, ad militiam se contulit: egregiè operam rebus bellicis nauauit, à Marco amatus, in Senatumque electus. A Commodo legatus in Britanniam missus est: eam, & exercitus in ea alium Imperatorem flagitantes pacauit. Deinde a Commodo, præfectus Vrbis creatus est. Interfecto Commodo, percussores Commodi ei Imperium obtulerunt, quod senatusconsulto accepit. Spes erat omnibus, per eius virtutes restitui posse omnia. Verùm Vrbanæ cohortes, prætorianique milites, Imperatorũ custodiæ adhibiti, rapinæ, stupris, ganeę sub Cõmodo adsueti, sanctitatè Pertinacis ferre non potuerunt: impetuq; in Palatinas ędes de improuiso facto, quinto Calendas Apriles Imperatorem trucidarunt. Vixit annos LX. M. VII. D. XXVI. Imperauit menses duos, dies quinque & viginti. Sub idem tempus Victor primus Pontifex Romanus de religione nostra latinè commentatus est: secundus post Apollonium Theologus factus.

Pub. Aelij pertinacis natiuitas & vitae genus. — *Pertinax trucidatus. Victor R. P. Theologus.*

IVLIANVS XX.

DIDIVS IVLIANVS Seuerus Mediolanensis, Iureperitus, ingenti pecunia emit a militibus prætorianis Imperium. Nam cum hi Pertinacem occidissent, venale Rom. Imperium proscripsere. Flauius Sulpicianus Consul, prefectus Vrbis, socer Pertinacis, & Iulianus licitati sunt. Cumque ille suspectus ob adfinitatem occisi Imperatoris militibus esset, & hic plura promitteret, admissus in castra Imperator salutatur. Hinc primũ corrupti militum mores, auaritia latiùs serpente, vsque ad cõtemptum & sanguinem imperatorum,

Didius Iulianus Seuerus & Flauius Sulpicianus imperium licitantur.

peratorum, initium causaque militibus fuit in posterum, vt quam turpissimi, contumacissimique euaderent. Iulianus stipatus militari turba in Senatum vespera venit, factoque senatus consulto Imperator adpellatus est. Verùm exercitus cæteri, qui limites Imperij custodiebant, Iuliani scelus detestabantur: in eius verba iurare detrectabant quòd Imperium emisset, & eius fraude Imperator Pertinax Cæsar Augustus (cuius virtutibus maiestatem Romanã instauratũ iri sperarant) perisset. A Germanis exercitibus apud Rhenũ in Gallia Clodius Albinus Legatus Britãniæ, iuxta Danubiũ in Norico Septimius Seuerus Cæsares declarãtur. Seuerus Romã infesto agmine petit. Rauẽnatẽ clasſẽ occupat. Inde recto itinere ad Vrbẽ armatus cum Germanorum auxilijs tẽdit. Quod vbi Iulianus accepit, rogauit Senatum, vt Virgines Vestales, cæteri sacerdotes, cum Senatu obuiam exercitui Seueri prodeant, prætentis infulis, sacrisque pro Iuliano orent: vitamque impetrent precariam. Faustus Quintilus Consularis, Augur contradixit, asserens, non debere imperare eum, qui aduersario non posset resistere. Sententiam huius Senatus secutus est. Iam Seuerus Romæ adpropinquabat: & præmiserat literas, quibus Imperatoris Pertinacis percussores seruari iubebat: Senatusque authoritate Iuliano Imperium abdicatum. Statim Seuerus Imperator adpellatus est: missique a Senatu, quorum cura, per gregarium militem in palatio occisus est Iulianus, ab omnibus desertus: ætatis anno sexto, & quinquagesimo, super menses quatuor. Imperauit menses duos, dies quinque. Corpus à Seuero redditum est Manliæ Scantiliæ vxori eius &c.

Clod. Albinus. *Seuerus Iuliano imperio abdicat.* *Faustus Quintilus augur.* *Seuerus Imperator fit.*

SEVERVS XXI.

SEPTIMIVS Seuerus Pertinax, à legionibus Germanicis apud Carnuntum Pannoniæ oppidum, siue (vt alij scribunt) Sabariæ, Imperator salutatus est Idibus Augusti, anno orbis seruati Centesimo super quartum, & nonagesimum: statimque Pertinax cognominatus, quasi vltor Pertinacis Augusti: ab omnibus receptus est. Germanos muneribus & donis pacauit, ac sibi coniunxit. Extant de eo carmina vernacula lingua scripta in Bibliothecis. Prætorianas cohortes exauthorauit armis, vestibus, militaribus ornamentis exuit: intra centesimum ab vrbe lapidem apparere vetuit. Imperatorem Pertinacem cõtra voluntatem militum in numerum Deorum retulit. Arma contra Nigrum (qui in Oriente se Imperatorem vocarat) moturus, ne duplici bello implicaretur, Clodium Albinũ Britanniæ Legatum, Cæsarem a militibus iam adpellatum, ipse quoque Cæsarẽ designat, atque declarat. Victo Nigro (quippe inuida est societas regni) omnem Martis impetum in Albinum (quem antè consortem Imperij fecerat) conuertit: ipsum apud Lugdunum deuicit, Galliæ oppidum. Ambobus capita abscissa, piloque circum lata: amborum liberi occisi, vxores necatæ, amici interempti, bona fisco addicta sunt. Rebus bellicis omnium principum clarissimus fuit Seuerus. Persas, Parthos, Arabas, Britannos superauit. In Britannia, vallum murumque per transuersam insulam vtrinque ad Oceanum duxit: ab hostium incursatione Romanos muniuit fines. Græcis literis, latinisque eruditissimus: vitã suam priuatam, & publicam ad fidem scripsit, solum crudelitatis vitium excusans. Ingẽtia animi bona perfidia, fraude Punica, (nam solus Africanorum humili loco natus imperauit) auaritia, & crudelitate contaminauit. Plus quam quadraginta Vrbis Romę summos viros, Consulares, & Prætorios indicta causa occidit. Hispanorum, & Gallorum proceres innumeri perempti: multæ etiam mulieres illustres interfectæ: omnium patrimonia publicata sunt. Itidem de Christianis sanxit, quamobrem in nos sæuitum est. Leonides pater Originis, deuotus Christo maluit occidi, quàm fidem datam Deo authori vitæ frangere. Sub idem tempus Q. Septimius Florens Tertulianus Africanus, & Carthaginensis sacerdos, præceptor Dñi Cypriani, primus post Victorem, & Apollonium latinis literis veritatem philosophiæ Christianæ illustrauit. Omni genere literarum peritus, acumine ingenij & rerum eruditione facilè cæteris præstat. Causam religionis nostræ adserendæ plene perorauit in eo libro, cui Apologetico nomen est. Primus latinorum, qui quidem extet, Theologus. Vixit Seuerus annos vndenonaginta, imperauit duodeuiginti: morbo grauatus, orationem Salustij, qua Micipsa filios ad concordiam hortatur, Antonino maiori filio misit. Vltima eius fuere verba: Turbatam Rempub. accepi, pacatam, etiã Britannis domitis, relinquo, senex & æger pedibus, firmum Imperium Antoninis meis relinquo si boni fuerint: imbecillum, si mali. Obiit in Britannia. De eo ita Senatus iudicauit: aut nasci non debuisse, aut mori: quod & nimis crudelis, & nimis vtilis Reip. videretur.

Sept. Seuerus Pertinax. *Seueri bellum contra Nigrum, & Albinum.* *Eius crudelitas.* *Leonides Originis pater martyr.* *Tertulianus, Cypriani præceptor.* *Seueri vltima verba.*

IVLIA MESA AVG
SECVLI FELICITAS
HEL. SEP SEV PER AVG COS II
BONÆ SPEI.
SEVERVS AVG PAR MAX
RESTITVTOR VRBIS.

SEP SEV PER AVG COS II
INVICTO IMP.
SEP SEV PERT AVG
COS II P P P M TR P III

CARACALLA XXII.

Caracalla filius Seueri. *Caracalla Getam Antoninum fratrē occidit.* *Eius crudelitas & incestus.*

M. AVRELIVS Antoninus Basianus Caracalla, ita à vestimento demisso vsq; ad talos, quod populo dederat, cognominatus, filius Seueri Imperatoris. Fratrē suum Getam Antoninum interemit, vt solus rerum poriretur, eundem in numerum deorum retulit. Sit diuus (inquit) dum non sit viuus. Inter cænandum interfecit Serenum Sammonicum virum ea tempestate doctissimum, cuius medicinalia versibus conscripta extant. Æmilium Paulum Papinianum, præfectum prætorio, asylum iuris, & doctrinæ legalis thesaurum, securi percuti in cōspectu iussit, quod parricidium diluere oratione recusaret, adfirmans, non tam facilè parricidium excusari posse, quàm fieri. Iuliam nouercam vxorem duxit, quæ pulcherrima fuit. Ea cum per negligentiam fortè fortuna maxima corporis parte se nudasset, conspecta est à priuigno: qui libidinis impatiens dixit ad eam, Si liceret, liberet: ipsa respondit, Si libet, licet: Imperator es, leges dare soles, non accipere. Ita parricidio incestum iunxit, & vxorem duxit, cuius filium interemerat. Germani tum Danubio superato, Rhætias, Vindeliciam, prouincias, quas incolimus, vastant, diripiunt. Caracalla ad Danubium proficiscitur, Germanos omnes sibi adiungit, atque in amicitiam conciliat, amplissimis prosequitur largitionibus. Ex illis bellorum socios: & custodes corporis validissimum quemque, & pulcherrimum adsciscit. Sæpe etiam Romano cultu deposito, Germanicam vestem induit: flauam Cæsariem (sicut Germanorum capilli sunt) capiti imponens. Germani eum mirificè dilexerunt. Pergens inde à Danubiano limite per Thraciam & Macedoniam in Orientem tendit, & Ægyptum. Vnde ad Euphratem contra Parthos mouit, quos fraude vicit. Inde Mesopotamia, medio itinere inter Edessam, & Charras, dum leuandæ vesicæ gratia ex equo descendisset, à Martiale stratore suo, cuius fratrem indicta caussa occiderat, per latus confossus interiit. Conscius cædis, & author fuit Macrinus præfectus prætorio, qui post imperauit. Germani, quibus delectabatur Caracalla, & custodibus corporis vtebatur, propiores cæteris, primique facinus conspicati fugientem Martialem consecuti missilibus confodiunt. Occisus est Caracalla octauo Idus Aprilis natali suo, Imperij anno sexto, vitæ tertio & quadragesimo, &c.

Eius bella. *Caracalla mors.*

SEPT GETA CÆS PONT M
PRINC IVVENTVTIS
SEPT GETA CÆS.

Columna lapidea OEnobrigæ (vrbs est Noricorum) cuius is titulus.

IMP. CÆSAR M. AVRELIVS ANTONINVS.

MACRINVS XXIII.

Parthi à Macrino fusi.

OPILIVS MACRINVS, homo nouus, obscurissimè natus, occiso Imperatore Antonino Caracalla (cuius præfectus prætorio fuerat) cum filio Diadumeno, quem Antoninū nuncuparunt, rebus Romanis imponitur. Alibi substitit, Romam cum suo periculo venire tardauit. Imperauit annum vnū, menses duos: à militibus, cum luxuriam eorū atq; auiditatem comprimere conaretur, cum filio occiditur in suburbano Chalcedonis vrbis Bithyniæ. Iam milites cædibus & sanguine Cæsarū imbuti, simul luxuria perditi, auaritia & pecuniæ studio deprauati, omnia venalia habere cæperunt. Vbi nummorum maior auriq; fulgor adfulsit, continuò cōsilium iniere principis mutandi: in eumque summam rerum transferendi, qui plura largiturus sperabatur. Verissimè de Romano milite Lucanus scribit:

Nulla fides, pietasq; viris qui castra sequuntur:
Venalesq; manus, ibi fas ubi maxima merces.

HELIOGABALVS XXIIII.

Heliogabal. quomodo ad Imperium venerit.

M. AVRELIVS Antoninus Basianus Varius Heliogabalus, monstrum potius, quàm homo, Romanam maiestatem biennio, & mensibus octo polluit, cui Nero comparatus, bonus est. Quomodo venerit ad Imperium, aperire necesse est: vt videamus, quibusnam dominis Italica virtus, Romaq; caput mundi seruierit. Moesa Varia ab Emesa ciuitate Phœniciæ, soror fuit Iuliæ Augustæ vxoris Septimij Seueri Augusti. Quamobrem apud sororē in aula, sub duobus Cæsaribus versata est. Habuit duas filias Semiamirā, & Mammæam: hæc ex Vario marito peperit Alexianum Arcenæ, quæ vrbs est Syriæ: illa constuprata in palatinis ædibus à Caracalla, genuit Heliogabalum, Varium cognomine, quòd vulgo conceptus credebatur. Macrinus imperio potitus, mulierem aula exegit, domumq; relegauit. Milites pecunia, quam solam spectabant a Moesa, quæ ditissima erat, inescati, eius nepotē Heliogabalum, vt filium Antonini Caracallę Augusti, annū agentem

quartumdecimum, Imperatorem, & Augustum salutant: M. Aurelium Antoninum nuncupant: declarato consobrino huius Alexiano Cæsare: quem Alexandrum nominarunt. Interfectoque Imperatore Macrino cum filio, Romam contenderunt. Vbi quæ scelera, *Eius nefanda scelera.* quæ flagicia Heliogabalus commiserit, fas non est, & puder dicere. Ne nomina quidem Germanis cognita sunt: sed similem exitum vitæ inuenit, vt vixit, ita interiit. Milites sui, facto impetu, in latrina, ad quam confugerat, eum occiderant: cum ipso matrē, auiam, *Mors eius.* seruos pariter, & ministros scelerum trucidant. Corpus eius per publicum, per vias, per spacia Circi tractum, & in cloacam abiectum. Nouissimè cum angustior esset cloaca, *Eius nomen erasum.* quam vt cadauer reciperet, inde ad Tiberim pertractum, in flumen præcipitatur, annexo pondere, ne fluitaret, aut emergeret, neue vnquam sepeliri posset. Vnde nec post mortem contumelia caruit, vulgo Tracticius, Tiberinusque cognominatus. Nomen eius ex monumentis Senatusconsulto erasum est: vixit annos sedecim. Nescio quo fato Germani sub eo quieuerunt. forsan nemo literarum memoriæ commendauit: aut siquidem scriptū fuerit, periit incuria (ut plæraque) temporum. Nam bellum Heliogabalum optasse authores habeo. Nam cum Marcomanis bellum inferre cuperet, dictum est à quibusdam: carminibus & consecratione, iussu Marci Antonini, Marcomanos populo Romano deuotos esse, nec vnquam fore hostes. Quæ cum inquireret, suppressa sunt. Constabat enim ob hoc consecrationem quærere, vt eam recantaret, spe belli concitandi, & idcirco maximè, quod audierat responsum fuisse, ab Antonino bellum Marcomanicum finiendū esse. Præterire non debeo (nempe res admonuit) alium Cæsarem, alium Augustum fuisse apud veteres. Augustus princeps erat, quem Senatus comprobarat, & rerum habenas moderabatur: *Augusti qui apud veteres.* quem nunc à Romano Pontifice munctum voce latina Imperatorem, patrio sermone Cæsarem nuncupamus. Cæsares dicti sunt, quasi quidem principum & Augustorum filii, & designati Augustæ Maiestati hæredes, atque successores: *Cæsar qui.* nunc Reges Romanorum vocare solemus: maiores Francorum nominabant, quasi Franci Occidentales Delphinos nuncupant.

ALEXANDER XXV.

M. AVRELIVS Septimius Alexander Seuerus, antè Cæsar designatus, Imperiū cum Augusti nomine à Senatu accepit: Pesti generis humani, adolescens sanè optimus, domi forisque iuxta clarissimus successit. Qualem post Augustum Respub. non *Alexandri virtutes.* facile habuit. Viuum virtutum exemplar, quibus enarrandis libet immorari. Primum adulatores, parasitos, exoletos, acroamata, eunuchos & huiusmodi pestes principum, aula amouit, vendiditque. Dominum se appellari, vetuit. Amauit literatos omnes vehementer, eos formidans, ne de se asperius quid in literas mitterent. Literas græcas & latinas *Eius studia erga literas.* impensè coluit: Græca tamen facundia plus valuit: versu non inuenustus. Vitas bonorum principum carmine complexus est. Ex Græcis legit Platonem, ex Latinis Ciceronem sæpius in libris officialibus, & maximè de Republica. Legit item Horatium, & Vergilium, quem Platonem poëtarum vocare solebat. Doctis salaria instituit: Grammaticis, Rhetoribus auditoria quoque decreuit: quibus pauperum filios, ingenuos modò, cum annonis dari iussit: quemadmodum & apud nos in plerisque Academiis nostro æuo Imperator Maximilianus factitauit. Constituit & annonas oratoribus in prouinciis, quos venales linguæ non esse, sed gratis agere constitit. In conuiuio priuato legebatur ei ad mensam. Conuiuiis semper adhibuit doctos, vt haberet confabulationes literatas: quibus se recreari, ac pasci dicebat. Ad Atheneum Romæ frequens itauit, vt audiret poëtas, oratores, Græcè, Latinè recitantes. Fesso rebus publicis, & solicitudine summa illa oblectatio fuit, catulorum cum porcellis lusio: aut perdicum: auicularum sursum deorsum volitatio. Bene meritos de Repub. scriptos habuit: & cui, & quæcunque largitus est adnotauit: adiecto nomine eius, in quem munificus fuerat. Et si quem sciuit, qui aut nihil petierat, aut non multum acceperat; eundem vltrò vocauit, hisceque verbis compellauit: Quid est, cur nihil petis? an me vis tibi fore debitorem? pete ne priuatus de me queraris. *Eius Imperium fuit, Anæmaton.* Anæmaton eius Imperium fuit, hoc est citra sanguinem imperauit. Amicos optimos habuit, quorum consilio & opera, in bello, in ocio, in negocio vsus est. Domitianus, Vlpianus, Tyrius Magister epistolarum, & scrinij fuit: iureperitissimus. Itidem Iulius Paulus legum consultissimus: & cæteri Papiniani discipuli, iuris professores, arcta familiaritate & consuetudine Alexandro coniuncti fuerunt, quorum nomina hæc sunt: Pomponius, Martianus, Callistratus, Hermogenes, Alphenus, Africanus, Florentinus, Venuleius, Tryphonius, Mæcianus, Celsus, Proculus, Modestinus: Hi adhuc nominantur. Nemini malo ad salutandum principem aditus in aulam patuit. per præconem in vestibulo prætorij dicebatur: Nemo ingrediatur, qui se non innocentem nouit. Ne saluter qui scit se esse furem. In animo habuit omnibus officiis, & Magistratibus propriam vestem dare, vt ex vestitu dignoscerentur. Inuitos, non ambientes Repub. admouit. Sapientibus, quos consulere solitus fuit, spacium dedit ad cogitandum, ne non meditati dicere de Repub. ingentibus rebus cogerentur. Quando de iure, & negocio ciuili ambigebatur, solos iurispru-

Iurisprudentes & disertos adhibuit: si verò de re militari agebatur, milites veteres, senes, benemeritos, locorum, bellorum, & castrorum peritos: & maximè eos, qui historias norant, rogauit. Inquirens ab his, quidnam in huiusmodi re, de qua disceptabatur, veteres Imperatores vel Romani, vel exterarum gentium fecissent. Vnumquemque agere, quod nosset, iussit: habere militares suas administrationes, habere literatos dicebat. Diligentissimus fuit, cui nemo posset imponere: & si quis vrbanè tentabat, intellectus mox dedit pœnas. Daturus rectores, præpositos, procuratores, nomina eorum proponebat publicè, hortabatúrque populum, vt si quid criminis quispiam eorum, quorum nomina edita erát, haberet, manifestis probaret accusator rebus: quòd si non argueret, capite lueret pœnam. Graue enim esse dictitabat, id non fieri in prouinciarum rectoribus, quibus & fortunæ, & hominum salus committerentur. Quod Christiani factitarent in prædicandis sacerdotibus, quum hi initiandi forent. Nos ne vmbram quidem huiusce rei tenemus, Infames adolescentuli, imperitissimi quique, cæteris rebus inepti, vltro se non vocari contra religionis maiorumque instituta sturnatim graculatimque ingerunt. Quòd si quis repulsam patitur, continuò Romam properat, Vbi muliones, cocos, & ineptissimos quósque (quos Germania vt vulgus prophanum, sacris arcet) aris Dei Optimi Maximi admouent sanctissimi patres, non sine magna bonorum ignominia, adeò vt iam Sacerdos contumeliæ sit vocabulum. Illos profectò, aut de seipsis & religione, malè sentire & opinari, aut illudere populo Christiano necesse est. opera ostendunt artificem ex fructu arbor cognoscitur. Christus nos seruet. Petrus dormitat, Simon ne dicam. Antichristus rerum potitur. Alexander porrò in templo ne guttulam quidem, aut bracteolam auri posuit: susurrans illud Persianum, in sanctis quid faciat aurum? Idem Christum vt Deum coluit, eiq; templum ędificare, ac eundem inter deos publicè recipi voluit. Verùm legum vetus erat decretum, ne quis Deus ab Imperatore consecraretur, nisi à Senatu probaretur. Christianos fieri passus est: Qui cum publicum locum occupassent, quem popinarij sibi deberi dicebant, rescripsit, melius esse illic quoquo modo Deum coli, quàm popinariis dedi. Clamabat sæpius, vis ab alio pati, quod alteri facis? Audierat enim à Christianis, & memoria retinebat; idque per præconem, cum aliquem emendabat, dici iubebat, Quod tibi non vis fieri, alteri non feceris. Quam sententiam adeò probauit, vt & in palatio, & in publicis operibus præscribendam curaret. Hæc nimirum lex Dei est, quæ omnes iustitiæ numeros complectitur, cui, vt diuinæ, omni deuotione parendum est: siquidem Dei discipuli, templaque, & immortalitatis candidati sumus, nos ipsos in altero cogitemus. Nam in hoc religionis, & sacræ philosophiæ summa consistit, vt non facias alteri, quicquid ipse ab altero pati nolis. Qui hanc legem sequitur, supra omnes leges est: quæ nihil sine morib. (vt ait Flaccus) vanæ proficiunt. Et tam multæ, tam obscuræ sunt, vt neq; legi, neq; intelligi queant, nisi à paucissimis: qui cum æquissimas habét leges, iniquissimis tamen viuunt moribus. Id quod & in protritum prouerbium, vel vulgo imperito cesserit. Tabellarium Alexander, vt ad rem redeam, qui falsum causæ breuem retulerat, incisis digitorum neruis, ne vnquam eam scriberet, deportauit. Veturium Thurinum familiarem (quod solitus hic erat suffragationem vendere, dictitans in sua potestate esse Imperatorem, quum nihil ad ipsum referret) ad stipitem in foro ligatum, fumo necari iussit, cum hoc elogio: fumo pereat, qui fumum vendit. Militarem quoque disciplinam diligentissimè tenuit: quasdam legiones, quod lasciuirent liberius, integras exauthorauit. Item cum quandam aniculam affectam iniuriis à milite audisset, exauthoratum eum militia, seruum anui dedit, vt ipsam pasceret, quòd carpentarius esset. Et cum doleret hoc commilitonibus, terruit eos, persuasitque omnibus, vt modestè ferrent. Cæterùm milites, & eorum annonam diligenter curauit: Tribunos, qui per stellaturas milites defraudassent, capitali supplicio affecit. Inualuit & apud nos stellaturæ crimen in aulis principum. Milites ditauit, quòd egestas ad omne facinus armatum impelleret. Artaxerxem potentissimum Persarum Regem (qui interfecto Artabano: cum omni familia, regum maximo regnum à Parthis ad Persas transtulit) deuicit, centum & viginti millia Persarum occidit: de Persis spectabili pompa triumphauit. Trecenti Elephanti turriti, cum sagittariis, & sagittarum onere capti, ducenti interfecti: falcati currus mille ablati Persis: inter amnes Tigrim, & Euphratem prouinciæ receptæ, quas Artaxerxes deuastarat. Dum hæc in oriente geruntur, Germani Rhenum Danubiumque transgrediuntur, in fines Romanos hostiliter intrant, oppugnantque exercitus ripis insidentes, atque cædunt, deinde per vicos, & vrbes discurrunt, Gallias vastationibus diripiunt, Italiæ ceruicibus imminent. Hæc vbi Alexandro Antiochiæ cum agenti literis nunciata sunt, continuò profectionem edicit: & compositis rebus in Oriente, præsidio firmatis limitibus Imperij, & ripis Euphratis atque Tigris, Ipse cum reliqua omni multitudine, apparatu quammaximo aduersus Germanos properat: Barbarasque Orientis nationes, quæ sagittis plurimum valent, Armenios, Osdroenos, Parthos: item Mauros iaculatores optimos secum ducit. Confecto celeriter itinere, Romæ cum maximo omnium gaudio excipi-

Eius iustitia.

Veturius Thurinus.

Nos penitus nullam habemus.

Stellatura finantz.

Alexandri victoria de Artaxerxe Persarum Rege, & triumphus.

Eius bellum contra Germanos.

excipitur: Triumphóque pulcherrimo acto, septimo Calendas Octobris apud Senatum de rebus gestis verba fecit. Post hoc cum ingenti gloria, comitante Senatu, Equestri ordine, omni denique populo, circumfusis vndique mulieribus, & infantibus, pedes Palatinas ædes conscendit. Retro currus Triumphalis à quatuor Elephantis trahebatur: portabatúrque manibus hominum Alexander, vixq; illi per quatuor horas ambulare permissum. Vndique omnibus adclamantibus, salua est Roma, quia saluus est Alexander. Post hæc ad ripam Rheni arma mouet, deducentibus eum cunctis per cētum & quinquaginta millia passuum. Erat autem grauissimum bellum Reipub. Alexander Moguntiacum iam venerat, ibi res ad bellum huiusmodi necessarias comparat. Pontem ibi primò iunctis inter se nauibus in Rheno fecit: vt per eum exercitus transgrederetur in Germaniam Magnam, quò iam Germani deprædatis Galliis concesserant. Huic bello intentum, milites fraude Maximini, Tyronum præfecti, qui eos grandibus pollicitationibus inescarat, Alexandrum cum paucis agentem in vico Sicilia in agro Mogontino interficiunt, Mammeámque matrem eius contrucidant. Matrem auariciæ, filium, quod vt pupillus mulieri nimis imperiosæ obsequeretur, accusabant. Imperauit Alexander tredecim annos,

Origenes sub Alexandro floruit.

dies nouem, vixit annos vndetriginta, menses tres, dies septem. Hisce temporibus Origenes ille maximus omnium, secundum legatos Christi (teste Hieronymo & Augustino) veritatis diuinæ assertor, magna fama, maiori gloria, cœlestes literas interpretatus est: & philosophiam Christianam, magna auditorum frequentia publicè docuit. Cultoribus quoque deorum venerabilis: ad Imperatores Romanos, Cæsares Augustos, matrésque eorum in aulam vocatus, accessit: ad eosdem literas dedit. Omnibus eius vita, mores, studium, doctrina admirationi fuerunt. Vindelicis tum præsedisse M. Iulium Philippum, Noricum Arrabonæ natum, qui postea imperauit, in annalibus Boiorum reperio. Boiodurum Vindelicorum Bathauiam cognominauit: siue à confluentibus trium maximorum flu minum, qui ibi miscentur: siue à statione militari, quam ibi Bathaui populi Germaniæ habuerunt, empti à Romanis contra Germanos. Itidem Sycambros in Pannonia collecatos esse, à quibus Sycambria dicta sit, quæ nunc Buda, & Opha est, caput Vngrorum, habeo quos sequar.

Bathauia. Sycambria. Buda, Opha.

IMP SEV ALEXAND AVG
VICTORIA AVG.
IMP ALEXANDER PIVS AVG
MARS VLTOR.
IMP C M AVR SEV ALEXAND
AVG TR P VI COS II P P.
IMP M AVR SEV ALEXANDER
S C
IMP. SEV ALEXAND AVG
COS III P P M TR P VIII.
IMP ALEXANDER AVG
MARS VLTOR.

MAXIMINVS XXVI.

Micca, Gothus, Maximini pater.

IVLIVS MAXIMINVS in Thracia natus est, patre Gotho nomine Micca, matre verò Ababa, Alana genere. Primò pastor, opilióque fuit. Cum esset immani corpore, & robusto supra quam credi potest (adeo vt Caligæ Maximini in prouerbiū, in homines prodigiosæ magnitudinis, & staturæ cesserit) in militiam adscitus, iussus est ob vastitatem & fortitudinem corporis, inter stipatores à Seuero Imperatore in aula semper consistere. Sub Seueri filio Caracalla, Tribunus militum fuit. Alexander eum quartæ legioni Tyronum, & deinde in perniciem suam toti exercitui præfecit. Fuit Maximinus sæuus, truculentus, ad artes pacis, ciuilésque res penitus rudis ac barbarus: facie rusticana plané & deformi, & quæ (sicut in numismatis adparet) præ se ferret sæuitiam & barbariem hominis: bello tamen præclarus. Militibus nemo principum plura largitus est: quorum fidem, vt sibi muneribus oppigneraret, deuotámque redderet, nihil pensi habuit. auarus, rapax, alieni appetens: locupletissimóque cuique per delatores insidias tetendit. Conscius humilitatis suæ ab omnibus se contemni suspicabatur; ita degeneres animos timor in præceps agitat. Persuasum habuit, non posse imperium, nisi crudelitate retineri:

Maximini barbaries.

omnem nobilitatem amouit, neminem clarum circa se passus est. Patrio instituto cædis auidissimus, plusquam quatuor millia hominum immissis delatoribus, indicta causa occidit. Sæuos, rapaces, & sui quamsimillimos prouinciis procuratores fisci dedit: qui per fas, nefasque pecunias extorquebant, opulentissimos quósque ad summam redigebant egestatem. Nec mitiores in templa deorum, & publicam pauperis vulgi annonam fuerunt. Priores principes continuò, posteaquam Imperatores salutati erant,

Tantū crudeli ate imperium retineri Maximinus putauit.

ad Sena-

ad Senatum Romanum rem deferebant, petebantque vt patres consulti authores fierent. Senatusconsulto tum electus Imperator declarabatur. Primus Maximinus contentus consensu militum, citra authoritatem Senatus imperauit: ab exercitu electus, vbi eius fraude & crimine Alexander interemptus est. Iam enim milites insueuerant tumultuario iudicio Imperatores creare: eadem temeritate tollere Romanum Imperium: velut ludibrium, pilaque fortunæ, obscurissimo & humilimo cuique, præcipuè per officia militaria, quasi per gradus ascendenti in propatulo expositum direptui patuit. Nemini non ad tantum fastigium aspirare licuit: Opiliones, bubulci, Suarij, fabri ferrarii ad hoc culmen rerum euecti sunt. Ne mulierculis quidem interclusa via fuit, quo minus arriperent, & longius opinione omnium mordicus tenerent. Tantæ prædæ (vt sunt animi mortaliũ auidi, & omnes sibi esse melius malunt, quàm alteri) plætique omnes inhiabant. Inde pertinax genituræ studium, somnia qualiacunque etiam nemo neglexit. Nullus omina, supra modum friuola contempsit: instigabant insaniam hominum haruspices, augures, Vates, Astrologi, Consulti. **Pro vt Aquila temere conspecta addixit vestis donata,** salutatio, pecus recens natum, sedes locata, & huiusmodi nugamenta arrisere: dictum, factumue vllum, & ventulus leuissimè adflauit, spem sibi orbis potiundi stultissimi mortalium fecere. quæ res pluribus supremi periculi causa extitit. Pauci admodum nec citra periculum tamen, voti compotes facti: inter quos & Maximinus rerum potitus, cum Germanis varia pugna dimicauit. Nonnunquam acie res gerebatur, ex qua Germani persæpe haud impares Romanis abibant: pulsi tamen numero militum Gallis excellerant. Liberatis Gallis Maximinus collecto exercitu omni, bellum Germaniæ Magnæ transrhenanæ intulit, pontem transit, secuta ingens vis mortalium, præter Romanas vires, Mauri, Osrhœni, Parthi, Armenij, Arabes. Germani omnia in syluas, paludesque transtulerant: ibi in insidiis delitescebant, erupturi vbi res postularet, atque hostes circumuenturi. Ad paludem quandam atrox prælium fuit. Maximinus temerè ingressus stagnum, à Germanis circumuentus, & nisi eum equo inhærentem sui liberassent, occidisset. Quadringenta millia passuum (vt ipse apud Senatum gloriatur) longè lateq; incendit vicos Germanorum: & se altitudine paludum, vlterius tendere prohibitum iactitat. Dum hæc ad Rhenum geruntur, Germani Danubium accolentes, cum Sarmatis Illyricum, Pannonias, Mœsias, traiecto Histro depopulantur, incendunt, diripiunt, legionesque oppugnant. Certior factus Maximinus, ad Isteuones Rheni accolas oratores de pace mittit: qui pollicerentur, Romanum illis principem ex Germania quoque oriundum, quorum opus foret præbiturum, pecuniamque daturum magna copia. Germani consueti auro pacem Romanis cauponari, facile consenserunt. Maximinus pacem, & fædus ab illis emercatus, pacataque Germania, qua Rheno alluitur, in Pannoniam pergit cum omnibus copiis, accito etiam, & empto auxilio Germanorum contra Germanos (vti nostro æuo Rex Celtarum factitare consueuit) Sirmium maximam in iisdem regionibus, in ripa Saui, vrbem peruenit. Vbi quòd hyems instabat, expeditionem vernam in Germanos, Sarmatásque meditabatur: itidem minitans, excisurum se ac subacturum Oceanótenus omnes Sarmatiæ, Germaniæque gentes. Religionis quoque nostræ sacerdotes, mystas, & doctores, vario cruciamentorum genere adflixit, necique dedidit. Inter hæc exercitus in Africa defecit. fisci procurator, qui studio Maximini omnes spoliarat, à plebe rustica & militibus occisus est. Authores cædis, conscij crudelitatis Maximini, quem lacesserant, extrema tentare cæperunt. Gordianum proconsulem Africæ, senem, prudentem, & nobilissimum, octogenarium, inuitum imperium sumere vi cogunt: ipseque adpellatur ab omnibus Afris, cum filio itidem Gordiano nomine, apud oppidum Tisdrum. Augustus. Inde Carthaginem Gordiani, pater & filius proficiscuntur. vnde legatos Romam cum literis ad Senatum, populúmque Romanum mittunt: rem omnem, vt acta est, aperiunt: se adhuc incertos, fluctuantésque Senatus iudicium expectare declarant. Legati vbique benignè auditi sunt. Literæ in Senatu per Iulium Syllanum Consulem recitatæ. adpellati à Senatu Gordianus senex, & iuuenis Augusti, in odium Maximini. Interfecti deinde omnes delatores, omnes calumniatores, omnes amici Maximini occisi sunt. Cæsus est à populo Sabinus præfectus vrbis, & Vitalianus dux militum prætorianorum: omnis fex Maximinianæ crudelitatis deleta, capti, occisi, tracti, in cloacámque abiecti, tantum odium apud omnes Tyranni erat.

Bellũ Germanic[…] […]tum à Maximino.

Gordiani, pater & filius.

Tisdrum.

Iulius Syllanus.

IMP. MAXIMINVS PIVS AVG.
PAX AVGVSTI.

GORDIANI XXVII.

AELII ANTONII Gordiani, Augusti imperarunt annum vnum, menses sex. Senatus vbi eos Augustos adpellauit, hostẽ Maximinũ liberè, apertéq; iudicauit. Viginti elegit duces, viros Consulares, qui regiones Italicas cõtra Maximinũ, quisq; sibi sorte adtri-

Gordiani annum vnum imperarunt & 6. menses.

attributam pro Gordianis tutarentur. Literæ deinde missæ ad omnes prouincias, vt communi saluti libertatique consulerent. Quæ auditæ sunt ab omnibus: vbique amici, administratores, duces, Tribuni, milites partium Maximini interfecti sunt: statuæ Maximini deiectæ, nomen erasum est.

Maximini nomen erasum.

Ciuitates perpaucæ hosti publico fidem seruarunt: proditisque iis, qui missi fuerant, ad Maximinum per indices detulerunt. Literarum Senatus exemplum hoc fuit. S P Q R per Gordianos principes, ab illa tristissima bellua liberari cæptus, proconsulibus, præsidibus, legatis, ducibus, Tribunis, Magistratibus, ac singulis ciuitatibus, & municipiis, & vicis & castellis salutem (quam nūc primum recipere cæpit) dicit. Diis fauentibus Gordianum proconsulem, virum sanctissimum & grauissimum Senatorem, principem meruimus. Non solum illum Augustum adpellauimus sed etiam in subsidium Reipub. obtinendæ, & ad scelera defendenda, & ad illam belluam, atque illius amicos, vbicunque fuerint, persequendos, à nobis etiam Maximinus cū filio suo hostis est iudicatus. Vbi hæc nunciata sunt Maximino, diuiso ingenti stipendio militibus, accitis Germanis in societatem, quorum haud contemnendus numerus erat, & quos semper ante primam aciem collocare solebat, ad Italiam Romam versus, infesto hostiliq; animo contendit.

Gordiani à Capeliano victi.

Dum in itinere est, Capellianus partium Maximini Mauros regens, quòd Gordianus successorem ei dederat, comparato exercitu, cum Gordianis congressus est. Victi Gordianis, filius in bello periit, pater laqueo vitam finiuit. Tunc Capellianus victor, vt præ se ferebat, pro Maximino, omnes aduersę partis interimit, proscripsit, vrbes subuertit, fana diripuit, donaria militibus diuisit: animósque militum sibi conciliauit, clanculum adfectans Imperium. Interemptis igitur in Africa Gordianis patre & filio Augustis, cum Maximinus furens ad vrbem properaret, Senatus trepidus septimo Calendas Iunias coit, consulturus Reipub.

Maximus Pupienus, & Clod. Balbinus Augusti appellati.

Ibi ex Vectij Sabini concione duo principes delecti sunt, Maximus Pupienus, & Clodius Balbinus: quorum vnus res domesticas curaret, in vrbeque resideret: alter obuiam cum exercitu Maximino pergeret. Communi deinde Senatus, populique Romani consensu, illi duo Augusti adpellantur. Gordianus adolescentulus, quartumdecimum agens annum, filius Gordiani iunioris, occisi à Capelliano, Cæsar designatur, declaraturque. Ita tres principes contra Maximinum electos ad Palatinas ædes, stipatos armis deduxerūt. Deinde Gordiani ambo in Diuos relati sunt.

GORDIANVS CAESAR XXVIII.

Gordianus filius sororis Gordiani vnà cū Max. Pupieno & Cl. Balbino Augustis imperauit.

MAXIMVS PVpienus, Clodius Balbinus Augusti, Gordianus adolescens Cæsar, imperarunt simul anno vno. Continuo vbi electi sunt, omnibus viribus ad resistendum Maximino neruos intenderunt. Nihil prætermissum, quod ad profligandum hostem publicum, ad tutandam Italiam pertinere videbatur. Tracta sunt & Germanorum (quibus maximè fidebant Romani) robora in partes Imperatorum, & vrbis custodiendæ causa. Balbinus cum Gordiano Romæ substitit. Maximus vir bellicis rebus præclarus, & qui Germanias, quæ sunt in Gallia, rexerat, cum exercitu & copiis militaribus Germanorum, profectus est Rauennam.

Maximus bellator.

Ibi quæ ad bellum spectabant, comparauit, vt paratus Maximino occurreret: qui iam fines Italiæ attigerat. & Hæmonam Coloniam Pannoniæ extremam, Italiæ primam, vacuam cultoribus, patentibus portis intrarat, vbi ædificiis incensis, Aquileiam, quæ inde sex & septuaginta millibus passuum aberat: quadrato agmine progreditur. Aduenienti Aquileienses portas clausere.

Maximini interitus.

Cæpta est vrbs obsideri, cum iam orbis terrarum in odium Maximini conspirasset. Milites eius quiescentem meridie, tertio potestatis anno in papilione cū filio obtruncant. Cadauera in profluentem proiecta, capita contis præfixa Aquileiam, deinde Romam missa, insultante populo in campo Martio exusta sunt.

Maximus cū Maximini exercitu Romam venit.

Ita rebus prosperè gestis, pacatisq; omnibus, Romam cum exercitu Maximini, Maximus venit. Gratiæ Diis actæ, omnium rerum obliuio decreta, militibus stipendia data, ab omnibus in verba trium principū iuratum. Vbi cum adclamatum esset (vt mos est gentis) sapienter electi principes, sic agunt: per imperitos electi, sic pereunt: Milites se denotari iniquo tulere animo, alioquin iam ipsis displicere Imperatores à Senatu ceruicibus impositi cæperunt: indolebant & casum eius, quem ipsi delegerant. Hæc interim mussitabant, expectabant occasionem. Non animus tollendi inuisos principes, sed locus deerat, quem fortuna tandem subministrauit. Nam Germanos, qui stipabant latera principum, metuebant. Fama erat, Parthos orientē vastare, Germanos Danubij accolas, & Sarmatas, & Scythas (quos proprio vocabulo Latini Dacos Græci Getas, vocant Germana lingua Gothi sunt) Mœsias, Histrum, Illyricum excindere. Iamque decretum erat, vt maximus Persas, Balbinus Germanos peteret, Gordianus Romæ remaneret. Cum igitur ludis Scenicis aulici omnes intenti essent, & soli Imperatores in Regia mansissent, ambos senes corripiūt, veste imperatoria exuūt, in castra raptare nituntur.

Gordianus solus Imperator.

Sed vbi Germanos, re cognita, correptis armis in auxiliū Imperatorum concurrere acceperunt, occisos relinquunt. Gordianum Cæsarem manibus sublatum in castra

caſtra deducunt: Auguſtum conſalutatum. Germani vbi oppreſſos audierunt, quorum cauſa properabant, cum nollent irritum bellum pro viris vita defunctis ſubire, extra mœnia vrbis ad ſuos reuertuntur. Gordianus deinde princeps ab vniuerſis declaratus, ſolus Romanum ſuſcepit Imperium.

MAXIMVS CÆS GERM
PRINCIPI IVVENTVTIS
S C.
IMP GORDIANVS PIVS FEL AVG
ÆTERNITATI AVG.
IMP GORDIANVS PIVS FEL AVG
CONCORDIA MILIT.
IMP GORDIANVS PIVS FEL
AVG P M TR P III COS P P.
IMP GORDIANVS PIVS FEL AVG
LÆTICIA AVG N S S.

GORDIANVS XXIX.

AELIVS ANTONIVS Gordiani filius Gordianus, Auguſti, qui in Africa in bello periit, imperauit annos ſex, militum, Senatus, populi, omnium deniq; maximo fauore. Deliciæ generis humani cognominatus eſt, tanta indoles in adoleſcente erat. Duxit filiam Miſithei, viri tum doctiſsimi, ac ſanctiſsimi: cuius prudentia (præfectus enim prætorio fuit) Romana Reſpublica bene, ſapienterque adminiſtrabatur. Scribit ad hunc Gordianus Auguſtus, miſerum eſſe Imperatorem, apud quem vera reticētur: qui cum ipſe publicè ambulare non poſsit, neceſſe eſt, vt audiat: & vel audita, vel à pluribus roborata, confirmet. Dum Romani cum Maximino decertant, Daci (qui & Getæ ſunt: quos Germano ſermone Gothos, communi vocabulo Scythas appellare ſolent) à Traiano perdomiti, fractique, hactenus quietem agitarant, hac tempeſtate vires recuperant, Regem Argunthem (quem noſtri Auſtrogotham vocant) creant, deinde coniunctis ſibi finitimis, Vandalis, Gepidis, Sueuis, Marcomanis, Quadis, Peucinis, Baſternis, Carpis, Boiis tranſito Danubio, Mæſias, Thracias depopulantur. Marcianopolim caput Mæſiarum obſident, obſeſsi pacem auro emunt. Gothi ingenti præda potiti, cum ſuis incolumes domum redeunt. Miſitheus præfectus prætorio, & ſocer Gordiani Auguſti, ſolita ſtipendia, quæ ſibi diminuta conquerebantur, pollicitus, cum eis pacem, fædusque icit: eius nutu quieuit Germania. Tum initium fuit belli Scythici, ſiue Gothici, quod continenter per multos annos geſtum eſt, cum omnibus fermè Romanis Imperatoribus, donec Italia, Roma, poſtremò Hiſpaniis potiti ſunt Gothi. Romani Imperatores (quemadmodum noſtro æuo Reges Celtarum, quibuſdam Germaniæ principibus & nationibus, maximè Suitonibus) quotannis maioribus noſtris donatiua, ſtipendiaque elargiri ſolebant, præcipuè oram Rheni, Danubiique accolentibus. A popularibus noſtris prẹmiis, muneribusque ingentibus pacem mercabantur: fædus & fidem Germanorum auro pignorabantur: vti ſe intrà Rhenum, Danubiumque continerent: atque ipſorum opera armis, & manibus, vbi vſus foret, Reſpublica Romana vteretur. Cum verò toties Romani principes mutarentur, Rempublicam tot Tyranni per diuerſas orbis partes raperent, dilaniarent, quibus vt fidem, & animos militum Romanorum ſibi conciliarent, plurima elargiri neceſſe erat: Fiſcus attenuabatur, ærarium exhauriebatur, quo minus Germanis promiſſa, conſtitutaque, & integra congiaria ſolui poſſent. Germani tum læta bello gens, alioqui, & prædæ auiditate facile illicibiles ob diminuta ſtipendia, & quod apud Romanos omnia diſcordia, ciuilibusque armis conflagrarent, pacem, fædusque rumpebant: Romanas prouincias ſuperatis Rheno, & Hiſtro inuadebant. Milites Romani ab ipſis oppugnabantur, caſtra diripiebantur: Omnia ferro, præda flamma, cæde vaſtabantur. Auſi ſunt etiam in Romano ſolo collocare ſedes. Et hoc modo per trecentos annos continenter tumultuatum: reſpirandi ab armis duntaxat aliquando ſpacium dabatur. Interim Danubius, & Rhenus ſimul eodem tempore ſe Romanis prouinciis ſuperfundebant. Interim per vices hoc ſæuiente, alter quieſcebat. Ita paulatim, carptimque attritis Romanis viribus, tandem Germani inualeſcunt: in occidente Romanum Imperium ſoluunt. Pannonias, Mæſias, Illyricum, Noricum, Rhętias, Vindeliciam, Gallias, Hiſpanias, Britannias, Italiam, ipſamque Romam intercipiunt: Romanisq; præcipiunt Imperatoribus: & ingentia regna condunt, quæ adhuc manent. Nec aliter Perſæ in Oriente ad Tigrim, & Euphratem inſurrexere. Aduerſus quos Gordianus arma mouit, fecitq; iter per Mæſias: atque in ipſa expeditione, quicquid hoſtium in Thracia fuit, deleuit, fugauit, expulit, ſubmouit: Saporem regem Perſarum, filium Artaxerxis ſuperauit. Moritur tum Miſitheus ſocer Gordiani, præficitur prætorio Philippus. Dumque Gordianus victor Romam reuertitur, fraude Philippi, quem prætorio præfecerat, per milites, quos in ſeditionem Philippus concita-

Gordianus generis humani deliciæ.

Dictum Gordiani Augusti.

Daci, Getæ, Gothi, Scythæ.

Arguntbes Rex.

Belli Gothici initium.

Miſitheo Præfecto mortuo ſuccessit Philippus.

Gordiani interitus. *Cor. Licinius Valerianus.*

tat, interimitur ætatis anno altero, & vicesimo: sepelitur apud Zaitam (qui locus oleam arborem significat) iuxta Euphratem. Sub idem tempus præses, & dux regionum, quas Boij tenent, fuit Cornelius Licinius Valerianus, qui post imperauit. Ignari linguæ Romanæ ipsum Boium fuisse autumant, quod dux fuisse prouinciæ, quam Boij nunc tenent, literis proditum sit, cum dux eo tempore aliud significarit atque nostro vsurpetur.

PHILIPPVS XXX.

Philippus fraude Imperiũ suscepit.

M. IVLIVS Philippus, obscurissimis natus crepundiis, patre latronum nobilissimo ductore: quidam Arabem, nostri Pannonium faciunt. Occiso eius fraude Gordiano, literas ad Senatum Romanum dat: quibus apperit, Gordianum morbo periisse, seque Imperatorem ab exercitu delectum, orat, vt patres authores fiant. Senatus ignarus rerum omnium, Philippum Augustum adpellat, Gordianum in numerum deorum refert. Philippus vbi Romam venit, filium suum C. Iulium Philippum participem Imperij facit, anno Imperij eius secundo, Christianæ verò salutis super octauum, & quadragesimum, ducentesimo. Millesimus annus ab vrbe condita agebatur: quamobrem vndecimo Calendas Aprilis natali Romæ ludi omnis generis celeberrimi, magno sumptu, & adparatu per continuos tres dies, & noctes acti Apollini, Dianæ, hoc est Soli, Lunæ sacri, quæ sidera res humanas regere videntur: Seculares vocant quod singulis seculis, hoc est centum annis semel fiant. Nos annũ Iubileum vocamus. De his Horat. vates iucundissimus.

Seculares ludi annus Iubilæus. *Daci, Getæ Danubium traiiciunt.*

Phœbe, syluarumq; potens Diana,
Lucidum cœli decus ô colendi
Semper & culti date quæ precamur
Tempore sacro
Quo sibyllini monuere versus
Virgines lectas, puerosq; castos,
Diis (quibus septem placuere colles.)
Dicere carmen
Certus vt denos decies per annos
Orbis, cantus referatq; ludos,
Ter die claro, totiesq; grata
Nocte frequentes.

Interea Daci, Getæ & cæteri accolæ, cum quibus Gordianus fœdus fecerat, ob diminuta stipendia, & prædæ dulcedine Danubium traiiciunt. Pannonias, Mæsias inundunt, oppida, vicos, vrbes diripiunt: ædificia incendunt, pecora, homines captiuos abigunt, resistentes obtruncant. Philippus Imperator contra hostes Decium cum supplemento copiarum mittit, ad tutandum limitem Romani Imperij. Decius vbi ad exercitus Danubianam ripam, & Illyricum custodientes venit, concordi omnium suffragio, renitens repugnansque Augustus adpellatur. Philippus cum hoc accepit, arma corripit, milites exercitumq; comparat, armata manu contra Decium proficiscitur, filium vero Romæ relinquit. Dumque iam Veronam venisset, ibi ab exercitu interficitur, medio capite supra ordines dentium præciso: Romæ quoque filius eius duodenarius à prætorianis ferro necatur. Ferro adeptus Imperium, ferro vitam pariter cum Imperio finiuit. Imperauit annos quinque. Plures ei adsignantur liberi: nam & diuum Quirinum, & Gallum Iulium Saturninum filios eius fuisse, authores sunt. Quidam Christianum fuisse, quidam cultum Christianum simulasse: alij matrem eius ab origine audisse mysteria religionis nostræ tradunt, quod verisimilius facit hominis perfidia, maximè quando Lactantius, & Ambrosius testentur, Constantinum primum Imperatorem Romanorum fuisse, qui maiestatem vnius veri Dei agnouerit, & coluerit. Eadem tempestate Eucherius Laureacensis Archimystes Italos, Romanos, Christianos, & prouinciales in Norico Vindelico, cælesti pabulo pauisse refertur.

Decius Augustus appellatus. *S. Quirinus.*

IMP IVL PHILIPPVS AVG
SALVS AVG.
M IVL PHILIPPVS CÆS
PRINCIPI IVVENTVTIS.
IMP C PHILIPPVS AVG
ADVENTVS AVG.
MARCIA OTACILLA SEVERA AVG
SÆCVLARES AVGG.
S. C.
IMP PHILIPPVS AVG
VIRTVS AVG.
IMP M IVL PHILIPPVS
PROVINCIA DACIA.
IMP M IVL PHILIPPVS AVG
FELICITAS TEMP.
S C.
SEVERINA AVG.
VENVS FELIX.

DECIVS XXXI.

M. Q. TRAIANVS. Decius, Bibali inferioris Pannoniæ vrbe, cuius & Ptolomæus meminit, natus est claris admodum parentibus. Vir domi forisque præclarus, Romanis amatus, a Senatu Augustus adpellatur. Ipse filium Decium Cęsarem declarat. Oppugnauit templum Dei: ad pernegandam veritatem, Christianos variis excruciamentis adflixit, perseuerantes neci dedidit. Inter quos fuere Fabianus Pontifex Romanus, & D. Laurentius igne excoctus. Romæ tum Secundianus Togatus, Verianus Pictor, & Marcellianus orator eloquentissimus, commoti constantia Christianorum, cum adhuc cultores numinum essent, de religione nostra, vt fit, differere, & confabulari cœperunt. Forte fortuna in manus, atque mentem venere, versus illi Vergiliani ex sententia Sibyllæ descripti:

Traiani Decij patria.

Decius religionis persequutor.

Fabianus P. M.

D. Laurentius

Secundianus.

Verianus.

Marcellianus

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas,
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna,
Iam noua progenies cælo demittitur alto.

Accuratius huiusmodi versibus lectis, adflati diuino spiritu, religionem Christi professi sunt: iussu deinde Decij securi percutiuntur. Cœpit hæc persecutio sæuiente vulgo ante Imperatoris decretum. Nec nocte, nec die nostri ausi sunt in publicum prodire: vt quisquam apparuit, statim insani vulgi clamore correptus, in ignem coniectus est. Sub idem tempus Chinina Rex Gothorum, cum cæteris Danubium adcolentibus Germanis Mæsiam irrumpit, Neostadium, hoc est, nouam ciuitatem Mæsiæ (quam apud Eugipium lego fuisse sedem Theoderici Regis Gothorum, qui à Zenone Augusto in Italiam missus fuit) frustra obsidet. Acriter enim à Gallo Treboniano duce Sarmatici limitis defendebatur. Inde Gothus Nicopolim petit & inuadit (nostri Schiltanum nominant, vbi Sigismundus Imperator, proauorum memoria à Turcis victus, castris exutus est, nobilitas nostra trucidata, principes capti sunt) Decius cum filio Nicopoli auxilium laturus, arma in Gothos mouet: eos obsidionem soluere cogit. Inde Philippopolim hostes petunt, diripiunt. Decius hostium vestigia insequitur, liberaturus vrbem; verum à Gothis fusus in Mæsiam ad Gallum Trebonianum fuga elabitur: ibi reparatis viribus, coniunctisq; omnibus copiis, cum Germanis rursus pugnam conserit apud Abrittum vrbem. Atrox ibi prælium fuit, ambo Decij pater, & filius, ambo Imperatores, cum exercitu cæsi sunt. Inde locus Ara Deciorum nominata. Imperarunt annum vnum, menses tres.

Chinina Rex Gothorum.

Schiltanum. Schiltach.

Decius à Gothis fusus.

GALLVS ET VOLVSIANVS XXXII.

C. VIBIVS Trebonianus Gallus, vrgente hoste instanteque, à legione quæ integra stragi supererat, Imperator salutatur. Ad eum reliquiæ cæsarum legionũ, velut conseruatorem confugiunt: Senatus Imperium eius confirmat, Augustumque adpellat. Ipse cum popularibus nostris iniit fædus, tributa quotannis pependit ducenta millia Drachmarum auri. Icto fædere Romam venit, C. Vibium Volusianum filium participem Imperij facit. Et hij hostes Christiani dogmatis extiterunt: Cornelius, Lucius, Stephanus Pontifices Romani, interempti, pietatem Christianam sanguine consecrarunt. Pestilentia tum perniciosa orbem Romanum adflixit, pleraque oppida vacua cultoribus relicta sunt. Æmilianus dux Sarmatici limitis in Mæsia res nouas molitur: ab exercitu Imperator creatur. Contra eum C. Vibius Gallus, & Volusianus Roma armati mouent, sed à militibus deserti cæduntur, postea quam rerum potiti sunt annos duos, menses quatuor. Exercitus Rhætici, & Vindelici limitis Bathauiæ in confinio Rhætiarum, Vindeliciæ, & Noricorum P. Cornelium Valerianum, virum Censorium cum nobilissimũ, tum optimum, rebus Romanis imponunt, Æmilianus à militibus suis interfectus est tertio potestatis mense. Valerianus ob claritudinem generis, & laudatos mores totius orbis consensu ab omnibus recipitur.

Gallus tributarius.

Pestis in orbe Romano grassatur.

Gallus & Volusianus cæsi.

Æmilianus interficitur.

VALERIANVS XXXIII.

P. CORNELIVS Licinius Valerianus omnibus melior, amicus bonis, hostis criminum, hostis vitiorum, primus genere, nobilis sanguine, doctrina clarus, exemplũ antiquitatis, Senatusconsulto declaratus est sub Deciis Imperatoribus. Quamobrem facile orbis consensu rerum habenas consecutus est. Verum (vt sunt stultissimi, vanissimique mortalium animi, veritati diuinæ nõ subnixi) in pietatem Christianam (cui primum fauit) ceu impietatem deprauatus à malis consultoribus, sæuit. Tarda ad mortem supplicia, conquirebantur: volentibus mori non permittebatur occidi, torti quidem, melle pervncti

Valerianus corruptus à malis consultoribus.

Rhenum Victorina mater castrorum cognominata, Agrippinæ Augustalem induit purpuram cum filiis,& adfine Terrico Gallias & Hispanias,a Germanorum direptionibus liberauit,possedítque. Sepulchra Victoriæ,& filiorum in Colonia Agrippinensi extare tradit Treuellius Pollio. Nec Ægyptus, ac Africa quieuere: suos habuere,hostes,atque Tyrannos: aut si mauis dicere, Augustos. Fuit etiam in Galliis faber ferrarius Vecturinus nomine,Imperator à militibus salutatus. Ita omnia sursum deorsúmque ferebantur: ima summis miscebantur. Tandem Gallienus,dum contra Aureolum Tyrannũ arma mouet,Mediolanumque obsidet, fraude Martiani præsidis Mœsiæ, & Cecropij Dalmatarum legati,cum filio interficitur: moriensque Claudium,qui tum Ticini agebat, successorem declarat,ipsi vestem,insignia Imperatoria per Gallonium Basilium mittit. Hac tempestate vetera cognomina (vti fit dum rebus bellicis noui homines emergunt) Germania mutauit. Fecerant & Romani duas in Gallia,Belgica & Celtica Germanias. Maiores nostri transrhenani,ne Romanis & ipsi sicut cisrhenani ob commune,idémq; cognomen subesse viderentur,vetus Germaniæ vocabulum exibilarunt,noua sibi fecerunt cognomina. Chauci,Cherusci,Saxones,Cimbri,Dani,Daci,& Getæ anteà,Goti posthac dicti sunt. Franci antiquissima gens Germaniæ Magnæ,non tam lata, quàm valida, (testes sunt Cicero,Diuus Hieronymus,& vulgo protritũ apud nos prouerbium) obscuriores hactenus, sub nomine partim Chattorum,& Heluetiorum, partim Turogorum,atque Boiorum delituerant, (quemadmodum apud Diuum Gregorium Turonensem,Theodericus primus Rex Francorum in Turogos perorat) iam inde clariores fieri, pedetentim increscere cœperunt, eò magnitudinis tandem deuenere, vt & Gallias omnes,& Romanum Imperium in Germaniam transtulerint. A quibus & Germania Francia dicta est. Et apud Celtas adhuc Francorum Rex nominatur. Aliæ Germaniæ nationes Alemanos,quasi tu dicas, omnes viri sumus,se cognominarunt; vnde Alemania adhuc Germania vocatur.

Vecturinus faber ferrarius salutatur Imp.

Claud. Gallieno substitutus.

Germ. cognomina vetera mutantur.

Germania Francia dicta & nunc Alemania Alemani.

GALLIENVS AVG.
PIETAS CONSERVAT.
IMP. C. P. LIC. GALLIENVS AVG.
CONCORDIA AVG.

CLAVDIVS XXXV.

FL. CLAVDIVS principum omnium decus, author generis Constantiorum, maxima omnium gratulatione Romanas suscepit habenas. Aureolus Tyrannus continuò Mediolani occiditur à militibus. Dum deinde consultatur Germani ne & Goti, an Tyranni forent oppugnandi: Primum Claudius sibi illos deposcit, quod Reip. hostes essent: hi verò dumtaxat principum. Inde arma in Gotos, sociásque gentes mouet: quæ longè latéque in Romanis prouinciis vagabantur. Trecenta viginti millia barbarorum (vt ipse ad Senatum scribit) in Romanum solum armati venerant. Cum quibus nauali,terrestri prælio pugnauit felicissimè variis locis. Apud lacum Benacum Germanos fudit. Victi sunt Goti in Mœsia, Martianopoli,& Nicopoli in Thracia, Bizantij, & Thessalonicæ in Macedonia. in Cypro quoque insula, & vbique gentium aduictus est Geta. Tecta sunt flumina scutis, spatis, lanceolis: omnia littora operta, campi ossibus contecti: Græcia, Mœsia, Thracia, Illyricum liberatæ. Ægyptus recepta est: quamobrem clypeus aureus,& statua aurea in Capitolio ponenda, decreta est Claudio. Qui cum inde Pannoniam reuertitur, Sirmij mortuus est, posteaquam imperauit annum vnũ, menses nouem. Claudij tempestate scurra quidam dixit, in vno annulo bonos principes posse scalpi.

Claudius Imperator omnium principum decus.

Claudius arma mouet in Gotos.

Goti victi.

Claudius Sirmij moritur.

Dictũ scurræ.

CLAVDIVS CÆSAR AVG
P. M. TR. P. IMP. S. C.
IMP. C. CLAVDIVS VVG.
ANNONA AVG.

QVINTILIVS XXXVI.

F. QVINTILIVS frater Claudij, Italici præsidij dux, vbi nuncius in vrbem de Claudij morte venit, Augustus à Senatu adpellatus est. Exercitus interim Aurelianũ Imperatorẽ legit. Quintilius septima decima imperij die, Aquileiæ à militib. occiditur.

Quintilius Claudio fratri succedit & 17. die Imperij occiditur.

AVRELIANVS XXXVII.

VALERIVS Aurelianus, princeps magis necessarius, quàm bonus (quod clemẽtia præcipua Imperatorum dote caruerit, teste etiam Diocletiano Imperatore) potitus est rerum annos quinque, menses sex. Goti, Alani, Roxolani, Vandali, Sarmatæ, Danubij Orientalis accolæ Illyricum vastant, diripiunt. Marcomani, Sueui, Vindelicum occupant, in seruitutem redigunt,& Rhætias depopulantur. Inde in Italiam iter faciũt,

Illyrici vastatio.

Seditio Romæ orta.

circum Mediolanum omnia terrore complent. Cuius belli metu ingens seditio Romæ orta est: pauentibus cunctis ne eadem, quæ sub Galieno, euenirent. Iussu Imperatoris libri Sibyllini cõsulti, & inspecti, proditi versus, lustrata vrbs, cantata carmina, amburbium celebratum, ambaruualia vota sunt. Dij falsi propiciati, verus Deus neglectus est. Aurelianus contra Gotos crebris præliis dimicauit, victorque prouincias liberauit. Canabaudes dux Gotorum periit: captæ sunt, & decem mulieres, virili habitu inter Gotos pugnãtes: aliæ quoque multæ prælio fortiter resistentes ceciderunt, quas triumphatas de Amazonum esse genere titulus prædicabat. Cum autem Aurelianus Illyricum vastatum, ac Mæsiam exhaustam cultoribus esse videret, prouinciam transdanubianam, quam Daciam veterem nominabant, à Traiano constitutam (Sibenburgenses Germani, literatores septem castrenses vocant) sublato exercitu, & prouincialibus translatis, reliquit: desperabat eam posse retineri: abductos ex ea populos in Mæsia collocauit: adpellauitque suam Daciam, quæ Mæsias diuisit. Restituto Illyrico, pacatóque Danubij limite, inde Italiam liberaturus omnibus copiis petit. Placentiæ clade exitiosa exceptus est à Marcomanis. Germani enim quod aperto Marte congredi non possent, in syluas se densissimas contulerunt: atque in Romanos vespere incumbente, irrumpunt: exercitus constipatos multitudine turbant, ingentique strage adficiunt. Et nisi (vt scribunt Romani authores) diuina ope, post inspectionem Sibyllinorum codicum, sacrificiorum cæremonias solennes, monstris quibusdam ac visis & speciebus diuinis impliciti fuissent Germani, Romanum solutum fuisset imperium. Deuicto ita cælestibus armis Marcomano, Vindelici quoque seruitute liberati sunt. Oriens post hac, deuicta Zenobia, quæ ibi hactenus imperarat, receptus est. Gallias adhuc Tetricus (qui post victoriam ibi Imperator salutatus) tenebat. ipse, quod inuitus regnaret, apud Catalanos exercitum suum deseruit, ac prodidit, ad Aurelianum confugit. Misera tum erat conditio Ducum, eorum præcipuè, qui bellica gloria præter cæteros eminebant. Imperiũ offerentibus militibus, atque mortem recusanti intentantibus, resistere non licebat. Agenda erat persona, quam miles imponebat. Recepto ita Imperio, princeps iam lupum auribus tenebat, quem nec dimittere, nec retinere tutum erat. Franci quoque transito Rheno sub idem tempus Gallias vastant, in Mogontino agro tamen oppressi sunt: in Germaniamque transrhenanam compulsi. Idcirco hoc carmen passim vulgo decantari cæptum:

Aurelianus Imperator contra Gotos bellauit.

Canabaudes dux Gotorũ periit.

Aureliani Dacia.

Illyricum restitutum.

Tetricus ad Aurelianũ profugit.

Franci Galliam vastantes oppressi.

Mille Francos, mille Sarmatas, semel occidimus,
Mille mille, mille mille, mille Persas quærimus.

Contra hos, dum post indictum bellum Aurelianus expeditionem parat, & contra nos vt hostes deorum suorum, & Reipub. morem Senatui, populóque Romano gerens, pessimisque consultoribus & auaris obsequens, sæuit: Fulmen iuxta eum, eiusque comites dè cælo ruit. Ipse inter Heracleam, & Constantinopolim occisus est errore militum, apud quos commenta plurimum valent, dum irati, plerumque temulenti audiunt, & credunt quælibet, consiliorum prope semper expertes. Eadem tempestate, prouinciarum, quas maiores nostri pulsis Romanis occuparunt, dux fuit, & legatus Bonosus Hispaniensis: origine Britannus bibit quantum hominum nemo. De hoc Aurelianus Imperator sæpè dixit, Non vt viuat natus est, sed vt bibat. Eum in honore habuit Aurelianus caussa militiæ. Nam si quando legati Germanorum venissent, ipsis propinabat, vt hosce inebriaret, atque ab his per vinum cuncta secreta cognosceret. Ipse quantum libet bibisset, semper securus, & sobrius, & adhuc in vino prudentior. Quantum bibit, tantum minxit: nec vnquam pectore, aut vesica aut ventre grauatus est. Cum Romanis Romanas luxurias incendissent, timore ne pœnas daret sumpsit Imperium diutiusque tenuit, quàm rebatur. Longe namque, grauique certamine à Probo superatus, laqueo vitam finiuit. Tunc quidem iocus extitit, amphoram pendere, non hominem. Vxor eius Goticæ gentis nobilissima, regio genere orta, Chunila nomine, quam ei nuptam tradiderat Imperator Aurelianus, vt per eam a Gotis cuncta cognosceret.

Aurelianus errore militum occisus.

Bonosus dux bibacissimus Aureliani de Bonoso dictum.

Bonosus Imperium arripuit.

Bonosus à Probo superatus laqueo vitam finiit.

Chunila Bonosi vxor.

IMP. AVRELIANVS AVG.
FORTVNA VELOX

IMP. C. AVRELIANVS AVG.
ORIENS AVG

IMP. C. AVRELIANVS AVG.
IOVI CONSERVATORI

IMP. C. AVRELIANVS AVG.
CONCORDIA MILITVM

TACITVS XXXVIII.

P. ANNIVS Tacitus, à Senatu lectus est. Occiso Aureliano, exercitus ad Senatum scripsit, ex Senatorioque ordine principem petiit. Rursus rem Senatus ad exercitum retulit: idque sæpius factum. Ita per sex totos menses orbis Romanus sine imperatore fuit. Tacitus sexto mense Imperij Tharsi à militibus occisus est. Cornelium Tacitum Augustæ historiæ scriptorem, quod authorem generis sui diceret, in omnibus Bibliothecis collocari iussit: singulisque annis describi aliquoties, ne incuria deperiret. Verum nihil hæc diligentia profuit scriptori præstantissimo, semilacer est sine capite, sine pede. Quinque Primi libri & hi non integri, superioribus annis in Germania inuenti, à Leone Pont. Max. editi leguntur. M. Annius Florianus frater Taciti Imperium citra authoritatem Senatus, quasi hereditarium arripuit: sexagesimo Imperij die Tharsi interimitur à militibus, qui iam Probum imperare audierant, quem omnis delegerat exercitus, Senatus optauit, populus Romanus acclamationibus petiuit. Dum ita Imperatores scelere militari pereunt, Germani rupto Rhenano limite, occiso Posthumo legato, Gallias nemine resistente, securi inuadunt, diripiunt, omnes Gallias occupant, septuaginta nobilissimas vrbes capiunt. Danubij quoque accola in Rhetias, Vindelicumque irrumpit, Illyrici prouincias depopulatur.

P. Ann. Tacitus Imperator ex ordine senatorio lectus.

Tacitus occisus.

Cor. Taciti historiæ sæpe descriptæ, sed mutilatæ.

M. An. Florianus frater Taciti Imperiū arripuit, & postea interfectus.

Galliā Germani inuaserunt, & 70. vrbes nobiliss. ceperunt.

Casparus VVintzerer Vir nobilis natione Boius, eques auratus, & in disciplina militari exercitatissimus, ex Strubiis attulit.

IMP. C. CL. TACITVS AVG.
PROVID. DEOR.

IMP. C. M. CL. TACITVS AVG.
PROVIDENTIA AVG.

PROBVS XXXIX.

AVRELIVS Valerius Probus omnium bonorum iudicio Imperator factus Sirmio oriundus fuit. Germanos Galliis exturbauit, captas vrbes recepit. In Germania trans Rhenum ad Nigrum flumen: trans Danubium verò ad Albim, quem intercidisse quidam dicunt, & nos Alemanum nuncupamus, deuenit, ibique castra locauit. Alius est Albis, fluminum Germaniæ maximus, Germaniam Magnam in duas secat partes: per Boiemios, & Saxonas fertur, apud ceruicem Cimbricæ peninsulæ sinui Codano miscetur. Probus Germanos Rhenum contingētes ad pacem coëgit, & amicitiam: sexdecim millia Tyronum ab illis oblata limitaneis distribuit. Inde pacauit Rhætias, Vindeliciamque & Illyricum: factoque fœdere cum Germanis Danubium accolentibus, centum millia Balternorum in Romano solo collocauit. Item & alias nationes Gepidas, Guthungos. Vandalos per Romanas diuisit prouincias. Hi (occupato Probo bellis ciuilibus aduersus Tyrannos) per totum orbem Romanum vagati, multum cladis maiestati Romanæ intulerant. Bonosus quoque, ac deinde Proculus apud Agrippinam Imperium arripiunt, Gallias Hispanias, Britannias occupant. Germani transrhenani, Franci, ad societatē belli inuitati sunt: sed Probus peculiari cælestis numinis fauore, victor vbique, quietam, pacatámque Rempublicam reddidit, oppressis vbique gentium hostibus: adeò vt dicere solitus sit, amplius non opus fore militibus. Qui hoc dicto exulcerati, Sirmij in natali solo principem, non solùm nomine, verùm etiam re probum, fugientem in turrim ferratam (quam speculæ caussa altissimam & latissimam ædificarat) interimunt. Imperauit annos sex, menses quatuor. Gallis, Hispanis, pannoniis Prouincialibus per Europam, vites colere, contra maiorum instituta permisit, & vinum conficere. Sæuit vitibus militari manu montes, Almū prope Sirmium, & Aureum in superiore Mœsia. Idem Casparus VVintzerer nobis dedit, harum rerum cultor, & antiquitatis admirator.

Aurel. Val. Probus Imperator Sirmio oriundus, Gallias à Germanis liberauit.

Bonosus & Proculus Imperium arripuerūt.

Probus in patria occisus.

Probus per Europam vites coli permisit.

IMP. C. PROBVS P. F. AVG.
CONCORDIA MILIT.
XXIII.

IMP. C. M. AVR. PROBVS P. F. AVG.
SOLI INVICTO.

IMP. PROBVS P. F. AVG.
PAX AVGVSTI
XXI.

IMP. C. PROBVS P. F. AVG.
CONCORDIA MILIT.
XXI. S.

CHARVS XL.

Chari filij Cæsar. designati. Numerian. adolescens poeta. Charus Romanas prouincias liberauit. Fulmine ictus periit. Arrius Aper præfectus Imperii ambiens. Numerian. occisus.

M. AVRELIVS Charus interfecto Probo, Imperator declaratur: statimque liberos suos Cæsares designat, Charinũ ad Gallias contra Germanos tutandas cum lectissimis viris dimittit: secum Numerianum adolescentem cum lectissimum, tum disertissimum oratorem, & poëtam sui temporis potentissimum retinuit. Danubij accolę audita morte Probi, ferociter Danubium transeunt, Pannonias inuadunt, minantur se non solùm Illyricum, sed etiam Thraciam, Italiamque peruasuros. Charus fortiter occurrit, in Germaniam pellit, prouincias Romanas liberat. Inde contra Persas arma vertuntur. Vbi Imperator victor totius gentis, castra super Tigride habens, fulmine ictus de cœlo periit. Numerianus æger oculis vehebatur lectica, ipsum Arrius Aper præfectus prætorio, socer eius, Imperium ambiens, dolo interfecit: cadauer aliquot dies occultatũ fœtor prodidit. Diocletianus domesticos regens, Vir insignis & callidus amansque Reipubl. Aprum sua manu confodit. Imperarunt annos duos. Eiulasius hoc tempore præsedit Vindelicis, & Noricis.

IMP. M. AVR. NVMERIANVS
AVG. MARS VICTOR
S. C.

DIOCLETIANVS XLI.

Diocletianus post M. Antoninum philosophum principum optimus. Val. Maximianũ Herculeum Pannonem adoptauit. Rusticorũ factio deleta. Æliandus. Duces. Amandus.

C. AVRELIVS Valerius Diocletianus Iouius, Dalmata, Imperator ab exercitu Persico creatur, à Senatu comprobatur. Post M. Antoninum Philosophum principum optimus: adeò vt ne adulatio quidem meliorem confingere queat. Adoptauit M. Aurelium Valerium Maximianum Herculeum Pannonem, Imperiique participem fecit, quo conscio iam pridem Diocletianus Imperium animo inuaserat. Charino inde Cæsaris filio Chari Imperatoris interempto, factionem rusticorum (quæ sibi Bigaudarum nomen indiderat, & ducibus Æliando, & Amando per Gallias grassabatur) deleuere Imperatores. Carausius tanti tumultus concitator, & caput eius mali in Britanniam aufugit, eamque intercepit: exercitúmque ad inferiorem Germaniam per Rhenum mittit. Præfecti erant superiores Amandus, & Æliandus. Contra hos profecti principes sunt, accitis etiam longinquis auxiliis. Et dum hæc geruntur ecce tibi omnes Germaniæ gentes bellorum auidæ, Burgundiones, Alemani, Heruli viribus primi, locis vltimi, & plærique alij, excidium Galliæ, prouinciisque cæteris Romanorum comminati, in Gallias, Rhætias, Vindelicum, Noricum irrumpunt, irruunt. In Mæsiis quoque, & Pannoniis aduentu hostium trepidatum. Nec Persæ quieuere. Intonuere etiam ciuilium armorum fulmina. Achilleus totam AEgyptum occupauit. Carausius Britannias tenebat. Quinquentiani (tot erant milites tumultus authores) Africam inuasere. Omnia vbique ferro, flamma vastabantur. Prouinciæ ad solitudines redigebantur. Vndique ita sæuis bellorum turbinibus Maiestatem Romanam conquassantibus, quo facilius, citiusque tranquillitas redderetur orbi terrarum, duo Cæsares ab Augustis declarantur, Fla. Constantius Chlorus præses tum Dalmatiæ, quem Charus quoque Imperator Cæsarem designare (quod nemo tunc melior vir videbatur) decreuerat, ex Mœsia, & Histro oriundus fuit. Alter Cæsar Galerius Maximianus, Armentarius (quod armentorum pastor fuerat) cognominatus, Daciæ Ripensis ciuis fuit. Et vt hi adfinitate coniungerentur, Galerius Valeriam Diocletiani filiam duxit vxorem: Constantius repudiata vxore sua Helena, matre Constantini (quam Diuus Ambrosius stabulariam Treueris fuisse, abs Constantio ob eximiam pulchritudinem adamatam tradit) in matrimonium accepit Theodoram, priuignam Maximiani Herculei, ex qua sex liberos fratres Constantini sustulit. Constantius Galliis, Hispaniis Britanniis præficitur. ipse Germanis bellum indicit. Germani fortiter eum circa Lingonum vrbem armis excipiunt, fundunt, in fugam vertunt. Constantius vix fuga elapsus ad proximam vrbem aufugit: cuius portæ metu hostili clausæ erant, ac nisi fune demisso per mœnia sublatus fuisset, in Germanorũ manus viuus deuenisset. Reparatis deinde viribus cum Germanis congressus, victor Gallias liberauit, Romanis legibus reddidit: cum Germanis fœdus icit.

Achilleus. Carausius, alii tranfint.

Britan-

Britannias per Asclepiodotum præfectum prætorio recepit. Maximianus Herculeus in Africam transit. Diocletianus Ægyptum sibi deposcit. Galerius Maximianus Rhætias, Vindelicum, limitem Danubianum, & Histro contiguas prouincias sibi tutandas desumit. Pacatis Histri accolis, stipendio & militiæ adscitis, ac quibusdam in Romanum solum translatis, Burgundionum parte intra Rhenum & Nigrum fluminibus distributa, Persas aggreditur.

Bellum Persicum.

Primo victus à Persis ad Diocletianum fuga elapsus venit: ante carpentum indignabundi Diocletiani non admissus, purpuratus pedes cucurrit aliquot millibus, Reparatis tamen ex Germanis, & limitaneis Histri exercitibus copiis, rursus Persas adoritur. Ipse in Armenia maiore cum duobus equitibus explorauit hostes, & cum viginti millibus militum superuenit castris hostium, subito innumera Persarum agmina adgressus Narseum Regem turpi fuga salutem quærere cogit: vxore eius ac filiabus potitur: Summa eas pudicitiæ custodia reseruat.

Narseus.

Quamobrem Persa ad pacem illectus cum Romanis fœdus icit.

Persarum fœdus cum Romanis.

Mesopotamiam cum quinque populis trans Tigrim Romano Imperio reddidit. Hæc pacis conditio vsque ad Diui Constantini mortem durauit. Ita terra marique parta victoria, restitutaque felicitate Reipub. & orbi Romano pace, Augusti triumpharunt. Quatuor tum principes mundi, fortes, sapientes, benigni, & admodum liberales: idem in Repub. sentientes, graues, religiosi, amatores Senatus, populique Romani, quales optari solent, Romanum Imperium, orbemque terrarum administrarunt. Diocletianus tanquam communis, & supremus parens arcem tenebat. Cæteri vt apparitores vltro citroque discurrebant, Diocletiano obtemperabant. Erat Diocletianus callidus, amans Reipubl. ad omnia paratus: alti consilij. & prudens, & qui operam nauaret, vt vita, & clementia quàm simillimus M. Antonino esset.

Diocletiani calliditas & prudentia.

Veterum Imperatorum res gestas studiosissime inquisiuit, literis quoque mandari iussit. Eius verba hæc quæ subscribam, fuisse scribit Vopiscus: Nihil difficilius est quam bene imperare, colligunt se quatuor vel quinque, atque vnum consilium ad decipiendum Imperatorem capiunt. Dicunt ex composito quicquid libet. Imperator qui domi clausus intra cubiculum est, vera non nouit, facit iudices, quos fieri non oportet: amouet à Republ. quos debebat obtinere: bonus, cautus, optimus venditur Imperator.

Nota. Diocletiani dictum.

Eidem displicebat Maximiani sui asperitas, quam cum deprehendisset, dixisse fertur: Primam docem Imperatorum clementiam esse: quamobrem Aurelianum ob nimiam sæuitiam magis ducem esse debuisse, quam Imperatorem.

Prima dos Imp.

Omen Imperij Diocletiano in Germania inferiore apud Tungros contigit. In caupona quadam cum rationem quotidiani conuictus faceret, anicula quædam ipsum increpans dixit: Nimium auarus, nimium parcus es Diocletiane, qui ioco respondit: largus ero, cum Imperator fuero: subiunxisse anus fertur, Imperator eris, cum aprum occideris. Tum vbi fuit occasio semper apros in venatu manu occidit Diocletianus. Et cum Aurelianus, Probus, Tacitus, Charus Imperatores salutarentur, dixit, ego semper apros occido, sed alius vescitur semper pulpamento.

Omen Imperij Diocletiano contigit.

Idcirco Arrium Aprum, præfectum prætorio sua manu occidit, ac gloriare Aper (inquit) magni Æneæ dextra cadis. Et cum interfecisset, ait, Aprum fatalem occidi: vt impleret aniculæ dictum, & suum firmaret Imperium. Alioquin haud tali crudelitate princeps clementissimus auspicaturus Imperium.

Arrius Aper occisus.

Quando autem (quemadmodum explicauimus) leui admodum momento milites impulsi, ab Imperatoribus manum, & ferrum non abstinebant vt posthac Imperatoria Maiestas sacrosancta foret, adorari se Diocletianus ab adeuntibus non aliter, quam vt Deum, more Regum Persarum, iussit, edictoque sanxit, vti omnes adituri principem, eius pedibus acciderent, ipsosque oscularentur. Antea Imperator in modum Iudicum salutabatur, & clamyde purpurea dumtaxat à priuato habitu discernebatur: Diocletianus gemmas vestibus, & calceamentis inseruit, id quod & C. Caligulam fecisse memorant.

Diocletianus se adorari iussit.

Morem istum adorandi Romani Pontifices pertinacissimè æmulantur, qui si Christum ament, oues pascant. Salua est Respublica Christiana, quæ adtrita est sub Diocletiano. Nam anno Imperij Diocletiani quartodecimo, à Christo nato seruatore nostro, ducentesimo super primum, Titus Veturius Magister militiæ, Christianos milites, quasi hostes deorum, & principum, quos adorare nollent, exauthorauit, neci dedidit, eorum bona vsurpauit. Paulatim deinde eadem crudelitas glíscens, authore Galerio Maximiano, cæteros nostræ religionis consecraneos adegit, & inuoluit.

Titus Veturius persecutus Christianos.

Atque hunc ignem excitarunt superbia, & vitia Episcoporum nostrorum, qui Tyranni potius (ait Eusebius) quàm sacerdotes modestia Christiana reiecta, spiritus Tyrannorum sibi sumpserant. Quanto igni nunc opus est, vt excoquantur crimina nostra? Cœlum ipsum petimus stultitia: neque per nostrum patimur scelus, iracunda Deum ponere fulmina. Anno priore quam Diocletianus se imperio abdicaret, Ecclesiæ Christianorum ipsis paschalibus subuersæ sunt: multitudo in nauicula imposita in mare præcipitata est. Ciuitas in Phrygia cum populo, quod ciues omnes Christiani essent, à militibus combusta, bona nostra à prætoribus occupata, populus Dei trucidatus, literæ sacræ exustæ sunt.

Sub Diocletiani Imperio Ecclesia Christiana euersa.

Atque

Atque is furor sæuissimè per continuos quatuordecim annos, sub decem principib. in nos debacchatus est. Altero huiusce imperatoris anno, Diocletianus, posteaquam viginti imperauit annos, Imperium Nicomediæ exuit: in priuatum ordinem se redegit. *Spalatum.* Non longè à Salonis vrbe Dalmatiæ (Spalatum vulgus nominat) in villæ suæ palatio consenuit, agricultura, maximè hortorum voluptati operam dedit. *Diocletianus inter deos relatus.* Vixit ibi annos decem: mortuus est anno vitæ duodeoctogesimo, & solus omnium priuatus inter deos refertur. *Maximianus Herculius strangulatus.* Maximianus Herculius idem facere à Diocletiano coactus, purpuram principum insigne, inuitus Mediolani deposuit. Postea Imperium arripere tentans iussu Constantini generi sui, cui insidiatus fuerat, Massiliæ strangulatus est: homo sæuus, truculentus, sanguinis, cædisque auidus: fortis, & rei bellicæ peritus, genuit ex Eutropia Syra muliere Maxentium, & Faustam coniugem Constantini, cuius patri Constantio Theodoram priuignam nuptum collocarat. *Carus Aquilius dux.* Carus Aquilius Vir Consularis, hisce temporibus Vindelicis limitis dux fuit Romanus. *Eleutherius.* Sub idem tempus anni domini CC LXXXIX Diuus Maximilianus Vindelicorum, atque Noricorum Archimystes Laureacensis, Celeiæ pro Rep. Christiana se deuouit. Succedit Eleutherius, à Xysto pont. Max. datus: huic D. Quirinus filius philippi præsidis pannoniæ.

IMP. DIOCLETIANVS
AVGV.

GENIO POPVLI ROMANI
S. F.

PRIMI DECENNALES
COS. III.
S. C.
M. VAL. MAXIMIANVS AVG
NOB. C.
VOT.
X. X.
Z.
IMP C. MAXIMIANVS
P. F. AVG.
SACRA MONETA AVGG.
ET CÆS. NOSTR.
MAXIMIANVS NOS. CÆS.
GENIO POPVLI ROMANI
R. T.
T. R.

Columnam marmoreā supra in Augusto reperies, quæ hisce Imperatoribus posita est.

CONSTANTIVS XLII.

Constantius Chlorus & Galerius Maximianus Armentarius Augusti appellati. FL. CLAVDIVS Constantius Chlorus, & Galerius Maximianus Armētarius, Augusti à Senatu adpellantur: vbi Diocletianus, & Aurelius Maximianus, repudiatis rerum gubernaculis, priuatam degere vitam decreuerunt. *Eutropius pater Constantii.* Constantius natus patre Eutropio, Dardanæ gentis nobilissimo viro, & matre Claudia, filia Claudii Cæsaris Augusti, Africæ, & Italiæ administrationem recusauit Gallias, Hispanias Britānias retinuit, & quietè possedit: cætera collegæ permisit. Fuit natura clementissimus, diuitiarum contemptor. In conuiuiis aurea pocula ab amicis commodato accipiebat, vt abacum exornaret: paucissimis contentus, à fictilibus non abhorrebat. Eius liberalitate deuincti Germani ab armis cessarunt. *Gal. Maximianus duos Cæsares creauit.* Galerius Maximianus, cum Constantius Africam, & Italiam reliquisset, duos Cæsares creauit Seuerum, & Galerium Maximinum, sororis suæ filium: hunc Orienti & AEgyptum, illum Italiæ, & Africæ præfecit, ipse in Illyrico medius versabatur. Hic cum Constantinum ob fidem à patre datum Romæ teneret, eiusque saluti insidias tenderet, Cōstantinus sibi fuga consuluit: quaqua inter fecit publica iumenta, ad frustrādos vestigia insequentes, occidit. Ad patrem Constantium incolumis in Britanniam peruenit, quem morbo lethali adgrauatum offendit. Constantinus Germanos sibi stipendiis conciliat, Regem Germaniæ Crocum nomine, auxilii gratia cum copiis ad se trahit. Eius ope Imperii habenas mortuo patre, occupat. Imperauit Constantius, vt Augustus, annos duos, inter deos relatus est.

IMP. CÆS. GALERIVS MAXIMIANVS INVICTVS
AVG. P. M. GERM. AEGYP. TAEBAICVS SAR.
QVINQVIES PERSICVS BIS CARPICVS
SEXIES ARMENICVS MEDORVM ET ADIA.
BENORVM VICT. TRIBVNICIAE POT.
VICIES IMP. DECEMNOVIES CONSVL OCTIES
P. P. PROC.

IMP. CAES. FL. VAL. CONSTANTIVS PIVS FELIX
INVICTVS AVG. P. M. TR. POT. IMP. V. COS. IV.
P. P. PROC.

IMP. CAES. GALERIVS MAXIMINVS GERM.
SARM. P. F. INVICTVS AVG.

FL. IVL. CONSTANTIVS
PROVIDENTIAE
CAESSEANO

DN. CONSTANTIVS P. F. AVG.
FEL. TEM PRAEPARATIO
A. Q. S.

CONSTANTIVS NOB. C.
GENIO POPVLI ROMANI.

CONSTANTIVS AVG.
DALMATIA DEVICTA

CONSTANTINVS XLIII.

MEL. VALERIVS Conſtantinus, maximus, pius, fœlix, ſemper Auguſtus Conſtantij Pij filius, anno ab reſtituta ſalute trecenteſimo ſuper decimum, perſecutionis vero anno quarto, à patre gubernacula per manus accepit, tenuitque cum Galerio Maximiano Armentario Auguſto annos quatuor: cum M. Valerio Licinio Liciniano particeps Imperij ſexdecim: cui accito Mediolanum ſororem ſuam Conſtantiam in matrimoniũ dedit: ipſum Galerius Maximianus Carnunti Auguſtum adpellarat. Eadem tempeſtate poſteaquam Conſtantius naturæ conceſsit, Maxentius filius Maximiani Herculii Romæ à Senatu & prætorianis Auguſtus nuncupatur. Apud Africam Alexander Imperium arripit. Orientem tum, atque Aegyptum gubernabat Galerius Maximinus. Seuerus Italiam tenebat, cui attribuebantur Rhætiæ, & Vindelicia, quam Boij nunc tenent. Galerius Maximianus Illyricum, cuius pars eſt Noricum, poſsidebat. Valens quidam, haud ſcio vbi, res nouas eo quoque tempore molitus eſt. Romanus tum orbis tot principibus regebatur. ſub quibus perſecutio, quæ ſub Diocletiani vltimis annis cæpit, ſub Conſtantio progreſſa, per diuerſas orbis Romani partes, omnium grauiſsima in nos crudeliſsimè graſſata eſt. Nam Galerius Maximianus author fuit huius crudelitatis, Maximianus ab Hieronymo vocatur. Senatus conſulto Eccleſiæ Chriſtianorum deſtructæ ſunt, diuini libri ignibus traditi: omnes inſulæ, metalla, carceres, confeſſorum, & Martyrum gregibus catenatis impleti. Chriſtianum nomen conati ſunt principes, quaſi ex Senatus conſulto extinguere: Chriſtiani vrbibus edicto perpetuo in æs inciſo eliminati ſunt. Nulla acceptabilior hoſtia dijs immortalibus, quàm inuiſum genus Chriſtianum, credita. De crudelitate in fœminas perpetrata pudet referre. Mortium, & pœnarum genera enarrare maius eſt viribus noſtris: cruciamenta ingenium ſuperant meum. Citra rationem ætatis, ordinis, ſexus, in omnes ſæuitum, tum templum Dei euerſum, iuſtus populus laceratus, veritas abiecta iacere videbatur: Senatus, Philoſophi, milites, iudices, principes nos lacerarũt, vexarunt. Infinita hominum millia per prouincias cunctas, & vrbes pro Chriſto quotidie occiſa ſunt: alii in flumen præcipitati, alij ſecti, alij exuſti ſunt. Tum apud nos, & in prouincijs, quas Boij incolunt, interempti ſunt, Diuus Maximilianus Archimyſtes Laureacenſis, Florianus Tribunus cum quadraginta militibus, Quirinus, Victorinus Petauionēſis Epiſcopus, quorum Diuus Hieronymus meminit. Mauritius cum legione, & Afra, & plerique alij. Iudices inhiantes poſſeſsiunculis noſtris, plus audebant, quàm iubebantur. Ex quorum numero quidam in Bithynia, author in primis faciundæ perſecutionis fuerat, quo ſcelere non contentus, etiam ſcriptis quos adſtruxit, perſecutus eſt. Extiterunt quoque, qui ſe Antiſtites philoſophiæ profitebantur, ſub pallio, & barba, ac capillis vitia ſua tegendo, authoritate falſi nominis ad amicitias iudicum miro modo penetrabant. Ipſi tempori ſeruientes contra noſtram religionem, nomenque Chriſtianum libros euomuerunt, in quibus profeſsi ſunt, ante omnia officium eſſe philoſophi, erroribus hominum ſubuenire, atque illos ad veram viam reuocare, id eſt immortalium cultus deorum: quo-

Conſtantinus pius, felix cum Gal. Max. Armentario imperium tenuit.

Furor in Eccleſias Chriſtianas.

Martyres.

Philoſophiæ Antiſtites, Chriſtianiſmi hoſtes.

Philoſophi officium ſecundum hos philoſophiæ Antiſtites.

rum: quorum numine, & maiestate (vt illi dicebant) mundus gubernaretur, nec pati homines imperitos quorundam fraudibus inici, ne simplicitas eorum prædæ, ac pabulo sit hominibus astutis. Itaque se suscepisse hoc munus philosophia dignum, vt præferrent lumen sapientiæ non videntibus: non tantùm, vt susceptis deorum immortalium cultibus resanescant, sed etiam vt pertinaci obstinatione deposita corporis cruciamenta deuitent, nec sæuas membrorum lacerationes frustra perpeti velint. Deinde efferri in principum laudes, quorum pietas, & prouidentia in defendendis religionibus claruisset: consultum esse tandem (aiebant illi philosophi) rebus humanis, vt cohibita noua, impia, & anili superstitione, vniuersi homines legitimis, & auitis sacris vacarent, & propicios deos sibi experirentur. Verum nostri fieri diuinis muneribus, cœlestibusque beneficiis irrisere huiusmodi nebulones, vt de quorum mentibus aduersum nos maligni genii depugnarent. Et qui profiterentur se illuminaturos alios, cum cæci essent: reducturos ab errore, cum ipsi ignorarent vbi pedes suos ponerent: eruditurus ad veritatem, cuius illi ne scintillam vnā quidem vidissent aliquando: quippe cum sapientiæ professores profligare sapientiam niterentur. Quamuis tot malis peteretur veritas, emicuit tamen, ac vicit clarissimumque de hostibus egit triumphum, adeò vt claritas eius etiā Imperatoribus apparuerit manifeste.

Gal. Maximianus, itēque Gal. Maximinus persecutores Ecclesiæ sæuissimi. Cōstantinus pacem restituit, & Licinium interfecit.

Galerius Maximianus sæuitia in Christianos insignis, vsque ad infamiam frustra pœnituit, quod innocente Christianorum sanguine se maculasset: pro eius salute & vita frustra Christo preces decretæ. Simili fato & sera pœnitentia defunctus Galerius Maximinus, sæuissimus omnium, non mitior in nos in Oriente, & Aegypto fuit. Tharsi, vitam amissis luminibus, inedia simul & laqueo finiuit: violatæ pietatis pœnas dedit Maxentius Seuerum occidit: ignem persecutionis in nos Romæ edicto extinxit. Constantinus vocatus a Senatoribus Maxentium, & Alexandrum interemit. Licinius Valentem. Constantinus tandem decimo Imperij sui anno pacem nostris reddidit. Licinium, quod Christianos è palatio exegisset, in nosque sæuiret, armis superauit, purpura exuit, priuatum Thessalonicæ occidit, sexagesimum tum agentem annum. Literarum hic hostis fuit, quas Reipublicæ perniciem vocabat. Aulica famulicia mures, & tineas verissime adpellabat. Rebus bellicis clarus extitit, oriundus ex Dacia Ripensi. Romani rerum domini, dum cultum Dei Opt. Max. expugnare, ac radicitùs excindere conantur, deos suos prodidere, superstitionem suam funditus euerterunt, religionem nostram stabilierunt. Ex sanguine Christianorum guttatim soboles noua renata est, edicto publicè, iussu Constantini aræ deorum euersæ, templa deorum clausa sunt. Totius orbis consensu, veritas inuicta tot aduersitatibus, recepta est: Christusque depulsis diuinitate dijs falsis, triumphauit. Dij in ædes paucorum diuitum compulsi, in culminibus, velut bubones, delituerunt.

Arrius Constantiæ viduæ Licinij sacerdos, dogma suū in Ecclesiam sparsit. Tatius Cyrillus.

Dæmones perdita diuinitate, domesticos templo Dei, excitarunt inimicos. Vix cultores deorum viceramus Arrius sacerdos, Cōstantiæ viduæ Licinii, sorori principis insinuatus (Diuum Hieronymum sequor) virus in philosophiam Christianam effudit. Conuentus Christianorum Pontificum Niceam Bithyniæ vrbem à Constantino indictus: pestiferi hominis errorem impientissimum redarguit & explosit. Constantinus laudis auidus fuit, bellis fortunatus, eloquentiæ, & literarum amator. Romanorum principum historias memoriæ literarum commendandas curauit: per Tatium Cyrillum è Græcis in Latinam linguā verti iussit. Habitum Imperatorum gemmis, & diademate perpetuò auxit. Cum Germanis Rhenum contingentibus, quorum auxilio imperium nactus fuerat, pacem habuit: eos muneribus placauit. Goti, & Orientales Germani Thracias vastarunt, cum præda domum reuersi sunt. Constantinus Danubium ponte iunxit, in Germania transit, hostes cōtudit.

Gebericus Rex. Sueui à Fl. Iul. Crispo victi.

Gebericum Regem filium Hylderici in fœdus donis traxit: cum Gotis pacem firmauit: Germanis notissimus fuit, quorum opera in bellis vsus est. Præfecit limiti Danubiano Fl. Iul. Crispum filium suum: Cæsarem eum adpellauit: is Sueuos deuicit, transtulit trans Histrum in Pannonias. Vandalos, & partem horum Burgundionas, ad Rheni, Danubiique ripas deinde distribuit. Germaniæ hæ nationes sunt: Rex earum Visomarus erat. Paulo ante Constantini Imperium à Vistula, & sinu Venedico, Codanoque per integrum annum profecti, ad ripas Histri, Marisiæque consederant: vbi ab Oriente Getas contingebant, à Meridie Danubium, ab Occidente verò Quadis, Marcomannis, hoc est Sueuis, à Septentrione Hermonduris contermini erant. Burgundiones partem Sueuiæ, iuxta Danubium occuparant. Franci etiam vastatis Galliis, Hispanias inuaserant. Constantinopolim ipse Constantinus nuditate omnium vrbium (ait diuus Hieronymus) dedicauit. De eo vulgo iactatum est, decem annis præstantissimus, duodecim latro, decem pupillus ob immodicas largitiones.

Fausta nouerca Crispi Crispum ob maritum Fausta à patre interfectus.

Crispum filium (quem ex Mineruina concubina sustulerat) Fausta nouerca de stupro interpellat, renitentem adolescentem ad patrem defert: vim eundem sibi inferre voluisse mentitur. Constantinus credulus verbis vxoris, filium Polæ in Histria interfecit. Erudierat hunc literis Lactantius, vir omni suo tempore eloquentissimus: sed adeo pauper in hac vita, vt plerunque necessariis indiguerit, ne dum deliciis diffluxerit. Occisus est & Licinius iunior, filius Licinii Augusti, & Constantiæ sororis Constantini,

stantini, fraude Faustæ, ne filius eius officere posset: Tandem & ipsa Fausta à Constantino marito in ardentes balneas proiecta, extincta est. Helena filium ob nepotem interemptum increparat, & Fausta Constantinum sæpius ad sacrificandum diis impulerat. Consul Ablauius disticho clam Palatinis foribus adfixo, domum Constantini notauit.

Saturni aurea secula quis requirat?
Sunt hæc gemmea, sed Neroniana.

Quia scilicet prædictus Augustus (recitat Sydonius Aruernorum Episcopus) iisdem temporibus coniugem Faustam calore balnei, filium Crispum frigore veneni extinxerat. Qui dum senex expeditionem in Persas meditatur, morbo correptus, in extrema ætate lauacro cælesti more Christiano tinctus est ab Eusebio Nicomediæ pontifice, in villa eiusdem vrbis: ita diuus Hieronymus, diuus Ambrosius, & alij celebrati authores adseuerant. Decreuerat in Iordane aquis lustrari Constantinus, verùm vltimo fato vigente mortuus est in Bithynia, anno Imperij tricesimo secundo, minus duobus mensibus: ætatis sexto & sexagesimo. Reliquit ex Fausta tres filios, Constantinum, Constantem, Constantium: filias, Helenam, Eutropiam, Constantiam, Constantinam vxorem Galli Cæsaris. Quæ de Syluestro, & donatione Constantini prædicantur, ficta, falsa, inepta, pugnantiaque sunt. Miror extare tam stolidos, qui credant: & tam impudentes, qui defendere audeant: præcipuè, cùm etiam Pius secundus Pont. Max. vir harum rerum peritus, nugas huiusmodi, vt commenta anilia, fabulamque inanem rideat.

CONSTANTINVS IVN. NOB. C.
GLORIA EXERCITVS
VOT.
X.

CONSTANTINVS IVN. NOB. C.
CÆSARVM NOSTRORVM
VOTA.
X. X.
S. T. R.

MAXENTIVS P F AVG
DN VAL LICIN LICINIANVS NOB C.
IOVI CONSERVATORI.

CONSTANTINVS AVG.
PROVIDENTIÆ AVG.

IMP. CÆS. FL. VALERIVS CONSTANTINVS.
P. F. AVG. P. M. TR. POT. IMP. V.
CONSVL P. P. PROCONSVL.

CONSTANTINVS AVG. N. C.
DEA TERRA.

CONSTANTINVS P. F. AVG.
SOLI INVICTO COMITI
A. Q. T.

CONSTANTINVS AVG.
VIRTVS AVG. CONST.

IMP. MAXENTIVS
P. F. AVG.

In patria Eining.

CONSTANTINVS
ITA NOB. C.
CÆSARVM NOSTRORVM
VOT.
PL. SC. S. C.

IMP. CONSTANTINVS AVG.
SOLI INVICTO COMITI
T. F.

IMP. CONSTANTINVS P. F. AVG.
SOLI INVICTO COMITI
T. F.

k CON-

Licinius iunior fraude Faustæ occisus.
Fausta à Constantino occisa.
Ablauius Consul.
Constantinus mortuus in Bithynia.

CONSTANTIVS. XLIIII.

Augusti fratres. *Constans.* *Constantius.* *Dalmatius Cæsar.* *Sapor Rex Persarum.* *Constantinus.* *Bellum inter fratres Augustos.*

CONSTANS, Constantius, Constantinus, fratres Germani Augusti: & Dalmatius Hanniballiani fratris Constantini Maximi filius Cæsar, orbem Romanum sortitò ex testamento diuiserunt. Constans Illyricum, Noricum, Pannonias, Mæsos, Liburnos, Dalmatas, Thraciam, Græcos, Macedoniam, Achaiam, Africam, Italiam sortitus est. Constantius totum Orientem à freto Propontidis, vbi Constantinopolis sita est. Dalmatius Cæsar Armenias, & conterminas regiones accepit, qui factione Constantij patruelis à militibus interfectus est. Eius portionem occupauit Constantius: contra Saporem Regem Persarum crudelissimum (qui in Christianam pietatem ferrum quoque strinxit) continuò bellum gerens. Constantino cuncta trans alpes data sunt, Britanniæ, Galliæ, Hispaniæ. Verùm, vt est infida societas regni, & auiditas animi insatiabilis, discordia inter fratres de administratione Italiæ, Africæque oritur. Constantinus non contentus sorte sua, nouam postulat diuisionem: quam cùm non impetraret, accitis Francis, & aliis Germaniæ populis, Rhætias, Vindeliciam, Noricum latrocinantium more peruagatur, atque occupat: Italiam inuasurus, non longè ab Aquileia à militibus Constantis fratris sui (qui tum ad Danubium in Mæsia aduersus Gotos versabatur) prælio excipitur. Vbi dum incautius temulentusque manus conserit, non agnitus obtruncatur: caput amputatum in Alsam amnem abiicitur: Imperij anno tertio, vitæ quinto & vicesimo. Constans, vbi de cæde fratris accepit, regiones eius recipit, in Galliis obtinendis maximus illi labor fuit. Franci inter ciuilia bella, Rege Theodomaro filio Richomari Gallias deuastarant, & inuaserant: sedesque ibidem iam cœperant. Vario euentu belli vtrinque pugnatum est integro bien-

Theodomarus cum matre Hastila gladio perijt. *Magnentius dux Augustus dicitur.*

nio. Theodomarus filius Richomari Rex cum matre Hastila Saxona gladio perit. Pax inde conuenit, empta ab Augusto, fædusque ictum est cum Francis, Galliæ liberatæ sunt. Constans Galliis receptis, studio venandi per saltus & syluas errabat. Magnentius dux Rhætici, & Vindelici limitis, pecunia sibi animos militum conciliat: authoribus Crestio, & Marcellino tribunis, Augustus appellatur. Constans vbi certior factus est de hac conspiratione, Hispaniam versus fugere cœpit. Missi sunt qui eum insequerentur, & occide-

Constans interfectus. *Nepotianus Imperium arripiens opprimitur.* *Mursa vrbs.* *Vetranio Imperator creatur.*

rent. Ab his haud procul Hispania comprehensus interficitur. Nemo morienti Imperatori astitit, præter Lauium Gaisonem Tribunum, genere Francum. Imperauit Constans annos tredecim: vixit annos septem, & viginti. Tum Romæ quoque Nepotianus, filius Eutropiæ sororis Augustorum, rerum habenas arripit. Verùm à Magnentianis duodetricesimo Imperii die opprimitur. Iam enim & Italia cum Roma Magnentio cesserat. In Illyrico etiam nouus emersit Tyrannus apud Mursam Pannoniæ vrbem quæ aberat sexdecim millia passuum Occidentem versus à Teutoburgio, vbi Drauus amnis Danubio miscetur. Quinque Ecclesias nunc vulgus adpellat. Vetranio Magister militum Imperator ab exercitu creatur, totumque Illyricum occupat. Constantius, vbi accepit de nece fratris, & Europam à Tyrannis inuasam audiuit, pacem cum Persis & inducias fecit. Gallum patruelem suum Cæsarem declarauit: ipse ad Europam liberandam arma conuertit. Inter

Iudæos debellat. *Vetranio ab Imperatore veniam precatur.*

hæc Iudæi interfectis per noctem militibus, arma corripiunt, Romanisque apertè rebellant. Gallus qui in Oriente Antiochiæ relictus erat, contra Iudæos cum copiis hostili animo pergit. Citra omnem sexus, ætatis rationem, Iudæos sternit, fundit, trucidat. Ciuitates eorum Diocæsarea, Tiberias, Diospolis, & alia complura oppida, ab irato milite diripiuntur, euertuntur, ac incenduntur. Constantio verò iam Thraciam tenenti Vetranio clam se ab exercitu subducens, deposita purpura obuiam fit: pedibus Constantij accidit, veniam precatur & impetrat. Imperator senem ducem amplexus, patrem vocat, cænæ adhibet. Prusiada (vrbs est & caput Bithyniæ) abire iubet: oppida tribuere victum mandato Imperatoris. Consenuit ibi Vetranio ocio & summa tranquillitate. At Magnentius declarato in Galliis & trans alpes Cæsare fratre suo Decentio, Illyricum, Mursamque intercipit: ibi Constantium prohibiturus, milites legit, copias instaurat. Inte-

Nodomarus Rex. *Bellum parricidiale.* *53000. cæsi.* *Magnentius manum sibi intulit.*

rim Germaniæ nationes Alemanni, Franci, Chamani, viuere rapto assueti, Nodomaro Rege Gallias inuadunt: Decentium Cæsarem aperto Marte profligant. Primo latrocinando Gallias deuastabant: inde funestis cladibus prouincias adfecerunt: ditatique rapinis Romanorum sunt. Iam Constantius superiorem Mursam, Drauumque flumen attigerat. Oritur parricidiale bellum. Magna vi vtrinque decertatur: fit prælium atrox: intercidere eo certamine vires Romanæ. Cæsa sunt tria & quinquaginta millia hominum: optimus quisque militum interiit. Hactenus Romano solo dumtaxat oriundi, prouinciis Magistratibus, & rebus bellicis præficiebantur: posthac Barbari etiam, hoc est Germani, & alienigenæ in Romano solo non orti, magistratibus, prouinciis, rei bellicæ cœpere præfici, non sine Romani Imperij exitio: sicut rerum authores produnt. Victor Constantius Illyricum, Noricum, Rhætias, Vindelicum, Italiam recuperat. Magnentius in Gallias, vnde oriundus fuit, Lugdunum aufugit: ibi reparare vires contendit. At Constantianis vrgentibus, sibi mortem ferro consciscit. De-

centius frater eius laqueo vitam finiuit. Syluanus dux Germaniæ inferioris in Gallia Belgica, qui pro Constantio contra Magnentianos, Alemannosque acerrimè Gallias tutatus fuerat, apud Augustum (cuius aures patulæ erant susurronibus) grauiter ab inuidis aulicis (falsò tamen) quod res nouas moliretur, accusatur: quamobrem ei ab Augusto insidiæ tenduntur. Quod vbi comperit Syluanus, conqueritur apud exercitum in Colonia Agrippinensi. Nec mora, à fremente milite Imperator creatur. Mittitur ad ipsum Agrippinam à Constantio Vrsicinus dux, rei militaris peritissimus, cum eo Ammianus Marcellinus scriptor historiarum. Tribuni Syluani pecunia corrupti, impetum in regiam de improuiso faciunt, fugientem Syluanum in Ecclesia Christianorum trucidant, vndetricesimo Imperij die. Gallum deinde Constantius Cæsarem, quòd crudelissimè sæuiret in quosque, omnibusque probris se contaminaret, blandicijs & fraude ad se vocatum, mortua sorore Constantina, apud Petanionem vrbem Noricorum, detecto dolo capi iubet. Inde ductus Polam Histriæ vrbem, crudeliter necatur, capite abscisso, potestatis anno quarto, vitæ vndetricesimo. Natus fuit apud Tuscos in arce Therbensi, patre Constantio, fratre Constantini Maximi, matre Galla, sorore Ruffini, & Cerealis: qui Coss: duces, & prouinciarum rectores fuerant. Dum itaque ciuilibus bellis Romani sese inuicem atterunt, Germani adsueti ditescere prædis Romanorũ, in Gallijs florentissimas vrbes & antiquissimas capiunt, diripiunt, excindunt castra, hyberna, æstiua expugnant, legiones cũ auxilijs delent. Nobilitas omnis Gallorum aut ferro in acie cecidit, aut capta Germanis seruiuit. Vndecim millia nobilium capta esse tradunt Romani scriptores. Iuxta Rheni fluenta, castra Herculis, Vlsiburgium, Vndevicesimanorum æstiua, Nouesium, Agrippina, Bonna, Antoniacum, Bingium, Moguntiacum, Vangiones, Nemetes, Wormatia Borbetomagus, Argentoratum excisæ, direptæque sunt. Agros illorum contra consuetudinem occuparunt Germani, ibique sedes, quasi perpetuo mansuri, fixere Franci cum Camanis ad Toxandros iuxta Scaldim flumen, in confinio Hannoniæ, Brabantiæ, Flandriæ in Romano cum solo, cum liberis, & coniugibus consedere: intima Galliarum vsque Hispanias soliti depopulari. Nam & Tarbellos in Aquitania, Sebusianos in Gallia Lugdunensi, vastarunt & occuparunt. Alia manus Germanorum in Rhætias, Vindelicium erumpit: Italiæque imminet. Vadomarus Rex, & Gondoundus frater eius, qui inter Danubij caput Nigram syluam, & Rhenum oppositi Rauracis, & Basileæ regnabant (quæ regio nunc Priscia vulgo literionum nominatur) transgressi Rhenum crebro, limites Romanos & confines prouincias vexabant. Ingentes opes ex spolijs Romanis compararant. Contra hos Constantius Arelate egressus, Valentiam petit verno tempore. Ibi commeatus, qui ex Aquitania deuehebátur, opperitur. Crebris imbribus aucti torrẽtes prohibuere rem maturari. Apud Cabillonem vrbem, nunc Burgundiæ, delectus agebantur. huc profectus Imperator exercitum lustrat: inde ad Rauracos, Rhenumque castra mouet, in Germaniam ibi traiecturus aduersus superiores fratres. Alemãni pontem nauibus compactum soluunt, transitum amnis Romanis intercludunt. Imperatori quid nam agat anxio, adest quidam gnarus locorum, vadum mercede accepta monstraturus: noctuq; Germanis aliorsum intentis, copias Romanas traducturus. Verùm ex magno Germanorum numero, quibus militię cura apud Constantium Augustum commissa erat, & qui multum apud eum pollebant, nonnullos Germanicis rebus fauere natura cogebat, iiq; populares suos certiores faciunt. Alemanni igitur, qua transituri erant Romani, omnibus copiis ingruunt, Imperatoremq; vado arcent. Actum est deinde de pace. legatis vltro citroq; missis, consensu totius exercitus fœdus solenni ritu ictum est. Auxilia Germanorum Romanis necessaria esse Constantius Augustus dictitabat. Imperator inde ad hyberna Mediolanum discedit. Posthæc Alemannis Rhætias vastantibus bellum indicit. Progressus Mediolano in Rhętiam vsque ad Caninos campos Athesi contiguos deuenit. Ibi consultatum est de belli ratione. Placuit ad oram Brigantini lacus (quem Bodmicum, & Constantiensem, accola tum Rhætius Murgantium vocabat) castra, Romanasque vires ad custodiendas Rhætias collocare: in confinio Rhætiæ & Germaniæ, quòd ibi triginta duntaxat millia interessent, inter fontes Danubij, & alueum Rheni, qui Rhætias separabant: hic à Gallis, ille à Germanis, nullius amnis obiectu ibidem Rhætia munitur. Idcirco facile Alemannis ex Germania patebat transitus. Arbetio igitur Magister Equitum cum validissimo mittitur exercitu, illuc cum Germanis congressurus pergit: sed non expectatis exploratoribus in insidias delatus est. Alemanni ex latebris de improuiso vndique prosiliunt, de improuiso Romanos iniquitate locorum circumuentos inuadunt, fundunt, sternunt. Romanis nulla spes salutis nisi in fuga erat, placuit retro pedem referre atque cedere. Terga inde vertunt incomposito agmine huc atque illuc palantes, plerique per angustas semitas sparsi, tenebrosæ noctis beneficio seruati sunt: qui reddita luce quisque suo agmini se coniunxere. Multi tamen Romanorum periere: decem Tribuni desiderati sunt. Ob quæ Germani elati animis quotidie prope Romana castra, munimentaque Romanos lacessentes strictis gladiis discurrebant, adimente nebuloso die lucem. Scutarij de improuiso erumpunt, ab Alemannis

Decentij mors.
Syluanus dux.
Vrsicinus dux.
Amm. Marcellinus historiographus.
Gallus Polæ necatus.
Gallia patria.
Vadomarius Rex.
Priscia.
Brysgoia.
Constantius Valentiam petit.
Cabillo vrbs.
Alemanni Rhætias vastant.
Constantius bellum indicit.
Arbetius magister Equitum.
Romani ab Alemannis fusi.

mannis obiectu corporum repelluntur in vallum. Ibi suos ad pugnam cient: sed pleriq; *Eutropius Equitũ præfectus.* territi cladis periculo hæsere castris. Tres tandem Tribuni simul erumpunt, & Eutropius præfectus Equitum & auxiliares copiæ missæ ab Imperatore Constantio in præliũ ruunt. Omnibus deinde fit portis eruptio. Germani multitudini hostium impares in fugam vertuntur, *Rhætia liberata.* prouincia exturbantur, in Germaniasque extruduntur Rhætiis. Ita Rhætiæ liberatæ sunt, quas non iusto prælio, sed prædatoriis excursationibus infestarant Alemanni. Imperator ouans in hyberna Mediolanum reuertit. Germani, qui trans Rhenum in Galliis sedes fixerant, vias ingentibus truncis arborum claudunt, ne transitus hosti pateat: insulas quoque Rheni muniunt: vnde ex insidiis latentes, contra Romanos si ingruerent, *In Galliis cædes, rapinæ & incendia.* pugnare possent. Galliæ incuria neglectæ nullo omnino renitente, nemine penitus adiuuante, cædes acerbas, rapinas, incendia perferebant: metu hostili clausæ ciuitatum portæ: nemini tuto iter facere licebat. Ita Germani longè lateq; licenter, crudeliterq; ruptis limitibus grassabantur. Opulentissimæ vrbes excisæ: Galli ad internecionem vastati sunt. Nihil supererat hominibus præter lachrymas, & terrorem. Germani per Romanas prouincias diffusi, Italiæ iam imminebant. Quocirca Imperator Constantius periclitanti Galliæ consulturus, Iulianum patruelem suum superioris Galli fratrem (qui tum Athenis literis operam dabat) *Iulianus Cæsar declaratur.* Mediolanum accersit, ibique octauo Idus Nouembris Cæsarem declarat, Arbitione, & Lolliano Coss. Anno salutis Christianæ trecentesimo & sexagesimo, Imperij Constantij vicesimo. Helenam inde sororem suam Augustus Iuliano connubio iungit: qui quatuor annos continenter cum Germanis decertauit. Calendis Decembris Iulianus ab Augusto Ticinum vsque deductus, per Taurinos Gallias petiit. Viennam ingresso anus prædicit deorum templa eundem reparaturum. Dum Viennæ hyemem exigit, audit Augustodunum Burgundionum nunc vrbem, repentino impetu à Germanis inuasam esse, obsiderique. *Germani Augustoduno vrbe repulsi.* Vrbi auxilio venit, Germani repulsi sunt. Dehinc Trecasses adit Cæsar, portas hi metu Germanorum incursantium clauserant. Apud Vesontionem Romani copias cogunt, delectus agunt: placuit per decem pagos Alemannos adgredi. Primam *Brotomagũ seu Borbetomagum.* omnium vrbem Brotomagum Cæsar occupat, atque munit: ita eam Marcellinus, & Antoninus vocant, quam Ptolomæus Borbetomagum adpellat. Alemanni Iuliano aduentanti obuiam armati venerant, sed fusi fugatique ab eodem sunt. Cæsar postea Rigodolum ad confluentem Mosellæ, & Rheni situm proficiscitur: hinc Agrippinam recuperat. Huc *Franci pacẽ impetrant.* Francorum reguli oratores mittunt, pacem & fœdus impetrant. Inde Iulianus per Treueros Senonas petit. Vix oppidum ingressus fuerat, Alemanni adsunt, oppidum arctissima obsidione cingunt: periclitanti Cæsari nullus ducum, qui in stationibus proximis agitabant, opem tulit. Summa vi vrbs oppugnata est, summa vi defensa. Germani tricesimo obsidionis die rati auxilia Iuliano aduentura, discedunt. Augustus eadem tempestate Ro- *Hormisda perfugus.* mam adit cum Hormisda filio Regis Persarum perfugo: is interrogatus, quidnam de Roma sentiret, perplacet (inquit) quòd hic quoque homines moriuntur. Sub idem tempus Sueui superato Danubio, Rhætias, Vindeliciam, Noricum vsque Valeriam, ferro, flamma, præda depopulantur. Sarmatæ siue Goti superiorem Mæsiam, & secundam Pannoniam incursant. Imperator, vbi hoc accepit, quarto Calendas Iulias per Tridentum in Illyricum, prouincias auxilia laturus festinat, ne latius malum serperet, Germani ve vagarentur. At Iulianus hyeme apud Senonas exacta, Germanis vndique circumfrementibus, cum *Barbatio dux.* Marcello Seuero duce copiarum, Rhemos proficiscitur. Barbatio dux alia parte, iussu Augusti cum quinq; & viginti millibus (vt hostes quasi forcipe in angustiis inter vtrumque exercitum inclusi ad internecionem cæderentur) Rauracos, Basileamque peruenit. Germani inter vtriusque exercitus castra clausi, ea prætergrediuntur. Lugdunum vrbem *Germani Lugdunum vastarunt.* incautam inuadunt, diripiunt, ac deuastant. Quicquid extra mœnia fuit, flamma vorax consumpsit. Cæsar insecutus Alemannos, palantes quosdam occidit. Arnobaudes, & Va- *Bainobaudes ab Am. Marcellino lib. 16. dicitur.* lentinianus, qui post imperauit, præfecti Equitum missi, redeuntes Germanos non sunt ausi adgredi. Iulianus Tres tabernas (ab Argentorato viginti millia passuum munimentum, vallumque ita vocatum, quo arcerentur Germani ab interiore Gallia) recuperat, atque munit. Barbationis interea castra Germani oppugnant, magno impetu exercitum in fugam vertunt, fugientes Rauracos vsque persequuntur, impedimenta diripiunt. Barbatio cum reliquiis ad Constantium Imperatorem in Illyricum ex Galliis discedit. Nodomarus Rex Germaniæ, Agenarichus, Serapio nepos ex fratre Mederico: Regulique Alemannorum, Vestrоualdus, Vrius, Vrsicinus, Suomarius & Hortarius ad Argentoratum copias cogunt coniunguntque. Hi inter Mænum, Rhenumque amnes, & Hercyniæ particulam, quam nigram syluam nunc accolæ nuncupant, Heluetij quondam dicti, habitabãt, ad Iulianum Cæsarem legatos mittunt, iubentque eundem Galliis excedere Ibis, quas virtute, & ferro iure belli vicissent: in suam potestatem, & ditionem redegissent. Quòd si mandatis non pareret Cæsar, congrederetur, sensurus haud dubiè quid Alemanni exerci- *Pugna inter Iulianũ & Nodomarũ.* tatissimi in armis virtute possent. Iulianus audita legatione Nodomari Regis Alemannorum, è vestigio cum omnibus Reipublicæ Romanæ copiis ad hostes arma mouet. Vbi adpro-

adpropinquat. Nodomarus Rex dimisso equo, inter pedites certamen concitauit fortiter: vtrinque acriter pugnatum est. Equites Romani vulnerato rectore in fugam versi sunt. Iam omnium animi ad cedendum Alemannorum impetui inclinati erant. Cæsar cedentibus obiecit se, raptumque signum in medios hostes proiecit: Deinde milites hortatus ad pugnam, aciem restituit. Redintegrato itaque prælio, fortuna Romanos adiuuit: Alemannorum sex millia eo certamine in campo strata numerata sunt: complures natando Rhenum superarunt: alij nauiculis tranarunt: pars pondere mersi fluctibus Rheni perierunt. Nodomarus Rex ad naues in Rheno, ad huiusmodi casum paratas fugiens, agnitusque interceptus est, & captiuus Romam missus: morbo ibi periit. Iulianus victor post Argentoratense prælium, Moguntiacum proficiscitur: Rhenum ponte iungit. Huc legati Germanorum veniunt, pars pacem postulat, pars bellum minatur. Cæsar aliquot milites clanculum in Germaniam transportat nauibus. (Alemanni pontem obseruabant, vt prohiberent Romanos) illi ad decimum vsque lapidem ferro, flamma, præda, longè lateque omnia vastant. Monumentum, quod Traianus erexerat in solo Alemannorum, ab ipsis destructum, reficiunt, Germani oratores mittunt, pacem petunt, fœdus innouant: huic bello interfuisse diuum Martinum reperio. Eodem tempore Seuerus Magister Equitum ex Agrippinensi Colonia per Iuliacum Rhemos petiturus, ostendit Francos, loca vacua præsidiis vastare, duoque munimenta occupasse, vbi se tutarentur. Huc Cæsar properat, Castellum oppidum, quod Mosa ambit, obsidione clausit, quatuor & quinquaginta dies mense Decembri, & Ianuario. Qui obsidebantur Franci, fame coacti se dedunt: multitudo cætera, quæ auxilio venerat clausis, ad sua castra repulsi sunt. Cæsar ad Parisios ibi hyematurus reuertit. Inter hæc Alemannorum alia manus Rhætias, Vindeliciam vastat, Italiæque imminet, oppidorum præter solitum obsidiones tentat. Barbatio peditum præfectus valido cum exercitu prouincias ingressus, Germanos in Germaniam trans Danubium pellit. Instabant & Persæ Orienti, sed Persicum bellum arte & astu dilatum est, donec Germania pacaretur. Prouinciæ enim Romanæ Rheno, Danubioque contermina, crebris tributis, vectigalibus adtritæ, excursionibus continuis Germanorum, vastatis possessionibus ad egestatem redactæ erant. Cæsare apud Parisios hyemante, Franci, qui adhuc Belgicam inferiorem, & secundam possidebant, cæteros Germaniæ populos ad irruptiones solitas in Gallias concitant. Iulianus, vt horum conatus præueniret, antequam in vnum cogerentur, transuecta annona ex Aquitania, petit primùm Francos, Salios cognominatos, & Chamanos, ausos in Romano solo, apud Toxandros trans Scaldim amnem, in confinio Hannoniæ, Brabantiæ, Flandriæ, Picardiæ, sedes quondam collocare. Cum Tungros venisset Cæsar, legatio horum Francorum præstò est: pacem ea lege postulant, vt se tanquam suis sedibus quietos Romani dimitterent, nec lacesserent: cæterùm manibus & armis eorum bello vterentur. Iulianus oratores muneribus donat, responso ambiguo suspensos dimittit: eorum vestigia insequitur. Subitò de improuiso Francos in Scaldis ripa aggreditur: inopinato metu perculit. Chamanos idem ausos acriter repugnantes cædit, viuos captos in vincula coniicit: deinde his Francis pacem tribuit ea conditione, vt incolumes in Germaniam ad suos lares redeant: fœdus cum Romanis seruent. Posthæc Iulianus munimenta & castra iuxta Mosam, quæ Germani exciderant, reparat ad tutelam Galliarum. Miles ibi fame laborans in Iulianum conuicia iactat, Asianum mollem, Græculum fallacem, studio sapientiæ stolidum adpellabant. ægre seditionem militum Cæsar blandimentis repressit. Cognominabatur ab aulicis Constantij Augusti Iulianus, Capella, loquax, talpa, purpurata simia, literio Græcus, vmbratilisque. Verùm hæc dissimulabat prudenter Cæsar, qui Francis Gallia depulsis, Rhenum transire Seuerum Magistrum equitum, virum bellicosum iubet. Is veritus insidias Alemannorum, Romanas longius progredi vetuit. Rex Alemannorum Suomarus pacem ac fœdus cum Romanis init, captiuos omnes reddit. Hortarius alius Alemannorum Rex ad Iulianum venit, captiuos paucos restituit, complures retinuit. Comites eius detenti, ipse domum dimissus, omnes captiuos reddere coactus est. Cæsar deinde ad consueta hyberna Lutetiam Parisiorum concedit. Dum hæc apud Rhenum geruntur, & Augustus Syrmij hyemat, Sueui, Quadi, Sarmatæ, Scythæ communi vocabulo dicti, qui sunt propriè Daci, Goti, Getæ, similes moribus & armis, Pannonias, Mœsias latrocinantium modo incursant. Arma his omnibus erant hastæ longiores, lorica ex cornibus rasis & leuigatis, plumarum in speciem linteis innexis. Equi castrati bini, ne aut fœminarum visu exagitarentur: aut in subsidiis ferocitantes hinnitu proderent vectores. Per amplissima hi spacia discurrebant, aut instantes, aut cedentes. Permutatio etiam vires equorum recreabat, qui mos adhuc Turcarum esse solet. Constantius verno tempore in Danubio pontem nauibus sternit. cum exercitu in eam Germaniæ, Sarmatiæque partem transit, quæ spectat Pannoniam secundam, & Valeriam. Incolæ per colles euasere. Exercitus Romanus vastatis cunctis ad Quadorum confinem regionem arma mouet, quicquid obuiam, sternit, fundit. Reges & reguli Quadorum, & Sarmatarum Ziza, Fragiledus, Rumarus, Bathe-

Romani fugerunt.
Prælio redintegrato Alemanni strati sunt.
Nodomarus captus, & Romæ mortuus.
D. Martinus.
Seuerus Equitum Magister.
Franci se dediderunt.
Germani pulsi a Barbatio.
Iulianus conuiciis affectus.
Cæsar Lutetiam venit.
Romani contra Quados arma mouent.

Batherus, ad Constantium supplices veniunt, captiuos reddunt, veniam præteritorum orant, & impetrant, obsidesque dant. Moti hac clementia Augusti Arabarius, & Visafer reguli, quorum alter Quadis, qui aufugerant, alter Sarmatis quibusdam præerat: locorum confinio, & morum feritate coniunctissimi, Imperatorem & ipsi adeunt Romanum, in

Sarmatæ auxilium à Romanis petunt.

societatemque recipiuntur. Ibi Sarmatæ conqueruntur de seruis suis, auxilium abs Romanis petunt, ne tantum scelus inultum sit. Inualuerant serui, armaque in dominos suos Sarmatas, siue Gepidas converterant, anno Christi, diuo Hieronymo, trecentesimo tricesimo septimo. Liberi Sarmatæ cum coniugibus, & liberis ad Victobalos longius discretos, confugiunt, malueruntque obsequi defensoribus, quàm seruis: petebant

Ziza Rex.

hi opem à Constantio. Promissum est auxilium, & Rex Ziza eis præfectus. Mota sunt inde castra Bregetionem oppidum (cuius & Antoninus, & plerique alij mentionem faciunt: Bregetium est Ptolomæo, Danubianum superioris Pannoniæ oppidum extremum, ab Arrabone triginta millia passuum) sunt qui Strigonium esse tradant. In animo

Vitrodorus Rex.

erat Augusto reliquias belli Quadorum persequi. Vitrodorus Rex filius Viduarij Regis, & Agilimundus Regulus pacem rogant, impetrantque. Et more gentis, eductis mucronibus (quos pro numine colebant) iurauere se in amicitia Romana permansuros. Dein aduersus confines Sarmatas seruos Imperator pergit. Nam & ipsi, ac si liberi essent, Romanum limitem irruperant: in hoc solo concordes cum hostibus, & dominis suis. Placuit ad longinqua hanc gentem propelli, non crimen vlcisci, ne scilicet Romanis nocere possent. suspicati, conscientia scelerum se peti, ad dolos versi sunt, ferrum & preces pararunt. Verùm Romani exercitus aspectu exterriti, vitam precati sunt: annuum tributum, & delectum validæ iuuentutis, & seruitium spoponderunt: migraturi quocunque iuberentur. Tamdiu tuti fuerant locorum freti prælidiis, vbi lares post exactos dominos

Parthiscus amnis.

elegerant. Parthiscus amnis (quem Plinius Pathissum nominat) obliquo admodum meatu Histro miscetur, spacia longa, lataque sensim præterlabitur, ea cogit in arctum prope hostia: accolas ab impetu Romanorum Danubio defendit: ab aliis verò tutos suo præstat alueo. Loca ibi pleraque humida soli natura, & incrementis fluminum redundantia, stagnosa, & referta salicibus sunt, ideoque inuia, nisi perquam gnaris, angusto quoque aditu patent. Ea amnis Pathiscus ambiens, quasi peninsulam reddit, à terrisque separat. Constantius conuocatos ad vlteriorem ripam Histri transferre voluit repugnantes, idq; metuens clausit vndique exercitu, omnesq; obtruncari iussit. Casas post eorum miles incendit: latitantes in palustribus locis. Post hos domitos, ad internecionemque cæsos, supererat adhuc pars Sueuorum, Picenses à loco dicti. Ad hos domandos, quod imperitus locorum Romanus miles erat, acciti sunt in auxilium Sarmatæ liberi, & Thaiphali. Romani loca contigua Mæsiæ inuaserunt: Thaiphali proxima suis sedibus adgrediuntur: Sarmatæ liberi terras è regione sibi oppositas occupant. Vndique ita hostibus serui circundati, pauore perculsi sunt, diu consultatum est, oppeterent ne, an supplices pacem, & veniam commissorum orarent? Vicit tandem sententia seniorum. legatos ad Romana castra mittunt, qui deditionem faciant. Accepta publica fide, cum coniugibus, liberis, opibus, translati sunt in Pannoniam, vt ibi tranquillè viuerent. nominatur ad-

Seruia.

huc ibi Seruia, quam etiam Sextus Ruffus inter partes Pannoniæ enumerat. Marcellinus Seruorum nomen Latinum, & commune esse credidit. Alios video, vt barbarorum, & proprium Gotorum accipere. ego amplius quærendum esse censeo. Constantius libe-

Zizam regẽ Sarmatis Constantius dedit.

rato Illyrico, Sarmatis liberis Zizam regem dedit, loca seruorum attribuit: victor Sirmium rediit, Sarmaticusque cognominatus est. Pars Sarmatarum, qui se non dedidere, ad loca longinqua migrare compulsi sunt, ne possent pacem interturbare Romanam. Iulianus inter hæc apud Rhenum suspectos habens animos Alemanorum, Hariobaudem Tribunum, peritum linguæ Germanicæ, nullo conscio, legationis specie ad Hortarium Regem mittit, vt specularetur, quid nam confines Germani molirentur, qui Romanis fœ-

Cæsar ciuitates à Germanis excisas reparat.

dere iuncti non erant. Ipse Cæsar interim ciuitates excisas à Germanis occupat, reparat, & munit: horrea instaurat, vbi conderetur annona à Britannis transferri sueta. Recuperauit tum septem vrbes ab Alemannis destructas. Castra Herculis, Vndeuicesimarum æ-

Herculis castra recuperata.

stiua, Vlsiburgium, Nouesium, Bonnam, Antoniacum, Bingium, quo Florentius præfectus commeatum posuit. Hariobaudes reuertitur, hostilia agi aperit. Iulianus Mogontiaci copias cogit. Florentius & Lupicinus rei militari præficiuntur, pontem ibi con-

Alemãni ne pons firmaretur à Cæsare, prohibere conati sunt frustra.

stitutum Cæsar nitebatur transire. Alemanni Suomarum Regem amicum Romanis monent minaciter, vt transitu arceat Romanos: eius pagi ripis vlterioribus Rheni adhærebant: Respondit Suomarus, se solum non posse resistere Romano militi. Coeunt igitur Alemanni prope Mogontiacum prohibituri transitu Cæsarem, & ne pons strueretur, obseruabant. Iulianus vt pugnacissimam gentem pacaret, quadraginta nauibus milites impositos, in ripam aduersam à castris Germanorum longius noctu & summo silentio clanculum exponi iubet. nihilominus crebros ignes ad pontem, vbi Germani excubabant, præcepit incendi. Hortarius Rex Romanis fœderatus Reges finitimos, & Regulos ad

conui-

cohuiuium tum fortè conuocarat: epulæ more gentis ad tertiam vigiliam noctis extractæ ſunt. Diſcedentes è conuiuio Germani principes, in Romanos milites, nauibus in Germaniam iuſſu Cæſaris tranſuectos incidunt: ſed tenebrarum, equorumque beneficio euaſere. Lixæ, ſeruique qui pedibus dominos ſecuti fuerant, partim occiſi, partim fuga elapſi ſunt per noctem. Germani, qui ne pons ſtrueretur obſeruabant, vbi in Alemannia militem Romanum conſpexere, fuga dilapſi ſunt. Pons poſtea perfectus Mogontiaci, Iulianus cum omnibus copiis tranſit in Germaniam, intacto regno Hortarij, qui amicus erat, rebellium domos, meſſes exurit, reſiſtentes trucidat. Ita ad regionem, cui Capellarij. vel Palas nomen eſt, vbi terminales lapides Romanorum & Burgundiohum confinia diſtinguebant, veniens caſtra locat. Huc ſupplices venerunt Macrianus & Hariobaudus reguli fratres. Subſequitur Vadomarius Rex, cuius regia contra Baſileam erat, deferens ſecum ſcripta Conſtantij Auguſti, quibus & amicus & familiaris Auguſti adpellabatur. Theodomarus quoque à puero apud Romanos educatus, ipſisque amicus precator pro Vrio Vrſicino, Veſtroualdo † regulis, præſtò fuit. Cum omnibus fædus ictum eſt amicitiaque firmata, receptique in ſocietatem Romanorum, omnes captiuos reddiderunt: quorum vndecim millia fuiſſe authores habeo. Sub idem tempus Rex Perſarum vrbes aliquas expugnauit in Romano ſolo. Serui quoque, quos in Pannoniam Conſtantius tranſtulerat, rebellare nituntur. Imperator è Sirmio in Valeriam proficiſcitur, vndique cinctos exercitu Seruos, è ſuggeſtu concionabundus ad pacem hortatur. Quidam Sarmatarum calceum impletum ſtercore humano, in faciem concionantis Imperatoris proiicit. Inde populares in Romanum principem impetum faciunt: ſella regia cum aureo puluinari direpta eſt. Verùm omnes à milite irato trucidati, ne vno quidem ſuperſtite. Conſtantius inde pacato Illyrico Sirmium, deinde Conſtantinopolim petit, occurſurus Perſarum furoribus. Ad ſeptentrionis plagam Scoti, & Picti, Saxonum populi, Britannias vaſtant. Lupicinus dux cum auxiliaribus copiis Herulos, Bathauos, à Mæſia miſſos, Bononiæ Flandrorum nauibus imponit, in Britanniam nauigat. Iulianus Cæſar ob Alemannorum metum non auſus fuit excedere Galliis. Recepta itaque omni Gallia, liberataque è direptionibus Germanorum, Luteciæ Pariſiorum à militibus, & Celtis, fauſtis adclamationibus Iulianus Cæſar adpellatur Auguſtus. Inde in limitem ſecundæ Germaniæ proficiſcitur. Toxandro oppido adpropinquat (Toxandriam in vita diui Landoberti Epiſcopi Traiecti Moſæ vocari legi) vnde ad Rhenum arma mouet, ſubitò inuadit Francos, Antuarios dictos, licentius intima Galliarum perſcrutari ſolitos. Hos nihil hoſtile metuentes, nimiumque ſecuros occuparat: pace cum ipſis facta, per Rhenum reuerſus, præſidia, limites inſpicit, diligenter munit: ad Rauracos pergit. Omnia recuperauit, quæ Germani interceperant, & vt propria poſſederant: reddidit limitem Romanæ poſſeſsionis. Omnibus ita ex ſententia animi compoſitis, per Veſontionem Viennam, ibi hyematurus diſcedit. Vt autem omnium animos ſibi conciliaret, Chriſtianiſmum propalam ſimulauit: à quo tamen iam pridem occultè deſciuerat. Feriarum celebri die, quæ menſe Ianuario celebrantur (Epiphaniã vocamus) in templum Chriſtianorum progreſſus eſt, ſolenni ritu ſacris perpetratis diſceſsit. Certiorem deinde facit Conſtantium, ſe Auguſtum à Gallis & militibus adpellatum, orat, vt author fiat: ſe non aliter quàm ſi adhuc Cæſar eſſet, obtemperaturum. Poſt hæc vere iam adpropinquante, Alemanni à pago Vadomarii Regis, à quo poſt fædus ictum nihil hoſtile timebatur, incurſant confines Rheni tractus, & deuaſtant. Mittitur contra eos Libinus præfectus, ipſe à Germanis apud Sanctionem occiditur: cæteri in fugam verſi ſunt. Vadomarus poſtea Rex in conuiuium trans Rhenum à Romanis inuitatus dolo capitur, in Hiſpaniamque à Iuliano relegatur. Qui cum Conſtantium flectere non poſſet, timens eundem nunquam in gratiam rediturum, crudelitatemque eius in cognatos animo verſans, apertè ſe Conſtantio hoſtem oſtendit, maluitque occupare hominem. Firmata igitur pace cum Germaniæ gentibus, accitisque his in partes, Vadomaro rege cum copiis ſecum abducto in Illyricum, à Rauracis per Martianas ſyluas ad Hiſtri fluenta contendit: ipſe cum paucis flumen nauigat. Copias per mediterranea Rhætiæ, Vindelicorum, Norici proficiſci iubet. Iam Italiam, Rhetias, Noricum, Pannonias tenebat Iulianus, ſola Aquileia Iuliano militi portas clauſit, obſidioque cæpta eſt. Ipſe Iulianus iam Sirmium etiam acceperat: vnde Conſtantinopolim pari velocitate contendit. Conſtantius contra Perſas tum bellum gerens, vbi de Iuliani defectione certior factus eſt, inducias cum Perſarum rege init: obuiam Iuliani conatibus ire parat. Verùm in itinere in Cilicia Tharſi febri acutiſsima correptus, paulo poſt extinguitur, Iuliano ſucceſſore declarato. Imperauit Conſtantius annos quatuor & viginti, menſes quinque, dies duodecim. vixit annos quatuor & quadraginta. Vbi hæc palam facta, Iulianus ab omnibus totius orbis conſenſu recipitur. Aquileienſes portis præfractis Iulianos admittunt, authores rebellionis viuos exurunt. Conſtantius in religione ſemper Arrianus fuit, idcirco Athanaſius Alexandria pulſus apud Treueros receptus à Maximino pontifice, delituit vſque ad mortem Conſtantij. Hilarius Pictonum Epiſcopus Gallia pulſus,

Iulianus in Germaniam tranſit.
Mar li. 13.
Palas.
Vadomarius à Marcellino dictus.
† Verſaldus à Marcell. dicitur.
Britannia vaſtatur à Scotis.
Lupicinus dux.
Iulianus Cæſar Auguſtus dicitur.
Toxandria.
Iulianus Viennam diſceſſit.
Iulianus Chriſtianiſmum ſimulauit.
Libinus à Germanis occiſus.
Iulianus ab omnibus receptus.
Conſtantius Arrianus fuit.
Athanaſius.
Hilarius.

Ael. Donatus Hieronymi praeceptor. *Victorinus Rhetor* *Faustina vxor Constantii prima.* *Eusebia vxor eiusdem secunda.*

pulsus, Constantio Constantinopoli librum pro se obtulit, domumque redire permissus est. Eo quoque tempore obit Diuus Antonius ætatis anno centesimo supra quintum. Ælius Donatus præceptor Diui Hieronymi insignis Grammaticus tum Romæ docuit. Victorinus Rhetor & martyr statuam in foro Traiani meruit. Narratur Constantius nunquam spuisse in publico, nec vnquam poma gustasse. Fuit cupidus eloquentiæ, patiensq; laboris. Reliquit Faustinam vxorem secundam grauidam, vnde nata est posthuma, quæ Gratiano Imperatori nupsit. Prior Constantij vxor fuit Eusebia fæminarum pulcherrima, soror Hipatij, & Eusebij consulum. Quemadmodum etiam cultores deorum referunt, Constantius religionem Christianam simplicem, & absolutam magis polluit dissidiis, & concertationibus verborum vmbraticis, quàm reuerenter composuit. aluit in ea lites, omnia ad suum ritum trahere conatus: Fautor, vt dixi, Arrianæ hæreseos. sicut tamen Diuus Hieronymus (qui se sub Constantio infantem fuisse ait) refert, Constantio, & bonis omnibus curæ fuit, vt Oriens, atque Occidens pacis vinculo sibi necteretur. At egregij quidam videlicet Christi sacerdotes, frustrarunt tantos conatus Imperatoris, & bonorum: decepit hos bona de malis existimatio. Non arbitrabantur sacerdotes Christi aduersus Christum pugnare, qui argumentationum riuos de Aristotelis fontibus mutuati sunt, & simplicitatem Christianæ pietatis, philosophorum deliramentis, spinetisque dialecticorum contaminarunt.

CONSTANS P. F. AVG.
VICTORIÆ DD AVG.
C. Q N A Q T.

DN. CONSTANTIVS AVG.
IVN. NOB. C.

DN. CONSTANTIVS NOB. C.
CONCORD. EXERCITVVM.
FL. IVL. CRISPVS NOB. CÆS.
ALEMANNIA DEVICTA SIRMI.

IVLIANVS. XLV.

Iuliani Imperatoris patria, & parentes. *Iuliani defectio.* *Iulianus Magiæ deditus.* *Apollinis fanum conflagrans.*

CL. IVLIANVS, natus Constantinopoli, patre Constantio, fratre Constantini Maximi, matre Basilina (vt etiam nostri fatentur) optimæ indolis fuit. In Christiana religione institutus, educatusque ab Eusebio Nicomediensi Episcopo. Nactus Libanium Sophistam (cuius epistolæ extant, à bibliopolis & Chalcographis diuenduntur) magistrum improbum, Christum authorem suum deseruit, clamque ad deos defecit. Acerrimi ingenij fuit: omnium disciplinarum genere eruditissimus, virtutibusque ciuilibus domi forisque iuxta laudatissimus. Accusatori non re, sed verbis vrgenti reum negantem, & vociferanti, quis accusabitur, si negare sufficiet? Respondit: Et quis innocens erit, Si accusari sufficiet? Scenitis Arabibus (quos Saracenos posteri vocant) salaria plus solito diminuta conquerentibus, inquit: Imperatorem ferrum, non aurum habere. Inanis gloriæ, laudisque nimis auidus fuit, audaciorque quàm Imperatorem decet: cuius salus ad securitatem omnium, cum semper, tum maximè in bello conseruanda est. Curiosior Adriano in perscrutandis arcanis, præsagiis futurorum, Haruspicinæ, Magiæ artium fallacissimæ, euocandis manibus, augurio, & huiusmodi nugacissimis deliramentis nimium deditus fuit: & in venerandis numinibus (quod ne amici quidem negant) magis superstitiosus, quàm iustæ religionis cultor extitit. Tot pecudes mactauit, vt boues defuturos, si è Perside reuerteretur, timerent. Mercurium omnibus prætulit, & maximè coluit, quasi mundi velociorem sensum, motumque mentium excitantem. Primò hæc occultè ob metum patruelis operatus, specie & habitu philosophi, vitæ pericula declinauit. Nam eius cognati omnes à patruele necati sunt, ob regum infidam societatem. Sublato Constantio, cum quatuor annos Cæsar fuisset, potitus rerum, neminem iam metuens, apertè edicto templa deorum aperire iussit: aras deorum instaurari, victimasque admoueri, legeque sanciuit, ne Christiani artes liberales profiterentur, atque discerent. Eos magis munerum, honorumque blandimentis atque illecebris, quàm vi a veritate deflexit. Multi eius blandimentis capti sponte in præceps abierunt. Christianorum antistites dissidentes, cum plebe discissa in Palatium vocatos admonuit, vt consopita ciuili discordia, quisque nullo vetante suæ religioni seruiret. Audite, inquit, me, quem Alemanni & Franci audierunt. Expeditionem meditans Persicam libros Sibyllinos Romæ inspici, more maiorum iussit. Venit deinde Antiochiam, vbi fanum Apollinis cum simulachro conflagrauit, suspicatus id fraude Christianorum factum esse, sacram Christianorum ædem claudi, & quæstio-

quæstiones solito acrius exigi mandauit. Templum Hierosolymis restaurare orsus est: verùm fundamenta de cælo tacta, operarij fulmine adflati extincti sunt. Conflagrarunt & Romæ quartodecimo Calendas Aprilis, carmina Sibyllæ cum Apollinis templo. Syri (vt genus est hominum in conuicia promptissimum, Antiochiæ præcipuè) ipsum Augustum sacricolam victimarium, hircinamque barbam cognominabant. Quibus subiratior Iulianus contra Persas arma mouet: vt propicios deos haberet, ipsis (si victoria potiretur) sanguinem nostrum deuouit. Contra Christum etiam in ipso Persici belli medio ardore septem libros euomuit. Dum exercitum fame & via fessum incautius multitudini hostium exponit, & dum incautius suis laborantibus subuenit, hasta equestri, incertum vnde, petitus est, ea per brachium in costas penetrauit, fibrisque iecinoris hæsit. Post hæc in castra Iulianus defertur, ne animam quidem agens, à contumelia terrarum Domini, Deiq; rerum abstinuit. Vicisti, inquit, Galilæe, vicisti. Ita enim Christum seruatorem nostrum cognominabat, quem primùm in Gallia, sicut ait D. Hieronymus, denegauerat. Imperauit post Constantium annum vnum, menses septem, periit sexto Calendas Iulias. Cadauer eius Tharsum delatum est, ibique sepultum. D. Hieronymus tum (vt ipse ait) adhuc puer in Grammaticæ ludo exercebatur, & omnes vrbes victimarum sanguine polluebantur: ac cum subitò in ipso persecutionis ardore nunciatus esset Iuliani interitus, eleganter quidam de Ethnicis: Quomodo (inquit) Christiani dicunt, Deum suum esse patientem, & ἀνεξίκακον, nihil iracundus, nihil hoc furore præsentius: ne modico quidem spacio indignationem suam differre potuit.

Templū Hierosolymitanum restaurare orsus. Carmina Sibyllæ & Apollinis templum conflagrata. Iuliani mors. D. Hieronymus. Ethnicorum dictum.

DN. FL. C. IVLIANVS P. F. AVG
SECVRITATI ET SP. AVG.
T. CONSTANTIA.

IVVIANVS. XLVI.

IVVIANVS fuit Varromani notissimi præfecti filius, qui veteranus iam & emeritus, muneribusque militaribus defunctus, in Pannonia Singoduni patrios agros exercebat. Die sequenti mortem Iuliani, qui erat quintus ante Calendas Iulias, hostibus vndique vrgentibus collecti duces de Imperatore creando consultant. Omnium suffragio Sallustius præfectus Galliarum petebatur. Quo senectutem, & morbum excusante, Iouianus domesticorum primus delectus est. Vir insignis corpore, læto ingenio, literarum, & philosophiæ Christianæ studiosus: Germanorum signifer, qui diu Rhenanos rexerat limites cum nouo principe dissidens, cum quo etiam priuato dissenserat, ad Saporem Regem Persarum discessit: aperuitque Persis Iulianum obiisse, electumque esse inertem & imbellem. Quo audito, Persa continuò cum Romanis dimicare properat, terga Romanorum inuadit. Acies ad quartum lapidem porrigebatur: fortiter se tutati sunt Romani. Verùm cùm postea inedia, & fame laborarent, pax cum Persarum rege conuenit. Fædus annorum triginta factum est, iureque iurando firmatum, obsides insuper dati. Traditæ quoque sunt Persis quinque Transtigritanæ prouinciæ, quindecimque castella: præterea Susa, & Nisibis cum finibus suis. Singara castra Maurorum munimentum optimum, dedita sunt: incolæ & ciues in Romanum solum translati. Nisibi sepultus erat Iacobus vir sanctissimus, Constantino quoque Maximo admodum acceptus, cuius precibus sæpius (vt ait Hieronymus) vrbs seruata est ab impetu Persarum. Fama constans erat, eam non posse superari, dum ibi Iacobus seruaretur. Quamobrem eum Constantinus ibidem humari iussit. Iulianus pietati Constantinorum inuidens, corpus ex vrbe aufert. Nisibis deinde sub Persarum imperium coacta mansit. Ita diminutus est limes Romani soli, quod anteà ab vrbe condita nunquam factum est. Arsaci quoque regi Armeniæ, amico, & semper fido Romanis, vetitus est Imperator auxilium ferre, non sine maxima Romanæ maiestatis ignominia. Iouianus infantem filium Verronianum secum Consulem designat, dum ad Europam properat. Dadastanæ exanimatus in cubiculo, incertum quo fato, inuenitur, octauo Imperij mense, ætatis tertio, & tricesimo. Diuus Hieronymus refert fætore prunarum suffocatum esse. Huc vsque sub Constantiis, & Constantinis, proximisque Imperatoribus, limitis Danubiani, quem Boij pulsis Romanis possident, hos duces, præsides & legatos fuisse inuenio, Auum, virum bellicosum: Magnentium qui Imperium arripuit, Neuitam virum Consularem.

Sallustius Galliarum præfectus ad Imperium petitur. Iouianus delectus. Persarum Rex Sapor contra Romanos arma mouet. Romani pacem cū Persis ineunt. Nisibi S. Iacobus sepultus. Nisibis sub Persas coacta. Verronianus filius Iouiani Consul fit. Iouiani mors.

VALENTINIANVS. XLVII.

FL. VALERIVS Valentinianus Cibali (vrbs est Pannoniæ, à Sirmio occidentem versus quinquaginta millia passuum distans) patre Gratiano natus est. Sub Iuliano (vti D. Ambrosius, & Augustinus referunt) militares honores amore religionis nostræ deseruit.

Valentiniani ortus.

Mortuo

Valentinianus Niceæ Imperator delectus.

Mortuo Iuviano ab exercitu communi omnium suffragio Niceæ (caput est Bithyniæ) absens Imperator delectus est. Dum accitur Anchialo, vrbe Thraciæ (vbi tum erat) decem dies sine capite fuit Romanum Imperium, quod quinto Calendas Martij recepit. Deinde Constantinopoli Calendis Aprilibus, Valentem fratrem suum participem Imperij facit: eoque in Oriente relicto, ipse Mediolanum proficiscitur. Germani ex veteri more institutoque legatos ad nouum principem mittunt: pacemque venalem offerunt. Qui cum minora, quàm sperarant, munera accepissent, abiectis donis, in Germanias reuertuntur. Vbi grauiter in auariciam perfidiamque Romanorum perorantes, sæuissimas concitarunt nationes. Omnis Germania transrhenana in armis fuit: limites proximos sibi, quæque gens persultat. Gallias simul, & Rhætias, Vindeliciamque Alemanni depopulantur. Suevi, Quadi, Noricum, Pannonias: Sarmatæ Mæsias vexant: Goti Thracias deprædantur: Scoti, Picti, Saxonum nationes Britannias, oramque Gallicam ærumnis adterunt continuis, abscindunt, & pro delicijs summis comedunt. In oriente quoque Constantinopoli Procopius purpuram induit. Valentinianum obuiam Tyranni conatibus iturum, frequentes Galliarum, Prouinciarum, & vrbium legationes adeunt, obsecrant, supplices orant, amicos ambiunt Imperatoris, ne deserantur, & crudelissimis Germanorum vastationibus relinquantur. Flexus legatorum lachrymis, precibusque amicorum Valentinianus mansit dicens, Procopium esse hostem suum. Germanos Reipub. Gallias primò adseruit, deinde Britannias, Saxonas per Theodosium ducem, patrem Theodosij Imperatoris contudit & Mauros. Quam rem & Claudianus hisce carminibus docet, scribens ad Honorium Imperatorem de auo ipsius Theodosio:

Germani in armis sunt.

Procopius Valentiniano hostis.

> *Hinc processit auus*
> *Ille leues Mauros, nec falso nomine Pictos*
> *Edomuit Scotumq; vago mucrone secutus*
> *Fregit Hyperboreas remis audacibus vndas.*
> *Quid rigor æternus, cæli quid frigora prosunt?*
> *Ignotumq; fretum, maduerunt Saxone fuso*
> *Orcades, incaluit Pictorum sanguine Thule:*
> *Scotorum tumulos fleuit glacialis Hyberne.*

Valentinianus Alemannos vicit.

Alemannos auxilio Francorum, quorum auxilia contra populares emerat, cecidit Valentinianus, victorque ad Oceanum peruenit vsque. Deinde ad Danubij contiguas prouincias conuersus, Rhætias, Vindelicos, Noricum pulsis. Sueuis: Pannonias, Mæsias depulsis hostibus recepit. Thracijs Gotos exegit, Athalaricum Guthungorum Regem (natio est bellicosa) in fugam vertit, ei postea pacem dedit. Dum Bregetioni (cuius supra situm descripsimus, quidam Strigonium, alij Pisonium esse autumant.) Quadorum & Sueuorum legationi, latrocinia excusantium, respondet, & propter Illyrici deuastationem totius gentis excidium minatur, subitò corruit, extinctusque est. quintodecimo Calendas Decembris, anno ætatis quinto, & quinquagesimo, Imperij duodecimo, minus diebus centum. Gratianum filium iam ante octo annos Augustum adpellarat. In Oriente à Valente auxilio Vadomari Regis Germaniæ Procopius victus, & interemptus est. Vadomarus ob hoc Phœniciæ ducatu donatur. Sub idem tempus Diuus Nicetius genere Gotus apud Gotos, & confines nationes in Germania Histro conterminas, religionis nostræ mysteria aperit. Verùm Hartanaricus Rex Gotorum in Christianos sæuit, eos Germania in Romanum solum exturbat. Diuus Nicetius captus à Gotis iuxta Danubium cùm nollet deos adorare, viuus igni exustus est. Fuit Valentinianus solerti admodum ingenio, eloquens & facundus, rei militaris, ciuiliumq; morum perquà prudens, seuerus. grauis: omnibus vitiis maximè auariciæ infestus: Si fidelioribus ei per fata licuisset vti amicis, ne historiæ quidem meliorem haberent principem. Ausonius Poeta iussu eius centonem nuptialem concinnauit ex Marone: ita ipse Valentinianus antè luserat. Eadem quoque tempestate Treueris (quæ domicilium tum Augustorum erat) & in Germania cisrhenana, aliquádiu literarum studiis operam dedit, cum Ruffino, & Florentio, & Bonoso condiscipulis, & conphilosophis suis, diuus Hieronymus: ibiq; cæpit primùm velle Deum colere liberius: patriamq;, sororem, diuitias, villas, censum, & patrimonium deserere.

Athalaricus Guthungorum Rex in fugam versus.

Valentiniani mors.

Procopij interitus.

D. Nicetius martyr.

Valentiniani virtutes.

DN. VALENTINIANVS PIVS
PERPETVVS IMP. SEMPER AVG.
DN. VALENS P. F. AVG.
DN. VALENS GOTICVS MAXIMVS
PERPETVVS AVG.

GRATIANVS. XLVIII.

Gratiani patria.

GRATIANVS natus est Sirmij anno ab orbe seruato trecentesimo, sexagesimo tertio. Mortuo parente, continuò fratrem suum Valentinianum adhuc impuberem, Augustum nuncupat. Alemannorum gentem, quę Gallias more solito inuaserat, iuxta Argen-

Argentuariam (nunc Colmaria Elſatij oppidum) magna clade attriuit. Gens tum Hunnorum (cuius originem, ſitum, ſuprà in primo libro explanauimus) Rege Volomaro in Gotos erumpit, eosque auitis ſedibus eliminat. Legatos Goti ad Valentem Imperatorem mittunt, ſupplicesque orant, vt in Romano collocentur ſolo, in limite Danubiano: & quaſi murus opponantur ferociſsimis Scythiæ & Germaniæ gentibus: ſe fore cuſtodes termini Romani, & philoſophiam Chriſtianorum recepturos pollicentur. Grata legatio Valenti fuit. ſuſcepti Goti à Romanis, ſine armorum depoſitione. Diſtribuuntur per oram Norici, Pannoniæ, Moeſiæ, Daciæ Ripenſis, Valeriæ, Illyrici, Danubio tenus: Sacerdotesque Arriani, qui illos inſtituant in religione, à Valente mittuntur: qui & ipſe egregias ſuas virtutes impietate, ne dicam crudelitate Arriana polluit, & contaminauit. Goti deinde myſtæ ſuæ linguæ nationibus Burgundis, Vandalis, & huiuſmodi gentibus Chriſtum prædicant: eos errore Arriano imbuunt. Porrò Goti per auariciam Maximi, & Lupicini ducum Romanorum fame ad rebellandum coacti, per totam Thraciam, Illyricum, occiſis Maximo, & Lupicino diffunduntur: legiones Romanas ad internecionem cædunt, alios occidunt, alios in exilium trudunt. omnia ferro, præda, flamma demetunt. Meminit Claudianus in Theodoſij laudibus.

Hunni contra Gotos.
Goti à Romanis ſuſcepti.
Valens Arrianus.
Goti Arriani.

Nam quum Barbaries penitus commota gementem
Irrueret Rhodopen, & mixto turbine gentes.
Iam deſerta ſuas in nos transfunderet arctos,
Danubij tota vomerent quum prælia ripa.
Quum Geticus ingens premeretur Mæſia plauſtris,
Flauaq; Biſtonios operirent agmina campos.
Omnibus adflictis, & vel labentibus ictu,
Vel propè caſuris, vnus tot funera contrà
Reſtitit. extinxitq; faces agroq; colonos
Reddidit, & leti rapuit de faucibus vrbes.

Valens ex Antiochia in Europam veloci curſu contendit. à Gotis atrociſsima pugna excipitur, & in fugam ſaucius ſagitta vertitur. Cum ob dolorem nimium vulneris ſæpius equo laberetur, in caſulam viliſsimam ſeptem millia paſſuum ab Hadrianopoli delatus eſt. Goti veſtigiis inhærentes, villæ ignem ſubiiciunt, Imperatorem comburunt: anno tertio poſt mortem fratris, Chriſti trecenteſimo, octogeſimo primo. A quo anno occaſum Romani Imperij enumerant & Ruffinus. & diuus Hieronymus. Nam poſthac in mediis Romani Imperij regionibus Barbari conſidentes exterminari non potuere. nihilque imbecillius fuit Romanis viribus, quando & in bellis ciuilibus, & aduerſus diuerſas nationes, aliarum gentium Barbararum indiguere auxilio. In mediis Imperii deinceps prouinciis continenter pugnatum eſt: præter paucos ſenes (ait Hieronymus) omnes in captiuitate. & obſidione generati ſunt, Romaque in gremio ſuo non pro gloria, ſed pro ſalute pugnabat. immò ne pugnabat quidem, ſed auro, & argento, & cuncta ſuppellectile vitam redimebat. Ne gemitus quidem liberi erant: nemo audebat flere, quæ patiebatur: periculoſa tam hæc dicentibus, quàm audientibus erant. Sed ad Valentem redeo. Goti extincto Imperatore, Græciam totam deuaſtant, vrbes diripiunt, incendunt, victricibus ſignis Conſtantinopolim obſident. Dominica Auguſta, vxor Valentis ingenti pecunia data, obſidionem ſoluere perſuaſit. Gratianus vbi de nece patrui certior factus eſt, cum omnibus Reipub. legionibus, & robore auxiliorum Gotos ad internecionem deleturus (etiam diuo Ambroſio hortante, qui fatum eius vltimum impendere ex vatibus diuinis interpretabatur) Sirmium caſtra mouet. Cùm autem videret Daciam. Thracias, Pannonias, genitales terras, à Gotis, Triballis, Hunnis. Alanis teneri, extremumq; periculũ Romano orbi imminere. Theodoſium ex Hiſpania Betica (vnde oriundus erat) accitum, cunctis fauentibus Sirmij Auguſtum, Auſonio, & Olibrio Coſs. adpellat, ipſumque Orienti præfecit. De hoc Claudianus ad Honorium Imperatorem:

Valens à Gotis ſaucius.
Valens comburitur.
Occaſus R. Imp. quando cæperit.
Goti Græciã vaſtant.
Dominica Auguſta Valentis vxor.
Gratianus Imperator contra Gotos.
Theodoſius Orienti præficitur.

Nulla relicta foret Romani nominis vmbra
Ni pater ille tuus, iam iam ruitura ſubiſſet
Pondera, turbatamq; ratem, certaq; leuaſſet
Naufragium commune manu.

Theodoſius igitur Auguſtus declaratus Gotos ſibi depoſcit. Gratianus in Gallias contra Germanorum incurſationes reuertit. Interea dum Theodoſius Gotos adgreſſus fuiſſet, magnumque terrorem ipſis incuſsiſſet, lethali corripitur morbo, deſperataque eius ſalute, adeſt Gratianus, cum Gotis pacem firmat. fædusq; icit. in ſocietatem eos Romanam recipit: & militiæ adſignatis ſtipendiis adſciſcit. Theodoſius inter hæc conualeſcit. Vbi comperit pacem cum Gotis conueniſſe, fit & ipſe author. Goti prouinciatim ſeparantur: pars in Thracia, & Illyrico collocantur, hi dicti ſunt Veſogoti: alij in Phrygiam Aſiæ minoris particulam transferuntur, quos vulgus Oſtrogotos, Claudianus Poeta proximus harum rerum ſcriptor Oſtrogetas vocat: quaſi tu dicas occidentales, & orientales Gotos.

Theodoſius cõtra Gotos.
Gratianus Theodoſio ægrotante pacem cum Gotis firmat.
Veſogoti qui Oſtrogoti qui.

Id enim

Id enim Germana lingua ea nomina valent. Libet subscribere carmina Claudiani, qui deprauatissimè excusus est.

Non tibi Ryphæis hostis quærendus ab oris,
Non per Caucasias acc i to turbine valles
Est opus. Ostrogetis colitur, mixtusq; Guthungis
Phryx ager, hos paruæ poterunt impellere causæ.

Idem de Halarico Vessogeta:

—Vastatur Achiuæ
Gentis, & Epirum nuper populatus inultam
Præsidet Illyrico: iam quos obsedit amicus
Ingreditur muros. Illis responsa daturus,
Quorum coniugibus potitur, natosq; peremit.

Athanaricus Gotorũ dux.

Athanaricus Rex Gothorum Constantinopolim cũ Imperatore profectus est. Vbi cum maiestatem vrbis, & magnificentiam Augusti contemplatus fuisset, dixisse fertur: Deus profectò terrenus est Imperator, & qui Imperatori repugnat, parricida est. Periit Constantinopoli Athanaricus. Alarico Getarum nobilissimo iuueni ducatus limitis Danubiani, tutelaque commissa est. Vectigalia prouinciarum Illyricarum ipsi attributa sunt. Porrò Gratianus conciliauit sibi magna summa auri Alanos, Hunnos, Francos, Saxones, & cæteros Germanos, adeò vt eorum more aliquando vestitus prodiret. Aegrè id tulit Romanus miles. Quamobrem Maximus Tyrannus in Britannia Imperium arripit, inde Gallias petit. Gratianus desertus, & proditus à Romano exercitu ab obuijs vrbibus non receptus, dum in Italiam fugere tendit, apud Lugdunum fraude occiditur, anno post patris mortem nono, ætatis quarto & vicesimo. Fuit Gratianus literis haud mediocriter eruditus, carmine, & oratione insignis, sagittarum iaculandi peritus: aliisque virtutibus præditus. Eius præceptor fuit Ausonius Poëta, quem & Consulem cum Olibrio creauit. Multum eundem diuus Ambrosius commendat: ad eum contra Arrianos de Catholica fide scripsit: Eius ope Arrianorum secta deminuta est. Idem victor libidinis, & voluptatum, præter vxorem suam cum nulla alia mulierum rem habuit. Ita refert de eo Ambrosius. Aram Victoriæ, quam adhuc Romanus Senatus in curia colebat, euerti iussit, maximo patrum conscriptorum dolore, vti posthæc indicabo. Sub Gratiano & patre eius Vindeliciæ præses Maiorianus auus Maioriani Imperatoris.

Gratianus Germanos auro conciliauit.

Gratiani interitus.

Gratiani eruditio & virtutes.

Ausonius poeta Gratiani præceptor.

THEODOSIVS MAGNVS. XLIX.

Theodosii parentes.

THEODOSIVS patre Theodosio, qui genus suum ad Traianum referebat, matre Thermantia natus est.

Dedit hunc Hispania: principibus fæcunda pijs.

sicut ait Claudianus. Gotos Hunnos contudit, qui sub Valente grassabantur, cum ipsis fœdus fecit. Cum Gratiano, à quo ad Imperium euectus est, sex imperauit annos. Maximus occiso Gratiano fraude Andragatij, Romanum militem, totam Galliam occupat. Guthungi interim populantur Rhætias ob fertilitatem loci, & impulsore Maximo, qui domicilium Augustorum, Treuerorum Augustam constituit: quæ secundum Romam caput mundi, maxima vrbs in Europa fuit, ante conditam Neoromam à Constantino. Extendebatur ea tempestate ad vtramque Mosellæ ripam: authores sunt Tacitus, & Marcellinus. Inter clarissimas, maximasque & celebratissimas totius mundi vrbes secundum Romam, & Constantinopolim in Europa: in Africa Carthaginem: in Ægypto Alexandriam: in Asia Antiochiam, sexta ab Ausonio Poëta recensetur: ad quam missus est legatus diuus Ambrosius a Valentiniano (qui tum Mediolani cum matre degebat) vt repeteret corpus Gratiani fratris Valentiniani. Poscebat Maximus sibi hunc, vt puerum tradi, eius se fore tutorem pollicebatur. Ambrosius id fieri posse negabat, ob hyemis asperitatem, & tenellam Valentiniani ætatem, quæ adhuc materna egeret educatione. Iterum ob eandem causam Ambrosius ad Moguntiacum orator Valentiniani proficiscitur. Verũ exclusus à Tyranno, re infecta Mediolanum reuertitur: Valentinianum admonet, vt saluti consulat. Valentinianus ad Theodosium Constantinopolim fuga elabitur, à quo haud aliter, quàm Augustus (licet exul & omnium rerum egenus) honorificè exceptus est. Ambo deinde Imperatores expeditionem in Tyrannum parant, ad vlciscendam mortem Imperatoris Gratiani. Maximus Victorem filium suum impuberem Cæsarem designat ac nuncupat, Treuerisque relinquit, eundem cum Gallis Nanneno, & Quintino magistris equitum commendat: ipse edicta Romam mittit: Rhætias Vindeliciam, Noricum inuadit: Aquileiam occupat. Germaniæ nationes vltrò partium Valentiniani, & Theodosij (vt etiam Diuus Ambrosius commemorat) erant, adeò, vt plerique cum Tyranno sentientes, illarum manus euaserint, cùm se Valentinianos simularent. Iusserat Maximus aliquot millia virginum, quæ in Galliis distribueret, Treueros ex Britannia transuehi. Hunni & Saxones, atque

Theodosius à Gratiano ad Imperium euectus.

Maximus Galliam occupat.

D. Ambrosius legatus ab Valentiniano missus.

Valentinianus exul.

Maximus Victorem filium Cæsarẽ designat.

atque Picti ducibus Vannio & Melga, eas, vento in oram Germaniæ abreptas adorti, cum omnibus, qui easdem deducebant, trucidant circum Coloniam Agrippinensem, vndecim millia ab vulgo creduntur, ab alijs septuaginta vnum millia fuisse narrantur. Franci quoque Geuoualda Sonnone, Marcomaro ducibus, Rhenum circa Moguntiacum transgrediuntur. Haud inde procul in vico Sicilia nomine copias Maximi profligant: in totam Germaniam cisrhenanam, quæ est in Gallia Belgica, erumpunt, limite rupto, pluribus mortalibus cæsis, fertilibus maximè oris deuastatis. Agrippinensi Coloniæ metum iniiciunt. Quod vbi Treuiros nunciatum est, Nannenus, & Quintinus collecto exercitu, apud Agrippinam conueniunt. Sed iam Franci optima quæque depopulati, onusti præda Rhenum in Germaniam transierant. Aliquot tamen reliquerant in Romano solo ad iterandam deprædationem, quos Romani adgressi apud Carbuariam syluam fundunt, cædunt, pauci fuga elabuntur. Consultant posthæc duces ipsius Maximi in Franciam, ne trans Rhenum infesto exercitu iniurias vltum castra mouent. Nannenus ire recusat, caussatus Francos haud imparatos & domi proculdubio fortiores fore. Quod cum Quintino, reliquiisque formidinem, ac ignauiam interpretantibus displiceret, Nannenus Moguntiacum reuertitur. Quintinus armis infestis circa Nussium castellum, quod est Nouesium, Rhenum transgreditur. Secundis à Rheno castris, casas, ingentesque vicos vacuos habitatoribus offendit. Franci enim simulato metu, sese in saltus secretiores abdiderant, truncis arborum maximis per extrema syluarum passim collocatis. Romanus miles exustis domibus, noctem insomnem in armis ducit. Primo mane, Quintino duce, saltus ignotos, nec ante exploratos, temerè ingreditur: ad meridiem vsque aberrat, ambagibus viarum peragratis, omnia clausa sepraque ostendit. Et cum tandem in campos palustres, qui syluis iungebantur, erumpere conatur, Francorum pauci adparent, in codices arborum passim compositos consistunt, & velut è fastigiis turrium, sagittas veneno illitas spargunt: vti solo contactu summæ cutis, si ferrum in corpus altius non descendisset, mortem inferret telum. Deinde maiore Francorum numero circumuentus Romanus exercitus, in apertos campos, quos Franci reliquerant, auidius effunditur. Vbi primùm equites voraginibus mersi, mixtis hominum, equorumque ruinis opprimuntur: pedites verò, qui onere equorum compressi non erant, limo hærent ægrè gressum explicant. Rursus se syluis, vnde paulo antè emerserant, trepidi condunt. Turbata igitur acie Romana, cæsoque Heraclio legionis Tribuno, ac pene omnibus, qui militibus præerant extinctis, paucis effugium tutum nox & latibula syluarum præstiterunt. Saxonum quoque auxiliares copiæ, ad Illyrici tutelam ab Augustis accitæ, vires Maximi fundunt, cædunt, circa Sisciam superioris Pannoniæ vrbem, & circa Petanionem, quam Marcellinus, Ambrosius, & Antoninus Petauionem vocant, & Hieronymus Sophronius Petabionem nuncupat: quemadmodum & in vetustis membranis, in actis pontificum Iuuauensium scriptum reperi, Noricorum id oppidum nomen seruat, à quo Siscia centum millia passuum, sicut ab Aquileia ducenta abfuit. Nam apud Sisciam Theodosiani Sauum tranant: Maximi miles terga vertit, ad muros properat vrbis, fossis absorbetur, in flumen præcipitatur. Signifer ibi absorptus. Portæ metu illis occlusæ. Deinde Marcellinus frater Maximi delectas copias trahebat, aperto Marte pugnat, fusus in fugam versus, nox prohibuit fugientes occidi. Tertia manus submissis precabunda vexillis, petit veniam. osculis terram premens, calcanda corpora & arma Theodosij pedibus præbuit. Gratia facta iunguntur socio agmini. Maximus itaque vbique gentium victus Aquileiam intruditur: ibique ab Imperatoribus obsidione clauditur. Proditus à militibus suis, Theodosio & Valentiniano traditur: ad tertium ab Aquileia lapidem securi percutitur. Andragatius dux, in mare Hadriaticum, vbi classi præerat, se præcipitem dedit, atque submersus est. Arbogastus Germanus, ex Francia oriundus, Germanæ cohortis præfectus (verùm genitali solo pulsus à Sonnone & Marcomaro fratribus Regulis Francorum) in Galliis Victorem filium Maximi interemit. Victores Augusti domos redeunt, Theodosius Byzantium, Valentinianus Mediolanum. Celebris ibi tum legatio Senatus Romani adest: cuius princeps Symmachus vir illustris, & consularis, atque eloquentissimus. Petebant patres consulti, & ordo ille amplissimus, aram Victoriæ, veteres & auitas ceremonias restitui, quibus colendis Roma creuisset, & ad id fastigij, nempe totius orbis Imperium, conscendisset. Veritatem non vna adiri via: ob hasce neglectas, Rempublicam tot calamitatibus vndique opprimi, atque tandem perituram esse. Extat huiusmodi oratio satis luculenta. Sed acriter Diuus Ambrosius iussu Valentiniani respondit. Deinde & Prudentius Poëta carmine. Rem hancce nefandam postulandi animos dabant, vires eloquentiæ, præstigiæque humanæ sapientiæ, quòd Valentinianus puer imperitus rerum erat. Et quòd quidam Christiani, qui in aula versabantur, Imperatori suadebant, tot sanctissimis, & prudentissimis Romanæ curiæ patribus indulgendum esse: ipsos suo periculo errare. Neminem inuitum seruandum esse. Illud quoque adolescenti inculcabant Imperatori, Valentinianum genitorem ipsius, licet nouæ reli-

Franci Maximi copias fundunt.

Nussium quod est Nouesium.

Romana acies turbata.

Maximini cæsi à Saxonibus.

Petanio, vel Petauio, vel Petabio.

Marcellinus frater Maximi in fugam versus.

Maximi interitus.

Andragatius dux submersus.

Victor occisus ab Arbogasto Germano.

I gioni

gioni addictum, veterem non prohibuisse: seruatum idcirco ipsi, & proli suæ orbem terrarum esse. Fratrem verò Gratianum vetuisse, & ob id ita periisse eundem intelligi volebant. Valentinianus satis astutè, & admodum prudenti responso has pestes abs se abegit. Ego sicut pater (inquit) non prohibeo: at ne ingratus, & planè impius esse videar, acta pientissimi fratris (cuius pietas me ad Imperij culmen euexit) rescindere non possum: vtriusque acta tueri fas est, æquitas postulat.

Valentinianus in Gallias.

Valentinianus deinde in Gallias proficiscitur, Arbogastum rei militaris Magistrum legit. Iam enim virtus Romana, Italicaque degenerarat adeò, vt Germanorum fortitudini & fidei res bellica, rerumque summa committenda foret.

Stilico Vandalus.

Nam & Stilico itidem ex Germania oriundus, Vandalus genere, in oriente secundum Theodosium plurimum pollebat.

Serena fœmina doctissima Theodosii neptis.

Eidem Theodosius neptem suam ex fratre Honorio Serenam, fæminam doctissimam matrimonio iuxit: ex qua Mariam & Thermantiam Vxores Honorij Imperatoris, & Eucherium progenuit Stilico. Pater eius Stilico sub Valente Imperatore, Germanorum cohortis præfectus fuit, rei militaris scientissimus.

Fœdus cum Persis.

Theodosius cum Persis vltrò petentibus fædus fecit. Ob hanc rem Stilico missus est Babyloniam. At Arbogastus in Galliis Valentinianum adhortari non desiuit, vt in Francos arma moueat, qui de Germania, quæ est in Gallia Belgica, prædas egerant. Carietus, & Syrus Nanneno & Quintino in Germania cisrhenana, ac Romana sufficiuntur. Germanis transrhenanis cum exercitu opponuntur.

Arbogastus vindictæ auidus Imperatorem contra Francos incitat.

Arbogastus gentili odio prosequebatur Sonnonem, & Marcomarum Regulos Francorum. Vindictæ auidus Imperatorem aduersus ipsos incitabat Francos: postulabatque vniuersa, quæ superiore anno cæsis legionibus diripuerant, restitui: & authores belli, Sonnonem & Marcomarum nimirum petens, dedi: in quos, vt perfidos, pacis violatæ crimine reos more maiorum animaduerteretur. Post paucos deinde dies Valentinianus Imperator ad Rhenum proficiscitur: inuitatos ad colloquium Sonnonem & Marcomarum, impetratis ex more obsidibus, in Germaniam dimittit. Ipse Treueros ad hyberna concedit. id displicuit Arbogasto: Ideo non ita longo post tempore, conscio Eugenio scriba & à secretis Augusti,

Arbogastus in Valentinianum conspirat.

Arbogastus in Valentinianum conspirat. Principem ipsum Viennæ intra prætorium ædesque Palatinas includit, in ordinem ad priuati modum redigit, militaris rei curam Francis satellitibus suis committit: ciuilium quoque munerum præfectos in suas trahit partes. Nemo omnium, ne miles quidem, licet sacramento adactus, familiari principis colloquio vti, aut iussis obsequi audebat. Imperator his necessitatibus adactus, cùm nulla salutis spes esset, diuum Ambrosium Mediolano clanculum acciuit, ab eo lauacro cœlesti, initiari lustarique postulabat.

Valentinianus lauacro cœlesti lustrandus strangulatur.

Verùm cùm Ambrosius aduentaret, ante à coniuratoribus strangulatur, necaturque anno octauo post fratris necem. Cadauer exanime (ait Diuus Hieronymus) suspendio, (quasi sibi ipse mortem consciuerit) laqueoque infamatum.

Arbogasti simultas in Franciæ Regulos.

Dum hæc aguntur, interea Arbogastus ob veterem simultatem in Sonnonem, & Marcomarum Franciæ Regulos, hyeme maximè rigente, Agrippinensem Coloniam cum omnibus copiis petit: ratus omnes Franconiæ recessus tuto penetrari vbique posse, cùm decussis folijs nudæ atque aridæ syluæ insidiantes occultare non possent: & paludes congelatæ peruiæ militi Romano forent. Collecto ergo exercitu, transgreditur Rhenum, Bructeros ripæ proximos, Chamanorumque pagum depopulatur, nullo vnquam hostium occurrente, adparenteque, præter admodum paucos ex Ansuariis & Chattis, qui Marcomaro duce in vlterioribus collium iugis se ostendebant. Itaque Arbogastus non ausus se credere syluis, territus periculo Quintini, nulla re memorabili gesta trans Rhenum Agrippinam reuertitur: Eugeniumque (qui antequam in aulam delatus fuit, ludi literarij magister fuerat)

Eugenius Gallorum Imperator creatus.

Imperatorem Gallis creat. Eugenius continuò ad Rheni limitem castra mouet, & cum Regibus Alemannorum & Francorum ex veteri nouorum principum instituto, fædus init: munera & donatiua stipendiaque distribuit: vt immensum ferarum gentium exercitum Theodosio, necem Valentiniani vlcisci paranti, ostentaret & obiiceret. Alani, Getæ, Germani Danubij accolæ Theodosio, Rhenani Eugenio fuere auxilio.

Eugenius aram victoriæ Senatui restituit.

Eugenius Flauiano præfecto vrbis, petente aram Victoriæ, sumptus cæremoniarum senatui Romano restituit, quod Valentinianus negarat. Theodosius cælo superisque fauentibus, Tyrannos in alpibus superauit: decem millia hominum deleuit. Apud Theodosianos ventorum turbo, & procella exorta in hostes sæuiit, eosdem sternit, tela hostium manibus excussa in dominos retorquet. Eugenius captus pœnas capite luit.

Arbogasti interitus.

Arbogastus sibi gladio mortem consciuit. Claudianus eleganter de hoc bello ad Honorium Imperatorem ita scribit:

Barbarus Hesperias exul possederat vrbes,
Sceptraq; deiecto dederat Romana clienti.
Te propter gelidis Aquilo de monte procellis
Obruit aduersas acies, reuolutaq; tela
Vertit in authores, & turbine reppulit hastas.
O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Aeolus armatas hyemes: cui militat æther,

Et con-

Et coniurati veniunt ad classica venti.
Alpina rubuere niues, & frigidus amnis
Mutatis fumauit aquis, turbaq; cadentum
Staret: ni rapidus iuisset flumina sanguis.

Victor Theodosius Iouis aurea simulachra cum fulminibus trisulcis: itidem aureis minitantibus diripi à suis permisit, non sine ioco: à Ioue, inquiebant, fulminari volumus. Illa aduersus Theodosium, nescio quibus ritibus consecrata, in alpibus posita erant. Inde vbique gentium edicto signa deorum sustulit Theodosius, euertique iussit. Germani quoque, qui Gallias inuaserant, pacati sunt. D. Ambrosius per Epistolam Fritegilem vxorem Rosemundi Regis Marcomannorum (Sueuorum natio est, Boiemiam tum Danubium vsque tenebant) in religione Christiana instituit, eius ope vir cum Romanis pacis fœdera (hortante Ambrosio mulierem) seruauit. D. quoque Hieronymus ad Sunniam, & Eretelam, Germaniæ mystas, Nitrauensem, & Auguturensem, per Firmum presbyterum scribit. Dauidis diuinos hymnos ad Græcorum fidem, & Hebraicam veritatem emendat. Docet Germanos, quemadmodum literis peritierant, quo pacto deprauata in Psalmis restitui debeant, iuxta Hebræorum fontem, & septuaginta editionem, ab ipso Hieronymo sub asteriscis, & obelis prius traditam. Operæprecium est verba Hieronymi subnectere, vt planè liqueat, maiores nostros non adeò barbaros fuisse atque ignobiles, quales imperiti quidam, & qui sua duntaxat admirantur, faciunt. *Verè in vobis* (inquit) *Apostolicus & Propheticus sermo completus est, In omnem terram exiuit sonus eorum. & in fines orbis terræ verba eorum. Quis hoc crederet, vt Barbarus Getarum lingua Hebraicam quæreret veritatem? & dormitantibus, immò contendentibus Græcis, ipsa Germania Spiritus sancti eloquia scrutaretur? In veritate cognoui, quoniam non est personarum acceptor Deus. Sed in omni gente, qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. Dum callescentes tenendo capulum manus & digiti tractandis sagittis aptiores, ad stylum calamumq; mollescunt, & bellicosa pectora reuertuntur in mansuetudinem Christianam. Nunc & Esaiæ vaticinium cernimus opere completum: Concident gladios suos in aratra, & lanceas suas in falces: & non adsumet gens contra gentem gladium: & non discent vltrà pugnare. Rursumq; in eodem. Pascetur lupus cum agno, & pardus requiescet cum hædo: & vitulus & leo, & taurus pascentur simul & puer paruulus ducet eos: & bos, & vrsus in commune pascentur. Paruuli eorum erunt pariter, & leo & bos comedent paleas: non vt simplicitas transeat in feritatem, sed feritas discat simplicitatem.* Theodosius Deo & hominibus acceptus, extinctis Tyrannis, parta terra marique pace, victoria signa Mediolanum intulit: Imperiumque filiis suis Arcadio, & Honorio diuisit. Hunc accitum Mediolanum Occidenti, Romæ, Europæ (præter Thracias, & Græcias) & Africæ præfecit: illum Orienti, & Constantinopoli, & Græcis rectorem dat. Eos ex Flacilla filia Anthemij, patris Mariani Augusti genuit: Placidiam ex Galla filia Valentiniani primi, sorore Valentiniani secundi suscepit. Ex qua, & Constantio, natus est Valentinianus tertius, qui post Honorium auunculum suum Romæ potitus est. Expressit Theodosius animo, & filo corporis Traianum principem. Simplicia ingenia amauit, erudita admiratus est, adeò vt ad quosdam doctos contra morem principum, familiares & autographos (ita ipse adpellat) sermones transmiserit, postulans scripta eorum, fassusque sit, se amplius, quàm Octauianus solitus sit diligere literatos quosque. Singularis clementia in hoc Imperatore fuit: sola purpura se à cæteris mortalibus differre dictitabat. Nullos auidius traxit (ait Symmachus) quàm nil desiderantes: morum egit delectum, & in suos censuram. Beneficus in omnes homines, bonos effusius diuitiis tollebat. Victor libidinis, inanis gloriæ, voluptatum & gulæ lege prohibuit ministeria: psaltrias commessationibus adhiberi vetuit. Consobrinorum nuptias, vt incestum detestatus est. Bella non mouit, sed inuenit. Mediocriter literarum peritus, si perfectos nimium contempleris. Sagax, diligensque ad noscendas res gestas, hisque legendis plurimum operæ impendit. Ex quibus non desinebat execrari veterum principum crudelitatem, superbiamque. Irascebatur sanè facile rebus indignis, sed citò flectebatur. In summa, vt omnia complectar vno verbo, Viuum Christiani principis exemplar fuit. Qui plura de tanto Imperatore cognoscere velit, præter annalium scriptores, diuum Ambrosium & Augustinum, Claudianumque Poëtam legat. Vixit annos sexaginta, obiit post Valentiniani necem anno tertio, sextodecimo Calendas Februarij, Christianæ salutis trecentesimo, & septimo super nonagesimum, Imperij septimodecimo. Imperauit cum Gratiano & Valentiniano, fratribus vxoris suæ Gallæ, annos quatuordecim. Contigere huic seculo præclarissima ingenia, Gregorius Nazianzenus. Gregorius Nyssenus, & frater eius Basilius Magnus: Ioannes Chrysostomus, ob dicendi facultatem ita cognominatus. Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Claudianus Poëta, Prudentius Poëta, Ausonius Poëta, Pontius Paulinus Symmachus vir Consularis & illustris, Pontifex Max. acerrimus cultus deorum defensor. Et plerique alij, quos recensere, ab incæpti operis proposito longius abest. Post hos bonæ literæ, simul cum sacrosancta hactenus Imperij maiestate, graui admodum casu interiere, plusquam per mille annos sepultæ. Nostro demum seculo reuiuiscunt inuitis hostibus suis, qui cal-

Theodosius idola euertit.

Fritigil [v]xor Rosemundi regis, in relig. Christiana instituitur.

D. Hieronymus Psalterium Dauidis emendat.

Iesa. 2. 5. 4.

Theodosius Imperium filiis diuidit.

Flacella.

Placidia.

Theodosius literatorum amans.

Theodosij virtutes.

Theodosius viuum Christiani principis exemplar.

Patres qui sub Theodosio vixerunt.

cie & habitu duntaxat religionem per se ferentes, ingenia in seruitutem crudelissimis tyrannis insolentiores redegerant.

D. N. THEODOSIVS P. F. AVG. CONCORDIA AVG. C. G. A Q P S.

HONORIVS. L.

Honorius & Arcadius fratres, Cæsares.

HONORIVS, & Arcadius, fratres Germani, filij Theodosij Magni, optimo parenti impuberes succedunt. Eorum ætas nondum matura imperio tutoribus prædæ exposita fuit, direptuique patuit. Respublica orba, & in medio posita, dilacerata est: indies magis atque magis sensim decrescere cæpit. Sibi quisque ducere, rapere, trahere: ita omnia in plures partes distracta sunt. Simplicia iuuenum ingenia omnes moribus suis metientium, diuendita sunt à proceribus, qui & discordias inter fratres serere cæperunt: pecuniæ, opum, dominandi libido furiosa inualuit. Rabiosa & furens auaricia, omnia sibi vendicans, omnes hostium numero ducens, corripuit gradum: omnes prouinciæ venales fuerunt. Priuatis creuerunt æraria damnis: prouincialium diuitiis insidiati sunt Rectores. Dona plus æquo valuerunt. Præsides legum, præmiis, muneribusque corrupti, vel in remuneratione malorum, vel perniciem iustorum, sententias venditabant. Sibi quisque consulere, ius in viribus computare, nocere inuicem, fraudare, dolis circumscribere, augeri patrimonia locupletum per damna miserorum cæperunt. Prouinciæ plus à magistratibus, quàm hostibus vastatæ sunt: nouis vectigalibus attriti populi. Diuisæ prouinciæ sunt, portio tantundem pendere iussa est, quantum tota solebat tribuere. Ducum numerus pereuntibus terris auctus est: milites neglecti: militaris disciplina spreta est: peditibus arma grauia esse cæperunt. milites Romanos desidia & negligentia inuasit. Primò cataphractas, deinde cassides abiecere, sic nudati, detectis pectoribus, ac capitibus congressi cum Gotis, Hunnis, Alanis, Germanis, multitudine sagittariorum sæpè deleti sunt. Castrorum quoque muniendorum scientia intercidit. Nemo iam deductis fossis, præfixis sudibus castra constituebat. sic noctu, dieque superueniente equitatu hostium, Romani exercitus frequenter adfligebantur. Cedentes munimentum castrorum, quo se reciperent, non habebant: more animalium inulti cædebantur: nec prius moriendi finis, quàm hostibus voluntas fuit persequendi. Exercitus luxu Asiatico perditi, à signis aberant, potabant, scortabantur, olebant vnguenta, fortiter computabatur, qui plus biberat. Accusationis occasio erat adiuratum per Cæsarem, frequentius non bibisse. vomebant vt biberent: bibebant vt vomerent. tribuni militem suum stipendiis defraudabant. Inter hæc ducibus ita instituentibus, quo ex sua libidine omnia gubernarent, Imperatores neglecta Roma, locis obscurioribus voluptati operam dabant: ocio torpescebant: negocia in alios relegabant. Rectores externi, quibus rerum summa commissa erat, plus auxiliis, quàm legionibus Romanis tribuere consueuerunt. Romanorum militum numerum in demortuorum locum non sufficere: cum hostibus pacisci, quibus tamen promissa præmia negabant, vt Romanas prouincias illi incursarent: & hac via duces Imperium adfectabant. Quisque primus omnium esse contendebat, alios criminabatur, flocci faciebat: neminem emergere, aut ad honores peruenire, nisi suarum partium patiebatur: ita ima summis miscebantur. ad pugnas inde cum pernicie Reipublicæ deueniebatur. Ciuilis quoque discordia, & Tyrannorum rabies plus quàm hostium arma debilitarunt vires Romanas. Domestica bella barbarorum pugnam superarunt. Romani Senatus insuper superbia, atque impietas, non minima caussa fuere omnium calamitatum, si diuo Hieronymo, & Augustino credimus, qui ea tempestate istæc pericula senserunt, & pars huiusmodi incommodorum fuerunt. Germania ob negata solita donatiua ab omni parte, ruptis limitibus sæuire cæpit, in Romanorumque solum irrupit. Theodosius moriens, tribus ducibus Imperij gubernacula, diuisis terminis commendarat. Ruffinus oriundus ex Elita opp:do Britanniæ, Asiam, Ægyptum, Orientem procurabat. Stilico Occidentem, & Vrbem Romam in potestate habebat. Gildo Africam nomine Honorij tenebat. Primus Ruffinus insatiabile auariciæ Barathrum, ius diuinum humanumquè violauit. Continuò, posteaquam Theodosium decessisse audiuit, dum adhuc abest Romanus miles Orientalis, in Italia munera Germaniæ, Sarmatiæ gentibus hactenus tributa intercepit, fœdera fregit, extorquereque hac perfidia Imperium Arcadio pupillo conabatur. Massagetæ, & Hunnorum examina Asiam inuadunt: insperato vbique pernicibus equis adsunt, huc illucque volantes vincunt, non ætati, non religioni, non sexui, non vagienti infantiæ parcunt. Muri neglecti, pacis incuria sarciuntur. Antiochia obsessa est: vrbes reliquæ, quas Orontes, Halis, Euphrates, Cidnus præterfluunt, vastatæ sunt. Tracti greges captiuorum. Arabia Phœnix, Palæstina timore captiuæ matronæ, & virgines Dei stupratæ sunt:

Ruffinus. *Stilico.* *Gildo.*

Massagetæ & Hunni Asiam inuadunt.

sunt: monasteria capta, ingenui & nobiles ludibrio fuerunt. Capti pontifices, sacerdotes interfecti, subuersa templa, ad aras stabulati equi. Christianorum, qui pro fide occisi erant, ossa effossa sunt. vbique luctus, vbiq; gemitus, vbique plurima mortis imago. Rumor erat eos Hierosolyma ob cupiditatem auri petere. Diuus Hieronymus compulsus est parare naues, esse in littore, hostium aduentum præcauere: virginum castitati consulere. Alani, Basternæ, Moschi, Geloni, Getæ transito Danubio, occiso Promoto duce. Græcias, Thessaloniam, Macedoniam, Pannonias, Mæsias, Scythiam, Dardaniam, Thraciam, Illyricum, Noricos sociis Getis, cæde, præda, flamma vastant. coloni agris captiui abducti sunt, Mænia vrbium metu hostium, clausa fuerunt: Constantinopolis obsessa est. *Constantinopolis obsessa.* Hanc cladem eleganter & copiosè describit Claudianus in libro secundo contra Ruffinum: statim in principio eiusdem voluminis: quem si libet, lege, nos breuitati studemus. Dum hæc in Oriente geruntur, Stilico (quemadmodum Theodosius mandarat) ad Rhenum profectus est, cum Germanis veteri ex more amicitiam iungit: fidem eorum Honorio nouo Imperatori muneribus oppignerat: authores seditionum & latrociniorum superat. Marcomarum Regulum Franconum cepit, in Tusciamque relegauit. Fratrem huius Sonnonem prælio occidit. Claudiani, qui tum sub Stilicone militauit, de hac re ista sunt carmina:

Regia Romanus disquirit crimina carcer,
Marcomarus, Sonnoq; docent, quorum alter Ethruscum
Pertulit exilium: quum se promitteret alter
Exulis vltorem, iacuit mucrone suorum.
Res auidi conscire nouas odioq; furentes
Pacis & ingenio scelerumq; cupidine fratres.

Compositis rebus in Occidente, Stilico cum exercitu orientali ob tutelam Romani Imperij Constantinopolim versus tendit. *Stilico Constantinopolim tendit.* Illyricum Danubij oram, Græcamque domitis partim vi, partim donis hostibus parcat. Ruffinus timens Stiliconem ab Arcadio literas ad Honorium impetrat, in quibus ab Honorio postulabatur, vt Stiliconem reuocaret: cui Occidens, non Oriens commissus esset. Stilico epistola Honorij admonitus, contra voluntatem exercitus Orientalis ad Italiam redit. Milites Orientales in necem Ruffini coniurant, qui res nouas moliri dicebatur. eius consilio Massagetæ, & Hunni. Getæ fœdera rupisse ferebantur. Dum cum cadauere Theodosij extra mœnia Bizantinæ vrbis exercitus ab Arcadio excipitur, quintodecimo Calendas Decembris, Ruffinum lateri principis hærentem trucidat. Ruffini caput pilo Constantinopoli circumlatam, & abscissa dextra ad dedecus insatiabilis auaritiæ hostiatim stipes emendicauit. Hoc Claudianus ita describit: *Ruffini interitus, & ignominia.*

Nec minus assiduis fragrant elidere saxis
Prodigiale caput: quod iam de cuspide summa
Nutabat digna rediens ad mœnia pompa.
Dextera quinetiam ludo concessa vagatur
Æra petens fraudes animi persoluit auari
Terribili lucro, viuosq; imitata retentus
Cogitur adductis digitos inflectere neruis.

Gildo quoque Africæ legatus ab Honorio ad Arcadium deficit: *Gildo ad Arcadium deficit.* hoc perfidiæ prætextu sibi Africam vendicare cœpit. Ægyptus, & Africa Cereris Horreum fuere Romanis vbi Neoroma condita est, huic Ægyptus addicta est. Africa veteri Romæ mansit. Gildo victus est, pœnasque capite luit. *Gildo occisus.* Eutropius inde Eunuchus ab Arcadio vxoris precibus victo, Consul Romanus, cum Malleo Theodoro declaratur. *Eutropius consul Rom.* Eunuchus vestigia Ruffini secutus, Ostrogetis & Gothungis debita præmia præripit. Ipsi Tarbigilo duce fœdera soluunt. Asiæ minoris vberrima quæque depopulantur. Osium, cocum quondam, & Leonem Lanarium obuiam cum exercitu missos, cædunt, fundunt. Eunuchus ab fascibus deturbatur, in Cyprumque deportatur: annusque velut in fausto omine, Consule Eunucho pollutus lustratur. Stilico Consul designatur: *Stilico Consul assignatur.* qui occultiore via imperium filio suo Eucherio parans, duas filias suas Honorio Imperatori despondet (extat Epithalamion Claudiani) vtraque morte sine prole sublata est. Stilico Germanis promissa denegat, eos in Romanos concitat. suspicabatur hostibus vndique vrgentibus sibi filioque suo, vt Rei bellicæ peritissimis, Romana gubernacula committenda, præsertim cum Honorius gener ipsius, iuuenis & imperitus huic tempestati & procellæ impar foret. Vessogetæ primi fœdus exuunt, *Vessogetæ fœdus exuunt.* relicta Thracia triplici agmine rectà in Italiam tendunt, spe potiundæ Romæ. Rhadagæsus cultores deorum ducebat: qui Christiani erant, sub Alarico militabant. *Rhadagæsus.* Honorius tum Rauennæ versabatur, fugamque ornabat in Gallias. Alaricus in subsidiis *Alaricus.* intra Padum & Athesim amnes sese continuit. Tertiam manum Hunnorum, & Getarum, Vldinus & Sarus ducebant. Rhadagæsus in Tusciam penetrauit.

—Iam Danubij quoque fœdera gentes:

Exuerant Latij audita clade feroces,
Vindelicos saltus, & Norica rura tenebant.

Stilico Germanos ad se trahit. Stilico, inter quem & generum medij Vessogetæ erant, per alpium iuga in Rhætias ad Danubium pergit, improuiso adest. Germanos ingentibus pollicitationibus & muneribus in suas partes trahit. Auxilia contra Getas emit, contra Rhadagæsum arma mouet. *Goarus rex Alaunorū.* Omnes legiones, quæ Rhætias ad Rhenum custodiebant abductæ in Italiam. Goarus Rex Alaunorum partes Romanas secutus est: itidem Vldinus & Sarus ingenti mercede redempti. Rhadagæsus haud procul Roma, certus potiundæ vrbis castra locarat: quotidianis *Idololatra.* sacrificiis diis, vt eos propicios haberet, sacrificabat. Tum cultores deorum prouolant: coeuntque, in religionem Christi conuicia iactant, eam omnium calamitatum, omnis stragis & cladis causam esse vociferantur. Iratis diis Italiam opprimi: orbem Romanum ruere ob veteres ceremonias neglectas: Contrà, Vessogetas, id est, amicos deorum immortalium, auitæque religionis consectaneos, secundis vbique frui successibus, nec superari posse. Extremum Imperio haud dubiè fatum imminere, nisi superos placarent. Vetera, & auita sacra, quibus Roma creuisset, reciperent. Philosophi prophani à sacramento Christi tum religionem nostram interituram prædixerunt. Eo anno, quo id fore ementiti sunt, iussu Imperatorum religiosissimorum per Gaudentium & Iouium præfectos & *Templa deorum excisa.* Comites, quartodecimo Calendas Apriles templa deorum excisa, solo æquata sunt: simulachra in cineres comminuta. Stilico autem collectis viribus Romanis, & accitis vndique *Stilico Rhadagasi copias delet.* auxiliis in Rhadagæsum bellum conuertit: & citra periculum ferè suorum, omnes Rhadagæsi copias ad internecionem delet. Cumque Imperium filio suo Eucherio denegaretur, Alarico pacem dedit, alias clam Germaniæ gentes in Romanos concitauit: quarum sæui- *Germani Galliā perdunt.* tiam misera Gallia sensit. Saxones Britannias depopulantur: Alani, Gepidæ, quorum rex Rosopendial: Vandali rege Modegisilo, cuius filij Gundericus, & Gensericus, Marcomannorum, Quadorum, Salingorum (Sueui sunt) rex Hermanericus, Burgundionum Gandericus. Franci quoque, pridie Calendas Ianuarias, hyeme rigente Rhenum transeunt, in Gallias irrumpunt, vniuersas Gallias occupant: quicquid inter alpes Pyrenæumque, quod Oceano & Rheno includitur. Moguntiacum (vt scribit diuus Hieronymus) nobilis quondam ciuitas, capta atque subuersa est, & in æde sacra multa hominum millia tru- *Albanus Pontifex.* cidata cum diuo Albano Pontifice. Vangiones longa obsidione deleti. Remonum vrbs *Nicasius Pontifex.* præpotens capta, direpta. Nicasius Pontifex cum sorore Eutropia interemptus: Ambiani, Atrebates, extremique hominum Morini, Tornacum, Argentoratum, Nemetes, Augusta Treuerorum, & pleræque Galliarum vrbes translatæ in Germaniam. Lingonum vrbs *Desiderius Pontifex.* capta, Ciues Christo canentes occisi. Desiderius pontifex Vincentio à sacris in templo *Antidius Episcopus.* periit. Antidius Vesontiorum Episcopus cum suis trucidatur. item Florentius, & Hilarius Sedunenses. Aquitaniæ, Nouemque populorum, Lugdunensis, & Narbonensis prouinciæ, præter paucas vrbes, deuastata sunt cuncta, quas & ipsas foris gladius, intus fames *Exuperius Episcopus Tholossam seruat.* depopulabatur. Tholossam precibus diuus Exuperius Episcopus seruauit, qui aurum templi pauperibus distribuit: auariciam de sacrario eiecit. Quod reliquum fuit Galliarum, Tyranni Constantinus, & Constans: Iouius, & Sebastianus Tyranni atterunt. Burgundiones continuò loca proxima Rheno, vbi quondam Heluetij habitarunt, (nam horum regionem minorem Burgundiam olim dictam fuisse inuenio) ad Atarim quoque & Rhodanum flumina, confines regiones occupant, sedesque locant, sicut adhuc ibi Burgundia nominatur. Oritur inde inter Vandalos & Francones certamen ob prædam. Inualueruntque Francorum vires, Vandalosque fundebant, cædebant, sternebant. Venit in tempore auxilio Vandalis Rosopendial Rex Alanorum. Franci fessi superati facilè ab integris, amissa præda, in Franciam antiquam pelluntur. Alani, Sueui, & Vandali postea deuastatis Galliis præda, ferro, flamma, in Hispanias irrumpunt, easque inter se diuidunt. Alani Lusitaniam, & Carthaginensem prouinciam sortiuntur, Sueui & Vandali Berhicam Calleces, Callaicos, siue Galliciam, Cantabros, & Astures quos modò Vasconas, Nauarros, Castiliosque vocamus, occupant. Tarraconensis prouinciæ populi à Romanis non defecere, seque fortiter tutati sunt. Franci quoque creato Rege Variomundo, partem Galliarum Rheno propinquam, rursus amne transito occupant. Porrò in Italia Stilico *Stilico pacē cum Alarico initam frangit.* Alarico pacem dat: ei Rhætias & Galliam adtribuit. Quo dum pergit Alaricus, Stilico pacem violat, fidem frangit, Getas inopinatos paschalibus, nec quicquam mali metuentes, nec repugnantes adgreditur, cædit, fundit. Tandem Getæ arma corripiunt, aciem instruunt, hosti fortiter resistunt, copiasque à Stilicone missas, delent: deinde rectà Romam tendunt. Interim exercitus Romanus perfidiam Stiliconis resciuit, perniciosum *Stilico ab Romanis opprimitur.* igitur tutorem, cum filio Eucherio opprimit: morte horum Reipublicæ consulit: plerique etiam conscij fraudis cecidere. Nam hæc (vt ait Diuus Hieronymus) non vitio principum, qui vel religiosissimi sunt, accidere, sed scelere semibarbari proditoris, qui nostris contra nos opibus armauit inimicos: nimirum Stiliconem hisce notat verbis Hieronymus. Sed ad Vessogetas, & Alaricum, & historiam redeundum est. Moritur inter hæc

Arca-

Arcadius Imperator Orientis, frater Honorij, relicto successore filio Theodosio, hærede Imperij Orientalis, decedit ab orbe seruato, CCCC. XI. Basso & Philippo Coss. Alaricus arcta Romam obsidione claudit, fameque ad deditionem cogit: qua grauissime in vrbe laboratum est. Quidam auro redimentes vitam, spoliati, rursus Romam truduntur. Ad nefandos cibos erupit esurientium rabies, & sua inuicem membra laniarunt. Mater non lactanti infantiæ pepercit, recepit vtero, quem paulò antè effuderat. Vix pauci, qui caperentur, inuenti sunt. Fessis omnibus inedia, cùm nullum ab Imperatoribus speraretur auxilium, noctu Vrbs caput mundi capta est. Capitur vrbs quæ totum cepit orbem. Antequam tamen Alaricus Romam cum exercitu introiret, edicto (quod nunquam factum aliàs leges) ædes sacras Christianorum inuiolatas fore sciuit: eoque confugientibus impunitatem, & salutem condonauit. Multi tum falsorum numinum cultores se Christianos (quos antè acriter conuiciis oppugnarant, verbis, & insanis vociferationibus) esse simulantes: euasere manus hostium. (inquit Hieronymus)

Roma capta ab Alarico.

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet? aut posit lachrymis aquare dolorem?
Vrbs antiqua ruit multos dominata per annos,
Plurima, perq; vias sparguntur inertia passim
Corpora, perq; domos, & plurima mortis imago.

Tota Orientis, Ægypti, Africæ litora, olim dominatricis Vrbis seruorum, & ancillarum numero completa sunt: & nobiles quondam vtriusque sexus, atque omnibus diuitiis adfluentes susceperunt mendicantes. Ab iniuria ædificiorum temperatum est: aurum, defossæ opes, Vrbs direpta est. Capta est Roma anno à nato Christo præside, & domino mundi Quadringentesimo, super duodecimum, Calendis Aprilibus. Ex hoc tempore prouinciæ paulatim defecerunt, gentes deletæ, regna excisa sunt: retro omnia fluere, misceri. Germani inualescere cœperunt. Et cùm orbis terrarum (teste diuo Hieronymo) rueret, in hominibus peccata non ruebant. Vbique ossa regum, principum, sacerdotum, populorum eiecta fuere de sepulchris: & vniuersa completa sunt ossibus mortuorum, ita vt lachrymæ aruerint. Subdit alio loco vir doctissimus, *Vastatis vrbibus, hominibusq; interfectis, solitudinem, & raritatem bestiarum quoque fieri, & volatilium, pisciumq;. Testis Illyricus est, testis Thracia, testis in quo ortus sum, solum: vbi præter cælum, & terram, & crescentes vepres, & condensa syluarum cuncta perierunt. Iram quippe Dei Opt. Max. etiam bruta sentiunt animalia. Quid multis opus verbis? Romanus corruit orbis: Occidens in Germaniam translatus est.* Victor Alaricus sexto die egressus Romam, abducit captiuam Placidiam filiam Theodosij magni, sororem Imperatorum: eam in foro Cornelij Hatulpho cognato suo connubio iungit. Lucaniam, Campaniam simili clade peruagatur. In Siciliam, inde in Africam nauigare conatur, naufragio prohibetur: dum Consentiæ hyemat, subitò perit. Getæ ludibria effossi cadaueris metuentes, Bussentum amnem, qui vrbem Consentiam præterlabitur, aliò deriuant: cadauer in alueo cum ingentibus opibus condunt: rursus flumen veteri meatui reddunt. Hinc Hatulphum Regem creant: quo duce rursus Romam inuadunt. Quicquid reliquum, quicquid supererat superiori cladi, attritum est. Italia deuastata, Hatulphus in Gallias transit. Vxoris moribus mitior effectus, fœdus init cum Romanis, quamobrem à suis interficitur. Sigericus huic non ita longo tempore succedit. Deinde Vallia, vir admodum prudens, seuerusque à Vessogetis regia potestate euehitur. Is Vandalos, eorum consanguineos Alanos strauit ad Calpen Arganthonini. Honorius Occidentis Imperator, Constantium rei bellicæ, disciplinæque militaris exercitatissimum, ingentisque animi ducem ad Gallias vindicandas mittit. Nam & Tyranni frustra freti auxilio Germanorum, Britannias, Gallias, Hispanias (præterquam id, quod à Germanis tenebatur) rapuerant. Constantius pacem cum Vessogetis componit, danturq; ipsis quædam vrbes Aquitaniæ Secundæ, aliaq; oppida confinium regionum. Pars Galliarum est proxima Hispaniæ. Redditur Honorio Placidia soror: eam ducit Constantius. Proinde Cæsar ab Honorio Augusto adpellatur. Constantinus deinde Tyrannus Arelati obsidetur, ac capitur quarto obsidionis mense, missusque in Italiam Honorio, ad Mincium flumen Tyrannidis pœnas capite pendit. Constans filius eius à Gerontio præfecto Viennæ simili fato perimitur. Eadem strages Iouinum, Salustium, & Sebastianum Imperij occupatores, à Gotis desertos inuoluit. A ducibus Honorianis crudeliter interempti sunt Valentiæ: vrbs est Galliarum nobilissima. Maximus Hispaniæ Tyrannus captus Rauennam ductus, Honorio tricennalibus (quæ pro liberando Imperio vouerat) spectaculo fuit. Alani à Gotis, & Vallia Rege domiti sunt; adeò vt omisso regio nomine, Getis se permitterent. Vnde ab ipsis Tarraconensis Hispaniæ pars, & Carthaginensis Gotolania nomen retinet. Britanniæ quoque à Scotorum, Pictorum, Saxonum incursatione liberatæ sunt. Fato posthæc Constantius Cæsar, relicto filio

Quo tempore Vrbs capta.

Placidia filia Theodosij Magni Hatulpho connubio iuncta est.

Alaricus perit.

Hatulphus Rex à suis interfectus. Sigericus. Vallia Rex Alanos strauit.

Placidiam Constantius ducit. Constantinus Tyrannus pœnas capite luit.

Valentiniano trimulo, concedit. Honorius sororem paulo post sibi insidias tendentem, in Orientem cum filio ad Theodosium nepotem pellit. Ipse imperauit annos duos cum patre: cum fratre Arcadio tredecim: cum Theodosio fratris filio quindecim: obiit febricula,

Honorij mors.

Impetij anno tricesimo, ætatis quadragesimo. Hisce temporibus Marcum Aurelium Vindelicis præsedisse, & Constantium Archiflaminem Laureacensem in Prouinciis, quas Boij tenent, oues Christi annis quadraginta amplius pauisse reperio.

D. N. ARCADIVS AVG.
VICTORIA AVGG. G.
M. D.
COM. O. B.

VALENTINIANVS TERTIVS. LI.

Ioannes scribarum Magister Imperium Romæ arripit.

POST mortem Honorij, Ioannes scribarum Magister, factione Castini Scythæ ducis copiarum, Imperium Romæ arripit: legatosque ad Theodosium Augustum Neoromam, vt author fieret, frustra mittit. Quin cum mandatis atrocioribus oratores nusquam benignè auditi, redeunt. Tyrannus Aëtium tum præfectum prætorio, ad Hunnos, auxiliares copias petitum, proficisci iubet. Erant Hunni amici Aetio (apud eos enim obses fuerat) Hunni inescati muneribus, cum Aëtio ad Italiam pergunt. At Theodosius Augustus, vbi de morte patrui certior factus est, Valentinianum octo duntaxat annos natum, amitinum suum, Cæsarem declarat: & matrem eius Placidiam Augustam cum exercitu, & filio in Italiam & Romam, ad accipiendum Occidentis Imperium dimittit. Ioannes ab Orientali exercitu victus, interemptus est. Rauenna ab irato milite diripitur. Castinus dux in exilium agitur. Aëtius, qui iam cum Hunnis Italiam adtigerat, veniam impetrat. Nam eius ope Hunni domum absque maleficio reuertuntur. Spes erat sub illo Imperatore disciplinam militarem, cæteraque restitutum iri. Fuerunt ea tempestate in Occidentali aula tres duces celebratissimi, Castinus Scytha, & Bonifacius Thrax, legatus Africæ, familiaris Diuo Aurelio Augustino: hos anteibat Aetius, patre Gaudentio Magistro militum, occiso à militibus in Galliis, & matre Itala progenitus Dorostori: vrbs est primaria Mæsiæ inferioris, quam & Scythiam minorem à rerum scriptoribus vocari reperio. Illi (vt sunt mores procerum) inuicem inuidere, mordere clanculum solebant: quisque primus esse contendebat, nec ferre parem volebat. Aëtius apud Placidiam Augustam nactus occasionem, Bonifacium criminari non desinit. Castinus tandem ab exilio reuocatur, successor Bonifacio datur. Vandali tum morte Gunderici Regis, filii Modegisili turbati, à Sueuis sociis suis ob dulcedinem prædæ premebantur. Vtque paucorum clade bellum finiretur, placuit partibus, singulari duorum certamini fortunam aleamque committi: vt gens, cuius miles superatus foret, Hispania vltrò cederet: eam victori, popularibusque eius quietè relinqueret. Vicit Sueuus. Hermanericus igitur Rex Sueuorum postulabat, vt Vandali ex pacto Hispaniis abirent. Vandali Gensericum fratrem Gunderici Regem faciunt, seque expeditioni accingunt. Adest in tempore Bonifacius, Vandalos inuitat in Africam, atque traiicere permittit. Castinus à Vandalis fusus est. Vandalus victor longè lateq; Africam depopulatur: vrbes obsidet, expugnat, diripit. Aurelius inter hæc Augustinus mortem obiit, decimo post diuum Hieronymum anno: anno Christianæ salutis quadringentesimo altero, & tricesimo. Bonifacij deinde innocentiam vbi Placidia Augusta comperit, eundem ad se Romam vocat. Bonifacius omnium fauore, & gaudio Italiam petit. Aëtium sibi resistentem ex aula proturbat. Aëtius se in Romano solo tutum fore desperans, ad Rugilam Hunorum regem, cuius obses fuerat, aufugit. Bonifacius interim vita defungitur. Aetius amissum honorem recuperat, in aulam redit, rei militari præficitur, & Magister Equitum adpellatur. Rex Sueuorum Hermenericus, vbi Vandali Hispaniis excessere, terram eorum quam reliquere, inuadit: magnam partem Hispaniæ Romanis pulsis, armis sibi parere cogit: & post multa præclara facinora decesserit, filio Richila declarato rege, qui regnum per manus itidem filio suo Richario tradit: hic Lusitaniam quoque regno suo adiecit. Nauarri, & Heruli Astures inuaserunt. Maldra inde tenet gubernacula: Richomundus ipsi succedit. Post hunc Sueuorum in Gallicia regem fuisse Mironem reperio. Ad quem diuus Martinus Galliciæ Episcopus Pannonia oriundus, vir eruditus, de quattuor virtutibus (vt adpellant) Cardinalibus scripsit. qui libellus falsò Senecæ adtribuitur. Miro defunctus Eurico filio Galliciæ, Sueuorumque regnum per manus tradit. Postea Sueui coniuncti sunt Vessogetis: paulatim ex tota Hispania eiicere Romanos fasces. Horum progenies adhuc Hispaniis dominatur. Quæ in Carolo nepote diui Maximiliani denuò nostro æuo, velut noua stirpe, de integro instauratur. Aëtius (vt redeam vnde digressus sum) Galliis adserendis animum intendit. Primò cum Maioriano, qui

Valentinianus Cæsar declaratur.
Ioannes occisus.
In Occidentali aula tres duces celebratissimi.
Vandali à Sueuis pressi.
Vandalorum expeditio.
Castinus à Vandalis fusus.
Hermenericus Sueuorum Rex.
Miro Rex Galiciæ.
D. Martinus Episcopus Galliciæ. [illegible]
Aetij expeditio in Francos. [illegible]

no, qui post imperauit, in Francos, qui Galliam proximam Rheno occupare ausi fuerant, expeditionem parat. Rex tum Francorum Variomundus decesserat. Quamobrem Francones haud difficulter (vt qui præsidio rectoris orbati erant) trans Rhenum in Germaniam Magnam à Romanis pulsi sunt. Eadem quoque tempestate in Gallia vlteriore rustici, seruitiaque Battone duce conspirant: à Romanis desciscunt: grauissimum excitant motum: Bagandarum sibi nomen indunt. Factionis plebeiæ id genus est, aduersus nobilitatis superbiam, & luxum sacerdotum sæuientis. Nos à calceamento Rustico Bundschucham vocitamus. Aëtius capto Battone, cæteris veniam dedit, in authores seditionis animaduersum est: ipsi partim necati, partim in vincula coniecti sunt. Eudoxius Medicus callidi ingenij vir, Bagaudæ author primarius, aufugit ad Hunnos. Ita Galliæ Lugdunensis, Belgicaque pacatæ sunt, Romanoque iuri redditæ. Aëtius inde Aquitaniam à Vessogetis: Hispanias ab Alanis & Sueuis liberaturus, iussu Valentiniani, ne à tergo premeretur, & simul pluribus bellis impeditus, impar multitudini hostium foret, cum Burgundionibus & Vandalis pacem firmat, fædusque init: illis Allobrogum regio, quam Sabaudiam dicimus, his portio Africæ addicitur. Hos veluti minus validos facilè, vbi velit pelli posse confidebat, si valentissimas nationes Vessogetas, Sueuos, Alanos superasset. Indicitur igitur bellum Vessogetis, Hunnus in auxilium accitur. Nam Vallia Rex, cum quo fædus conuenerat, iam mortem obierat, successeratque Theodericus Magnus. Is vbi se peti sensit, filiam suam in matrimonium dat Richardo Sueuorum Regi. Vandalos, & alias Germaniæ gentes ad societatem belli, communeque periculum propulsandum hortatur: Et contra Romanos veteres hostes concitat: Qui nunquam maioribus fidem seruauerint, semper fraudi aliquam speciem iuris imposuerint: & qui quiescere non valeant, si caput sustulerint, nisi omnes Germanos deleuerint. Lætis bello populis facilè persuadet Theodericus, arma resumere, præcipuè aduersus Romanum Imperium, cui ex professo Germani hostes perpetui erant. Gensericus cum Vandalis Carthaginem inuadit, capitque. Franci traiecto (Clodone duce) Rheno, Belgicam secundam vastant, patentes Atrebatum terras quoque peruadunt. Tornacum & Cameracum vrbes diripiunt, Saxones Britannias incursant. Bieda, & Attila Reges Hunnorum, filij Mundozuchi, nepotes Valomari, qui patruis Hectori, & Rugilæ successerant, Thracias, Illyricum, Pannonias, Mæsias vastant. Arnegistus Magister militum à Martianopoli Mæsiæ egressus, fortiter cum Hunnis dimicans, equo amisso, occisus. Hunni inde Græciæ imminent. Theodosius Augustus septem millibus librarum auri pacem mercatur: mille libras annuatim promittit. Theodericus Rex Vessogetarum Septimaniam suam fastidit, Aruernorum municipio potiri, producere fines in Rhodanum contendit. Litorium ducem Romanum cum copiis aduersum se missum, capit. Veterum finium limitibus effractis, omni virtute, atque mole possessionis metas in Rhodanum, Ligerimque ab Oceano proterminat. Aruernos (qui ab Iliaco sanguine creti, soli resistere Gotis) fratres Romanorum, obsidet. Sed ab Auito præfecto Galliarum, qui pòst imperauit, mitigatur: fædus cum Romanis renouat. Auitus ille precibus Sidonij Poetæ, & Episcopi generis sui, medius inter Gotos, & Rempublicam intercessit. Nam ob virtutes ciuiles, & bellicas, & nobilitatem generis, Gotis amicissimus erat. Leo à consiliis regis rogat Sidonium, vt scribat historiam, itidem Sidonius Leonem. Aëtius quoque Ligeris liberator affatu, prandio remouet ferocissimum Regem Gothiæ ab Arelato, quem non potuit prælio. De Lithorio Sidonius ita scribit:

Eudoxius Medicus.
Vessogetis bellum indicitur.
Carthago a Genserico capta.
Arnegistus occisus.
Theodosius pacem emit.
Auitus Galliarum præfectus.
Sidonius de Lithorio.

Lithorius Scythicos equites, tum forte subacto
Celsus Aremorico Geticum rapiebat in agmen.
Per terras Aruerne tuas, qui proxima quaque
Discursu flammis, ferro, feritate, rapinis
Delebant, pacis fallentes nomen inane.

Bella hæc apud nos Poeticè celebrata leguntur, & canuntur à popularibus nostris. Moritur paulò pòst Theodosius Neoromæ Imperator, ætatis anno quinquagesimo: ab orbe restituto, quadringentesimo quinquagesimo tertio. Vxor eius Eudocia Leontis Atheniensis philosophi filia Homerocentonas de Christo composuit: Soror Theodosij Pulcheria Augusta, princeps eligendi Augusti, Fl. Valerium Martianũ diademate Cæsareo donat. Hic dicere solitus fuit, Quoad in pace esse licet, non sumamus arma. Imperauit in Oriente annos sex, menses totidem, quietissimum habuit Orientem ab armis: Nisi quòd superbia atque ambitio Episcoporum, Impietas Monachorũ Orientem vexauit. Anatholius Episcopus Constantinopolitanus vsurpabat primas: alios sibi subesse Episcopos volebat. Subscripsere Anatholio Illyriciani Episcopi. Leo primus Pont. Max. scribit Martiano Augusto, verè Christiano, verè religioso principi: itidem Pulcheriæ Augustæ, ambitionem Anatholij damnat. Ille verò, inquit, erit magnus, qui fuerit totius ambitionis alienus, XI Calendas Iun. Herculano Cos. Is est annus Christi 455. Item Anatholium admonet, vt resipiscat: principes laudat Valentinianum, atq; Martianum, & ait, clementissimorum

Theodosius moritur.
Leo primus Pontifex superbiam Episcoporum damnat.

morum principum tam sancta est fides, tam religiosa deuotio, vt in eis non solùm Christianum, sed etiam sacerdotalem experiamur affectum. V. Idus Iulij, Adolphio Cos. est Christi annus 454. Ad Eudociam quoque Augustam, quæ post mortem mariti in Palæstina habitauit, Pulcheriamque Augustam extant epistolæ Leonis primi Pont. Max. Contra Dioscori Eutichetis patris Monachorum hæresiarchæ, atque Nestorij factionem: Pulcheriam Augustam orat, vt concilium conuocetur ab Imperatore: Eudociam, ne faueat illis erroribus. Nestorius Christum de matre virgine hominem solum adserit natum, eámque hominis tantùm fuisse genitricem, qui postmodum sit à Verbi deitate susceptus, duabus scilicet distinctis personis. Eutiches de eadem virgine natum, non nostræ credidit esse naturæ. Dioscorus eius socius, attamen in vnitatem personæ deitas, atque humanitas, & conceptu virginis conuenit, & partu. Tum quoque ob ferias Paschales contentio, discordiaque inter Orientem, ac Occidentem oritur, anno à Christi natiuitate 459. In fastis, quos Theophilus Episcopus Alexandrinus (cuius & Hieronymus meminit) ad Theodosium Magnum scripsit, in octauum diem ante Calendas Maias signata erant Paschalia. Annales verò Pontificij Romanorum transferebant ea in duodecimum diem ante Calendas Maias. Martianus Augustus consulit Ægyptios, quòd ea regió antiquitùs syderum studiosa fuerit, vt Occidentales cum Orientalibus concordes forent. Sententia Theophili recepta est, octauoque Calendas Maii eius anni celebratæ sunt vernæ feriæ. Cumque Martianus Augustus numerum diuorum auxisset, Constantino & Ruffo Coss. anno Christi 460. Eutichianistæ excitant tumultum: sæuiunt in aduersarios: Proterium Alexandriæ Episcopum interficiunt. Leo Pont. Max. Romanus Leoni Augusto scribit, petit, obsecrat, vt Eutichianorum furorem comprimat. Gratulatur primum quidem, quòd omnium electione ad Imperium cooptatus fuerit, in cuius virtutibus & Romana Respubl. & religio Christiana gaudet, Leone & Maioriano A A. Coss. anno Christi 461. Contrà in Occidentem sæuissimæ armorum procellæ ingruerunt, prouinciæ vastabantur. Nam Attila Rex Germaniæ, Scythiæ, Sarmatiæ potentissimus, orbis imperium animo agitans, cum Genserico Rege Vandalorum Africam tenente fædus icit. Grymyldam Gunther Regis Turogorum filiam vxorem ducit: Omnes principes Germaniæ Magnæ receptos ad se in aulam, in commilitium acciuit, sociosque sibi asciscit. Vt autem Vessogetarum, Burgundionum, Francorum vires sibi coniungeret, in Galliam ad Rhenum expeditionem edicit. Aliud tamen (vti erat consilio quàm manu promptior) apud Imperatorem Valentinianum simulat. Et Vessogetas hostes Reipub. Romanæ sibi deposcit, quos Gallia depulsurus sit. Theodericus Veronensis, Triarij filius, & Macrinus Anthemius consul, gener Valentiniani Imperatoris, præses Danubij & Vindeliciæ, qui pòst imperauit, Danubiani limitis duces, prouinciarumque quas possidemus legati, annuente, Augusto cum Attila, pacem his conditionibus ineunt. Oppidis quidem clausis, itineris faciundi facultatem exercitui, copiisque Attilæ concedunt, rati eum Reipublicæ Romanæ ergò hanc subiisse expeditionem. Fuit sanè Attila supra quàm cuique credibile est, supplicibus mitis, & perquàm benignus erga eos, quos semel in fidem accepit. Complura extant apud nos de eius virtutibus carmina patrio sermone, more maiorum perscripta. Nam & adhuc vulgo cantatur, & est popularibus nostris, etiam literarum rudibus, notissimus. Augusto fuisse corpore fertur, at lato & ingenti pectore, & qui animi magnitudinem incessu præ se ferret. Reperi Reginoburgij in Bibliotheca diui Haimerani, de rebus ab Attila gestis, opus heroico versu, & Latina lingua non ineleganter factum. Vnde isthæc de Hunnis, & Attila carmina excepi:

Fœdera supplicibus donat, sternitq́; rebelles,
Vltra millenos, fertur dominarier annos.

Porrò Valentinianus interim astutia Attilæ intellecta, Aëtium præfectum militiæ in Gallias mittit: qui per Auitum postea Imperatorem, Vessogetas, Burgundiones, & Francos fœdere Romanis coniungit: & aduersus Attilam, humanæ gentis & orbis latronem concitat. Conueniunt copiæ ducum in Galliis. Attila vbi hoc accepit, nihilominus quod constituerat, facere conatur. Vbi iam se ad eam rem paratum esse arbitratus est, Danubium cum Hunnis, Turogis, Boiis, Sueuis, Alemanis, quorum Rex Gibuldus erat, traiicit. Vnà cum Attila proficiscuntur Hardaricus Rex Gepidarum, & Ostrogetarum reges, tres fratres, Theodomarus, Vidomarus, & Volomarus. Attila cum omnibus copiis per Noricum, Vindeliciam per Rhætiarum fines, ad locum Brigantinum, & Rauracorum Basileæque fines peruenit. Ibi Gundaricus, & Segimundus reges Burgundionum armati occurrunt: Attilam transitu Rheni amnis prohibituri: sed facilè ab exercitu Attilæ cæduntur, funduntur, ad internecionem cum copiis cæduntur. Inde Galliam Belgicam inuadit Attila: vrbium portæ clauduntur: agricolæ relictis casis, in syluas, montes, tutaque loca se recipiunt. Ciues qui oppida non ita munita incolebant, ad firmiora mœnium præsidia confugiunt: atque cum vxoribus & liberis commigrant. Octauia Tungrorum vrbs cum maxima inferioris Germaniæ, quæ est in Gallia, expugnatur, diripitur, incenditur.

Azana-

Adelphius Cos. anno Christi 454.
Leo primus Pontifex contra Eutichetis & Nestorij hæreses.
Proterius Alexandriæ Episcopus ab Eutichianis occisus.
Expeditio Gallica ab Attila edicta.
Danubiani limitis Duces.
Aëtius præfectus militiæ Gallicæ.
Octauia vrbs Tungrorum vastatio.

Aranarius vrbis Episcopus, vir perquam sanctus, precibus eam seque seruare non potuit. Ipse Traiecti Mosæ periit: diu prædixit cladem hanc, nemo credidit. ruina ostendit, quæ fuerit illa. Mediomatricum postea ciuitas simili clade pridie Paschalibus deuastatur: vrbis Episcopus Auctor captus: in ædificia flamma sæuit, ciues passim, sacerdotes ante aras trucidantur. Clementiorem Attilam sensere Trecasses ob Pontificis Lupi facetiam, qui ante mœnia vrbis Attilam excipiens, Saluum aduenisse (inquit) gaudeo, flabrum, & iram Domini. Deique mei. Pro cognomine, & elogio posthac Attilam vsum esse, fama est. Parisij Luteriam suam cum coniugibus, & pignoribus relinquere, ad eas vrbes confugere, quas intactas hoc bello fore sperabant, decreuerant. Verùm remansere, monente & prædicente diua Genouepha, sancta virgine, omnes vrbes ad quas migrare constituerant, iam iam interituras. Luteriam quidem nunc securam, tutamque ab omni periculo esse: paucos post annos tamen obsidentibus Francis fame expugnandam: sicuti postea narrabimus. Depopulatis item reliquis Galliæ vrbibus, Aureliam Attila obsidet. Anianus Episcopus vir maximus seruauit vrbem cælitùs: ciues bono animo esse iubet, Aëtium legatus proficiscitur Arelatem: vbi legiones & auxilia coibant, delectusque agitabant: rem in diem consultationibus contrahebant. Nam Getæ auxilio Romanis grauabantur venire, domi Hunnos expectaturi. De hac re ita Sidonius ad Auitum Imperatorem socerum suum scribit:

Aranarius Episcopus.
Mediomatricum vastatur.
Genouepha virgo.
Attila Aureliam obsidet.
Anianus Episcopus.

Mox subito cum rupta tumultu
Barbaries, totas in te transfunderet arctos
Gallia: pugnacem Rugum comitante Gelono
Geppida trux sequitur. Scotum Burgundio cogit
Chunus, Bellonothus, Neurus, Basterna, Toringus,
Bructerus vluosa quem Volucer abluit vnda.
Prorumpit Francus, cecidit cito secta bipenni
Hercinia in lintres, & Rhenum texuit alno:
Et iam terrificis diffuderat Attila turmis,
In campos se Belga tuos vix liquerat alpes.
Aetius attenue & rarum sine milite ducens
Robur, in auxiliis Geticum male credulus agmen,
Incassum propriis præsumens adfore castris.

Aëtius supplex Auitum rogat, ad Getas mittit, per Deum hos exorat. Deinde cum legionibus Romanis, & Theodoricus Magnus rex Vessogetarum cum filio Thurisomundo, Franci cum Regibus Meroueo, ac Hilderico vrbi auxilium laturi, manusq; cum Attila conserturi, Aureliam armati castra mouent. Attilam obsidionem soluere cogunt. Ipse ab obsidione repulsus, campum Mauriacum (quem Catalaunicum etiã vocant) petit. ibi cum copiis suis considet: Romani quoque vires suas explicant. Erat in medio castrorum collis, quem vtraque pars armis occupare conabatur. dum certatim quisque superare contendit, & alter alterum lacessit, à tumultuaria pugna in apertum, legitimumque Martem res exarsit: totis pugnatur vndique viribus. Fit prælium atrox, & diu anceps: vtrinque maxima vi decertatur, nemine cedente, aut pedem referente. Riuulus ibi humano cruore auctus in modum rapidissimi torrentis inundauit. Theodoricus Magnus ab Andagiso Ostrogeta telo confossus, equoq; delapsus oppetiit. Gundaricus Burgundionũ, Meroueus rex Francorum quoq; interiere. Cæsa vtrinque fuisse referuntur centum octoginta millia hominum. nox prælium diremit. Attila receptui canit, & in castra, quæ more Germanorum Carris & Rhedis vallauerat, cum superstitibus se recepit. Vbi illuxit, in castris suos tota die continuit: tubarum tamen clangore, & strepitu armorum, vociferationeque militum eruptionem minatur. Apud Romana castra de reliquiis belli huiusmodi profligandis consultatur. Franci & Vessogetæ castra hostium obsidenda, instandum esse censent: tam inconditum vulgus, & ex tam variis nationibus confusum, commeatu prohibendum, facilimè citra sanguinem & periculum fame edomari posse, præcipuè Thurisomundus, & Theodoricus iunior, vbi de interitu parentis accepere, ferocius castris insultant: & haud dubiè sanguine Attilæ manibus genitoris parentassent. Ferunt namque Attilam desperata salute, pyram ex impedimentis construxisse, in quam subiecta flamma, si hostis ingruisset, se coniiceret, ne in potestatem hostium perueniret. At Aëtius non minus Getas & Francos, si sublatis, & excisis Hunnis inualuissent, perniciosos Reipub. Romanæ arbitratus, suadet Thurisomundo, vti ipse domum redeat, ne audita morte patris, fratres, quos domi reliquerat, regnum præripiant. Erant Thurisomundo quinque fratres, Fridericus, Euricus, Rotomarus, Himericus, & Theodoricus. Thurisomundus hæc ex animo & syncerè sibi dicta credens, Tholossam contendit. Ibi Rex a Vessogetis adpellatur. regnat tres annos. Succedit frater Theodoricus iunior, annos tredecim fidus Imperatori Auito. Hunc excipit frater Euricus, pater Alarici occisi à Francis, quorum regem Aëtius simili cõmento, & vaframento (sicut diuus Gregorius Turonensis narrat) fugat, domumq; properare compellit. Franci nostri hinc libertatis

Theodoricus Magnus Rex Vessogetarũ.
Prælium magnum.
Regum interitus.
Thurisomũdus Theodorici Magni filius, Tholossæ Rex appellatur.

bertatis suæ initium auspicantur, & in publicis, celebribusque conuentibus procerum iactant. Depugnata est hæc pugna (secundum Cassiodori Chronicon) anno instauratæ salutis quadringentesimo, quinquagesimo quarto, Martiano Augusto, & Adelphio Coss. Attila vbi Vessogetas & Francos discessisse, & se metu periculoq; liberatum esse videt, omnem impetum belli in Italiam conuertit. Primò omnium Aquileiam, caput Venetiæ (quæ decima est regio Italiæ) inuadit: quam cùm vacuam offendisset, solo æquauit, mœnia dirui iussit, ædificia incendit. Inde oppida Histriæ, Venetiæ, Galliæ Togatæ, Insubrium, hoc est Longobardię, Vicentiam, Veronam, Ticinum, Mediolanum, & alia pleraque oppida simili clade strageq; adterit. Plerique in insulas Hadriatici sinus aufugiunt, ibi ciuitatem in mediis fluctibus condunt, quam communi regionis, vnde migrarant vocabulo, Venetias adpellant. Ea nunc est omnium vrbium potentissima in Europa, Asia, Africa, in toto terrarum orbe celebratissima. Attila posthæc deinde ad Mincium amnem castrametatur, deliberatque Romámne infestis signis petat. Verùm territus exemplo Alarici, qui post captam vrbem subitò periit, substitit. Et dum variis huc atque illuc curis animus anxius ampellitur, adsunt supplices à Valentiniano Imperatore missi oratores. Leo primus Pont. Max. Aurelius Candidus scriba Imperatoris, pater Cassiodori, amicissimus Aëtio, & Carpilio Gaudentius filius Aëtij, pacem & fœdus à rege potentissimo deprecationibus & muneribus impetrant. Attila cum omnibus copiis vltra Danubium in Daciam, quæ nunc est Vngaria transdanubiana reuertitur. Dum cum noua nupta Hyldegunda, filia Herrici Reguli Francorum sese oblectat, subitò inuitâ exhalauit animam. Cantatur apud nos antiquis carminibus: Sycambriæ, quam nos Ophen, Vgri Budam vocare solent, Attilam habitasse, & oppetiisse. Sidonius Apollinaris, qui eo tempore has calamitates sensit res Attilæ scribere cæpit, sed victus magnitudine obticuit. Sub idem tempus crimine Maximi patricii Aëtius Magister Equitum ab Augusto occiditur. Boethius præfectus prætorio amicus Aëtij à stipatoribus principis gladiis confoditur. Subsequenti anno Valentinianus eiusdem Maximi fraude Romę in campo Martio concionabundus à militibus Aëtij interfectus est: potestatis anno altero, & tricesimo, ætatis vndequadragesimo. Imperauit cum Theodosio Amitino, & socero suo annos septem & viginti: cum Fl. Valerio Martiano quinque. Hi enim in Oriente, & Neoromæ rerum potiebantur.

Attilæ in Italiam expeditio. Aquileia caput Venetiæ vastata.

Venetiæ.

Attilæ interitus.

Sidonius Apollinaris res Attilæ scribere cæpit, sed non perfecit.

Aetius, & Boethius pereunt.

Valentiniani interitus.

MAXIMVS. LII.

MAXIMVS Parricida post necem Valentiniani Imperium Romæ arripit: nec diu scelere lætatus est. Franci & Saxones Gallias inuadunt. Alemanni, Suitones Rhenum iuxta caput. Maximus Auitum, qui posteà imperauit, Peditum, Equitumque Magistrum legit. is liberat Gallias. Alemanni missis legatis veniam petunt.

Saxonis incursus cessat, Cattusq; palustri, Alligat Albis aqua naues.

Auitus legatus ad Vessogetas vadit in Aquitaniam, & ad Garumnam flumen Theodoricum iuniorem regem Vessogetarum, cum fratre Eurico in fide continet: Tholossæ fœdus icitur: vbi Vessorum proceres, hoc est Vessogetarum conuenere, qui & Vesitrogoti. Inter hæc Eudoxia vxor Valentiniani, in vltionem mariti Gensericum Regem Vandalorum ex Africa accersit. Ipse nauibus ad Italiam adpulit, Romam inuadit, capit, diripit, spoliat. Senatus, patres consulti ad Tyrrhenum mare aufugiunt. Maximus tertio tyrannidis mense à militibus interemptus, à populo membratim discerptus, in Tiberim abiicitur. Gensericus quarto decimo die vrbe egreditur, abducit secum Augustam Eudoxiam, cum duabus filiabus, quarum altera Thrasimundo Genserici filio nupsit: ea Hyldericum peperit, qui matri morem gerens, verus Christi cultor extitit. Miles Genserici auidus prædæ in Campaniam incursat: Capuam euertit, Neapolim expugnat, Nolam obsidet, vrbes reliquas diripit: Brutios & Siciliam tutatus est Cassiodorus auus Cassiodori, qui postea scriba Theodorici Regis Ostrogetarum fuit, & sacrarum literarum interpres censetur. Vandali onusti præda cum ingenti captiuorum numero Africam repetunt. Roma mundi & orbis terrarum caput intra sex & quadraginta annos ter a Germanis omnibus opibus spoliata est. Nolæ Episcopus diuus Paulinus vir eloquentissimus, Senatorius, cùm multi ex Campania in Africam captiui transferrentur à Vandalis, ipse sese pro filio viduæ vltrò obtulit genero regis Vandalorum: filium vnicum viduæ redemit, sese in seruitutem dicauit: coluit hortos domino diligenter: eidem industriam suam admiranti, ad colloquiumque sæpius admittendi, prædixit mortem Regis. Gener socerum certiorem facit. Turbatus Rex accersit Paulinum, in somnis sibi visum refert: rogat, quinam siet. Episcopum se fatetur Paulinus, libertate donatur, & facultas petendi quicquid velit. Omnes suæ ciuitatis captiuos impetrauit: lateris dolore in terræ motu exanimatus periit. Possedere Vandali Africam sub sex Regibus annos quatuor, & nonaginta. Gensericus primus regnauit annos septem & triginta: rei bellicæ peritissimus, medio corporis habitu, & casu equi claudus; ingentis animi, callidus, & astutus ad serendas discordias, gentesque turbandas, volupta-

Maximus Parricida Imperium Rom. arripuit.

Maximi interitus.

Hyldericus Eudoxiæ nepos verus cultor Christi.

Roma intra sex & 40. annos ter à Germanis occupata.

Paulini mors.

Gisericus I. quandiu regnarit, & qualis fuerit.

voluptatum contemptor. Hic tres habuit filios: quorum maximo natu lege gubernacula addixit. Is fuit Honoricus, expleuit potestatis annos octo. Succedit frater alter Gundamundus annos duodecim. Post hunc regnat tertius fratrum Thrasomundus. Cum sex & viginti annos regnasset, successorem reliquit filium Hyldericum Christianum, quem octauo regni anno Gelomarus interemit. Qui tres annos scelere lætatus à Iustiniano Imperatore victus, & captus, Bizantium deductus. Limitis deinde Persici dux ad hostes arcendos constitutus est. Crudelissimè hi reges omnes, præter Hyldericum, in nomen Christianum sæuierunt in Africa: vnde peculiare cognomen carnificina illa accepit: de qua etiam libros editos legi. Cum Valentiniano Augusto fortitudo Italica, felicitásque sepulta est. Degenerauit Romana virtus senectute defessa. Neoroma, & Græculi, iam veteri Romæ Cæsares mittere & dare solebant. Accessit ad hoc malum, quod hi tum intestinis bellis, & armis plusquam ciuilibus seipsos conciduntrem Romanam alioquin in casum pronam, pessundederunt: & Germanis eam inuadendi ansam præbuerunt, atque fenestram aperuerunt.

AVITVS LIII.

AVITVS Magister militiæ, ciuilium morum, reique bellicæ peritissimus, cum Martiano fœdus inijt, fretus auxilio Theodorici regis Vessogetarum. In Gallijs apud Treueros purpuram induit: à Gallis, Senatu, populoque Romano Augustus adpellatur: cum patribus conscriptis, & Gallis deducentibus Romam proficiscitur. Pannonias amissas restituit post multa sæcula Romano Imperio. Ipsi eius gener Sidonius Apollinaris Poëta, & Aruernorum Episcopus Romæ Panegyricum dixit, vitam describens. Fuitque Imperator Auitus ex clarissimis natalibus prognatus, & de Romano Imperio bene meritus, amicus Aetio, præclarus rebus gestis. Aetius nihil sine eo, ipse complura sine Aetio gessit. Præfectus Galliæ prætorio, Magister militiæ, peditum, equitumque fuit: amicissimus Vessogetis, ideò adiuuarunt partes eius. vnde Sidonius de rege eorum Theodorico iuniore.

Sidonius Apollinaris poëta Theodoricus Rex Vessogetarum.

Hinc te Martius ille rector, atque
Magno patre prior, decus Getarum,
Romanæ columen, salusque gentis
Theôdoricus amat, sibique fidum
Aduersos probat ante per tumultus.

Theodoricus magnum inde sibi nomen apud Germanos, Romanos, Persas peperit, Seruator ab omnibus cognominatur: omnes eius amicitiam ambiunt, sicut Sidonius eleganter describit.

Istic Saxona cærulum videmus
Adsuetum ante salo solum timere.
Cuius verticis extimas per oras
Non contenta suos tenere morsus
Aptat lamina marginem comarum,
Et sic crinibus ad cutem recisis
Decrescat caput, additurque vultus,
Si tonso occipiti senex Sycamber.
Postquam victus es elicu retrorsum
Ceruicem ad veterem nouos capillos.
Hic glaucis Herulus genis vagatur
Imos Oceani colens recessus.
Algoso prope concolor profundo.
Hic Burgundio septipes frequenter
Flexo poplite supplicat quietem:
Istius Ostrogotus viget patronis,
Vicinosque premens subinde Chunnos.
His quod subditur, hinc superbit illis
Hinc Romane tibi petis salutem.
Et contra Scythicæ plagæ cateruas
Si quos Parthasis vrsa fert tumultus
Theoderice tua manus rogantur,
Vt Martem validus per inquilinum
Defenset tenuem Garumna Tibrim.
Ipse hic Parthicus Arsaces precatur;
Aulæ Susidis vt tenere culmen
Possit Fœdere sub stipendiali.
Nam quod partibus arma Bosphoranis
Grandi hinc surgere sentit adparatu,
Mæstam Persida iam sonum ad duelli,
Ripa Euphratide vix putat tuendam.
Qui cognata licet sibi astra fingens,
Phœbæa tumeat propinquitate,
Mortalem hic tamen implet obsecrando.

Sidonij affines, & maiores functi præfecturis vrbanis, prætorianis, militaribus ipse conuiua, & collusor regis Theodorici Vessogetæ, Galliæ Belgicæ tum præficitur. Aegydius Romanus Magister Equitum cum Siagrio Cos. filio legato, Galliam Lugdunensem regere iubentur Paulus, & Seruandus præfecti. Narbonensi præsedit Decius, filius Auiti Imperatoris, qui habenas iussu Senatus tenebat. Domitius Seuerus præfectus prætorio, atque aulæ legitur: Consentius in aulam expetitur, solis moribus inter arma tutus. Trigerius tractui Danubiano contra incursantes Massagetas præficitur. Verum Martianus Augustus inter hæc anno ab orbe seruato CCCCLX. moritur. Leon Magnus Tribunus militum, omnium suffragijs eligitur (vt scribit Leo primus Pont. Max. in cuius virtutibus & Romana Respublica, & religio Christiana gaudebat) Maiorianus cum quoque Cæsar declaratur. is copias legit, cum Auito manus confert, Auitum vincit, eundem de fastigio Imperij Placentiæ abdicauit, in priuatamque redegit vitam, Sidonium

Præfecti ab Auito in Gallia constituti.

Martianus Augustus moritur. Leon eligitur imperator.

Maiorianus Cæsar declaratur.

Poëtam, postea Episcopum Aruernorum, qui cum socero bello interfuerat, & ex clarissimis progenitoribus, bellicis rebus peritis, genus ducebat, ob eruditionem vita & patria Aruernorum vrbe donat, conuiuam adhibuit. Ipse Poëta Panegyricum Imperatori dixit Romæ, Petro sacri scrinij Magistro dicauit hisce versiculis:

Et tibi Flacce acies Bruti Cassique secute
Carminis est author qui fuit & veniæ.
Sic mihi diuerso nuper sub Marte cadenti
Iussisti placido victor vt essem animo:
Seruiat ergo tibi seruati lingua Poetæ
Atque meæ vitæ laus tua sit precium.

MAIORIANVS LIIII.

IVLIVS Valerius Maiorianus, Maioriano auo tractus Histri præside, patre Anthemio socero Theodosij Magni natus est. Suitones tum partem Rhetiæ ac Galliæ iuxta caput Rheni occupant. Maiorianus Burdonem Rhætiæ præficit. is pecunia sibi conciliat animos Germanorum, Danubium accolentium: Petroque sacrorum scriniorum Magistro interprete, cum Suitonibus pacem componi. De his ita Sidonius ad Auitum:

Conscenderat alpes,
Rhetorumque iugo per longa silentia ductus
Romano exierat populato trux Alemannus
In prædam centum nouies demiserat hostes.
Obsequium gens vna negat. quæ nuper ab Histro
Rettulit indomitum solito truculentior agmen
Quod dominis per bella caret, populoque superbo
Turgida plectendas in prælia suggerit iras

Richomarus Maiorianũ interficit.

Porrò Maiorianum, cùm imperasset annos quatuor, menses sex, Richomarus patre Sueuus, matre Geta, nepos Valliæ regis Gotorum ex filia, patricius, fretus auxilio Sueuorum, Dertonæ interficit.

SEVERVS LV.

Anthemius Cæsar declaratur.

SEVERVS Lucanus à Richomaro Rauennæ Cæsar designatur. Hoc quoque potestatis anno quarto Romæ in palatinis ædibus veneno sublato, Roma absque Cæsare biennium ferè fuit. Tandem Anthemius a Leonte Augusto Cæsar Neoromæ declaratur: Romamque ad Italiam mittitur, Marcelliana coniuratione pro diademate, turbata Repub. in Sicilia opprimitur.

ANTHEMIVS LVI.

Anthemij genus & propinquitas.

ANTHEMIVS Perhennus Consul, gener Valentiniani Augusti: Euphemia vxor, filia Valentiniani, filius Procopij Magistri Equitum, eius auus Anthemius. ipse Richomaro superiori filiam nuptum collocat. Mortuo autem Seuero, Ostrogetæ in Norico, Franci in Gallia, Italiæ imminebant. Et huic Sidonius vocatus Romam interfuit nuptijs Ricineris patricij. Legatus Aruernorum Sidonius, Romæ consulatum Imperatoris Anthemij celebrauit, Romæ præfectus annonæ factus. Post nuptias patricij Ricineris, id est, vtriusque imperij opes ventilatas accusatus, quod Satyram scriberet, conuiua Cæsaris fuit. Eius hæc carmina & verba sunt.

Facta priorum

Exuperas Auguste Leo, nam regna super stat.
Qui regnare iubet,
Auxerat Augustus naturæ lege Seuerus
Diuorum numerum.
Noricus Ostrogotum qui continet, ille timetur.
Gallia quæ Rheni Martem ligat, illa pauori est.
Anthemium concede mihi, sit partibus istis
Augustus, longumque Leo mea iura gubernet.
Quem petij, patrio vestiri murice natam
Gaudeat Euphemiam sydus diuale parentis.
Sit, socer Augustus genero Ricinere beatus:
Inuictus Riciner, quam semper publica fata
Respiciunt.

Aruãdus præfectus Galliæ in exilium.

Tum Aruandus præfectus Galliæ accusatur Romæ à legatis Galliarum. Literæ eius interceptæ ad Regem Gotorum quibus dissuadebat pacem & fœdus cum Imperatore Græco. Britannos super Ligeri oppugnandos: cum Burgundionibus Gallias gentium diuidun-

diuidundas esse censebat: Imperium adfectat: in exilium relegatur. Heditius Serenatus præfectus Gallis Romanentes opprimit, præcipuè Aruernos, exultans Gotis, insultans Romanis. leges Theodosianas calcat, Theodorisianas proponit. Si nulla a Republica opes, nulla præsidia: si nullæ, quantum rumor est, Anthemij principis opes statuit Sydonius, atque nobilitas, seu patriam dimittere, seu capillos. Licinianus Quæstor Rauenna venit, codicillos portat, Heditio honor patricius defertur. Hic ærarium publicum priuatis manubiis locupletauit. Post quintum ipse Anthemius annum fraude Richomari generi sui occiditur, graui ciuitatis clade. Quadragesimo pòst die Richomarus moritur. imperij habenas Olymbrius arripit Romæ, septemque mensibus potitur. Postea Glicerius Rauennæ, Iulius Nepos Romæ armis pariter ac moribus summus Augustus, qui decessores Anthemij fidem obligatam absoluit, Cæsares adpellantur. Vtrumque extrudit Augustulus filius Orestis patricij, sub quo Imperium Romanorum in Occidente intercidit, à Germanisque solutum est, sicut iam explicabimus. Dum enim Italia crebra principum succeßione, cum malis suis conflictatur, Scoti, Saxonum pars Britannias, Romanam adhuc prouinciam incursant, vastant, lacerant. Britanni cum à Romanis principibus nullum auxilium sperarent, Anglios itidem Saxonum (aut si Tacito credimus) Sueuorum nationem, ex Germania contra Scotos accersunt Viridogero Rege. Verum Anglij sibi deminuta esse stipendia causantes, & munera promissa ex fide non esse soluta vociferantes, cum Scotis pacem firmant. Atque hæ gentes arma in Britannos vertunt ipsos, & Romanos veteres colonos partim occidunt, partim insula exigunt. Inter se æquo iure insulam partiuntur: ibique duo regna condunt: quæ regna Angliæ, & Scotiæ adpellare solemus. Alia item Saxonum manus, Picti cognominati, Odagrio ductore, in oram Galliæ Belgicæ, Lugdunensisque irrumpit: varia fortuna cum Romanis decertat. Pars Galliarum adhuc ab ipsis nomen retinet. Britanni in Galliam nauigant, sedes ibi collocant in Romano solo, pecora abigere & ipsi, deprædarique Gallias cœperunt. Verum de Saxonibus ita Sidonius. *Nammatio duci Romano contra Saxonas misso, refert: Archipyratæ Saxones simul omnes imperat, parentque, docent, discunt latrocinari: hostis est omni hoste truculentior, improuisus adgreditur, prouisus elabitur: spernit obiectos, sternit incautos, si sequatur, intercipit: si fugiat, euadit. Ad hæc exercent illum naufragia non terrent. Et eis quædam cum discriminibus pelagi non solum notitia, sed & familiaritas: si qua tempestas est, securos efficit, incautosque eos qui petuntur, atque Saxonas hostes nihilominus irruentes prospici vetat: in medio fluctuum, scopulorum confragosorum, spe imminentis leti, periclitantur. Præterea priusquam de continenti vela laxent, hostico vado anchoras vellunt. In patriam redituris, atque remeaturis mos est, decimum quemque captiuorum sorte legere superstitioso ritu necare. in crucemque agere. Talibus votis atque victimis soluunt: hoc quæ sacri lege sacrificio, de captiuo magis exigunt tormenta, quam precia.* Franci quoque homines bellandi cupidi (in quos Græcum extat prouerbium crebrum olim Romanis. τὸν φράγκον φίλον ἔχοις, γείτονα μὴ ἔχοις. Hoc est, Francum amicum habeas, vicinum ne habueris) sæpius Gallias, vberioris soli gratia, & prædæ dulcedine adfectarant, sæpius inde à Romanis pulsi amiserant. Hi tam pro multitudine hominum, & pro gloria belli, atque fortitudine angustos fines se habere arbitrabantur. Et iam tempus venisse sibi persuasere, quo facile Galliæ totius Imperio potiantur: quod hactenus toties per multos annos maiores, nequicquam conati fuissent. Cognatos suos ex Germania profectos, Burgundiones Narbonensem Galliam, Vessogetas Aquitaniam possidere: Vandalos Africam: Sueuos, Alanos Hispanias protritis Romanis tenere: Saxones Britannis occupasse, & Gallias infestare. His rebus adducti, & authoritate Lucij Treuerensis patricij permoti (huius vxorem præses Romanus stuprauerat, ipse ad Franconas in Germaniam Magnam profugerat, eos in Romanos concitabat) constituunt ea, quæ ad proficiscendum pertinent. Quod vnum tantæ rei imparem fore opinarentur, duodecim proceres deligunt, summæque rerum præficiunt, & Reges adpellant: quorum tamen primus fit Hyldericus Rex, filius Merouei Regis. Eo modo putabant se magis formidolosos, & firmiores futuros, vt hostes tot regibus se posse resistere desperarent, & pro dignitate rerum maiores copias suspicarentur. Omnibus itaque comparatis, Rhenum trajciunt, Romanos fundunt, cædunt, superiorem Germaniam in Gallia occupant, templa diripiunt, vrbes Moguntiacum, Vangionum, Borbetomagum, Nemetum Augustam recipiunt: huicque tractui, nequis à tergo metus immineat, quinque Reges præficiunt, Arbogastum, Drogum, Gebericum cum filio Gunthario, Garouicum, Haganonem. Inde castra in Germaniam secundam aduersus Agrippinensem Coloniam mouentur, quam Aegidius Romanus legatus Galliæ Belgicæ firmo præsidio firmarat frustra. Vrbe Franci potiuntur, regesque ciuibus, & finitimis dant, Segibertum cum filiis Litauico, & Herrico. Postea Belgicam inferiorem in obsequium redigunt, Morini, Remi, Cameracum, pleræque omnes ciuitates de pace legatos ad Francos mittunt, declarantque his reges tres fratres Litomarus, Renomarus, & Richarius. Aegidius dux Romanus cum filio Aestagrio intra mœnia Augustæ Suessonum (Ptolomæus Vessonum vocat) impellitur. Horum agro vastato, Franci ad Galliam Belgicam pri-

Heditius Serenatus præfectus Galliæ.

Anthemius fraude Richomari occiditur. Olymbrius. Glicerius. Iulius Nepos. Cæsares appellantur. Augustulus Cæsar.

Scoti, Saxones accersunt. Angli gentes Saxonum. Picti in Galliam irrumpunt. Britanni in Galliam nauigant.

Sidonius de Saxonibus.

Prouerb. de Francis. Franci Gallias affectant.

Franci instigatione Lucij Treuerensis patricio.

Superiorem Germaniam in Gallia occupant.

Colonia Agrippina potiuntur. Belgicam inferiorem in potestatem redigunt. Franci Galliam Belgicam petunt.

Treuiri. Mediomatrices, & Tullum se Francis dedunt.

primam pergunt. Lucius superior eis Treueros tradit, quibus Helibertus præficitur. Dedunt se & Mediomatrices: Leucorumque vrbs Tullum: quibus Melo & Godogisalus, Pataurid,isque nepos ex sorore superioris Haganonis imponuntur. Dehinc Hyldericus initio fœdere, & iunctis copijs cum Odagrio Saxone Galliam Lugdunensem adgreditur: cui dux Romanus nomine Paulus præsidebat. Luteciam Parisiorum fame ad deditionem cogit: Aureliam inde capit. Circa Andegarios congressus cum Romanis Paulum præsidem prælio interficit: reliquæ tum ciuitates Galliæ oratores ad Francos ire gratulatum iubent. Iam enim pertesæ ignauiam, ac auariciam Romanorum, victori sine certamine subijciuntur. Odium Romanorum Gallis incusserat præsidium, rapacitas, atque libido: exactio publicanorum, & calumniæ litium. Quod tam facile Romanæ prouinciæ Cæsaribus, licet ambo Christiani essent, eripiebantur à Germanis, etsi alienis à religione nostra obtinebantur, tres potissimum refert causas Caius Sollius Sidonius Apollinaris Poëta, & Aruernorum Episcopus, gener Augustorum: qui sensit has calamitates (quippe eo tempore vixit) ignauiam Cesarum, magnitudinem tributorum, auariciam, ac superbiā præsidum & Episcoporum. Imperatores auaris, & fœneratoribus Magistratus. & Rempublicam non tam committebant, quam venditabant. Nulla virtutis præmia erant, nulla præsidia viro forti, nulla emolumenta fido Reipublicæ à principe contingebant. Præsides auari. Quæstores rapaces, populum & prouinciales nouis vectigalibus, & mulctis atterebant: seruitute vrbes, ciues, agricolas ad egestatem redigebant, ærarium publicum priuatis manubijs collocupletabant. Sed Sidonij verba referam. *Romana Respublica in extrema hac miseriarum defluxit, quod studiosos sui nunquam remuneretur. Natio, ac tribus fœneratorum non solum inciuiliter Romanas vires administrant, verum etiam funditùs à fundamento eruunt. Nobilium virorum militariumq; præter spem atque opinionem aduersæ partes, bellicoso non tam facta, quam præmia desunt. Parum quoque in commune consulunt Episcopi, quibus tractanda à principe committuntur. Cum in consilium conueniunt, non tam curæ publicæ mederi, quam priuatis student fortunis. Præsides, præfecti prouinciarum Romanos opprimunt, fidis Reipublicæ insultant, cum hostibus paciscuntur. Illis tamen Codicillis à quæstoribus, ab Imperatoribus patricius honor defertur. Nullæ Reipub. opes. nulla præsidia, nullæ opes Romani principis. Ego atque cætera nobilitas cogimur aut patriam dimittere, aut capillos.* Sed ad historiam redeo. Franci & Saxones oppidatim inde distributi sunt. Gallia Lugdunensis, & Belgica præreptæ sunt Romano Imperio, in Germaniam translatæ: hasque nostrates Francòrich, hoc est. Francorum Imperium: regionem verò Germaniæ, vnde Franci profecti, sunt Francòland, hoc est, Francorum patriam vocare solent: quod hîc nati sint, illic imperent Franci.

prouerb. ab hoc Aegydio natum.

Aegydius dux Romanus: dum se cum filio mœnibus Suessonum ignauus defendit, mortem obijt. In prouerbij ludicrum venit. Nam in vsu adhuc apud nos est, ab ipso natum, crebrum in meticulosos, ignauosque dictum, vel vulgo indocto protritum, Gyli Franzol, hoc est, Aegydius Franzolus: Aegydium namque Germani Gylonem adpellant.

Litauicus siue Ludouicus Magnus. Hildouinus historicus in Germania.

Filius Hylderici Litauicus Magnus ferre parem non valens, fraude omnes superiores reges Francorum sustulit, opes eorum occupauit. Suessonum quoque vrbem cœpit: Eltagrium ducem Romanum in Aquitaniam pulsum, & redditum occidit: Romanos omnino Gallijs exturbauit. Luteciam Parisiorum regiam constituit, quæ conuentu celebri Gallorum, & Germanorum (sicuti scribit Hildouinus præsul diui Dionysij ad Imperatorem Ludouicum primum) clarissima erat. Inter hæc ad Rhenum, & in Gallijs gesta, in Germania etiam interiore, intra Albim & Danubium amnes, interque sinum Codanum, post mortem Attilæ tumultuatum est. Mutatis cultoribus, nomina quoque regionum, & vrbium commutata sunt. Filij Attilæ, quos plurimos ex diuersis vxoribus habuit, dum de diuidundo Imperio à patre parto discordia

Filij Attilæ de Imperio inter se diuidundo dimicant. Gepidæ Daciam, hodie Vngariam & Transyluaniam occupant. Ostrogetæ Pannoniā à Romanis Cæsaribus impetrant. Vened. siue Sclaui. Langobardi, regios Suenos pellunt.

contendunt, vitam simul cum regno amisere. Ab ipsis enim vniuersæ gentes deficiunt, Hunnorumque soluunt Imperium: ipsos quin auitis sedibus eliminant. Primus Hardaricus Rex Gepidarum correptis armis inuadit filium Attilæ maximum natu, Hellacum nomine, pugna superatum interemit: Hunnorum triginta millia occidit. Cæteri fratres Hellaci, quos bellum non absumpsit, fugam capessunt. Extorres sine certis sedibus, quo tempestas detulit, palantes per Germaniam, per Sarmatiam dispersi vagantur. Gepidæ eorum loca occupant, quam Daciam antiquam rerum scriptores, vulgus literatorum, partim Vngariam, partim septem Castrenses, Transyluaniamque nunc vocare solent. Cum Imperatore Romano Martiano fœdus ictum est. Ostrogetæ trucidatis Hunnis, Sirmium, Pannoniamque ab Imperatore impetrarunt: sicuti Theodoricus Rex Getarum ad Pannonios scribit. Reges Ostrogetarum Theodomarus, Valomarus, & Vidimarus, duces limitis Danubiani ab Augusto adpellantur, & constituuntur: daturque obses Leonti primo Augusto. Theodomari filius Theodoricus, octo duntaxat annos natus. Ea item tempestate Venedi (ipsi se Sclauos vocant antiquissima Germaniæ natio: qui authore Tacito, quicquid inter Peucinos, Fennosq; syluarum, & montium erigitur, latrocinijs hactenus pererrarant. Ob scelera (inquit Iordanus scriba, & Pontifex) nostra sæuire, increscere, conualescere cæperunt, adeò vt quicquid inter Albim & Tanaim

amnes,

amnes, inter Codanum, & Hadriaticum sinum longè lateque porrigitur, paulatim inundauerint, atque impleuerint. Ab his sinus Vendicus Ptolomæo, nomen habet. Plura de ipsis in primo libro retulimus. Hi igitur primo Vistulam transgressi vsque ad Albim, accolas sinus Codani inuaserunt. Tenebant eo tempore ea loca Sueuorum gentes fortissimæ, & valentissimæ, Longobardi, Rugij, Suitones. Longobardi ab Occidente Albim contigere, ceruicemque peninsulæ Cimbricæ, ad Septentrionem spectarunt, Scandiam insulam, quam nos Selandiam Danorum, dicimus. Suitones ab Orientis ora Vistulæ, à Septentrione Suitonibus continebantur. Rugij medij inter hos fuere, qui adhuc ibi nominantur, in sinu Codano, ad hostia Chalusi fluminis, qui nunc Spreus est ex aduerso Sudæ, principum Pomeranorum oppidi. Eos vterque & regulus Brandeburgensis, & rector Pomeranorum sibi vendicat, atque Rugiam ad Religionem Christi conuertisse reperio Hainricum Leonem regulum Gotorum, atque Saxonum potentissimum. Hi omnes Venedis cessere, Danubiumque versus perrexerunt. Longobardi per Maruingos, Vsipetes, Vsipios (Sueuorum nationes sunt) ad Gothinos, Gothonasque secesserunt: & hi Sueuiæ populi ferrum effodere solebant. Pauca campestrium, cæterùm saltus, & vertices montium iugum insidebant: quo continuò tum Sueuia, nunc Boëmia, Silesia, Morauia scinditur, atque dirimitur. Suitones rege Sidone, ad Rheni amnis caput, fontesq; penetrarunt, vtramque ripam pulsis Romanis, Burgundionibusque occuparunt, à quibus adhuc ea loca nomina seruant. De his omnibus, ita Sidonius Episcopus, qui eo tempore vixit, ad Auitum Imperatorem socerum suum scribit. *Aetio mactato, Imperatore Valentiniano cæso, vix diadema Maximo impositum erat*, illico.

Sedes antiqua Longobardorum. Suitonum. Rugiorum.

Henricus Leo Rugiã, ad rel gionem Christi conuertit.

Suitones quæ loca occuparint.

Francus Germanum primum, Belgamq; secundum
Sternebat, Rhenumq; ferox Alamanne tenebas
Quin & Aremoricus piratam Saxona tractus
Ludus, & adsuto glaucum mare findere lembo.
Terrarum spacia princeps iam Maximus, vnum.
Sic perdita cernens,
Romanis ripis, & vtroque superbus in agro
Sperabat, cui pelle salum sulcare Britannum.
Te tibi Auite legit.
Quod fuit in rebus, peditumq; equitumq; Magistrum.

Cum Rugijs Rex Flaccitheus Danubianam ripam insedit, qua Noricum, hoc est, Austriam Hister præterfluit. Confederata, tributariaque fuit Rugijs Fauinorum vrbs, quam Viennam nunc nominant. Author est Eugypius, discipulus & comes Diui Seuerini. Hic enim Africa oriundus, sub idem tempus in Norico, Vindeliciaque celebri fama vixit. Ipse pietate inclytus, vitæ integritate venerabilis, venerabilior cælestium arcanorũ miraculo etiam Germaniæ feris nationibus. Post mortem Attilæ, haud scio an crudelitatem Vandalorum deuitans, ad has Romanorum prouincias cum fratre Victorino concessit. Frequens & Bathauiæ, & Quintianæ (Quintanorũ colonia est) in Vindelicia, atq; Viennæ in Norico habitauit. Bathauiæ in ripa eidem extat dedicatum templum, estq;, vti adpellatur, parochia. A Vienna verò ad tertium lapidem pagus est Seuerinus, cognomen adhuc retinet. Vtroque habitasse diuum Seuerinum fama, & literis proditur. Diuinitùs hunc talem virum, ab illa summa & prouidentissima maiestate Domino, & parente indulgentissimo tum missum fuisse crediderim: qui Romanos has regiones adhuc incolentes, destitutos à principibus suis, & Germanis circumfrementibus expositos, sua deuotione, virtute, iustitia, seruaret: pietateque, voto & supplicijs, non iaculo, nec arcu tueretur. Quippe oppida Noricorum, Vindelicorum certatim eum accersebant: quocunq; ad sentaret, aduentus eius saluti esse pro certo habebatur. Romanos nempe, qui adhuc hasce prouincias possidebant, non aliter, quàm parens re ipsa consolando erexit. Ipsi eius freti pietate tuti fuerunt. Ad reges Germanorum, aduersam Danubij partem tenentium, Gibuldum, qui Sueuos Boiemiæ incolas, & finitima loca regebat. Flaccitheum, Filitheum, Fridericum Rugiorum principes, legatus non semel profectus est: illos sua authoritate ab incursationibus repressit: societate, & fœderibus Romanis coniunxit: captiuos Romanos partim precibus, partim pecunia redemit, & impetrauit. Lucillus, & diuus Valentinus, D. Syluinus Vindelicorum mystæ, Constantius, Paulinus, Maximus Noricorum Episcopi, sine Seuerini consilio nihil egerunt: sæpius ad ipsum accesserunt: sæpius nuncios miserũt. Mamertinus, & Pierius harum regionum præsides consilia, & monitus Seuerini secuti, Germanorum maximam multitudinem latrocinia agitantium ceperunt, prouincias tutas ab huiusmodi procella reddiderunt. D. Seuerinus in vniuersum omnes ad meliorem frugem ducere conabatur: omnes in commune, in genuinam, germanamque Christianam æquitatem, & æqualitatem hortabatur. Exemplis docebat deo immortali confidere, & spem omnem in Christo Domino, præsideque mundi sitam esse: qui sæpe maiores nostros

Rugij Noricum, i. Austriam inuaserunt.

Eugypius discipulus & comes Seuerini.

Victorinus frater Seuerini.

Seuerinus pagus à D. Seuerino dictus.

D. Seuerini adhortatio ad pœnitentiam.

in maximis periculis seruauerit. Germanos hostes Reipub. & religionis non armis, nec sagittis, sed innocentia, & liberalitate in pauperes vinci posse. Sacerdotibus nihil cum salacius, opulentis nihil parcius, ac tenacius erat: pauperum in omnibus oppidis maxima colluuies versabatur (vti necesse est) vbi metu belli, & finitimorum hostium agricolæ, vulgusq; promiscuum & inconditum, relicto rure in oppida confugiunt, ibique victum diuersei quæritare compelluntur. Diuites frumenta coemere, atque condere solebant, futuræq; fami reseruabant, quam in huiusmodi rerum alea crebro accidere certum erat. Illa Seuerinus liberaliter, & benignè pauperibus elargiri iubet: alioqui Barbaris mox diripienda. Sacerdotum quoque luxum carpens, decimas pauperibus distribuere iussit: & ne fabulas, neue quæstum suum, sed Christum prædicarent, eundem sectarentur, sedulo admonuit. Romanas prouincias, Noricum atq; Vindeliciam, haud ita longo tempore post mortē suam perituras: in his Romanum omnino nomen extinguendum prædixit. Nec templa immunia fore, omnia humano sanguine lustrari, expiariq; oportere. Oppida (inquit) Vindelicorum, Noricorumq; excindentur, templa euertentur, ædificia cuncta solo æquabuntur, gentes & populi, ciues delebuntur, sacerdotes trucidabuntur: in vastissimā redigentur cuncta solitudinem, adeò vt hostes conditoria cadauerum, suspicati ibi latere aurum, diruent. Proinde contempta fragilium rerum sorde, spreto caducorum stercore, quæ cælo nos adserant, immortalitatis candidati, cogitate. Nec vllum (quoad ipse vixit) oppidum, neque Noricorum, nec Vindelicorum, quod quidem eius mandatis paruit, aliquid maleficij, aut incommodi accepit. Solum quatuor ciuitates, quæ dicto esse obedientes dedignabantur, ac ipsum vt insanum vatem irridebant, a Germanis excisæ sunt. duæ Vindeliciæ, & totidem Noricorum. Tres ab hostibus, quarta à ciuibus aliò migrantibus, dedita opera exusta. Asturum oppidum, in confinio Norici Ripensis, & Pannoniæ periit. Aperuerat Seuerinus ciuibus calamitatem, in templo horam quoq; indicans, vti resipiscerent, obsecrabat. Verum surdis cantat. Astures ipsum irrident, eò magis voluptati operam dant ne, vt iam iam morituri, geniū suum defraudarent. Effugit inde Seuerinus. Germani irruunt, capiunt, vastant, delent, omnes trucidant: senex vnus, qui nuncius cladis foret, euasit ad Seuerinum Comagenas. Oppidum id Noricum erat triginta millia passuum a Cecijs, itidem vrbe Noricorum. Bathauiam deinde Seuerinus vocatus a ciuibus, ob crebras incursationes Alemannorū, migrat. habitauit in ripa Oeni, vbi iam templum eius colitur. Dum ibidem vitam agitat, Gibuldus Rex Alemannorum, visurus (vt simulabat) Seuerinum, Bathauiam cum exercitu properat. Ne vrbs aduentu tanti Regis adterreretur, Seuerinus it obuiā Gibaldo: ipsum tanta constantia allocutus est, vt Rex eius authoritate permotus, iter inceptū reliquerit: abiensq; optionē postulandi Seuerinoq; quicquid velit, vltro obtulerit. Seuerinus nihil aliud ab opulentissimo rege petijt, quàm vti gētem suam abs Romanorum infestatione cohibeat, pacem cum Romanis seruet, captiuos ipsi condonet. Promisit Rex se omnia facturum, domumq; redijt. Vidomarus sub idē tempus patruus Theoderici Regis Ostrogotarum, cum Gotis, Herulis, Turogis, Alemannis, Nariscis, & aliæ Germanorum nationes, Noricorum incursant prouincias. Hoc facturos prædixerat ante Seuerinus Paulino pontifici Tiburniæ: hæc tum erat caput Norici, quod Charini. Chariones, & Carni nunc possident. Paulinus per suam prouinciam, diœcesim, & parochiam triduano ieiunio deum placat: cuncta foris in agris vastantur. Nullum castellum, quod monitis paruit, captum est. Iuuauensibus quoq; per Moderatū Psalten Bathauiensem nunciat, mandat, vt saluti suæ consulant. Omnes sine mora, si salui esse velint, oppido excedant: inexorabile exitium fatumq; impēdere vrbi renunciat. illi parere recusant. Rursum Quintasium quendam mittit, qui aperiat subsequenti nocte interituros, ni e vestigio aufugiant. Sed Iuuauenses, Maximum quoq; Pontificem frustra admonet Seuerinus. ipsi, vel sic hoc fieri non posset, cōfisi viribus, & quod hostes lōgius abessent, pro vano imperiti terriculamento ducebant. Quintasius, vbi obstinata mente in fata præcipites agitari videt, ipse vrbem deuotam relinquit, fugam ad Seuerinum Bathauiam capessit. Eadē nocte inopinato adsunt Germani, vrbem inuadunt, capiunt, diripiunt, incendunt, populum captiuum abducunt. Maximū in crucem agunt, amplius quinquaginta quinq; cum ipso simmistas contrucidant. e rupiumq; cauernis, quò fugerant, sicut adhuc monstratur, præcipites agunt. Humati esse referuntur in æde diui Amandi, quæ nunc est diuæ Margaritæ. Id factum esse ab orbe liberato, anno quadringentesimo, septuagesimo sexto reperio. Quo etiā anno Imperator FL. Valerius Leon primus decessit Neoromæ, FL. Val. Leonte secundo, suo nepote ex filia Ariadna, Augusto designato. Qui paucos post dies eodem fato animum comitatus: capiti Zenonis patris sui diadema Cæsareum prius imposuit: ipsumq; successorē reliquit. Imperitarunt ambo Leontes annos sexdecim, menses sex. Posteaquā Imperatores Romani Cōstantinopoli cōsidere, ocio, & ignauia, corporisq; gaudijs vitā transigere cœperunt, luxu Asiatico perditi, Græcisq; mundicijs eneruati torpuerunt: Occidentales prouincias neglexerunt: paucorum arbitrio belli, domiq; Respublica agitata est, qui abusi ocio principum, ærariū expilarunt: penes eosdē magistratus, prouinciæ, honores, munera,

Germani Asturum vrbem incendunt.

Goti, Heruli, Turogi, Alemanni, Larisci, Noricum incursant.

Iuuauia vrbs, hodie Salzburgū.

Maximus episcopus Iuuauensiū.

Imp. FL. Valerius Leon moritur. FL. Val. Leō secundus Cæsar designatus moritur.

Quare prouincias Romanas Germani vicerint.

munera, pecuniæ erant. Milites Riparij,& limitum custodes, ad inopiam vrgebantur, stipendiis defraudabantur: nec in demortuorum locum alij sufficiebantur: ita paulatim deminuto limitaneorum, Ripariolorumque militum numero, Germani crebro flumina indiligenter custodita transibant: igne,ferro,præda omnia deuastabant. Romanos captiuos quasi pecora in Germaniam trans Danubium abducebant: id quod hac tempestate Turcas factitare sentimus. Quintanorum vrbis incolæ,huiuscemodi calamitatibus cómoti,ex vrbe sua communi suffragio,cum vxoribus, liberis, & omni suppellectile Bathauiam commigrant,rati duarum ciuitatum populos, coniunctis viribus facilius Barbaris irruentibus posse resistere. Quintani abeuntes, tectis suis ipsi ignem immittunt, mœnia diruunt,ædificia solo æquant. Villæ ibi adhuc nomen seruant: extatque ibi templum, vbi Diuus Sylutinus Mysta Vindelicorum familiaris Seuerino humatus colitur. Alemanni,Germanique, posteaquàm accepere vnis mœnibus duarum vrbium oppidanos claudi, magis illecti,infesto exercitu Boiodurum inuadunt: sperabant se duorum oppidorũ præda facilè vno impetu potituros. Bathauienses animati verbis Seuerini,eius supplicationibus freti,& diuina ope confisi,Alemannos fortiter excipiunt, in Germaniámque repellunt. Parta victoria,hostibusque exturbatis,honor Christo Deo immortali habitus, gratiæque actæ sunt. Bathauiensibus deinceps negociandi commeatum a Filotheo Rugiorum Rege sibi impetrari flagitantibus, Seuerinus denunciat, non commercia hoc tempus poscere,bona,opes,vitam,dignitatem. animam denique omnium,liberos paruos, coniuges in periculo versari: Extremum exitium supra caput esse: Fatum ineuitabile Boioduro imminere: ne sacras quidem ædes,templaque intacta fore. Proinde suadet, saluti suæ consulant,secum Laureacum demigrent. Quod cum persuadere non posset,& abiturum se minaretur. Mysta Bathauiensium, abi sane quò vis gentium, (respondet) nam si diutius hic manseris,media omnibus nobis,quemadmodum minitaris,pereundum est. Seuerinus execratam ciuitatem relinquit,cum suis,qui ipsum audiuere,Laureacum concessit. Cum res Imperij Romani validiores essent,milites,qui limites custodia munirent, publicis alebantur stipendiis: vbi Imperatores ocio se manciparunt,negociáque in paucorum potentiam à se relegarunt, rebus præfecti, pecuniæ , gratiæque seruire cæperunt. Peculatus ærarij factus est: publicè egestas, priuatim opulentia creuit: militibus stipendia, & prædia stipendiaria intercepta, militares copiæ deminutæ. simul cum limitibus ruptæ sunt,Bathauino vtcunque numero durante. Hi tum quosdam, commilitonibus stipendium allaturos,Romam ire iubent. Verum intercepti a Germanis obtruncantur: cadauera in Danubium proiciuntur. Erat iam messis, & Bathauienses plerique,quo alimenta futuræ hyemis conueherent,per agros feraces (qui procul ab vrbe distant) demetendo frumento intendebant. Nam Boiodurum vndique rupibus præruptis, & sterilibus cinctum est. Quadrageni custodes ad portas vrbis excubabant. Hunimundus Rex Alemanorum ciuitati insidias ponit,quæ de improuiso erumpunt. portas occupant, custodes cædunt, vrbe potiuntur. Adest Hunimundus cum exercitu,Bathauiam intrat, fit miseranda cædes. Pontifex in templo supra labrum lustricũ,ad quod confugerat, interficitur: oppidũ diripitur, ac igni vastatur: in solitudinem redigitur. Reliquiæ captiuæ in Germaniam trans Danubium abducuntur. Fuit is annus Christi regis , & Domini nostri quadringentesimus, septuagesimus septimus. Qui fuga elapsi sunt, & oppidula in ripa Danubij sita,minusque firma, metu hostium vacua reliquerant, frequentes Laureacum migrant. Quos Seuerinus consolatur,docétque nusquam nisi in clementia Dei spem habere. magis spiritualibus armis,quàm carnalibus fidendum esse,si instantium hostium vires & robur superare , insidias declinare cupiant. Admonétque vti rem omnem. pecora , frumenta , fænum intra mœnia ex agris abigant, deuehant. Constantium Laureacensem Archiepiscopum , proceresque per Valentem comitem suum cohortari non desinit , vt Deo Optim. Maxim. confisi noctem peruigilio celebrent , excubias per murum agitent. Adoriuntur nocte silenti , Alemanni , Sueui , Narisci , Turogi vrbem : scalas mœnibus admouent: sed animaduersi muro deturbantur. Et cum nil in agris foris offenderent , penuria annonæ & famæ coacti , abactis pecoribus eorum , qui consilium Seuerini contempserant, traiecto Histro domos redeunt. Post hæc continuo Filitheus Rugiorum Rex (quem Fauium,Fauianumque vocant Annales) cum exercitu Laureacum petit , vt capta vrbe incolas abducat , ac in oppidis sibi tributariis, finitimisque distribuat: quorum vnum Fauium erat, quod Danubio amne a Rugiis duntaxat separabatur. Seuerinus vicesimo ab vrbe lapide Regi occurrit, pacem æquis conditionibus impetrat. prodeunt ciues Laureaco, cum Rugiis æquo iure fœdus feriunt: inde Seuerinus Fauium discedit,extra Vianæ mœnia Deo & Religioni vacat. Odagrius Regulus ad ipsum venerabundus venit: nominatur ibi adhuc ab illo Odagria pagus. Seuerini vaticinio confirmatus Odagrius cum variis Germaniæ gentibus,cum parte Rugiorum,quibus præerat,Italiam inuadit, Anno Christianæ salutis, secundũ Cassiodorum,& Iordanum,quadringentesimo,septuagesimo octauo,Basilisco iterũ

Quintanorũ vrbis excidium.

D. Seuerin. Bathauiæ exitium: exitio denunciat.

Bathauium a Germanis deletur.

Episcopus Bathauiensis in templo interficitur.

Laureacum oppugnatur ab Alemannis.

Odagrius Rugiorũ regulus veneratur Seuerinum.

Italiam inuadit.

& Armato Coss. Orestes, & Paulus fratres militiæ præfecti, capti, atque interempti sunt.

Augustulus in exilium relegatur.

Augustulus veteris Romæ Imperator, in Campaniam in exilium relegatus est. Odacer tertiam partem agrorum suis distribuit: Italiam cum Roma quatuordecim annos tenuit, decem quiete, & solas quatuor cum Theodorico Rege Ostrogetarum. Odacer accepta Italia se regem adpellari iussit: cum tamen nec diademate, nec regiis insigniis vsus sit.

Italia & Roma potitus, se regem appellari iussit.

Eodem tempore Flaccitheus Rugiorū Odacer Rex, qui plurimum Seuerino tribuere solebat (nam Seuerini ope à Gotis antea sibi infestis, societatem impetrarat) obiit mortem: reliquit duos filios, Filitheum & Fridericum: ille in regno patri succedit, hic à fratre Fauianorum vrbem ex paucis oppidis, quæ in ripa Histri extabant accepit. Erat Filitheo coniunx Gisa, mulier auara, crudelis & imperiosa, Romanos captiuos abduci non solum iubebat, sed grauissima seruitute quoq; velut vilissima mancipia premebat. captos etiam aurifices, & Phrygiones Romanos, arctissima custodia clauserat, ad ergastula condemnarat. Obiurganti mulierem Seuerino respondet: Quid tu homuncio? aliena quæ nihil ad te attinent, curas: quin in conclaui preculas immurmuras? cum seruis nostris quidnā iure nostro agimus, ne cogitare quidem tibi fas est. Mox Fridericus filius Gisæ, & Filithei morbo corripitur.

Gisa vxor Filithei.

Gisa omnes Romanos carcere soluit, liberos postliminio redire dimittit: veniam à Seuerino petit. Seuerinus gratiam facit, precibus filium sanitati restituit. Post paucos annos, cum sibi finem vitæ adesse intelligeret, Filitheum, Gisam, Fridericum, Rugiorum principes ad se vocat: ipsis Romanos, qui clementiā Regis ea loca adhuc incolebant, commendat, vt fœdus cum eis obseruent, Rugios obtestatur: sectari hortatur. Rugij omnia pollicentur. Vicinos deinde Seuerinus Romanus morte eius turbatos consolatur, bonóque animo esse iubet. Quamquam hæc (inquit) loca nunc frequentata hominibus solitudinem redigentur vastissimam: tamen vos bene sperare licet, breues omnes incolumes in Italiam profecturi estis: atque tum vobiscum ossa mea auferte.

Mors Diui Seuerini. Romam in Italiam auehunt.

Decessit sexto Idus Ianuarij anno a restituta salute quadringentesimo, octogesimo primo. Postea Fridericus Viennæ princeps, a Friderico fratris filio interficitur. Filitheus pater huius Friderici opes occiosi occupat. Odacer Rex Italiæ vindicaturus parricidium, variarum gentium quibus præerat collecto milite, in Noricum arma mouet: Filitheum regem pugna victum cum vxore Gisa capit: vinctos in Italiam deportat: ibi exules extincti sunt. Viennam & totum Noricum recipit: Rugios reliquos in obsequium deditionemque redigit. Fridericus fuga elapsus est. At Odacer cum ingenti captiuorū numero in Italiam reuertitur. Fridericus rursus Viennam, Noricúmque occupat. Odacer cum validā manu Aaulpham fratrem contra Fridericum proficisci iubet. Fridericus denuo pellitur ad Theodoricumque regem, qui ad Sauum Neostadij habitabat aufugit. Anulphus fratris mandato omnes Romanos ea loca incolentes migrare in Italiam imperat: & quæ huiusmodi itineri necessaria forent comparare iubet: reliquias Rugiorum secum transfert. Post hæc Pierius præses, Diuus Lucilius Episcopus, omnes Romanos finitimos Fauio in Italiam abire cogunt: ipsi secum ossa D. Seuerini auferunt. Prouinciales igitur oppidis Danubio & Viennæ cōtiguis relictis, simul pergunt: per diuersas Italiæ regiones sedes sortiti sunt. Egypius etiam harum rerum scriptor, cum Norico genitali solo relicto, in Italiam migrauit: ossa D. Seuerini in agro Neapolitano recondidit.

Longobardi Austriā siue Marcouelta occupant.

Longobardi per Sueuorum sedes, qui tum Boiemiam & Morauiam adhuc tenebant, eam partem Germaniæ Histro cōterminam occupant, quam Rugij possedere: & nunc communi vocabulo Austria vocatur, proprio verò Marcouelta. Inter hæc Fl. Val. Zenon Imperator Theodoricum regem Ostrogetarum, arcta sibi familiaritate coniunctum, iam inde ab eo tempore, dum Theodoricus obses Bizantij fuit apud Imperatorem Leontem primum, socerum Zenonis, Consulem Romanum, cum Venantio designat, Magistrum militum, ducem militiæ Romanæ declarat: Imperij procuratorem (quem nostri Vicarium, prisci legatum Imperatoris vocarunt) nuncupat. Eidem Senatum, populúmq; Romanum, Italiam, Occidentale Imperium, Prouincias supra Sauum, Fauonium versus, Pannonias, Noricum, Vindeliciam, Rhætias committit: quemadmodum etiam apud nos cani solet. Theodoricus igitur iussu Imperatoris cū Ostrogetis, & Artemidoro affine Augusti, quo maior authoritas foret, castra ex Pannonia mouet, intentò exercitu in Italiam intendit. Haud procul Aquileia vires Odacris resistentes superat, fundit. Inde in agro Veronensi Odacer iterum à Getis superatur.

Odacer ter à Getis vincitur.

Tertium prælium ad Adduam flumen fuit: ibi quoq; Odacer non meliore fortuna aleam belli tentauit. Victus Romam aufugit. Roma venienti portas claudit. Odacer Rauennam retro properat, eámq; munit: ibi triennio obsidetur: noctu sæpius erumpit, Gotos affligit. Conuenit tandē pax inter Reges ita vt ambo pari iure ex æquo regnent: sed dissociale regnū est.

Odacer cæditur.

Odacer cæsus est. Theodoricus nemine pugnante, Italia, Vrbéq; Roma potitur: Dalmatiam, Pannonias, Noricū, Vindeliciam: itē Siciliam, prouincias Romanas recipit. Dalmatiæ Osuinū, Pannoniis Colosseum, Norico Seuerinum. Vindelicis Seruatum præficit, præsidésq; cum exercitibus mittit: leges regendi præscribit. Quibus iubet milites cum Romanis ciuiliter viuere: Prouincias ab incursatione hostili defendere. Duci-

bus

bus imperat, vt armis creditos populos tutentur: abſtinentiam, iuſtitiámque ſectentur, æmulentúrque veterum Romanorum prudentiam, vti prouinciales planè intelligant, atque ſentiant ſe à principe Romano datos eſſe rectores. Et quamquam omnia ad veterem Romanæ Reipublicæ ſtatum & morem reuocare, & occidentis Imperium (vt videri voluit) inſtaurare præ ſe ferret, & ſummoperè operā nauaret: attamen fortunæ inconſtantiam memor rerum humanarum, ne facilè pelli poſſet veritus, omnes Germanos reges, qui vel in Germania imperitabant, vel in prouinciis Roman. regnabant inuicem fœdere ſibi & adfinitate iunxit. Herulorum reliquias ad ſe in Italiam ex Germania acciuit. Ipſe Hadofredam filiam Litauici Magni regis Francorum, vxorem duxit. Filias ſuas Theodogutam Alarico Veſſogetarum: Alteram Oſtrogutam Segimundo Burgundionum, regibus nuptum dedit. Tertiam filiam Amalouindam Eutharico Cillicæ, Getæ, & Conſuli Romano connubio iungit. inde natus eſt Atalaricus, qui cum matre Theodorico ſucceſsit. Germanam itidem ſuam Amalofredam Thraſamundo Vandalorum: Amalopyrgam Amalofredæ filiam, neptem ſuam, literis inſtitutam, Herminofredo Tyrogorum regi connubio copulauit. Multa præclara magnificè in Italia extruxit: ſtudioſiſsimus literarum, morum, pacisque fuit: liberalitate omnes ſuperauit: munerum editione veteres æquauit Romanos: nec quiſquam Theodorico acceptior fuit. Crebras legationes ex Germania cum donis gratulatum miſſas, etiam ab intimis ſinus Codani, Venedicique accolis accepit, legi, cani adhuc à noſtratibus ſolet. Nec temere alius quiſquam veterum regum in ore vulgi imperiti frequentior eſt. Hac tempeſtate Theodorus Lauracenſis Archimyſtes Chriſtianos Romanos in Pannoniis, Norico, Vindelicia cæleſti doctrina pauit. Extat ad eum epiſtola Symmachi Pontificis Romani, qui Regis Theodorici iuſſu contra Laurentium Romanus Epiſcopus nuncupatus eſt. Vrbium regina Roma dominaque terrarum, intra annos ſeptem & ſeptuaginta, quinquies Germanorum robori ceſsit. Quinquies à Germanis ſub iugum miſſa eſt. Sub idem tempus, dum hæc in occidente fiunt: Conſtantinopoli Zenon Imperator moritur. Anno Chriſti, ſecundum Caſsiodorum, quadringenteſimo, nonageſimo primo, Olybrio iterum Conſule. Succedit Flauius Valerius Anaſtaſius Dicoros, opera & ſtudio Ariadnæ vxoris Zenonis. Obiit mortem ſubitò, ſeu, vt alij tradunt de cœlo fulmine tactus, vitæ anno octauo & octogeſimo, imperij & poteſtatis ſeptimo atque viceſimo, Chriſtianæ æræ (ſi Aurelio Caſsiodoro ſcribæ Theodorici Regis credimus) quingenteſimo, duodeuiceſimo, Magno vnico Conſule. Per idem tempus Italiam, Vrbem Romanam, Occidentis prouincias Romani Imperatores (quemadmodum & hoc ſeculo) titulotenus duntaxat poſſedere. Idcirco ego nunc omiſsis Romanis rebus, & aliarum nationum hiſtoriis iam deinceps, perpetuò ab exitu Attilæ, ad meam vſque memoriam, fauſtis auibus, boniſque ominibus, duces, & reges, & regulos, & principes, Tetrarchas in Dynaſtas, Cæſares Imperatores Boiorum proſequar: Quorum auſpicio id operis à me inceptum eſt. Atque hinc tertium librum exodiar.

Theodoricus Occidentis Imperium inſtaurare conatur.

Laudes Theodorici.

Theodorus Lauracenſis Archiepiſcopus.

Roma quinquies à Germanis [illegible].

Zenon Imperator moritur.

FINIS SECVNDI LIBRI.

ANNALIVM BOIORVM LIBER TERTIVS HAEC CONTINET.

ADalogerio Rex Boiorum.
Migratio ad Nariſcos.
Pugna, & fœdus cum Francis.
Theodo primus dux Boiorum.
Irruptio in Vindeliciam.
Theodo Magnus, & ſecundus: eius pugnæ & bellum cum Romanis.
Irruptio in Noricum.
Theodo tertius, Vto. Theodoualda fratres: Diuus Rupertus hos in religione Chriſti inſtituit.
Theſſalonius primus, & Theodopertus patrueles.
Diuus Columbanus in Boiaria Venedis prædicaturus.
Garioualda Rex Boiorum, ab Hyldeberto Rege Francorum pellitur: Theſſalonius, cui Garioualda Boiariam præripuerat, reſtituitur.

Gario-

Garionalda Dux filius Thessaloni.
Theodo quartus cum filiis Theodoperto, & Thessalono secundis: Diuus Eustasius in Boiariam venit ad hosce.
Theodo quintus, Grimoldus, Theodopertus tertius fratres.
Diuus Haimeranus occiditur.
Theodo sextus cum filiis Theodone septimo, Grimoldo secundo, & Hugoberto.
Diuus Corbinianus Boios pascit.
Vtilo. Diuus Bonifacius sacerdotes in Boiaria in ordinem redegit.
Thessalonus tertius, cum filio Theodone octauo à Carolo dignitate abdicatur.
Item Reges Francorum à Ludouico Magno ad Carolum Magnum.
Item Guntholdus filius Garionalda Regis Boiorum cum posteritate, quæ Italia, & regno Longobardorum potita est.

Domesticis posthac duntaxat vtar testimoniis, præter superiores rerum nostrarum, & Annalium scriptores. Volcomarus, & Hermannus Monachorum Antistites non infeliciter huic rei operam nauarunt: quorum industria multum (fateor) adiutus sum. Hic Altaichio inferiori, ille Cænobio Furstenfeldensi præficit.

Volcomarus Ludouico, Imperatoris Ludouici quarti parenti: at huius auo, & patruo Ottoni, & Henrico Hermanus a consiliis fuit.

ANNALIVM BOIORVM
Liber tertius.

PROLOGVS.

SÆCI sunt, & excordes hominum animi, furiosa est mortalium libido, qui iure humano, diuinóque violato, mare & cœlum, ima summis miscent, sudore & sanguine innocentiũ, inopũmq; opes, imperia, triũphos sibi comparare consueuerunt. Quicquid delirant reges plectuntur Achiui. Vt vnus auro rutilet, vnus Ostro, purpuráue niteat, tot ad egestatem redigendi: tot clientes spoliandi, tot loculi expilandi sunt. Vnus est tamen interitus pauperis, & diuitis. Opulentus, & mendicus iuxtà occidunt, sed grauior casu: illi ab alto decidunt, qui æternis animæ immortalis bonis contemptis, veluti pecora corpori caduco, & fragili seruiunt: & nullum finem, diuitias, honores gloriam, potentiam (fluxa nimirum, ac temporaria quæ leuissimo momento, huc illucque transferuntur) ambiendi, & conflectandi sibi faciunt. Conquirunt anxiè illa, ac nesciunt cui. Eisdem sæpius hostis, aut capitalis inimicus potitur. Romani rerum domini patriam meam, nataléque solum Aboriginibus captis contrucidatis, inuaserunt. Quingentos triginta quinque annos tenuerunt. Boijrum vlti indigenas, Romanas profligare cœperunt vires. Tanto temporis spacio, ego quidem hactenus, ne nomen quidem Boiorum apud aliquem scriptorum offendi. Ne opus hiulcum foret, Romanos principes, vsque ad Anastasium (qui Vindelicis, Noricisque potiti sunt) & res gestas Germanorum ostendi duntaxat: vt præclara nostratium ingenia, ad isthæc luce historiæ illustranda excitarem. Quæ si, vti pro magnitudine par est, differere tentarem, tempus me deficeret. Sub Anastasio Imperatore maiores nostri in Vindeliciam, & Noricum irruperunt. Romanos fuderunt, ceciderunt, & exegerunt, atauis sanguinem Romanorum inferias retulerunt. Possidemus mille super vndecim annos hasce regiones. Quòd si Turcæ limites ditionis suæ aduersum nos vsque, quantum mea memoria, promouerint: & nos, sicuti soliti sumus, superbi erecta ceruice, huiusmodi rem despexerimus, profectò nobis trans Danubium in Germaniam magnam, ad rupes, & in syluas rursus redeundem est.

Valet ima summis
Mutare, & insignem attenuat Deus,
Obscura promens, hinc apicem rapax
Fortuna cum stridore acuto
Sustulit hic posuisse gaudet

Cum Christi Regis viuentium, & domini dominorum anno (Cassiodorum sequor) quadringentesimo, quinquagesimo sexto Attila, metus orbis terrarũ, Germaniæ & Sarmatiæ Rex

tiæ Rex

tiæ Rex potentiſsimus, vita defunctus eſſet, variarum gentium nationes, quas Attila in co- militium acciuerat, pacem exuere, ſæuire & regna conturbare cœperunt. Vt quiſque plurimum viribus pollebat, ita maximè imbecilliores opprimere conabatur ſicuti fieri ſo- let, vbi Imperia capite, ac præſide orba, tanquam corpus ſine anima, diſſoluuntur & tabeſ- cunt. Id quod nimirum hoc anno ipſi ſentimus, quo Imperator Maximilianus Cæſar Auguſtus mortem obiit. Vlricus quippe Dux Wirtenbergenſis nondum funere Cæſaris complorato, pacem exoſus, arma in finitimos vertit. minacißimus. Dux noſter Wilhel- mus Sueuici fœderis Imperator, cum ſociis illum terris auitis exegit. Vlricus aliquot menſes extorris, nemo ſcit vbinam gentium ignotus delituit. Dum hæc ſcribo, ſubitò apparet, ciuibus ſine vi vltro ſe dedentibus, oppidum Stugardiam recuperat. Princeps Wilhelmus cum fœderatis copias eius aggreditur, ſternit, fundit, ipſum in fugam vertit, o- mnia rurſus occupat quæ ille receperat. Vlricus denuo exterminatus patriis ſedibus, v- binam gentium agat, mihi quidem incompertum. Relinquo, & ad cœptum redeo.

Attila Rex Germaniæ & Sarmatiæ.

Reuixit, & ope Langrauii omnia recuperauit, Sueuus. & aufſiaticis in fugam verſit.

Res humanæ fluxæ, & mobiles ex fortuna pendent. ſæpius in aduerſa mutantur. atqui omnes rerum mutationes etiam in ſecunda aduerſis cædem, fugam aliáque hoſtilia por- tendunt: præſertim vbi temere multorum arbitrio diſtrahuntur. Huiuscemodi pro- inde cauſis commoti Boiorum populi. Schiracij, Hirri, Schiri, Trani, Salij, Salingi, Stiri, Stiracij, Halij, Buri plurimis & valentiſsimis cincti nationibus, Sueuis, Bulgaribus, Hun- nis, Rugiis, Gepidis, Oſtrogetis, Alanis, Sarmatis: quo firmiores, tutioresque forent, coëunt Adalogerionem. Hunni Velphenis filium, virum fortem, & prudentem, qui paternam originem Alemannum Herculem referret, Regem creant, atque ſalutant. Et quo vtilitas vocat, nunc Getis ac Sueuis, nunc Hunnis & Rugiis coniuncti, tranſito D- nubio prædatitia ex Romanis prouinciis annona victitarunt. Oritur poſt hæc certamen inter Sueuos, Oſtrogetásque propter abacta pecora. Boij concitati à Sueuis aduerſus Go- tos, Valomarum regem pugna interficiunt. Nec Goti inultum regium ſanguinem reli- querunt. Theodomarus pater Theoderici, frater Valomari rex Oſtrogotorum, hyeme rigente, cùm iam Danubius (ſicut in his regionibus fieri ſolet) gelu conſtitiſſet, ſupe- rato amne Sueuos, Boios (quos communi vocabulo Alemanos vocabant) non parua clade (ita & in vernaculis annalibus ſcriptum lego) adfecit: eorum opes atteriuit. Inde in finiti- A tergo quoque Venedi in Germania interiore conualeſcere cæperunt. Rex Alaricus mos ſæuire, Sueuos, Boios laceſſere, infeſtare, opprimere non ceſſarunt. Rex Alaricus Sueuorum cum popularibus ſuis Boiemiam, Sileſiam, Luſatiam, & finitimas regiones Bo- ream ac Eurum verſus deſerit, diſcedit ad Occidentem. Agrum propinquum Danubio, Rheno, Nigro, Alemano fluminibus, capit: traiecto deinde Rheno, atque Danubio par- tem Galliarum, & Rhætiam ſupra Lycum Occidentem verſus, Italiam vſque, paulatim occupauit. Boij quoque Sueuorum veſtigia inſecuti, ab Orientis ora per Hiſtri ripam, ad Nariſcos auitos agros, incunabulaq; gentis, cuius Norieioberga caput tum erat, conceſſe- runt. Venedorum Reges Zecho, & Crocus loca à Sueuis, & Boiis deſerta inuaſerunt & ad- huc poſsident. Conſedere quieti maiores noſtri apud Nariſcos. Nonnihil rei cum vi- cinis Francorū Regibus Childerico, & Ludouico fuit. Hi pares ferre non poterant, & ſoli regio nomine imperitare in Gallia, Germania contendebant. Indignabantur etiam Bo- ios, & Sueuos vicinos ſibi, ſuis legibus viuere, immunesque Imperij Francorum agitare. Ludouicus itaque Magnus, Rex Francorum, iuuenis natura ferox, victis tum Turopis, & viribus Romanis cum Aegidio legato penitus in Galliis deletis, ferocior Alemánis bel- lum indicit: omnibus neruis expeditionem in hos meditatur. Colebat ipſe Deos: Vxor verò eius Crochyldis filia Childerici regis Burgundiæ Chriſtiana erat, crebro, fruſtra tamē, virum ad veritatem amplectendam cohortabatur. Sueui & Boij vbi animum Ludouici acceperunt, rati potius eſſe extra fines ſuos hoſti occurrere, quàm domi hoſtiū aduentum expectare: tranſito Rheno cum Regibus ſuis Alarico, & Adalogerione, haud procul à Tubbiaco oppido, ab Agrippinenſi colonia ad ſecundum, & tricelimum lapidem. Fran- cum haud imparati alacriter excipiunt. Segibertum regulum Agrippinenſem, ducem copiarum, in genu ſauciant, ex quo vulnere claudus ſemper fuit, & inde cognomē ſortitus. Franci deinde terga vertunt, in fugam paſsim effunduntur. Boij, & Sueui fugientibus in- ſtant, fugitantium tergo hærent, ipſos cædunt fundunt. Ludouicus Rex vbi nullā ſpem ſalutis, nec in armis, nec in fuga eſſe videt, ad vota, & cælum conuerſus ait: Chriſte potens rerum, quem vxor mea colit, veneratur, prædicat, ſiſte fœdam fugam, deme Francis me- tum: tu mihi ſolus poſt hac iam eris Deus. Ego tua ſacra cum Francis meis recipiam, & tibi templa dicabo. quod erit perpetuum poſteris monumentum, tua præſenti ope ſer- uatos eſſe Francos. Vix hæc fatus erat, Franci reſiſtunt, redintegratur prælium. V- terque Rex hoſtium cecidit. Franci ſuperiores fiunt. Sueui ad Theodericum regem in Italiam confugiunt. eo deprecatore erga Francos vtuntur. Extat huiusmodi epiſtola. Boij cum Francis fœdus, ſocietatémque perpetuò faciunt hiſce conditionibus: Boij de corpore ſuo, vbi opus fuerit, principem legant, at ducem, non Regem adpellent: Reges Franco-

Boiorum populi.

Adalogericon.

Adelger.

Valomarus interfectus. Theodomarus.

Venedi.

Alaricus. Sueuorum migratio.

Crothyldis.

Segibertus ex vulnere claudus.

Ludouici regis Francorum votum.

Boiorum fœdus cu Francis.

Francorum autores fiant. In bellis auxilio Francis sint Boij, eosdem pro amicis, & hostibus habeant: cæterùm suis institutis, ac moribus liberi viuant. Hoc fœdus persanctè à Boijs obseruatum est: & amicitia Boiorum bona, atque honesta Francis permansit: Adeò vt post hac Francorum Reges nihil penitus quicquam præclari, sine ope Boiorum, neque in rebus bellicis, ac domesticis, neque in diuinis, atq; humanis vnquam gesserint: quemadmodum res ipsa indicabit, & Hatto Archiflamen Moguntinus ad Ioannem nonum Pontificem Max. scribit: quæ Epistola adhuc extat in Bibliothecis nostris, & actis pontificum Boiariæ. *Hatto Archiflamen.* Hoc prælium factum esse reperio, Anno Christianæ salutis quadringentesimo nonagesimo tertio Ludouicus Rex Francus, parta victoria, vbi prius suos de dijs abijciendis consuluit, philosophiam Christianam recepit cum filio Theoderico, sororibus suis, Albefleda, & Landhylda, simul cum tribus millibus hominum de exercitu, & amplius, lauacro spiritali tinctus est. *Albefleda Landhylda.* At Boij Theodonem filium Adalogerionis superioris, rectorem faciunt, atque iubent, in eiusque verba iurant. Paucis post annis Ludouicus Rex Francorum in Gotegiselum, & Gundebaldum parentem Diui Sigismundi, fratres, Reges Burgundionum, parricidiali bello ob gubernacula decertantes, arma mouet: Burgundiones tributa quotannis pendere vi cogit. *Gotegiselus Gundebaldus. D. Sigismundus filius Gundebaldi vel vt alij volunt Gundicarij.* Inde rupto fœdere, seu libidine dominandi, seu, vt præ se tulit, ob pollutam toties religionem, Vessogetis, & Alarico Regi ipsorum, quod Arriani essent, bellum indicit. Vires, tela, arma, iacula, annonam tormenta comparat, socios, auxilia accersit. Trahit etiam in partes Boios, Theodonemque ipsorum Regulum in commilitium ex pacto acciuit. Rex Theodericus vbi hoc in Italia accepit, nihil intentatum reliquit, sedulo operam nauauit, si qua æquitate hominum res ad ocium deduci posset: & Vessogetas, Francosque pace & societate, quam sacramento solennibus cæremonijs inierant, ipse contineret. Ad vtrumque Regem legatos cum mandatis & literis proficisci iubet, vtrumque monet, obtestatur, & pro iure adfinitatis, quo ambobus deuinctus erat, postulat, vti ab armis discedant: sanguine cognato, belloq; ipsis, suis quam perniciosissimo manus abstineant. Si se mutuis vulneribus conficere perrexerint, rem gratissimam facturos, iucundissimumque spectaculum edituros Romanis hostibus suis: qui haud dubiè exangues, & defatigatos ipsi recentes, & integri inuadent: suaque vi, & armis repetent. Si quid peccatum sit, se arbitrum fore pollicetur: Vtrique parti iuxta fauere, se alterius socerum, alterius generum esse. Nec hisce contentus Theodericus, ad Burgundionum, Herulorum, Varnorum, Turogorum Reges oratores cum epistolis legat, quarum sententia (quemadmodum in Bibliothecis legi nostris) [illegible] *Theodericus legatos ad Reges mittit. Epistolarum summa.* Princeps absque iusticia nil aliud profecto est, quàm gentium latro publicus. Quippe vbi leges regi, non regere solent, pro iure libido, & licentia inuadit, maliciosus, fallax, versutus, sapiens nominatur: calliditas, & astutia prudentia appellantur: pro æquitate superbia, pro abstinentia auaricia, pessima vitia sub specie virtutum dominantur. Ambæ pestes inuident, rapiunt, opprimunt, aliorum opibus inhiant, omnes pro hoste ducunt, cuncta sibi seruire adpetunt. Hac via nuper Attila grassatus, & si Vessogetarum robore fractus, furoris tamen sui hæredem & successorem reliquit Ludouicum Regem Francorum, qui iam pridem (vt est natura mortalium auida imperij, & præceps ad explendam animi cupidinem) animo Imperium orbis inuasit, & tantos sibi spiritus, tantam sibi arrogantiam sumpsit, vt neminem secum dignitate exæquari velit. Alarico Vessogetarum Regi, citra affinitatis affectum, vinculo societatis, fidei sacramento violato, nefandum & impium indixit bellum. Nemini dubium esse potest, quin superatis Gotis, signa victricia in vos conuertat. Euricus genitor Alarici non solum opibus, pecunia, stipendiis vos adiuuit, verùm etiam ab hostium impetu, & oppugnatione defendit: vires Romanas à ceruicibus vestris auertit. *Euricus.* Obsecro itaque atque obtestor per ea beneficia, uti cum amicis meis, vestri quoque ad Francos, Ludouicumque legentur, qui verbis omnium nostrum, vt pote maximorum, & opulentissimorum Regum, nuncient, velle, & censere, eos ab armis discedere, ita seque, illisque dignum esse. Sed frustra omnes conatus, frustra omnes minæ fuerunt. Francus decimo ab Vrbe Pictonum lapide, Alaricum pugna victum interimit Gotos in fugam vertit, Tolossam capit, totam Aquitaniam (Galliarum partem proximam Pyrenæis montibus, & Hispaniæ) subigit. *Alaricus interemtus. Tolossa à Francis capta.* Amalaricus filius Alarici, nepos ex filia Theoderici, in Hispaniam elapsus, regnum ibi Vessogetarum, atque parentis recepit: sub tutela aui Theoderici Regis Ostrogetarum quietè possedit. *Amalaricus regnum patris recipit.* Dum hæc in Gallijs, & Aquitania geruntur, Theodericus cognatus suis Vessogetis, & genero, quàm socero amicior, Ibbam ducem cum exercitu in Galliam Narbonensem mittit, triginta Francorum millibus occisis, Auinionem, Arelatem, Massiliam recepit. *Ibba Dux.* Et vt ipse ad prouincialis Galliarum gloriatur, eam portionem Galliæ à Barbarorum, id est, Francorum iugo eripuit: Romanæ libertati, & iuri Italiæ restituit. Dat inde præsides, & legatos, viros legum Romanarum, & morum peritos, æquitatisque amatores, Gemellum Arelatensibus, Marobodum Massiliensibus, Auinioni Vandalum præfecit. *Gemellus. Marobodus. Vandalus.* Mœnia insuper vrbium suo sumptu instaurari iubet, commeatum, & stipendia exercitui (qui pro custodia Gal-

liæ

liæ contra Francos excubaret) ex Italia misit, ne Galli tributo grauarentur. Ludouicus rex Francorum exactis Vessogetis ex Gallia in Hispaniam, subacta omni Aquitania, parta victoria, Lutetiam Parisiorum contendit, ibi regiam sedem constituit, vbi ad se amoris omnibus arbitris, Theodonem vocat, & huiusmodi verbis (quo par pari referret, & stragem illatam Theoderico compensaret) Regulum Boiorum alloquitur: Egregia tua virtus atque fides spectata, & grata mihi, faciunt, vt ingratus esse videar, nisi te magnum & clarum, maiorem, & clariorem omnibus principibus Germaniæ, mihique ferè parem opibus & gloria, meo consilio, mea denique opera reddidero. Vides Sueuos Hispanias, Gotos Italiam, Burgundiones, & nos Gallias, relicta inculta Germania, solum Romanum feracissimum, & amœnissimũ tenere, & ex pauperrimis opulentissimos factos esse. Quid tu inglorius cum tot viris fortibus in lapidosis syluis obsolescis? Quin tu quoque vestigia cognatorum tuorum æmularis, relictis horridis saltibus, & rupibus asperis prouincias Romanas (à quibus Danubio duntaxat summoueris) fertiles, & vberes, agris occupas? Ego arma, vires, pecuniam præbebo. Quicquid animo libet tuo sume, vtere. Nec est quòd Romanos timeas, apud quos pluris aurum est, quàm ferrum. Iampridem consenuere orbi Romano, fatum excidij aduentauit, iam salui esse non possunt, nisi crudelissimorum hostium opibus fulciantur. Theoderici, & Ostrogotarum robora, perfidia hostium, inter quos versantur, & quos grauissima seruitute opprimunt, domi continebunt. Neque Theodericus se suorum præsidio nudabit, & iugulum feriendum inimicis præbebit. Quòd si bene noui animum Theoderici, nemo omnium Romanas vires radicitus intercidere plus optat, quo ipse, & sua posteritas perpetuò Italia potiatur: Falleris, si eum à Romanis amari credis. Qui deorum proditor, sacra quoque Christiana polluit, vtriusq; religionis desertor, & leuissimus transfuga, neque in hac, neque in illa parte fidem habet. Facto, non consilio, & tantummodo incepto opus est. Cætera res expediet. Senties, crede mihi, bellum esse leuissimum, in quo nihil penitus periculi, gloriæ multum, præmij plurimum erit. Theodo, vbi Rex finem dicendi fecit, gratias agit, quòd curæ haberetur, sibi neque maius quicquam, nec charius authoritate Regis, Francorumque esse respondit: seque quoad vires, & vita suppetat, enisurum, vti voluntati, & voto Regis satis faciat. Post hæc impetrata abeundi facultate, domum reuertit. Aduocata concione, mandata Regis patefacit, & huiuscemodi verba habuit:

Lutetia sedes regia.

Ludouici Regis verba ad Theodonem.

Sæpe maiores nostri (sicuti ego à senioribus accepi) melioris, soli gratia, bellandique studio sedes commutarunt, priscis seculis ex his locis, & Boiemia, quæ adhuc à nobis cognomen retinet, in Italiam commigrarunt: cum Sueuis Vrbem Romam incenderunt. Inde pulsi à Romanis, ad Tauriscos, & finitima Histro loca concesserunt, quibus tædio vicinorum Romanorum desertis in Germaniam Magnam trans Danubium, velut peregrinatum, profecti sunt. Nostro postremo seculo, quas regiones, quæ loca, in orientali Germania, cum cognatis nostris, Rugiis, Sueuis, Gotis, Hunnis, Gepidis, Alanis, Vandalis, Herulis, Vulgaribus, Marcomanis, Quadis conflictati, peruagati, & peragrati sumus, in memoria recenti habetis, & singuli sensistis, donec peruentum est ad hæc nostra incunabula, & seminaria nobilitatis nostræ, angustiora, & infœcundiora quam quę tantam multitudinem ferre, ac alere diutius possint. Vicinus est ager Romanorum fertilissimus, amplissimus, & latissimus: Danubio duntaxat à nobis separatus, hunc vi, & armis facile occupabimus. Hostes imbecilli, imbelles, opportuni iniuriæ, metuentes magis, quàm metuendi: fœminis timidiores, fugaciores ceruis sunt. Illorum Imperatores dediti corporis gaudiis, per luxum, atque ignauiam viam ætatem agunt, Græculorum mundiciis eneruantur. Alij populi Germaniæ cognati, & adfines nostri Italiam, Vrbem Romam; domicilium Imperij, Gallias, Hispanias, Britannias, pulsis, trucidatis Romanis, eorum prouincias, opulentissima regna possident. Nobis suppeditant exercitus, pecunia; sociorum auxilia: Quo nos fortuna, Dij immortales, Alemanus Hercules inuictus parens, & autor generis nostri vocat, ibimus ô socij, comitésque: Atauis nostris sanguine Romanorum parentabimus. Habetis enim ducem, qui & consulere, & defendere, & per seipsum, quoad viuet, cuncta præstare possit. Qui prouidebit, vt in perpetua pace vitam omnium vestrum, bona, fortunas, coniuges, liberos componat: & tandem laborum requiem, finem ærumnarum, cursus nostri tranquillum, atque optatum; omnibus saluis, vobiscum contingat.

Ludouici regis mandata ad Theodonem.

Theodo, vbi hæc dixit, & omnium animos arrectos, & alacres ad bellum esse videt, dimisso conuentu, arma, tela, rhedas, naues, copias, commeatum, stipendia, auxilia, pecuniam, & alia huiusmodi: tantæ expeditioni vtiba comparare studet. Quo facilius exercitus traijcerent, Alemannum amnem pluribus quam vno loco, pontibus lapideis coniungit: Prope extimos. villa & oppidum etiam nunc Theodophorus (hoc est Theodonis vadum, & transitus) nuncupatur. Vbi iam regulus Boiorum se ad eam rem paratum arbitratus est. re frumentaria prouisa, profectionem indicit in annum, qui fuit Christianæ salutis. Quingentesimus super octauum: Imperij Anastasij septimus decimus: Seuerino Boëthio ea tempestate viro doctissimo Coss. Romano. Trahit in societatem belli rector Boius, Hunno-

Theodo expeditionem suscipit.

Diethfurt an der Altmur. Anno Christi 508. Anastasius. Rom. Imp. Boethius.

rum reliquias, Abares & Auaros, Angilos, Venedorum nationem, Charinos adhuc incertis sedibus vagantes. Auxilia quoque à Francis acciuit. Coeunt postea duces, de belli ineundi modo consultant: placuit copias partiri, & diuersis locis simul Romanos, ne alius alij auxilio esse possit, adoriri. Et primo castella minora oppugnanda censuerunt. Vltimo omnibus viribus Augustam Tiberij, caput harum regionum, vrbem munitissimam aggere, fossa, vallo, & mœnibus in quadrum ex ingentis molis saxis quadratis, quorum vestigia adhuc videntur, constructis, cinctam arcta obsidione claudere, eoque omnem belli fortunam transferre, periti rei militaris statuerunt: quo tanquam in caueam hostes, relictis, agris, & aliis locis compellerentur: & ibi tanquam feræ indagine cingerentur, vnóque impetu caperentur, & multi ferarum ritu velut in fouea deprehensi cæderentur. Ea ciuitas ab Aquilone Danubio, vti nunc etiam, accessu hostes arcebat: cæteris partibus æquo pede adibatur. Venedi igitur cum Gisalone duce in inferiore Boiaria, vbi pagus, montes præfectura Venedorum nominantur, supra ostia Isaræ, Histrum superât, Pilonium, Augustam, Aciliam, Mocæniam, Vetera castra & Æstiua expugnant: fit fuga Augustam Tiberij. Intra Oënum, & Isaram Bathauia, & Quintanorũ Vrbs ante deletæ fuerant. Giso Hunnorũ, Abarorum, Angilorũ rector, Aureato, Cęsarea & ibi traiecto Danubio, hybernis potitur, eáque disiecit, Lycosthoma. Calatinum, Attilia vacua cultoribus inuenta, Remedius, præfectus ad superiorem Vindeliciam, & Noricum euasit. Irinus cum Francis Eponam & Cænum adgreditur, & occupat, transitque Danubium. Theodo cum maiore parte copiarum, Artobriga maximam huius regionis vrbem, quæ ad Alemanni fluenta vsque portendebatur, sibi depościt, expugnauitque. Plærique fuga euasere, nauibus delati sunt Tiberij Augustam. Theodo apud Chelhaim, vbi Alemanni ostia sunt, cum cæteris armatis Histrum traiecit. Paruula leuiaque vbique fuere prælia, quorum loca ab incolis adhuc, iuxta Danubium maximè, passim monstrantur. Romani magis de fuga quam pugna cogitauere: ipsos plus pedes quam arma tutati sunt. Plæráque oppida, & castella initio belli deserta sunt. Oppidani cum vxoribus & liberis & quæcumque auferre secum potuerunt, Augustam Tiberij aufugere. Riparij quoque milites custodiæ Danubianæ destinati omnes Augustam Tiberij concessere. Abudiaci quoque proximæ vrbis ciues illuc migrarunt. Proximè patriam meam est sylua in qua visuntur vestigia castrorum more Romano, vsus Italica nuncupat. Haud inde procul certamen fuisse incolæ ferunt, Sigenburgũmque trophæũ esse: vicus est, in ripa Apsi amnis cubat, & victoriæ castellum significat, peculiares quondam principes habuit. Posteaquam verò Theodo, superato cum omnibus copiis Danubio, hostes in vna mœnia conclusos esse animaduertit, adunatis omnibus viribus ad obsidendam Augustam Tiberij, infesto intentóque exercitu procedit. Milites Romani pro porta cum accedentibus manus conferunt, sed impetum Boiorum ferre non potuerunt, strenuissimus quisque, & maximè manu promptus interemptus est. Cecidere ibi aliquot millia Romanorum. Inde Romani intra mœnia compulsi sunt, vrbsque cœpta est obsideri. Ditiores Romani clam noctu nauiculis ad hunc casum paratis, fuga sibi consulunt. Laureacum, & ad Noricum, quod adhuc Romani tenebât, veniunt. Interea intra Vrbem Augustam Tiberij metus & formido grassabantur, foris omnes viæ, omnia itinera hostibus clausa, latronibus obsessa erant. Manere periculosum, fugere perniciosius erat. Vulgus inconditum promiscuum magis, res suas, atque paruos liberos deflebat, quàm defendebat. Timore exanimatis ciuibus, & incolis, segniusque agentibus, nostri quoniam copiis, & numero abundabant, rescindunt ferramentis aggerẽ, vallum, fossámque complent, circumiecta multitudine sagittariorum, funditorũmque totis mœnibus, in murum lapides, missilia, tela, sagittæ spargi cœpta sunt. Murus defensoribus nudatus, quod tum facilè fiebat. nam Huni, & Venedi arcu, spiculisque exercitatissimi erant: tantáque eorum multitudo spicula, ac tela coniiciebant, vt in muro alioqui metu languescentibus incolis consistendi potestas non esset. Pars scalis mœnia ascendunt, pars testudine facta, portis succedunt. Boij vndique ab omni parte vrbem oppugnant, & portis effractis, magno impetu irrumpunt: citra omnem rationem ætatis, sexus, & dignitatis fit cędes miseranda, cui finem sacietas victoris fecit. Præda omnis militibus concessa, & donata est. Templa direpta, euersa, incensa, omnia ferro, flamma vastata. Sacerdotes ante aras sacrificantes combusti. Lupus tum vrbis Pontifex, perierit ne, an aufugerit incertum est. Romani prouinciales (nam duo genera Romanorum fuere prouinciales, & Italici) captiui in seruitutem redacti, velut vilissima mancipia venundati, ad operas agrorum, & ergastula condemnati sunt. Inde arces, vrbes, & oppida solo æquantur: ædificia diruuntur: sepulchra quoq; mortuorum, victor suspicatus ibi latere aurum, effodit, & scrutatus est. Adiecit post hæc animum Theodo ad parta tutanda, Danubij oram præsidiis firmat. Bathauia ad confluentes Oeni, Danubij, Ilisi: Augusta quoque Tiberij instauratur. Hanc mutato veteri cognomine Reginoburgium, à nomine Reginoburgæ (quod nomen celebre in fastis est) vxoris suæ rector Boiorum appellat. Veteres fœminarum nomina auspicatiora credidere. Ataui nostri præcipuè, qui fœminis inesse

Augusta Tiberij hodie Ratispona.

Ciuitates & loca à Boiariis occupata.

Theodo Augustã Tiberij obsidet.

Romani ociùs & in fugam versi.

Ratispona expugnatio.

Lupus Episcopus Ratisponensis.

Duo genera Romanorũ.

Theodo, quæ oppida receperit.

ineſſe ſanctum aliquid, & prouidum putarunt, nec aut conſilia earum aſpernati ſunt, aut reſponſa neglexerunt. Condita quoque ſunt in ripa Danubij Neoburgium, & Salingoſtadium: quod nunc aliò ad tertium lapidem ferè translatum Neoſtadium vocari ſolet. Haunſtat, Engeldorff, Aberndorff regiæ & pagi, oppidū Angiloſtadium: ab Hunnis, Angilis, Abaribus cognomina ſeruant. Irinoligæ, id eſt Irini victoriæ Irinus præfectus nomen fecit. Giſoueltas, Giſa: Giſolariam, Giſalo, ita à ſuis vocabulis nuncuparunt: vici ſunt, hunc Lauarus, alterum Ilmus præterfluit: ille haud procul Hibernis, Giſonis caſtra, alter propter æſtiua Romanorum. Giſalonis exercitum declarat. Parentum memoria vtriusque oſſa inuenta, effoſſaque eſſe audiui. Et quoniam Romani (qui Chriſtiani erant) à Boiis alienis à veritatis agnitione adflicti, & contriti ſunt, religio noſtra ab his regionibus tum exploſa eſt, templa diruta, ſacerdotes contrucidati ſunt: quarundam vrbiū nomina mutata, quarundam ad poſterorū memoriam ſeruata ſunt. Thedo lucum & montem, proxime Reginoburgium Danubio imminentem, more maiorum, Alemanno Herculi victori, & bellorum præſidi dedicauit, eiúsque nomine adpellari iuſsit: ibi ſacris, ritu patrio, Diuis operari præcepit. Ea ſylua poſtea monachis D. Haimerani, more maiorum dicata eſt. Extabant in ripa Danubij, & ora Germaniæ duæ vetuſtiſsimæ quercus, prodigioſæ magnitudinis, millibus paſſuum viginti diſtabant: altera ſuperior, altera inferior, cognominabatur. Has quoque gentili cæremonia Boius conſecrauit: eò frequens populus coiit, victimáſque immolauit. Boij vbi religionem Chriſtianam receperunt, in templa, & inde cœnobia commutarunt: vtrumque nomen vetus ſeruat, Altaichiumque vocari ſolet, quod lingua Boia, veterem quercum ſignificat. Nam nihil ſacratius quercu maiores noſtri habuere: nulla ſacra ſine huius arboris fronde confecere: ſacrificijs epuliſq; ritè ſub hac arbore perpetratis Deos adprecati ſunt. Viſcum eius è cœlo miſſum putarunt, ſignumque eſſe à Deo electæ arboris: omnia ſanantem, ſuo vocabulo adpellantes fœcunditatem eo potu dari cuicunque animalium ſterili arbitrati ſunt. Contra venena omnia eſſe remedio. Eo perinde ac nos aqua luſtrica, in expiationibus ſolennibus viſi ſunt. Manauit hæc fama hucuſque, etiam nunc noſtratibus admirationi eſt, & religiosè obſeruatur, & curioſius inquiritur, precium auri apud quoſdam habere, & magis adhuc eſſe in vſu audiui. Romani præſides & præfecti Seuerinus, Remedius, & Seruatus vbi Vindeliciæ eam portionem, quam nos inferiorem Boiariam adpellare ſolemus, amiſſam, & à Boiis occupatam eſſe vident, Noricum, & partem Vindelicorum Alpibus ſubditam, quam incolæ Superiorem Boiariam nuncupant, retinere, & tutari enituntur: quod hæc ſaltibus horrendis, crebris paludibus communita, & fluminibus impedita ſit. nec deerat his animus perditi recuperandi. delectus itaque agunt, oppida munitiora confirmant, milites cogunt. Theodericus ex Italia vice Imperatoris Anaſtaſij Cæſaris Auguſti exercitum, ſtipendia, annonam ſupplet, ac ſubminiſtrat. Reciſis reliquis pontibus, Vrbem Norici (quam re ipſa Pontes Oeni vocabant, nos Vtinum, vulgus Otingam nominat) præſidio firmant, caſtra aggere, foſſa, vallo muniunt. At Boij ne copias Norici, ac Vindelici coniungere, neue alter alteri opem ferre poſſet, vires omnes in duos exercitus diuidunt. Auxiliares Hunnorum cohortes in confinio ſuperioris, inferiorisque Boiariæ, non longè à Mosburgio ſupra Landshutam, vbi oſtia Iſaræ, & Senonis ſunt, Iſaram transeunt, locum caſtris capiunt, ſeque carris, & rhedis, more Germanorum circumſepiunt. Villæ ibi adhuc Hunnouangiones, hoc eſt, Hunnorum currus nuncupantur. Theodo in Inferiore Boiaria Iſaram ſuperat, propter Rhodanum amnem, vbi iam Ottonis Veltæ, vicus admodum ædificiis cultus ſitus eſt conſedit. Vnde Theodophoro vtrique pago nomen eſt. In medio vtriusque exercitus Pontes Oeni erant. Vindelici, & Norici, ſi vtrinque commeare, & vires coniungere tentabant, inter duos noſtratium exercitus intercipiebantur. Theodo dum expeditionem in Noricum meditatur, & caſtra Romana inuadere in animo habet, naturæ concedit, quarto anno poſteaquam Vindeliciam inuaſit: is fuit annus orbis ſeruati quingenteſimus vndecimus: clarus potentiſsimorum Germaniæ principum funere Theodonis primi Reguli Boiorum, & Ludouici Magni regis Francorum. autor eſt Gregorius Turonenſis. Boius duos reliquit filios, Theodonem, cui cognomen Magni à rebus geſtis poſtea inditum eſt, & Vtilonem. Francus verò quatuor filiis ſucceſſoribus deceſsit Theoderico, Hyldeberto, Litomaro, & Luthario: atque hi Imperium Francorum in quatuor diſſecuere regna, quibus prætoria Regum nomina fecerunt. Aurelianenſe Litomarus: Pariſiorum Hyldebertus: Sueſſonum Lutharius: Theodericus maximus natu Mediomatricum, ſub quo Aquitania, Turones, Rhemi, Belgica prima, & Germaniæ continentur, poſſedit. Hic gener diui Sigiſmundi regis Burgundiæ fuit. Porrò Theodericus Oſtrogotorum Rex Imperatoris Romani Legatus, vbi de ſuperiorū principum morte certior factus eſt, Veſſogetas conſanguineos ſuos in Francos excitauit. captæ ſunt nonnullæ vrbes in Aquitania à Gotis. Danorum primum eadem tempeſtate audita ſunt arma, incertum an autore Theoderico: extant certè eius Epiſtolæ ad ſinus Codani incolas. Cochelaricus Rex Danorum, inferioris Germaniæ oram Gallicam grauiter adflixit.

Fœminarum authoritas apud veteres.

Quercus duæ conſecratæ.

Oberaltaich. Nideraltaich.

Aichen Miſtel.

Aqua luſtrica veterum.

Anaſtaſius, Rom. Imp.

Põtes Oeni. Vtinũ, Otinga.

Mosburg. Landshut.

liares Semfta.

Hunnenuuang.

Ottenfelden. Dietfurt.

Theodonis I. mors. II.

Ludouici Regis Francorum mors & filij.

Veſſogetæ. Dani.

Cochlearicus Rex Danorum.

Theodopertus filius Theoderici Regis Francorũ, & Vtilo Boius filius Theodonis, armato milite aduersus Danos properant, terra, marique hostes inuadunt, fundunt, cædunt, interfecto Rege Cochelarico prædam omnem, ac captiuos recuperant. Vtilo quòd egregia virtute cognitus erat, & eo bello fortiter fecerat, limiti Antoripensi præfectus est, finitimæque oræ rector datus, nos Marckgrafionem vocamus, sororem Theodorici Franci vxorem duxit. Ab hoc Vtilone prosapiam Caroli magni deducunt, qui stemma principum nostrorum proposuerunt: vtique rem se habere iidem putant, quàm paucissimis in quarto dicam volumine. Cæterum fides eius rei penes authores erit. Turogorum inde regnum euersum, excisumque est à Francis. Tres fratres Germani, Bertharius pater Diuæ Radegundæ, Baldericus, Herminofridus gener Theoderici Getæ, tum Turogis dominabantur, atque inter se nefario tumultuabantur bello, quo Bertharius extinctus est: reliquos duos fratres dum mutuis vulneribus sæuiunt, Franci reges inuitati, sustulerunt. Diua Radegunda capta, abducta in Galliam Belgicam secundam, Luthario Regi Francorum nupsit. Sed ad Boios redeo, qui Theodonem filium, defuncto patre, rebus imponunt. Anastasius Imperator, & Theodericus Imperij procurator, rati Boios principibus destituros obnoxios esse fraudi atque iniuriæ, quòd Theodo adolescens rudis, & imperitus rerum esset, legatos ad Boios mittũt. Hi data copia fandi, huiusmodi orationem habuerunt. Et si Imperatores Romani, rerum præsides, rectorésque mundi, iniuriæ, contumeliæque haud temere obliuiscantur, & his duntaxat qui promeruerint, amicitiam dare cõsueuerunt, sanctissimus tamen, atq; felicissimus Imperator Anastasius Cæsar Augustus, memor rerum humanarum, nec ignarus ludi fortunæ, & quòd illi qui aliena iniustè inuaserunt, Deo Optim. Maxim. pœnas reddiderunt, gratiam facit, pacem & societatem vltrò vobis, ô Boij proceres, offert: prouinciam quam occupastis, licet armis, & ferro recuperare facile esset, vt humano parcatur sanguini, condonat. Vos in clientulos accipit, Reipub. Romanæ socios asciscit, quos omnibus viribus defendet, ac tutabitur: atq; ab iniuriis Barbarorum asseret. Pro his beneficiis, sicuti certæ pignus amicitiæ, sanè exiguum est, quod postulat, annuum nimirum munusculum. Quid stolidius est, quàm quæ citra periculum comparare possis, malle sanguine tuorum tentare, & incerta pro certis amplecti? Consueuit Deus summus & immortalis, quo grauius ex commutatione rerum homines doleant, his secundiores interdum res concedere. Nemo igitur compos mentis victoria insolenter gloriari solet. Quàm fragiles, quàm incertæ sint res humanæ, quotidie videmus: ipsæ sæpius in aduersa commutantur, & tum maximè, vbi quæ vltro offertur secunda fortuna sordescit. Proinde ne quid temerè committatur, Dux vester Theodo cum paucis ad Theodericum in Italiam proficiscatur, ibi de communibus negociis consultabitur. Nihil esse æquius, ac vtilius nemo vestrum est, qui inficias ibit, aut ambiget. Haud credo vos tam superbos esse, qui hanc benignitatem, atque clementiam, vltro oblatam flocci faciatis: quæ omnibus modis, si negaretur, ambienda foret. Diuturniorem impunitatem haud vnquam suprema, & æterna illa cœli Maiestas hostibus Romani Imperij concessit: Sacrosancta est Roma, & curia superum, princeps Romanus Deus & Dominus est orbis terrarum. Alaricus, & Attila, qui lædere Romanam Maiestatem ausi fuerunt, subito interierunt, raptati ad inferos æternis suppliciis mactantur. *Ad hæc Theodo paucis respondit.* Cuiusmodi est (inquit Romanorum pax, & societas, maiores nostri experti sunt, & nos à senibus audiuimus. Iumenta eum locum vbi semel lapsa sunt, semper cauere solent. Germani aliis tributa imperare, non pendere insueuerunt. Quis nam sit Anastasius ignorare nobis licet. Græculos literiones, & Asiæ molles fœminas fabulis territet. Italiam nunquam nisi victor, & cum exercitu videbo. Theodericus, populares eius Getæ, Italiam Romana penetralia Imperij, Hispanias vi & armis cœperunt, vi & armis tenent. nostra deterior non est conditio. Quæ ferro parta sunt, ferro vt fortes decet viros tutabimur. Hæc pugnis cepimus, pugnis retinebimus. sic stat sententia. Hic hic me quicunque vult, quærat necesse est: Hic hic Theodonem Anastasius, & Theodoricus si lubet, inuenient. Ita re infecta, irritatis animis legati discesserunt, quos pars pro obsidibus retinendis censuerat. Vicit tamen prudentiorum sententia, & ius gentium plus quàm lubido valuit. Posthæc vtrinque duces bello intenti, locis æquis se continere, insidias cauere studuerunt. Neque pugnam faciebant, neque ocium patiebantur, hostem tantummodo ab incepto retinebant. Neutri suos temere periculis obiectare, aut loci iniquitate circumueniri consilium. Vterque occasionem, tempus magis opportunum expectabat: & nisi æquo loco, aut opportunitate data, dimicandum non existimabat. Et nec his, nec illis prælium tentantibus fortuna belli non ita citò transacta, aliquandiu dilata, & protracta est. Inter hæc Anastasius fulmine adflatus Constantinopoli periit. Iustinus Thrax genere deinde obtinuit Imperium. Hic à teneris annis sues egit, pauitque. Vbi adoleuit, annos natus sexdecim, relictis porcis militare cœpit. Vbi modestissimè parendo, & manu promptus, breui enituit, atque emersit. Nam pollens viribus, hostes primus, aut in primis ferire, vbi maximum periculum, ibi potissimum versari consueuit. & in

Diua Radegunda.

Anastasij legatorum ad Boios oratio.

Roma sacrosancta.

Theodonis responsum.

Anastasius fulmine ictus perit. Iustin. Imp.

& in tantam claritudinem breui peruenit ; vt hostibus maximo terrori , Imperatoribus vehementer charus esset. Ab his primò Tribunus factus , deinde rei militari præfectus est. Ad ipsum Amantius Imperatoris Anastasij Eunuchus ; Cæsaream gazam, & ingentem pecuniam detulit. orauitque vt Iustinus donatiuum longè maius ; quàm priores principes militibus promitteret, si Theocritianum quendam à cubiculo Imperatorem legissent. Iustinus potitus pecunia ; eam quidem viritim Tribunis , & militibus distribuit , sed beneficium in se transtulit. Atque hoc donatiuo animos sibi militum conciliauit , suffragia cautè emit. Quocirca , cum exercitus de creando Imperatore consultat, ne vno quidem discrepante, Iustinus deligitur. Amantius & Theocritianus è medio sublati sunt. Vitaliano , qui Anastasio rebellarat , & coniunctis sibi Scythis grauiter Orientem vastarat , gratia facta est: ipse cum Rustico Consul declaratur. Dum hæc Neoromæ geruntur, Theodo impatiens moræ & finiendi belli cupidus , nactus tempus oportunum, superiorem exercitum ad Pontes Oeni aciem mouere , Romanos lacessere , amnis traiectum simulare iussit. Ipse interim cum copijs suis paululum infra eum locum (vbi nunc Brundunum conditum, & hostia Matychæ sunt, qui ibi Oeno miscetur) Oenum superat, vnde Theodophoro campo ibidem nomen est. Cum peritis postea locorum ductoribus cum electissimo æquitatu , cæteris iussis se subsequi, emensis syluis, & fluminibus de improuiso ex proxima sylua Romanos inopinatos à tergo, nil mali suspicantes, magno impetu ante lucis ortum inuadit : sit tumultus clamorque. Nostri qui in altera ripa erant, & ipsi acrius instare , pro ponte decertare cœperunt , pulso præsidio tergo fugientium hærentes ponte potiuntur. Pars Oenum traiicere tentat. Interim & alia manus , quæ Theodonem secuta fuerat, apparet. Romani vndique circumuenti, cæsi ad internecionem : pauci ex nostris desiderati sunt. Locus ibi adhuc Mortauelta, hoc est, cædis campus adpellari solet. Effodiuntur etiam nunc quotidie arma , ossa , calcaria , & huiusmodi pugnæ documenta. Verus Vrini insigne est Lupus sub fruticeto in insidiis delitescens, huiusmodi triumphi non vulgare more gentis trophæum, atque monumentum. Incidit ea clades Romanis (sicuti in Annalibus & Fastis annotatum reperio) in annum Christianæ salutis. Quingentesimum , atque vicesimum , Imp. Iustini tertium . Valerio, & Iustiniano, qui post imperauit, Consulibus profligatis Romanis, Theodo reliquias belli persequendas, hostibus metu perculsis, fama victoriæ recentis exanimatis, instandum esse, optimum factu duxit. Iam enim sibi persuaserat, nullam requiem, aut pacem laboribus fore, nisi omnia ad Italiam vsque, vi & armis in obsequium , & ditionem redigeret. Ne igitur à tergo periculum immineret ; quòd Pannonias, Alpes, Noricas, Laureacum, alias Vrbes munitas, & amplas adhuc Romani tenerent, præsidium Hunnorum inter Tranum Oenumque amnes collocat. Regio adhuc ibi Hunnorucco (quod Hunnorum subsidium valet) appellari solet. Regulus Boiorum cum reliquis copiis oram Oeni vsque ad angustias Alpium, quas intrare expauit, subigit. Tumultuarium prælium inter Carnodunum & Abudiacum, propter Aurisium (vbi nunc Rod, contubernium Monachorum est) iuisse proditur eo loco, qui ab accolis Stritangero vocatur, hoc est certaminis pratum. Inde Theodo Augustam Vindelicorum versus (quam supra in secundo libro in Augusta descripsi) infesto tendit exercitu, ad Magnoualdam fluuium castra locat: & huic loco Theodophoro nomen est. Romanæ legiones obuiam veniunt , belli aleam denuò tentare decreuerunt. Procedunt & Boij acie intenta inter amnes Isaram, & Magnoualdam , vbi pagus, & planicies spaciosa sub radicibus montium, cognomine Perilacha, procumbit, armis concurritur. Victoria penes Boios fuit, legiones Romanæ perierunt: Augusta Vindelicorum euersa est, & solo æquata. Similis clades alia castella, & oppida inuoluit. Perempti sunt inter cæteros sacerdotes D. Anianus, & D. Marinus Episcopus: hic ante aram sacrificans trucidatur , templum ignis consumpsit: D. Marinus vt expirauit abs quercu pependit, vbi adhuc religiosè colitur. Ossa amborum longo post tempore Rhodam superiorem translata sunt : ibi adhuc condita seruantur. Romani, quibus fuga sibi consulere licuit, campis relictis, alpes occupant, fauces & aditus præcludunt, præsidiisque firmant. Nam Vindelicia, quam nunc Boiariam vocamus, clauditur ab Austro perpetuis montium iugis, & hoc dorsum à Lyco ad Oenum pertinet. Quod amplius, si anfractus sequeris , centum , & viginti millia passuum percurrit. Quod si hisce quincuncem dempseris, reliquum est recti itineris interualium. Alpes à Ptolomæo Penninæ nuncupantur, sicut celsissimæ vndique præruptæ, & abscissæ rupes. Cacumina perpetua niue albicant, longè, latè ad quadragesimum , & amplius lapidem à peritis discernuntur. Rector Boiorum Alpium tenus, cuncta terrarum sibi subiecit: quantobrem subdita montibus Bairge: At montium iugum Walhente cognominarunt Boij: Hæc Italorum lacus, ac terra, illud Boiorum regio valet. Atque isthæc nomina pagis adhuc manent. Theodo tota potitus Vindelicia, captiuos quos ceperat, peritos locorum conuocare iubet ; qui docebant, per valles,

Amantius Anastasij Eunuchus.

Vitalianus Rustic. coss.

Braunaun.

Matich.

Lueziport.

Mordfeld.

Insigne Vrini.

Anno Christi 520.

Valerius.

Iustinianus Consules.

Rod Monasterium.

Augusta Vindelicorum.

D. Anianus.

D. Marinus.

Alpes Penninæ.

les, quà Oenus, & Isara, & Libusa amnes erumperent, viam plaustris patere, cætera esse calles syluestres vix singulis peruios. Illis itaque ductoribus ad Inutrium (Mittoualda est) velut claustrum tum munitissimum obiectum hostibus, Boij pulsis præsidiis penetrarunt. Leue ibi prælium fuit. Romanus iam fugere magis, quam pugnare consuetus terga vertit, desertis castellis, oppidis, præsidiis; ad quintum, & sexagesimum lapidem, Italiam versus fugam capessit. Fugientium vestigiis hærent Boij, emensis syluis, anfractibus. Pyreni montis iugo, velut vno agmine, vtrique planiciem, vbi Stiraciorum vrbs condita extat, deuenerunt. Ibi Romanus restitit, manus conserit, sed repulsus: Inde vicesimo lapide inter Brixinam, & Sabonam consistit, rursus prælium redintegrat. Boij superiores facti Romanos sternunt, fundunt. Reliqui omnes his locis, & finitimis omnibus excedunt. Propter Pisonium, vbi Ilacus Athesi miscetur, Romanorum legiones, & auxilia conueniunt, castraque locant, pro salute vltimam belli aleam tentaturi. inter Tridentum, & Pisonium vltimum certamen Boiis, & Romanis fuit. Theodoricus Rex Getarum, qui pro legato, & procuratore Cæsaris hactenus Italiam administrarat, & Occidenti præsederat, Tridentum mœnibus cingit, Verrucam montem Athesi contiguum munit, contra ferocissimas vt ipse ait, gentes. Theodo quoque cum copiis suis omnibus & auxiliis, superatis montibus, gnaris locorum ducentibus, in vallem Athesis euasit. Hoc extremum prælium, & finem laborum ratus, incensis animis suorum, Romanas acies auidius, quam maximo potest impetu adgressus est. Volckouinus signifer eius, Seuerinum præsidem interfecit. Ipse Theodo Seruatum viuum captum in crucem egit. Cæteri profligati deinde absque labore sunt. Eiectis itaque hisce prouinciis Romanis, victor Theodo Elisoprunnam (fontem Asinorum declarat, & locus est prope Pisonium in ora Athesis) terminum inter Boios, Italosque designauit. Pisonio, & limiti Athesino ducem præfecit, qui eam Noricorum partem tutaretur: nobis Marchographio patrio sermone adpellatur: qui longo post tempore ab Andechs, ac deinde Tyrolij cognomen sortitus est. Illa tempestate D.Vigilium Pontificem Tridentinum, cum quibusdam symmystis interfectum esse à Boiis: D.Remedium Noricum præfectum cum sociis pulsum, habeo quos sequar. Illud quoque literis proditur, Theodorum Archiflaminem Lauracensem tum interisse, & Laureacum euersum, atque à Boiis de integro instauratum esse. Romani cum toties cum Theodone, & Boiis male pugnassent, desperatione debilitati, & successibus Theodonis fracti, Moæsias, Pannonias, Noricum reliquum diffidentes rebus suis, deserunt, in Italiam aufugiunt. Vernaculis quoque hæc carminibus celebrata sunt, quæ in Bibliothecis seruantur: id enim vnum Annalium genus vulgo & rudibus literarum. Theodericus Geta iam Imperatoribus formidolosus, & Romanis inuisus esse cæperat, ob Romanorum, & quorundam Senatorum necem, quos ob suspicionem adfectatæ libertatis, immissis delatoribus in carcere ferro necarat. inter eos fuit Boëthius vir Consularis, perquam eruditus, & initio Theoderico admodum gratus, vt literæ Theodorici indicant. Sepulchrum Boethij ostenditur Ticini. Ioannem quoque Pontificem Romanum adfligendo occidit. Symmachum Patritium ferro trucidat. Ioannes Pontif. Max. legatus ad Imperatorem Iustinianum seniorem profectus: Paulo post & Agapetus Gotorum caussa. Darius Mediolanensis Episcopus aufugit ad Iustinianum. Galla cum filia Symmachi consulis, ac patricij nobilissimi barbam enatam sibi ob complexionem corporis igneam, Medicorum consilio atque arte vellere noluit, maluit ita Deo placere, quàm barba vacua ad secundas nuptias transire. Rusticiana Vxor Symmachi fuit. Canitur apud nos. Theodericum subito nusquam comparuisse. Adalaricus eius nepos ex filia, cum matre Amalouinda Italiam, Siciliam, Dalmatiam sub tutela, & auspiciis Imperatoris Romani gubernauit. Eutharicus Cillica genere Gotus gener Theodorici, quem Iustinus Imperator secum Consulem nuncuparat, ante socerum ex hac vita migrauit. Iustinus quoque paucis post annis declarato Iustiniano sororis suæ filio Cæsare, decessit Mauortio Cos. Porrò neque Goti, neque Romani posthæc, vires ac perditas prouincias recuperare nisi sunt. Theodo Marte parta inter socios Boios diuisit. Venedi Chariones propriè dicti, eam Norici portionem, quæ infra Taurum montem Orientem spectat, inter fontes Muræ, Draui, Saui includitur, vsque Aquileiensem agrum occuparunt, & adhuc possident. Abares & Hunni infra amnem Anassum Noricum Ripense Danubio conterminam inuasere. Ea regio in Diplomatibus Imperatorum & Pontificum Romanorum in vetustis literarum monumentis Abaria, siue Auaria, eadem & Hunnia vocari solet: Pars montium adhuc nomē retinet. Plura per quam paucis cognita in vita Caroli Magni docebo. Cætera Italiam, & Histrum vsque Boij tenuere, inter seque diuisere. Noricum, Halij, Stiri, Stiracij, Trani, Carpi cæperunt. Superiorem Vindeliciam, Schiri & Schiracij: inferiorem Harri, Sali, Salingi possedere. Venedi, & Hunni propriis institutis liberi vixerunt, donec Venedos iussu Hyldeberti, & Dagoberti regum Franciæ, Boij in obsequium, & ditionē redegere. Hunnos radicitùs mandato Caroli

Marginalia: *Inutrium. Mittenuald.* — *Brixina. Sauona Sebin B...* — *Lacus die Eysack.* — *Theodoricus Rex Getarum.* — *Seruatus. Terminus inter Boios & Romanos.* — *D.Vigilius. D.Remedius* — *Boetij sepulchrum.* — *Ioannes P. M.* — *Agapetus.* — *Galla filia Symmachi barbata.* — *Rusticiana.* — *Theoderici mors.* — *Adalaricus.* — *Amalouinda.* — *Venedi, qui & Chariones.* — *Abares. Hunni. Haly. Stiri. Stiracij. Trani. Carpi. Schiri. Schiracij. Harri. Sali. Salingi.*

Marchiones Boiariæ. *Comites à Diessen.* *Reginoburgium sedes principum Boiorum.*

Caroli magni exciderunt. vtroque postea Coloniæ Boiorum deductæ sunt. Nam regulus Boius (quem Boiorum maximum & summum Ducem, atque Monarchen nostri authores vt nunc Austriacum & Orientalem principem Archiducem vocamus, appellare consueuerunt) Quatuor Tetrarchas, & limitum præfectos dicto audientes habuit: non perpetuo quidem primum, sed vt libuit, amouit præfecitque. Ab Oriente contra Hunnos & Venedos Analsi, & Stiriæ cognominatus, & demum Austriacus, id est, Orientalis limitis præfectus dictus est. Ab Austro aduersos Italos Romanosque Athesinus qui & Pisonij quondam, nunc Torolij Rector nominatur, institutus est. Lycatiorum occidentis ab ora præsidem variè cognominatum reperio: nam & Damasium ab Andechs, Ambrogeum & ab Vvolfratshausen, vt appellant comitem, huic limiti præfuisse reperio. Chamaborum, & Nariscorum maxima Tetrarchia fuit, aduersum Boiemiæ Venedos, & Sorabes instituta: isque Tetrarchas Boëthorum, velut patronus aliorum terminorum cognominatus est: quod is apud veteres, & maiores instaurator generis principalis habitus semper est, vbi Regulorum soboles interciderat, Boëthi limitis præfectus Ducatui totius Boiariæ sufficiebatur. Verum hi terminorum præfecti, tandem per se principes & Reguli esse cæperunt, & soli Imperatori obtemperare consueuerunt. Theodo tum Athesino limiti Adalogerionem cognatum suum, Lycatijs Heroldum præfecit. Anasi Tetrarchiæ Hirandum, Rudolphum cum filio Boëthis, & Nariscis, Chambisq; custodes & rectores dedit. Ipse Reginoburgij velut in medio consedit.

Lōgobardi. *D. Rupertus.* *Theodo secundus moritur. 537.* *Theodo 3.* *Uto.* *Theodoualda fratres.* *Boiariæ diuisio.* *Vtinum vnde dictum.* *Theodopertus.* *Reginodruda.* *D Rupertus & eius Comites.* *Ariodruda.*

Longobardi sub idem tempus successu Boiorum inuitati, in Pannoniam, à qua Danubio discreti erant, processerunt. Porro Regulus Boiorum, diuisis prouincijs ad pacis artes animum intendit iusticiaq; populum formare, & regnū confirmare constituit. Vt autem feroces animos gentis mitigaret, leges dedit, quibus, quo sanctiores forent, Theodericus rex Francus author factus est: & eas suo auspicio promulgauit. extant in Bibliothecis. In his, quia Boij Christiani non erant, plæraque aduersa veritati diuinæ permittebantur: quæ Hyldepertus, & Lutharius reges Francorum postea abrogarunt. Sunt qui tradant hunc Theodonem non abhorruisse a pietate Christiana, ad eumque venisse diuum Rupertum, regio Francorum genere procreatum, quem vt nuncium, & interpretem sanctissimæ philosophiæ, à Christo seruatore nostro ad maiores nostros diuinitùs legatum veneramur. Verum Boiorum proceres vociferabantur, se non posse deserere auitas cæremonias, quæ ipsis tot triumphos præstitissent. Hanc nouam religionem aduersam esse viris fortibus, & rei bellicæ studiosis: religionem Christianam, vt vera sit, tamen inutilem esse Reipub. principem, siquidem suo officio fungi velit, non posse esse Christianum. Romani quod à veteri cultu numinum desciuerint, hostibus suis inferiores esse. Christum omnium deorum esse pauperrimum, qui suis cultoribus nihil aliud, præterquam contumelias, & egestatem polliceatur, & tribuat. Inuidere denique ipsum cæteris dijs, deabusque, consensu ab æuo totius orbis receptis, diuinitatem. Rupertus cum frustra inuitos seruandi operam sibi sumpsisset, domum reuertit paucis post annis. Vbi Theodo pacem genti suæ peperit, & longinquæ peregrinationi finem fecit, Boijs hactenus sine Lare, sine Focis palantibus, & vagis, sedes fixas, statasq; adsignauit. Vbi Noricum, & Vindeliciam sub Imperiū suum coëgit, hæque prouinciæ in nomē Boiorum concessere, cum potestatis sex & viginti annos impleuisset, mortē obijt, anno à nato Christo quingentesimo, super septimum, & tricesimum. Theodo tertius, Vto, qui & Oto, Theodoualda fratres Germani, postea quam parentis funeri ritu patrio iusta fecerunt, Boiariam in treis parteis diuiserunt. Theodo qui maximus natu erat, Nariscos, Regionoburgiū, ea loca, quæ inferiorem Boiariam vocamus, inter Oenum, & Danubium possedit. Theodoualda Pisonium, Athesinos, montes Oeno continuos, finitima Italiæ accepit. Vto Laureacum, Noricū Ripense, quicquid inter Taurum & Alpes, inter Anassum, Danubium, & Oenū amnes clauditur, & Vindeliciam subditam Alpibus, sortitus est. Pontes Oeni restaurauit, à suo vocabulo Vtinū adpellauit, Otingam vulgo vocant. Ibi regiam constituit Vto, atque habitauit: vbi tria flumina confluunt Oenus, Iseniscus, Merenus. Ea tempestate Francis imperitabat Theodopertus rex sapientissimus, filius Theoderici superioris, qui treis annos ante Theodonem Magnum regulum Boiorum terras, & vitam cū regno reliquerat. Theodopertus filiā suam Reginodrudam Theodoni tertio Boiorū Duci despondet, & in matrimonium dat. Iubet deinde ad Boios proficisci diuum Rupertum (de quo iam supradiximus) cum duodecim Mystis, diuinæ sapiētiæ consultissimis: quorū hæc nomina fuisse reperio: Gisolarius, Domingus, Maternus, Dignulus, Chunaldus, Ilenardus, Gerardus, Ariofridus, Vitalis, Ratharius, Erchanofridus: Soror quoque Ruperti Ariodruda virgo sancta & cordata ad Boios perrexit. Rupertus cū socijs à Theodone Reginoburgij benignè receptus est: priuatim, & publicè in concionibus hortari, monere ad sapientiam cælestem non destitit populum Boiorum. Omniq; modo intentus, aditum vitæ, & veritatis reserauit, & in concionibus huiusmodi verbis disseruit. Omnes homines natura duce felices atque beati esse desiderant. Nemo

quoad

quoad licet, vult falli aut decipi, aut miser esse. Omnes bene viuere expetimus. Quocunq; nomine illud summum bonum (quod natura omnes expetimus, & quod adepti, nihil est equidem quod amplius ab homine desiderari queat) siue bona vita, siue felicitas, atq; beatitudo nuncupetur, in summo sit, necesse est. Verissimum est illud Poetæ, tametsi à religione nostra alieni, testimonium, qui in præclaro opere, ita ait:

Ouid. 1. Met.

Pronaq; cum spectent animalia cætera terram,
Ille opifex rerum, mundi melioris origo,
Os homini sublime dedit, cælumque videre
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Animas non interire vel maiores nostri, atque Druides docuerunt. Cælestis nobis est origo: eò spectandum, nitendum est, si infelices & miseri, mortalesque esse nolumus. Eò denique per virtutis, & iusticiæ callem redeundum est, ne adpetitus natura nobis insitus frustra sit. Quamobrem cæremonias deorum vanas planè, fictas, ac falsas esse nemo, nisi indoctus, & incultus negauerit: quæ tam multiplices, tam variæ, tam multæ ac pugnantes, tam onerosæ sunt. Quæ non solùm statis diebus, & concionibus ad rectè, beatéque viuendum cultores suos non erudiunt, verùm etiam ad scelerosa, impiaq; facta, nefando ritu fenestram impudentissimè aperiunt. Dij illi, nocturni lemures sunt: non à vitijs cohibent, sed ad scelera illiciunt. Cælum, vnde superbia depulsi sunt, mortalibus inuident, sub nominibus potentissimorum, clarissimorumq; regum sacra sibi commenta sunt prophana, diuinos honores peruersa religione falsò sibi vsurparunt: hominumq; mentibus, simulata & mentita diuinitate tenebras offuderunt: tum maximè, cum benefacere videntur, nocent. Multis dominis seruire miseria, & perniciosa est multitudo imperatorum. Vna anima infinita corporis membra regit, incubat: infinita & diuersa hominis munera defungitur, videt, sentit, audit, olfacit, ambulat, intelligit, loquitur, vescitur, potat, lauat, vigilat: ac ne somno quidem quiescit. Et vnus Sol totum mundum lumine collustrat, vices temporum ex vsu naturæ meatu suo temperat, cuncta calore fouet atque animat. Haud aliter vnus cæli imperator totam molem administrat, astra, cælum res hominum, atque deorum, mare & terras, varijsq; mundum temperat horis. Ipse præsens rebus incumbit, incubat, tenebras hominum generi aufert, lucē & vitam largitur. Vera igitur ea solùm religio est, quæ vna & simplex apud omnes gentes in vniuerso terrarū orbe exiitit. Vnum rerum numen optimum maximum adorat, & hominibus aditum ad cælum reserat: viam qua ad astra itur, patefacit. Hæc omnium facilima, & commodissima est. Nil præcipit, nil oneris imponit, quàm vt nos in altero cogitemus, ita cum alio agas, quemadmodum agi tecum velis. Et ne alijs feceris, quod ab alio pati nolis. Hæc summa est iustitiæ, hoc caput est legis diuinæ. Satis piè, satis religiosè litauit, qui innocentiam deo authori suo offert. Qui, vt erga pios indulgentissimus pater, ita aduersus impios rectissimus iudex. Ipse præmium, ipse merces iustorum est. Quibusdam sanè cultoribus suis opes, potentiā, regna largitur, ne ea mala, neue beneficia laruarum esse putarētur: plærisq; verò pernegat: quæ si omnibus condonaret, facile, vt sunt omnes homines procliues natura ad vitia, aut nihil aliud à Deo peterent, & expectarent, aut etiam omnino Deus immortalis in obliuionem illis iit reb. veniret. Quippe diuitiæ, imperia, honores, & alia huiusmodi omnia, quæ caduca, & fluxa sunt, breui dilabuntur, & postremò, vt corpus, intereunt: plærumq; scelestos nunquam bonos faciunt. Sæpius fallaci specie amatores decipiunt, ipsisq; spinæ sunt. Secundæ res animos sapientum quoq; fatigant: nedum illi inculti, imperiti, quorum maxima pars est, licentiæ & libidini temperarent. Aduersæ res patientiam præstant, quæ prima virtutum cælo nos æquat: & militem, fidem seruare Imperatori suo probat. Supremus ille & singularis largitor Deus, omnium bonorum, Francos cognatos vestros, posteaquam sacra Christiana receperunt, nulli opibus secundos esse voluit. At Romani proceres omnium superstitionum (vt quidam ait) sentina, quod veluti canes rabiosi diuinæ iusticiæ semper oblatrarunt, crimē læsæ summæ maiestatis luunt. Nec est enim quicquàm felicius, ac ditius homine Christiano, qui omnia bona sua secum portat, nihil perdere potest, omnia possidet: Christiano nil mali accidere potest, vtpote cui diuinitas præmiū, & merces est, hæreditas cælū, diuitiæ virtutes. Proinde atros genios, & furias inferis relinquite, veritatem agnoscite, eam religionem capessite, vbi homines pro mortalibus æterni hunt: vbi omnes reges, omnes principes, omnes pontifices, omnes sacerdotes, & cælestis aulæ ciues erimus. Hæc atq; alia huiuscemodi sæpe dicendo diuus Rupertus Boiorum populo persuadet, vt deserta auita superstitione, exploso atq; exbilato gentili numinum cultu, sapientiam Christianam reciperent, & vnius Dei cultum amplecterentur. Primum Theodo cū filio Theodoperto Reginoburgij aqua cælesti lustratus est: deinde Rupertus in Danubio nauib. delatus, vbiq; cōfluentibus certatim Boijs mysteria philosophiæ nostræ edidit: atque ita Laureacū deuenit: inde per Noricum Vtinum perrexit, ibi Vtonem Ducē sacro lauacro,

Dij gentiliū lemures.

Animæ humanæ officia diuersa.

d Rupertus Boios religione Christianam persuadet.

S. Rupertus Laureacum venit.

lauacro, Theoualdam Pisonij abluit. Vtrinitum, atque Reginoburgij Christo Deo, eius genitrici prope prætoria principum, templa extruuntur, à Ruperto consecrantur, vtrunq; adhuc sacellum, ædiculaq; vetus vocari solet. Post hæc per omnes Boiorum regiones sacræ ædes passim ædificantur, & à Ruperto & socijs dedicantur: Vt Velteburgij, haud longè à patria mea, & extra mœnia Reginoburgensium Diuo Georgio, tutelari Christianorum militū numini, tum templa inaugurata sunt. Quædam d. Martino, Maximilianoq; dicata: ea adhuc monstrantur. Pontificiam ædem Ruperto monstratore propter lacum Valerium apud Noricos, vbi Phiscam amnem effundit, Reguli Boiorum extruxere: iuxta Cucullas, vetustissimam Romanorum Coloniam (cuius etiam Eugipius mentioné facit) octoginta amplius ibidem vectigalia pensitare Ruperto imperant. Fuere autem Cucullæ Norici superioris oppidum iuxta Alpes Gauzonem, atq; Luduzonem in pago Atergea & propter Phiscam amnem: vbi post fata Attilæ Martianus sacerdos, & Seuerinus locustas carminibus, supplicijsq; deorū fugarunt. Maiores nostri religiosissimi mortales, viua Dei simulacra, & templa nos esse existimarunt, & pro vero habuerunt: mentes nostras penetralia, pectora sacraria: corda aras esse spiritus cælestis: illa non auro, pictura, aut pecunia, rebus nimirum prophanis, ac quibus vera sacra pollui solent, sed iustitia, modestia, benignitate, & liberalitate in pauperes, pietateq; excoluerunt. Certiq; in hac vita nequaquam se habitare, sed peregrinari duntaxat: non sumptuosas, aut magnificas ædes, nec sibi, nec superis construxerunt: perangustis delubris, ac domibus, quæ iniuriā cæli arcerent, contentos fuisse, compertum habeo. Nihil pompæ datum est, pietatem magnificè coluerunt. Nihil voluptati oculorum indulsere, paupertatis amatores, non luxus, aut diuitiarū admiratores. Cuncta necessitate metiti sunt. Nulla tum auaritia, aut ambitio: cōcordia maxima erat, victus & amictus in diuitijs cōputabantur. Sacerdotes pij, casti, diuinæ sapientiæ vacabant. Populus sacerdotibus decimas distribuebat. Sacerdotes cū pauperibus, & egenis, quorum nomina scripta habebant, æquo partiebantur: quenquam enim egere, atq; mendicare pati, summum eotempore flagitium habebatur. Quod si nostro seculo Christianorum animi virtus, vti decet, valeret, æquabilius, ac constantius res humanæ sese haberent: neq; aliud aliò ferri (vt ait nobilis Historicus) neq; mutari ac misceri omnia cerneres. Et profectò, si nobis bonarum rerum tanta cura esset, quanto studio aliena, ac nihil profutura, multum etiā periculosa petimus, sapientia Christiana floreret, neq; regeremur magis casibus, quàm regeremus casus. Res iam pridem, & pietatem perdidimus, vtinā vmbram rerum teneremus. Virtuti nullus est honos. Inuicem inuidere, floccifacere, mordere clanculum, fraudare, fallere, longinqua consuetudo est: nihil pensi, nihil sancti habere, aliena intercipere, vultum bonum simulare magis, quàm præstare, summa prudentia adpellatur. Iam ipsa pietas, stultitia est. Sed ad id, vnde diuerti, regredior. Principes Boiorum, vbi philosophiam Christianam receperunt, Romanos omnes, quos adhuc captiuos, & seruos inter ergastula, & in agris, veluti mancipia, & pecora exercebant, Diuo Ruperto deprecatore soluunt, liberosq; in Italiam abire permittunt. Inuenere sub idem tempus Salinas in Norico. Iuuauiam Romanorū olim Coloniā, denuo ædificari iubent, à Salis prouentu Saleburgium vocant. Vbi templa duo viris, & sacris fæminis dedicarunt. Virginū maxima diua Ariodruda fuit, soror D. Ruperti. Pontificiā sedem eò transferunt, Rupertū migrare præcipiunt. Accolæ circūcirca ad decem millia passuum pascere illum, cū tribu sua, iussi. Ratharius Reginoburgensib. Pontifex datur. Laureacensi tēplo Gerardus præficitur, Boiorum maximus Pontifex, & Archiepiscopus nuncupatur. Diuum tum Ingenuinū Sabonensem, qui nunc Brixinensis est, antistitē fuisse reperio. Dum hæc in Boiaria geruntur, in Italia Amalouinda (vt supra diximus) mortuo patre Theodorico, Regnū suscepit Ostrogotorum, cū filio Adalarico, decem duntaxat annos nato. Qui vt bonis artibus moribusq; institueretur, eruditis, senibusq; grauissimis à matre cōmissus est. Id ægre tulerunt Gotorū proceres, ad Reginam vociferantes veniunt: Non placere Gotis Regem in vmbra scholæ sub magistrorum, & senum ferula obsolescere: Decere magnū Regem arma, equos tractare muneribus bellicis excitari, non sub somniculosis senibus, & ignauis literatoribus, libris & calamo impallescere, metuq;, segnicie, & socordia frangi, atq; torpescere: hisce animum, & corpus eneruari: illis robur, & peritiam ali. Nec ob id factum regem, vt ludimagister populum literas doceat, sed vti bello, armis tutetur, atq; defendat. Regina quamuis ingentis animi esset, non ausa tamen refragari, filio liberius viuendi potestatem fecit. Ipse igitur cum æqualibus noctes, diesq; ganeis, stupro, corporis gaudijs deditus, lasciuire, potare, scortari insueuit, vt sunt ingenia adolescentum procliuia ad luxū: maximè vbi opes, ætas, assentatores perniciosissimum principibus genus, ad huiusmodi voluptatum illecebras impellunt. Ita Adalaricus nimio luxu ægritudinem contraxit letalem, perijtq; anno ætatis duodeuicesimo. Mater eius orbata marito, & filio, ne orbitas contemptui esset, Theodatum amitinum suum, filium Amalofredæ consortem matrimonij, & regni adsciscit. Sed homo omnium ingratissimus, ignauissimusque, Theodatus, immemor tanti beneficij

Cucullæ oppidum.

Atergea. D. Martianus. S. Seuerinus.

Salinæ inuentæ. Iuuauia.

Saleburgium. D. Ariodruda.

Ratharius Episcopus Ratisponensis. Gerardus Archiepiscopus Laureacensis. Ingenuinus.

Amalouinda. Adalaricus.

Adalarici mors. 532. Theodatus. Amalofreda.

Iustinianus Ro. Imp. — Africam domuit. — Gilomarus Vandalorũ Rex. — Belisarius. — Mundus. — Sibyllæ carmen. — Gryppo dux Gotorum. — Neapolis à Belisario expugnatur. Vitigisus Rex Gotorum. — Agapetus S. P. — Boij Auxilia sua vendicare soliti.

beneficij, vbi ipse gubernacula rerum adeptus est, vxorem in balneo extinxit. Gotorũ plærique inde infensi regi, iniquissimo tale facinus perpetiebãtur animo. Iustinianus Imperator vbi hæc accepit, ratus opportunum tempus liberandæ Italiæ aduenisse, expeditionem Italicam meditatur. Incitabat Augustũ felicitas Imperij. Nam Persas, Parthos victricibus signis trans Euphratem submouerat: Africam & Carthaginem domitis Vandalis, capto Gilomaro horum Rege (cuius in secundo libro mentionem feci) Romano restituerat Imperio. Diuersis idcirco locis Gotos inuadi iubet, Belisarium Consulem in Italiam: Mundũ ducem in Dalmatiam aduersus Ostrogotos cum copijs mittit. Belisarius Siciliam primò inuasit, eandem victis, pulsis Gotis recuperauit. In Dalmatia res aduersæ fuere Romanis. Mundus cum Mauritio filio cæsus est à Gotis. Sunt autores, fatidica Sibyllæ carmina pronunciata esse, quorum sententia, periturum cum prole sua Mundum, vbi Africa denuò armis Romanis recepta foret. Hoc Sibyllæ vaticinium plærosque mortales conterruerat, qui anxij, tabefactiq; metu, excidium orbi terrarum imminens expectabant. Verùm exitus, & nex Mundi ducis, filijq; sui docuit, probauitq; huiuscemodi vaticinia tam obscura, ambiguaq; esse, quàm fallaces sunt eorum artifices atrigenij. Constantinus deinde bello Dalmatico præficitur. Gryppo dux Gotorum inde pulsus mari Rauennam delatus est. Belisarius iussu Iustiniani in Italiam soluit ex Sicilia. Omnis ea ora ad Imperatorem deficit à Gotis: sola Neapolis Belisario portas clausit: sed à Belisario obsessa, & expugnata est. Goti perfidiam, & socordiam Theodati exosi Vitigisum Regem creant. Theodatus dum Rauennam aufugit, occisus est. Vitigisus Romanum populum, Agapetum Pontificẽ Maximum iureiurando sibi diuincit: Inde Roma Ticinũ ad contrahenda vndiq; auxilia proficiscitur. Fædus cũ Theodoperto Rege Germaniæ & Ducibus Boiorum facit. Massiliam, & Galliã Narbonensem Germaniæ regibus cõcedit, quos Imperator Iustinianus missa pecunia in Gotos concitarat. Nam Boios ex vsu suo auxilia, nunc Imperatori vendidisse reperio.

Belisarius Romam capit. — Vitigisus Romã obsidet. — Liberius Vigilius S. P.

Belisarius interea Romam infesto, intentoq; exercitu procedit. Romani fracta fide à Gotis deficiunt: Belisarium cũ copijs in Vrbem recipiunt. Vitigisus Romã contendit, eam arctissima claudit obsidione menses quatuordecim. Syluerius Romanus Pontifex, quòd cum Gotis sentire videbatur, in exiliũ actus est. Itidem Maximus, (pronepos Maximi, qui Imperiũ post Valentiniani tertij mortẽ arripuerat) Vigilius à Belisario Romanis Pontifex datur. Sub idem tempus Ariminum, Ancona, Comum, Bergomum, Mediolanum, & aliæ complures vrbes à Gotis ad Imperatorẽ desciuerunt. Vitigisus à Theodoperto rege Germaniæ, & Ducibus Boiorum auxiliares copias ex pacto accersit. Narses quoq; Eunuchus Quæstor, & intimus Iustiniani, auxilia Germanorum emit, cum Herulis, & alijs Germaniæ populis, qui Histrum accolunt, in Italiam venit. Sed continuò inter duces Belisarium, & Eunuchum discordia oritur: quisque in se summam rerum trahebat.

Mediolanũ a Gotis obsessum capitur.

Decem tum millia Germanorum à Theodoperto rege in Italiam ex fœdere missa sunt Gotis. Hi coniunctis copijs obsedere Mediolanum. Iustiniani miles non ausus fuit transire Padum: nam & duces dissentiebant: castrisque disiunctis bellum gerebant. Mediolanum à Germanis capitur, solo æquatur: qui arma ferre potuerunt, omnes trucidati sunt. Mulieres, pueri, senes dati Theodoperti regis Germaniæ copijs auxiliaribus: ciuiũ triginta millia cæsa sunt. Belisarius rem omnem literis ordine Iustiniano aperit. Narses ab Italia in Græciam reuocatur. Theodopertus rursus, & cum eo duces Boiorum cum octoginta millibus in Italiam pergunt: Ticinum, Padumq; tranant, castra Belisarij expugnant. Gotis quoq; illorum aduentus formidolosus fuit. Verum ea regio crebris cladibus attrita grauiter erat. Theodopertus penuria commeatus simul, & pestilentia sæuiente coactus, pluribus amissis, cum reliquijs domum reuertit.

Vitigisus Rauennæ obsidetur.

Vitigisus soluta obsidione Romæ, Rauennam intrauit, ibiq; à Belisario obsessus est. Theodopertus factis inducijs, legatos Rauennam mittit, qui quinquaginta millia militum Gotis polliceantur, si Theodopertũ socium dominationis in Italia Goti admiserint. Belisarius quoq; dolo aggressus Vitigisum, ei persuasit, vt se Imperatori traderet: ductusq; est à Belisario Byzantium.

Vitigisus Byzantiũ abijt. — Araricus. — Totila.

Interim Goti Hyldebrandũ ducem Veronensem regem eligũt: ipse omnes vrbes trans Padum, & Venetiæ recuperauit. Nam auaritia Prætorum Imperatoris, Italorum animos ab Iustiniano abalienauit. Hyldebrando regi extincto Araricus succedit: hic quinto mense regnum cum vita finiuit, intra biennium duobus regibus Gotorum sublatis. Totila omnium consensu, & fauore, Taruisij anteà rector, nepos ex fratre Hyldebrandi, rex salutatur. Veronam pulsis copijs Imperatoris, eodem die recipit: duces Iustiniani vbiq; vicit: plæraq; Hetruriæ oppida cæpit: mœnia Beneuenti diruit, Neapolim obsedit, recepitque cum Apulia, Lucania, Calabria: terra mariq; copias, & classem Imperatoris superauit.

D. Benedictus. — Perusia. — Floridus. — Corbonius.

Ad diuum Benedictum Richonem ab armis, cultu regio præmittit: cum Volone, Ruderico, Blidino purpuratis, aulicoq; famulitio subsequitur, de regno, & rebus suis consultaturus. Se Roma potiturum, nouem annos regnaturum, decimo moriturum audit. Perusia septem annis ab Totila obsessa, fame expugnata. Floridus Episcopus vrbis capite trũcatus. Corbonius Populonij Episcopus vrso obiectus. Aquina vrbs vacua relicta ob arma hostiũ, & pestilentiã. Goti ob iustitiam

Totilæ

Totilæ inualescebant: Iustiniani duces ob auariciam inuisi etiam suis erant. Milites defraudati stipendijs vrbes relinquere, ac pugnare recusabant. Sub hoc tempore Vto Tetrarches, & regulus Boiorum, anno octauo post mortem Theodonis parentis sui decelsit. Theodo frater eius regnum recipit cum filio Theodoperto. *Theodo dux Boiorũ. Theodopertus.* Fuit is annus à Christo seruatore nostro nato quingentesimus, super quintum & quadragesimum. *545.* Subsequenti anno Belisarius in Italiam redijt, Polam primò, deinde Rauennam appulit. Considerato Italiæ statu, Iustiniano scribit, nisi auxilia Hunnorum, & aliorum Germanorum adsciscat, Gotos insuperabiles esse. Inter hæc Totilas Romam obsidet, capitq; sextodecimo Calendas Ianuarij, Anno Christianæ salutis quingentesimo, duodequinquagesimo. Totila bona omnia militibus condonat: cæterum corpora esse libera edicto sanxit. Inde legatos cum mandatis Neoromam ad Iustinianum ire iubet. postulabat ab Imperatore Italiam, fœdusque, quemadmodum sub Imperatore Anastasio, & Theodorico rege fuisset. Quod si non impetraret, minabatur Totila, se Vrbem, quam retinere non posset, nomenque Romanum excisurum. Iustinianus respondit: Belisarium in Italia esse, cui res Italicas commisisset. Totila igitur vbi postulatis Imperator non annuit, Vrbem Romam euertere decreuit. Mœnium partẽ maximam pluribus locis solo æquat, Capitolium incendit: *Roma excidium.* omnes ciues cũ coniugibus, & liberis vrbe excedere iubet. Plebs per oppida Cãpaniæ dispersa est: Senatores patriciosq; Totila secũ pro obsidibus retinuit. Inde ædificijs ignis immissus est: incensam omni parte Romam Gotus vacuam reliquit. Tredecim dies incendium emicuit: Fuit Vrbs Roma amplius quadraginta diebus in ea solitudine, vt nec mulier quidẽ, nec vir quisquam in ea fuerit. Eo tempore obijt Theodopertus rex Francorum siue Germaniæ: *Theodopertus rex moritur.* qui tres duces Bucelinum, Amingum, Lutherium in Italiam aduersus Romanum Imperatorem cum copijs abire iussit. Bucelinusq; cũ Francis in Campania Fundese contuberniũ ab Honorato in Samnia extructũ (cuius præsul secundus erat diuus Libertinus) quod ditissimum ingentes pecunias possidere ferebatur, diripere conatur. *Fundense Cœnobium.* Ipsi Franci sub hoc tumultu rerũ per Italiã armis vagati sunt, prædamq; ingentem Theodoperto in Germaniam miserũt. Succedit Theodoualda filius annos septem. *Theodoualda.* Euersã vrbe, Totilas in Lucanos, Calabrosq; castra mouet. Belisarius vacuam vrbem occupat, celerius omniũ opinione fossa, vallo, aggere, turribus ligneis, partem vrbis munit: nam tota instaurari non potuit hactenus. Totilas adest: sed repulsus Tibur discedit. Belisarius in Græciam ab Imperatore reuocatur. Totila Romam obsidet, capit: ita vno anno Roma caput mundi, gentiumq; domina, ter capta est. *Roma vno anno ter capta.* Totilas mutata mente, reuocatis vndiq; ciuibus, Romam instaurare decreuit, atque firmare: deinde ad Siciliam pergit. Germanus patruelis Iustiniani ducta Amalouinda nepte Theoderici, quo animos sibi Gotorũ conciliaret, Dux belli Italici à Iustiniano declaratur. Cum in Illyrico necessaria tantæ expeditioni comparat, Venedorum portio, qui & Sclaui, transmisso Danubio, prouincias Romanas Liburniam, Dalmatiam inuadunt, adhuc possident, ab ipsis Sclauonia, & Venedorum Marchia vocatur. *Venedorum Marchia.* Territus Iustinianus Germanum retro Bizantium tendere iubet. Narses deinde Eunuchus Italiæ præficitur. Hic distributa ingẽti pecunia Germanis accolis Danubij: Longobardos, Herulos, Boios, Hunnos, Gepidas secum in auxilia traxit: Totilã prælio occidit, decimo potestatis anno regnum cum vita finire cogit. *Totilas occiditur.* Simili fato Theiam Regem successorẽ Totilæ extinxit: *Theia Rex.* Bucellinũ, Amingumq; duces Theodoualdæ regis Germaniæ fudit, interfecit. Lutherius tertius, dux, dũ præda onustus in Germaniã redire parat, inter Veronã, Tridentumq; propter lacum Benacũ naturæ concesit. *Bellum Geticum.* Tota Italia cum vrbe Roma à Narsete recipitur, & post annum septimum, atq; septuagesimũ Romano adijcitur Imperio. *555.* Administrauit Italiã, Vrbemq; Romã Narses annis sexdecim. Finitũ hoc bellum Geticum anno duodeuicesimo, qui fuit liberati vrbis annus quingentesimus, quinquagesimus quintus.

Theodoualda sine Diebholdi mors, Lutharius I. moritur. In Germania cum Theodoualda pronepos Ludouici Magni regis Francorum, defunctus est. Lutharius primus superstes fratribus, & nepotibus suis tota potitur Francia. Germaniæ, & Galliæ rursus ad vnius potestatem redactæ sunt. Lutharius cum ducibus Boiorum per Turoges profectus aduersus Saxonas, ad Visurgim vsque amnem penetrauit. Ipse paucis post annis naturæ concesit, cum vnum, & quinquaginta annos regnasset. Imperium Francorum quatuor eius filij diuisere in Tetrarchias: quarum singulæ instar regnorum fuerunt. Gotoramus Aureliam: Burgundiam: Heriobertus Lutetiam Parisiorum possedit: Suessonum Augusta, Gallia Belgica secunda à Scaldi flumine ad Sequanam Hylperico. Regnum Rhemense, quod & Mediomatricum est, Segiberto traditur. *Austria Vestria.* Portio huius regni Aquitania, Turones, Germaniæ, Gallia Belgica prima fuerunt. Austriam quoque vocari reperio, sicut superiora Vestriam: hoc Occidentale Imperium, illud Orientale valet lingua Germanica: etiam nunc in vsu sunt ea regionum cognomina, à situ, & cæli cardine indita. Verùm Celtici scriptores ignari linguæ Francæ, Neustriam atque Austrasiam corruptè, vt sit, nuncupant. *Neustria. Austrasia. Hunnorũ antiquæ sedes.* Porrò Hunnorum gens, quæ ad vtramque Danubij ripam, infra Anasum amnem, in ea regione, quam nunc Austriam nominamus, medij inter Boios, & Longobardos consederant, audita morte Lutharij, in

Fran-

Franciam antiquam, & Turogos arma mouent, ferro, flamma, præda omnia deuastant, Segibertus rex Francorum, Theodoualda, & Theodo duces Boiorum copias cogunt, illos finibus suis pellunt. Interim Hylpericus frater Segiberti regis Rhemos vrbem occupat. Segibertus domitis Hunnis in fratrem arma mouet, ablata recipit. Hunni redintegratis viribus, rursus in superiores regiones irrumpunt. Segibertus rex Francus reguli Boiorum, hostibus armati obuiam procedunt, sed impetum Hunnorum nec Franci, nec Boij ferre potuerunt. Rex Segibertus terga vertit. Theodo & Theodoualda Boiorum præsides in hostium potestatem viui venerunt: captique à Cacano (ita enim regem suum Hunni Abaresque appellabant) cuidam præpotenti Hunno traditi sunt. Hic ingentibus pollicitationibus & præmijs Boiorum corruptus, duces clanculum liberos dimisit. atque ipsi coactis denuò copijs, in Hunnos de improuiso irruunt, Cacanum capiunt. Deinde æquo iure perpetuum fœdus Segibertus, & Boij cum Hunnis, & Abaribus fecerunt. Celebres tum fuere Priscianus Cæsariensis, Grammaticus insignis Constantinopoli Arator Poëta Romæ res gestas Legatorum Christi versu heroico celebrauit, dedicauitque Vigilio Pont. Romano. Venantius Honorius Clementianus Fortunatus Taurisio oriundus, Episcopus Pictonum, ad diuum Gregorium magnum Pont. Max. vndecim libros carminum scripsit: libri secundi oda tertia est Hymnus, cuius initium est.

Segibertus Rex Franc. — *Duces Boiorum capiuntur.* — *Cacanus capitur.* — *Francorū & Boiorū cū Hunnis fœdus.* — *Priscianus Grammaticus. Arator Poeta Vigilius Pont.* — *Fortunatus. Episcopus.*

Crux fidelis inter omnes Arbor vna nobilis.

At eiusdem libri, oda sexta ad Felicem de paschate illud Elegiacum.

Salue festa dies toto venerabilis æuo,
Qua deus infernum vicit, & astra tenet.

Eadem enim tempestate, vt ipse Fortunatus refert, tranauit Drauum, Muram, Oënum amnes: profectus per Aguntum, Breones, Boiariam, Lycum, Rhenum, Germaniam. Sub idem quoque tempus grauissima lues in Italia, vsque ad limites Boiariæ sæuit. turmæ bellantium visæ, & tubæ auditæ sunt in cælo. Inter hæc Theodo dux Boiorum anno ab humano genere seruato quingentesimo sexagesimo quinto decessit. ipsum cum vxore Saleburgij aiunt esse humatum. Theodoualda minimus natu cæteris fratribus superstes, tota potitur Boiaria. Eodem tempore Imperator Iustinianus morbo adfectus, non compos mentis, Byzantij obijt, declarato prius Iustino nepote ex filia Cæsare. Herminigildus Vellogotorum rex, filius Leuigildus, Richaridus alter filius ab Leandro ab Arriana impietate conuertuntur ad pietatem veram. Apud nouum principem (vti fit in Aula) Narses Eunuchus authoritate, qua valuit apud Iustinianum, caruit. non solum amotus est administratione, & successor ei Longinus datus: verùm à Sophia Augusta quoq; contumelia insigni adfectus est. Reuocauit Augusta Narsetem ad muliebria munera in Gyneceon, vt colo purpuram neret, pensa inter virgines partiretur. Nam Narses eunuchus erat, quod nomen, à seruandis cubilibus & mulieribus custodiendis deductum esse volunt: id etiam Claudianus docet scribens.

Theodo dux Boiorum moritur 565. — *Theodoualda dux Boiariæ. Iusti. mors.* — *Iustinus Cæsar. Herminigildus Rex.*

Quumque omnibus vnica virtus
Esset in Eunuchis, thalamos seruare pudicos.

Semiramis prima vsa Eunuchis.

Nam his solæ Reginæ vsæ sunt. Prima Semiramis Regina Assyriorum hos fecisse fertur. De quibus idem Claudianus ita refert:

Hos fecêre manus, seu prima Semyramis astu
Assyrijs mentita virum, ne vocis acutæ
Mollicies, leuesque genæ se procedere possent:
Hos sibi coniunxit similes, seu percita ferro.
Luxuries vetuit nasci lanuginis vmbram,
Seruatoq; diu puerili flore coegit
Arte retardatam Veneri seruire iuuentam.

Narses.

Narses nimis impatienter tantam ignominiam ferens, dixisse fertur: Ego quidem talem telam Augustæ ordiar, quam admodum difficilem textu fore ipsa sentiet. Inde Eunuchus Theodoualdam ducem Boiorum conterminum Italiæ contra Romanos haud difficulter concitat. Theodoualda vrbes Italiæ cis Padum sibi proximas inuadit, ac in obsequium redigit: idcirco à plærisque Regem Italiæ vocari invenio. Post paucos tamen dies rebus humanis excessit, anno Christianæ salutis quingentesimo, sexagesimo septimo: regnauit annos vnum & triginta. Eius filius Thessalonus, & Theodopertus filius Theodonis tertij, patrueles Boiariam æquis legibus partiuntur. Ea pars Boiariæ, quæ ab Oëno ad Lycum, inde ad Francos veteres, Boiemiamq; porrigitur, Thessalono: reliquum trans

Theodoualda in Italiā irruptio. — *Thessalonus. Theodopertus.*

Oëni fluenta, inde vsque ad Hunnos, Venetos, Italos, Theodoperto euenit. Atque hi reguli (à quibus post mortem Theodoualdæ Itali defecerant) cum Longobardis societatem amicitiamque ineunt. Boijs fauentibus, anno subsequenti mortem Theodoualdæ, Longobardi inuitati à Narsete, in Italiam cum vxoribus, & liberis commigrant. Pannoniam quam reliquere, Hunnis & Abaribus, ab Occidentis ora conterminis, ea lege concedunt, vti Hunni hisce locis rursus cedant, si Longobardi remigrare cogantur. Vix à bellorum procellis respirarat misera Italia, vehementiore continuo turbine inuoluitur. Truculentior oritur tempestas: acies igneæ visæ in cœlo stragem portendebant. Diuus Gregorius orbi finem imminere, & diem illum maximum Christi instare opinabatur. fames quoque adflixit: pestilentia in inguine, vt adhuc solet, percutiebatur tenella illa pars. Longobardi nemine obstante Italiam inuadunt. Paulus Aquileiensis patriarcha aufugit. Templa Christi euersa sunt, sacerdotes occisi, ac Monachi pedibus in crucem acti. Hostes templa Monachorum vi irrumpunt, diripiunt, Monachos gladio obtruncant, arboribus suspendunt, diaconi capite truncati. Vulgus & agricolæ, quod caput Capræ consecratum adorare, immolare dijs, & de carnibus immolatis dijs vesci noilent, interempti sunt. Præter Rauennam, & Romam, Italia sub Imperium Longobardorum redacta est: adhuc ab ipsis Lombardia vocari vulgo solet. Gummarit crudelissimus dux Longobardorum, eo tempore, dum intrant Italiam, cuncta vastauit. Ecclesia sancti Laurentij ab illis incensa, diaconi capti, sacerdotes occisi, quamuis sanctissimi (teste Gregorio) fuere: Longobardi enim nimium crudeles ad spectacula mortis concurrebant. Sed audi si libet, verba D. Gregorij de hac calamitate. *Quid est iam rogo, quod libeat in hoc mundo? Vndique luctus aspicimus, vndique gemitus audimus: destructæ vrbes, euersa castra, depopulati sunt agri, in solitudinem terra redacta est. Nullus in agris incola, penè nullus in vrbibus habitator remansit, & ipsæ paruæ humani generis reliquiæ adhuc quotidie sine cessatione feriuntur, & finem non habent flagella cœlestis iustitiæ: quia nec inter flagella directæ sunt actiones culpæ. Alios in captiuitatem duci: alios obtruncari, alios interfici videmus. Quid est ergo quod in hac vita libeat fratres mei? Si & talem adhuc mundum diligimus, non iam gaudia, sed vulnera amamus. Ipsa autem quæ aliquando mundi domina esse videbatur, qualis remanserit Roma conspicitis: immensis doloribus multipliciter attrita, desolatione ciuium, impressione hostium frequentia ruinarum. Vbi iam Senatus? vbi populus? Omnibus secularium dignitatum ordo extinctus est in ea, & vacua ardet Roma. Hæc perpessa est à Longobardis Ecclesia, Italia atque Roma.* Idem Gregorius Dialogorum libro secundo, de Roma. *Vaticinium vetus est: Roma à gentibus non exterminabitur, sed tempestatibus, coruscationibus, & turbinibus, à terræmotu fatigata marcescet in semetipsa. Et profectò* (subdit Gregorius) *in hac vrbe dissoluta mœnia, euersas domos, destructas Ecclesias turbine cernimus, eiusq; ædificia longo senio lassata, quia ruinis crebrescentibus prosternuntur, videmus.* Idem Diuus Gregorius etiam nocturno Martyrum responso, asseruit, finem mundo, vniuersæque carni instare. Inuulgauit scriptis, & prædicauit regnare Antichristum. Præstat verbis talis viri vti. *Mox terribilia in cælo signa, hastæ, acies, ignes ab Aquilonis parte videbantur. Mox Longobardi gens efferata in nostras ceruices grassata est. Humanum genus, quod in hac terra præ multitudine nimia quasi spissæ segetes exierat, succisum: arua, vrbes depopulatæ, euersa castra, concrematæ Ecclesiæ, destructa sunt Monasteria. virorum, atque fœminarum: desolata ab hominibus prædia, atque omni cultura destituta: in solitudine vacat terra. nullus hanc possessor inhabitat: occupauerunt bestiæ loca, quæ prius multitudo hominum tenebat. Et quid in alijs mundi partibus agatur, ignoro: in hac terra, in qua nos quidem viuimus, finem suum mundus non iam nunciat, sed ostendit.* Sub idem tempus Diuus Columbanus ad Boios, Venedos perditurus, perrexit. Decreuerat aperire, Venedis religionis Christianæ mysteria. Thessalonus anno à nato Christo Quingentesimo septuagesimo quinto in ripa Danubij (vbi olim Artobriga Colonia Romana, harum regionum maxima fuerat) contubernium Monachis condidit, Vueltenburgium adpellamus. Ab Aquilone Danubius, ab Austro, & Orientis ora vndique præruptæ rupes cingunt, ab Occiduo cardine vnus aditus patet: sed quem vix singula plaustra permeent. Extant ibi vestigia Artobrigæ, quæ satis supra in secundo libro explicauimus. Vueltenburgij primus Antistes fuit Vitundus. Obscura fama manat, ibidem Thessaloni filium ab apro in venatione percussum, interijsse. Monumentum huiusce rei esse aiunt, regulum apro depictum in specularibus adyti. Nihil peruicacius est libidine dominandi, nihil perfidius societate regni. Hilpericus rex Francorum regnum fratris sui Segiberti inuadit, vrbes in Aquitania vastat, euertit: templa incendit, sacerdotes interficit, cœnobia diripit, virgines stuprat, cum fratre Gutoramo conspirat. Segibertus accitis Germanis transrhenanis, Thessalone Duce Boiorum, vim vi pulsurus, aduersus fratrem Hylpericum arma mouet. Theodopertum filium Hylperici prælio occidit, Suessionum Augustam, Parisiorum Lutetiam, aliasque Hylperici vrbes occupat. Hylpericus cum filijs, & vxore Fredegunda Tornacum fuga elabitur, ibique se munit. Segibertus ad se Lutetiam Brunhyldem vxorem cum filio Hyldeberto adduci iubet. Deinde præmissis copijs, ad obsidendum Tornaci Hylpericum fratrem contendit. Hæc

Longobardi in Italiam migrant.

Acies igneæ in cœlo visæ. D. Gregorius.

Paulus Aquileiensis.

Longobardorum auaritia.

Gummarit dux Longobardorum.

Verba diui Gregorij.

Vaticinium de Roma.

D. Columbanus. Thessalonus Vueltenburg condidit 575.

Vitundus Abbas Vueltenburgensis.

Hylpericus.

Theodopertus occiditur. Fredegunda. Brunhyldis. Segibertus occiduntur.

o omnes

Brunhylda capitur. Hyldebertus Rex salutatur. Iustini Rom. Imp. mors. Tib. Constantinus. Mauritius Ro. Imp. Focas Ro. Im. Eraclius.

omnes, qui prius Hylperico parebant, ad Segibertum conueniunt, in eiusque verba iurant. Sed fraude Fredegundæ Vxoris Hylperici à duobus perfugis Segibertus nihil minus metuens, quippe ab eisdem fratris consilia explorans, confoditur. Exercitus sine duce, quo quemque timor tulit, fuga dilapsus est. Brunhylda capta, Hyldebertus impubis imminenti periculo ereptus, à Gundoualda duce in Germaniam abducitur: in Mediomatricum vrbe rex salutatur, octauo Calendas Ianuarij. Dum hæc in Gallijs geruntur, Theodopertus regulus Boiorum ex hac vita migrat. Quo tempore & Imperator Iustinus, cum Tiberium Constantinum Thracem adoptasset, obijt. Hic cum septem imperasset annos, Mauritium generum suum successorem habuit, anno Christi. D. LXXXIII. teste diuo Gregorio. Quem, cum viginti imperasset annos, Focas occidit, & is octauo Imperij anno ab Eraclio interimitur. Porrò Theodoperti filius Garioualda Segiberti mortem diuulgat, Thessalonum simul perijsse dictitans. Deinde ducatum Boiariæ intercipit Boios in sua verba iurare cogit, & quo Augustior foret (contempta Hyldeberti pueritia, Hylperici, & Gutorami regum Franciæ ignauia, quod stupris, luxuque perditi, mutuis insuper seipsos vulneribus conficerent) Regem se appellat. Deinde vt opes firmaret suas, Longobardorum proceres affinitate sibi iungit: dat in matrimonium Euino duci Tridentino filiam, alteram Theodolindam nomine (muliebris sexus vnicum decus, ad quam diui Gregorij Magni extant Epistolæ) Vthario regi Longobardorum despondet. Qui fama sponsæ motus in aulam soceri cum paucis incognitus venit: visa sponsa, nemini agnitus, rursus abiuit. Thessalonus domo apud Hyldebertum exulauit. qui vbi adoleuit, Argentorati (Strassoburgium est) copias cogit, cum exercitu in Sueuiam venit, vbi Landofredum rebus deturbat, Vncilenumque Sueuis imponit. Inde in Boiariam proficiscitur, Garioualdam superat, Thessalonum restituit, Boiariæque præficit, qui se ducem non regem nuncuparet. Theodelinda filia Garioualdæ Regis Boiorum, cum fratre Guntholdo in Italiam fuga elabitur, in agro Veronensi honorifice. non vulgari gaudio ab Vthario excipiuntur. Vtharius continuo Theodelindam vxorem ducit, & legatos cum mandatis ad Gotoramum, & Hyldebertum reges Francorum mittit, pacem & fœdus postulabant perpetuò. Nihil enim vtilius concordia, & societate, & Longobardis, & etiam Francis, quo tuti forent, esse asseuerabant: vtramque gentem ex Germania oriundam inter hostes suos habitare. Interim Vtharius rex Ticini moritur. Hisce temporibus nempe anno Christi D. XCI. diuus Gregorius Pontifex, non Romanorum (vt ipse inquit Ioanni patricio consuli) factus est, sed Longobardorum. Et tum Sclauorum gens, quæ & Venedorum ex Germania Magna oriunda, transgressa Danubium, irruit in Illyricum, quemadmodum scribit Diuus Gregorius ad Iouium Illyrici præfectum, Mauritij Augusti anno septimo, quemadmodum & Episcopis Illyrici scribit diuus Gregorius, præcipit, vt edicto Augustali obediant, Episcopos ab hostibus pulsos pascant. De calamitatibus horum temporum, quas Illyrici à Venedis, Itali à Longobardis Germaniæ nationibus perpessi sunt, verba D. Gregorij huc transferre placuit. *Mulieres cum viris ad insulas confugere, Longobardorum sæuitiem declinantes.* Ipse Gregorius Episcopatus aliò transfert ob Longobardos. Longobardi destituti rege, ad tutelam muliebrem confugiunt. Ad reginam (tanta indoles in Theodelinda erat) frequentes conueniunt. Quod felix, faustum, prosperumque sit (inquiunt) Longobardis, & tibi Theodelinda, salutem, fortunam, coniuges, liberos omnium nostrum tuæ fidei tradimus, atque committimus. Tu pro tua summa sapientia, principem coopta, qui tuus coniunx, noster verò rex sit. Theodelinda ex omnibus Agilulphum ducem Taurinorum cognatum Vtharij absentem delegit: ipsumque nihil tale sperantem accersit. Venerabundum sibi apparentem, thalami simul, & regni consortem nuncupat: inde nuptiæ regio apparatu Mediolani fiunt. Euinus dux Tridentinus, cuius vxor soror Theodelindæ erat, in Germaniam, & Gallias ad Gotoranum, & Hyldebertum reges legatus iuit: fœdus perpetuũ cum Francis ictum est. Fuit sane Theodelinda egregia, & perliberali facie, singularisq; prudentiæ, & raræ pietatis in Christum, vltra captum muliebrem, fæmina: sicuti in Epistolis, quas ad eam dedit diuus Gregorius Magnus, Pontifex Max. lego. Ipsa gentis ferocissimæ animos bonis artibus inflexit, atque armorum dissuetudine mitigauit. Et vt religionem nostram reciperent, cum Romanis Imperatoribus fœdus facerent, pacem depositis armis seruarent, sua prudentia, atque virtutibus persuasit. Omnium gentium annalibus eam notissimam esse video. Guntholdus frater Theodelindæ, filius Garioualdæ Regis Boiorũ, ducatu Astensi à sororis marito donatur. Haud ita longo post tempore eius filij, nepotes, pronepotes, quemadmodum paucis referam, potiti sunt Italia, & regno Longobardorum. At Thessalonus Boiorum Regulus, iussu & mandato Hyldeberti Regis Francorum, & Germaniæ contra Venedos ab Orientis ora Boijs contermimos, arma mouet: Venedos superat, perdomitat: cum ingenti captiuorum numero præda maxima victor reuertitur. Sed Venedis rursus, vbi Thessalonus domum redijt, Boiorum ac Francorum iugum detrectantibus, duo millia

Vtharius rex Longobardorum qui & Antarius

Theodelinda.

Vtharij mors.

Agilulphus

Theodelindæ virtutes.

Gunholdus dux Astensis. Thessalonus. Venedi victi a Boys.

Boiorum

Boiorum in regionem Venedorum armati proficiſcuntur. Interuenit Cacanus rex Venedorum. Boij circumuenti omnes trucidati ſunt, ne nuncio quidem cladis ſuperſtite. Hoc quoque tempore, ſicuti S. Gregorius Epiſcopis Hiſtriæ ſcribit, inuaſere Hiſtriam Venedi. Paucis poſt diebus Theſſalonus moritur, anno ab orbe reſtituto Quingenteſimo, nonageſimo octauo. Qua denique tempeſtate Hyldebertus rex Francorum cum vxore Fæliba perijt. Brunhylda mater Hyldeberti cum nepotibus Theodoperto, & Theodorico auito, paternoque regno Francorum potitur. Theodericus Aurelianos, Burgundias, Eliſatium poſſedit: cætera Theodoperto euenere. Diuerſa ingenia his fratribus fuere: hic clemens religionis, pietatis & bonorum cultor: alter ſæuus, truculentus, ſtupris, ganeiſque deditus. Ad hoſce D. Gregorius Magnus, reges, literas commendaticias dedit Auguſtino, Ioanni, Laurentio, Iuſto, Honorio, Mellito Epiſcopis, quos ad Anglios in Britanniam legauit, vt interpretarentur philoſophiam Chriſtianam. Abares, Hunni, Venedi gentes vicinæ, latrocinijs victum quæritantes: vbi audiuere de morte principum ſuperiorum, vicinos ſibi Boios, Turogos, Francos, Longobardos incurſare cœperunt. Hunni Turogos & Francos: Abares, qui & Auares forum Iulij, Longobardorum Ducatum: Venedi Boios ſibi armis depoſcunt. Cum Hunnis in confinio antiquæ Franciæ, & Turogorum, varia fortuna depugnant Theodopertus, & Theodoricus reges Francorum. Hunnorum auia Brunhylda (illata acceptaque vtrinque clade) pacem ab Hunnis emit. Abares Venetiarum fines inuadunt: Sigulphum ducem cum copijs cædunt, Forum Iulij obſident. Rhomylda vxor Sigulphi capta amore Cacani, pacta eſt nuptias, Forum Iulij Abaribus prodit. Hoſtes vrbem incendunt, infantes, impuberes & mulieres captiuos in Pannoniam ſuperiorem abducunt, viros trucidant. Rhomylda quoque cum liberis abacta eſt. Non amplius vna nocte regis Auarum potita eſt. In campo eam Cacanus palo confixit, quæ patriam, liberos, coniugem prodidit: haud alio (inquit) digna eſt marito. Eius duæ filiæ Appa, & Gæla, longè matri diſsimiles, pudicitiæ conſuluere, crudæ carnis fætore, quæ faſcia pectorali mamillas cohibente, à virginibus ob caſtitatem ſeruandam poſita, calore computruerant. Barbari natura fætere ita Longobardorum mulieres opinati, intactas reliquere. Ipſæ venditæ Boijs, & Sueuis poſteà ſunt. Appa Sueuorum, Gæla Boiorum regulo nupſit. Venedi fines Boiorum incurſant, Garioualdam filium Theſſaloni in Agunto ſuperant, terga vertere cogunt. inde Noricum præda, ferro, flamma depopulantur. Garioualda collectis rurſus viribus, Venedos præda onuſtos, abire contendentes adgreditur. Prædam omnem recuperat, Venedos Norico exterminat. Ipſi Hiſtriam, occiſis Romanis militibus occupant. De Agunto plura ſuperius in ſecundo volumine adduxi Vrbs eſt Norici, ſecundum Antonini Itinerarium: abeſt ab Aquileia nonaginta millia paſſuum: à Iulio Carnico ſexaginta. Quidam in confinio Stiriorum. Carniorumque fuiſſe, haud procul à Mura, Drauoque autumant. Ego amplius quærendum cenſeo. Hoc pro vero conſtat, Muram & Drauum apud veteres diſterminaſſe Boios, & Venetos, præter vetera inſtrumenta teſtes ſunt duæ Vrbes, Græcia Boiorum, & Græcia Venetorum: hæc in Draui ripa cubat, Venetorum terminum declarat: illa caput Stiriæ eſt, Boiorum limitem valet: Mura eam alluit. Græcia diminutè, at integrè Grænicia, Boio ſermone limitem, terminum, & confinium ſignificat. Garioualda Gælam ſuperiorem connubio ſibi iunxit, Boiariæ regnum per manus tradidit filio Theodoni quarto. Theodone procreati ſunt ſecundi Theodopertus & Theſſalonus: hic Noricos, ille Vindeliciam, & Nariſcos poſſedit. Sub his Boiorum præſidibus Maximi Boiorum Pontifices, & Archimyſtæ (quos Archiepiſcopos Laureacẽſes nominant) fuere Erchinofridus, & Odacer. Minores Epiſcopi verò Iuuauenſium Vitalis vir eruditus, admodum populo acceptus & Anzologus qui & Monachorum gregem aluerunt, Saleburgij Reginoburgenſium oues pauere Velipholægus, & D. Haimeranus. Sabonæ populus diuus Conſtantius & Præconius docuerunt. Heraclius tum, occiſo Foca Conſtantinopoli Romanum ſuſceperat Imperium: Perſas, qui Syriam, Palæſtinam, Hieroſolyma ceperant & diripuerant, varijs prælijs vicit, fudit, deleuit: ducibus omnibus Perſarum cum militibus cæſis. Nouiſsimo prælio Coſroës rex ſuperatus, infinita multitudo Perſarum interempta, pugnæ dies adhuc nobis celebris eſt. Fugientem Coſroën Heraclius Auguſtus perſecutus, Euphratem, Tigrim, in intima Perſidis victor penetrauit: in vrbes, templa, homines iuxta, à Romano ſæuitum eſt exercitu. Coſroës deſperatis rebus, Cteſiphontem aufugit, vbi à Siroë filio interfectus eſt, quod pater Medarſem minorem natu ſucceſſorem declarauerat. Siroës patrato parricidio, primo de morte patris, & fratris ad principem Romanum ſcribit. Poſtulanti Perſæ pax data, limes Romani Imperij flumen Tigris conſtitutus eſt. Sed aliud ex alio malo. Mahomethus tum homo verſipellis, & magicæ fallaciæ non imperitus, in Arabia ortus eſt. Arabes Scenitæ (quos Saracenos dicimus) ob auariciam Quæſtorum defraudati ſtipendijs cum ſuperiore bello contra Perſas egregiè operam nauaſſent, correptis armis à Romano deficiunt, Imperio. Mahomethus oportunum ſuæ veſaniæ tempus nactus, rebelli populo ſe ducem præbet: & quo maior foret autho-

Cacanus.

Theſſalonus moritur 598.

Brunhylda ab Hunnis pacem emit

Sigulphus.

Rhomylda.

Rhomilda ſupplicium.

Appa. Gala.

Garioualda Imperator.

Aguntum vrbs Norici Aquileia Iulia Carnicum Terminus inter Boios & Venetos.

Erchinofridus. Odacer

Vitalis.

D. Conſtantius, Præconius.

Heraclius Rom. Imp.

Coſroes Rex Perſarum.

Tigris, Rom. Imp. limes. Mahomet. Arabes Scenitæ, Saraceni à Rom. ad Mahometũ.

ritas, ſe nuncium & interpretem Dei cælitus demiſſum ſimulat: legis diuinæ latorẽ mentitur. Nouam ſuperſtitionem ipſe commentus eſt. Syriam, Damaſcum, Palæſtinam, Ægyptum inuaſit: Aſiam, Africam, & bonam partem Europæ illa lues, ignauia principum noſtrorum, labefactauit. Tum paulatim in Oriente, ſicut ante aliquot in Occidente cœperant deficere prouinciæ, donec patrum memoria Romanum in Oriente deletum eſt Imperium: expugnata Conſtantinopoli à Turcis, quorum longè, lateque poteſtas omnia adfligit. Iam etiam ad noſtras regiones proteruas, & rapaces manus porrigit. Sub idem

Vulgares ſiue bulgares Bathias rex.

tempus Vulgares Germaniæ Magnæ & Sarmatiæ, quæ eſt in Europa, ferociſsimi populi tranſito Hiſtro, Bathia rege, Pannoniam inferiorem vſque, ad Hiſtrum flumen, Moeſiaſque inuadunt ac ſubigunt: à quibus nomen illæ regiones adhuc retinent, licet Turcis ſeruiant. Quid non inſana regni libido cogit? In Francia, Gallia & Germania haud leuius

Theodericus. Theodopertus. Lutharius fugatus.

armorum procellæ intonuerunt. Theodericus & Theodopertus reges Francorum, contra Lutharium filium Hylperici, itidem regem Francorum, quod illos armis laceſsierat, cum exercitu procedunt. Luthario atroci prælio deuicto, copijs eius trucidatis, & depulſis, regnum Lutharij inuadunt: in deditionem redigunt, Luteriam Pariſiorum occupant fugato Luthario: & admodum parua portione regni, circa Oceanum Gallicum eidem relicta: pacis leges, quæ victoribus libuere, dicunt. Inde Aquitanos, Vaſconaſque

Brunhylda regno expulſa.

vaſtant Brunhylda mulier aſtuta auia Theodoperti & Theodorici, ob ſcelera ſtupraque ex regno Theodoperti pellitur: Ipſa ad Theodoricum aufugit. Lutharius fide fracta regnum Theodorici inuadit, Aureliam obſidet. Theodoricus obſeſsis auxilio venit, Lutharium in fugam vertit. Beritholdus dux, præfectus aulæ Theodorici, quem Maroſalicum, hoc eſt, Maiorem domus nuncupant) dum audacius hoſti congreditur, occubuit. Prothadius quidem ope Brunhyldæ Reginæ (cum qua ſtupri conſuetudinem habere conſueuit) Beritholdo ſufficitur, prætorioque præfectus eſt. Fraude horum non diu regnum in concordia manſit. Theodopertus, & Lutharius cum infeſtis ſignis conueniſſent, armis abiectis, exoſi ciuile bellum, pacem & fœdus ineunt. Theodericus deinde in Theodopertum fratrem ſuaſu auiæ Brunhyldæ, & Prothadij caſtra mouet. Nec ſegnius Theodopertus ſua defenſurus arma induit. Cum pugnaturi fratres haud procul diſtarent, vtriuſque exercitus militibus ducibus huiuſmodi parricidia bellum abominantibus de concordia nuncijs vltro citroque miſsis, actum eſt. Soli Prothadio pugnare ac manus conſerere placebat. Quocirca facto à militibus impetu autore Vnzelino duce Sueuorum ſub papilione regis Theodorici trucidatur. Deinde nemine refragante, fratres reconciliati domos abeunt.

D. Columbanus.

Diuus tum Columbanus flagicia Brunhyldæ & Theodorici redarguit, ac ipſos grauiter increpat: & vt reſipiſcant admonet, obſecrat. Sed quem Deus neglexit, nemo ad ſanitatem reducet. Columbanus à Brunhylda regno Theoderici exigitur. Ipſe

Luxouium.

ad Lutharium, inde ad Theodopertum regem fuga euaſit. Reliquit Luxouij (cœnobium eſt à Segiberto rege conditum) Diuum Euſtaſium. Theodopertus honorifice Columbanum cum ſocijs Romarico, Gallo, & Leodegario excepit, ipſis in regno ſuo, quamcunque

Romaricus Gallus Leodegarius Brigantinus. Lacus. Sangallen.

optant ſedem, offert. Columbanus Brigantini lacus oram delegit. Vrbs nunc Diui Galli. Pax fratrum rurſus interturbatur Brunhylda mulier flagicioſa, ſe haud aliter pro libidine dominari poſſe arbitrabatur, niſi nepotes diſcordes eſſent: auiæ ſuaſu Theodericus fratri bellum indicit. Vncelenum Ducem Sueuum ob mortem Prothadij capit, ducatu, amputato pede, mouet. Theodopertus Sequanos, Turonos, Campaniam, Eliſatiam occupat. Sueui iuſſu eius, ducibus Cambolino, & Herpino Auenticum expugnant. Vltra Iuram

Auenticum.

montem Burgundiæ omnia ferro, flamma deuaſtant. Victores cum magna præda domos reuertuntur. Columbanus & ſocij Moguntiacum concedunt, expectaturi euentum Martis: ibi pro Theodoperto deprecari Chriſtum Optimum Maximum non ceſſant. Theodericus inde cum exercitu, hoſtili animo, fines Theodoperti ingreditur. Auia quam prohibere deceret, claſsicum canente, in Agro Tullenſi fratres confligunt. Cæſis vtrinque

Theodopertus victus.

multis, Theodopertus victus, Agrippinenſem Coloniam aufugit. Theodoricus cohortante Leuniſio Epiſcopo Mogontino inſequitur fratrem. Theodopertus reſtauratis copijs Tulbiaci Theodorico occurrit. Sed iterum victus Agrippinam contendit. Veſtigijs hæret victor: Coloniam Agrippinenſem capit: theſauros Theodoperti occupat: filium fratris infantem trucidat. Theodopertus à fratre Theodorico in vincula coniectus, ad Auiam

Theodoperti mors. D Gallus.

miſſus eſt. Cabillone (vrbs eſt Burgundiæ) ab Auia, ſicuti Monachus tondetur: paucis poſt diebus ab eadem crudeliter necatur. Columbanus ad Theodelindam Reginam in Italiam abit: relicto in Sueuia diuo Gallo, febri tum laborante, Theodoricus dum Mediomatricum vrbem ingreditur, de cælo fulmine tactus interijt. Brunhylda Segibertum

Theodoricus fulmine ictus perijt Segibertus Rex.

filium Theodorici ex concubina pronepotem ſuum Regem ſalutat. Diuus Euſtaſius Antiſtes Luxouij, & niſi fallor Pontifex Mediomatricum, legatus à Luthario rege ad Boiorum regulos proficiſcitur, quibus Imperium mulieris ſceleratæ diſplicebat. Euſtaſius à ducibus perhumaniter exceptus eſt. Eius monitu Theſſalonus in lacu Chiemino Noricorum maximo, duo templa ſacratis viris & fœminis condidit: quinque millibus paſ-

ſuum

suum distant. Hanc ob rem (sicut in diplomate Imperatoris Arionulphi Cæsaris Augusti legi) huius collegij mistæ Mediomatricum, Luxouijque Antistiti dicto audientes fuerunt. Ipse Arionulphus Theodomaro primo Iuuauensium Pontifici demum addixit, & Luxouium Mediomatricum Episcopo, quo ipsi satis faceret, reddidit. Primo eius contubernij Monachi diui Benedicti ceremonias sectabantur: post quingentos annos Aurelij Augustini instituta presbyteri cœperunt. Lutharius qui solus de Germano Regum Franciæ sanguine superstes erat (inuitantibus principibus Austriæ Pipino, Arionulpho, & Boiorum regulis, quibus Brunhylda ob crimina inuisa erat) contractis copijs, in Germaniam proficiscitur. Brunhylda & Segibertus dum repugnare conantur, Vvormaciaque se munire contendunt ab omnibus deserti, viui in Lutharij potestatem deuenere. Segibertus vnà cum quinque fratribus interemptus est, Brunhylda indomitorum equorum caudis alligata, interijt. Germania, & Gallia, quod Imperium Francorum nominabant, post quinquaginta sex amplius annos rursus ad vnum redijt. Lutharius veteres Boiorum leges emendauit: nouas Sueuis tulit, quas in Bibliothecis legi nostris. Agrestinus discipulus superioris Eustasij Boios adit, sacras literas in Boiaria docuit. Conuentus sacerdotum coacti sunt aduersus Columbani & Galli nouas ceremonias, quibus populum Christi sanguine redemptum, liberatumque in seruitutem redigere atque onerare contra maiorum instituta conarentur. Eadem tempestate Atholdus nepos Garioualdæ Regis Boiorum, filius Theodolindæ, & Agilulphi decimo regni anno à suis Italia pulsus, ad regulos Boiorum migrauit: à quibus perbenignè receptus, honorificè per Boiariam deductus est. Alij referunt, eundem Græci legati veneficio desipuisse, nonnullosque principum interemisse, à quibus veneno sublatum esse tradunt. Heroldus maritus sororis eius in regno Longobardorum succedit annos septem. Vxor huius soror Atholdi Gundopyrga, filia Theodolindæ, neptis Garioualdæ regis Boiorum fuit, cui etiam, quemadmodum matri, marito mortuo, potestas facta est à Longobardis coniugis, & regis cooptandi. Ipsa delegit Rotharium, qui filium Ratholdum hæredem Italiæ reliquit. Hic ob stuprum interfectus, successorem habuit in regno Longobardorum, & Italiæ Heriobertum ex Boiaria oriundum, filium Guntholdi ducis Boiorum. In Francia quoque Lutharius rex eodem tempore mortuus est, anno Christi D. C. XXXI. Duos reliquit filios. Dagobertus relicta Aquitania sola fratri suo Heriberto, alia omnia possedit. Illam quoque (cum tertio regni anno frater obijsset) recepit. Initio imperij Dagobertus familiariter vsus diuo Arionulpho Episcopo Mediomatricum, & diuo Huniperto Agrippinensi Archimysta Pipinus vir prudentissimus, filius Carolomani, Dux Brabantiæ, præfectus erat prætorio. Atque dum hisce Dagobertus obtemperat, optimum sanè egit principem. Postea (vti mobiles sunt, & sibi sæpe aduersæ regum voluntates) spreto illorum consilio, quò libido impulit præceps abiuit: stupris & adulterijs, incestuque infamis extitit. Ipse leges Boiorum correxit, legem Salicam perfecit. Samo rex Venedorum (qui ad Draui, Sauique fontes adhuc habitant, ruri adhuc Veneda lingua in vsu est, Boius sermo in vrbibus, & castellis inualuit) negotiatores Dagoberti regis Neoroma venientes spoliat, interficit. Reguli Boiorum iussa regis, tribus exercitibus Venedorum regionem inuadunt: in obsequium, & ditionem redigunt: Venedos quoque sub iugum religionis Christianæ mittunt. Venedis ab Aquilone, Boijs verò ab Orientis ora confines erant Hunni. Atque hi paucis post diebus in Venedos grauiter incursantes agitant. Borutho dux Venedus, ad Boiorum rectores legatos auxilium postulatum ire iubet. Nec mora, Boij Venedis auxilio veniunt, armati in Hunnos ruunt, eos vincunt, pellunt: hocque beneficio Venedos, & confines eorum regibus Francorum deuotissimos reddunt, obsides ipsis imperant, inter quos filius Boruthonis Carastus, & Chitomarus nepos eius, in Boiariam ducti: ibique cœlestem philosophiam more Christiano discunt. Dagobertus post hæc rex Francorum moritur. Filij eius Ludouicus, & Segibertus Francorum Imperium partiuntur. Segibertus Galliam Belgicam vtramque, & Germanias: Cætera Occidentem versus Ludouicus cum matre Mathylda possedit. Pipinus cum senior filius Carolomani decessit. Grimoldus Pipini filius magistratum, & authoritatem patris apud Segibertum obtinet. hic in paucis diebus moritur, relicto filio Dagoberto: quem cum Grimoldus aulæ præfectus regnum adfectans, more sacerdotum tonderi ac sacris initiari iussisset, ad Scotosque relegasset, Franci arma corripiunt, Grimoldum in vincula conijciunt, Luteciam Parisiorum Ludouico secundo deportant: vbi in carcere perijt. Ludouicus Austriam, Germaniamque recepit. Angisus filius diui Arionulphi, præfectus limitis Antoripensis, Beggam sororem Grimoldi superioris, filiam Pipini, sororem itidem diuæ Gariodrudæ, vxorem ducit, aulæque Orientali præficitur, & ducatu Brabantino à rege donatur. Vnà cum Dagoberto Maiestas Imperij Francorum collapsa corruit. Præfecti prætorio (quos Germani Marosalicos, id est, Maiores domus & aulæ, & duces Francorum nuncupant) Rempublicam trahere, rapere, lacerare, atque omnem potentiam in se transferre, omnia munia Imperij obire cœperunt. Reges ocio torpescere, inane nomen Regis ferre: se abdere à conspectu vulgi, salutantium-

Lutharius in Germaniam profectus.

Segibertus occiditur.

Brunhylda interitus.

Lutharius leges Boiorum emendauit.

Gundopyrga filia Theodolindæ.

Rotharius.

Ratholdus.

Heriobertus.

D. Hunnipertus.

Pipinus.

Lex Salica.

Samo rex.

Venedi ad fidem Christi conuersi.

Borutho dux.

Ludouicus 2.

Segibertus.

Pipini mors.

Grimoldus.

Pipini filius in carcere moritur.

Dagobertus filius Segiberti regis.

Regis Franc. inane nomen.

riumque, tanquam sacra: voluptati operam dare omnem ætatem silentio, & venationibus transigere: neminem admittere: neminem audire: nihil cognoscere consueurunt. Omne negocium domi forisque in aulæ præfectos relegare, ius regiumque ducebatur. Pollui Regem conspectu supplicis persuasum erat. Pertulere centum fermè annos huiusmodi ignaviam, socordiamque principum Galliæ, Germaniæque populi. Inter hæc Thessilonus secundus fato concedit, anno Christi sexcentesimo quinquagesimo. Tres eius filij, Theodo quintus, Grimoldus, & Theodopertus tertius Boiariam in treis partes diuidunt. Theodo Reginoburgium, Nariscos, Vindeliciam sortitus est. Grimoldus Bathauiam, Laureacum, Iuuauiam, Vtinum, Noricum Ripense, & contigua loca accepit. Ea pars Norici, quæ inter Oenum, & Athesim amnes in montibus cubat, Theodoperto euenit. Theodo Reginoburgij frequens versabatur. Erat ei filia Vta nomine. Hæc a Segiboto quodam decurione equestri compressa est, aluo intumescente, proditur flagitium. Vta Diuum Haimeranum Pontificem Reginoburgensem (qui tum fortè fortuna, pietatis ergò Romam versus, ante treis duntaxat dies, Reginoburgio profectus erat) ceu authorem culpæ honestiorem, parentem nuncupat. Landobertus frater puellæ, vbi hoc accepit, sororis ignominia, & sceleris indignitate commotus, Pontificem apud Helffendorff (pagus est in superiore Boiaria, inter Oenum, & Isaram amnes) consequitur: itaque percitus, eundem necquicquam tantum scelus abnuentem, comprehendit: socij diffugiunt. Nec mora Landobertus Haimeranum supra scalas duriter colligat, membratim dissecat, semineceмque relinquit. Innocentia Pontificis cœlestibus miraculis patefit. Artus dissecti a populis vndique coeuntibus ad Isaram deuehuntur (quinque millia passuum infra Monachium extat ædicula huiusce rei monumentum) ibi nauiculæ impositi in Danubium: inde Danubio aduerso quinquaginta millia passuum, Reginoburgium deferuntur. Obuiam certatim effunduntur, dux Theodo, proceres, & ciues, opulenti, egeni, sacerdotes, prophani, fæminæ, pueri, puellæ, reuerenter ritu solenni Pontificis corpus excipiunt: in templo diui Georgij extra mœnia vrbis condunt. Regulus Theodo, vt innocentis Episcopi cædes manifesta aliquo piaculo lueretur, ibi ædem perquam amplam ædificat: diui Benedicti cæremonijs, & monachis dicat. Ingens eò numerus consecraneorum eiusdem ritus breui conuolauit, qui bonas arteis, sacrasque literas profiteri, interpretarique cœperunt. Cœtus hic studia æmulantium posthæc celebres fuere, ad proauorum vsque memoriam. Illic tum literis instituti sunt diuus Arionardus, & D. Hyldolphus frater eius, genere Norici: ille Reginoburgensis, hic Treuerensis Archymistes postea fuit. Diuus Haimeranus suo templo celebre apud posteros nomen fecit. Primus Antistes Apollonius fuit. Mausolea ibidem Principum, Regum & Imperatorum Boiariæ adhuc ostenduntur. Boios enim duces cum vxoribus in eo cœnobio fere vsque ad Fridericum primum condi solitos reperio. Seruatur ibi libellus, in quo Episcopus hortatur amicum ad pietatem: adeò vetustis literarum notis scriptus est in membranis, vt mihi de integro in literarium pistrinum redeundum, & elementorum figuræ condiscendæ fuerint. Ad vmbilicum hæc verba adscripta sunt: Scripsi ego ipse Vhicterbus, quanquam peccator, Episcopus iam senex, puto nonagenarius, aut supra, dolentibus membris, & caliginantibus oculis: hoc non quasi potens, sed pro studio charitatis quam circa te habeo, quia volebam dum seculi dignitatem regis, vitam æternam nunquam perdas. Pax tibi, & vita à domino augeatur, Amen, & fiat, fiat. Tertio anno regnante Pipino filio Caroli, rege Francorum, in mense Iunio, in diebus decem scripsi hunc libellum, hoc est anno D. CC. IIII. à natiuitate Christi, septima indictione. Hunc ego Vhicterbum, in carminibus quæ sub Ludouico pio Augusto, filio Caroli, de Episcopis Boiariæ scripta extant in eodem Monasterio. Pontificem Reginoburgensem fuisse reperio: cui a D. Bonifacio, & Vtilone Boiorum regulo suffectus sit Geoualda. Theodo Vtam filiam in Italiam relegat. Landobertus profugus apud Abares in Hunnia, atque Pannonia obijt: soboles omnis a ducatu, & fastigio Boiariæ deturbata est, in ordinemque equestrem redacta. Diuus Haimeranus Pictauia Noricorum vrbe, cuius Hieronymus meminit, oriundus fuit, quæ colonia quondam Romanorum insignis, tum municipium Boiariæ erat: nunc in villas abijt. Eius principes Boiorum quondam clarissimi, Variopagum Vindeliciæ inferioris Monasterium, proxime arcem suam Neoburgium in ripa Oeni amnis, condidere: vbi sepulti sunt. Archimystes Laureacensis sub his rectoribus Boiorum fuit Bruno. Reginoburgenses Episcop. Erhardus, & Albertus. Salisburgenses cœlesti doctrina pauerunt Sauolus, & Ezius. Sabonenses Vrsus, & Pigentius. In Italia Ratholdo rege, pronepote Garioualdæ regis Boiorum mortuo, Heribertus filius Guntholdi ducis Boiorum, & Altæ, nepos Garioualdæ regis Boiorum, rex statuitur, cum impleuisset potestatis annos nouem, decessit. Duos filios regni hæredes reliquit Berthariсum, & Godopertum: Bertharicus Mediolani, Godopertus Ticini habitauit. Continuò aulici mures cœpere discordias serere inter fratres. Godopertus Grimoldo duci Bereuentano sororem connubio iungit: & virum rei bellicæ perquam peritum, nec minus domi callidum, in auxilium contra fratrem accersit.

Thessilonus 2 moritur. 650 Theodo 5 Grimoldus. Theodopertus 3. Vta filia Theodonis vitiata. D. Haimeranus.

D. Haimerani Martyrium. Cœnobium D. Haimerani Ratispona ædificatur.

Apollonius primus Abbas ad D. Haimeranum. Mausolea vetera ducum Boiariæ.

Pipinus rex Francorum.

Geoualda Episcopus. Vta filia Theodonis relegata.

Varenpach Benedictinæ Regulæ Monasterium.

accersit. Grimoldus vbi cum copijs Ticinum receptus est, arma in Godopertum vertit, ipsum cædit. Filius Godoperti adhuc infans Reginopertus clam periculo sublatus, clam educatus est. Berthanicus vbi de nece fratris accepit, cum annum vnum, menses treis regnasset, fuga salutem quæsiuit apud Hunnos, & Abares, deinde Francos exulauit. Tota Italia ad Grimoldum defecit. Soli Astenses ob beneficia aui Guntholdi Berthanico fidem seruarunt: nec Grimoldum receperunt. Qui vbi nouem regnauit annos, medicis malè vená secantibus, interijt. Berthanicus de morte eius certior factus, in Italiã redit, magno vbique gaudio recipitur: Italiaque tota, interfecto Garioualda filio Grimoldi, Berthanico sponte subditur. Verùm Alagisus dux Tridentinus, cum præfectum Boiorum (Graphionem nominamus) qui Pisonium, & cætera castella Athesinæ vallis pro prætore administrabat, tumultuoso prælio superasset, regi suo rebellat. Cumque sacerdotem regijs armis indutum, quem regem esse putarat, pugna occidisset, & spoliatum galea, caluicies sacerdotum fuisse proderet, votum concepit, atque nuncupauit: si victoria potiretur, salacibus mystis fibulam se impositurum: genitalibusque sacerdotum puteum oppleturum. Sed voti non compos, pœnas dedit. Berthanico genitus Hunnibertus, infantem Litopertum auiti regni successorem habuit: cui virum prudentem Landoprandum tutorem testamento dedit. Sed regni cupiditas diuina, humanaque iura laxè contemnit. Reginopertus filius Godoperti superioris, in patruelem arma sumit: Landoprandum pugna victum Italia pellit: Litopertum viuum capit, eodemque annos mox inuitam exhalat animam. Heribertus filius Reginoperti, Litopertum puerum patruelem suum in balneo extinguit, regnum occupat. Landoprandus cum filio Litoperto per Curiam Vrbem Rhætiarum, ad Theodopertum regulum Boiorum in Boiariam fuga elabitur: ibique nouem annos extorris lare patria fuit. Decimo anno Theodopertus rector Boiorum, Landoprandum cum filio, vi & armis in Italiam reducit. Heribertus, dum fuga sibi consulere conatur, in lacu Lario submersus est. Landoprandus rex à Longobardis creatur, hæredem regni reliquit Litoprandum filium, qui Gutrudam filiam Theodoperti ducis Boiorum vxorem ducit. Hucusque Boiaria oriundi, annos aliquot, nimirum sexaginta potiti sunt Italia, regnoque Longobardorum: quod simul cum vita, dum inuicem id inuident, amiserunt. In Francia cum Ludouicus secundus, rex Germaniæ, & Galliarum obijsset, treis reliquit filios, Lutharium, Hyldericum, & Theodericum impuberem. Hyldericus Germanias, Galliascis Sequanam, Orientem versus, Austria est: cætera quæ Occidentem spectant solem (vnde Vestria dicta) Lutharius possedit. Veliphaldus dux Hylderici aulam moderatus est. Diuus Landobertus Traiecto Mosæ oriundus, à Theotardo Traiectensium Pontifice educatus, cum amicissimus Hylderico, & in aula magnæ authoritatis essent, mortuo Theothardo, Traiectensibus datus est Pontifex. Etcho, qui & Hyldericus filius Litherici, diuæ Otiliæ pater, ab Hylderico rege, ab eodem cognomen sortitus, Elisatio præficitur: vxor eius fuit Berethouinda affinis & cognata D. Leodegarij, quem Lutharius Augustoduno Episcopum dedit. Eburouinum tamen quendam hominem sceleratissimum, flagitiosissimum aulæ & prætorio præfecit: qui multa mala libidine dominandi designauit. Obijt Lutharius tertio regni anno. Eburouinus Theodericum fratrem Lutharij, quo licentius sub puero grassaretur, Gallis & Occidentali regno imponit. Celtæ exosi scelera hominis Eburouinum capiunt, templo captorum includunt, Theodericum à rebus amouent: ad contubernium Monachorum relegant. Hyldericum ex Germania, & Austria, cum Voliphaldo duce reuocant, in verba Hylderici iurant. Sed dum Hyldericus venationi, & rebus leuiusculis, neglecta Republica deditus, pleraque temere ac inconsulte agit: & cum tot gentibus, lingua, moribus, institutis inter se differentibus imperaret, nulli suam legem seruat, Magistratus pro libidine promiscuè regionibus præficit, inter venandum cum liberis & vxore grauida trucidatur. Theodericus frater eius antea repulsam passus, regno restituitur, Eburouinus vbi hoc accepit, relictis Monachis, in aulam prorumpit, dignitatem, quam amiserat, recipit, optimum quemque grauiter affligit, & opprimit. Diuum Leodegarium occidit: Leodesium filium Arnoldi, qui præfectus Palatinis ædibus fuerat, fide data interimit. Voliphaldus in Germaniam aufugit. Angisus cum pater Pipini iunioris occisus est in bello a Venedis. Landopertus Traiecto pulsus, Leodium aufugit: Variomundus quidam eius sacerdotium occupat. Germani, regibus absentibus, Pipino filio Angisi curam & regni potestatem, ne quid Respublica detrimenti capiat, permittunt. Erat vxor Pipini Pluthruda filia Grimoldi Reguli Boiorum. Pipinus cum principibus Germaniæ, & Austriacis proceribus, arma, castraque in Celtas contra Eburouinum, Barochum, Gilomarum, Bertharium inuicem quoque ob aulæ præfecturam decertantes, & contra Theodericum regem mouet. Victoria penes Austriacos fuit. Eburouinus occisus: cæteri simili fato sublati sunt. Theodericus rex captus est à Pipino. Pipinus accepta gazá regia, regi Theodorico pacem dedit: Nodobertum quendam de suis aulæ imposuit. Ipse in Germaniam reuertitur, diuum Landopertũ Traiecto restituit Radobodum

Godopertus occiditur.
Reginopertus.
Grimoldus moritur.
Berthanicus.
Godobertus Grimoldus dux Beneuentanus.
Garioualda filius.
Theodopertus dux Boiorum.
Lutharius. Rex Vestriæ.
Thiethardus Episcopus.
Lutharij mors.
Hyldericus qui & Vdalricus.
Vdalricus occiditur.
Leodegarij interitus.
Angisus occiditur.
Pluthruda Pipinus.
Eburuuinus occiditur.

dum Frisiorum regem, falsorum numinum cultorem, Gotofridum ducem Sueuorum, qui cum Theoderico senserant, cæso Otouino, & Arionoldo ducibus copiarum in obsequium redigit. Mortuoque Theoderico rege, qui treis filios Ludouicum, Hyldebertum, & Lu-

Ludouicus rex eligitur

tharium reliquit, Ludouicum regem statuit. Biennio pòst Grimoldus regulus Boiorum, socer Pipini ex hac vita migrat, anno ab orbe seruato sexcentesimo, nonagesimo quinto.

Grimoldus Dux Boiorū moritur. 695.

Theodo sextus filius eius pietatis fama, prudentiá domi militiæque longè lateq; insignis, regnum Boiariæ obtinet. Vxor ipsius Glisonocha: filij Theodo septimus, Grimoldus secundus, & Hugobertus fuerunt. Atque hi quatuor Boiariam in quatuor diuisere partes. Theodo pater Reginoburgium, Boiariam inferiorem, Nariscos sibi retinuit. Bathauiæ, Iuuauiæ, Vtino, & finitimis locis Hugobertum præfecit: superiori Boiariæ alpibus subditæ Grimoldum imposuit: hic in Fruxinensi arce habitauit, vbi villæ, & vestigium regiæ, quam Grimolthusium, id est, Grimoldi domum, etiam nunc vocant. Theodo filius Athesinam vallem supra Tridentum, quam Venusticam nominant, & conterminos fines, partē Theodoperti patrui, qui iam obierat, administrauit. Hi principes (vt tū erant mores) Diuo Corbiniano familiariter vsi ab eo legem diuinam audire soliti sunt. Præfe-

D. Corbinianus Episcopus Frisingensis.

ctus est Corbinianus Fruxinensi templo, quod in arce ducis Grimoldi dedicatum erat. Primus inde Pontifex Fruxinensium adpellari solet. Archimysten tum Boiorum fuisse reperio Theodorum: Laureacensis est Archiepiscopus. Minores Pontifices, Reginoburgensium Victorerpus, Saleburgij Flobargisus, Sabonensis Mastulo fuit. In Francia Ludouico Rege quarto potestatis anno defuncto, Pipinus fratrem eius Hyldebertum rebus imponit. Omnis potestas penes Pipinum fuit: ille inane nomen Regis titulo tenus gessit. Sustulit Pipinus ex Pluthruda fœmina nobilissima duos filios, Drogum & Grimoldū. Drogus eam partem primæ Galliæ Belgicæ, quæ Matrona flumine (sicut Cæsar scribit) à Celtis diuiditur: vbi Catalauni sunt, & vulgo Campania dicitur, possedit. Grimoldus defuncto vita Nordoberto, à patre prætorio præficitur, vir iustus & modestus. Vxor eius

Drogi mors. Dagobertus Rex. Theodo pater moritur. Grimoldus interficitur.

Theodouinda, filia Radobodi regis Frisiorum, peperit Theodoualdam. Drogus tum filius Pipini decedit. Hyldebertus quoque regnum cum vita finit. Dagobertus filius eius à Pipino rex creatur: Frater Daniel sacris initiatur. Sub idem tempus eodem penitus anno, nempe Christi septingentesimo super octauum, Theodo pater regulus Boiorum ex hac vita migrauit. Grimoldus eius partem occupauit. Anno deinde Christi septingentesimo quartodecimo, dum Grimoldus præfectus palatij ex Galliis ad ægrotantem patrem Pipinum visendum in Germaniam profectus est, à Rænario Frisio, cultore Deorum Leodij in templo Diui Landoberti perimitur. Pipinus Grimoldi filium nepotem suum Theodoualdam parenti sufficit, ac præfectum aulæ in Gallias mittit mense Aprili. Ipse eodem anno Decembri vita defungitur: administrauit Imp. Francorum annos septē, & viginti. Paucis pòst diebus nimirum subsequēti anno, & Dagobertus Rex obiit. mor-

Pipini mors. Dagoberti mors. Daniel Rex eligitur.

tuo itaque Pipino, & Dagoberto rege, Galli Lugdunenses, qui & Celtæ, & Francigenæ, Theodoualdam nepotem Pipini aula exigunt: præficiunt Palatinis ædibus Reginofridū quendam Regem declarant Danielem sacerdotem, mutatóq; nomine Hylpericum nuncupant. Duxerat Pipinus viuente Pluthruda, & secundam vxorem Albædam. Illa Carolum filium Albædæ nouercali odio prosequebatur, ipsamque in vincula coniecerat. Carolus (quem fortem, & authorem generis sui Principes nostri nuncupant) auxilio Auini carcere liberatur. Ad ipsum proceres Germaniæ & Austriæ frequentes coeunt, ad regnum vltro inuitant. Ipse principatum, ducatumque Francorum, & præfecturam aulæ, & prætorij accipit, regium nomen recusat. Hylpericus Rex Reginofridus palatinæ domus rector & Galli, infesto exercitu ad Mosam amnem procedunt, castráque locant. Ra-

Ratobodus idololatra.

toboldus Rex Frisiorum & multorum Deorum cultor, quem Galli sibi pecunia coniunxerant, altera ex parte Agrippinæ, trans Rhenum nihil illæsum, intactúmq; reliquit mense Iulio, omnia templa Christianorum diripuit. Landofridus, & Theodoualda Duces Sueuorum, & ipsi Hylperici partium, Carolo aduersi fuerunt. Theodoualda Diuum Pirminium antistitem Sueuia exturbat (fauere dicebatur Carolo) Pirminius patrem monachis Etonem designat: & hunc Theodoualda Dux ob odium in Carolum, in Vraniam relegat. Pirminius in Elisatium, inde ad Boios concessit. Carolus, vndique insurgentibus bellorum procellis, ingentis animi princeps, primò hostibus religionis nostræ Frisiis occurrit. Sed superatus à Rathobodo, amissis multis, in fugam vertitur. Venit tum Diuus Vinofridus, qui & Bonifacius, ex Anglia Traiectum

Rathobodi mors.

magnum, qui Frisiorum regem Rathobodum, ex prælio victorem reuertentem, alloquitur, obtestatúrque, vti clementiam maximam regum dotem æmuletur: ab innoxiorum pauperum vastatione, qui nil commeruere, abstineat: ad amplectendam veritatem diuinam quoque regem potentissimum, atque ferocissimū cohortatur. Et inflexerat nonnihil barbari regis animum, sed ipse paucis pòst diebus subitò interiit. Hylpericus, & Reginofridus vbi audiuere Carolum malè pugnasse, Arduennam syluam transgrediuntur: omnia ferro, flamma, præda, Moguntiacum, Agrippinensem agrum, regiones Rheno

contiguas, depopulantur. A Plathruda vidua Pipini muneribus, ac donis placati Ablauū redeūt. Interim Carolus collectis reliquiis exercitus sui, de improuiso castra inuadit, inopinatosque haud mediocri clade adfecit. Partes inde aperto Marte de summa rerum confligere statuunt. Nihil vtrinque prætermissum, quod ad victoriam facere videbatur. Vinciaci (in agro Cameracensi vicus est) tertiodecimo Calendas Aprilis (quę tum dies solis ante Paschalia erat, & ab auspiciis Palmarum cognominari vulgo solet) infestis concurritur armis. Victoria penes Carolum fuit. Hylpericus rex, & Reginofridus fuga sibi consuluerunt. Carolus victor cum Austriacis, & Germanis Agrippinensem Coloniam intrat, Gazam parentis Pipini à nouerca Plutruda recipit: Luthariumque patruum Hylperici regium nomen ferre iubet. Hylpericus, & Reginofridus copias redintegrant, Vtonem ducem Aquitaniæ socium ad se adsciscunt, coniunctis viribus rursus in agro Cameracensi castrametantur. Carolus cum Austriacis, Belgis, Germanis, haud impigrè infesto, intentoq; exercitu, aduersus eos procedit, hostes inuadit, sternit, fundit. Hylpericus Rex, Vto Dux Aquitaniæ, per Parisios, ablata secum regia supellectili, in Aquitaniam fuga elabuntur. Reginofridus Andegauos petit, ibique se munit. Carolus, & Germani, & Belgæ hostium vestigia sequuntur, omnia sibi subigunt. Andegauos cum Reginofrido ad deditionem cogunt, totam Galliam Lugdunensem, quam & Celticam vocant (quæ à Sequana fluuio, ad Ligerim Ptolomæo, Plinio verò, & Cæsari ad Garumnam flumen protenditur) recipiunt: hancque à suo vocabulo victor Carolus, Caroliam, incolas Carolios nuncupari iussit: quod diu apud Germanos Belgasque obseruatum est. Milonem Rhemorum Pontificatui præficit, abdicato Rigoberto, qui sibi aduersus Reginofridum properanti portas vrbis clauserat. Ob eandem causam Eucherium Aurelianensem Episcopum in Hispaniam relegat. Deinde legati in Aquitaniam ad Vtonem ducem mittuntur, qui repetant Hylpericum regem, & regiam gazam, & gratiam Vtoni, si resipiscat, faciant. Vto regem cum Thesauris legatis reddit. inde ad Carolum Hylpericus deducitur. Inter hæc, anno Christi D. CC. XIX. Lutharius rex obiit: in paucis diebus anno sequenti, patrui fatum & Hylpericus subsequitur. Franci, & Carolus Theodoricum quartum filium Dagoberti secundi regem salutant.

Vinciacum vicus.
Vto dux Aquitaniæ.
Gallia Lugdunensis, quæ & Celtica.
Carolia.
Milo Episcopus.
Eucherius Episcopus.

Dum hæc in Galliis geruntur, Boiariæ Dux Theodo septimus, Romam reus voti proficiscitur: condemnatusque à Gregorio secundo Pontif. Maxim. domum in Boiariam reuertitur, ex hac vita migrat. Frater eius Grimoldus partem eius simul cum vxore Viludruda vsurpat. Diuus Corbinianus tum quoque Romam supplicandi gratia concesserat. Grimoldus ne talem virum amitteret ab se, Maiensibus (colonia Boiorum fuit in ripa Athesis, vbi nunc Tyrolium & Merania cubant, in villas abiit quæ nomen retinent) demandat, vti Corbinianum, si eò venerit, (inde enim ipse oriundus erat) captiuum ad se Fruxinum deducant. Rediit Corbinianus Maias, quæ sibi patria erat, à Magistratibus statim Grimoldi detinetur, fideque data, ad Grimoldum perrexit: qui ipsum pastorem Fruxinensem declarauit, sacramentoque adegit, ne inde posthac, relicto grege, discederet. Pontificem regiæ mensæ conuiuam fere adhibet. Corbinianus nactus tempus opportunum, Grimoldum increpare cœpit, quòd vxorem fratris duxisset, id esse repugnans legi diuinæ. Mulier, vbi isthæc audiuit, insidias vitæ Corbiniani tendit. Admonitus diuus, noctu fuga sibi consuluit, in Italiamque ad Litoprandum regem elapsus est. Oritur deinde tumultus in Boiaria, in partesque vulgus ignobile scinditur. Nepotes Grimoldi, filij Theodoperti qui ducatu ob impuberem ætatem exclusi erant, iam ex ephœbis excesserant. Portionem regni postulabant. Pluthruda quoque vidua Pipini in Boiariam, vnde oriunda erat, aufugerat, Boiosque contra Carolum priuignum suum in arma concitabat. Grimoldus eo tumultu occisus est: vbi nam, nondum, licet curiosius perscrutatus fuerim, inueni. Quidam mystæ monachi, non de omnibus loquor, cum ipsi nihil sapiant, instrumenta, ex quibus res gestæ disci solent, in capsas, cistásque, non vna claue includunt, nec eruditos, nescio quid (vt sunt religiosuli) metuentes, videre, nedum legere sinunt. Ita horum sanctulorum stoliditate, & ignauia virtutum monumenta, & historiæ intercidunt: cum tineis, & blattis depugnant: suis prædiis homines auari, & quasi malæ fidei possessores nimis timent. Cauent mortalium ingratissimi, atque superbissimi summopere, ne in vulgus edatur, quorum beneficio ditati fuerint. Grimoldi vxor (reuertor vnde euagatus sum) Viledruda cum filiis ad Carolum ducem aufugit, orbitatem suam, & indignam viri cædem deplorat. Conscij sceleris cum sociis authoritatem Caroli floccifaciunt. Litoprandus Rex Longobardorum, cuius vxor ex Boiaria oriunda erat, dum Boij se discordia debilitant, & ciuilibus armis dissentiunt, Maias, & cætera Boiariæ castella, quæ Athesis præterfluit, inuadit, atque in deditionem cogit. Diuum Valentinum, qui Maiis humatus fuerat, Tridentum transfert. Carolus cum exercitu in Sueuiam proficiscitur, Theodoualdam ducem Sueuiæ ducatu depellit, Landofridum armis sibi parere cogit. Pirminium restituit, Medio-

Corbinianũ fuga.
Pluthruda Pipini vidua.
Grimoldi interitus.
Sacrificorũ amor.
Viledruda.
D. Valentinus.

Eto Episcopus Argentoratensis. Hyldolphus frater Erhardi. Hugobertus Dux Boiariæ totius Lauterburgm. Ingolstat. Carolus Martellus. Albertus Oiger. Vto.

Mediomatricum insuper templo præfecit. Etonem Argentorati Pontificem constituit. Inde perdomitis Sueuis, Boiariam petit. Hyldolphum, fratrem Arionardi (qui ex nobilissima Boiorum familia orti, literis operam Reginoburgij dederant, ibique educati fuerant) Treuerensi donat templo. Nouercáque recepta, Hugobertum Boiariæ toti præfecit. Eius neptem Sueinhyldam vxorem ducit. Extat haud procul Fruxino pagus ab ipsa etiam nunc cognomen seruans. Lutherouium vicum, & regiam, Angilolstadium oppidum Nariscorum, regibus Francorum addicit Martellus, quo pateat in Boiariam libere, & nemine prohibente transitus. Ita Carolus Magnus in capitibus meminit, quæ ad legem Salicam addidit. Alberto Otogerioni, & Vtoni, quos quidam filios Grimoldi fuisse suspicantur, Bargiones, & Tigurini, inter Isaram, & Oenū subditi Alpib. traduntur. Landofridus, Elilandus, Valdoramus, fratres filij Theodoperti, Anthoryphos, loca finitima Isaræ, & Lyco fluminibus, acceperunt, Hugobertus regulus Boiorū declaratus (quem etiam Fruxini habitasse aiunt) continuò Diuum Corbinianum, diuinæ sapientiæ professorem ex Italia missis legatis acciuit, Fruxinique in arce sua collocauit: ab ipso aqua sacra expiatus est. Obiit diem Fruxini Corbinianus. Et vt testamento statuit, Maias patriam iussu Hugoberti delatus, ibi humatur: quod oppidum Boiorum adhuc Longobardi tenebant. Ob ignauiam regum, & crebra bella, licentia (vti fit) populum Christianum in Francia inualerat. Nihil salacius, nihil superbius sacerdotibus erat: canes & scorta alebant, luxu, atque auaritia perditi. Decimas & huiusmodi donaria intercipiebant contra instituta maiorum: nil egenis elargiebantur: Ecclesiasticas opes, bona pauperum soli abligurriebant. In concionibus non rem Dei Optim. Maxim. sed negocium suum agere solebant. Quotidie liberis operam dabant, nihilo secius sacrificabant. Sacrosanctam victimam impuris manibus, pollutissima conscientia contaminabant. Ipsi temperantiæ, omnibus virtutibus, maximè castitati, bellum indixerant. Tibullus poëta non solum alienos à veritate cœlesti, sed amorum quoque scriptor, castos duntaxat, sacris admittit falsorum numinum. versus eius libuit subtexere.

Vos quoq, abesse procul iubeo, discedat ab aris,
Cui tulit hesterna gaudia nocte Venus.
Casta placent superis: pura cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.

G. Vinofridus. Gregorius 2. Pont. Max.

Nec facile, nec tutum erat, huiusmodi vlcus tangere, atque isthanc lacunam mouere. D. Vinofridus vir cum eruditus, tum bonus, vbi huiuscemodi sacerdotum cupiditatem, nequitiámque inualuisse videt, Romam pergit, rem omnem ad Gregorium secundum Pontif. Maxim. defert, qui Vinofridum, sanctæ philosophiæ magistrum, Germaniæ gentibus designat, fidemque hoc diplomate facit: *Gregorius seruus seruorum Dei Vinofrido religioso sacerdoti. Ob pietatem, & studium literarum, quæ ab ineunte ætate in te sita esse comperio, docendi Francos, & à malis falsisq, sacerdotibus purgandi prouinciam nostro iure tibi demando. Tu verò non fabulas hominum, nec quæstum tuum, sed Christum, & sacras vtriusq, instrumenti literas prædicato. Si qua grauiora quam vt à te ritè, beneq, perfici queant, inciderint, ad me deferto. Datum Idus Maij, Imperante Domino Piißimo Augusto Leone, à Deo coronato, anno tertio Imperij eius, indictione secunda.* Fuit is annus Christi authoris nostri septingentesimus, vndeuicesimus. Lustra diducenti patefiet. Tum & Viuilus archimystes Boiorum templo Laureacensi præfectus est. D. Vinofridus Roma in Franciam tendit, hospitio perquam humaniter Ticini à Litoprando rege Italiæ excipitur. Per Boiorum fines incognitus ad Turogos tendit. Inde ad Frisios proficiscitur, iam enim Rathobodus Rex obierat. Hessones deinde petit in confinio Saxonum. Vbique scelera sacerdotum arguit: de legato sibi officio grauiter & strenuè defungitur. At Vdo Dux Aquitaniæ fidem frangit, noua molitur, Carolo rebellat. Carolus collecto ingenti Austriacorum exercitu, Aquitaniam hostili animo petit, superato Ligeri amne, Vdonem terga vertere cogit. Abdiramus Rex Scenitarum (Saracenos nos dicimus, qui paulo ante ex Africa transeuntes Hispanias inuaserant, Vessogetarum, & Sueuorum regnum attriuerant) in auxilium ab Vdone accitus cum liberis & coniugibus, quasi perpetuò in Aquitania habitaturus, cum valida manu aduenit. Fit fuga Garumnam vsque flumen, templa direpta incenduntur. Burdegala, alia pleraque oppida, Pictones expugnati sunt. Turones obsessi. Carolus Dux inuictus, fretúsque Deo immortali, fortiter tantam hostium turbam adgreditur, fundit, delet. Cæsa sunt Saracenorum trecenta octoginta quinque millia cum rege. In exercitu nostro mille duntaxat, ac quingenti desiderati sunt. Testis & Vdo Dux in epistola, quam ad Gregorium secundū Episcopum Romanum scripsit. Nam Vdo recuperata gratia Caroli, eos quos socios ad se acciuerat, grauissima quoq; strage profligauit. Interim Burgundia rebellat. Carolus cōtinuò cum copiis aduolat, Lugdunū expugnat, Burgundia potitur, eamq; firmis præsidiis munit. Mox Vdonis mors Carolo nunciatur. Carolus Aquitaniam absq; Marte recipit. Inde

Viuilus Archiepiscopus Laureacensis. Vdo dux Aquitaniæ Carolo rebellat à Siberto Endo dicitur. Saraceni cæduntur. Hæc pleraq; ex Sigeberto.

Inde classe ingenti comparata, contra Frisios multorum numinum cultores arma promouet, fana, lucos hostium subuertit, extirpat, incendit interfectis quàm plurimis, cæso Popone duce Frisiorum, victorque redit. Saraceni rursus euocati à filiis Vdonis Bæphario, & Hunoldo, & à Mauronto duce prouinciæ in Galliam rege Athima nauibus adpellunt, Auinionem capiunt. Nec mora, Carolus adest, Auinionem obsidione claudit, erat intus Rex Athima. Arabes qui adhuc in Hispania erant, rege Amoreo obsessis auxilio veniũt: Arelatam capiunt. Carolus euocatis a Litoprando rege Longobardorum auxiliariis copiis hostes inuadit, quatuor præliis sternit, fundit, cum regibus delet. Pauci, qui ad naues cõfugerant, sæuiente in eos diuinitus ira cœlesti, fractis nauibus in mari submersi sunt. Mauronctus Dux finibus exactus est. Hugobertus quoque Dux Boiorum cum filio Vtilone huic bello interfuit, Caroloque opem tulit. Receptis itaque, atque subactis Galliis, Aquitania, Belgis, Celtis, Prouincia Narbonensi, Sueuis, Boiis perdomitis, Carolus contra Saxonas, alienos à religione nostra, ad Visurgim vsque amnem processit. Vtrinque magno ardore, nec minore clade depugnatum est. Superati tandem Saxones, vectigales facti, tribuere quotannis trecentos equos. Carolus itaque dux inuictissimus, Imperium Francorum, quod inquietissimum acceperat, extinctis vbique hostibus tandem pacauit: rediitque diu optata tranquillitas, & Maiestas Francorum tot cladibus vastata resurrexit. Vnde Martello ipsi Carolo cognomen inditum est, quod lingua Franca, atque Germana, signum est blandientis, & à cæde hostium deductum. Ob tam bellorum vehementes & crebros turbines, ærarium omnino exhaustum erat, fiscus adtenuatus, deficiebant militibus stipendia. Carolus opes templorum, sacrámque pecuniam vsurpauit: ex hac commilitonibus mercedem laborum distribuit: quamobrem ipsum sacrilegij pœnas apud inferos dependere Mystæ sibi credi postulant, quasi verò non legerimus in vita diui Egidij (qui tum vixit) illi scelera, quæ vel nequaquam vlli mortalium confiteri voluerit, à Deo condonata esse, id quotannis stato die cantant, prædicant publicè, priuatim domi, & in templo sacrificuli. Eucherius Pontifex Aurelianensis dignitate motus à Carolo, optimo principi, hanc infamiæ notam inurere ausus est. Sed ego ad D. Vinofridũ redeo. Qui strenuè mandatis defunctus Romam ad Gregorium Pontificem reuertitur: ab eo pridie Calendarum Decembrium episcopus consecratur immutato veteri nomine, Bonifacius, veluti bene ominato, & auspicatiore, adpellatur, & conceptis verbis authoramento exsignato, ac in corpore Diui Petri imposito ita fidem suam adstringit. *In nomine Domini, Deiq́; & seruatoris nostri Iesu Christi, imperante domino Leone à Deo coronato, magno Imperatore anno septimo post Consulatum eius, sed & Constantini Magni Imperatoris eius filij anno quarto, indictione sexta, Bonifacius diuino munere Episcopus, tibi beate Petre, qui comitum Christi extitisti primarius, Gregorio vices tuas modò gerenti, omnibus successoribus tuis promitto, per patrem, & filium, & spiritum sanctum: qui tres, vnus natura simplicissimus Deus est, per hoc sacrosanctum corpus tuum spondeo, germanam Christianæ pietatis veritatem. quoad vita & vires suppetant, sectabor, concordiam seruabo, sacrificiis interdictos deuitabo. mendaciorum sectas, errores pestiferos: contra maiorum scita Romano Pont. renunciabo.* Atque his ceremoniis ritè perpetratis, Gregorius Bonifacio commendaticiam dat Epistolam ad Carolum ducem Francorum, cuius exemplum subtexere æquum & necessarium fore duxi: vt planè intelligatur, qua cura veri pastores creditum sibi gregem pauerint. *Domino glorioso, filio, Carolo duci, Gregorius Pontifex Romanus: Bonifacium virum bonum, & eruditum, quem æquitatis, & sapientiæ Christianæ amantissimum esse compertum habeo. Episcopum designaui, ipsumq́; ad docendum varias, & diuersas Germaniæ nationes, quæ Orientalem Rheni ripam adcolunt, misimus. Obtestamur per Christum terrarum principem, regemq́; regum, cuius regni tu Dux, & antesignanus es, vti pro potentia tua in hoc sanctissimo proposito Bonifacium non deseras: fac opem tuam præsentem (quæ tua pietas, ac sapientia est) sentiat.* Pontificibus quoque maioribus, minoribus, flaminibus, sacerdotibus, mystis, ducibus, præfectis præsidibus, proceribus, omnibus principibus, populo, plebi Germaniæ, cunctis denique Christianis in hanc sententiam scripsit. *Bonifacium omnis diuini, humaniq́; iuris consultissimum, Pontificem, & pastorem gentibus Germaniæ, quas Rhenus ab Oriente ora præterfluit, consecrauimus: flagito, atque iure nostro postulo, vt ipsum tanquam legatum, & nuncium Christi Dei, & Imperatoris nostri benignè excipiatis, & sedulo audiatis, ipsi sicuti parenti vestro (quo sibi ratio de animis vestris ante supremum, ac iustissimum prætorem constare possit) obtemperate. Ignauus & literarum rudis, vitiosus arcis arceatur. Decima, tributa, donaria, & huiusmodi templorum vectigalia in quatuor dispartite partes, vnam Bonifacius, alteram sacerdotes sedulo pascentes, ac docentes populum accipiant. Tertia egenis, & pauperibus distribuatur: quarta ad instaurandas, reficiendasq́; sacras ædes reseruetur. Nemo citra mortis necessitatem nisi paschalibus & quinquagenalibus cœlesti lauacro, tingatur. Si quis aduersus hæc quicquam ausus fuerit, diris deuotus esto, iram, & pœnam cœlestem sentito. At vos, Deus Optimus Maximus seruet, filij charissimi. Data Kalendis Decembribus, Imperante domino piissimo Augusto Leone, à Deo coronato, magno Imperatore, Imperij eius anno septimo, sed & Constantino Magni Imperatoris eius filij anno quarto indictione sexta.* Fuit is annus æræ Christianæ, si lustra recte diduxeris, septingentesimus alter, & vicesimus. Bonifacius his acceptis mandatis in Ger-

Popo Dux Frisiorum.
Bæpharius Hunoldus. VVaifarius, & Hunaldus à Sigeberto dicti.
Athima rex Saracenorũ.
Ann. Domini 736.
Mauronctus
Hugobertus Dux Boiorũ.
Vtilo.
Saxones victi.
Carolus cur Martellus dictus.
Eucherius.
D. Bonifacius.
Epistola Gregorij commẽdatitia ad Carolũ Francorũ ducẽ Bonifacio data.
Alia eiusdẽ epistola.

Bonifacius in Germaniam proficiscitur.

in Germaniam proficiscitur, mandatum Romani Pontificis patefacit: falsos sacerdotes auaros, impudicos, superbos, sordidi quæstus, libidinis, popularis gloriolæ mancipia, fabularumq; præcones, & huiusce factionis capita, Dortouinum, Bertherum, Anoberthum, Hunoredum exaugurat, dignitate mouet, deuitandósque populo, velut contagiones latè serpentes, censet, atque renunciat: socios sibi ex Anglia natali solo accersit: non solum

Sacerdotes mali exauthorati.

viros Burckhardum Lullum Wileualdam, fratrem eius Wunebaldam, Bittam Gregorium: sed & fœminas materteram, Lulli Chunitrudam, Teclam, Liobam & Valdopyrgam sororem Wileualdæ, & Wunebaldæ. Chunylda, & filia eius Beragytha admodum bonis literis eruditæ ad Turogos legantur: Chunitruda, & Valdopyrga (cuius è corpore adhuc oleum sudat, & religiose Aichstadij colitur) in Boiariam pergunt. Tecla, & Lio-

Mulieres Angliæ Euangelij operam nauant.

ba in Francia veteri consistunt. Dumque hi operi diuino sedulò instant, falsosque sacrificulos etiam mulierculæ abigunt, Gregorius secundus Romæ moritur, Gregorius tertius succedit. Hic vbi Bonifacij egregia facinora accepit, gratulatorias eidem mittit literas: operam & virtutes eius collaudat, Archimystem Germaniæ eundem declarat, palliumq; insigne philosophi & pastoris Christiani ipsi dono dat: eundem minores pontifices initiare iubet: Germanos vesci caballo syluestri, ac domestico vetat. Bonifacius inde ad Hugobertum ducem Boiorum diuertit: veritaté illi, ac Christum accuratè prædicat. Ario-

Arnauelph.

pholiuonem, qui summam habebat authoritatem, & dignitate excellebat, eiusque farinæ sacerdotulis, pecuniarum, & gloriolæ aucupibus, seruis voluptatum, sub specie & obtentu religionis in gregem Dei grassantibus sacrificiis interdicit, admonetque populum, proceres regulum Boiorum, vt illi nebulones numero sceleratorum impiorum habeantur: ab illis omnes discedant: aditum, eorumque sermonem defugiant, ne quid ex contagione incommodi accipiant, atque polluantur. Vetat insuper illis ius petentibus reddi, hono-

Reformatio cleri per Bonifacium.

rémue vllum communicare. Neque sacris adesse: neque consilium inire illis fas esse: sacerdotes deinde adlegit, suffragiis cooptat, qui oues Christi, non suas, cœlesti pabulo, non fabulis hominum pascant, non lanient. Qui imperent cupiditatibus, refrenent libidines, spernant voluptates, iracundiam teneant, coërceant auaritiam, cæteras animi labes repellant. Vtriusque instrumenti exemp ia nocturna versent manu, versent diurna. Posthæc Bonifacius comitantibus plurin Boiis, Romam ad Gregorium tertium proficiscitur. Moritur interea Hugobertus r uius Boiorum, anno Christianæ salutis septingentesimo super quintum & tricesimum. Post hunc regnum Boiariæ obtinet Hugoberti filius Vtilo, qui educatus in aula ducis Francorum, Hyldrudam filiam Caroli Martelli, & sororem Carolomanni & Pipini adamauit, rapuit, vxoremque duxit, progenuit Thessalonum tertium. Sub idem tempus Hunni & Abares, audita morte ducis Boiorum, quæcunque Boij infra Anassum possedere, flamma, ferro, vastant. Laureacum delent, excin-

Hugoberti mors. 735. Vtilo dux Boiorum.

dunt. Ob hanc cladem Vtilo Viuilum Archimysten Laureacensem, cum symmystis, & Monachis, vnà cum sacratis fœminis, qui periculum euaserant, Bathauiam commigrare iubet: eáque vrbs posthac Laureacensium Archiepiscoporum domicilium fuit. Ipsi adpellati sunt Pontifices Bathauenses, & Archimystæ Laureacenses: sicuti legi in diplomatibus Imperatorum Arionulphi & Ottonis: quorum copiam exscribendi mihi fecit Vigilius Froschulus Pontifex Bathauensis, huius vrbis tum Episcopus. Viuilo, cæterisq; Boiariæ sacerdotibus, Gregorius Pontifex Romanus literas per Martinianum Episcopum, Georgium presbyterum, Dorotheum diaconum, hoc exemplo misit: *Gregorius seruus seruorum Dei, dilectissimis nobis Episcopis in regione Boiariæ. Continuò vbi nostram receperitis Epistolam, Vtilonem ducem vestrum à vobis adiri volo, vt illius edicto conuentus sacerdotum, Antistitum, procerum, gentiúq; indicatur. Ibi veros sacerdotes omnium suffragiis cooptate, prauos, & criminibus designatos exauthorate: Concilia pro salute Christiani populi bis quotannis, iuxta Danubium, vbi libuerit cogite, in hisce controuersiæ, causæ omnium, secundum Christi seruatoris nostri legem, & placita Euangelij, Pauliq; legati, Christi scita cognoscantur. Omnes concordiam, & pacem Christianam operibus comprobent, iuxta Euangelij doctrinam, & more Christiano viuant. In omnibus, quemadmodum à Bonifacio edocti estis, agite, oues sedulò pascite, parochos sæpius visent Episcopi, presbyteros rectè viuere compellant. Dent denique operam, ne lupi tecti pelle ouina, ouile irrumpant. Archimystes communi omnium suffragio deligatur, isq; continuò Romam eat: vt si dignus fuerit, qui populo Christi præsit, à Romano pontifice consecretur. Nemo prauus atq; ineptus sacris admoueatur. Cum Ecclesiasticis opibus, cœlesti lauacro (ita fieri par est) sicuti Gregor. prædecessor meus statuit. Nemo scorta, aut concubinā alat, quisq; aut castè viuat, aut vxorē ducat, quam repudiare fas non esto. Nihil immundū in cibis iudicetur, nisi simulachris falsorū deorum immolatum. Somnia, auguria, incantationes, dies nullus obseruet. Dissidentium donaria aris, & sacris ædibus arceantur: nec ea sacerdotes recipiant, nisi reconciliati fuerint. Nemo se perfectum, nemo iustulum, nemo sanctulum esse confidat. Tota vita Christiani pœnitentia est, & bellum. imbecilli, & homines sumus. Omnes egemus clementia Dei Optimi Maximi.* Hæc mandata Pontificis Maximi, vbi Boiis patefacta sunt, diuus Bonifacius Roma, Ticinum ad Litoprandum regem Longobardorum diuertit. Vtilo regulus Boiorum, missis vltro nunciis, Bonifacium denuò ad se inuitat, ob pertinacissimam

fallo-

falsorum sacerdotum obstinationem, malitiamque fraudulentam. Ipsi acriter suos mores tuebantur, tanquam pro focis & aris depugnantes, facile plurimi paucis piis resistebát: sub obtentu religionis fictis, & fabulosis plebem oblectando sibi obligarant. Aduersarios pietatis specie territabant, quorum dolus, cum aliter deuitari non posset, fauente Vtilone duce Boiorum, Boiaria in Ecclesiasticas diœceses, & parochias (vt adpellant) diuisa est: falsi, & praui sacerdotes tribu moti, in ordinem redacti, & exaugurati sunt. Bonifacius veram pietatem Christi Boios docet, treis viros literarum scientia, & morum sanctimonia celebres ac nobiles, Episcopus Boiis declarat. Ioannem Saleburgij, Ariobertum fratrem Diui Corbiniani Fruxini habitare iubet. Reginoburgio verò, quod caput Boiorum erat, Geoualdam Pontificem designat, nuncupat, socium Vhicterbo, qui senio confectus erat, adsciscit. Viuilus antea à Romano Pontifice consecratus fuerat, Bathauiamque Laureaco exciso, transierat. Hæc vbi facta sunt, postea ad Romanũ Pontificem deferuntur, qui in hunc modum rescripsit: *Reuerendissimo, & sanctissimo fratri Bonifacio Coepiscopo, Gregorius seruus seruorum Dei. Quòd tua opera, & Caroli principis Francorum, quemadmodum ex literis tuis cognouimus, tot millia Germanorum ad bonam frugem, & Christum seruatorem nostrum reducta sunt, sanè pro vt debeo, gaudeo vehementer. In Boiaria (vbi praui sacerdotes, fabulis hominum veritatem hactenus corruperant, sceleribus religionem polluerant, plebem exederant) bene, sapienterq; egisti. Ne labor noster frustra sit, iuxta Danubium conuentus, conciliaq; more Christiano celebrari iubeo. Tu vt militum Imperatoris cœlestis decet, fortiter decertato. Nemo tibi impedimenta paret. Data quarto Kalendas Nouembris, imperante Domino piissimo Augusto Leone, Imperij eius anno vicesimo tertio: sed & Constantini Imperatoris filij eius, anno vicesimo, indictione octaua.* Is fuit annus Christi septingentesimus, atque vndequadragesimus. Purgata itaque, atque lustrata Boiaria à prauis sacerdotibus, certatim ab optimatibus Boiorum opes pauperibus distributæ sunt: Christianam paupertatem plærique contemptis diuitiis, & voluptatum illecebris profiteri cæperunt. Sub idem tempus in Boiaria apud Vtilonem fuisse & Diuum Pirminiũ Pontificem Mediomatricum reperio. Vndeuiginti Cœnobia, & collegia Monachorum, & sacerdotum tum extructa, institutáque sunt. Regulus Boiorum septem ædes Monachis, id est attratis Druidibus construxit. Vnum propter Menen lacum Noricorum: sex in inferiore Boiaria, iuxta Danubium construxit. Bathauiæ Nidroburgum virgines incolunt. Austrauiam, Paphomonasterium, Aldechium superius, inferiusque (huius monachi omnium locupletissimi sunt) dedicauit Diuus Pirminius. Eto Argentoratensis Episcopus consecraneos Diui Benedicti dedit. Iosephus Episcopus Fruxinensis ope Vtilonis collegium Mystarum instituit: cui flumen Ilenifcus, in cuius ripa conditum extat, nomẽ fecit. At in superiore Boiaria itidem consensu Vtilonis, Alto quidam Heremita, Altonis Monasterium auspicatus est. Oto, frater Alberti, & Otgerionis, quos suprà commemoraui, Ilmi Monasterium, Ilmo flumini contiguum condidit: Collegium fuit sacerdotum, qui mea memoria, cum Diuo Arsatio Monachium translati sunt. Albertus & Ottogerion in Norico ripensi & Hunnia Diuo Hippolyto templum ædificarunt: Vrbi inde cognomen adhuc manet. In superiore verò Vindelicia intra Isaram, & Oënum, in faucibus Alpium, propter lacum Tigurinum contubernium Monachis dedicarunt, quorum presul cæteros omnes Boiariæ Antistites dignitate excellit. Nam Cœnobium fossa, mœnibus, tormentis bellicis, & aliis huiuscemodi instructum, instar regiæ, possidet, & more regulorum, Equestris ordinis Tetrarchas perpetuos, præfectum aulæ, rectorem Palatinarum ædium, Archimagirum, & Pincernam habet. In salta Schiratio, vbi Isaræ fontes sunt, Reginopertus, Guntianus, & Ato fratres, Monachis domos construxerunt. Intra Isaram, & Lycum, sub ipsis alpium radicibus (rectore Boiorum haud abnuente) Landofridus, Valdoramus, Elilandus fratres, octo sacratis viris, & fœminis sacras ædificarunt ædes, Beurn, Schlechdorff, Siuerstat, Sandau, Vessobrunnam maribus. Pollingum, Stapfelsee, Cochelsee, virginibus tradiderunt. Quibus præfecerunt Gælouindam sororem suam. Cochelsee & Stapfelsee ad lacus eiusdem cognominis: Siuerstat verò & Sandau haud longe a Lyco, ab Vgris excisa, deletáque penitus interierunt. Cętera extant. Wessoprunnam, Pollingum, Thessalonus filius Vtilonis posteà ampliauit, de integro instaurauit, atq; hæc omnia templa Diuus Bonifacius fertur consecrasse, cæremoniisque D. Benedicti initiasse. Schlechdorf, Pollingumque ab Vgris adflicti, Excusso Monachorum iugo, Mystæ D. Aurelij Augustini sunt & appellantur. Eadem tempestate vita defunctus est Carolus Dux Francorum, cum septem & viginti annos Imperium Francorum, Gallias, & Germanias administrasset, tres reliquens filios Carolomannus, Pipinum, Gryphonem: Verùm ad Carolomannum, quod maximus natu esset, omnia negocia referebantur: Omnis potestas Francorum penes illum erat. Theodericusquoque Rex cum obiit, Hyldericus frater eius à Carolomanno, & Pipino substituitur. Saxones audita morte Caroli ab iugo imposito resiliunt: tributa, quæ hactenus pendere solebant, pernegant, in libertatémq; se vendicant. Theodeualda quoque Dux Sueuorum pulsus à Carolo rediit, rebellat, Elisatium occupat. Hunoldus etiam Aquitaniæ Dux parere regulis Francorum detrectat. Carolomannus, &

Vtilo Bonifacium ad se inuitat.

Diuisio Boiariæ in Parochias.

Ioannes Episcopus Salisburgensis.

Ariobertus Episcopus Frisingen.

Gregorii ad Bonifacium Coepiscopum

Monasteria in Boiaria constructa.

Caroli Martelli mors.

Carolomannus, Pipinus, Grypho.

Theodorici Regis mors.

Saxones rebellant.

Pipinus Aquitanos, deinde Sueuos celerius opinione imperata facere cogunt. Vtilo Boio-
Vtilo Boiorũ Dux Saxonas vincit. rum regulus Saxonas in obsequium redigit. Carolomannus domitis hostibus, à pietate,
vti Christianum decet principem, regnum auspicatur, fautorque religionis labente Chri-
stianismi disciplinam ad statum pristinum reducere studuit. Huiuscemodi edictum,
quod oppidatim pependit, promulgauit. *In nomine domini Dei nostri IESV CHRISTI.*
Carolomanni edictum. *Carolomannus Dux, & princeps Francorum, anno à nato Christo seruatore & authore nostro, septingen-*
tesimo secundo, vndecimo Kalendas Maij: Suasu, & consilio sacerdotum Dei Optim. Maxim. & amico-
rum meorum, Pontifices regni mei, maximos, minores, cum presbyteris, nimirum Bonifacium Archimy-
sten Burchardum, Reginofridum, Vitanum, VVilenaldam, Dadanum, & Addanum, cum collegis eorum,
& sacrificulis, ritu Christiano conuocaui, vti mihi consulant, quo pacto iusticia, & Christiana deuotio
instauretur, quæ negligentia, & ignauia superiorum principum labefactata, collapsa, terris depulsa cor-
ruit. Qua denique industria populus Christi, à falsis & prauis sacerdotibus hactenus deceptus, & per
anfractus conf agoios, & deuios seductus, ad veritatis semitam reducatur. Iuxta igitur religiosorum
sacerdotum, & procerum meorum consilium rogauimus, iussimus, decreuimus, voluimus. hæcq; plauita præ-
scripsimus. Episcopi omnes, quos per ciuitates designauimus, Bonifacio Archiflamini, nuncio Christi,
& legato Diui Petri dicto audientes sunto. Quotannis concilia celebrentur: In hisce pietatem Chri-
stianam, candoremq; Germanum, a malis sacerdotibus pollutum expiato: Decimas bona Ecclesiastica,
occupata à prophanis restituimus. Falsi diaconi, presbyteri, sacrificuli adulteri, scortatores, sacris
opibus nequaquam alantur: Quos omnes in ordinem redegimus, atque exauguraumus: Ad panasq; pro
criminibus luendas compulimus. Nemo sacris initiatus diuinoq; ministerio mancipatus arma omni-
no ferat, aut in bellum, aut in hostem pergat. Vnus aut ad summum duo Episcopi, delecti suffragio cum
suis sacerdotulis principem comitentur ad bella, sacrificandi, comprecandiq; causa. Cuiq; tribuno, v-
nus duntaxat a sacris, penitentia, & confessionibus esto. Initiati canes, accipitres, & huiusmodi aues
ad venandum nequaquam alunto. Aris & templo destinatus, venatus si fuerit, diris deuotus esto. Qui-
quis sacerdos Episcopo suo pareat, in quadragesima rationem suscepti muneris reddat. Ignoti presby-
teri, Episcopi (nisi in conuentibus solennibus eruditio eorum, & mores comprobati fuerint) repulsam fe-
Graphio. Graf. *rant. Quisquis Pontifex det operam, præfectus (quem Franci Graphionem vocant) summo studio ad-*
nitatur, vti incantationes, auguria, sortilegia & huiusmodi præstigia impunè non abeant: quæ etiam
auspicio Dei Optim. Maxim. diuorumq; eius fiunt: quos huiuscemodi contaminationibus magis ad ira-
cundiam prouocari certum est. Sacerdos scortator, libidinumq; mancipium in carcere pane, & aqua
Nota. *pastus pœnas luat. Hoc quoque consensu mystarum, & populi Christiani sciuimus, vt propter crebra*
bella, & ferocissimarum gentium, quibus vndique cingimur, assiduas in nos incursationes, pars Ecclesia-
sticæ pecuniæ, nempe duodeni denarij, quem solidum vocamus, contribuantur mihi, quo militibus nostris
præmia condigna laboribus soluantur. Adulteria, incesta matrimonia seuerius cohibeto. Hæc si no-
stro æuo fierent, & obseruarentur, magis propitius Christus nobis foret, nec tanta vitia nos
eneruarent. Si verum fateri licet, & Diuo Petro, Pauloque credimus deteriores Turcis,
dum inuicem ita sæuimus, sumus: vmbram, speciemque pietatis præ nobis ferimus: vir-
tutem verò ac rem factis abnegamus: Licentia, lasciuiaque & copia rerum nos corrupit.
Theodorici regis mors. Sed ad ordinem narrationis reuertor. Moritur eodem tempore Theodoricus Rex Fran-
corum. Longo iam tempore reges nostri precario regnare, in angulis delitescere, silen-
tio, venationibus, ocio, omnem ætatem transigere insueuerant. negocia, muniaque regni,
præfectus prætorij obibat. Semel quoque in anno Rex ille vmbratilis, bobus vectus ad
Miserrima regis conditio. conuentum regni solennem, mense Maio aduentabat. Ibi data, acceptaque salute, mox
se latebris rursus abdebat. Pascebatur cum familia abs duce. Libet referre verba, quæ
excepi ex Epistola, quam Hadrianus quartus Romanus Pontifex, aduersus Imperatorem
Fridericum, ad Hillinum Treuerorum, Arionuldum Moguntinum, Fridericum Agrip-
pinensem Archimystas Germaniæ dedit. *Quales*, inquit, *Reges Teutonici habebantur, qui*
etiam in carpento boum, sicut philosophi circumferebantur, sicut Hyldericus, & sui antecessores.
Quam gloriosus erat Rex Alemannorum, dum in carpento boum, quasi Archisynagogus resideret,
& ducem suum, qui tum Maior domus vocabatur, tractare regni sui negocia videbat? Rex miser erat
Maior domus. *qui nihil aliud habebat, quam quod ei Maior domus disponebat.* Vtilo igitur regulus Boiorum,
generosi spiritus, ingentisque animi princeps, pertæsus huiusmodi regum ignauiam, quod
Vtilo se regẽ nominat. opibus antecelleret, regiam quoque vxorem haberet, se regem adpellat. Plurima ipsi
bella fuerant cum Landofrido, & Gotofrido Sueuorum rectoribus. Circa Lycum in li-
mitibus vtriusque regni, omnia ferro, flamma, præda adtrita sunt. Carolomanus, & Pi-
pinus collectis copiis, Theodoualdam filium Godofridi Sueuiæ regulum perdomitant:
per Sueuiam in Boiariam ad Lycum vsque intento exercitu procedunt, ante mœnia Au-
Augusta Rhetorum. gustæ Rhetorum, in campo latissimo castra locant. Vtilo quoque haud imparatus ibi
hostium aduentum expectarat: verùm prælio victus, terga vertit. Carolomanus Saxo-
Vtilo vincitur. nes noua molientes petit. Pipinus Lycum superat, superiorẽ Boiariam inuadit: Fruxi-
nũ, quæ tum caput, & regia principũ in ea regione erat, occupat, potiturq; tota superiore
Pipin. Boiaria potitur. Boiaria. Vtilo se Reginoburgij continet, Pipinus ad se deficientes benignè suscipit, Ber-
tham vxorem accersit: Fruxini, & in contermimis regiis, & arcibus cum ea quieuit, vena-
tioni-

rionibúsque operam dedit. Peperit tum Bertha (sicuti fama constantissima est, & antiquis more patrio celebratum carminibus) Carolum Magnum in ea arce, quæ inde Carolobergomum, hoc est, Caroli mons vocatur. Nam isthoc anno Carolum natum esse conuenit inter autores. Ostenditur illa arx, etsi semidiruta in superiore Boiaria, supra Monachium quindecim millia passuum, propter Verrem lacum Vindelicorum maximum: vbi eiusdem nominis fluuius effunditur. Est regiuncula superioris Boiariæ amœnissima, venationibus aucupiis piscationibúsque: neque ex alio lacu numerosior materia ganeæ: alit omnis generis pisces laudatissimos, ac nobilissimos qui in magno honore sunt, & quibus authoritas præcipua est, accolæ etiam nunc regiam superiorem, velut incunabula tanti Imperatoris venerantur, & monstrant. Villas, & templum Pipinum nomine in eiusdem fluminis ripa, à Pipino, Diuo Dionysio tum esse extructum, dedicatúmque pro certo habetur. Sicuti & prope Fruxinum Pipinhusium: ad fontes Ilmi Pipinoritas. In ripa Isaræ Pipinopagus. Vici, & ædes sacræ, Diuo Dionysio consecratæ à Pipino, qui hæc condidit, cognomina seruant, & monstrantur. Pipinhusium (Pipini domum valet) prætorij ibi vestigia visuntur: Pipino ritus, Pipini nouale, lingua Franca, siue Germanica significat. Iam Carolomannus ex Saxonia in Boiariam ad fratrem Pipinum redierat, ibi adnitente Hyldruda vxore Vtilonis, quæ soror Carolomani, & Pipini erat, pax inter duces conuenit. Vtilo abdicato nomine regio, in ordinem ducum redigitur. Coniunctis postea copiis Carolomanus, Pipinus, & Vtilo aduersus Saxonas toties fidem frangentes, & deinde aduersus Theodoualdam ducem Sueuum, & Hunaldum Aquitaniæ regulum arma mouent. Gebolibum Moguntinum Pontificem tribu sacerdotiū mouent. Pater huius Geroldus, itidem Moguntiaci Episcopus, occisus prælio à Saxonibus fuerat. Filius vindicaturus parentem, superiores regulos in Saxoniam comitatus, iuxta Visurgim amnem, Saxonem, qui Geroldum patrem eius interemerat, ad colloquium familiare euocatum trucidat, hoc adiecto elogio:

Bertha vxor Pipini.
Carolus Magnus vbi natus sit, Calrsburg.
Pipis hausser.
Hyldruda, vxor Vtilonis.

Accipe iam ferrum, quo patrem vindico charum.

Accusatus quoque est Gebolibus, quòd cum canibus, & auibus venaticis, contra officium sacerdotis Dei luserit. Nostro æuo venari munus Episcopi honestissimum, & præcipuum esse existimatur: Pontifices nostri cætera munia à se longius in alios relegant: venationi velut ad hoc cooptati, deseruiunt. Quin & Monachorum quidam præsules, caluicie duntaxat, & Bardocucullo pietatem præ se ferentes, magis superstitiosi, quàm pij, de huiusmodi nugis nobilitati, & principibus lites mouent. D. Bonifacius qui ob huiusmodi lusum tanquam rem prophanam, iure suo Gebolibum exaugurauit, à Carolomano & Pipino Moguntiaco præficitur. Mortuus est sub idem tempus Gregorius tertius, post quem ouili Romano pastor eligitur Zacharias. Gebolibus superior, Clemens, & Samson Scoti: Albertus Gallus, & eiusdem sectæ sacerdotes, atque Episcopi, nummarij, auari, libidinosi, sacrilegi, peculatores, temulenti, Diuo Bonifacio aduersari vehementissimè cœperunt. Erat illorum Deus venter, & ea quæ sub ventre sunt. Venationibus dediti, & aucupiis, canes, auésque alebant: arma deferebant, in militiam proficiscebantur: bella sectabantur: humano cruore, cæde, homicidio sese polluebant, nihilo secius tamen sacrificare, Euangelium legere, nec erubescebant, nec metuebant. Atque hi nebulones, quod vulgo gratissimi ob similitudinem morum erant, in concionibus populum, qui fabulosis maximè capitur, aduersus Bonifacium concitabant. Eum mendaciorum autorem, legis, atq; pacis Christianæ turbatorem, corruptorem que esse vociferabantur. Quamuis quidam in vincula à ducibus Francorum coniecti erant, cæteri tamen plurimum negocij Bonifacio, & eius sociis facessebant. Proceres sanctorum, Diuus Bonifacius rem omnem Zachariæ Pontifici Romano missis legatis aperiunt: atque hi solenni ritu publicè, frequenti flaminum senatu Romæ auditi sunt. Cognitaque causa in concilio, huiuscemodi sacrificulorum turba reiecta, atque diris deuota est. Gratiæ actæ Carolomanno, & Pipino ducibus Francorum, quòd Bonifacio in tales errones animaduertendi, impios exaugurandi, pios inaugurandi, data potestas. Episcopos ibi collocandos Roman. Senatus censet, iubet, vbi prædia abundant, quæ alendis pauperibus suppetant. Pontificem enim pehi, & alimoniæ pauperum promum, condum, procuratorem esse. Ipse legatus Germanię designatus, & eius successores. Archimystæ Franciæ perpetuò declarati, Lege sancitum est, Moguntiacum semper fore Francorum Germaniæ caput, atq; Metropolim: id quod Carolomannus, & Pipini postea perpetuo edicto statuerunt. Zacharias insuper Pontifex Maxim. in hanc sententiam Galliæ, Franciæque nationibus rescripsit. *Zacharias seruus seruorum Dei, Episcopus, sacerdotibus, diaconis, Monachorum Maximis, regulis, ducibus, præfectis, præsidibus, omnibus deniq; piis, Deum immortalem timentibus, qui Gallias, & Francorum regiones incolunt, salutem. Deo Opt. Max. (fratres, & filij charissimi) gratias ago, cum pro vobis semper deprecor, vt quod facere, diuino spiritu instruente & suffragante veritate, cœpistis, perpetuò faciatis. Quemadmodum enim certiores nos fecit Reuerendissimus, atque sanctissimus, frater noster Bonifacius Episcopus, solenni ritu Christiano cōuentum celebrastis, adnitentibus filiis nostris Pipino, & Carolomanno. falsos, refractarios sacerdotes,*

D. Bonifac. Archiepiscopus Moguntinus fit.
Gregorij 3. mors.
Zacharias.
S. Pont. Alij annales habent Zachariam ante Gregoriū 3. Sed ego nihil inter illos iudico.
Episcopi officium quod.

ſcortatores, homicidas, militantes repudiaſtis, exegiſtis: obſecro, & per Deum immortalem dominum noſtrum IESVM CHRISTVM obteſtor, vti Bonifacio legato CHRISTI, & nuncio ſupremæ illius Maieſtatis, ſicuti hactenus conſueuiſtis, bene præcipienti ſedulò obtemperetis: prouincia, & mandatis noſtris fungitur: veſtrum agit negocium. nempe vt vos in viam rectam reducat, & à criminibus Chriſto propitio expiet, ac pro mortalibus æternos efficiat, die, noctuq; operam ſtrenuè nauat. Euenere hactenus vobis cœleſtis ira, ob vitia veſtra, ſacrificuli errabundi, & cæcutientes, qui & vos, & ſe fallere cõſueuerunt. Ingrati Deo, inuiſi ſuperis. Nullum hactenus diſcrimen inter ſacris initiatum & prophanum fuit. Sicut populus, ſic & ſacerdos iuxtà toto errarunt cœlo. Cæcus cæcum duxit: perierunt greges cum paſtoribus. Ouili haud impar pecus fuit, dignumq; patella operculum. Quamobrem hoſtes veſtri vndiq; inualuere: vos vbiq; victi eſtis. Nec quicquam precula ſacerdotum inanes profecerunt, quibus pugnare non licet. Quo pacto victoriam ſperare auſis, eo bello, quo ſacerdos ſimul, & humano cruore, ac cæde polluitur, & ſacroſanctam hoſtiam impuris manibus ſceleratiore mente contrectat? Sacerdoti, qui paſtor eſt, arma non ferre, nedum quenquam bello occidere licet. Officium boni paſtoris eſt, oues ſeruare, paſcere: pecus verò quod palans ab grege aberrat, ad ouile cogere. Hos qui Chriſtiani ſunt ſeruato. his qui Chriſtiani non ſunt, Chriſtum prædicato, veritatemq; adnunciato. Cœleſtis doctor & magiſter Myſtis ſuis præcepit: Vos eſtis ſal terræ, quòd ſi ſal deſipuerit, quonam condietur? Nihil valet vltra ne in ſterquilinium quidem vtile eſt. abiiciatur foras in lutum, & conculcetur pedibus. Dum hæc ita ſunt (nempe veritas mentiri non poteſt) & tales ſuffertis ſacerdotes, quales Ethnici non ferrent, hoſtes ſuperiores fieri neceſſe eſt. Huiuſcemodi ſacerdotuli Deo non litant, ſed ipſum magis irritant: & ſuperos ad iracundiam prouocant. Quomodo oues à lupis tutæ erunt, ſi eas paſtor deſtituerit? Proinde ſi Bonifacio dicto audientes eritis, & pios, caſtos ab omni Venere, ab omni labe mundos, immunes omnis homicidij, ſacerdotes vobis delegeritis, quemadmodum iure diuino præſcribitur, & noſtro munere functus Bonifacius frater noſter prædicat, omnibus formidoloſi eritis Barbaris. Nulla natio conſpectum veſtrum ferre poterit, ferociſſimæ gentes, exſortes veritatis, quæ vndique armis circumfremunt, Arabes, Scenitæ, Saxones, Hunni, Venedi, Auares, Abares, armis veſtris ſuccumbent. Simul & bene, recteq; viuetis, & in cœlum poſthanc vitam recepti, cum Deo Opt. Max. & ſuperis, ſempiterno perfruemini æuo. At vos chariſſimi fratres, qui eſtis veri Chriſti ſacerdotes, perinde ac fidei miniſtri Chriſti, ac myſteriorum Dei œconomi, procuratores, & diſpenſatores, & adminiſtratores arcanorum eius, de quibus tanquam rei alicuius rationem reddituri eſtis. cœleſtis Imperatoris negocium, non rem veſtram agite. Veram ſectamini diſciplinã, quæ nobis in ſacrario, & ſacrarũ literarũ theſauro expreſſa eſt. Mores veſtri etiam apud alienos à religione noſtra inculpati exiſtant. Vita veſtra ſit ſpeculum, & exemplar viuum cæteris Chriſtianis: ita & apud homines fama celebres vos conſequetur. Adeò autem immortalitate donati, perpetuò felices in cœlo viuetis. Quotannis conuentus cogatur, in quibus de concordia, & pace Chriſtiana agatur. Si quid aduerſum fuerit, reſecetur, quo templum Dei firmum, ac immobile perſtare poſſit. Data Kalendis Aprilibus. Imperante domino piiſſimo Auguſto Conſtantino, à Deo coronato, Anno viceſimo quarto Imperij eius, indictione vndecima: anno autem reſtituti orbis ſeptingenteſimo, quadrageſimo tertio. Sub idẽ tempus Diuus Vergilius, diuinarum, humanarumque rerum perquàm peritus, in Germaniam cum Dabda Græco ſacerdote ad Carolomannum, & Pipinum duces acceſsit. Ob eruditionem, & prudẽtiam ſingularem breui principibus inſinuatus, in aula acceptiſsimus fuit: biennio ibi in ſumma authoritate verſatus. Inde in Boiariam ad Vtilonem regulum dimiſſus, non minore in honore fuit. Ab eo, mortuo Ioanne, Iuuauenſibus paſtor datus eſt. Erat in Boiaria ſacerdos quidam Latini ſermonis ignarus, is candidatos religionis luſtrarat hiſce verbis, Baptizo te in nomine patria, & filia, & ſpiritus ſancti. Diuus Bonifacius illos ceu prophanos abominabatur, & rurſus aqua luſtrica tingendos cenſebat. Sidonius maximus Boiorum Pontifex (quem Archiepiſcopum Laureacenſem, & Epiſcopum Bathauenſem nuncupabant) Diuus quoque Vergilius diſſentiebant, pugnantemque ſententiam ſectabantur, prohibebantque huiuſmodi iterum lauacro ſacro expiari. Nam pro Chriſtianis ritè luſtratis eoſdẽ habebant. Et cum Bonifacius non cederet, ad Zachariam Pontificem Romanum prouocant. Hic Bonifacio reſcripſit, Sidonij, & Vergilij opinionẽ adprobat: tales tinctos eſſe declarat. Siquidem ſacrificulus ille ob inſcitiam Latinarum duntaxat literarum abſque omni fraude, ac dolo malo lapſus ita ſit: nec aliquam fallaciam errori intenderit. Erat Vergilius etiam in diſciplinis, quas Mathematicas vocamus, & in philoſophia prophana magis quàm tum Chriſtiani mores ferebãt, eruditus. Ex illiuſmodi literarum ſcitis, contra opinionem vulgi, & D. Aurelij Auguſtini, & aliorum fortè docuerat, id quod noſtro ſeculo non argumentis inueſtigandum, ſed experimentis cognitum eſt, circumfundi terræ homines vndique, & conuerſis inter ſe pedibus ſtare, vnde Antipodas Græca nuncupat voce. Hoc ita acceptum eſt, quaſi Vergilius alium mundum, alios ſub terra homines, alium denique Solem, atque aliam Lunam eſſe adſereret. Bonifacius hæc velut impia, & philoſophiæ diuinæ repugnantia, refutat: Vergilium publicè, priuatim arguit, ad recantandum has nænias prouocat, efflagitatque iure ſuo vt legatus Germaniæ, ne ille huiuſmodi deliramentis ſynceram, & ſimplicẽ Chriſti ſapientiam polluat, atque contaminet. Diuus Vergilius (vt omnes homines ſumus, & nihil eſt ex omni parte beatum) hac iniuria, ac contumelia laceſsitus, animum Vtilonis reguli Boiorum,

Vide Magiſtrum in ſententiis lib. 4 diſt. 6. cap. 5.

Antipodas. Diſſenſio inter Vergiliũ & Bonifac.

apud

apud quem plurimum valebat, abalienare à Bonifacio, atque inter eos discordiam, & odium serere conatur. Iactabat etiam, à Romano Pontifice designatum Episcopum, qui primus ex his quatuor, quos Bonifacius Boiis consecrarat, decessisset. Diuus Bonifacius id Zachariæ Pontif. Maxim. literis conqueritur. Zachariæ quoque philosophia Vergilij suspecta esse cœpit. Ipse igitur legatos cum mandatis, & literis ad Vtilonem ire iubet, partes suas Bonifacio commendat. Vergilium philosophum (si sacerdos sit, inquit, nescio) ab templo Dei, & Ecclesia depellito, sacerdotio in concilio abdicato, si illam peruersam doctrinam fuerit confessus. Sidonio quoque, & Vergilio comminatorias scripsit literas Romanus Episcopus, postulauitque, vt Bonifacio obsequantur. Insuper regulo Boiorum denunciatum est, vt Vergilius Romam mittat, vbi Vergilius rationem reddat, ac à Pont. Romano examine comprobetur. Diuus Bonifacius post hæc duos consecrauit Episcopos, Diuum Burckhardum antiquæ Franciæ, iussu Carolomanni dedit. Wirtzburgi, Peoniæ dicti, habitare iussit. Diuum Wilibaldum consensu Vtilonis, & Suitogerionis præfecti Boiorum, qui propriè Alemanni vocantur, Aichestadij collocauit, anno Christi DCCXLIIII. Vrbs est Nariscorum, eam præterfluit flumen Alemannus (à Ptolomæo Alcimunium vocari inuenio. quanquam deprauatum esse nomen, ob inscitiam librariorum, & similitudinem Græcarum literarum, vti facillimè fit, in huiusmodi codice præcipuè) suspicer. Veram esse lectionem Alimannum, siue Alimoniam, verisimile est. Eodem tempore Carolomannus Dux Francorum, imperij Franci administratione Pipino fratri derelicta, in ordinem priuatum se redigit. Romam profectus Monachi vitam sectari, & in monte, quem Soracte adpellant, degere cœpit. Huius montis in lyricis hisce versibus Flaccus meminit:

D. Burckhardus. *D. VVilibaldus.* *Carolomannus fit Monachus.*

Vides vt alta stat niue candidum
Soracte, nec iam sustineant onus
Syluæ laborantes, geluq;
Flumina constiterint acuto.

Grypho frater Pipini, quòd exclusus gubernaculis, minoris esset authoritatis, fratri rebellat, elapsusque ad Saxonas, perpetuos Francorum, & aliorum Germanorum Occidentalium hostes gentem ferocissimam, bellicosámque, quæ adhuc falsos Deos colebat, haud difficulter contra Pipinum concitat: armáque sumere persuadet. Pipinus Dux Francorum, & Vtilo vires coniungunt, ingenti comparato exercitu, aduersus Saxonas, & Gryphonem procedunt. Grypho vbi Pipinum, & Vtilonem Saxoniæ fines adtigisse, & feruere bellum animaduertit, in Boiariam clam diuertit. Exceptus benignè ab Hyldruda sorore sua, vxore Vtilonis, eam cum Thessalono infante in suam potestatem redigit, Suitogerionis ope, auxilio Landofridi Ducis Sueuorum, ducatum Boiariæ occupat, Boios in sua verba iurare cogit. Nonnulli Boiorum proceres Gryphoni fauebant, quòd mater eius ex Boiaria oriunda erat, & sub iuuene feroce omnia sibi licere existimabant. Pipinus & Vtilo, vbi ista hæc accepere, compositis rebus in Saxonia, properè arma in Boiariam mouent. Grypho & Landofridus capti in Franciam abducti sunt. Hyldruda & Thessalonus liberati, Vtilo Boiariam recipit. Grypho paulo pòst custodia elapsus, princeps inquietissimus, dum in Italiam fugam adornat, interfectus est à præfectis Pipini. Et dum hinc ab Orientis ora Saxones occiso Hyldegario Pontifice Agrippinensi: illinc ab Occiduo sole Bepharius Dux Aquitaniæ (quam Gasconiam, & Langodocam vocant) crebrò, pace, fœdereque soluto, in Francos, Gallósque incursant, prædas abigunt, captiuos veluti pecorum gregem abducunt, templa diripiunt, omnia ferro, flamma deuastant. Hyldericus Rex in syluis Galliæ venationibus, lasciuiæ seruilibus officiis intentus, inter forices & tineas, quasi nihil harum rerum ad se adtineret, gaudiis corporis vacabat, Rempublicam omnino negligebat, supplicem audire, causam cognoscere nunquam in animum induxit. Nec domi, nec foris, nec in pace, nec in bello quicquam præclari facinoris edidit. Nam nec consilio, nec manu valebat. Epistolæ, & diplomata, tabellæ eius nomine signabantur: porrò omnia arbitrio ducis, præfectique prætorio confiebant. Nomen regis penes Hyldericum, ius autem omnis imperij penes Pipinum erat. Vtilo regulus Boiorum primus inter amicos mussitare cœpit. Indignum vehementer, & iniquum, maximum denique esse dedecus toti Germaniæ & Galliæ tam ignauum hominem, tam diu ferri: qui melior monachus, quàm Rex esset. Principem ideo deligi à populo, vt domi & belli tanquam communis parens omnibus iuxtà in commune consulat. Regem à regendo, lingua Romana: Franco verò sermone Chinigum, ab audendo, & prudentia gubernandi, peritia consulendi, dictum esse. Hæc vbi in vulgus (alioquin rerum nouarum auidum) emanarunt, cuncti fremere, stomachari, Hyldericum floccifacere cœperunt. Nec à contumeliis temperatum est, ille vmbraticum, ille pupparum, alius puerorum regem cognominabant. Et vt est in vtramque partem immodica plebs, Pipinum ad cœlum vsque laudibus ferebant: illum solum scire, quidnam regium deceat animum: in illo fortunam, vitamque

Grypho Pipini frater. *Vtilo Boiariā recipit.* *Grypho interficitur.* *Aquitania quæ & Gasconia atque Langedoca.* *Rex vnde dicatur. Chunig.*

tamque omnium sitam esse prædicabant. Francones tantùm à suis maioribus degenerasse, Hyldericum iniquiore accipiebant animo, quòd ipsi tanti Imperij authores forent, & ante ducentos & nonaginta annos cum Rege illo Hylderico Magno, cuius hic ignauus nomen ferret, Rhenum superassent, Romanis victis, pulsis, trucidatis, Gallias à seruitute dura liberassent, in Germaniamq; transtulissent. Fit igitur conuentus Francophori primorum. Perplacuit omnibus, legatos ad Zachariam Pontificem Romanum percontatum ire, diutius ne tot viris fortibus eum Regem tolerare liceret, qui nec corporis, nec animi viribus populo Christiano consulere posset: qui vmbra, & inani honore duntaxat dignitatis contentus esset, cęterùm tanto oneri impar, nihil pensi haberet pateretúrque maiestatem Imperij Francorum tot cladibus ab hostibus regni & religionis deuastari: ipse interim oc.o obsolescens.

Volradus.
Bunardus.

Missi sunt Romam Voloradus, vir admodum prudens, & eruditus, à sacris Pipini, & Diuus Buschardus Pontifex Franciæ antiquæ, Wirtzeburgensem Episcopum nos, literiones Herpipolensem nuncupant. Ipse adhuc Francorum Dux est, & vocatur. Zacharias Pontif. Maxim. vbi mandata Francorum audiuit, huiuscemodi verbis responsum dedit: *In diuinarum literarum sacra historia populum, a rege ignauo & socordi, lasciuiaq; spreto prudentium consilio, intento indulgente summa, ac æterna illa Maiestate, defecisse: virumq; prudentem a suo corpore Regem creasse inuenio. Regnum omne potestasq; Dei Optim. Maxi. est, princip.s ministri duntaxat regnorum sunt. Duces populo ideo deliguntur, vt supremi Imperatoris in omnibus sectentur voluntatem: non pro libidine sua agant. Is demum verus Rex, qui populum sibi à Deo creditum iuxta diuinæ legis præcepta placitaq; moderatur, quo simul cælites consiaut & vitam adipiscantur beatam. princeps populo, cuius beneficio possidet, obnoxius est. Quæcunq; enim habet potentiam gloriam diuitias, honorem, dignitatem, a populo accipit: plebi accepta referat necesse est. Regem plebis constituit, eundem & destituere potest. Proinde fas est, & licet ipsis Francis Germanisq; repudiato degenere monstro, eligere um, qui belli, domi sapientia coniuges, liberos, parentes, omnium deniq; vitam, & fortunas tutari & defendere queat, & valeat.* Hæc vbi Zacharias dixit. Diuo Bonifacio literis aperit, eidem partes suas in hac re committit. Huius epistolæ finis: *Data pridie Nonas Nouembris, Imperante domino piissimo Augusto Constantino Imperatore, imperij eius ann. XXXIII. indictione quinta.* Fuit is annus Christi DCCLII. Legati deinde in G.rmaniam reuertuntur, Moguntiaci, vbi proceres Francorum, & Germaniæ frequentes conuenerant, literas reddunt, sententiam Pontificis Max. patefaciunt.

Augusta Suessonum.

Indicitur igitur concilium Augustæ Suessonum (Vessonum Ptolomæus nominat) vrbs est Belgicæ secundæ in confinio Germaniæ, & Galliarum. Ibi Hylderico regium nomen communi omnium suffragio abrogatur: Pipinus Rex salutatur. Quem deductum in templum Diuus Bonifacius Pontifex Moguntinus, ritu solenni, & more Christiano inungit. Quamobrem Moguntinus Archimystes tenet hactenus primas deligendi Imperatoris Germani, quem regem Romanũ vocant.

Hyldericus captus, fit Monachus.

Hyldericus captus, tonsus in Monachorum ordinem, capite diminuto redigitur. Itidem & Gisala regina. Ambo traditi Vtiloni & Thessalono filio Vtilonis regulis Boiorum, ipsi eos in Boiariam deduxerunt. Hyldericus in Monasterium Diui Hemerani Reginoburgij (caput est Boiorum) includitur.

Cochelse Monasterium fuit.

Gisala regina Cochiliam in cõtubernium sacratarum fœminarum, in superiore Boiaria, sub radicibus alpium, ad eiusdẽ cognominis lacum, relegatur. Vbi & vita defunctam, atque humatam esse & fama, & literis proditur. Etenim id Cœnobium ab Vgris exustum est: nomen, Bagus, ædes sacra superant: cætera ędificia solo æquata sunt. sicut quinto narrabimus libro. Vtilo filium suum Thessalonum, qui iam adoleuerat, adiectis ei viris grauibus, aulam Pipini concomitari iussit. Erat Pipinus auunculus Thessaloni.

Chitomarus Dux Venedorum.
Lupus abbat.
Maioranus.

Ipse Vtilo iussu Pipini regis, Venedis, qui Noricũ infra Taurum montem, & superiorem Pannoniam, in cõfinio Dalmatiæ, Lyburniæ, Illyrici ad fontes Draui, & Saui amnium habitant, Chitomarum, in Boiaria à puero educatum, ducem dedit. Lupus pater Monachorum cœnobij, quod in Chimino lacu Noricorum maximo situm, Augiam, hoc est insulam vocitabat consuetudo, Chitomaro, quòd eius Catechestes, hoc est compater erat, Maioranum nepotem, diuini iuris consultum à sacris esse iubet, qui vulgo Charinorum (ita enim propriè illi Venedi dicuntur) sapientiam Christianam interpretaretur.

Hathulphus Romam obsidet.
Cõstantinus Copronym.

Sub idem tempus Hathulphus Rex Longobardorum Romam obsidet, omnia quæ Imperatori parebant, igne, ferro depopulatur. Romani opem Constantini Copronymi, filij Leonis Cononis Isauri, Imperatoris sui implorant. Iam neglecta veteri Roma, Cæsares Augusti Neoromæ, vti nostro sæculo in Germania, habitare insueuerant. Constantinus ad Pipinum proficisci iubet legates, quorum princeps Stephanus Episcopus Romanus. Ipsi marito in itinere cum muneribus ad Pipinum deuenere.

Organum in Germaniam primũ.

Munera Imperatoris, quæ à legatis deferebantur, erant instrumentum Musicæ maximum, res adhuc Germanis & Gallis incognita, Organon adpellant. Cicutis ex albo plumbo compactum est, simul & follibus inflatur, & manuum, pedumque digitis pulsatur. Pontifex Romanus Legati Imperatoris Pipinum obtestantur, præmia pollicentur, vti à tergo Hathulphum adgrediatur, ab obsidione vrbis Romæ ad sua tutanda auertat. At frater Pipini Carolomannus,

qui

qui iam monachum profitebatur, & ex Italia ad fratrem profectus fuerat, expeditionem Italicam, frustra tamen, fratri dissuadet. Pipinus cum vxore sua Bertha, illum Viennæ Galliæ, vbi & paucis post diebus morbo correptus, interijt, subsistere iubet. Ipse in Italiam arma mouet, in angustijs alpium occurrentem Hatulphum prœlio superat, Ticinum repellit, atque ibi obsidione claudit. Vtilo quoque regulus Boiorum vallem Athesinam, Venusticam vallem alij vocitant, Maias, Pitonium Colonias Boiorum, & reliqua castella, quæ Litoprandus rex Longobardorum Boijs abstulerat, vi & armis recuperat. Tridentum insuper inuadit, ac occupat, quod posthac semper Noricorum principibus diuulsum Italia paruit. Hatulphus ad pacis conditiones quas hostis dixit, compulsus, iussus est obsides dare, erepta oppida atque castella Romanis reddere, & vt reddita nunquam repeterentur, sacramento fidem facere. Pipinus victor domum in Franciam reuersus, maiorem partem exercitus inter redeundum intemperie cœli amisit. Hatulphus dum pacto omnia rescindere parat, in venatione percussus interijt. Succedit in regno Italiæ, atque Longobardorum Desiderius, cuius filia Litopyrga Thessalono filio Vtilonis desponsa est. Eadem tempestate Turcarũ primo audita sunt arma. Plinius & Pomponius Mela Sarmatiæ Asiaticæ fuisse incolas, vicinosq; Budinis, Thyrsagetis, Gelonis, Thussagetis, Tanaim amnem incoluisse, vastas syluas occupasse, vsq; ad solitudines saxosis conuallibus asperas, alimenta quæsisse venando. Alij Hunnorum sobolem, ac reliquias existimant: atq; hi nunc Turci vocantur, & per cõtinuos septingentos, sexaginta quinq; annos, ad hanc vsq; ætatem, ob scelera & flagitia nostra, adeò paulatim increuere, vt ab Euphrate totam Asiam, pulsis, trucidatis nostris, nuper & Ægyptum, debellatis Saracenis, Europam vsq; ad Sauum amnem inuaserint, ac teneant, & possideant. Iam de possessione Germaniæ, Pannoniæ, & Italiæ ambigunt, & nobiscum armis contendere parant: quotannis irruptionem minantur. Sola discordia hostium nos seruat. Rex enim Persarum Turcis quoque negocium facit. Deus omnipotentissimus auertat has pestes ab orbe Christiano. Faxit Christus Opt. Max. vt positis animis, stultitiaq;, mortales nos esse cogitemus: eoq; studio æterna, veraq; bona prosequamur, quanto ardore pro diuitijs, potentia, gloria, rebus leuissimis, fluxis & fragilibus pugnis decertamus. Si vera sunt carmina & vaticinia diuæ Hyltegardæ, & Brigittæ, Sibyllarum Germaniæ, & Bardorum fatidicorũ, qui ea quæ nostro æuo completa vidimus, longo antè tempore nobis cecinerunt, Agrippinensis Colonia, nolimus, velimus, Turcarum caput erit: sed ad Vtilonem Boiorum regulum redeo. Qui vbi triginta annos potitus est Boiaria, obijt mortem quintodecimo Calendas februarij, anno orbis seruati septingentesimo, sexagesimo quinto. Sepultus est in Austrauia, vbi & regiam, prætoriumq; principale fuisse reperio: ostenduntur ibi conditoria duo albo marmore extructa. Alterum esse aiunt (sicut & antiquissima literarum monumenta Vessobrunnæ ostendunt) Hyldrudæ vxoris: alterum Vtilonis mariti Hyldrudæ. Horum filius Thessalonus natus est anno restitutæ salutis septingentesimo quadragesimo primo. Nactus annum duodecimum, ab Vtilone parente, cum grauibus viris, quorum authoritate adolescens (ne quid temerè per ætatem ageret) regeretur, in aulam Pipini regis auunculi sui missus est. Vbi duodecim annos versatus, omnibus bellis in Saxonia, Aquitania, Vasconia, Langodoca, Italia, Gallijs, aduersus Bæpharium ducem, & Hathulphum regem Longobardorum interfuit. In verba Pipini, & filiorum eius dextra in reliquijs ossibus diui Dionysij, Germani, Martini imposita, ipse & proceres eius iurarunt. Pipinus eius fidei, & tutelæ Boiariam, Imperij Francorum valentissimam partem committit. Verùm certior factus de ægritudine parentis Thessalonus, non impetrato cõmeatu, insalutatoq; auunculo, clam se de exercitu subducit, qui tum in Aquitania contra Bæpharium bellabat: domum se proripit, mortuo genitore, Boiariam accipit. Proceres Boiorum, episcopi, & monachorum præsules (vt mos gentis est) Aschaimis (vicus est superioris Boiariæ intra Oenum, & Isaram) conueniunt. Veteri consuetudine nouo principi administrandi leges præscribunt huiusmodi.

Hathulphi mors

Desiderius rex.

Turcæ.

Hyldegarda Brigitta.

Vtilo moritur anno 765.

Osterhofen.

Vuessosprunn monasterium.

Thessalonis natiuitas.

LEGES NOVI PRINCIPIS BOIORVM SECVNDVM VETEREM CONSVETVDINEM.

Templa sacrosancta sunto. Vti Pontifices res Ecclesiasticas procurent. Monachi rectè viuant. Omnes decimas tribuant sacerdotibus. Princeps iure suo operam dato, pupillos, viduas, inopes ab calumnia potentum defendito: pauperum & inopum querimonias ipse audito, & cognoscito. Magistratibus, præsidibus, præfectis prætoribus, ne ciues, colonos, pauperes seruitute opprimant, demandato, neq; illorum auaritiæ inopes prædæ esse finito. Nec enim æquum est, vt illi de visceribus Reipub. cum antea pauperes, & mendici fuerint, collocupletentur, & fortunis miserorum ditentur. Credita sunt illis prouinciæ, vt tanquam parentes consulant pauperibus, non vt diuites fiant, & luxurientur. Leges Boiorum vbique obseruato, ne qua fraus ipsis fiat, caueto. Incesta coniugia, adulteria cohibeto. Culpam supplicio recidito: primum iura, legesq; exerceantur, deinde eas clementia lenire fas esto, & temperare. Quemadmodum Imperator cœlestis per Mosen regi præcipit, omnibus cognitionibus, conuiuijs sacerdotem legis Christianæ peritum adhibeto: quo omnis sententia, omnis sermo principis diuino sale conditus fiet. Ne quid temerè,

temerè, Christiana iustitia aduersum fiat, aut committatur: quo Deus Opt. Max. ad iracundiam prouocetur. Neue iudices munera accipiant, & noxij (ita morès sunt) insontibus praeferantur. Deinde celebrior conuentus Boiorum in inferiore Boiaria Dingulofini fuit, oppidum est in ripa Isarae. Interfuere sex episcopi, & Pontifices tredecim Monasteriorum rectores. Atque hi fuere episcopi, Mannus Neoburgensis, ea prouincia, & Dioecesis postea diuo Vdalrico condonata, Augustam Rhetiae translata est. Almus Sabonensis, Diuus Vergilius Saleburgensis. Biseritus, Laureacensis Archiflamen, Pontifex Bathauensis, Synebertus Reginoburgensis, Aribo Fruxinensis. Nomina Antistitum, qui coenobijs, ac contubernijs praefuerunt, haec sunt. Opportunus Menensis, Wolfprechtus Altaichij inferioris pater. Albertus Tigurinus, Ato Schiratius, qui iam ad Schlechdorff, & in templum ibi diuo Dionysio dedicatum demigrarat, relicto saltu Schiratio, Vto, qui & Ato, Ilmensis. Landofridus Burensis, Albunus Sandunensis, Ruthardus Wessobrunnae praesul, Arionistus superioris Altaichij, Reginobertus Pfafomonasterij, Wolcardus Austrauiae, Berichtoldus Chimensis, Segido Vveltenburgensis rector. Vice Reginoburgensium, Bathauensium, & Monachorum Iuuauensium functi sunt eorum Pontifices. In isthoc concilio leges Boiorum veteres correctae, emendataeque sunt, sicut in Bibliothecis adhuc extant. Consultum quoque patrum huiusmodi factum est. *Sacerdotes sanctitatem, quam habitu, caluicie & nomine profitentur, moribus exhibeant. Euangelij, patrumq́ scita vita exprimant. Omnis plebs populusq́ Pontificibus pareat. Monachorum quisque in conclaui suo delitescat, iuxta vocabuli sui rationem: suam solius curam agat. Parochus contra maiorum placita nequaquam administret, foeminas sacratas nemo ducat. Nobilis amdiu equestris ordinis censeatur, quam diu beneficia & praedia principis regniq́ possideat: quamdiu fidem principi suo seruarit, & vtilis Reipublicae fuerit. Festo die Solis, ocio diuino intentus, prophanis negocijs abstineto: qui hoc die vehiculariam, aut huiusmodi operam fecerit, iumenta eius publica sunto: si contumax perrexerit, Deum ad iracundiam, polluendo festum, irritare, in seruitutem redigatur.* Alia pleraque huiuscemodi (quae nunc à nobis irrideri solent, & corruptis moribus ludibrio esse) decreta sunt, quae longum esset, taedioque plenum, commemorare. Ex pluribus haec quasi capita, delegi: ex quibus studium maiorum nostrorum in pietatem, Rempublicam & simplicitatem Christianam intelligatur. Quorum si parsimoniam, integritatem, omisso luxu & fastu, aemularemur, melius nobiscum ageretur, & minus discordiae, minus litium & contentionis inter nos esset. Thessalonum (illuc, vnde abij redeo) hunc regulum Boiorum fauisse rebus diuinis, religionisque amantissimum, studiosissimumque fuisse inuenio. Templum maximum Iuuauiae, itidem Reginoburgij, & Bathauiae à fundamento construxit. Diuum Valentinum consilio Aribonis episcopi Fruxinensis, Tridento Bathauiam transtulit, & diuum Columbanum Maijs, vrbs est Boiorum quam Athesis alluit, Fruxinum, Matheseum, Laurisaemos, quod D. Floriani collegium adpellatur, & Chremissae Monasterium, vbi Guntherus filius eius ab apro in venatione percussus perijt, diuque quaesitus à cane proditur. Qui fame coactus, relicto cadauere, in aulam prorupit latratu praeter solitum crebro: quasi questubus dominum deplorans, similisque hortanti sua vestigia subsequi patrem, ad interfectum filium deduxit. Qui ad huiuscerei monumentum eodem in loco contubernium Monachis construxit. Ita quidam prodidere, mihi verò non sit verisimile. Nam in oratione, quam Thessalonus in eiusdem templi dedicatione habuit, Theodonis quidem filij sui mentionem facit, de Gunthero, & huiusmodi fabula ne verbum quidem offendes: profectò tantam rem ille non taciturus, si ita fuisset. Deprehendi ego Monachos, vt originem, principiaque templorum suorum augustiora vili plebeculae faciant, animos vulgi imperiti huiuscemodi fabellis ad quaestum confictis, allicere, & oblectare solere. Intra Ambronem & Lycum amnes Pollionas & Vvessobrunnam auxit locupletauitque. Haud longè ab hostijs Ilmi, supra patriam meam. Occiduum solem versus decem millia passuum, Monasterium dedicauit, Monachorum cognominant. Thessaloni ope, & fauore Valdoricus sacerdos, equestris ordinis, decem millia passuum supra monachium in Pipino pago, in ripaq́; Isarae diuo Dionysio construxit aedem: tradiditq́; Symmystis, & consecraneis diui benedicti: à scapha nunc cognomen, mutatis quoque caeremonijs habens. Nam canditati sunt, & diui Nordoperti Mystae, Praemonstratenses se nominant. Adalundus quoq́; Hyldeualda, Odacer, Garioualda, Antonius fratres, claris orti natalibus ad Sylurnum lacum superioris Boiarię, intra Oënum, & Magnoualdam flumina, itidem Monachis atris templum aedificarunt, Aribo episcopus Fruxinensis dedicauit: Beritholum iuris diuini consultum, ipsis patrem dedit. Huius Aribonis, & diui Vergilij consilijs Thessalonus obsequens, optimum praestitit principem. Vbi primo Aribo, deinde D. Vergilius in sequenti anno superos petijt, prauis visus consultoribus ambitione praeceps datus est, Lytopyrgae vxoris filiae Desiderij regis Italiae illecebris nimiũ deditus, Carolum Magnum prae se contemnere coepit. Suasu eiusdem vxoris, & paucorum procerum scelere, à Carolo Magno defciuit. Quod principali alioquin optimo, eiusq́; soboli, omniũ calamitatum (imo; vt vo-

Dingelfing.

Albertus. Ato. Vto. Landofridus. Albanus Abbas in Sandan. Ruthardus Arionistus. Reginobertus. Volcardus. Berchtoldus. Segidus.

D. Valentinus. D. Columbanus.

Guntherus ab apro occisus.

Polling. Vuessobrũ. Münchsmünster. Valdoricus.

D. Nordopertus.

Beritholdus.

vt verius loquar; felicitatis suæ, quippe quem Monachi deum faciant, cœloque locent) causa extitit. Nam & eius virtus, opésque iam Pipino suspectæ, & formidolosæ esse cœperunt. Pipinus Wormatiam Francorum proceres accersit, ibi de pace, amicitia, nuncijs vltro citróque missis, summa diligentia actum, nihil prætermissum, quo res ad ocium, & quietem deduceretur. Bæpharius dux Aquitaniæ rursus rebellat: Pipinus contra ipsum pergit armatus, eundem interficit, Remisponum patruum eius in crucem agit, Aquitania potitur. Victor in agrum Parisiorum reuertitur: sex millia passuum à Lutetia ex hac vita migrat, tertio post mortem Vtilonis anno. Sepulchrum eius & parentis Caroli Martelli conspexi in Cœnobio diui Dionysij, vbi ferè reges Celtarum, & pleriq; nostri sepulti sunt. Filij Pipini Carolomannus & Carolus cognomento Magnus, ex æquo Francorũ partiũtur imperium. Thessalonus Lytopyrgam Desiderij regis Italiæ filiam vxorem ducit. Bertha mater regum in Boiariam proficiscitur: inde ad Desiderium in Italiam, à Thessalono abit. Irmogardam sororem Lytopyrgæ secum abducit, Caroloq; filio in matrimoniũ dat. Qui tamen eam paulò post, nescio quam ob causam, repudiauit, & Hyltegardam, Hylteprandi ducis Sueuorum, & Rugardæ ex Boiaria oriundæ, filiam sibi connubio iungit. Iussu Thessaloni Modestus à diuo Vergilio episcopus consecratur, cum Cothario, Latino, Battone, Reginoberto presbyteris, cum Richardo diacono, alijsque sacris initiatis, ad Charionas mittitur. Ipsi potestas templa consecrandi, sacerdotes cooptandi iuxtà patrum, & maiorum consulta datur. Tum ædes sacræ in Solio & Liburnia ciuitate extructæ, atque à Modesto consecratæ sunt. Modesto defuncto, D. Vergilius à Chitomaro Charinorum duce inuitatus, illuc Madoldum, & Variomanum sacerdotes proficisci iubet. Ipse venire noluit ob seditionem & discordias Venedorum. Quorum primores Chitomaro principi rebellabant, quod explosa auita religione, quam feliciter maiores sectati fuissent, nouum ritum colendi deum accepisset. Thessalonus dux in Venedos arma mouet, parere Chitomaro cogit. Quo mortuo, Venedorum proceres iugum religionis Christianæ excutiunt, sacerdotes in Boiariam exigunt. Thessalonus Boiorum regulus, in Charionum regionem infesto, intentoq; exercitu procedit: Valdungum ducem Venedis imponit. Huic Vergilius Hæmonem, Reginoualdam, Maioranum, Gothariũ, Erchinobertum, Reginardum, Augustinum, & Guntharium sacerdotes, diuini, humanique iuris iuxtà peritos, dedit, vt Venedorum vulgo mysteria religionis nostræ aperirent, philosophiamq; Christianã, falsorum deorum superstitione explosa, plebem Charinorũ recipere persuaderent: à qua tribus procerum, equestris ordo omnino abhorrebat. Ingo Venedorum regulus, qui Baldungo successit, isthoc vaframento, & astu nobilitatem Christo lucrifecit. Conuiuium scitè exornat, vilem plebeculam simul cum Equestris ordinis proceribus inuitauit: atque pro foribus recumbere nobiles iussit, pane duntaxat cibario, & caruncula rancida pauit, vinũq; fictilibus propinauit asperum. At agricolas intra cœnationẽ mensæ regiæ adhibuit, ipsis in conspectu suo discumbentibus, cœnam dubiam adposuit: vinum optimum, poculis aureis, argenteis, gemmatis administrauit. Stomachari tum nobilitas, bile feruescere ac fremere cœpit: hæc omnia in sui contemptum fieri interpretabatur. Ingo vbi satis lusit, tumidis ira infit: Agricolæ vncti, lauti sunt cælesti lauacro: vos numinum sordibus squalentes, hircum impietatis oletis, nauseámque mihi, qui delicatiore sum stomacho, facitis. Hocque sale asperli proceres Venedorum, certatim ad sacrum fontem properarunt. Inter hæc Carolomanus quarto regni anno decedit: Galliæ, Germaniæque ad vnius deuoluuntur potestatem. Carolus omni Francorum imperio potitus, Vuormaciam concilium procerum indicit: ad se omnes Senatorij ordinis, & qui aliquo numero & honore erant, venire iubet. Adsunt, & Imperatoris Romani, Hadrianique Pontificis Maximi legati, Formosus & Damasus Episcopi. Hi Carolum aduersus Desiderium regem Longobardorum in Italiam inuitabat. Ipsos Carolus, cum Richulfo à sacris, & Eberhardo pincernarum præfecto, ad Thessalonum in Boiariam Reginoburgium legat. Thessalonus Diuum Vergilium, & Aribonem Episcopos, & cæteros amicos vocat: deinde legatos accersit, qui paucis mandata aperiunt. Amicini tui regum maximi (princeps Christianissime inquiunt) & amici tui, Hadriani Romani episcopi, viui illius supremæ Maiestatis oraculi, cui refragari scelus inexpiabile est, oratores sumus, ijdem postulant, vt societatem, quam iam pridem cum Pipino, filijsque eius, cognatis tuis, sacramento rogatus, verbis conceptis inijsti, re ipsa (vti te dignum est, & Christianum, & veri, supremique numinis cultorem decet) comprobes. Pax potior bello est. Nemo sapiens certa incertis mutat. Deus, & Imperator noster abiturus à nobis, ad superósque rediturus, nil aliud, quàm pacem suam, sicuti maximum, quod abs deo immortali mortalibus condonari possit, nobis reliquit. Hanc tesseram, hoc signum militibus suis dedit. Proinde tibi regnoq; tuo consule, florentes res tuas cum perditis ne misceas. Ad ea Thessalonus consilio Diui Vergilij, & aliorum Pontificum, satis placidè, benignéque verba fecit: Sibi nihil antiquius esse pace, & societate Regũ Franciæ, præcipuè Caroli, cui sanguine proximus esset. Boiariæ principes maiores suos, semper prætulisse authoritatẽ Francorũ cæteris

finitimis

Bæpharius interficitur. *Carolus Magnus.* *Bertha.* *Irmogarda.* *Hylsegarda.* *Rugarda.* *Modestus.* *Chitomarus.* *Madoldus.* *Variomanus.* *Ingo dux Baldũgus.* *Carolomanni mors.* *Carolus concilium procerum indicit.*

finitimis regibus, se quoque in potestate Caroli cognati sui fore. Proficiscitur deinde cum his legatis Vvormaciam ad Carolum Magnum: fidem ei suam duodecim obsidibus adstringit. Hos Synobertus episcopus Reginoburgensis ad Carolum deduxit. Porrò Thessalonus domum reuersus, auxiliares copias Carolo cum filio Theodone mittit. Carolus (sicut refert in legibus, quas Boijs tulit) Angilostadium, Lutheraniam Nariscorum vrbem & vicum: quæ tum Francorum regibus parebant, & auus occuparat, precariò Thessaloni concessit. Hunni & Abares ingenti exercitu tum ad Oënum amnem, quem Anassum vocant, processerant, castraque locarant: verùm sine vllo maleficio domum reuersi sunt. Interim Carolus in Italiam arma mouet, Desiderium regem cum vxore Gansa Ticini obsidet, & capit, Romam it: Vbi Theodo filius Thessaloni ab Hadriano episcopo Romano lauacro cœlesti lustratus est. Rudogaudus Fori Iulij dux, viuus captus est, iussuque Caroli securi percussus. Rupertum alium Longobardorum ducem, præfecti Boiorum, & Thessaloni Gauinus, & Idouinus apud Pisonium, in valle Tridentina pugna deuictum, interficiunt. Carolus Magnus subacta Italia in Germaniam proficiscitur: contra Hispanos, Saxonas feliciter sæpius dimicauit, plurima bella strenuè gessit. Paucis pòst annis ad legatos Imperatoris Romani, qui tum Cóstantinopoli habitabat, Romam cum liberis suis, maribus, & fœminis transitum facit. Audita legatione Cæsaris Augusti, Constantino, filio Imperatoris Leonis, & Irenæ Augustæ Ruthrudam filiam despondet. Iam D. Vergilius, & Aribo episcopi, iuxtà eruditi, ac boni, sine quibus nihil Thessalonus agere insueuerat, terras reliquerant. Lytopyrga mulier imperiosa, & impotens, sui (cuius licentia hactenus authoritate talium virorũ tanquam freno repressa erat) serò sibi persuadet, posse vlcisci parentes, fratres, & sorores, opibus mariti. Cũ paucis igitur fumi venditoribus (quibus omnia chariora quàm fides, & iustitia erant) conspirat. Neminẽ nisi suæ factionis coniuratum authoritate apud Thessalonũ inualescere permittunt. Itaq; principis animum & superbia & amore ægrotũ in deteriora impulerunt, à Carolo sensim abalienare pergunt. Crebro in vtramq; aurem (sicuti patulæ sunt assentatoribus aures principũ) obganniunt: Pipinum & Carolum nouos reges non solũ Germaniæ, ac Galliæ paulatim duces omnes sustulisse, sed in suos quoq; dominos, nobilissimos Francorum Imperatores, à quibus aulæ præfecti fuerint, conspirasse, captos in carcere necasse: nec à fraterna cæde, nec sororum sanguine libidine dominandi impias manus abstinuisse. Solum ex tot vetustissimis, clarissimisq; ducibus vnũ superesse Thessalonum, qui lenocinio speciosoq; vocabulo amicitiæ illectus, propediem fraudulenti, & omnia sibi seruire appetentis dolos, non sine malo suo sensurus sit. Adduntur his iniuriæ in soceros & affines cõmunes commissæ: Memorẽ esse debere Thessalonũ auitæ libertatis, quam per manus à tot maiorib. traditam, à patre accepisset: suppetere Boijs vires, pecuniá, socios. Carolum tot hostes habere, quot vicerit. Hæc atque huiusmodi sæpe insusurrando nebulones illi, qui omnia vtilitate metientes, bellum in quo enitescerent, sibi fore vtilius pace arbitrabantur, Thessalono amicitiam Caroli suspectam fecerunt. Fit fœdus aduersus Carolum cum Hunnis, Auaribus & religionis, & Imperij Francorum inimicis & hostibus. Deinde his qui fidem seruandá, pacem bello præferendam censebant (quorum maxima pars erat) insidiæ struuntur, mortisq; periculum intenditur. Præcipuè Atoni Fruxinensi episcopo Thessalonus & Lytopyrga infestiores extiterunt: eundẽ plus fauere & fideliorem esse Francis, quàm Boijs criminabantur. Et vt tamen omnis culpa in Carolum (qui iam vt diximus Romæ apud legatos Imperatoris erat) transferretur, Arnonem episcopum Salisburgensem, Hainricũ monachorum Menensium patrem, Romam ad Hadrianum Põtificem Max. proficisci iubet Rector Boius conquestum, regem Francum ebrium, successu rerum parem ferre nõ posse: contrà omnem sanguinis, & amicitiæ necessitudinem arma minacissimum parare, expeditionemq; aduersus Boios meditari. Boios inuitos ad libertatem, liberos coniuges defendendos, in bellum trahi: petere Thessalonum à Pontifice Romano, sicuti cõmuni orbis Christiani parente, vt fautor, atque consultor adsit. Hæc vbi Romæ à legatis Hadrianus audiuit, apud Carolum expostulauit. Carolus nihil penitus harum rerum, quibus accusaretur, se sibi esse conscium adseuerat: atq; vt omnem huiusmodi suspicionem à se procul amoueat, Pontificis arbitrio omnem causam permittit. Hadriano data sibi à Carolo potestate functuro, & pacis perpetuæ leges promulgaturo, Arno, & Hainricus obstrepere, tergiuersari & vociferari cœperunt: Nequaquam istud sibi mandatum esse, nec idcirco Romam venisse. Rem magnam esse, oportere Thessalonum præsentem adesse: nihil sine eius consensu ratum fore: se quidem isthæc domũ ad principem suum relaturos. Sensit Pontifex dolos, & legatis ait: Ite ergo, & renunciate duci vestro vt fidem datam Carolo seruet. Quòd si pacem exosus, sicut fraudulentus est, fidem fregerit, & Pientissimo regi necessitatem pugnandi imposuerit, viresque eius lacessierit, stupra virginum, mulierum contumelias, excidia vrbium, egestatem populi, templorum direptiones, religionis contemptum, atque omnes huiusmodi pestes, quæ bello sacra prophana polluendo grassari solent, iram denique Dei Opt. Max. à milite Caroli in ipsum, solennibus supplicijs iure

Synobertus episcopus. Ingolstat. Lauterhofẽ.

Desiderius cum Gansa vxore capitur. Theodo baptisatur. Rudogaudus dux.

Constantinus Caroli filiam vxorem ducit.

Ato episcopus.

nostro

nostro auerto: ipsum diris, & sine fine deuoueo. Capuc ductis vestri execror, Carolum, ego & milites eius crimine soluo. Ipse Thessalonus dux vester commissa luet: ipse pro hisce crudelitatibus Christo iustissimo iudici pœnas dabit. Arno & Hainricus cum hisce mandatis in Boiariam Roma reuertuntur. At Carolus compositis Romæ rebus, cum legatis Imperatoris Romani in Franciam Vvormaciam (Rheni vrbs est nominatissima) redijt, vbi Fastorada coniunx eius versabatur. *Fastradâ Caroli vxor.* Indicto ibi concilio, communi procerum consensu, hic Thessalonum citat. Thessalonus non solum nô venit, sed ne responso quidem Regem dignatus est. Verùm Theodonem filium consortem regni declarat, renunciat. Carolus non amplius, sed pugnis esse opus ratus, tribus exercitibus Boiariam inuadit. *Carolus cũ exercitu in Boiariam venit.* Antiqui Franci, Saxones, Turogi, duce Carolo, Caroli filio per Nariscos, nemine prohibente ad Danubium penetrant. In ripa Danubij in vico Phoro, decem millia passuum à patria mea, castra locant. *Pfering infra Ingolstadium.* Pipinus cum Italis Tridentum, Pisoniumque vrbes Boiorum occupat. Ipse Carolus cum alia manu Boiariæ fines adgreditur: extra mœnia Augustæ Rhetiæ prope Lycum amnem, qui Sueuos & Boios, Rhetos, & Vindelicos disterminat, cum exercitu considet, Thessalonus vndique hoste cinctus, cum videret Boios magis Carolo, quàm sibi fauere, & pugnam detrectare, ab omnibus desertus, armis abiectis, ad Carolum Augustam in castra vltrò & supplex venit, se peccasse confitetur, errorem deprecatur, veniam petit: Boiariam cum sceptro, cui homo insculptus erat Carolo tradit: clementiæ Caroli, se, coniugem, & liberos dedit. Carolus, quòd Thessalonum delicti pœniteret, & quòd ipse sanguine proximus esset, gratiâ facit, ipsum bono animo esse iubet, eidem Boiariam reddit, verùm tredecim obsides imperat, inter quos & Theodo filius Thessaloni fuit. Carolus acceptis obsidibus, demissis copijs, in Franciâ proficiscitur: Angilemis decem millia passuum infra Moguntiacum, natalem Christi, & Paschalia ritu solenni celebrat. *Ingelheim.* Thessalonus Reginoburgium in regiam suam redijt, solutusque metu, & periculo liberatus, concione aduocata, huiusmodi orationem habuit: Ego à teneris vnguiculis vsque ad hoc ætatis (comites deuotissimi) dies noctesque, manibus ac pedibus, vt aiunt, nihil aliud conatus sum, & id solum dari mihi à Christo & Deo nostro optaui, vt quæcunque facerem, vtilia, ac grata vobis essent omnia. Is enim mihi demum bonus rector esse videtur, qui omnia plebis vtilitate metitur, omnia ad commodum eorum, quibus præfectus est, refert, omnibus bonis prodesse studet: officere nemini. Qui denique pacem, quietem, quod iuuat, quod charum, quod iucundum est, popularibus comparat, relinquit atque concedit. Ipse sibi curas, laborem, pericula, sudorem, vigilias, puluerem, & alia talia viris epulis iucundiora, vindicat & seruat. Etenim haud aliam ob causam, à cœlorum summo principe, cuius præsides & legati sumus, Dij quoque adpellamur, qui bona, diuitias largiri cultoribus suis, ab his nihil præter honorem, gloriam, & amorem postulare soliti sunt. Dum hæc accuratè ago, atque curo, & capitis periculum, dum prosim vobis, adeò paucorum scelere proditus verbum vulgo protritum, frangi necessitate ferrum, verissimum esse comperio, ac planè sentio. Ne vos hostium crudelitati exponerem, id quod necesse erat, facere compulsi sumus. Deo displicere dicimus sacramenta, quæ vi extorquentur, legibus solui huiusmodi prudentes respondent. An ego eos, qui & se, & coniuges, & liberos, atque fortunam suam mihi crediderunt, deseram? Aut vos fidei, & tutelæ meæ cœlitus commissos ludibrio hostibus esse, & in seruitutem redigi patiar? Non faciam profectò. Nemo mortalium mihi cœleste beneficium adimet. Simulac Imperator immortalis iusserit, non antè istud vna cum vita relinquam, aut moriar: & decem liberos potius amisero, aut libertatê, gemmis & quouis auro chariorem à maioribus nobis quasi per manus traditam retinebimus. Sunt opes, sunt inuictissimorum sociorũ auxilia, quorum vultum, nedum arma, dispeream, si hostes nostri ferre possint. Vos igitur populares charissimi, deum Opt. Max. diuum Haimeranum, custodem huius regionis & nostrum veneramini, & in tecta vestra discedite: ego vt in perpetua pace esse possitis, prouidebo. Imperitis hæc fauorabiliter & populariter dicta erant: prudentioribus, qui pacem bello præferebant, & quo isthæc spectarent, callebant, non perinde grata erant. At nec mutire nec hiscere contra ista audebant. In tempore tamen eorum opera fit certior Carolus. Nec mora, concilium Angilemos properè cogit, Pontifices, maiores, minores, sacerdotes, prophanos, regulos, duces, tetrarchas, præfectos, ciues, oppidanos, ad se venire iubet: in re maxima eorum consilio opus esse. *Ingelheim.* Nemo non paret: omnes certatim iussa capessunt. Nobiles, ignobiles, sacri, prophani, quicunq; in aliquo numero aut honore erant, die dicto frequentes coëunt, atq; conueniunt. Illuc quoq; Thessalonus proficiscitur: quem etiam paucis pòst diebus Lytopyrga vxor eius subsequitur. Præsto fuit & Boiorum, vt iussa erat, legatio; Posteaquam consedere Duces, oratores Boiorũ introducti, in consessu procerum paucis ita locuti sunt: Non tam impudentes, nec tam obstinati sumus (patres conscriptissimi) vt ea quæ luce clariora sunt, omnibusq; patent, more perditorum negemus: illud oramus, ne per paucorum crimen in omnes diffundatur. Maxima pars adhuc syncera est. Quæ dum iustitiæ & æquitati omnes neruos intendit, & fidem regi optimo seruare conni-

conniciur, capiti s periculum adiuit. Aut malos fieri necesse est, aut extorres patria sine pignore, sine lare, sine tribu errabimus, nisi quid vestra prouidētia prospiciat. Linquenda tellus, domus, vxor, liberi. Esse fidum, nefas esse ducitur. Regi à deo Opt. Max. cœlitus demisso parere crimen est. Pax exulat, arma parantur: cum hostibus crudelissimis fœdus ictum est: amicis bellum indicitur. Bonorum omnium vita in extremo versatur discrimine. Dux & author horum malorum, quo magis pudeat, fœmina est: ille, quem prohibere oporteret, vxorius est, & nostra consilia aspernatur. Suasu coniugis suæ Hunnos & Auares nostræ religionis acerrimos hostes, & sanguinis nostri auidissimos, aduersus pientissimum principem concitat. Huius amicis insidiæ struuntur, deniq; mors intentatur: sæpius data fides regibus optimis, sæpius (nullo nostro merito, nulla culpa, omnib. bonis dissuadentibus) fracta, nunquam seruata est. Meliora forsitan speranda sunt. Illud vltimo, quod in concione omnes audiuimus, præterire non possumus, satius esse decem filios amittere, quàm obsequium regi præstare, in seruitutemque (ita adpellat) redigi. Fallitur, egregio quisquis sub principe credit seruitium: nunquam libertas gratior extat, quàm sub rege pio. Hæc vbi dicta sunt, & Thessalonus ire inficias non potuit, quippe quæ testibus præsentibus comprobata erant, ex codice lex recitata est, qua fidem regi non seruare, cum hostibus fœdus aduersus regem inire, capitale erat. Secundum legem itaque Salicam ex veteri instituto, Thessalonus crimine læsæ Maiestatis reus peractus, capitali supplicio condemnatur, Boiaria regi adiudicatur. Vbi hæc sententia ritu solenni renunciata est, Thessalonus ad genua Caroli accidit. Carolus eundem tolli iubet, rogatque, quidnam facturus sit, si vita donetur. Ille se in contubernio monachorum omnem ætatē acturum, scelera sua atque crimina deprecaturum. Carolus igitur ipsum conderi more religiosorum iubet, in monasterium diui Nazarij in Bergostrassa, Vvormatiensium agro situm, Laureacum literatores vocant, relegat. Vbi humatus tanquam diuus adhuc colitur. Theodo filius Thessaloni sacris initiatur: sacerdotum tribui cooptatur. Vxor Lytopyrga in sacratarum fœminarum cœtu degere iussa est. Pauci Boiorum, qui cum Thessalono senserant, in exilium acti sunt. Caroli deinde præfecti, Gramatius, & Odacer, cum legatis Boiorum in Boiariam proficiscuntur. Reginoburgium, totam Boiariam nomine & auspicio Caroli accipiunt. Boij certatim iussa capessunt. Dum hæc in Francia geruntur, Auares, & Hunni coniurati Thessaloni, ex pacto fines Francorum duobus agminibus inuadunt, pars Venetiam, Forumque Iulij sibi deposcit: altera manus Boiariam petit, ad Anassum amnem, infesto & intento procedit exercitu. Boij correptis armis, ducibus Gramatio, & Odacre legatis Caroli, in hostes ruunt: Hunnos & Auares cædunt, fundunt, sternunt, paucos fuga seruauit. Hunni, & Abares, qui domi relicti fuerant, vindicaturi stragem suorum, exercitum cogunt, hostili animo in Boiariæ terminos tendunt. Boij armati obuiam procedunt, manus conserunt cum hostibus: & hic victoria penes Boios fuit. Hostes in fugam vertunt, pars in Danubium, vbi pereunt, propelluntur à Boijs, reliqui cum ignominia, & maximo detrimento domum repulsi sunt. Carolus vbi hæc accepit, in Boiariam pergit, Reginoburgium ad se venire, & in verba sua iurare iubet Boios. Nemo imperata detrectat, omnes parere student. Carolus Boiariam contra Hunnos & Auares firmis præsidijs munit: præsidem Boijs dat virum bonum, bellicosum, sapientem Geroldum nomine. Hyldegardæ vxoris suæ fratrem, Hyldebrandi ducis Sueuorum, & Rugardæ ex Boiaria oriundæ filium. Facta sunt hæc anno Christi septingentesimo, octogesimo octauo. Superiore anno pleraque obtigere prodigia, monstraque. Sol defecit, sanguine pluit, sanguinis ex terra riui manarunt, cruces in vestimentis hominum apparuere. In agrum Funlingensium aëre sereno & tranquillo, diuersi generis ligna de cœlo ruisse, literis proditum est. De Thessalono complura fabulosa conficta reperio, quæ magis somnijs, visisq; mente captorum, quàm rebus gestis decora sunt. Nescio qua ratione vulgus imperitum, & plerique sapientum etiam, plus fabulis, quàm veritate capiantur. An sicut domestica vilia sunt, atque sordent, & raritas conciliat rebus charitatem, atque venisse à longinquo, precium est: ita quæ verè geruntur ceu vetera, visitata: quæ quotidie fiunt, surda transimus aure. Nemo magnopere obseruat, aduertitque animum: at conficta velut noua, inconsueta, insolita, & mera miracula admiramur, aures arrigimus, labra mouemus, tenaciusq; memoriæ huiusmodi næniæ hærent. De Carolo quoque multa præter historiæ fidem, sed Poëtico more, & patria lingua apud nos scripta sunt. Extat liber in Bibliothecis antiquis versibus, sermone Germanico, de vita Caroli, educatione, rebus gestis conscriptus. Ego in sequenti volumine ipsum Carolum, posteros eius, Imperatores, & reges Boiorum narrabo.

Lex Salica. Thessalonus ducatu priuatur.

Thessalonus conditur vt monachus. Theodo sacris initiatur. Gramatius. Odacer. Carolus Boiaria potitur.

788. Prodigia.

FINIS TERTII LIBRI.

Subsequitur quartus authore Ioanne Auentino.

Continet Carolum Magnum, cum eiusdem posteritate, qui potiti sunt Boiaria, vsque ad Haimricum primum ducem, fratrem Ottonis Magni Cæs. Augusti, tum Francis successere Saxones.

ANNA-

ANNALIVM BOIORVM IOANNIS AVENTINI LIBER QVARTVS.

In quarto libro Annalium Boiorum hæc explicantur.

Caroli magni prosapia.
Franciæ descriptio: Francorumque origo.
Diuus Carolus Magnus, primus German. Imp. Cæs. Aug. rex Boiorum.
Imperator Ludouicus Pius, filius Caroli Magni, rex Boiorum.
Imperator Lotharius rex Boiorum, filius Ludouici Pij.
Imperator Ludouicus Cæs. Aug. filius Lotharij, nepos Ludouici, pronepos D. Caroli.
Imperator Carolus Caluus, filius Ludouici Pij, Nepos Caroli Magni.
Ludouicus illustris rex Boiorũ, ac Francorũ: filius Ludouici Pij, nepos Caroli Magni.
Carolomanus rex Boiorũ, & Italiæ. Ludouicus eius frater, rex Francorũ, & Boiorum.
Imp. Carolus tertius Cæs. Aug. Alemanorum rex, & Boiorum.
Imp. Arnulphus Cæs. Aug. Boiorum regulus.
Ludouicus tertius, filius Arnulphi Augusti, & Conradus primus reges Boiorum.
Lupoldus, Arnulphus, Eberhardus, Berchtoldus, præsides, dynastæ & rectores Boiorum.
Vgrorum irruptio in regnum Boiariæ.

AVTORES QVOS PRAETER PVBLICA INSTRVMENTA SECVTVS SVM.

Eginhartus cancellarius Caroli Magni libris quatuor res gestas Caroli complexus est.
Angisus Abbas Lobiensis, trium Imp. Caroli, Ludouici, Lotharij leges & edicta, in quatuor redegit volumina.
Regino Abbas Prumiensis sub Arnulpho Imperatore, & Ludouico filio eius de rebus Germanicis, Gallicisq; perscripsit.
Litoprandus Ticinensis Francofordiæ res gestas, memoria sua parentumq; literis commendauit, Ottone Magno imperante, ad quem in Germaniam fugit, pulsus Beringero vltimo rege Italiæ, cuius Magister Epistolarum, ab eoq; Constantinopolim legatus fuit: educatus est in aula Hugonis regis Italiæ. Pater eius ab eodem rege legatione suscepta in Græciam ad Imperatorem Orientalem profectus est.

ANNALIVM BOIORVM
Liber Quartus.

PROOEMIVM.

SCITE admodum ait Appius, Fabrum esse quemque fortunæ. Idcirco dum Romani iustitiam, vigilantiam, patientiam, arma, rem bellicam, disciplinam militarem, æquitatem in pace, in bello audaciam, atque fortitudinem coluerunt: & præter cæteros mortales egregiè eas artes, quibus imperia parantur, domi forisq; consectati sunt: iJsdem diuinum numen, quod omnium mortalium vitã inuisere solet, florentissimum, opulentissimum, ac secundum deorum opes maximum contulit Imperium. Nam neq; bonum, neq; malum facinus cuiusquam pro nihilo habetur: sed ex natura diuersa præmia bonos, malosq; sequuntur. Vbi pro labore desidia, pro continentia, & æquitate libido, atq; superbia: pro paupertate auaritia, ac simul ambitio: pro parsimonia luxuria, atque voluptas inualere victorem gentium populum, fortuna simul vnà cum moribus immutata est. Amor sui iurgia, discordia, simultates, domesticæ seditiones, bella plusquàm ciuilia, inualuere. Vera consilia, gratia, timor, voluptas corruperunt. Opes imminutæ, seruitus imposita est. Reges exacti, Consules, Tribuni plebis. Magistratus alij sæpius per dissensiones, sæpius discessiones. Non semel leges & instituta, haud citra sanguinem commutata sunt. Exanguem & tot casibus agitatam, tot procellis fatigatam

Rempublicam susceperunt Cæsares. Deinde cum hi Asiatico luxu, Græcanico ocio Constantinopoli effœminantur, Romam caput mundi fastidiunt. Vrbs potens, vrbs orbis domina, deserta, orba, effœta, Germanos Carolumque Magnum acciuit, adoptauit: ciuitate & iure Quiritium donauit. Ita vnà cum Aquilis, tantoque Imperio, vti fieri solet, omnia quoque vitia obrepsere: quos arma Romanorum non fregerant, vitia vicerunt. Pecuniæ, quæ maxima pernicies est omnium, nullus vsus, nullum decus fuit apud maiores nostros. Ipsi aurum atque argentum perinde ac fictilia habuere. Vetuerunt vinum ad se inuehi, mercatoresque commeare: parco, parabilique victu, & rhenonibus suis, ad implenda naturæ desideria contenti fuerunt. Viuebant lacte, caseo, auenæque pulte. Vestitus erat pelles ferarum, luporumque, quas venatio subministrabat. Atqui nunc luxu cum quauis natione contendimus: omnia Venus, Bacchusque corrumpunt. Intempestiua conuiuia, & perpotandi peruigilandique insana cupido, adulteria, ludi, greges scortorum inualere Germaniam, & gradum corripuere. Omnia in externum lapsa morem sunt. Exoticas vestes, Gallicasque sumpsimus. Non omen quidem veriti, quod à victoris populi insignibus, in deuictæ gentis transimus habitum. Apud cæteras nationes malè audimus, quòd semper ebrij, nunquam sobrij simus. Studium pecuniæ, auri sacra fames (quæ diuo Paulo radix est omnium malorum, & simulachrorum cultus) Germanorum fidem ab hostibus etiam collaudatam, labefactare cœpit. Quibusdam charior pecunia, quàm fides est. Hique famæ & integritati, postremò omnibus rebus commodum anteferunt. Patriæ desertores nil aliud quam priuatam vtilitatem spectant. Cupiditas eosdem excæcauit.

O populus felix semper Germania fidis
Syncera celebrata fideq́;
Ecce tuus miles, longo quoque stemmate census,
Libertatem exosus auitam,
Francigenus seruit, Celtarum degener hospes
Te contra fert proditor arma,
Non pudet atque piget sceleris? Germania Celtis
Funesto venduntur auro.

Illud pro vero constat, omnes victores diuitias contempsisse: victos concupiuisse. Quæ per virtutem, ac inopes parta sunt, per opulentiam ferè amittuntur. Virtus in mediocritate, quam auream Poëta vocat, consistit. Vitium est, quodcunque exuperat, aut excedit. Proinde quemadmodum Aristoteli (qui nihil non attigit, atque doctissimè & simul verissimè explicauit) placere video: Diuitiæ multæ, magnæque opes, nihil penitus ad felicitatem, beatitudinemque conferunt: immò officiunt magis. Idem censet, eos qui cæteros opibus antecellere connitantur, ad æquitatem in ordinemque in bene præclareq́; constituta Republica redigendos esse, ne scilicet, quando opes parant animos, insolescant: alios opprimant, & sibi seruire postulent. Vnde inuidia, lites, odia, egestas, inde magnum pauperies opprobrium, iubet quiduis & facere & pati: virtutisque viam deserit arduæ. Hinc squalens legum sylua, iuris callida interpretatio, latius quam Reipub. vtile est, proserpit. Apud maiores nostros plus boni mores, quam alibi bonæ leges valebant. Nil prosunt Senatusconsulta, aut plebiscita, nisi moribus, & bonis artibus homines imbuti fuerint. Sic sentit, & probat Stagirites, veritatis & maiestatis naturæ fidissimus interpres, in libris, quos de Repub. inscripsit. Sic Flaccus poëtarum sapientissimus, non minus ferè quam eleganter in Lyricis docet, inquiens,

Quid tristes querimoniæ?
Si non supplicio culpa reciditur.
Quid leges sine moribus
Vanæ proficiunt?

Corruptam esse Rempublicam, vbi plurima decreta sunt, res verum esse docet, & rerum omnium magister vsus. Vbi plurimi medici sunt, ibi plurimos morbos esse necesse est: ait diuinus ille Plato, & Strabo scriptorum grauissimus refert.

Germania illa quondam nobilissimarum, & fortissimarum gentium alumna, officinaque, in septem regna, & totidem regulos: in tot principes, tot Pontifices, tot dynastas dissecta, dilacerataque: nunquam in vnum corpus coiuerit, nisi Carolus Maximus Cæsar & rex Hispaniarum, Asiæ & Africæ princeps, ex Norico oriundus (cuius aduentum ex Hispanijs Germania faustis votis, solennibus supplicationibus desiderat, & expectat) authoritatem pecuniç aurisugis, mercatoribusque demat: concordiæ bona firmet, discordiæ mala expellat, luxuriæ, sumptuumque licentiam refrenet: rapinarum & litium calumnias rescindat: pietatem & iustitiam, iam pridem terris depulsam, de cœlo reuocet. Id demum fiet, si Germanica iuuentus accuratè probitati, & industriç operam nauauerit. studium pecuniæ, cupido diuitiarum sublata aut quoad fieri potest, diminuta fuerit. Aliter neque priuata res, neque publica regi potest.

Vel

Vel nos in mare proximum
Gemmas, & lapides, aurum inutile
Summi materiam mali
Mittamus. Scelerum si bene pœnitet.

Eradenda cupidinis
Praua sunt elementa, & tenere nimis
Mentes asperioribus
Firmanda studijs.

Longius abiui, in viam redeundum est.

Caroli Magni origo paterna & Genealogia. Vtilo dux Boiorum.

Imperator D. Carolus Magnus Cæsar Augustus, sicut supra docui, genus originemque paternam ex vetustissimis Boiariæ principibus ducit. Nam Vtilo frater Theodonis Magni reguli Boiorum, limiti inferioris Germaniæ inter Scaldim, Mosam, Rhenumque amnes, & Oceanum aduersum impetus Danorum latrocinia tum agitantium, pyraticamque exercentium, à Theoderico primo rege Francorum præfectus, appellatus est Satraba Antorffensis. Is Hugobertum, Hugobertus Asopertum genuit, qui ex Pluthylda filia Lotharij regis Francorum Arnulphum tulisse fertur. Is deinde diuum Arnulphum procreat, relicta Repub. in sacerdotum curiam ac Senatum adlegitur: capiturq; pontifex Mediomatricum. Et vbi honesta morte defunctus est, in superum numerum refertur. Angilo & Begga filia Pipini superioris ortus, Pipinus inferior, Pipino Carolus Martellus, Carolo Martello Pipinus rex Francorũ. Carolus Magnus inde Pipino rege & Bertha genitus, à patre accepto Imperio Francorum regnat. Equidem in stemate proponendo, & imaginibus exequendis cum authores diuersa prodant, vt nulli duo concinant plura transcribo quàm credo. Nam nec affirmare sustineo, de quibus dubito: nec subducere, quæ accepi. Huiuscemodi generis elogia partim vetustas obliterauit, partim vt plæraq; alia illustria literarum monumenta, iniuria temporum & Stoicorum, Matæologorumq; tyrannide & superstitione non solũ neglecta, sed etiam miserè accepta ac dilacerata sunt. Superioribus enim seculis istis Theologistis dominantibus, qui cultioribus literis bellum indixerant, nihil (quatenus ipsis licuit) nisi quod eorum barbariem, nugas & hæresim oleret, seruatum est. Verum gentis Francorum situm, res gestas, egregia facinora, genus, antiquitatem (vti tempus admonuit) paucis verissimè indicabo. Francia (sicuti ego apud rerum scriptores, & in publicis instrumentis, actis, tabulis, diplomatibus Imperatorum, & regum nostrorum comperio) triplex est. Antiqua propriè dicta, quæ & libera, noua, eadem Occidentalis. Orientalis ipsa est Germania atque Alemannia & Teutonia. Hanc Austriam Austrasiamq;, illam Vestriam, corrupte Neustriam, Germanicis appellant vocabulis. Vetus est libera Francia, quam vulgus literatorum Franconiam: incolas vtramq; Mœni ripam accolentes Franconas nuncupat, patrio sermone nos illam Francolandiam, id est, Francorum patriam, incolas Francon, siue Franconas appellamus. Caput gentis Francfordia, vrbsq; primaria Wirzeburgium, quam & Pæoniam vocatam reperio. Eius Pontifex Francorum dux est & nominatur. Ibi quoque est flumen Salas, alius ab eo qui in Albim confluit, & Turogos à Sorabis atque Misnensibus separat. Ab illo Salios Francos cognominatos autumant. Porro Tuisconum lingua Sala Aulam Basilicamque significat. Vnde lex Salica, prædia Salica, clientes Salici, quæ ad Aulam spectant dicti. Adhuc nobis in vsu est, oreque frequenti Salbuch, hoc est, Salicus codex, vbi prædia regia principalia, Ecclesiastica vectigalia redditusq; prædiorũ describuntur. Extat passim in Bibliothecis. Lex Salica lata est ab antiquis Francorũ regibus aliquot annos ante Iustinianum Imperatorem, qui Romana iura (vti nunc in vsu sunt) publicauit. In hac lege Salica, vbicunque legislatorem nomen Latinum, vt tum erant tempora, fugit: ibi ex Franco, hoc est, Germanico sermone, vocabulum Rom. incude formauit. Leges ibi: Sparuarium Habichum, Porestam, Forestarium, Houauarthum, Veltezunium, Campionem, Meracham, Trinumgeltum, Verageltum, Frilassum, Marcham: pro accipitre minore, maiore, saltu, saltuario, cane villatico, sepe aruorum, singulari certamine, equa, tripli, quadruplique condemnatione, libertino, limite. Morgengeba quoque (quod vocabulum in conditionibus pacis, quæ dictæ sunt inter Gutramũ, Hyldebertumq; reges Francorũ D. Gregorius explanat.) pro matutina donatione usurpatur: quæ more Germanorum ultra dotem condonari solet sponsæ virgini, cum mane, vnde nomen, ex thalamo surgit, veteres Iurisconsulti Græca dictione Paraphernã (nisi fallor) vocant. Plus mille huiusmodi offendes semibarbara vocabula, quæ omnia Teutonica adhuc in usu sunt. Nomina etiam regum, principum, fœminarum, marium Germanica sunt: quæ tamen Celtici scriptores ob insciciam Francæ linguæ corrumpunt. Francorum cum Sueuis Cicero quoque meminit, vbi de rebus gestis Iulij Cæsaris cũ Germanis agit. & D. Hieronymus in vita Hilarionis, cuius verba operæprecium est subijcere. *Candidatus*, inquit, *Constantij Imper. rutilus coma & candore corporis indicans prouinciam, inter Saxones quippe & Alemannos: Gens eius non tam lata quàm valida, Apud Historicos Germania, nunc verò Francia vocatur.* Francorum enim nomen cum potestate (vt modò Suitonum) paulatim latius serpsit, & Germanias, Galliásque occupauit. Germani à se inuento nomine Franci appellati sunt. Francones autem antiquissimi sunt Germaniæ magnæ populi, quod etiã vulgo adhuc protritum prouerbium in usu crebrum

Vtilo Marchio Anorffensis. D. Arnulphus. Pipinus & Bertha parentes Caroli Magni.

Francia triplex. Antiqua & libera, noua & occidentalis, orientalis & quomodo ea aliàs nominetur Austria. Austrasia. Vestria.

Locus corruptus.

Francones unde dicti. Alt franken. Francia clim gentis. Francus siue Franco rex.

contestatur. Solemus enim passim rem priscam ac nimis antiquam, Francam vocitare. Ipsi obscuriores fuere vsq; ad Gallieni Augusti ætatem. Ab eo tempore hactenus semper præclari rebus bellicis habiti: Græcorum etiam annalibus notissimi sunt. Antea partim sub Cattis & Turogis: partim sub Heluetiorum & Boiorum magnitudine delituerunt. Quemadmodum est apud Cor. Tacitum, Claud. Ptolomæum, Gregoriumque Turonensem episcopum. Author & parens gentis est Francus siue Franco rex Germaniæ, ex antiquissimis Boiorum regulis procreatus: si vernaculis rerum authoribus credere fas est. Hoc nomen crebrum est in fastis antiquis, deductum à libertate, quæ Teutonum lingua Frethait/ Freyhen/ Freyhait vnd Freien dicitur: quod cognomen adhuc Franconibus nostris tribui solet. Vocitantur enim vulgo Die Freien Franken/ hoc est, liberi Franci. Itidem nobiles Francones. Ipsi sæpius Rhenum transiere: sæpius Gallias adfectarunt. Sæpius inde pulsi à Romanis, quemadmodum in secundo libro explicaui. Meroueus & filius eius Hyldericus cum popularibus suis auxilio fuere Romanis, cum Attilaque pugnauere anno Christianæ æræ quadringentesimo quinquagesimo quarto. In eo bello perijt Theodericus rex Vessogetarum, & Merouens rex Francorum. Hyldericus filius eius commento, & fraude Aetij ducis Romani, obtentu salutis, in Germaniam magnam trans Rhenum fugatus est. Quemadmodum idem Thurisomundum filium Theoderici ad Gotos, Romanis prouincijs extruserat. D. Gregorium Turonensem episcopum, & domestica sequor testimonia. Paucis pòst diebus anno restituti orbis 459. cum Romæ Valentinianus Augustus occisus esset, Maximus Romæ arriperet Imperium, & Gensericus rex Vandalorum ex Africa traijceret, & Maximo cæso, Romam diriperet: in Italiaque Maiorianus, in Gallijs Auitus Cæsaream purpuram inducrent, inuicemque contenderent. Hyldericus cum Franconibus sexto Martiani Cæsaris anno, etiam Ioanne Varrone Coss. Gallias inuadit: profligato Romano milite, Gallias in Germaniam transtulit. Eoque magnitudinis Francones venere, vt & Galliæ, & Germaniæ in nomen Francorum cum Romanorum Imperio concesserint. Vtrâque enim regna inde dicta sunt Francorum Imperium. In huiusce rei memoriam, monumentumque, etiam nunc solenne est, non alibi quã Francofordię, quæ vrbs primaria Francorum est, comitia Cæsarea Imperatoriaq; haberi. Quoniam de Alemannis res admonuit, de his compertũ mihi paucissimis narrauero. Alemanos quidam in commune omnes Teutonas, alij duntaxat eos, qui Franci & Saxones non sunt, nuncupant. Imperatores, & reges nostri, Alemanniam ferè Sueuiam: interdum & flumen, pagumque Boiariæ antiquæ, quæ trans Danubium Franconiæ finitima est, adpellant. Franciam Occidentalem, Nouamque Francoricham, id est, Francorum Imperium: incolas Franzosos, quasi tu dicas Francigenas, nominare solemus. Sunt qui eam Franciam Romanam dicant: quod Romana lingua, licet sono corrupto vtatur. Apud veteres erat Galliæ Belgicæ secundæ pars, & Gallia Lugdunensis, Celticaque Pius secundus Pont. Max. Leopoldus Iureconsultus, episcopus Bambergensis, censent, Celtas non tam Francos, quàm Francigenas nuncupandos esse. Neque ipsi vnquam vsquequaque Franci, aut eorum regio, Francia dicta est, nisi quatenus sub Imperio fuere Francorum. Franciam, Francosque semper Germanos, Germaniamque intelligimus: & Imperium atque regnum Francorum, quod modò Teutonicum; ac Romanorum adpellatur. Ita etiam sentire video Ottonem episcopum Fruxinensem, filium D. Luipoldi principis Austriaci. D. Gregorius Thuronensis (qui sub Hyldeberto rege Francorum, & pronepotibus superioris Hylderici historias condidit, & sæpius in Germanias legatus iuit) Germanias, Franciam Austriam nominare solet: cætera regna Galliarum. Et in vrbibus Galliæ, vbique Gallos & Francos, in eodem oppido separat, ac vt diuersos recenset. Sicuti fit in prouincijs, quas armis externa gens occupat, vique tenet. Meminit idem & Coloniarum Saxonum in Gallia Lugdunensi. Zacharias item Pont. Max. in epistola cõmendaticia, quam D. Bonifacio dedit (supra enim in libro tertio offendes) itidem Imperatores Carolus, & Ludouicus in perpetuis edictis, quæ in iure Pontificio referuntur, Gallos à Francis separant, per Francos Germanos intelligunt. Quamobrem rectius Imperatores nostri in titulis se reges Francorum adscriberent, quod eos fecisse inuenio. Haud alienum esse opinor, si publicorum instrumentorum Boiariæ authoritatem secutus quorundam caput, exemplar, calcem, & descriptionem Franciæ, Galliæ, Saxoniæ (quæ in Bibliothecis Boiorum passim extat) ad fidem faciendam subsignauero. Ex actis cœnobij Schaphalarensis, quod & Pipinopagus à veteribus cognominatur.

Freihait. Freigamb. Die freien Franken. Merouens. Hildericus. Attila rex. Maiorianus. Martianus Cæsar. Alemanni qui. Francia Occidentalis. Francia Romana. Pius 2. P. Max. Leopoldus episcopus. Schefftlarn. Petto.

Sacrosancto monasterio Sancti Dionysij, quod est constructum in regno Francorum in ducatu Boiariorum. super fluuium, qui dicitur Isara: Ego ipse Petto episcopus, & abbas, primum ob Dei amorẽ, seu pro peccatis meis muniendis, seu pro æterna retributione, dono Hachingam, & Puelocham. Actum in Monasterio S. Dionysij, sub oppido villæ, quæ nuncupatur Skefftlari publicè. Testis Orendil Comes. sexto Idus Augusti anno sexto Imperij Domini nostri Caroli Magni Imperatoris, Regni eius in Francia tricesimo octauo. Duarum exempla tabularum, quas mihi Chilianus inferioris Altaichij antistes exhibuit,

Chilianus abbas.

exhibuit, hæc sunt. *In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. HLudouicus diuina fauente gratia rex, Gotsbaldo Virzeburgensi episcopo, & rectori monasterij Diui Mauricij eiusdem monachis facio eligendi abbatis potestatem. Data octauo Idus Martij, anno Christo propitio quintodecimo regni, domini HLudouici gloriosissimi regis in Orientali Francia, indictione nona. Signum domini HLudouici serenissimi regis. Regnibertus diaconus ad vicem Redleici cognouit. Actum Regensburg, ciuitate regia.*

Aliud ibidem.

I*N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. HLudouicus diuina fauente gratia Rex Baioariorum Gotsbaldo abbati perpetuo dono in villa Engolstat, duas Ecclesias, curtim dominicatam, cum ædificijs desuper positis. Signum domini HLudouici*  *serenissimi regis: Ego Dominicus Notarius ad vicè Radleici recognoui, quinto decimo Kalendas Sept. Anno Christo propitio, Domini HLudouici Pijssimi regis septimo in Orientali Frā. actū Helicorunno in palatio regio.*

Vuigoleus Bathauensis pontifex, subsequentium inter alia mihi copiam fecit: *In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. HLudouicus diuina fauente gratia rex Reginario episcopo Bathauensi in regione Auarorum dono Chirchpach, terramq́; centum prædiorum per circuitum vsq; ad Chunenberg. Signum HLudouici gloriosissimi Regis Adalleodus Diaconus ad vicem Grimoldi recognouit XIII. Kalendas Martij, Anno Christo propitio, tertio regni HLudouici in Orientali Francia. Indictione XIII. Actum Ostrohoua palatio regio, in Dei nomine feliciter, Amen.*

Vuigoleus Bathauensis pontifex.

Aliud ibidem diploma, quod ad verbum exceptum à me, in historia Vtinensium publicatum, venale circumfertur. Caput hic & calcem duntaxat subnotabo. *Karolus diuina fauente clementia Imperator Augustus, dono dat aliqua prædia Vtinensi templo. Datū VIII. Kal. Sept. anno incarnationis Domini DCCC. LXXXV. Indictione III. anno Imperij Pijssimi Imperatoris Caroli in Italia quinto: in Francia quarto, in Gallia primo. Actū ad Vueibelingā. In Dei nomine feliciter, Amen.*

Extat eiusdem Imperatoris aliud diploma Reginoburgij, quod mihi exhibuit Catharina à Reduuitz, sacratarum fœminarum monasterij superioris Maxima. Eius initium est, quod tum ferè in vsu fuit. *In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Karolus diuina fauente clementia Imperator Augustus, cœnobium superius libertate, & immunitate donat, quod ibi mater sua Hemma sepulta sit, quæ hoc ab Bathurico episcopo Reginoburgij acceperit, anno salutis D. CCC. XXXI. eiq́; reddiderit Mœnoseum monachorum contubernium. Data XIIII. Kal. Martij, anno Dominicæ incarnationis D. CCCLXXXVI. Indictione IIII. anno vero Pijssimi Imp. Caroli, in Italia VI. in Francia V. in Gallia II. Actum in villa quæ Rotunila vocatur. In Dei nomine feliciter, Amen.*

Catharina à Reduuitz.

Huius quoque Imperatoris & alia tabula seruatur in Monasterio inferioris Boiariæ, Merenam vocamus, Carolus Magnus condidit. Caput quod in superioribus, ad vmbilicum ita subscriptum erat: *Datum IIII. Kal. Augusti, anno Christo propitio D. CCC. LXXXII. anno Augustali in Italia II. in Francia I. Actum Ascoba.*

Vessobrunnæ in superiore Boiaria, isthoc mihi monstratum est instrumentum. *Henricus episcopus Ratisponensis, ob patrocinium sancti Michaelis, & meritum S. Wolffindis virginis scilicet, & Martyris, trado Ecclesia de Rübach decimas omnes. Testis Henricus vicarius noster in pago Norico, anno ab incarnatione Domini M. C. XXXIX. anno regni Domini, Conradi serenissimi Regis Francorum secundo. Actum Ratispona.* Antequam reges nostri Romæ consecrati fuerunt, vocati sunt Reges Francorum, vt nunc Romanorum. Nunc Franciæ, Galliæ, Saxoniæ descriptionem ad verbū subijcio, ex venerandæ vetustatis antiquissimo codice, Romanis literis in membranis exaratam. Vrbes regni Francorum, vbi habitant episcopi Aquæ Graneæ, sedes regni Francorum. Moguntiacū, Agrippina, Treueri, Mediomatrices, Tullum, Verdunū, Vesontia, Basilea, Argentoratum, Spira, Wormatia, Tungri, Leodium, Traiectum, Cameracū, Wirtzburgiū, quæ & Herbipolis. Mons pauonis, qui Babenberch dicitur. Curia, Constantia, Salipolis vel Iuuauia, Ratispona, Frisinga, Aigilstadiū, vel Eiltetem, Bathauia.

Vessesprū.

Nota.

Vrbes imperij in Germania.

Aquæ Graneæ.

Moguntiacum.

Prema, Parthenopolis, vel vrbs Virginum, quæ & Madeburgium, Martipolis siue Mersoburgium, Cisa, Albarestadium, quæ & Halberstat, Monasterium, Fons podoli, quæ Padebrunnæ, Mindina, quæ & Misena. Hiltisheim, Ottinoburgium, Brandeburgium.

Ciuitates Saxoniæ. Prema.

Parisij Rhemi, Laudunum, Lugdunum, Lingones, Cænomani, Vienna, Aureliani, Ambrani, Senones, Andes, qui & Andegaui, Antisiodorum, Rhotomagus, Arelatæ, Pictones, Turones, Suessiones Tornacum, Valentia, Massilia, & complures aliæ sedes Pontificum, quas enumerare nihil ad propositum. Ex his planè intelligimus, proprium ac genuinum regnum Francorum esse, quod modò Teutonicorū ac Alemannorum dicitur. Quod verò Occidentalis Galliæ Reges Francorum adpellantur, fit propterea, quòd non modò reges, verum etiam omnis nobilitas ex germana Francorum stirpe genus traxerint, & quidem vtrumque nostræ tempestatis Celtarum rectores ex Francia Orientali, Germaniáue oriundi sunt, nempe Saxonia. Vitechundus namq; Saxonum mercede à Carolo Caluo conductorum dux contra Nordomannos accitus, è Germania in Galliam Lugdunensem migrauit: & Andibus, Andegauensibusúe profectus est. Vitechundi filius Rupertus primorum fortissimus, ob rei militaris peritiam, Francorum dux ab Imperatore Carolo Caluo constitutus aduersus impetus Nordomannorum, ab ipsis prælio occiditur. Eius filius Otto ob merita parentis, iussu Arnulphi Augusti regnum Celtarum procurauit. Huius frater

Ciuitates Galliæ.

Vitechundus.

Rupertus dux Francorum.

Otto.

Celtæ.

Rupertus, Hugonem Magnum Parisiorum principem procreauit. Is ex sorore Imperatoris Ottonis Magni Cæsaris Augusti, Hugonem regem Francorum tulit. Ad quem nostræ tempestatis Galliarum reges paternam originem referunt. Celtarum tamen scriptores, maximè recentiores, Germaniam, Austriam, siue Austrasiam: Celtas verò, Francos, non tam verè, quàm ambitiose nuncupant: cum nec à nobis, nec ab ipsis ita vernacula lingua nominentur, sed vtraque lingua Franzosi, hoc est, Francigenæ dicantur. Atqui vtcunque se adpellent, cognomen sortiti sunt à Francis Germaniç populis: sicut omnes Galliæ incolæ Germania oriundi sunt. Germanica cognomina retinent. Non solum Franci, sed Burgundiones quoq; Nordomanni: Belgæ olim & pars Celtarum ex Germania profecti, adhuc ferè Teutonum vtuntur sermone, & nostris Imperatoribus parent. Satis superque pro necessitate rei Francis immorati sumus, ad Carolum reuertor. Natus est D. CAROLVS anno ab orbe seruato septingentesimo altero & quadragesimo, quidem Angilæmnis, haud procul Mogontiaco genitum existimauerunt, secuti leuem coniecturam, quòd ibi vestigia prætorij, nutrimentorumq; eius adhuc locus ostendatur: quasi verò non constet inter authores rerum, Carolum iam rerum potientem, illas ædes Palatinas condidisse. Nec desunt, qui in Brabantia natum opinentur: decepti affinitate nominum. Quippe Carolomannos ibi regnasse, natosq; fuisse conuenit inter scriptores Annalium. Sed vt apud nos canitur, certioresq; tradunt, natus est in Carlsburg, quæ arx est superioris Boiariæ, & inde hoc nomen retinet, religioseque adhuc colitur, ac monstratur. Suprà plura in tertio libro retuli. Nam apud nos de ea re extat liber versibus antiquis more maiorum confectus. Educatum quidem apud Ingelhaim, non longè à Mogontiaco tenet opinio. Literis Latinis, & Græcis institutus est à Paulo Pisano, viro eiusdem tempestatis in vtraque lingua doctissimo. Quintum ac vicesimum agens annum, parentem amisit: vbi funeri patris iusta fecit, cum Carolomanno fratre, ex æquo Imperium Francorum apud Parisios partitus est. Carolomannus Austriam, Belgas, Germanias accepit. Magnus Vestriam, & Occidentalia regna Burgundiam, Narbonensem Galliam, Aquitaniam, Galliam Lugdunensem: & eius secundum Cæsarem, vrbes, Mogontiacum, Wormaciam. Insuper Aquas Graneas, quò ipse profectus regio diademate decoratur. Frater eius Augustæ Suessonum rex salutatur, septimo Idus Octobris. Eadem tẽpestate vbi mors Pipini regis euulgata est, Aquitani (sicut fieri solet, vbi qui imperia obtinuere, moriuntur) gens inquieta, rerũque nouarũ auida à Carolo defecere. Hunoldus filius Bæpharij patris arrogantiam sequutus, ingens excitauit incendium. Aquitaniam occupauit, depulsis Francorum præsidijs. Lupus quoque Vasconum princeps noua molitur. Est autem Aquitania pars Galliarum quarta, finitima Hispaniæ: cõtinetur Ligeri amne, montibusq; Pyreneis. Authores duplicem faciunt, Vlteriorem, & Citeriorem. Hæc Garunna & Ligeri fluminibus clauditur, proprieq; Aquitania nuncupatur. Vlterior à Garumna amne ad Hispanias pertinet: eam propriè Vasconiam nominant, à Vessogotis hoc nomen esse detortum autumant. Nec me fugit, Vascones in Hispania enumerari ab antiquioribus. Apud diuum Hieronymum & eos qui Romanas descripsere prouincias, tertiam quoq; Aquitaniam reperio. Ipsi nouem populorum adpellant: cohæret Pyreneis montibus, Narbonensi, & Tolosatium agro continua, quæ sunt vrbes Galliæ prouinciæ finitimæ. Quidam Auscitanam prouinciam nunc esse tradunt. Vascones Lupus, vti diximus, Hunoldus Aquitanos tenebat. Carolus in Hunoldum expeditionem indicit, accersitq; auxiliares copias à fratre, quas is pollicitus erat. Verùm prauis vsus consultoribus (qui etiã fratres germanos committere haud verentur, cum alioqui rarò sit fida regni societas) auxilia Carolo non misit: Leodioq; in Franciam redit. Erat huic ferox ingeniũ, quod pessimos nactus amicos, improbosq; magistros, plerunq; in deteriorem partem adplicabatur: ægreq; concordia fratrum mansit. Cæterùm Carolus natura beneuolentissimus, summopere cauit, ne locum simultati faceret: lenissimè tulit contumaciam fratris, eiusq; domesticorùm minus sui reuerentium licentiam astutè dissimulauit. Et nihilominus in Aquitaniam cum exercitu processit: Aquitanos in obsequium redegit, Francorũ imposito præsidio. Hunoldus cum vxore ad Vasconum principem Lupum, impar viribus Magni, fuga euasit. Hæret fugientis tergo Carolus, amneq; Garunna, qui Vascones ab Aquitanis diuidit, cũ copijs transmisso, per legatos Hunoldum à Lupo repetit: nisi ille reddatur, omnem belli impetum se in Vascones conuersurum minatur. Lupus seniorũ obsequens consilio, non solum Hunoldum cum coniuge reddit, sed ipse quoq; in verba Caroli iurat: ab eoq; Vasconiam, siue Aquitaniam vlteriorem in fidem accipit. Hunoldus in Italiam relegatus, ibi lapidibus obrutus est. Subacta itaq; tota Aquitania, in Germaniam Carolus redit, Wormaciã conuentum Francorũ indicit. Actum ibi de concordia fratrum. Bertha regũ mater ad Carolomãnum minorẽ natu profecta, filios in pace continuit. Inde per Boiariã Romã supplicandi gratia pergit. Inter redeundum Irmogardam filiam Desiderij regis Italiæ in Germaniã secum abducit, Caroloq; connubio iungit: quã ipse post annũ, quòd infœcunda vitio corporis & clinica erat, sententia Pontificũ repudiauit. Moritur inter hæc Carolomannus. Eius

vxor

Caroli Magni [illegible] Ingelheim.

Carlsburg am Vrmsehe.

Paulus Pisanus Caroli præceptor.

Hunoldus.

Lupus princeps Vasconum. Aquitania.

Irmogarda filia Desiderij regis.

vxor cum liberis,& perpaucis,qui discordias inter fratres serere conati fuerant,in Italiam ad Desiderium regem aufugit. Cæteri omnes Villærius Episcopus. Sed Vnensis, Volradus & Volocherus à sacris,Berinus,& Adolardus præfecti prætorio, cum aliis aulæ proceribus Magno se dant. Quatuor circiter annos imperarunt hi fratres. Carolus Concilium Wormatiam conuocat. Populi qui Carolomanno paruerant, in clientulos se Carolo commendarunt, atque in fidem dederunt. Apud Saxonas longè nobilissimus, ac ditissimus fuit Vitechundus. Is perfacile persuasit popularibus suis, vt Carolo rebellarent. Erant alieni à pietate Christiana, virtute præstabant, & multitudine. Omnes reges Francorum veteres, & florentissimos quosque centum quinquaginta ferè annis, & armis lacessierant, præliis ambigui, bello nunquam domiti. Carolus aduersum hosce arma induit: re frumentaria prouisa,auxiliis copiisque comparatis,Rhenum transit. Inter Rhenum & Visurgim amnes,vniuersam regionem Vestophalorũ , hoc est Occidentalium Saxonum,ferro,flamma depopulatur,agros deprædatur. Hæroburgiam primo impetu capit. Erat templum Hermionis,Saxonibus vetusta religione augustissimum, quo frequens populus coibat, & vota reddebat. Multa ibi opulenta regum, populorumque visebantur munera: ingens auri argentique ibi copia ostendebatur: quæ vota reddentium grata voluntas congesserat. Saxones Hermanni Salam vocabant: id est aulam,siue basilicam Hermanni,Hermionisue. Is fuit quintus Germaniæ Magnæ Imperator, pronepos regis Manni,filij Tuisconis, parentis,& authoris nostri. Ipsum maiores nostri ob bellica facinora in numerum Deorum retulerunt,pro numine,& belli præside hactenus coluerant. Eius fanum Magnus diripit,militibus aurum & argentum, opes Hermioni consecratas distribuit. Delubrum militari manu incendit,diruit,& solo æquat, vt ne vestigium quidem eius appareret. Siti triduana laborante exercitu,subitò torrens diuinitus,ita rumor dissipatus,iactabatur,largissimè effluxit. Saxones post tot accepta damna,destituti etiam Deo suo,primi de pace legatos mittunt ad Carolum: qui imperatis,& acceptis duodecim obsidibus,in Franciam reuertitur. Heristallij hyemat. Hoc initium Saxonici belli,quo neque atrocius,neque diurnius vnquam Francorum regibus fuit. Magna vtrinq; animorum contentione,maiore Saxonum,quàm Francorum damno,continenter per tres & triginta annos belligeratũ est. Saxones quippe,qui vt cæteri Germaniæ populi suapte natura feroces,bellorumque auidi,ferociores superstitio falsorum Deorum reddebat: cultui multorum deorum obnoxiis,nostrarumque cæremoniarum hostibus fidem frangere, pacem (vt libitum fuit) exuere, diuina,humanaque polluere,nulla religio fuit. Confinia in plerisque locis,non altitudine fluminum,neque iugis montium,nec syluis aspectu horrendis,sed camporum planicie iungebantur,mutuóque metu separabantur. Nec quicquam obstabat,quin vt quæque gens inualuerat,alterius agros inuaderet. In huiusmodi diuersorum imperiorum limitibus vti fit,crebrò cædes edebantur: crebrò prædæ inuicem agebantur: quotidie tumultuariis decertabatur præliis. Dolus fraùsque Saxonum hoc bellum protraxit tamdiu. Quotannis bello petiti sunt: quotannis rebellarunt. Haud facile dixerim,quotiens gens bellicosa,armorumque cupida victa sit: quoties auida libertatis ab imposito resiluerit iugo. Homines bellandi cupidi,vbi vrbi casas,excindi ędes, vastari agros,pecora abigi,rapi virgines,cõiuges in captiuitatem abduci,pueros diuelli à cõplexu parentum,fana atque domos spoliari,cædem, incendia fieri. Postremò armis,cadaueribus cruore,atque luctu omnia compleri videbant,supplices manus dabant, imperata se facturos pollicebantur: absque omni cunctatione, obsides, qui imperabantur, exhibebant: legatos qui mittebantur,audiebant. At vbi exercitus noster finibus excesserat, iam liberati periculo,gens quietis & ocij impatiens,deficiebant,armis correptis in Francorum patentes campos incursabant. Sæpius ita adtriti sunt, vt se cultum numinum exploslturos, & Christianam philosophiam recepturos vltrò pollicerentur. Non tam faciles ad isthæc acceptanda,quàm leues ad ea rursus detrectanda: vbi periculo liberati fuerunt, ad negandum,an promittendum proniores essent,haud facile discerneres. Capax orbis terrarũ animus Magni,quamuis simul variis locis bellis distineretur,& vndiq; circumstreperẽt arma, non passus est inultam abire gentis perfidiam. Continuò vbi pacẽ homines bellicosi exuerunt,de ipsis aut per præfectos,aut ipse pœnas exegit, & rursus malè obsequentes in ditionem redegit. Tot armorũ procellis vndiq; ingruentibus parem fuisse Carolum haud mirabitur,si quis magnitudinem animi eius,& cœleste ingenium penitus considerauerit perpetuæ in aduersis,iuxtà ac prosperis cõstantiæ fuit. Nec secundis insolescebat,nec angustis perditisq; desperabat,æquo vtramq; sortem animo compos mentis tolerabat. Viuax pectus eius ocium ac inertiam,vt peste deuitabat. Vt ad bella suscipienda alacer,ac promptus erat animus,sic resistens,ac minimè mollis ad calamitates perferendas mens eius erat, Maior profectò Alexandro illo Magno,cuius magis fortunam,quàm virtutem laudaueris. Nempe huic cum imbellibus Asiæ fœminis res fuit: nostro cum ferocissimis quibusq; nationibus,quas ne attingere quidem Alexander ausus fuit. Pessimũ boni principis exemplar, vtpote qui perpetuo successu rerum ebrius, impotensque sui, amicorum sanguine

Villærius Episcopus.

Vitechundus Saxo.

Westphali.

Irmensuel qui & Irmansaul idolum Martis in Westphalia de quo Crantzius l. 2. c. 9. Saxoniæ.

Legati Saxonum ad Carolum missi. Carolus Heristallij hyemat. Saxonicum bellum.

Magni viri laus.

inter pocula, quibus tamen victorias acceptas referebat, sese polluerit. In cæteris animi dotibus ne vllo quidem pacto cum nostro comparandus est, excepta fortuna, quæ peculiariter Alexandro perpetuò fauit. Quid obsecro in eo rege, præter flagitia, libidinem, superbiam, parricidia, & ea scelera, quę nominare mihi religio est, inuenies? De nostro verò quid attinet plura scrupulose dicere? Cui virtutes & præclara sua facinora cœlum aperuerunt. Ipse in Superum senatum adlectus, adhuc religiose colitur. Alexandrum nemo non, nisi cui fiora est, execratur. Dispeream si Hircus ille Græculus (ita enim à sacris vatibus nuncupatur) tum Saxonum immanitatem qui adhuc cruda carne, nempe suilla vesci solent, ferre potuisset. Sed ad seriem narrationis redeo. Hisce diebus Neoromæ obiit mortem

Cōstātinus. Copronym. Leon.

Imperator Constantinus Copronymus Cæsar Augustus: Romanum Imperium per manus tradidit Leonti quarto filio suo. Desiderius Rex Italiæ Romanum infestat agrum, castella, oppida Romanis eripit, quasi supplicandi gratia Romam admissus, quosdam senatorū luminibus priuat. Longobardi totam Italiam in suas partes trahere conabantur. Romani & Pontifex ad Carolum Magnum auxilium postulatum, legatum ire iubēt Petrum quendam, qui Romæ nauem ingressus, mari delatus ad portum Massiliensem adpulit. Inde terrestri itinere ad Magnum Theodouię (quæ vrbs in ripa Mosellæ, in ducatu Lutzelburgensi condita extat, medio verè itinere inter Mediomatrices, & Lutzelburgium) hyemantem proficiscitur. Vbi defunctus legatione, qua venerat, rediit Romam. Nam

Desiderius Rex Longobardorum.

Desiderius, & Longobardi omnes vias, omnia itinera, aditúsque præcluserant. Erat non leuis simultas inter hos reges. Desiderio suspecta erat potentia Caroli generi quondam sui: ipseque ignominiam filiæ repulsæ impatienter ferebat. Carolo dolebat, quòd perfugas de suo regno

Dietiēhofen

Desiderius reciperet: nepotésque ex fratre Carolomanno ad spem Imperij Francorum sollicitaret. Diu tractatum, deliberatumque est, armis ne alienis sese inuoluerent Franci. Tandem communi consensu procerum, Romanis opem ferendam esse decretum. Inde expeditio in Italiam paratur: omnes copiæ ex diuersis regionib. Ge-

Geneua.

neuæ (extremum id oppidum Allobrogum, iam Sabaudiæ, proximum Heluetiorum, Sedunorum) nunc coire iubentur. Eò quoque Carolus primo Maio venit: ibi de belli gerundi ratione consultatum: summam spem in celeritate sitam esse, copias in duo agmina partiri placuit. Pars Bernardum patruum Magni ducem, per Alpes Coccias, quas alij mon-

Cinesius mōs

tem Iouis nominant, secuta est: cum reliquis Carolus per Cibennica iuga (Cinesium montem nuncupant) penetrauit. Superato itaque Alpium iugo, celerius opinione omnium, circa fauces, quæ in Taurinum agrum ducunt, ambo exercitus conueniunt. Desiderius ibi armatus occurrit, claustra præcludit, aditu Italiæ Francos arcet. Carolus locum castris capit: Interim clanculum cohortem cum expeditis delectisque militibus per montes in Italiam præmisit, qui à tergo inuaderent Longobardos. Vbi hoc Desiderius accepit, ne

Ticinum.

quid se absente animi suorum labascerent, concitus Ticinum, quod caput gentis erat, properat. Carolus incolumi vtroque exercitu per patentes Alpium angustias, nemine prohibente, ad plana Italiæ descendit. Inde intento exercitu procedit, Ticinique Desiderium arcta obsidione claudit. Nec segnior Rex Italiæ in munienda vrbe fuit: diutius protracta est obsidio. Carolus natalem Christi in castris celebrauit: Paschalibus, dimissis copiis in obsidione, pietatis ergò Romam perrexit. Hoc tum carmine eleganti, nunc incondito

Responsoriū in diebus festis Apostolorum. Carolus fit Rom. Patricius.

exceptus est. *Ciues Apostolorum & domestici Dei aduenerunt hodie, portantes facem & illuminantes patriam: dare pacem gentibus, & liberare populum domini.* Cantari adhuc solet in festis diebus Legatorum Christi. Carolus deinde ab Imperatore, Pontifice, Senatu, populoq; Romano, lege data, Consul, Tribunus, Dictator perpetuus, Patriciusq; dictus est. Seruatur Reginoburgij illæsum adhuc diploma à Carolo Cœnobio D. Haimerani datum, cuius initiū subtexo, & finem. *Carolus Dei gratia Rex Francorum & Longobardorum, ac Patricius Romanorum donat quadam Monasterio D. Haimerani, quod situm est (vt ait) extra muros ciuitatis nostræ Reganiburgensium. Datum VIII. Kal Martij, regnorū nostrorum anno XXVI. & XX. in Francofurd.* Adfuere eadem tempestate Romæ centum quinquaginta tres Episcopi, quos Hadrianus Pontif. Romanus conuocarat: patrum consultum perpetuum, quod in libris Pontificalibus refertur, factum est, in verbáque Caroli iuratum: Nullum posthac fore neque Romanum, neque aliorum templorum Antistitem, nisi quem Carolus, successorésque eius sciuerint & iusserint. Refragantes huiuscemodi patrum decreto, diris deuoti sunt & nisi resipuerint, adiecta proscriptio. Defuncto igitur pręsule quopiam, sacerdotes lituum cum annulo ad aulam mittebat, cui ea princeps solenni ritu tradebat, is eiusdem fani rector designatus erat. Ita obseruatum esse sine controuersia ad Henrici quarti Imperium legimus. Charissimi quique ac amplissimi viri, aduenę etiam vltro aulam frequentabant, spe dignitatis augendæ & adipiscendi sacerdotij illecti, absque stipendio in omnibus principi dicto audientes erant: quemadmodum nostro æuo Romæ fieri solet. Sub Henrico quarto, & Gregorio

Nota.

septimo, cum maximo Reipublicæ Christianæ detrimento, de hoc aucupio armis, non citra sanguinem decertari cœptum. Imperatores veterem morem à tot sanctissimis pontificibus traditum, comprobatumque mordicus retinere: Max. Pontifices iam pares opibus

Cæsareis

Cæsareis in se trahere conabantur: nec amplius ferre parem, nedum superiorem, ditati ab Imperatoribus nostris, & ad id fastigij perducti, poterant. Est omnino iniquum (sicut ait Plinius) sed nobis quoque vsu iam receptum, quòd honesta consilia vel turpia, prout malè, aut prosperè cedunt, ita aut probantur, vel reprehenduntur. Inde plerunque eadé facta, modò superstitionis, modò pietatis, modò Christi, modò Antichristi, modò iusticiæ, modò tyrannidis nomina accipiunt. Diutius in se Christiani principes, summa pietatis & religionis iactura debacchati sunt. Vicit tandem Romanorum flaminum fortuna. Sed hæc omnia quàm verissimè in quinto volumine explicabo. Dum hæc in Italia geruntur, Saxones ob absentiam regis deficiscunt, arma corripiunt: continuos sibi Francorum fines, quos Hassos nuncupamus, inuadunt.

Saxones Francorū fines inuadunt. Hassi.

Buriaburgium incolæ, aufugiunt. Saxones in casas vacuas, villas, & agros sæuiunt: cuncta ferro, flamma depopulantur. Dum templum à Diuo Bonifacio consecratum, exurere nituntur, cælitus subito terrore perculsi terga vertunt, domumque pauidi reuertuntur. Carolus patriciatu, tribuniciaque potestate perpetua recepta, Roma Ticinum reuertitur: nihil omittit, quod ad expugnationem vrbis facere videbatur. Erat discordia inter ciues, pauci cum Desiderio sentiebant: pestis quoque in ciuitate grassabatur. Maxima pars pertæsi longinquæ obsidionis, aperiendas esse portas Carolo censebant. Hique tandem intra mœnia Magnum admisere, Ticinúmq; Francis tradiderunt. Captus Desiderius cum vxore Ansa & filia in Germaniam Leodium deportati sunt, ibique exules mortui sepeliuntur.

Desiderius capitur cum vxore & filia, qui exules Leodij moriuntur.

Cæteræ vrbes Italiæ exemplum Ticinensium secutæ, certatim se victori permisere. Verona capta est, in qua Antharicus Francus cum vxore Carolomanni, & liberis latitabat.

Verona capitur.

Adalogisus filius Desiderij fuga sibi consuluit, in Græciam elapsus Constantinopoli abiecta spe recuperandi perdita, in summo secundum Augustum honore quem Patriciatum nominant, consenuit.

Adalogisus filius Desiderij, Constantinopolim fugit, vbi consenuit.

Magnus compositis rebus in Italia, erepta restituit Romanis: firmo Francorum præsidio Ticini relicto, præfecto Foro Iulij Rudogaudo, in Franciam ad Ingelhaim se confert. Tres legiones ad versus Saxonas, citius quàm ipsi Carolum rediisse suspicabantur, mittit. Omnia incendiis rapina, direptionibus vastantur. Cuncti resistentes trucidati, cum ingenti præda, acceptis obsidibus, Francus miles domum redit. Subsequenti anno accitis ex tota Germania viribus, Saxoniam petit Carolus: aut penitus excisurus gentem, aut coacturus ipsam, vt philosophiam Christianam recipiat. Segiburgium, vbi validum Saxonum præsidium erat, oppugnat, & vi capit: Hæreburgium ab hoste destructum, reficit. Ad Visurgim amnem procedit. Brunonis Bergomi castra locat. Ibi manus Saxonum occurrit, à transitu fluminis nostros arcere conantur. Franci primo impetu Saxonas ripa deturbant.

Carolus Saxonas inuadit.

Rex amne traiecto quosdam ad custodiendum flumen relinquit, cum cæteris ad Oacrum fluuium contendit. Ibi omnes Ostophali, id est, Orientales Saxones, cum Duce Hessouino conueniunt, Carolo se dedunt, obsides dant, in verba Caroli iurant. Bruno quoque regulus Angriuariorum, quos inter Amisiam & Visurgim Tacitus locat, exemplum Orientalium Saxonum secutus, Magno se permittit.

Bruno regulus Angriuariorū se Carolo dedit.

Teutonico sermone & ornatu magna ex parte miles Caroli, atque adeò ipse Carolus vtebatur. Saxones igitur eiusdem cultus & linguæ Francorum, qui ad Visurgim relicti custodes fuerant, pabulatoribus hora diei nona in castra reuertentibus quasi commilitonibus suis sese commiscent: atq; in castra Francorum irrepunt. Dormitantes ac semisomnes adoriuntur, plurimos trucidant, sed vigilantium fortitudine castris repulsi sunt, in fugamque versi. Quæ vbi Magnus accepit, fugitantium terga insequitur, eosdem cædit, sternit, fundit. Occidentalium agros, Westphalos nominamus, depopulatur: & hos dare obsides cogit, cum quibus & ingenti præda in Franciam se recipit.

Carol. Westphal. cogit. Schlettstat.

Vbi certior fit, Rudogaudem, quem Foro Iulij præfecerat, noua moliri, & regnum Italiæ affectare, iamque nonnullas vrbes ad illum defecisse, Carolus festinandum sibi ratus, Silestadij oppido Elsatij natalem Christi celebrat, strenuissimum quenque asciscit.

Caroli expeditio in Rudogaudum.

Inde quam maximis potest itineribus in Venetiam contendit & Forum Iulij peruenit, Rudogaudem in potestaté redigit, securiq; percutit. Taufrisium ac cæteras vrbes præsidio Francorum firmat, his præficit Henricum. Inter hæc Saxones opportunitatem, vt ipsi rebantur nacti, quod longius Francorum Rector abesset, pacem exuunt, Hæreburgium obsidione claudunt.

Defectio Saxonum.

Tandem pulso præsidio Francorum, expugnant, incendunt. Inde Segiburgium infesto tendunt exercitu. Nec mora, castrum admotis scalis adoriuntur: Franci qui intus erant, hostes incautius oppugnationi intentos, eruptione facta, à tergo inuadunt: plurimis interfectis, reliquos non solum ab oppugnatione repellunt, sed in fugam quoq; vertunt: palantes dispersósq; vsq; Luppiam flumen persequuntur. Inter quē & Amisiam Cor. Tacit. Bructeros collocat: sicut inter Visurgim & Albim Cheruscos. Nos omnes huiuscemodi nostro æuo gentes in communi Saxonas appellamus. quæ cum Augusto, Tiberio, Claudio potentissimis Imperatorib. Romanis bella quoq; gessere.

Cor. Tacitus de Germanorū moribus.

Nec deterruit eas magnitudo Romani Imperij, quo minus armis victorem gentium populum, rerumq; dominos lacesserent, ex Germaniaq; vi deturbarent. Carolo cum id nunciatum esset, Saxones fidem denuò fregisse, expugnasse Hereburgium, maturat ex Italia proficisci, Worma-

Carolus iterũ bello moto in Saxones eos sub potestatem suã redegit.

Wormatiamque properat. Ibi coactis ingentibus copiis, celeritate conatus hostium omnes præuenit: fines Saxoniæ absque cunctatione penetrat, velut turbo omnia humi sternens, castella, oppida impetu vasto irrupit, cuncta obuia proterit. Saxones hisce perterriti ad Luppiæ fontes conueniunt, supplices veniam præteritorum orant, sese & omnia regi committunt: pietatis quoque Christianæ iugum se subituros pollicentur. Rex Hæreburgium instaurat, aliud castellum in ripa Luppiæ construit. Ibi Saxones lauacro cœlesti lustrati sunt, obsidesque dederunt. Refectis castellis, præsidioque imposito, Rex in Franciam Heristallium reuertit. Vbi cum hyemem exegisset, primo vere Neomagum, inde in Saxoniam cum valida manu procedit: conuentum Saxonum Padebrunam Maio mense indicit. Omnes Saxones eò conuolarunt. Ibi fidem Carolo, eiusque filio dederunt, conceptis verbis iurarunt se nũquam defecturos à Christianismo. Quod si atro genio acti tantum scelus commiserint, deminuto capite in seruitutem redigantur, extorres, lare, foco patria, in exilium extrudantur cum liberis & coniugibus: ius denique testandi succedendique amittant. Witechundus occidentalium Saxonum primarius cum paucis Saxonibus in Nordomanniam ad Segefridum Danorum regem aufugit, auxiliúmque cõtra Carolum petiuit. Ad quem in Saxonia agentem Ibinarabus & Iosephus cum multis Saracenis ex Hispania profecti sunt, deditionemque fecerunt. Idcirco compositis rebus Saxonicis, dispositis in cõfinio præsidiis, expeditionem Hispanicam Magnus parat: & quam maximo potest apparatu innumeras copias vndique accersit. Ex Burgundia, Germania, Boiaria, pars etiam Longobardorum in auxilium venit. Superato itaque in Vasconum regione Pyreni iugo, Magnus Pompelonem Nauarrorum oppidum in deditionem accepit. Inde ad Iberum flumen castra mouet. Transmisso amne, Cæsar Augustam maximam in his locis ciuitatem, quam veteres Numantiam vocarunt, accedit: ibi acceptis obsidibus à Saracenis, subactis Nauarris atque Vasconibus, Pompelonem victor reuertitur. Mœnia eius ne rebellare posset, dirui iubet. In Pyreneis iugis transeundis perfidia Vasconum non mediocre vulnus accepit. Cogebatur ob angustias loci exercitus lõga acie progredi: Vascones in verticibus montium in insidiis latebant. Sunt enim ibi syluæ maximæ, quarum opacis vmbris locus est opportunus insidiis. Hostes subitò de editiore loco in extrema impedimenta tutatores impetum faciunt, ac in subiectam vallem deturbant. Fit prælium impari fortuna: Vascones superiores loci situ, leuitate armorum, nostros graui armatura, & iniquitate loci oppressos, ad vnum omnes trucidant, impedimenta diripiunt, beneficio noctis, quæ imminebat, protecti subitò in loca tuta, ac nota absque periculo dilabuntur.

VVitechũd. Occidentalium Saxonũ primarius, à Danorum rege auxiliũ petiit contra Carolum.

Eckhardus Anshelmus Rulandus: Næmus ab aliis Namus

Cecidere eo prælio Eckhardus regiæ mensæ, Anshelmus prætorio præfectus, Rulandus Dux Britannici limitis, Næmus Boiaricarum copiarum ductor, cum compluribus aliis. Nec hæc tam insignis clades vindicari potuit, quia hostis adeò dispersus erat, vt ne vestigium quidem, vbi quæreretur, adpareret. Inter redeũdum Hyldegarda regina geminos peperit, vnus duntaxat superstes fuit, cui Ludouico parentes dixere nomen. Iisdem diebus Witechundus, vbi vidit regem in Hispania longius abesse, ex Dania regressus domum Saxones populares suos aduersus Carolum concitat: illique correptis armis, ad Rhenum promouent. Quem cum superare non possent, à Tuisconis oppido è regione Agrippinẽsis Coloniæ, vsque ad confluentem Mosellæ cuncta ferro, igne proterunt: sacra, prophana omnia miscendo polluunt: nec ætatis, nec sexus rationem habent. Monachi Fuldenses Saxonum veriti crudelitatem, sumptis sacris de templo aufugiunt, in latebris Herciniæ se condunt. Quod vbi nunciatum est, Carolus Heristallios cum cæteris copiis ad hyberna contendit: Franconas, & Boios properare, & obuiam ire conatibus hostium demandat. Illi quàm maximis possunt itineribus trans Rhenum contendunt. At Saxo vbi audiuit aduentare certissima semper regis auxilia, domum abire parat. Nostri vestigiis hærent, Adranam amnem, in pago Hassorum, consequuntur hostem, & mox cædunt, fundũt: paucissimi Saxonum incolumes euasere. Cornelius Tacitus in historia Augustali, Adranam flumen Chattis tribuit, ipse nunc Hassorum est? seruat ibi antiquum præfectura, principatúsque nomen. Carolus cum reliquis viribus Heristallios in hyberna concessit, natalem Seruatoris nostri & Paschalia ibidẽ ritu Christiano perpetrauit. Hyldebrandus Dux Spoleti (vrbs est Italiæ in Germaniam profectus est, Carolo deditionem facit. Inde Magnus arma in Saxones mouet: omnésq; Occidentales in ditionem cogit. in ripa Visurgis castra locat, Angriuarios, & Orientalis Saxoniæ nationes ad obsequium redigit: acceptaq; fide, & obsidibus imperatis, VVormatiæ hyematurus in Franciam reuertitur. Sequenti quoque anno cum magno exercitu Saxonum fines intrat, ad fontes Luppię consider: quo conuentum totius regni conuocarat, vt facilius Saxones magis victi, quàm domiti in amicitia, & societate continerentur. Dimisso concilio, infesto intentóque exercitu ad Albim vsque procedit. Citeriorem ripam Saxones, vlteriorem tum Venedi, siue Sclaui inhabitabant. Plærique hostium, aqua cœlesti lustrati sunt. Compositisque rebus Saxonicis, atque Venedis, Romam voti soluendi gratia, cum Hyldegarda vxore & liberis pergit. Natalibus Christianis rem diuinam Ticini fecit, Paschalibus Romæ. Obierat tum Imperator Leon

Adrana fluuius.

Hyldebrandus Dux.

quartus

Leon 4. Imp. Constantinopolitanus. Rudruda quae & Rotrudis. Pipin. filius Caroli. Carolus conuentum habet. Sigefridus Rex Danorum. Hos legatos. Crantzius. Alidem & Asmundum vocat lib. 2. ca. 13. Sax.

quartus Cæsar Augustus Constantinopoli. Vxor eius Irena cum filio Constantino quinto, cui Rudruda filia Caroli despondetur, rerum Romanarum potitur. Pontifex Romanus Carolomannum filium Magni, lauacro sacro abluit, Pipinúmque vocat. Ludouicus alter filius Caroli in cunis Romam gestatus, rex Aquitaniæ salutatur. Inde Carolus Mediolanum proficiscitur, vbi filia eius Gisala fonte viuo lustratur. Carolus mense Maio, vti Francis tum solenne fuit, concilium totius regni Wormatiam indicit. Interfuit & Thessalonus tertius Dux Boiorum, amitinus Caroli. Hoc anno cruces in vestibus adparuere, sanguine pluit, qui & è terra fluxisse traditur. Alia quoque multa prodigia narrata sunt. Carolus conuentum regni ad fontes Luppiæ rursus cogit. Præsto fuere omnes Saxonum proceres, præter Witechundum rebellem. Ad paruere legati exterarum gentium Aldodanus, & Hosomundus Sigefridi regis Danorum, & Iugurri, Cacani Auarorum. De pace & amicitia actum est. Francus Rex rebus dispositis, in Franciam reuertitur Wormatiam. Interea Venedorum gens Sorabes dicti, qui inter Albim, & Salam considebant, vbi nunc Moësij nominantur, in fines Turogorum, & Saxonum, qui erant contermini, prædandi causa ingressi, igne, direptionibus quædam loca vastant. Witechundus quoque à Nordomannis, ad quos profugerat, in patriam reuersus, magna spe animos Saxonum erigit, ad defectionem concitat. Iam copiæ Caroli ex antiqua Francia delectæ ducibus Adelgiso, præfecto cubiculi, & Grilone magistro equitū, quem Magistrum stabuli nuncupamus, cum Wolrado aulæ moderatore, fines Venedorum adtigerant. Vbi audiuere defectionem Saxonum, in hos armati contendunt. Venit his obuiam Theodericus cognatus regis, qui raptim ex Ribuaria, vbi certior factus est hostem fidē datam fregisse, militem collegerat. Atque hi communicato consilio exploratores mittunt, vbinam gentiū Saxones, & quid rerum agant. Consederant in Aquilonis ora circum montē quendam continuum Visurgi amni. Quod vbi per exploratores nostris renunciatum est, eò instructa acie tendunt. Theodericus citra cum suis castra locat: alij Visurgim traiiciunt, vt montem circumeant, & in altera ripa papiliones figant. Et veriti ne titulus victoriæ Theoderico adscriberetur, si eundem socium certaminis adsciscerent, aut expectarent, sine illo Saxones adgredi statuunt, sine ordine. Incomposito itaque agmine, solutis ordinibus, inuidia cæcutientes, correptis armis in Saxones ruunt, quasi ad prædam & non in acerrimū hostem, in acie consistentem, sed terga vertentem properant, quo quemq; impetus equi tulit delatus. Saxones qui pro castris in acie stabant, fortiter Franconas magis festinātes, quam maturantes excipiunt: & dato loco circumueniunt: plærosq; interficiunt. Paucissimi qui euaseread castra Theoderici confugiunt. Legati duo Adelgisus, & Grilo cecidere: succubuere & quatuor principes, viginti nobiles, clarissimis orti natalibus, præter cæteros quos fama obscura recondit. Celeriter ad Carolum huius cladis fama perlata est, qui Saxonibus recenti victoria elatis, quam maturrimè occurrendum putabat. Quam celerrimè igitur coactis copiis, cum valida manu, magnis in Saxoniam contendit itineribus: ad confluentes Alaræ, ac Visurgis, castris locum capit. Ibi statiua habet, Saxones subigit: proceres omnes accersit, authores perfidiæ diligentissimè inquirit, atque tradi sine cunctatione iubet. Erant numero ad quatuor millia, & quingenti, omnes vno die, eodem in loco, iussu Magni securi percussi sunt. Horum clade facta, Witechundus caput horum malorum ab omnibus accusabatur. At ipse vbi venditare Carolum sensit, fuga sibi non præter solitum consuluerant, ad Cimbros, siue Danos atque Nordomannos incolumis euaserat. His perpetratis, Carolus in Franciam ad Diettenhofen ad hyberna redit. Eodem tempore naturæ concedit Hyltgarda regina, pridie Kalendas Maij, atque adeò festo, quo Christus cœlos conscendit. Carolus vbi inferias vxori dedit, in Saxoniam rursus rebellem copias ducit: cum hoste aperto Marte confligit, magnaque strage eundem adficit. Perpaucos hostium fuga saluauit. Parta victoria, Francus Padobrunnam reuertitur, castra ibi ponit: maiorem exercitum, quem de Francia antiqua acciuerat, operitur. Vbi hæc cognouit, Saxonas delectus agere, omnes qui arma ferre possent, vnum in locum Hasę flumini conterminum conuenisse, hic Francorum aduentum expectare, atque ibi decertare constituisse. Quod vbi, vt dixi, Carolus comperit, quam celerrimè ad hostes properat: intrepidus toties rebelles, victosque adgreditur, fundit, trucidat. Eadem felicitas regem non deseruit. Cæsa est infinita multitudo hostium, magnus captiuorum numerus abductus, ingens præda capta. Victor inde Visurgim exercitus traducit, ad Albim vsque & Orientales Saxonas procedit. Omnibus vicis, ædificiis incensis, frumentisque succensis, se in fines Franciæ recipit. Hisce diebus moritur Bertha mater Caroli, quarto Idus Iulij. Carolus Wormatiæ Fastradam filiam Rudolphi principis Franconiæ vxorem ducit: confectisque nuptiis, ad reliquias belli Saxonici persequendas animum intendit. Nam non solum Saxones desciuerant, sed & Frisorum partem ad sua studia, armorúmque societatem traxerant. Rex igitur Saxoniam orientalem totam peragrat, nemini parcit, omnia vsque Visurgim vastat. Illuuies aquarum ob iuges pluuias, Orientales & Septentrionales Saxonas defendebat. Carolus cum parte exercitus filium Carolum contra West-

Hyltgarda quæ & Hildegardis, obiit.

Bertha moritur. Fastarda quæ & Sestrada vxor Caroli.

Westphalos dimittit. Ipse per Turogum fines in campestria Saxoniæ, quæ Albi, atque Salæ fluminibus circumiecta sunt, deuenit. Depopulatis orientalium Saxonum agris, ac villis, & casis combustis, in Franciam redit. At Occidentales Saxones iuxta Luppiam copias cogunt: cum filio regis manus conserunt. Victoria penes Francos fuit. Victor Carolus filius Wormatiam ad genitorem cum triumpho reuertitur. Nulla quies ab armis dabatur optimo principi. Quemadmodum mea memoria Carolus Dux Geldriæ, ab Imperatore Maximiliano, eius liberis, & nepotibus Philippo, Margaritha, Carolo, & Ferdinando sæpius victus, tamen semper a Francigenarum rege refectus, & concitatus hactenus rebellauit: sic cum Witechundus confisus opibus regis Danorum, nullo non anno à popularibus receptus, res nouas molitus est, negociumque nõ mediocre Francis exhibuit.

Carol. filius Mag. Carolus Dux Geldriæ. Maximilianus Imp.

Carolus iniquissimo ferens animo, gentem toties à se superatam nõ cessare ab armis, bruma rigente Saxoniæ fines hostili animo intrat: in castris super Ambronem flumen natalem seruatoris, & authoris nostri feriatur: ad Oceanum vsque, Visurgimque amnem cuncta terrarum peragrat, cum milite armato, & ad obsequium redigit. Ab vlteriore Saxonia hyemis asperitas pluuiæ crebræ prohibuere, nostros Magnus Hereburgium hybernatum concedit. Eò vxorem cum liberis accersit, per se, per Duces continenter agros hostium incursat, prædas inde agit, pagos vastat, casas exurit, cuncta incendiis, & cædibus, implet. Tota Saxonia fœdissimè depopulata commeatus ex Francia adducti sunt. Subsequenti anno concilium vniuersæ Franciæ Maio mense Badobrunam indicit. Dimisso conuentu, omnes Saxoniæ fines perreptat, nullo penitus iam resistente. Missi deinde legati sunt, quorum princeps erat Amalouinus Franco, cuius authoritas plurimum in aula pollebat, cum Saxonibus ad Witechundum, & Albionem, qui in Saxonia transalbiana, exulabant. Ipsis gratiam Carolus faciebat: veniam præteritorum, atque obliuionem, si resipiscerent, codonabat. Witechundus & Albio igitur, acceptis obsidibus, quos petiuerant, fideque publica interposita, ad Carolum à legatis deducuntur, Christianamque religionem recipiunt. Ita Saxonia tota subacta aliquot annos quieuit, ab armisq; respirauit.

Saxonia depopulata. Padeburna ab aliis dicta. Amalouin. Witechundus. Albio. Hæc Crantzius l. 2. c. 13.

Eadem tẽpestate Hartorhadus in Franconia cum sociis aduersus regem conspirauit, quod Carolus nimium deditus vxori imperiosæ sæuius cum Francis ageret: crudelitatiq; muliebri indulgens à sui ingenij benignitate, innataque clementia exorbitaret. Sed coniuratio detecta est, indicioque regi delata, authores partim cæcati, partim in exilium acti sunt. Nemo vita mulctatus: tres duntaxat, qui se strictis gladiis ne comprehenderentur, defendebant, interfecti sunt.

Saxoniæ Hartorhadi conspiratio.

Dum hæc in Germania geruntur, Britanni (qui ab Anglis, ac Saxonibus Britannia insula pulsi sunt, & traiecto mari in vltimis Galliarũ finibus Venedorum, & Curiosolitarum consederant) hactenus tributarij regibus nostris vectig. [illegible] uiti pendebant, ab imposito iugo resilire conabantur, imperata detrectabant. Ad horum motus comprimendos Adolphus epularum curam habens, à rege cum exercitu missus est. Qui celerius opinione, audaciam perfidæ gentis compescuit: acceptos obsides cum proceribus ad Carolum in Vangionum vrbem deduxit. Ibi in verba Caroli iuratum. Britannos eo tractu, vbi nunc nominantur, in Gallia Belgica Plinius quoque recenset, adeò vt superior opinio de Britannis ab Angliis pulsis. & tum demum in Gallia nominatis, dubia esse videatur: quanquam vtrumq; verum esse possit. Et antea in Gallia quidẽ consedisse Britannos, & postea ab Angliis pulsos, ab insula ad illos in Galliam concessisse.

Britanni tributarij regis. Adolphus mensæ regiæ præpositus.

Erat tum Italia in duos principatus diuisa. Quicquid ab Alpibus hinc vsque Rauennam, illinc vsque ad Vulturnum amnem, Neapolimq; latè porrigebatur, præter Vrbem Romam, Longobardorum regnum erat. Cætera Romanis, & eorum Imperatori parebant. Pacata itaque Germania Galliáque, Carolus Beneuentanum ducatum Longobardici regni, vltra Romam, vbi nunc regnum Neapolitanum est, adiicere regno Italiæ Longobardorumque decreuit. Turpissimum sibi, ac Reipub. Francorum esse arbitrabatur, reliquum regni nõ adserere, cuius maximam partem, atque caput teneret. Periculosum esse videbat, tam propinquum habere ducem, qui dicto audiens non esset. neque sibi hominem ferum, bellandi cupidum, obtemperaturum existimabat, quin cum ansa prębita foret, res nouas moliretur, & pacem Francam interturbaret. Huiuscemodi rebus Carolus commotus, maturandum sibi existimauit, ne si Beneuentani cum Græcis coniungerentur, minus facile resisti posset. Itaque copiis Francorum quam celerrimè potuit contractis, magnis itineribus acri hyeme, in Italiam contendit. Florentiæ Tusciæ vltimo Decembri feriis Christianis operatus est. Inde Romam maturat, vbi maximo honore exceptus est à Romanis, eorumque Pontifice: aliquot dies Romæ versatus est.

Italia in duos principatus diuisa. Longobardorũ regnum.

Hæregisus Dux Beneuentanus metu perculsus, vbi se peti tanto rerum apparatu audiuit, Rumoldum filium, legatos item alios, cum ingentibus donis ire iubet placatum eundem muneribus, pacémq; postulatum. Promittebat se potestate regis, ibique, vbi præscripserit is, futurum, & ea facturum, quæ imperauerit. Magnus admonente Pontifice Romano præcauendum sibi homines fraudulenti dolos existimauit, retento itaque secum filio ducis, armatus fines ducatus Beneuentani ingreditur: ad Capuam, quam cepit, castra locat. Inde omnem vim belli in Beneuenta-

Hæregisus Dux. Rumoldus.

neuentanos conuersurus. At Hæregisus Beneuentum deserit, Salernum aufugit, ibiq; se munit. Nihilominus Grimoldum alterum filium suum ad Carolum legat, aurum, obsides offert, pacem supplex petit. Vnum illud orat, vt timori suo concedatur, ne in conspectum regis, aut cuiusquam Franci veniat. Cæterùm in fide Francorum se, quoad vita suppetat, fore, persanctè iurat. Carolus conuocato concilio suorum, sententias rogat. Pontifex Romanus bellum persequendum censet, sed sacerdotes cæteri & amici regis, ne pauperes, & agri vastarentur, sacri, prophani ad egestatem redigerentur, postulationem Hæregisi ab iusto nasci timore, veniam petenti dandam, obsides accipiendos esse, & manere, iudicant. Adsentitur his Carolus, Hæregisum in amicitiam & societatem accipit: duodecim obsides imperat, tertium decimum Grimoldum filium esse iubet. Quotannis quinque & viginti millia nummûm aureorum tributum imponit. Beneuentani omnes in verba Caroli iurant: qui acceptis obsidibus, paschalibus Romam reuertitur. Adsunt legati Imperatoris Romani, de concordia principum, & connubio liberorum actum est. Mortuo hisce diebus Hæregiso Duce, Beneuentanis à Rege filius illius Grimoldus præficitur. Eadem tempestate Romæ fuisse Thessaloni tertij, Ducis Boiorum, legatos, & quid actum sit, suprà in tertio libro narraui, nec opus est hic repetere. Carolus Ticino in Germaniam redit. Longobardorum nobilissimum quemque secum ducit, in Franciámque relegat, Wormatiam conuentum regni indicit. Inde Boios triplici exercitu petit: pace firmata cum Boiis, ad Ingelhaim in hyberna concedit. Eò in Maium mensem concilium indicit. Vbi Thessalonus regulus Boiorum cum vxore, & filio dignitate mouetur: in ordinémque Monachorum, deminuto capite, redigitur. Boiaria Regi, sententia procerum, Pontificúmque adiudicatur: quæ omnia suprà enarrauimus. At Hunni, & Auares, vti Thessalono promisere, duplici agmine inuadunt fines Boiorũ infra Oenum amnem, vtroque malè pugnant, & amissis multis, domum cum dedecore, atque maximo detrimento repulsi sunt. Quam iacturam velut vindicaturi, iterum Boios maioribus longè copiis impetunt. Sed in campo Iboræ primo impetu à Boiis ad Danubium propelluntur: innumera cæsa est multitudo: multi sibi fuga consulere, & tranare Danubiũ conati, submersi sunt. Dum ista hæc in Boiaria fiunt, Constantinus Imperator Romanus suspectam habens potentiam Caroli, Theodorum Siciliæ præfectum fines Beneuentanorum vastare iubet. Hyldebrandus Dux Spoletanus, Grimoldus qui patri Hæregiso in ducatu Beneuentano successerat, Vinogisus legatus Caroli, cum Francis, & Longobardis in Calabria copias Imperatoris vincunt, Longobardorúmque regno eiiciunt: cum ingenti præda, captiuorumque numero ad castra reuertuntur. Porrò Carolus Reginoburgium, quod caput Boiorum est, proficiscitur. Grauissimum cùm Thessalono regulo Boiorum bellum fore metuebatur, citra tamen sanguinem (ait Eginhartus Magister Epistolarum Caroli) confectum est, Boiariáque absque armis in potestatem regis Francorum deuenit. Erant duo sacerdotes Diuus Amalbertus, & Vto in Boiaria inferiore, cæteris pietate, & eruditione antestabant. His Magnus, & eorum symmystis templum magnificè construxit supra hostia Isaræ, vbi riuus Metena, qui nomen Monasterio facit, in Histrum fertur. Illi adhuc ibidem religiose coluntur. Rector Francorum compositis rebus in Boiaria, limitũ præsidiis collocatis, præside Geroldo dato, ad Aquas Graneas in hyberna concedit. Atque Carolum Magnum, cum Reginoburgensibus, tum alienis à religione nostra, conflixisse, superos atque genios pugnæ interfuisse, cœlitus gladium Carolo demissum esse, ipsum Boios oppugnasse, sub iugum religionis Christianæ misisse, vrbem vi cepisse, locum castrorũ in templum, quod à Diuo Petro consecratum sit, cernentibus noctu in tenebris nescio quibus Scotis, vertisse, falsum esse confidenter existimare debemus: fabulæ sunt impostorum, ad quæstum confictæ, qui prædam (vt ait Hieronymus) putant religionem. Nos veritatem in tertio libro suprà verissimè simul & copiose enarrauimus. Commenta, atque imperitorum deliramenta prætereo: acta, fastos, diplomata ego sequor. Huiuscemodi ineptias atque nænias noctuis relinquo: quarum oculi lucem solis ferre nequeunt. Huiuscemodi nebulones, figmentis, merisque miraculis rudes vilis plebeculæ animos oblectare, & in admirationem sui rapere solent. Eget enim (teste Diuo Hieronymo) falsitas multa operositate persuadendi, vt vera videatur. Quamobrem vultures illi, cadauerum appetentissimi, vulgi indocti simplicitati nugis suis, & superstitionibus imponunt, pecuniæque plagas tendunt. Reginoburgij quidem sacra quotidie fieri, atque hisce à cœlesti auxilio triumphóque cognomina indita esse, vulgo iactare non negauerim. Ad populum phaleras: ego te intus, & in cute noui: fateor & hoc, & video. Imperitissimorum nebulonum fabulæ depictæ, suspensæ, trophæis erectis, saxo literis incisæ, contra publicam instrumentorum, vrbis, patriæ, & regum authoritatem impudentissimè cófictæ leguntur, & spectantur: sed quas ipsimet, qui commenti sunt, eradunt, & quotidie emendare conantur. Adeò inuicta est veritas, licet tot insidiis circumuenta, tamen elucet. Nullum tam impudens mendacium est, quod teste careat: ingeniosissima est auaritia ad fraudes, ima summis confundit. Cælum ipsum, fabulásque, inanes sibi seruire cogit. Deos infimos, medioxi-

t mos,

Hæregisus pacem a Carolo petit, & impetrat.
Carolus Romam reuertitur.
Hæregisus moritur.
Thessalonus Dux Boiorũ priuatur ducatu.
Hunni. Auares.
Boij cæsi.
Constantinus Imp. Theodorus Siciliæ præfectus. Hyldebrandus Dux. Vinogisus.
Boiaria in potestatem Francorum reuacta. D. Amalbertus. Vto Meten monasterium. Geroldus præses. Scotorum figmenta.
Veritas inuicta.

mos,supremos,stipendiarios facit. Istæ vulpeculæ fretæ rudiate vulgi imperiti, prætexunt mendacio suo religionē: dulci melle venena oblita propinant. Ducētos ante annos, quàm Carolus nasceretur,Christiani fuimus. Rupertos,Ingenuinos,Columbanos,Eustasios,Haimeranos,Erhardos,Hyldulphos,Altonas,Corbinianos,Bonifacios, Willebaldos, Vergilios Sympertos,Errudas,Regintrudas, Walpurgas, Thessalonos, tot sanctissimos martyres,Pōtifices, doctores,principes tot sanctarum virginum, sacratorum virorum examina,populariumque greges in cœlum præmisimus,& nondum Carolus Boiaria potiebatur ne dicam natus erat. Isti fallaciarum fabri,mendaciorum loquacissimi,malè de ciuitate, quæ non modò Boiariæ,sed Germaniæ Magnæ quoque clarissima est, peius de Boiis merentur: quorum tot ciues egregios,tot maiores,affines,cognatos,amicos principésque optimos,monachos,sacerdotes,nota impietatis,perfidiæque inurunt:& de cœlo ad inferos deturbant. Pessimè de Christo seruatore nostro sentiunt: cuius vires lacessere non erubescunt,cum ei infinita millia dedidiciorū subtrahunt, in partésque hostium trahunt. Sed ad historiam reuertar. Cum esset Carolus in hybernis ad Aquas Graneas, crebri rumores ad eum adferebantur,literisque item certior fiebat, omnes Sclauos,antiquissimos, valentissimos Germaniæ Magnæ populos,quos Venedos Romani, & Teutones nuncupant,contra se,atque Francos coniurasse,Abroditarum fines incursare. Hi amici erant,& Saxonibus continuabantur trans Albim,in ora sinus Codani sedebant. Eorum vrbs Wismariam,ac Mechelburgium fuisse,sunt qui tradant. Sinus quidem incompertæ magnitudinis, ab Septentrionali oceano, qua Germaniam Magnam alluit: à Fauonio Eurum versus,ab Albi flumine ad Vistulam,& vltra protenditur,citrà,rerum authores Sinum Codanum,vltrà,Venedum nuncupant. Hunc ferocissimæ nationes circumsident. Dani siquidem,& Suiones,quos in commune Nordmannos Franca, ac Teutonum lingua, hoc est,Septentrionales viros vocamus,Aquilonis litus,& omnes in eo insulas complent. At Australem oram tenebat Æstiorum gens,succinum,ac glesum legens. Deinde aliæ Venedorum nationes ferocissimæ (capita enumerasse sufficiat) Sorabes, Boiemi, Abroditæ fœderati: his continuabantur Veletabi,& Vilizi: atque hi authoritate & hominum numero valebant: maximéque feri inter illos habebantur. Plærisque huiuscemodi Venedis successere Saxones,qui sub Saxonum Imperatoribus ad ea loca translati sunt. Carolus in Agrippinensi Colonia ingētes copias ex Saxonibus Francis,Frisiis comparat, Ludouicum quoque filium regem Aquitaniæ in auxilium accersit. Rhenum inde exercitus transit,per Saxonū fines ad Albim procedit. Ibi castris positis, Magnus flumen duobus pontib. coniungit,quos vtrinque,qua ripam contingebant, vallo,turribus ligneis,limo oblitis, firmo relicto præsidio,communit. Inde ductore Bizone Abroditarum principe, qui amici & socij erant, in Vilizorum fines deuenit. Agros vastat,vicos,ædificia incendit, cum Vilizis,Boiemis ferro decernit. Hisque deuictis,cæteri Venedorum sine pugna se tradiderūt. Dragouitus hisce coactus malis Rex Sclauorum vltro se,obsides & fidem dedit. Magnus subactis ferocissimis nationib. vsq; ad Vistulā amnem in Saxoniā redit. Absolutis rebus Saxonicis,se in hyberna Wormatiam recipit, ibi natalibus & Paschalibus omissa armorū tempestate,posthabita rerum prophanarū bellicarumq; solicitudine, & cura,sicut religiosissimi mos erat principis,cœlo duntaxat intentus,votis & supplicijs solennibus, auxiliū supremi numinis sibi parabat. Bellicoso regi hoc anno ab armis quies data est. Ipse in toga absq; Marte Wormatiæ versatus,rebus ciuilibus operā nauauit. Et ne ocio torpesceret,Mæno nauigat ad Salizam,prætorium id celeberrimum regum Franciæ in Germania Magna,iuxta Salam flumen extructū. Inde qua venerat in Mæno Wormatiam Vangionū vrbē reuertitur. Vbi Palatinæ ædes nocturno incendio conflagrarunt. Hoc eodem anno venere legati Hunnorum,de confiniis, constitutione limitum duorum Regnorum Boiariæ, & Auariæ actum est. Nam Hunni (quos etiam Auaros, & Auares à Rege quodam ita cognominatos Annalium scriptores, nostri verò Abares,Abarósque adpellant) Boiis contermini erant. Certus,notusque limes duarum gentium flumen Anassus fuit. Supra ad Fauonium vergens Boiaria erat: infra Hunnia,eadem & Auaria: sicut docet Eugenius secundus Pontif. Maxim. scribens ad Pontifices Regni Boiariorum, nimirum ad Rathefredum Fauiensem,qui nunc Viennensis,Methodium Auguturensem, siue Iuliomontanum,Olomontiumque,Alchouinum Nitrauensem,Annonem Vetuariensem,& ad Tutundum,& Moëmarum regulos Morauorum,vt obtemperent Vrolpho archiflamini Laureacensi,Episcopo Bathauensi,pastori & parenti eorum Ecclesiastico. Ego verò in diplomatibus quibusdam Imperatorum nostrorum, maximè Caroli Magni, & eius filij Ludouici Pij,quæ data templis Boiariæ extant, supra Cecium montem,qui Caluus est,reperio Hunniam propriè nominari,infra Auariam. Nam ab illis in Hunnia Ceisenmurus,Traisma,Tullana,Wachouue,Spica,Chremissa: In Auaria Liza, Circopagus, Comagenus mons, Comobergi enumerantur. Carolus tamen Magnus in alio diplomate,quod Vrolpho præsuli Altaichij inferioris dedit, Bylachum fluuium, qui infra Melicum Danubio iungitur,Auariæ tribuit. Eius instrumenti initium hoc est: *In nomine patris, & filij, & spiri-*

Sclauorum antiquæ sedes Vuimar. Meckelburg

Sinus Codanus. Sinus Venedus. Dani. Suenes.

Bizo.

Dragouitus Rex.

Hunni. Auares. Anassus.

Vrolphus Archiepiscopus Laureaci & Pataui a. fuit anno domini 805.

& spiritus sancti. Karolus Serenissimus Augustus à Deo coronatus, Magnus, pacificus Imperator, Romanum gubernans Imperium, qui & per misericordiam Dei, Rex Francorum & Longobardorum. Inde calce subscriptum est: *Datum VI. Kal. Dec. Anno Christo propitio Imperij XII. Regni in Francia XLIV. in Italia XXXVII. Actum Aquugrani palatio regio.* At filius Magni Imp. Ludouicus Pius in tabulis, quas Reginerio Bathauensi Episcopo consignauit, flumen Erlaphum, qui supra Melicum in Danubium profluit, Hunniæ adscribit. Caput eius instrumenti: *In nomine Dei & saluatoris nostri IESV CHRISTI, H Ludouicus diuina ordinante gratia Imperator Augustus, &c.* Aera verò: *Data Anno incarnationis DCCCXXII. indictione prima, IV. Kalen. Iulij, regnante domino H Ludouico annos decem feliciter, Amen. Actum Francofurd in Dei nomine.* Erasmus Mintzius D. Haimerani præsul, ostendit mihi Reginoburgij diploma, cuius initium: *In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Otto diuina fauente clementia Imp. AVG.* Refert, Volfgangum Reginoburgensis ædis, quæ D. Petro, & D. Haimerano dedicata est, Episcopum in Auaria, inter Erlaphum maiorem, & minorem Ibissum amnes, qui locus longo tempore desertus fuerit, Colonias Boiorum deduxisse: dat his castelli construendi, muniendique aduersus Vgros potestatem. *Datum pridie Idus Octobris, Anno Christi DCCCC. LXXIX. Anno regni Ottonis secundi XV. Imperij IX. Actum Reginæ.* Proinde promiscuè, ac sine discrimine hæc vocabula in commune rerum authores vsurpant, tanquam pro vna gente, & pro eo tractu Norici, qui infra Anassum amnem Orientem spectat, ad vtramque Danubij ripam. Possedere quidem plæraque etiam Boij infra eum fluuium, quæ mutuo metu ab Auaribus & Hunnis separabantur. Cum itaque de limitibus Boiis, & Auaris non conueniret: & Auari gens efferatissima, infestissimaque Boiis templa, oppida, vicos, agros Boiorum in confiniis crudeliter depopularetur, Carolus illis bellum indicit, anno ab orbe seruato septingentesimo super nonagesimum. Ipsos Hunnos, siue Auares, Boiis, cum hi adhuc multos deos colerent, societate militandi coniunctos fuisse, & pulsis Romanis Noricum inter se diuisisse, suprà narrauimus. Porrò Auari portionem suam, nouem segmentis & circulis, quos Rhingos & Landuueras dicimus, tutandi causa cinxerant. Distabant inter se huiusmodi tutelæ circiter millia passuum quadraginta, vnaquæque circuitu millia passuum quinquaginta amplectebatur: & septa erat aggere militari sine fossa, qui murus à Varrare, à Teutonibus Haga, Heccaque vocari solet. Cuius ratio ita instituta fuit. Crebri stipites, truncique abiegni, querni, fagini in orbem in terra defixi erant. His item contrarij iungebantur è regione, vicenum pedum interuallo: id vbi aut salicib. constratum, limóue completum erat, cespitibus integris contegebatur. Latitudo itaque huiuscemodi sepimenti extendebatur viginti pedibus totidem altitudo eminebat. Obseri solebat vtrinque intus & extra hoc genus valli salicib. maioribus, vlmis, albis populis atque arboribus, quæ putatæ, propagine sarciunt locum senescentium. Hæ enim vbi pullularunt, vel maximè fructuosæ sunt, sustinent sepem, frondem iucundissimam pecori, atque bobus ministrant. Virgas præbent sepibus, ligna foco, ac furno. Tam inexuperabile munimentum perangusta, velut à latrocinantibus adibatur porta. Intra hosce aggeres, vici & villæ, quantum vox humana hauritur, distabant: extra verò illa septa, prædia, & ædificia ita quoquò versum disposita, sitaque erant, vt in vnoquoque quoduis signum tuba datum, in altero audiretur. Proximi inuicem quiritari poterant: ne procul repetendum esset mutuum auxilium. In hæc tutissima siue castra siue latibula adpellari libeat, per trecentos fermè annos omnium gentium latrones, opes orbis congesserant. Ipsi interim intacti omnino ab exteris populis. Grauissimum hoc bellum secundum Saxonicum, quod vnquam gessere reges Francorum, apparuit. Ideo istud Carolus maiore apparatu, fortitudine, & audacia gessit. Vnam expeditionem per se, alias per legatos, præfectos, Duces, & filium Pipinum fecit. Octo annis magnitudine sua tractum est: incruentum penè militi nostro fuit. Duo duntaxat Francorum proceres desiderati sunt, Geroldus Dux limitis Boiorum, & Henricus præfectus Foro Iulij. Non extiterat in memoria hominum bellum, vbi tantum auri, argenti, & diuitiarum Franci comparassent. Antea pauperes fuerant, bellum Hunnicum ditissimum militem Francum reddidit. At è diuerso hostium omnis nobilitas periit, plurima edita sunt prælia, multum sanguinis effusum est. Omnis gloria, qua longo tempore Hunni clarissimi extiterant, extincta, gaza, thesauris, præda omni nostri potiti sunt. Terra ita ferro, cædibus, flamma adtrita, vt ne vestigium quidem regiæ adpareret: nomen Auarorum, Hunnorum simul cum gente excisum euanuit. Hisce igitur cum Carolus, vt dixi, bellum indixisset, Wormatia, vbi hyemauerat, soluit, Reginoburgium, caput Boiorum est, cum vxore Fastrada, cum liberis, & filiis Pipino atque Ludouico, Caroloque cum omni aulico famulitio migrat. Huc vndique copias contrahit, quæ vtilia fore tantæ expeditioni putabat, comparat: pontem naualem, quo huc bello vteretur, & flumina traiiceret, confecit: is anchoris, & funibus ita cohærebat, vt & iungeretur, & dissolueretur, quemadmodum tempus postulabat. Re frumentaria prouisa, commeatu vndique confecto, dimissis coniuge, liberis, filio Ludouico Reginoburgij, cum omnibus copiis ad Anassum Magnus proficiscitur. Primis ibi castris

Erlaphus fluuius.

Reginoburgij diploma.

Carolus Auaris bellū indicit.

Ein hag vnd heccen.

Secundum bellum Saxonicū grauissimum.

locatis, supplicatio trium dierum decreta, militi ieiunium indictum est, æternæ maiestatis perlitandæ gratia, vt omnia ex sententia succederent. Partito deinde exercitu, Theodericus nothus Caroli, & Magofridus cubiculi præfectus, cum Saxonibus & Frisiis, in Aquilonari ripa: altera parte ipse cum Franconibus & Sueuis in medio Danubio Pipinus cum Boiis, ac classiariis, qui annonam deuehebant, secunda aqua vectus, infesta, intentaque acie, pulsis præsidiis hostium ad fines Hunnorum vsque ad Auarorum munimenta procedunt:

Cambus fluuius Chremsa Camenburgum. Camenberg.

vnum super Cambum fluuium, haud procul ab vrbe Chremsa Septentrionem spectabat: alterum iuxta Comagenos oppidum in monte Camenberg ad Austrum vergens, vallo firmissimo (vti paulo antè explicauimus) erat cinctum: fusis hostium præsidiis, huiuscemodi munimentis captis, excisis, omnia ferro, igne adteruntur: cuncta cædibus & cadaueribus complentur. Cæteri Auares vbi conscipati sunt vtraque ripa exercitus, & medio Histro classem, terrore subitò ingenti, diuinitus velut dono Dei (sicuti eius tempestatis scriptores credi volunt) exanimati ac stupefacti fuga comparata, finibus suis vltra Arabonem fluuium excedunt, seque in solitudinem, ac syluas abdunt, notasque latebras quærunt. Carolus incolumi milite, nemine resistente, vsque ad Arabonem, & ad confluentem eius, & Danubij, cum triplici exercitu castra mouet. Ibi aliquot dies statiua habet. Et cum non essent, qui vincerentur, eam regionem, quam Marte cepit, præsidiis validis firmat. Hostes vallis fixis, congestis aggeribus excludit. Deinde Boiorum colonias Geroldum Boiariæ præsidem deducere iubet, templa extrui imperat, agros, prata, vineas inter præfectos, equites, monachorum magistros, pontificesque Boiariæ, sicut vetera testantur diplomata, distribuit: in ditione ecclesiastica Bathauensi subdit Episcopo.

Austria vnde dicta. Noricum Ripense Rugilandia.

Eaque regio Austria, hoc est, Orientalis Boiariæ limes tum vocata, adhuc nomen retinet. Peculiaribus iam subdita principibus, progenitrix regum & Imperatorum nostrorum. Eaque pars Norici nuncupatur à Romanis Noricum Ripense: Deinde Rugilandia, à Rugiis, Longobardia à Longobardis: eadem Hunnia, & Auaria, pòst Orientalis Boiaria, id est nostro sermone, Austria dicta. Sæpius mutatis cultoribus, varia cognomina accepit. Plura infrà referentur. Incruenta hæc expeditio Carolo fuit: equorum iacturam fecit. Nam lues in iumenta sæuiit. Decimus quisque equus de tot millibus ægrè superstes fuit. Cæterùm Magnus dimissis legionibus, Saxones, & Frisios cum legatis Theoderico, & Mægefrido per Boiemiam domos redire iubet.

Sabaria.

Ipse Sabaria Reginoburgium in hyberna ad vxorem, liberos, filium Ludouicum concedit vltimo Decembri: Paschalibusque ritè more Christiano, perlitat.

Auares cæduntur.

Auares vbi audiuere Carolum procul abesse, ex latebris prodeūt, cum Boiis pugnam conserunt: sed victoria penes Boios fuit. Hostes in traiectu Danubij intercepti, cæsi, fusi, magna strage necati sunt. Continenter per octo annos belligeratum est à Boiis aduersus hanc gentem ferocissimam.

Irena. Constantin. Imp.

Sub idem tempus Irena Augusta Imperatorem Constantinum quintum, filium suum, à quo à gubernaculis deturbata, in ordinemque redacta fuerat, luminibus priuat, solaque mulier habenas Romani arripit Imperij, mordicusque tenet, pacem cum Francis exuit. Eius milites Beneuentanos agros fœde vastant. Qui ducatus olim Longobardorum, tum verò Francorum erat. Rex Pipinum, Ludouicumque filios, cum exercitu è Reginoburgio in Italiam mittit. Ipsi coniunctis copiis vicere Imperatorias partes: Italiæque regno, quod & Longobardorum, extrudunt. Carolum in Boiaria eodem tempore Reginoburgiique biennio toto habitasse, eò concilium sacerdotum, rerum diuinarum, Ecclesiasticarumque procurãdi gratia, eiusdem iussu congregatum fuisse reperio.

Felix Orgellorum Episcopus.

Orgellorum vrbs est in Pyreneis saltibus, huius Episcopus Felix, consultus ab Eliprando Toletano Pontifice, Christum dominum, deumque nostrum quatenus is homo est, filium Dei Optim. Maxim. esse adoptiuum, literis ad superiorem Episcopum scriptis censebat: editis quoque libris id ratiocinatiunculis probare conitebatur. Contra scita maiorum religionis nostræ, in Christo seruatore nostro, sicuti duas naturas, ita duplicem personam asserebat, nimirum personam filij veri, & personam filij adoptiui. Quamobrem deductus in Boiariam ad Carolum, Reginoburgij in conuentu celebri Pontificum, quos ex omni Germania, Italia, Gallia Rex conuocarat, impietatis condemnatus, recantauit errorem. Libri eius combusti sunt.

Engelbertus.

Ipse deinde Romam missus per Engelbertum quendam monachorum præsulem eò deductus, coram Hadriano Pontif. Maxim. in æde Diui Petri denuò herbam porrigit, ceditque opinioni pestiferæ. Plæraque (quæ si bene dicuntur, vti est apud Diuum Hieronymum, pura confessio est) velut impia patrum decreto explosa lego, ob fraudem decipulásque nebulonum pestilentissimorum: latebat sub melle venenum. Huiuscemodi namque impostorum genus fraudulentissimum, simul arrogantissimum, captiosis nominum ambiguitatibus insidiari, retia tendere mentibus hominum solet, verborum strophis simplicitati Christianæ, eiusque professoribus, quasi fatuis ac pueris illudere gestit. Olere partim Nestorium, partim Arrium videtur error superior. Eum enim qui adoptiuus est filius, aliquando non fuisse filium, vt adoptaretur, necesse est. Quemadmodum nos cum nascimur filij iræ, fimus per fidem & adoptionem filij Dei: at Christus seruator noster nūquam

quam non fuit filius Dei. Et sicut idem diuinitate est filius virginis, ipsaque Theotocos; hoc est Deipara vocatur, natura & nexu vnionis, non adoptione: eodem pacto Christus secundum humanitatem filius Dei, non propter adoptionem, sed ob vnitatem personæ in duabus naturis. Verùm isthæc nihil ad historiam: licet quædam (authore Hieronymo Romanorum doctissimo) cum Paulo ignorare: & scientiæ Dei concedere, secreta secretè, sancta sanctè tractentur. Gregorius Nazianzenus inquit: *Cum omnibus mysteriis silentij fides debeatur, sacris literis proditum est, perscrutator Maiestatis opprimetur a gloria.* Proinde sanctius & reuerentius est credere, & suscipere, quàm temerè inquirere facta supremæ illius Maiestatis. Quæ nisi Regem seruasset, pessimum facinus Reginoburgij isthac æstate patratum foret. Adeò nihil pensi is habet, quem cupido regni per præceps abire cogit, & violare iustitiam, pietatem floccifacere impellit. Non est cuiquam mortalium credibile, quæ animus imperij auidus, ambitioneque ebrius moliatur. Erat Carolo filius naturalis, pulcher quidem facie, gibbo tamen deformis, nomine Pipinus, natu maximus. Is simulata ægritudine, contra parentem coniurat cum quibusdam proceribus Francorum, qui Regem vxorium esse, neque se iam impotentis naturæ fœminæ imperia iniusta, superba, crudelia, barbara, sæua perpeti posse causabantur. Consilium igitur opprimendi regis cepere. Pipinumque rebus imponere anteà decreuerant. Magnus iam dimissis copiis, conuentuque Ecclesiastico soluto, securus sui cum paucis agebat. Aula mulierculis duntaxat referta erat, quæ obsequia reginæ, filiabusque & liberis regis præstabant, & pro officio apparebant. Ea prorsus opportuna coniuratis videbantur. Nocte igitur quæ præcessit diem parricidio destinatum, coniurati omnes in templum Diui Petri conueniunt, obsecrandi gratia pro salute regis, filiorumque se frequentes coire simulabant, verùm de modo inuadendi regis consultant. Forte fortuna sacrificulus quidam, genere Longobardus, egenus, ipsi nomen Fardulpho erat, haud scio quamobrem, forsan ibi (vt mos gentis est) dormitarat, in angulo templi delitebat. Is vbi intelligit, quantum periculum regi immineat, properè nocte intempesta ad prætorium se proripit (id fuit in Orientali vrbis parte, pone cœnobium D. Claræ, vbi adhuc platea regia, portaque, obstructa tamen, nominatur) crebris ictibus pulsat fores: ægrè vtpote ignotus, præcipuè id temporis ad Regem admissus, tragœdiam conspirationis detegit. Mox conscij sceleris, nil mali suspicantes, in vincula coniiciuntur. Pipinus nothus in ordinem monachorum redigitur, ad Sueuos in cœnobium D. Galli deportatur. At Pipinus Rex Italię, & Ludouicus Rex Aquitaniæ, vbi audiuere de coniuratione, ex Italia in Boiariam reuertuntur: Salisburgij à parente excipiuntur, inde Reginoburgium cum patre diuertunt, ibi æstatem, autumnum & hyemem exigunt. Paucis in diebus Carolus, posteaquam indicium de se delatum est, interrogatum de animaduersionis in conscios sceleris genere, quosdam amicos ad Pipinum nothum proficisci iubet. Qui hunc, hortum fortè repurgantem, steriles herbas eligentem, excrementa, & gramina vellentem, quo seges adolescat, offendūt: statim mandata parentis aperiunt. Quibus auditis, subiungit Pipinus: Si Rex me meumque consilium sectatus fuisset, ego hac ærumna, hocque crimine carerem. nihilque aliud pro rsus respondit. Oratores eius dicti ambiguitatem non intelligebant. instant, vrgent, ne se absque responso ad genitorem dimittat. Commotus Pipinus cum stomacho, nihil opus est verbis (inquit) herbas inutiles radicitus extirpo, vt fruges bonæ crescant. Ite & renunciate regi quæ ego facio. Illi reuersi ad Carolum, superbiam Pipini accusant: Nihil respondisse referunt: quæ egerit, sicut ipse iusserat, narrant. Carolus astutior, mentem filij intellexit: continuò de cæteris coniuratis supplicium sumptū est: partim capite mulctati, partim in cruces acti sunt. Vnum, qui in Francia celsissimū sibi collem ad habitandū, vnde longè lateque omnia prospiceret, delegerat, eodem in monte, in altissima trabe, suspendi Rector Francorum iussit. Index huiusce coniurationis cœnobio Diui Dionysij præfectus, istocque præmio remuneratus est. Pipinus deinde ad Prumiam ditissimum tum monachorum templum in agro Treuerensium situm, vt lenius foret exilium, transfertur. Cum talia in Boiaria fierent, quidam regi adseuerabant, fieri posse, vt à Danubio in Rhenum nauigaretur, si inter Rhedonessum, & Alemannum, flumina Nariscorum, vbi vligo palustris erat, fossa duceretur, quæ nauium capax foret, in quam palustres aquæ subsidentes vtrinque flumini committerentur. Nam Rhedonessus Bambergæ Mæno, hicque Rheno Moguntiaci miscetur. Alemannus verò millia passuum octo à patria mea, in Danubium profluit, iuxta oppidum Kelham, patriam Leonhardi Eckij, qui licet claris crepundiis ortus sit, Iureconsultorum facundissimus, & eloquentissimorum Iureconsultissimus est. Fit igitur iussu regis, ab maximo Boiorum, Francorum, Sueuorum numero fossa lata trecentos pedes, longa millia passuum duo. Totum autumni tempus in tam præclarum opus, vtileque absumptum est, quod à pago ad pagum Graben, inde Weissenburgium versus tendebat. Sed inuidit fortuna labori, qui inuito cœlo cœptus erat: prodigiis, portentisque iram suam natura rerum ostendit. Immensi acerui frumentorum, & omnis generis granorum reperti in campis, quæ si pecus gustarat, euestigiò peribat: fa-

Gregorius Nazianzenus.

Pipin. filius scor. & gibbosus.

Conspiratio in Carolum.

Fardulphus qui à P. Æmilio Rhandulphus dicitur.

Pipin. monachum agere cogitur.

Carolus ad Pipinum amicos mittit.

Coniuratorū supplicium.

Pipinus ad Prumiam trāsfertur.

Prodigia & portenta.

rina inde facta sub manibus euanescebat. Noctibus auditæ sunt voces mugientium, & lasciuientium, confusi strepitus circum superiorem fossam. Accedebant continui imbres, in loco alioqui palustri. Ideo quicquid terræ interdiu egerebatur, noctu humo relabente subsidebat. Nemini mortalium fortuna perpetuò bona est.

Saxones à Francis deficiunt.

Saxones inter hęc, qui octo iam annis ab armis, quasi respirandi gratia abstinuerant, deleto Theoderico cognato Caroli iuxta Visurgim cũ copiis, quas per Frisiam ducebat, ab obsequio, & religione Francorum deficiunt, ad auitum deorum cultum reuertuntur. Saraceni quoque fines Septumanorum, quæ & Gothia, pars Galliæ Narbonensis, vbi Rhodanus cum mari confluit, incursant, cæsis limitum Ducibus, multisque Francorum interemptis vastata regione, cum ingenti præda incolumes domos redeunt. Quamobrem Carolus Decembri Reginoburgium exit

Salfeldam.

Salouelτas, & ad fossam superiorem nauibus per terram tractis progreditur. Inde nauibus in Regneso delatus in Mænum, Wirtzeburgium (caput

Wirtzburgium D. Kilianus.

est antiquæ Franciæ D. Kiliani sepulchro insigne) vltimo Decembri peruenit. Vnde Francfordiam migrauit, ibique reliquum hyemis exegit. Huc frequentes coire Pontifices Galliarum, Italiæ, Germaniæ Imperat. Adfuere Romani Pontificis legati Theophylactus & Stephanus Episcopi. Tertio ibidem condemnata est hæresis Feliciana, Elipandanaque de adoptione filij Dei. Omnes subscripsere sacerdotes, Elipando agnoscenti errorem venia, itidem Felici, data: dignitas ambobus seruata. Scita Græcorum de Imaginibus adorandis rescissa sunt.

Fastrada moritur.

Fastrada regina quarto Idus Augusti tum fato concessit, humata est Mogontiaci in templo Diui Albani. Carolus post hæc bino exercitu Saxoniam, quam quietam octo ferè annos habuerat, adoriri parat. Eius fi-

Carol. filius Saxones inuadit.

lius Carolus Agrippinæ Rhenum copias traducit, & ab occasu Saxones inuadit. Magnus per Turogorum fines ab Austro in hostile solum tetendit. Conuenerat omnis Saxonum multitudo, omnes puberes armati quodam in loco, vbi Caroli aduentum expectare, & cum ipso aperto Marte confligere decreuerant. Francorum Imperatores pater & filius coniunctis copiis, eò infestis signis properè castra promouent. Comprobat consilium fortuna. Hostes deterriti maiestate regis, & quod duobus exercitibus interceptos se esse videbant, armis abiectis, satisfaciundi caussa legatos ad Carolum mittunt. Is cum omnes proceres ad se venire præcepisset, dicto audientes fuerunt: Christianam simularunt religionem, fidemque regi dederunt. Magnus hisce peractis in hyberna ad Aquas Graneas exercitum deducit. Cumque compertum haberet Saxonum ferocissimam gentem non facilè in officio contineri, & temerè arma resumere, ex vsu Reipublicæ fore putauit, ad eorum fines quam proximè accedere. Ex hybernis igitur maturè prodit, ac se Mogontiacum confert: ibi traiecto Rheno, è regione vrbis in pago Ruesstain, in ripa Mœni amnis conuentum totius regni vernum (vti cum solenne Francis erat) agit mense Maio. Inde in Saxoniam arma promouet: ad Albim flumen castra facit.

Bizo.

Bizo Abroditarum (Mechelburgensem ducatum esse quidam tradunt) regulus, dum ad Regem contendit, in traiectu Albis fluuij à Saxonibus interceptus interficitur.

Zotan.

Zotan, Thuduni maximi Auarorum rector, deditionem gentis Carolo facit, in philosophia Christiana institui, & imbui petit. Hoc anno, qui fuit Christianæ salutis septingentesimus quintusque nonagesimus, Atto Fruxinensis Episcopus, Meginhardum, Tigurinorum monachorum præsulem ob quatuordecim decimas interceptas in ius trahit ad Regem. Dictus v-

Tegernsehe.

trique dies in contubernium Tigurini lacus: Arno Salisburgensis Episcopus, & Elenandus primarius sacerdos iudices à Carolo dati: cognita caussa, iussere monachos templa, decimasque suo Pontifici reddere. Porrò Magnus grauiter afflictis Saxonibus qui cõscij cædis erant, accepto maiore obsidum numero, in Franciam remigrat, in vrbem inferioris Germaniæ, quam Aquas Graneas nuncupant, & vbi Imperatores nostri sacro oleo inungi solent. Eadem tempestate Hadrianus Episcopus Vrbis Romanæ decessit, terrasque cum vita reliquit. Leo tertius genere Romanus in demortui locum communi sacerdotum, populique Romani suffragio cooptatur. Is continuò Legatos ad Regem nostrum proficisci iubet: eidem claues sacras, insigne Pontificiæ dignitatis, & Aquilam, signum sacrosancti Romani Imperij, Vrbisque terrarum dominæ mittit: se & Romam caput mundi in eius fidem commendat: postulatque, vt aliqui vicissim Romam legentur, qui populi Romani fidem sacramento Carolo adstringant. Missus est

Engelbertus

Engelbertus præsul D. Richarij. Interea Pipinus filius cum Boiis, Bonomarus Venedus Tribunus Henrici, quem Rex Foro Iulij præfecerat, iunctis copiis arma in Auaros, qui vltra Arabonem ad Eurum vergebant, & inter se quoque tumultuabantur, ac ciuili bello dissidebant, promouent. Iringus & Iugurto Cacani, hoc est Hunnorum reguli, interempti sunt, Rhingus prætorium eorum, & caput Abarum munitissimum, vbi Gaza Regia, captum, direptum, solo æquatum est. Thudunus Rex Auarum, vti superiore anno pollicitus erat, se nobis dedit cum magno popularium numero, & ingenti thesauro ad Carolum ire iussus, cœlesti lauacro cum omnibus lustratus est: amplissimisq; acceptis muneribus, in Hunniam infra Arabonem remittitur. Paulo post

tamen

tamen fidem frangit, sed statim à Pipino & Boiis, qui firmis præsidijs prouinciam tenebant, pugna interficitur. Is Thudunus vltra Danubium in ea regione, quam Ptolemæus Iazigas habitare tradit, supra Tibiscum amnem Occidentem versus regnauit: eius regionis caput Bormanon prætorium Thuduni, qui & ibidem sepultus est, haud ita procul ab Agria. Auares qui reliqui erant, rursus vires reparant, Chaiam quendam regem creant. Qui postquam videt copijs hostium se clausum, neque fugæ, neque præsidij vllam spem fore, optimum factu ratus, aut vincere, aut succumbere: statuit fortunam belli tentare, atque quam primum cum Pipino, & Geroldo præside pugnis contendere. Animis igitur suorum ad prælium concitatis, erectisque in aciem procedit. Nec nostri certamen detrectant. Acriter vtrinq; & diu ancipiti prælio conflictatum est. Hunni tandem, amisso rege terga vertunt. Victor Pipinus & Boij omnia ab Arabone, & Peisone, siue lacu Odenburgensi, vsque ad Draui fluenta, & ad eiusdem, atque Histri confluentes, vi & armis subigunt: cuncta in ditionem & obsequium cogunt, resistentes cædunt, Auaros fugientes, qui se tradere recusabant, vltra flumen Tissam submouent, reliquias in fidem accipiunt, firmissimis valentissimisque Boiorum, Venedorumque præsidijs prouinciam muniunt. At Carolus vastata eodem anno Saxonia, ad Aquas Graneas solito more hyematum reuertitur. Quò & Pipinus victor ex Auaria, Boiariaque cum ingenti thesauro & præda se recipit. Hac quoq; Zatunus ex Hispania venit Barcinen, in limite Hispanico, coloniam quondam Romanorum Fauentiam nomine, dedit Carolo, quam alij Barcinonam, vulgo sunt qui Barcilonã vocitant, Pomponio Melæ, Claudio Ptolomæo Barchino est. Ludouicus inde filius Caroli cum exercitu in Hispaniam contendit Oscam vrbem, cuius Ptolomæus meminit, obsidet, & capit, multa præclara ibi gerit. Pipinus quoque in Boiariam, atque Hunniam reuertitur. Ipse Carolus cum nauibus maximis per terram tractis in Saxoniã proficiscitur: omnes recessus, omnes angulos perreptat, paludes, inuia loca, saltus, flumina, vsq; ad Oceani oram superat, atq; penetrat. Omnes Saxonum nationes ad obsequium officiumq; cogit: inde ad Aquas Graneas redit, vt legatos exterarum gentium audiret, qui ibi eius aduentum operiri nunciabantur. Inter quos erat Abdella Saracenus, filius Ibinomaugæ regis, à fratre regno pulsus, & profugus, à rege opem poscés, Theoctiscus etiam Nicetæ, Siciliam tum auspicio Romani Imperij procurantis legatus, cum literis Irenæ Augustæ, quæ filium, vt dixi, excæcarat, adfuit. Auditis igitur legationibus, rebusq; omnibus compositis, Carolus mense Nouembri, hyemandi caussa cum copijs in Saxoniam contendit, ad Visurgim amnem, castris, simul vrbi condendæ locum capit, iubétque nuncupari Hæristallum, quod est Franca, & Teutonum lingua exercituum statio, siue statiua, atque stabulum. Reuocat eò ad se ex Hispania Ludouicum filium, Pipinum ex Italia. Ibi Auari quoque, ac Hunni cum muneribus adparent. Inde Abdella Saracenus cum filio Ludouico in Hispaniam mittitur. parebat Hispania citerior Francis, Germanoque regi vsque ad Iberum amnem, quem propter vniuersas Hispanias Græci adpellarunt Iberiam. Pipinus ad Boiariæ Orientalem limitem, & postea in Italiam perrexit. Magnus totam hyemem ad domitandam ferocissimam gentem in Saxonia ijsdem castris resedit: ibi natalem & triumphum Seruatoris nostri, sacris ritu Christiano perpetratis, concelebrauit. Hisce diebus Callecorum, id est, Gallecíæ, & Asturum rex Haldefonsus nomine, per Florum legatum suum, Papilione preciosæ artis, antea apud nos incognito, regem donat Saxonum quoque natio quædam, trans Albim sedem tenens (Nordolitos, hoc est, Aquilonares populos nuncupabant) consultos Caroli, iuri dicundo intentos, tumultu commoto in vincula conjciunt, quosdam occidunt, quosdam tanquam salutis pignora, quibus connitentibus facilius veniam commissorum impetrarent, seruant. Reliqui fugam ad Carolum in castra capessunt. Qui continuò motis castris Hæristallo in desertores bellum & arma conuertit. Nil intactum ferro, & igni citra Albim relinquit: vltra Trasacho Venedorum Abroditarum regulus, Heborisus Magni legatus Nordolitos inuadunt, trucidant: cæteri obsides nobilissimi cuiusque liberos vltro offerũt, pacem supplices petunt, & impetrant. Hisce rebus confectis rex Francus ad Aquas Graneas se recipit Legatos Irenæ Augustæ (cuius filius Imperator Constantinus Quintus ex vulnere mortem iam obierat) Michaelam Phrygię præsidem patricium & Theophilum à sacris audit, epistolam legit, & pacem ac amicitiam, vt petebatur, cum Augusta Romanarum rerum gubernatrice ex veteri more confirmat. Silinnium etiam fratrem Tharasij Neoromæ episcopi, captum pridem in Italia, diusculeque apud se captiuum detentum, liberè redire in patriam permittit. Insulas Baleares, quas Maioricas, Minoricasque vocant, Mauri & Saraceni fœdè, crudeliterque depopulantur. Insulani, oratores opem postulatum ad Carolum in Franciam proficisci iubent. Haldefonsus rex, cuius iam suprà mentionem fecimus, Vlisypponem, quam nos Lisibonam, maximum Europæ emporium, quo Indiæ, Austri atque Orientis merces conuehuntur, Saracenorum tum caput, cepit, diripuit. Septem mulos, totidem Mauros captiuos, & loricas ad Aquas Graneas, dono regi nostro, gratificandi caussa, per Froiam, & Basiliscũ, amicos suos mittit. Magnus duodecim proceres, iuris diuini prudentes in Italiam, Romámque legat,

Lib 3. cap. 7. Geographiæ. Germanum à Ptolomæo. Clisenburgum a nonnullis. Agria, Erlaim Vngaria. Chaia rex.

Zatunus.

Barcinona. Barcilona. Barchino. Osca. Ptol. lib. 2. Geog.

Abdella Saracenus. Theoctiscus.

Herestallũ.

Callecí, Haldefonsus rex, qui & Alfonsus.

Trasacho. Heborisus.

Michael. Theophilus Silinnius.

Froia Basilicus. Paulinus. Arno. Valdoricus qui & Walreich, & Baldericus.

qui controuersias cognoscant, supplices audiant, caussas absoluant, lites dirimant, iúsque dicant. Illorum principes erant, Paulinus Aquileiæ, Arno Salisburgensis pontifex. Cumq; eo tempore Valdoricus archimystes Laureacensis, qui & Bathauensis episcopus vita defunctus: & (sicut Agapetus secundus Pontifex Max. Geroldo secundo Bathauensi episcopo literis refert) Boiorum regnum Apostolico Vicario orbatum esset, Leo Pontifex Romanus iussu Caroli Arnonem Iuuauensem, eiusque successores perpetuò archiflamines posthac fore Boiariæ sanxit, pallio Christiani philosophi insigni decorauit. Ita Archiepiscopus de Bathauia, Laureacoq;, vbi à primordio Christianismi hactenus sedem tenuerat, Iuuauiam anno restitutæ salutis septingëtesimo, nonagesimo octauo translatus est, vbi adhuc existit. Verùm maximum inde discordiæ incendium paucis pòst annis inter hosce sacerdotes suscitatum exarsit: quod vix per Romanos Pontifices, & Imperatores, nô sine ruina & detrimento Boiariæ extinctum est. Anno subsequenti Romæ tumultuatum est, vbi solenne est in demortui Episcopi amicos sæuire: itidem vicissim hosce inuidere successori. Cognati Hadriani Leonem Pontificem criminantur, scelerúmque scæna insimulant, & excitata vulgi mobilis turba, eundem in supplicatione septimo Calendas Maij capiût, genas nouacula incidunt, & in D. Erasmi monasterio in catenas conijciunt. Verùm Leo

Virundus.

Albini cubicularij ope liberatus, noctu per mœnia dimissus ad Virundum præsulem, & Vigilium Spoletanorum ducem legatos Caroli, qui tum fortè ad templum d. Petri diuerterant, fuga euasit. Inter hæc Carolus more solito ex hybernis in Saxoniam cum copijs transitum facit, Badobrunnæ, quo concilium regni indixerat, & Ludouicum filium ex Aquitania euocarat, considet. Carolum filium cum parte exercitus circumire Saxoniam, & ad Albim ad conuentus Saxonum, Venedorumq; agendos, progredi iubet. At episcopus Romanus cum Vrbis Senatoribus amplius ducentis in Boiariam venit Reginoburgium, vbi adhuc templa monstrantur, quæ tum dicarit. Inde per Nariscos, Norimbergamq; in Saxo-

Magnus Romam inuitatus.

niam ad Magnû contendit: Pontifex Senatusq; Romanus Magnû Romam inuitant: nunquam à malis hominibus quietum fore caput mundi conqueruntur, nisi Carolus Vrbis æternę Consul, & Tribunus perpetuus, præsens operam det, ne quid ipsa detrimenti capiat, & authoritate sua statum Reipublicæ componat. In fœmina nullum præsidium fore, quæ rebus Romanis incubaret: tantum Imperium capite orbum esse. Rex benignè respondit, se quamprimum per hostes liceat fieri, Romam profecturum pollicetur. Pontificem, & patres conscriptos mandato eius Hylpoldus Hyldeualda archiflamen Palatinus, & Arno archiepiscopus Salisburgensis per Boiorum rursus fines in Italiam domum deducunt, Romamq; restituunt: Magnus Badobrunnæ aduentum filij operitur, qui cum compositis reb. Saxonicis, Venedicisq; ad parentem redijsset, Imperator Francorum, comitatus duob. filijs regibus ad Aquas Graneas cum copijs se recipit: ibi Danielem legatum Michaelis Siciliæ præfecti, Augustæq; audiuit, atq; absoluit. Eadem tempestate Auarorum fortissima natio magis victa, quàm domita, & tot antea triumphis clarissima ab imposito resilit iugo, desciscit ab Imperio Francorum gens bellandi cupida, hactenus leges dare, non accipere, nemini parere, sed alijs imperare consueuerat. Armis igitur correptis, contractisq; suorum copijs confligere cum nostris decernunt. Eo tumultu Geroldus signifer, & intimus Magni, Boiariæ præses, frater Hylderici reguli Sueuorum, & Hyldegardæ reginæ, quæ fuerat vxor prima Caroli, dum aciem instruit cum Hunnis desertoribus pugnaturus, ac obequitans, strenuissimum quemque nominatim hortatur in perfugas, incertum à quo missa sagitta cum duobus comitibus interfectus est. Hainricus quoq;, quem rex Venetiæ & Histriæ præfecerat, insidijs hostium succubuit. Geroldi cadauer in Richauiam Sueuiæ monasterium,

Geroldus martyr. Reichenauw. Arno.

quod ipse multum collocupletauerat, defertur, ibique humatur, & pro martyre colitur (ita apud Strabonem nostrum lego.) Arno archimystes Iuuauensis, qui iam ex Italia redierat: & Pipinus filius Magni, iussu regis cum exercitu in Orientalem Boiariæ limitem, quam maturrimè infesta intentaque acie contendunt, Hunnos ac Auares vlciscuntur, gentem excindunt, nomen delent, & reiectis Auaribus, fines Boiariæ vsque ad Draui fluenta

Coloniæ Boiorum deductæ.

promouent: ibi Colonias Boiorum, Venedorúmq; deducunt. Cœpere itáq; in eo tractu, vnde Hunni extrusi fuerant, multiplicari Boij atq; Venedi: qui adhuc ibi mixti Vgris habitât. Atq; is Boiariæ Orientalis limes firmis præsidijs vtriusq; gentis munitur. Boiorum præfecti fuere Goteramus, Wernerus, Albericus, & Godofridus. Sed Venedorum ex ipsis rectores fuere Primislaus, Cemicas, Stomarus, Otogerion. Post hos duces, & huiusmodi Venedorum natio, & qui inter fontes Saui Drauique consident, cum finitimis gentibus, Boiariæ nobilitati commissa est. Porrò in rebus diuinis, religionéque procurandis, eam omnem prouinciam à Drauo flumine Anasum versus, vnde Hunnos, & Auares exactos diximus, Arnoni pontifici Iuuauensi, eiúsq; successoribus perpetuò addixit Carolus. Idcirco ab Arnone sacrificulus creatur Theodericus, qui in ista nuper parta regione, templa quidê dedicet, sacerdotes cooptet, populum instituat, rerum cœlestium curam gerat, ritus colendi summum Deum, eiusq; voluntatem condoceat. Verùm ipse tamen subditus sit, & pareat Pontificibus Iuuauensibus. Confectum itaque est octauo tandem anno bellum Auarorum,

rum,quod & Hunnorum adpellant: non sine magno (vt verbis D.Ludouici Pij Cæsaris Augusti,filij Magni,quæ refert Reginerio Bathauensi Episcopo, vtar) præliorum labore. Boiariæque regnum vsque ad Drauum flumen, eiusque ostia prolatum est. Vnde ea regio Osterricha,Austriaque,id est Orientale Boiorum regnum, ac limes posthac cognominata est. Cuius etiam pars nunc supra Litham flumen ac Occiduũ solem vergens, Teutonicè Osterricha,& facto nomine Austria Latinè vocari solet. Peculiaribus subiecta principibus,qui iam diu Romano potiuntur Imperio. Infra Litham,nunc pars Vngariæ est. D.enim Henricus secundus Cæsar Augustus,regulus Boiorum tertius, Stephano regi, Gisalæ sororis suæ marito,quo facilius gens effera religionem nostrã reciperet, quasdam vrbes Boiorum,regniq; Boiariæ,quæ infra Litham sitæ sunt,quasi dotis nomine tradidisse legitur: nempe Posonium, Vratislaburgium, Sempronium, OEdenburgium,& alia huiusmodi oppida: alioqui Vgri,in principio quoque regnum Boiariæ inuaserant, ibique sedes locarant. Isthæc omnia ex vetustis Imperatorum,& Pontificum nostrorum diplomatibus,& epistolis excepimus. Maximè D.Pilegrini Laureacensis archimystæ,& Imperatoris Ottonis secundi. Complura in subsequentia relego volumina,vbi commodior fuerit narrandi locus. Sub idem tempus Insulæ Baleares in Hispanico mari sitæ,imperato & recepto abs rege nostro præsidio,à Maurorum incursatione defensæ,& liberatę: signa adempta hostibus in certamine,Carolo exhibita sunt. Vido quoque Dux limitis Britannici,Britannorum totam regionem,quæ noua moliebatur, & rebelles sumpserat spiritus, in ditionem cogit: arma ducum inscripta ipsorũ nominibus regi ad Aquas Graneas mittit. Vbi adfuit cum sacris plærisque orator ab Hierosolymitano Patriarcha: & Azanus Ostæ vrbis Hispaniæ præfectus, claues oppidi,& munera regi Franco misit. Qui anno ab orbe restituto octingentesimo hybernis ad Aquas Graneas peractis,& Palæstino legato absoluto,ac Zacharia à sacris,cum magno pecuniarum,quæ egenis,& pauperibus distribuerentur,numero,Hierosolyma misso,mese Martio Aquis Graneis exit: progressus omnem Oceani Gallici oram perlustrando percurrit. Classes aduersus Nordomannos instituit. Hi Piraticam exercebant,Gallicumque litus infestum reddebant. Paschalibus deinde rem diuinam in cœnobio D.Richarij facit. Inde iterum litus Oceani peragrandi Rhotomagum peruenit. Ibi Sequana amne transmisso,comprecandi gratia ad D.Martinum in vrbem Turonum pergit. Vbi aliquot dies commoratur ob aduersam Luitgardæ coniugis suæ valetudinem,quæ pridie Nonas Iunij defuncta ibidem humatur. Post hæc Magnus per agrum Aurelianorum,atque Lutetiam Parisiorum, ad Aquas Graneas reuertitur pridie nonas Iulij. Item septimo Idus eiusdem Mensis,contra æstatis naturam, proprietatemque priuina ex rore gelidissimo genita fuit: citra iniuriam tamen,præterque damnum frugum,& aruorum,alioquin perniciosior, vt quæ lapsa persidet,gelatque. Ne aura quidem vlla omnino depellitur: quia non fit Aristoteli (quod & experimur quotannis) nisi immoto aëre,& sereno. Mense Augusto Mogontiaci Rector Germanus totius regni conuentum,delectúmque agit,exercitum lustrat,profectionem in Italiam, Romámq; parat. Ad se Ludouicum filium ex Aquitania euocat,sed rursus missis obuiam nunciis, nequid absentibus regibus in limite occiduo turbæ excitaretur,domum redire iubet. Filius interim in Hispaniam vsque Oscam vrbem vi & armis penetrauit. Parens verò cum aliis filiis,Pipino & Carolo Mogontiaco profectus,Rauennam peruenit. Ibi septem dies cõmoratus,Anconam transitum facit. Ibi dimisso Pipino,& in Beneuentum Campaniámque partem exercitus ducere iusso,cum altero filio Carolo Romam versus iter facit. Cui pridie,quàm eò venit,duodecimo ab Vrbe lapide ad Nomentum oppidũ, Leo primarius sacerdos Vrbis,Senatores occurrunt,venientémque regem nullo non honoris genere adhibito,vti gentis mos est,excipiunt. Ipsi vicissim regio conuiuio accipiuntur. Posteaquã mensæ,epulæque remotæ,eodem die Pontifex Romam præcedit: postridie eius diei summus sacerdos per vicos,regiones,per omnia loca,quà iter foret,subornat non solum ciuiũ, sed peregrinorum quoque choros,qui aduenienti regi laudes dicant:virtutes,triumphósque eius canant,& Romano more faustis acclamationibus prosequantur: parietes, pauimenta,solum omne,auro,ostro,tapetibus contegi atque insterni iubet. Ipse cum Episcoporum,flaminum,sacerdotum,sacrificulorum cohortibus, cũmque præsulum & monachorum gregibus ante fores ædis D.Petri aduentum Magni præstolatur. Porrò Martia Roma triplex equitatu,plebe,Senatu, populus, Equitésque, patrésque certatim obuiam procedunt. Vrbis æternæ signa sacra,diuinas effigies, sacrorum geruli progerunt: passim plateæ,regiones,fora,templa occupantur: pueri,puellæ,fœminæ gratulãtes tanto hospiti obuiam exeunt. Exceptus itaq; est Caroli aduentus octauo Kal.Dec. nũc pridie D.Catharinę ferias,incredibili honore,atq; amore. Nihil relinquebatur,quod ad ornatũ portarum, itinerum,locorum omniũ,qua rex iturus erat,excogitari posset: cum liberis omnis multitudo præcedebat. Carolus expectatissimus tanta magnificentia opulentorũ,& cupiditate humiliorũ ad fanum D.Petri iter capessit: hicq; equo descendens à Pont. Max. Curiaque mystarum & sacerdotum,cæremonia,rituq; solenni reuerenter excipitur. Summus sacerdos,

Orientale Boiorũ regnũ Austria nũc dicitur.

D. Henricus Rom. Imp. Stephã. Rex Vngariæ

Vido.

Luitgarda Augustæ mors.

Leo summus Pont.

Carolus Romam venit.

dos, de literis, de libro, fausta, læta præfatus, & lustricis supplicamentis bene precatus, cuncta prospera principi Magno ominatur. Ipsum in templum, sacricolis diuina carmina perstrepentibus: & populo quod fœlix bonum siet, adclamante, deducit. Gratiæ deinde superis actæ, gratesq; habitæ Deo Opt. Max. per omnium fanorum puluinaria supplicatũ est. At Carolus septem diebus Romæ consumptis, in ædem D. Petri concionem aduocat, caussas aduentus sui aperit, ostenditq; sibi placere de cõtrouersiis iure apud se potius, quàm inter se armis disceptare. Nihil sibi charius, antiquius esse, refert, quàm vt sua opera, Vrbs terrarum Dea, cuius Consul, & Patricius, ac dictator perpetuus sit, pristinam recuperet maiestatem, bonaque concordiæ colat: discordiæ mala, quibus huccine imbecillitas pessundata sit, eradicet, atque pastorem animorum diuinitùs datum, vt nuncium supremæ maiestatis, veneretur & obseruet: quo religionis nostræ, diuinæq; sapientiæ Antistes mũdum pascat cœlesti pabulo absque impedimento: & fretus tranquillitate summa, ac securus, oues ad ouile æternum per virtutum calles deducat. Proinde si quid perperam actũ est (inquit) iure licebit agatur, testibus comprobetur: nos iudicium reddemus, iusque dicemus. Turpe est in ea Vrbe, quæ Orbis domina, & legum parens est, quicquam temerè per tumultum, & seditionem, quemadmodum apud Barbaros fieri solet, committi. Sapienti & prudẽti viro omnia patienda sunt, quoad spes sibi aliqua relinquitur, iure potius disceptandi, quàm belli gerendi, aut tumultus excitandi. Post hæc Episcopus Romanus, in quem nefanda crimina improbi quidam confinxerant, adparet, legitimè, & sub Carolo de sceleribus sibi obiectis sese purgaturus, & iure disceptaturus cum accusatoribus, rationemq; omnium actorũ redditurus. Cum autem nemo omnium præsto esset, qui negocium Pontifici exhiberet, aut accusationem intenderet, Pontifex Maximus huiuscemodi verba (sicut extant in Bibliothecis, & pars in iure Pontificio refertur) fecit: Audistis, opinor, fratres, nempe longè, lateq; per complures regiones fama diuulgatum est, quas turbas quidam pessimi mortalium aduersus me concitarint: atq; vt me sugillare conati fuerint, & grauissimis criminibus falso insimularint. Ob quod negotium cognoscendũ, iste clementissimus, ac illustrissimus Princeps, & Dominus Rex Carolus cum sacerdotib. & purpuratis suis hancce Vrbem accessit, & celebre concilium in augustissimam orbis terrarum ædem congregari iussit. Atque hic locus, hic dies, ac conuentus, huic rei constitutus est. Vbi ego à nemine iudicatus, nec coactus, sed vltrò ac sponte, volénsq; præsto sum in cõspectu vestro. Coram Deo, cui paremus, & cuius oculis conscientia nostra peruia est: coram D. Petro, in cuius tẽplo consistimus: coram omnibus deniq; superis, à quibus desuper, quasi in theatro omnibus momentis spectamur, me me iuramenti sacramẽto de sceleribus falso mihi ab improbis obiectis expedio, persanctéq; deiero, nihil mihi conscium esse: eáq; facinora, quæ in me falso conficta sunt, neque commisisse, neq; iussisse. Aliud si scirem, quo firmare meam apud vos possem fidem, sanctius quam iusiurandũ, id pollicerer, nos insontes esse. Testis est Deus, qui omnia scit, in cuius conspectu viuimus: cui nihil absconditum, nihil potest esse secretũ: qui & iudex & testis ipse futurus, cui rationem vitæ exposcenti, actus suos inficiari non licebit. Atque isthæc facio, vt imperitos errore, me suspicione exoluam. non quod ius, fásq; siet: aut quo necessitatem cuiquam actuum suorum rationis reddendæ cuilibet sycophantæ imponam. Lege naturæ, iuréq; ciuili sancitum est, actori incumbere probationem, & accusatore non probante, nedum nusquam gentium quopiam, qui accuset, existente, reum absolui oportere. Eodem die Zacharias domesticus sacerdos Caroli, & duo monachi legati Pontificis Hierosolymitani Romam ad regem veniunt, & adferunt claues, & hastam, signa, Vrbis & monumentorum Christi autoris, & seruatoris nostri, quæ honoris, & boni ominis caussa missa Carolo, ipsi omnia patescere, subdiq; cuncta, significabant. Monachos aliquot menses secum detinuit Magnus: Aprili demum eos, amplissimè remuneratos domum dimisit: ipse Romæ hyemauit. Incubabat per idem tempus Romano Imperio fœmina, adeò virtus Italica, Romáque victórque gentium populus, rerum domini, degenerarant. Per trecentos amplius annos, Imperatores omnes neglecta Roma, sacrario Imperij, Augustorúmque parente, apud Græcos Constantinopoli consederant, Occidentis Principes titulotenus vocabantur, quo ferè Carolus, inclytus iusticia, virtutibusque regiis ad vnguem præditus, bene de Republica Romana, & religione meritus potiebatur. Eius maiores, popularésque Germani, gens simplex, aperta, fidei patientior, libertatis auida, armorum studiosa, Europam, Africam, Imperatoribus Romanis, adhuc inualidiores abstulerant: Romam sæpius ceperant, vastarant, diripuerant, tum cum florentissima, potentissimis domicilium esset Augustis. Hisce caussis permoti, Pontifex, Senatus, PopulúsqueRomanus, & iam offerendum vltro rati, quod forsitan omissuri erant, Imperium transferre, iure suo in Germanos Carolúmque tacito Senatus consulto, plebiscitoque decernunt. Cum igitur octauo Kalendas Ianuarij, Augustissimo Christianorum festo Rector Francorum Magnus in templo Diui Petri, ad aram, quo se supplicandi gratia inclinarat, consisteret, eius capiti, dum nihil minus speraret, Pontifex Maximus diadema Cæsareum imponit, cuncto populo Romano adclamante (quæ consue-

Carolus aduentus sui rationem reddit.

Zacharias sacerdos. Claues & hasta Christi.

consuetudo Italiæ est) CAROLO AVGVSTO, A DEO CORONATO, MAGNO ET PACIFICO IMPERATORI ROMANORVM, VITA ET VICTORIA. Posthæc ab eodem Pont. vt cæteri veterum principum, more maiorum adoratus est Magnus, subsequentibus alijs. Statuæ eius ante aram D. Petri conlocatæ. Prætereuntes capite adaperto genua submittebant. Statuas enim & imagines Imperatorum adorari solitas, refert diuus Hieronymus. Adorare autem longè aliud, ac vulgus putat Grammaticorum, valet. Nec ab ore compositum est, estque præstare honorem magis corporis gestu, quàm aut animo, aut verbis. Agere enim veteribus significabat, teste Festo. Et iuxta Marcellum ab Ador, id est, farre venit, siue Adorea, quod gloriam significat. Gloriam ipsam à farris honore veteres Romani Adoream adpellabant. Nam ador atque far, epulis & immolationibus sacris adhibebant. Varius verò adorandi mos apud diuersas nationes fuit. Persæ in humum corpora sternebant, mentoque osculoúe solum contingebant, quemadmodum monachos quosdam facere vidi. Romæ capite velato adorantes circumuertebant se, deinde procumbebant. Antiquiores in adorando dextras ad osculum referebant, totumque corpus circumagebant: quod in læuam fecisse Galliæ religiosius credebant. Solum nunc Pontificem Romanum accidendo eius pedibus hosque osculando adoramus. Cæteris principibus adoperto capite, poplite flexo duntaxat inclinamur, & porrigentes dextram, aut si quid aliud ad osculum prius referimus. Sed ad Carolum redeo. Qui abdicato patricij nomine, quo antà vsus est, Imperator & Augustus Romanorum adpellatus est. De hac re ita Hadrianus quartus Pontifex Maximus in Epistola, quam suprà in tertio libro citaui, ad Archiepiscopos Germaniæ hisce refert verbis. *Ipsum Teutonicum Regnum dum esset minimum omnium regnorum, abs Romano Pontifice promeruit, vt vocaretur & esset regnum Romanorum, & caput omnium regnorum. Ideo Imperium à regno Græcorum translatum est in Alemannos vt rex Teutonicorum, non antequàm à Pontifice Romano consecraretur, Imperator vocaretur, & esset Augustus: Pontifex Rom. promouit Carolum, fecit ei nomen grande, vt esset Imperator. Et vt ab eorsq. tempore posthac perpetuò rex Teutonicorum foret Imperator, & patronus sedis Apostolicæ.* In pontificalibus decretis scriptum quoque legimus, Imperium Romanum à Græcis translatum esse ad Germanos per Carolum Magnum. Potiti sumus Roma annos septingentos, vndeuiginti. A Carolo enim Magno, vsque in seculum nostrum tot numerantur anni. Quibus partim inertia Cæsarum, ignauiaque principum, partim, si dicere fas est, factione Romanorũ flaminum, quasi consenuit, atque decoxit tantum Imperium: nisi quod sub Carolo Maximo motum iam lacertos Iperatur. Sub quo vtinam senectus Reip. Christianæ, quasi reddita iuuentute, resescat. Quis non, Deus bone, obstupescat, qui tantam rerum vicissitudinem consideraret? Terrarum domina potiuntur Germani. Gens infestissima quondam Romano nomini, & perpetui Italiæ, vel ex professo hostes, quos Romani barbaros, infami apud se cognomine, vocitare solent: támq; Barbariei obnoxios fuisse referunt, vt pacem non intelligerent, adpellabant olim & Romanos Græci Barbaros. At nunc Tiberis in Rhenum, Danubiumque fluxit. Nostro æuo Apollinem cum Musis Heliconem, Parnassumque deseruisse, & amœnos Herciniæ saltus occupasse videmus. Migrauit Græcia in Germaniam. Epicurus hæc casui, fortunæque tribuit, Stoici fato: astrorum periti, syderum conuersioni, fluxuique astrorum adscribunt: nos maiestati æternæ, cui cuncta accepta fieri oportet. Breues & mutabiles vices rerum sunt. Deus Opt. Max. ita ordinauit, vt Romanum Imperium, quod secundo cursu per mille & centum annos, ad summum fastigium euexerat, adeò vt æternũ, ac firmum fore putaretur, deinde varietate fortunæ iactatum, magno motu concuteret, ac quadringentos annos Constantinopoli adfligeret, & demum in Germaniã transferret. Nos admonet pater indulgentissimus huiuscemodi rerum florentissimarũ casu & ruina, fragilitatis humanæ, cuius nimia in rebus prosperis est obliuio. Nõ fortè, casuque rectores terris dantur, sed diuinitùs à supremo numine constituuntur. Neq; occulta fatorum potestate principes hominibus imponuntur: abs Deo Opt. Max. sicuti D. Paulus Christianæ philosophiæ antesignanus docet, eliguntur. Virtutis ergò Germani Carolusque aucti sunt iure Quiritium. Ipse Carolus natali Christi seruatoris nostri, dona dei fecit auri puri, purique pondo quingenta. Itẽ Calendis octauóq; Idus Ianuarij, quos festos dies nos Circumsectionem, & Epiphaniam vocare solemus, in templo coronam auream librarum quinquaginta varijs, & pretiosissimis distinctam gemmis dedicauit: quæ tholo cathenis adfixa, ante aram Diui Petri pependit. Item ad monumentum Diui Petri, consecrauit tres calices, duos pro liberis, vnum pro se, librarũ binûm quadragenûm, cum operculo, quod duo & viginti pondo ponderasse, in literas relatum est. Egenis verò, ac pauperibus libras argenti ter mille elargitus est. Paucis post hæc diebus in ius vocat eos, qui in Pontificẽ conspirarant. Quæstio de ipsis habita, vt participes sceleris indicare cogeretur. Ipse iuxta legũ Romanarũ scita crimine læsæ maiestatis cõdemnati, supplicia luerunt. Capita & autores factionis Paschalis, Nomẽclator, Sacellarius, Cãpulus securi percussi sunt. Cæteri quos trecentos fuisse quidam produnt, deprecatore Leone salutem impetrant ab Imperatore. Vita quidem

Translatio Rom. Imp. ad Germanos.

Adorare quid.

Gloria vnde.

Varius adorandi mos.

Hadrianus 4 Pont. Max.

Carolus Max. eius nominis 5. Ro. Imp.

Germani Barbari dicti.

Magistratus autoritas à Deo.

quidem donati, in exilium acti sunt. Compositis itaque Romanis Italicisq; rebus, diuinis atque humanis negocijs ritè confectis, misso rursus filio Pipino cum exercitu in Beneuentanum agrũ, Magnus septimo Calendas Maij, Roma excedit, in Spoletum peruenit. Dum ibi versatur, pridie Calendas Maij, hora noctis secunda terra grauiter tremuit. Tectum Diui Petri Romæ corruit. In Italia, Germania, Gallia circa Rhenum, vrbes pleræque, & villæ afflictæ sunt. Ob hyberni temporis clementiam subsecuta est pestilentia. Imperator Spoleto relicto, Rauennam contendit: aliquot ibi diebus consumptis, Ticinum pergit. Vbi certior fit, Legatos Amaromurmuli regis Persarum, & Abraami Admirati Saracenorũ, hoc est regis Africæ, in portu Pisano appulisse, quos missis continuò nuncijs, qui eos deducerent, inter Vercellas, & Eporediam sibi occurrere iussit. Hi nunciarunt Isacum Iudæum, quem antea quadriennium Cæsar ad regem Persarum cum Landefrido, & Segifrido legarat, reuerti cum Elephanto, & amplissimis muneribus, Landefridum, & Segifridum naturæ concessisse. Donum adferunt Persæ Simias, Cercopithecos, Nardum, Opobalsamum, odoramenta exotica. Afri Leonem Marmaricum, Vrsum Numidicum, ferruginem Hiberum, Tyrium muricem, peculiares Ægypti & Africæ opes. Carolus auditis oratoribus externis, Erchinoualdam scribam ad Liguriam ad comparandas naues, quibus elephantus, & dona Persica, Africanaq; subueherentur, proficisci iubet. Ipse solstitium æstiuum Eporediæ egit. Deinde Alpes transgressus, in Gallias diuertit. Hac æstate in Hispania, Italiaq; res prospere gestæ sunt. Barcinon Hispaniæ biennio & amplius circumsessa à nostris, capta est. Zatuno vrbis præfectus alij, cóplures Saraceni in vincula coniecti sunt. In Italia Rheate vrbs quartæ regionis Italiæ, in ora sinus Hadriatici, à Caroli milite incensa est, Rothelinus, qui vrbis imperium obtinuerat, captus. Cætera castella, quæ huic parebat, recepta sunt. Zatuno, & Rothelinus vno die ad Magnum deducti, ambo in exilium deportati sunt. Mense Octobri Isacus Iudæus cum gaza Persica, de Africa in portu Veneris adplicuit. Vercellis totã hyemem consumpsit: niues Alpes transire prohibebant. At Imperator ad Aquas Graneas hyemauit: eoq; conuentũ principum conuocauit, sacramenta renouauit, annum totum ibidem commoratus est. Oratores qui ius dicerent, æquitatem administrarent, controuersias cognoscerẽt, lites diminuerẽt, omnia Imperia membra perlustrare, & peragrare iubet. Saxonas quoq; transalbianos, qui dũ Carolus Ro. abest, rebelles spiritus sumpserant, per duces, & Legatos ferro, flamma deuastat, ad obsequium redigit, in officio continere nititur. Inter hæc Irena, quæ Græcorum, & Orientis principatum obtinebat, vbi à Romanis Carolum Augustum salutatum esse accepit, metuens ne & Orientem is adsereret, sibique præriperet, ad eundem legatos, ad amicitiam, ac pacem confirmandam Leontem militiæ præfectum mittit, cum quo Cæsar & suos Iessem episcopum Ambianensem, & Helmogaudum purpuratum proficisci iubet, qui connubium Irenæ peterent, vt simul cum occidente oriens (qui quadringentos annos diuulsus fuerat, coniungeretur) atq; Romani Imperij prisca maiestas resurgeret. Irena quidem benignè legationem audiuit, annuitque postulatis: verùm Græculi suspectam habentes potentiam Caroli, authore Aetio patricio Irenam capiunt, Imperio abdicant, in Lesbon insulam relegant: in ordinemque sacratarum fœminarum redigunt: Nicephorum rebus Orientis imponunt. Atque hæc omnia facta sunt, dum adhuc legati Cæsaris Romani Constantinopoli commorantur. Quos Cõstantinopolitanus princeps vbi audiuit, eosdem deinceps rogat, quid nam rerum Carolus filius suus agat: & num satis pacatum regnum eius siet. Cui princeps legationis Helmogaudus respondet, Abundè pacata sunt omnia: vna duntaxat Germaniæ natio, quam Saxonas vocant, crebris latrocinijs fines Francorum infestat. Suscipit Imperator Orientalis: Cur filius meus contra hostes paucos numero, virtute & fama ignobiles frustra tanto tempore laborat? Ego qui Imperium orbis terrarum teneo, & cœlesti numine electus, rerum sum dominus, ac quos volo, ex humilimo loco ad summam dignitatem, iure meo perduco, te Ducatu harum gentium dono. Quod cum Helmogaudus reuersus domum in Franciam Imperatori renunciaret, is subridens ait: Melius tecum actum fuisset, si te fœminalibus rex Græcus condonasset. Idem legatus cum autumno Neoromam venisset, & hospitio, iussu rectoris Græci à quodam episcopo, cuius parsimonia, temperantiaque, iustitia, sanctitasque ab omnibus prædicabatur, exceptus esset, ac per totam hyemem, crebris ac intempestiuis ieiunijs, Pontifice indulgente, fame, ac inedia pene extinctus esset, vere ad Nicephorum admissus, ab eóque quidnam de pietate tanti patris referret, interrogatus: Sanctissimus est vester pontifex (inquit) quatenus aduerso Deo fieri licet. Admiratus ambiguitatem dicti Græcus princeps, rogat, qui nam fieri possit, vt quispiam sanctus absque numine cælesti fiet? Literis sacris, ait ille, proditur: Deus est charitas, cuius istum episcopum omnino expertem esse nostro periculo sensimus. Eadem tempestate terriodecimo Calendas Augusti peruenit ad Aquas Graneas Isacus Hebræus cum elephanto, & donis Medorum, Persarum, Saracenorum, & Africanorum, eáque Imperatori exhibuit: nomen beluæ Abulabaz erat. Orrona tum vrbs Italiæ maritima, in sinu Hadriatico cubans, in secunda regione Italiæ pulsis Græcis expugnata,

Terræmotus in Spoleto.

Amaromurmulus rex Persarum.

Isacus Iudæus.

Zatuno in vincula coniectus.

Zatuno & Rothelinus exules.

Saxones rebellant.

Irena legatos ad Carolum misit.

Aetius patricius. Irena in exiliũ mittitur.

Nicephorus Imp. Constant.

Helmogaudus.

Elephãtus Abulabaz dictus.

[illegible] vrbs Italiæ.

vali-

Vinogisus Græcus Longobardus.

validoque Francorum præsidio firmata. Vinogisus præfectus Spoletanus vrbi rector datus, & Francis præpositus est, quem aduersa valetudine laborantem Grimoldus Longobardus, Beneuentanus regulus, regij adfectator nominis, nec nostris, nec Græcis fidus, obsedit, in potestatemque coegit. Verùm animo voluens, quodnam incendium suo periculo excitasset: & quas vires haud impunè incessisset, mutato rursus animo, vt in pace bellum, ita in bello pacem quæsiuit, Vinogisum incolumem Imperatori honorificè reddit, seque & omnia Carolo dedit, annua tributa pendit. Inter hæc Boij Auarorum regionem inter se partiuntur, iunctique Venedis, Danubio proximis, & Noricum incolentibus, Pannoniam, quæ inter Danubium, Sauum, Drauumque amnes iuxta Romanam descriptionem includitur, inuadunt, & in Daciam, alteram ripam Danubij pertinentem, arma hostili animo mouent: Auarum, Hunnorumque reliquias cædunt, fundunt, superant, in deditionem cuncta terrarum, vsque ad Saui hostia subigunt. Colonias ibi Boiorum, Venedorumque deducunt: vtramque prouinciam, vtriusque gentis firmis præsidijs muniunt. Regnum Boiorum vsque ad Sauum amnem promouent. Atque hæ gentes adhuc commixti Vgris in hisce regionibus habitant. Capanus Hunnorum Auarorumq; rex se cum suis dedit: sacroque fonte ablutus, Theodorus cognominatus, & in fidem acceptus est æræ Christianæ anno octingentesimo super tertium. Imperator Carolus Cæsar Augustus, de Aquis Graneis ex hybernis progressus Mogontiaco, in Boiariam Reginoburgium peruenit. vnde in limitem Boiariæ orientalem contendit: ad Sauum vsque amnem, & hostia eiusdem fluminis percurrit: cuncta perlustrat, eúmque omnem tractum Boiorum nobilitati in fidem ac tutelam tradit. Rem diuinam Arnonem archimysten Iuuauensem ibidem procurare iubet. A Vulgaribus arma abstinuit, qui trans Sauum in Mœsijs habitabant. Excisis enim Hunnis, atque Auaribus (vt ait Eginhardus scriba) Vulgares quietos fore existimabat, nihilque Francis nocituros opinabatur, cum Græciæ, & Orientalis principis ceruicibus imminerent. Ordinatis itaque & compositis diuinis, humanisque negocijs, Salisburgium, quæ & Iuuauia quondam Romulæ genti dicta fuit, mense Octobri reuertitur. Ibi Michael episcopus, Petrus monachorum magister, Calistus candidatus, legati Nicephori Constantinopolitani Imperatoris, & Georgij Hierosolymitani patriarchæ, præstò fuere. Actum est de pace, & fœdere inter vtrumque Imperatorem. Atque ita inter eos tandem conuenit, atque hæc diuisio facta est. Decretum est, vt Carolus, eiusque successores perpetuò sint & adpellentur posthac Romani, Latini, Occidentalésque Imperatores. Nicephorus cum posteris verò Constantinopolitanus, Græcorum, & Orientis Cæsar vocitetur. Caput mundi Roma, tota Italia ad Aufidum, Vulturnúmque amnes (quorum hic in inferum, ille in superum mare profluit) & vsque ad terminos, vt nunc vocant, ducatus Calabriæ, & regni Neapolitani, Romano Imperatori, quam alioqui tenebat, addicta est. Possedit idem Pannonias, Daciam, Histriam, Liburniam, Dalmatiam, præter perpaucas vrbes maritimas, quæ Orientali Imperatori ob amicitiam, traditæ & concessæ sunt. Norici, Vindeliciæ, Rhetiarum, Boiorum, Sueuorum, Germaniæ, Galliarum, Insularum Balearicarum, Hispaniæ ad Hiberum amnem, principatum iam pridem nostri reges, Carolúsque tenebant. Cætera Europæ Orientem, & Meridiem spectantia, Constantinopolitanus Imperator retinuit. Hæcque societatis conditiones, Imperijque diuisio tabulis inscriptæ, & à Leone pontifice Romano subsignatæ sunt. Hisce perfectis, Rector Romanus è Salisburgio, Vtinum Boiariæ oppidum, Œno conterminum, aucupijs, piscationibus, venationibúsque maximè opportunum, concessit, ibique aliquandiu commoratus visco, amite, laqueis, retibus, hamo, auibus, piscibus, insidiatus est. Syluas indagine cinxit, vulpes, lynces, lepores, ceruos, meles, canibus vrget, & manet sub Ioue frigido, seu visa est catulis cerua fidelibus, seu rupit teretes Boius aper plagas. Sub idem tempus Atto Fruxinensis pontifex Litofridum collegij monachorum D. Benedicti magistrum (quod Augiam, intra Chiminum lacum Noricorum, Boiariæque maximum, situm vocabant) apud Carolum accusat, in iusque trahit, tria templa sibi intercepta à monachis conquerebatur. Imperator rem Arnoni pontifici Salisburgensi, Erchinoualdæ præfecto, Orberto, & Albrico prætoribus committit. Hique in conuentu celebri, quem in superiore Boiaria in vicum Amblicorum, inter Isaram Œnúmque amnes, vbi fiscus publicus, ærariúmque regium erat, iubente Carolo coegerant: monachos Chiemenses auaritiæ condemnant: tres ædes sacras instructas, nimirum Villicam, Hegiolam, Bergen pontifici Fruxinensi reddunt. Subsequenti anno, tertio nempe ac tricesimo, posteaquam bellum Saxonicum cœperat, Saxones, maximè qui trans Albim colunt, & Orientem spectant, solicitati per Cimbrorum regem, à Francorum societate ad Danos deficiunt. Nordomannis suspecta erat potentia, & vires Imperatoris nostri. Iactabatur vulgo Augustum auidum Imperij orbis terrarum, ferre parem non posse, excisurúmq; regium nomen ex Germania, qua latissimè patet. Hanc totam cum Sarmatia in obsequium, ditionémq; coacturum. Proinde Gotofridus rex Septentrionalis Germaniæ (vnde Nordomannorũ cognomen inditum) potentissimus, qui Danis, Suionibus, Fennis, Nordo-

Capanus rex baptizatur, & Theodorus dictus est.

Bulgares.

Orbis partitio in duo Imperia.

Atto episcopus Fruxinensis.

Erchinoualda, qui & Einbold. Aibling.

Vvilling. Hegling. Berg.

Gotofridus rex.

Nordouicis, Gotis, nationibus ferocissimis imperitabat: Qui Cimbricam, & Scandianiã incompertæ magnitudinis peninsulam, Scandiam, Gotolandiam, cæteras insulas sinus Codani, Venedicique longe lateque possidebat: adseuerabat sibi iure deberi regnum Germaniæ: se enimuero genuinum Germanum, vetustissimumque Germaniarum regem esse: qui tenax disciplinæ patriæ, auitos deos, fines, mores nunquam deseruerit. Carolum degenerem ad Gallorum, Italorumq;, & eorum, quos vicerit, vitia, superbiam atq; auaritiam desciuisse: habitus peregrinos recepisse, natale solum, instituta maiorum, religionem auitam iuxtà fastidire, victos victoribus imperare. Quòd si Saxones Danorum finitimorũ, consanguineorumq; suorum amicitiã & societatem, seruituri Francorum, Caroliq; desertorum patriæ, & ritus auiti proditorum præferrent, & secum fœdus facerent (iactabat rex Nordomannus) in animo sibi esse, communibus armis, communiq; consilio, Germaniam, communẽ patriam vindicare, à sceleribus, & criminibus Italorum, Gallorumq;, in libertatem pristinam adserere. At Cæsar, vbi est hæc agitari comperit, cum exercitu properè in Saxoniam contendit: in ripa Albis castra facit. Carolus filius Augusti Neomagi Rhenum superat, vires suas cum parente coniungit. Ludouicus quoq; ex Aquitania euocatus cum haud contemnendis copijs Nouesij, Rhenum traijcit, ad castra fratris, genitorisque quàm maturimè progreditur. Saxones vndiq; armis circumuenti imperata faciunt, & redacti in potestatem, quicquid oneris imponatur se ferre recipiũt. Omnes resistentes profligati: cuncti Transalbiani cum liberis, vxoribus, mancipijs in Franciam translati: eorum sedes Abroditis, Venedis antiquissimis, & coniuratissimis Francorũ socijs attributæ sunt: perpauci ad Cimbrorum regem perfugere. Citra Albim decimus quisq; transmigrare iussus est. Decemq; cum millia Saxonum liberorum, cum paruis pignoribus, coniugibus, seruis, per cæteras passim Germanias distributa sunt. In quorum domicilia, grauissimi quiq; delecti, vitæ, & morum probitate insignes, ex omni Germania translati, penes quos foret, arbitrium, & potestas animaduertendi etiam indicta causa, in pacis & fidei violatores, religionisque desertores. Inde ius, vt vocant, Vvestophalense deriuatum, silentio & taciturnitate sacrosanctum. Iudices, quos Conscios nuncupant, nescio quibus cæremonijs initiati se inuicem agnoscunt. Porrò prophanis ritum prodere, religio est, & pro piaculo habetur. Neq; quisquam omnium adhuc inuentus est, qui huiusmodi mysteria euulgarit. Parentum, auorumque memoria, cum sordidæ conditionis quique in album huiusmodi consultorum describuntur, hique passim per cæteras Germaniæ regiones, vt collibitum fuit, quosuis licentius, quàm boni ferre possent, furti perfidiæque alligant, indemnatos necant, laqueo, & suspendio infamant, huiusmodi licentia antiquata cohibita est à principibus nostris, etiam in publico procerum conuentu. Extat diui Friderici tertij Augusti, proaui Caroli Maximi Cæsaris publicum decretum, quo cauetur, vt in posterum, quemadmodum à Carolo Magno institutum, morem obseruent huiusmodi iudices. Saxones quidem hac sæuiendi libertate, animaduertendique libidine in officio retenti, explosa auita, & longinqua superstitione, sacra Christiana receperunt. Ipsique in amicitiam & societatem Francorum adsciti, vnus cum eis hactenus censetur populus: pacis ac pietatis amore præter cæteros Germanos egregiè insignes. Et licet cum Saxonibus continenter per tres, & triginta annos Magnus belligeratus sit, bis tamen duntaxat, & vno mense, quod admirari subit, apertè acie depugnauit. Hisceque duobus prælijs in tantum fracti sunt animi hostium, vt posthac nunquam æquo Marte congredi nostris ausi fuerint. Reliquum belli tumultuarijs, paruis, leuibus pugnis & excursationibus latrocinantium, & ex æquis locis insidiantibus modò productum. Cæterùm Gotofridus rex Danorum, cum classe ingenti, cum copijs omnibus, equitatuque Septentrionis, ad peninsulam Cimbricam, in confinio Saxoniæ, regnique sui adpellit. Legati vltrò, citroque missi, de pace actum est. Rex Cimbricus ab Imperatore ad colloquium, vbi de communibus vtriusque rebus consultaretur, inuitatus, aduentaturũ se promisit. Iamq; proficisci, vt destinarat, meditatur. At amicorum quidã regem adeunt, ipsum periculosè plenum opus aleę incœptare docent: dolosam esse referunt Francorum societatem, quibus imbutis leuitate Gallica, perfidiaq; Italorum, familiare sit, ridendo fidem frangere. Inculcant præterea, ipsum dum obsequi Augusto studet, satis periculi & discriminis adire. Qui relicto genitali solo, vbi plus posset ad Imperatorem, tot exercitibus munitũ, opibus & viribus, numero & robore, alioqui præstantem accedere: ac se & suos fortunæ, & libidini eorum, qui iam à germanis patrijsue degenerarint virtutibus exponere paret. Debere Francos ad Nordomannos, si quid velint venire. His commonefactus, deterritusq; Danus, immutata adpellandi, conueniendiq; Cæsaris voluntate, Slesuici, vrbs est primaria Cimbricæ Chersonesi, consedit. Magnus certior de consilio eius factus, legatos ire iubet, postulatq; sibi omnes captiuos, transfugasq; reddi, pacemq; offert Cimbris, & fœdus: veniam, si resipiscant, præteritorum dat. Inter principes his posteà conditionibus fœdus ictum est. Captiui, & perfugæ redditi sunt vtriq;: suis legibus, vt libet, viuere permissum. Cæterùm eosdem pro amicis ac inimicis habendos, sancitum est. Carolus æstate maximis bellis confectis, maturius paulo quàm

Vvestophalense ius.

Fridericus 3. Ro. Imp.

Gotofridus rex Daniæ.

Sclesuuik.

quàm tempus postulat, medio Septembri ad Aquas Graneas redit, in hyberna exercitum deducit. Sanguis domini, Deique nostri Mantuæ tum inuentus ferebatur. Leo Pontifex Romanus vt exploraret veritatem, Mantuam proficiscitur: reque comperta, ad Imperatorem iter facit. Cæsar filium Carolum obuiam, pontificiusque ad D. Mauricium Allobrogum vrbem in ripa Rhodani sitam, officij, ac honoris causa proficisci iubet. Ipse eūdem in Rhemorum vrbe honorificè excepit. Seruatur adhuc ille sanguis sacrosanctus Mantuæ: & est nota æreì nummi. Vidi ego, dum prælucentibus cereis illustri principi nostro Ernesto Duci Boiariæ monstratur: nam nos a literis eiusdem reguli, tum cum eo studij causa in Italiam abieramus. Imperator, & Pontifex Romani, natalem Christi Cattaci, maximum Ianuarij festum, quod Epiphaniam vocant, ad Aquas Graneas concelebrant.

Ernest. dux Boiorum.

Eodem anno Auarorum regulus Theodorus nomine, de quibus supra scripsimus, ad Imperatorem proficiscitur, aperitque Venedos, inter quos versetur, ob veteres simultates inimicos sibi esse, suæque virtuti inuidere, nec posse diutius inter inimicos habitare. Vnum a Cæsare petere, ac deprecari, vt pro sua clementia, ac consuetudine reliquias Hunnorum, quos conseruare statuisset, in eam regionem, vbi Boiorum duntaxat municipia essent, transferret. Carolus postulatis annuit: ipseque Theodorus cum reliquiis Abarum, locum inter Sabariam, & Carnuntum supra Arabonem fluuium, Occidentem versus, vbi cum tantùm Boij habitabant, nunc verò est confinium Vgrorum & Austriacorum, in domicilium delegerunt: ibique iussu Imperatoris sedes acceperunt. In paucis tamen diebus Theodorus moritur, Abraamo principatum Auarorum relinquit. Is continuò ad Cęsarem legatos ire iubet, se suaque omnia potestati Caroli permittit, petitque vt eius authoritate liceat more maiorum gentis suę imperio potiri: se quoque pietatem Christianam recepturum pollicetur. Voti itaque compos ex animi sententia factus, vltra flumen Noricorum Philcha; lustralibus aquis expiatur vndecimo Kalendas Octobris, qui dies festus est D. Matthæo.

Theodorus Auarorum Dux.

Auarorum sedes.

Theodori mors.

Abraamus princeps Auarorum.

Interim dum hæc fiunt, Carolus filius copias Boiorum ac Sueuorum contrahit, cum valida manu arma in Venedos, atque Sclauos, qui lingua Romana & Teutonum, Boiemi, sua Zechi sunt, arma mouet. Zechonem gentis regulum aditu Hercynei saltus nostros prohibere connitentem, prælio occidit. Inde nemine resistente, per nemus Orcinium in Boiemiā penetrat: totam regionem ferro, flamma vastat: nationem ferocissimam ad obsequium redigit, victor cum triumpho ad parentem reuertit.

Venedi & Sclaui qui. Zecho.

Qui anno restitutæ salutis octingentesimo sexto in Diethenhouen Concilium procerum Imperij indicit. Quo Billærus, & Beatus duces Venetiarum: Paulus Iaderæ præfectus, & Donatus eiusdem vrbis Pontifex, legati Dalmatarum cum muneribus missi sunt, se & omnia Imperatori Romano, perosi Græcorum ignauiam, tradiderunt. Rebus Dalmaticis absolutis, Imperator Consilium Principum habet: in quo Imperium, ne qua discordia, turbáue post mortē suam (vti ferè fieri solet) concitaretur, ita inter tres filios diuidi placuit, vt ipse quidem summam eius, quoad viueret, obtineat. Cæterùm post fata demum parentis suam quisque filius hæreditatem adeat.

Diuisio Imper. inter filios Caroli.

Hispania citra Iberum amnem, Vasconia, Aquitania à Ligeri amne, præter Turones, Narbonensis Gallia. Alpes litoreæ & Cottiæ, vbi sunt Tarantasia & vallis Segusiana, Ludouico destinata sunt.

Tarantasia.

Italiam verò cum Histria, Liburnia, Dalmacia, Pannonia atque Noricum, cum Rhætia, Sueuia, excepta Augusta, tractuq; Lyci, cum Vindelicia, Boiaria, vsque ad Danubij confluenta, cum Angilostadio, & Lautershouen, quæ in vlteriore Danubij ora sita sunt, Pipinus obtinere iussus est. Cætera nempe Gallia Lugdunēsis, Celtæ, Belgæ, Germaniæ, Francia, Turogi, Saxonia, Frisij, Venedi, Sueuia vltra Danubium, Aquilonem spectans, cum Augusta Rhetiæ: itidem Boiariæ pars Septentrionalis, vltra Histrum (Nordge Imperatores, vulgus Narca, Tacitus Nariscos vocat) præter Angilostadiū & Lautershofen, Carolo, qui maximus natu erat, cesserunt.

Nordge Narca.

Eidem in finibus Ludouici ager Turonensis. Pipini verò Augusta Rhetiæ data, sicut Pipino in regno Caroli Angilostadium, & Lautershouen adtributa sunt. Cuique enim fratrum in alterius parte, vrbes, & agri dati sunt, quo cōmodius alius alij esse auxilio possent: cum vicissim aditus pateret, & quisq; in fratris sui finibus domicilium, quo se reciperet, possideret. Eodem cōcilio fratres absque liberis maribus defuncti, superstites Germani hæredes cōstituti sunt. At si reliqua soboles mascula, defuncta, eidem, idem ius quod parenti fuerit, fore, decretum est. Imperatum insuper fratribus, vt inuicē fideles sint, pacē seruent, amicitiam mutuò colant, mutuò opem ferant: cum hostibus & externis iurgia, discordias, simultates, pugnas exerceāt. Vetitum quoque, ne quisquam alterius aut regnum ingrediatur, transfugas recipiat, retineatue, quin cōtinuò remittat: aut quicquam agri emat: donóue accipiat in fraterno solo. Incolis etiam transmigratio interdicta: filiabus potestas facta, cum quouis Germanorum, quemadmodū collibeat, degendi: siue cœlibes ipsæ manserint, siue nubere voluerint: iussi sunt fratres instituere sumptus, ac dotem dare. Et vt omnis occasio discordiæ de diuidendo imperio omnino tolleretur, isthęc pręterea distributio portionis cuiusque, si eius dominus absque liberis maribus naturæ cederet, hoc modo præscripta est. Carolus qui maximus natu est, cum obierit, Pipinus Germanias, Ludouicus Gallias recipiat. Siquidem Pi-

pinum fata tulerint, Augusta Rhetiæ, quicquid infra Lycum, Vercellæ, Ticinum, Mutina [illegible] citra Padum, læua Italiæ, sinus Hadriatici ora cum ducatu Spoletano Carolo cedat: [illegible] à vero Lycum, Rhetiam, Italię dextram portionem cum insulis maris Tyrrheni Ludouicus obtineat. Quòd si Ludouicus ante Germanos absq; maribus hæredibus decedat, Pipinus Galliam Narbonensem, Hispaniam vsque Iberum amnem: Carolus Aquitaniam, & Vasconiam accipiat. Atque hæc omnia in libellos redacta sunt: quibus missis Romam Pontifex Max. subscripsit. Posthæc Imperator Pipinum in Italiam, Ludouicum in Aquitaniam, Carolo vt consueuit secum retento, remittit. Inde naues apud Diethouen conscendit, Mosella in Rhenum, Rheno Neomagum, Bathauorum tum vrbem, in hyberna defertur. Ibidem concelebratis paschalibus, ad Aquas Graneas pergit. Carolus filius aduersus Venedos, qui Sorabi eo tempore dicti sunt, nunc Mæsia est, valida manu, hostili animo contendit: atque ad Albim cum Sclauis ferro decertat. Hostium regulus Miloduchus nomine, eo prælio cecidit. Duo deinde castella, Francorumque præsidia genti imposita, vnum ad Salam, alterum ad Albim. His perdomitis, Boiorum Sueuorumque copiæ in finitimos Venedos, atque Sclauos, quos Boiemos nuncupamus, arma mouent, Boiemiamque rebellem inuadunt, tota regione deuastata, nullo accepto damno, nationem fortissimam ad officium Imperatoris cogunt. Hisce & superioribus aduersus Venedos, Auares Hunnósque bellis cum Sueuis & Boijs, interfuisse Gigantem, equóque sub Carolo meruisse reperio. Nomen ipsi Aënothero, quod exercitum æquipararet, fuit: ortus ex Durgia pago Sueuiæ. Flumina, quæ pontibus iuncta non erant, post se equum suum trahens, superare solitus fuit, adiecto in reluctantem sonipedem hoc ioco: Ita meus Deus adiuuet me, vel ingratus sequare necesse est. Is Venedos, Auarésque in modum fœni demetebat, & in morem auicularum hasta velut cuspide fixos, humeris suspendebat. Cumque domum reuersus à popularibus (vti fit) de successu euentúque belli, & de conditione ac viribus hostium quæreretur: quid multa de istis ranunculis (indignabundus inquit) commemorem (ego interdum septem, octoue, interim & nouem hasta mea transfixos, nescio quid coaxantes vltro, citróque tuli. Neutiquam operæprecium fecimus, nec quicquam Augustus & nos ingenti impendio aduersus huiusmodi vermiculos arma promouimus. Tantulum bellum quod nobis sumpsimus, minoris multo constare potuisset. Iisdem temporibus trepidatum est in Corsica insula, aduentu Maurorum latrocinia agitantium. Pipinus contra hosce classem armis instructam ex Italia misit. Hostis vbi de nostrorum aduentu certior factus fugam capessit, Insulam deserit. Vnus Hadomarus Francus satrapa, præfectus Genuæ, & litoris Ligustici, dum incautius fugientes persequitur, interijt. In Hispania Nauarri Pompelonenses: qui superioribus annis ad Saracenos defecerant, recepti sunt. Nicephorus Græcorum Imperator fœdere fracto, Nicetam patricium cum classe ad recuperandam Dalmatiam aduersus nostros ad Veneticum sinum mittit. Oratores Magni qui ante quatuor annos ad Regem Persarum legati fuerant, Græcarum nauium stationem, nullo hostium sentiente, prætergressi in Taurisiano portu incolumes adpellant. Imperator ad Aquas Graneas non præter solitum hyemat: Medorum atque Persarum legatos operitur. Nam Abdella Medorum atque Persarum satrapes, orator regis sui aduenire cum legatione Palæstinorum nunciabatur. Tantus terror Caroli, is nominis eius armorumque metus, ita nomen ac fama, maximum in bellis momentum, non solùm Græciam, verùm etiam Africam & Persiam quoque penetrarat, atque inualerat: vt Ægypti, Africæ, Persarúmque reges, per tam longissimi itineris spacia & stipendia, per tot ferocissimas gentes, linguis & moribus, ac religione dissonas, missis legationibus, ac muneribus, vltro amicitiam Magni ambire non grauarentur: suspicabátur homines, Carolum omnes prouincias Orientis adserturum, pristinámque Romani Imperij maiestatem instauraturum. Ipse verò amicitiam illorum adfectabat, vt Barbarorum ingenia, mitiora tractabilioráque Christianis, qui sub ditione eorum degebant, forent. Lego de prædijs regijs denarios per Germanias tributos, huiuscemodique Christianis, quo redimerentur, atque alerentur, viritim distributos. Vltro citróq; ex Germania in Persiam, à Parthis ad Teutonas commearunt legati. Mædus Rhenum, Alemannus Euphratem bibit. Id quod Vates omnium nobilissimus haud vnquam fieri posse existimauit, hisce carminibus:

Ante pererratis amborum finibus exul,
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.

Is Arar, de quo hic Maro doctissimus mentionem facit, Germaniæ Celtarum fluuius nomen seruat, Rheno confunditur, apud Suitonas, olim Heluetios profluit. Nam de Arari flumine, quod per fines Hæduorum & Sequanorum fertur, ac Saona nunc vocatur, & Rhodano committitur, nihil penitus ad mentem Virgilianam, quamuis & huius fontes oriantur in Germanico Imperio. Atque ipsis Persis non Græciæ parentis literarum, aut Gallię, Hispaniæue: non clarissimarum vrbium, nec Italiæ omnium gentium victricis, aut Romæ terrarum deæ, magnopere conspiciendarum cupido incessit. Quacunque ipsi pergebant, sola Germania, genitale solum Caroli in ore fuit: incunabula tanti Imperatoris

Sorabi. Misina.

Boii & Sueui Bohemiã inuadunt.

Aenotherus Gigas sub Carolo militauit. Durgeum.

Corsicam Mauri inuadunt. Hadomarus Francus.

Nicephorus Imperator Græcorum.

Arar fluuius Virgilij locus declaratur.

duntaxat videre desiderarunt. Per Germaniam igitur deducti ad Aquas Graneas, vbi tum Carolus more suo degebat, vltima Quadragesimæ septimana peruenerũt. Admissi sunt ad conspectum Imperatoris in celeberrimo paschalium festo die, quo de industria crebrior prouolarat, atque coierat populus: frequentes Pontifices sacrificuli, magis cultu graui, seuero, ac decoro, quàm nimio, aut luxurioso apparebant. Milites, equites, proceres plus ferro, quàm auro fulgentes, dedita opera passim sursum deorsum itabant: & magis decoris armis conspicui, quàm luxu culti ad prætorium incedebant. Persæ maiestate Imperatoris, eiusque vultus terribili seueritate pauefacti, quasi nũquam ante hac Regem viderint, diutius ipsum admirabundi contemplati sunt. Tandé, corporis habitus nequaquam (ita aiunt) famæ repugnat. Terreos antea duntaxat mortales vidimus, nunc aureum cernere hominem licet. Imperator benignè ac hospitaliter legatos adpellat, facitque quicquid ad animo eis sedeat sciscitandi collustrandique copiam: conuiuio deinde regio in frequenti purpuratorum corona excepti sunt Parthi. Ipsi Germanorum arma, ornatum, corporum habitum curiosius conspicati sunt. Cæsarea supellex, vasaque conuiualia magis ad vsum, quàm ad ostentationem luxus comparata erant. Posthæc Imperator Persas venatum deducit in nemus: Vbi iubati bisontes, Vriue alebantur: genera Boum ferarum sunt excellenti vi, & velocitate. Sola Germania hæc gignit. Vidi, cum Cracouiæ, quæ Sarmatarum caput est, Mathematicis disciplinis operam dedi. Persæ immani, nec prius visarum beluarum magnitudine territi, terga vertunt. Carolus equo insidens, cominus Vro caput ense amputare destinabat, verùm belua declinato ictu Imperatori tibias summo cornu leuiter perstrinxit, ocreasque discidit. Isenobardus filius Varini Tetrarchæ, Dynastæque Sueuorum, eminus misso iaculo, feram inter guttur atque armum lethali vulnere traiecit, in terramque dedit. Legati itaque Medorum familiarius indulgentiusq; tractati, audaciuscule colloquendi cum Cæsare sibi sumpsere confidentiam: per ludũmq; dixere, sibi videri maiorem apud Orientis nationes, quàm pro magnitudine Imperij, Caroli terroré esse. Interrogati cur ita opinarentur, respondent, proceres vestri, vt nobis compertum est, præsentem Cæsarem quidem summopere obseruant ac venerantur: verũ in absentis apud eosdem parum valet authoritas. Græci, Armenij, Asiatici: Syri, omnes Orientis nationes, quacunq; nobis iter fuit, neminem mortalium, ne deorum quidem præter Carolum formidãt. Et vbi nos ad eundem contendere accepere, nullo non honoris benignitatisq; genere adeuntes exceperunt, abeuntes prosecuti sunt. At posteaquam Imperij Francorum fines attigimus, præfecti vrbium, prẹsides regionum, Pontifices, parum abfuit, quin nos, licet ex longinquo ad eorum Imperatorem properantes: tecto mœnibus arcerent: ne dum indigentibus & poscentibus, obtestati etiam amore principis sui, pro iure hospitij atque reuerentia Cæsaris quicquam concederent. Carolus cum hæc audisset, omnes præfectos, duces, per quorum prouincias iter fecere Persæ, magistratu mouet, in ordinem priuatum redigit, Pontifices ingenti pecuniæ numero mulctat. Legatos omni cura, officio summo, pietate domum deducendos curat: regique Persarum dona vicissim mittit, Asturcones equos, mulos Hispanicos, quibus non vulgatus in cursu gradus, sed mollis alterno crurum explicatu glomeratio. Item paludamenta Frisia alba, cœrulea, proprium Germanorum vestimentum. Et canes nobiles ad venandum, quos Germania gignit velocitate, & ferocia insignes: atq; hos feris omnibus infestas esse, & tantam in illis animalibus ad venandũ cupiditatem ingenerasse naturam, vt in vulnere prædæ dentes moribundi quoque infigant. Teutones qui simul in Persiam legati à Carolo fuerant, regem Persicum sciscitantem de indole canum docent, & vt illorum vim Persis ostenderent, iussi vnà cũ rege venatum proficiscuntur. Protinus vbi in conspectu leo fuit eximiæ magnitudinis, canib. copula detrahitur, ipsique celeriter feram occupant. Germani, qui adsueuerant talibus ministerijs, equis desiliunt, Leonem cominus ense interficiunt, canes inhærentes Leoni, auellunt. Tum dixisse maximum regem regum memoriæ proditum est: Felicem Carolum fratrem meum, felices populares eius Teutonas. Equidem audiui sæpius, & vt video, non est vana fides, vos esse à teneris vnguiculis in venationibus: at huiusmodi quotidiana exercitatione assuefactos, vires & ingenium alere: in hósque artus, atque in eam corporis, & animi magnitudinem pergliscere, vt haud immerito pares atq; capaces sitis Imperij orbis terrarum. Delectatus itaque munere illo Medus, vt Imperatori nostro gratificaretur, Palæstinam, cuius Imperium obtinebat, eidem reddidit. Verùm quoniam Carolus aberat lõgius, quàm vt eam prouinciam facilè administraret tuereturq;, ipse quidem Parthus eam retinuit, atque pro prætore gubernare decreuit. Cæterùm vectigalia, redditus fisco Caroli adtribuit: Carolúsq; in illam Quæstorem misit, cui ex fide omnes fructus Palæstinę, Hierosolymorumq; Persa tribui iussit. Hinc fabulam, quę, Carolum Asiæ arma intulisse, Palæstinã vi subegisse, Hierosolyma expugnasse, & pleraq; alia factitasse, quæ magis credunt, quàm sciunt homines, temere vulgatur, ortam esse credimus. Carolus namque nunquam Italia, Hispania, Gallijs, Germaniaq; excessit. Legati quidé Thomæ Patriarchæ Hierosolymitani, & nuncij Palæstinorum, Felix, atq; Georgius monachorum montis Oliuarum Antistites, genere

Isenobardus

Legati Medorum.

Carolus Persarum Regi dona mittit.

Teutones.

Felix. Georgius Germanus antea Angeluuold dictus.

Germanus,à parentibus Angeluuoldus dictus, iussu regis Persarum ad Aquas Graneas fu- peruenerunt: Imperatorique nostro se,& regionem dediderunt. Hosque Carolus cum Satrapa Medorum aliquot diebus secum retinuit. Inde in Italiam deduxit: vbi nauibus impositos domum remisit. Elephantos,simias, cercopithecos, cynocephalos, satyros, Papiliones, Tabernacula, Vestes Persicas, Horologia, Candelabra, maioris artis quam vsus: item ingentem vim atque copiam peregrinorum succorum, vnguentique exotici, quæ illico expirant,ac suis moriuntur horis, munera regis Parthici, Asiatici luxus,Persicæque opulentiæ,ostentationem,superstitiosius narrare supersedi. Commemorare anxiè superuacaneum est, nihilque operæ precium.

Saraceni.

Eadem tempestate Saraceni ex Hispanijs soluunt,in Sardiniam insulam adpellunt. Verùm Sardi correptis armis,quatuor millia hostium pugna occidunt: cæteros in fugam vertunt, insuláque vi exigunt. Ipsi in Corsicam retro aufugiunt, in portumque subeunt.

Burkardus.

Burckardus Insulæ præfectus a Carolo datus cum classe Saracenis occurrit, cum ipsis manus pugnámque conserit. Victi Saraceni à nostris, tredecim nauibus, & compluribus sociorum amissis, perpauci fuga sibi consuluere. Ita mare Tyrrhenum à piratis purgatum est. At in sinu Hadriatico Niceta Imperatoris Græci legatus, inducias cum Pipino filio Cæsaris nostri ad Augustum mensem facit: Venetijs cum classe Constantinopolitana soluit, Neoromam cum copijs reuertitur. Eodem anno ob decimas, opesque sacras, inter monachos & sacerdotes in Boiaria ligatum est. Iussu Magni Salisburgium concilium indictum est, ad septimum decimum Calendas Decembris. Interfuere episcopi,& monachi,atq; sacerdotes,Boiariæ & maximè

Arno Archiepiscopus.

quorum intererat, Arno Archiflamen Boiorum, & Pontifices, Atto Fruxinensis, Adaloinus Reginoburgensis, Henricus Sabonensis, Hatto Laureacensis: decretum iuxta legis Christianæ instituta,maiorúmq; Ecclesiæ placita,donaria templorum,bona Ecclesiastica, in quatuor diuidenda esse portiones: atque vnam sortiri episcopos, alteram sacrificulos, quorum quidē munus accuratius pascere oues esset, recipere tertiam pauperum esse: quartà sacras ædes refici, instaurariq; oportere. monachi quoque iussi sunt decimas suis episcopis pendere. Pontificibus imperatum est,id quod iure Pontificio præcipitur,vt egenos,valetudinarios,vitio membrorum obnoxios,qui ob valetudinem aduersam,aut vitia corporis manibus laborare non queant, quod fieri liceat, pascant, vestiantque illos iure suo, victum & amictum administrent. Isthoc anno deliquium Lunæ ter, Solis semel factum esse literis traditur. Subsecuta est hyems clementissima, pestilensque. Imperator Aquis

Ariodulphus Rex Angliæ.

Graneis relictis, Neomagum petit. Huc Ariodulphus rex Angliorum, qui Britanniam insulam incolunt, pulsus regno ad Magnum exul venit, aduentus sui causam aperit. Inde Romam pietatis ergò proficiscitur. Vbi Roma redit, per legatos Imperatoris Har-

Hardofridus

dofridum monachorum patrem, scribam Cæsaris, Nantharium monachorum Diui Otmari pastorem,& per Adulphum diaconum Pontificis Max. genere Anglium in regnum reducitur. Magnus paschalibus more patrio Neomagi celebratis,ad Aquas Graneas rursus concedit. Inter hæc Dani,& qui & Nordomanni,& Cimbri piraticam exercere, & littora Galliæ Germaniæq; deprædari soliti, copias contrahunt,cogúntq; ex omni Aquilonis ora.

Gotofridus Rex Germaniam ambit.

Gotofridus rex gentis imperium totius Germaniæ ambire cœpit,animóque inuasit. Iam Frisiam,ac Saxoniam, Venedorúmq; regiones,non aliter atq; suas prouincias adpellabat, Minabatur,rumoréq; dissipabat,se breui atq; propediem ad Aquas Graneas, pro prætorio Caroli castra facturum: in amœnissimáq; Mosellæ valle,legatis responsa,popularibus iura redditurum. Potentissimo regi,& antiquissimorum,fortissimorúmq; Cimbrorum hæredi turpissimum esse,pati Germaniam,patriā suam,consanguineósq; suos Teutonas & Venedos seruitute opprimi. Quēadmodū vna domus duos gallos, aut mundus duos Soles ferre nequit: eodem pacto Germaniam duobus maximis regibus saluo Reipublicæ statu, gubernari nequaquam posse. Carolum,Gallorum, Italorúmq; ditione in quorum vitia, mores,habitum, superstitionem,longinqua victus consuetudine,contemptis patrijs institutis transisset, oportere contentum esse, & relinquere sibi liberas Germanias omnes: se adhuc sincerum Germanum, Germanis integris imperaturum. His & huiuscemodi alijs fama iactatis, minacissimus primum finitimos sibi Venedos, Vilizos dictos, statim adgreditur. Ipsi, quòd malè Francis obsequentes erant, protinus Danos recipiunt: & iunctis copijs cum Godofrido, in confines Abroditas Francorum socios, arma & omnem impetum

Abrodita Francorum socij. Godelæbus.

belli conuertunt. Godelæbum gentis regulum Danus rex pugna captum, in crucem agit: aliquótque castellis expugnatis, maximam regionis portionem in obsequium ac ditionem redigit, stipendiariámque facit. Trasichonem alterum regulum filium obsidem

Trasicho.

sibi dare cogit. Nec tamen incruentam victoriam adeptus est: strenuissimum quemque, & manu promtissimum, inter quos Reginobaldum fratris filium, desiderauit: qui in op-

Reginobaldus.

pugnatione cuiusdam oppidi cū primoribus Cimbrorum interijt. Carolo vbi hæc renunciata sunt, filium cognominem sibi quam celerrimè cum exercitu contra Godofridū contendere, tueriq; Saxoniæ fines ab impetu hostium iubet. Atque is celeriter ad Albim pontem erigit, flumen cum copijs superat, Linonum, & Simelodicorum, qui ad Danos desciuerant,

uerant, agris vastatis, incolumem militem in Saxoniam transducit. Vilizi socij Danorum domos se recipiunt. Aquilonis Rector Rericum, maximam in Oceani litore vrbē, quo frequentes mercatores commeare solebant, vnde magna portoria, vectigaliaque ad fiscum redibant, excindit: mercatoribus cum ciuibus, & rebus omnibus secum translatis, inde soluit: ad portum Schlesvvici classe reliquas copias subducit: ibi aliquot dies statiua habet. Cimbricæ peninsulæ ceruicem, limitem regni sui, qua Saxoniam adtingit, aggere & vallo munire statuit. Quicquid loci inter Oceanum Occidentalem, & sinum Codanum Orientalem, in longum tenditur, per ripam Egiduræ Borealem munimento destinat. Et qui extruendæ tutelæ præessent ducibus relictis, interque ipsos opere diuiso regni petit. Adgesta igitur terra truncis, & stipitibus arborum compacta, ingens sepimentum surgit. Vnica porta, quo equiti, carroque siue rhedæ aditus pateret, relicta est. Subsequenti anno, vt variæ sunt Regum voluntates, & sibi sæpius aduersæ, Rex Nordomannus mercatores ad prætorem, qui Frisiam pro Cæsare administrabat, proficisci iubet: atque hij referunt, Regem Cimbrum quidem audisse, irasci Imperatorem, quòd is arma lacessitus, vltum iniurias, in Abroditas vertisset. At falso ipsum, & immeritissimum accusari fœderis violati. Proinde abs Cæsare postulare, vt aliquem locum medium amicorum colloquio deligeret, qui de Republica & summis vtriusque rebus agerent, & cognoscerent: velle iure potius illum disceptare, si quid peccatum sit, quàm bellum gerere. Hisce ad Magnum relatis, amborum principum amici trans Albim in confinio vtriusque regni die constituta conueniunt. Franci postulant iuxta amicitiam, primum, vt Godofridus Abroditis ablata restitueret, obsides redderet, stipendium remitteret: deinde ne amicos Imperatoris, & socios amplius iniuria lacesseret. Vilizos hostes, & perfugas reciperet: néue deditios Imperio subtraheret. Quòd si ita fecerit, perpetuam gratiam, amicitiamque Imperatoris cum Danis futuram. Ad hæc Francorum postulata Dani responderunt, Regem suum iniuriam propulsasse, non intulisse. Venedos illi, quoniam belli aleam tentassent, & armis congressi & superati essent, stipendiarios iure belli esse; licere victoribus iure suo agere cum victis, his tributumque imponere. Nec posse principem optimum deserere eos, aut ipsorum iniuriam negligere, qui ad suam fidem ac tutelam confugissent: amicitiam Imperatoris regno Danorum, Nordomannorum ornamento & præsidio esse oportere, non detrimento. Contentionibus itaque irritatis vtrinque duntaxat animis, colloquium diremptum est: legatique re infecta discessere. Trasicho regulus Abroditarum contractis raptim popularium reliquiis, accitis Saxonibus auxiliaribus copiis, finitimos sibi Vilizorum agros populatur, præda ingenti potitur: Simelodicorum maximam vrbem expugnat, omnes qui ab eo defecerant, absque cunctatione ad deditionem, & officium rursus, ac imperata obedienter facere cogit. In paucis pòst diebus à Danis ad colloquium inuitatus, dolo vir bellicosus, & insignis amicitia Imperatoris interficitur. At Carolus quàm maturrimè hisce rebus occurrendum putabat. Ipse enim Godofridus tantos sibi spiritus, tantam arrogantiam sumpserat, vt ferendus non videretur. Quamobrem Imperatori placuit Coloniam, præsidiumque Francorum, Cimbrorum ceruicibus imponere: conscriptisque, atque coactis ex omni Germania, qui nomina sua dederant, Egoberto principi, proceribusque Saxonum deducendæ Coloniæ, capiendique soli datur potestas. Qui cum comparatis armis, re frumentaria, cæterisque omnibus prouisis, nouos Colonos per Frisiam deducunt: trans Albim ad Sturiam amnem, locum Eysouelta nuncupatum, occupant Idibus Martij. Deinde mœnibus, fossa, vallo celerrimè muniunt. Veteranis agros diuidunt, & nouam ciuitatem præsidio Francorum aduersus incursiones Nordomannorum, validissimo firmant. Dum hæc ad Septentrionem geruntur, ad Austrum, Orientemque in Italia, & Dalmatia trepidatum, ac tumultuatum nonnihil est. Paulus præfectus classis Græcæ, in Dalmatiam classiarios exposuit: verùm victus à nostris, Venetias appulit, ibique hyemauit. Et dum (quemadmodum in mandatis se habere adfirmabat) pacem, & fœdus confirmare cum Pipino, & Imperatore Romano operam nauat, Venetiæ Duces Villærus & Beatus, qui nec Orientali, nec Occidentali Cæsari magnopere obtemperabant, pacis conditiones interturbant, se in libertatem vindicare continebantur. Paulo Græcorum Duci insidias ponunt: quibus compertis, Paulus Constantinopolim cum nauibus reuertitur. Saraceni ex Hispania soluunt, Corsicam inuadunt in Sabbato paschalium. Ciuitatem quandam expugnant, omnes ciues captiuos abducunt. In Occidente Ludouicus Rex Aquitanorum, filius Caroli, in Hispaniam cum exercitu contendit. Dertusam vrbem, quam præterfluit Iberus, frustra obsidet. Soluta obsidione, cum vrbs oppugnatu difficilis esset, incolumi exercitu in Aquitaniam se recipit. Aureolus citerioris Hispaniæ legatus naturæ concedit. Amarozus eius ducatum occupat, mittitque oratores ad Imperatorem: eidem se dedit, & in fidem commendat. Cæsar mense Nouembri conuentum sacerdotum ad Aquas Graneas indicit: de processione Spiritus sancti Ioannes monachus Hierosolymitanus Pontificibus, patribus negocium exhibuit. Huiusce rei causa Bernardus Van-

Vilizi.
Schlesuuick.
Nordomannus Rex.
Francorū à Danis petitio.
Danorum responsio.
Trasicho regulus.
Trasicho interficitur.
Egobertus.
Sturia fluu.
Eysouelt.
Paulus præfectus classis
Villærus & Beatus Venetiæ Duces.
Dertusa vrbs.
Aureoli mors.
Amarozus.
Bernard Episcopus VVormat.

gionum Episcopus, Adolardus Corbiensium monachorum pater, missi sunt Romam ad Leonem Pontif. Max. In eodem Concilio de vita, & honestate sacrificulorum, quorum mores à disciplina maiorum lapsi, ad luxum, libidinemque, plusquam prophano licet, tẽdebant, leges latæ sunt. Saraceni rursus primo vere, primùm Sardiniam, deinde Corsicam, cum nullo tenerentur præsidio hæ Insulæ, depopulantur. Pipinus filius Augusti, perfidiam Venetorum, qui Græcis magis, quàm Francis fauere dicebantur, vlturus, vrbem terra marique obsedit, ad deditionemque coëgit: ducibusque & populo in fidem receptis, iureiurando à singulis futuros in potestate Francorum exacto, classem ad vastanda Dalmatiæ litora misit. Paulus Græcus Dux cum Constantinopolitana classe ad opem ferendam Dalmatis prouolat. Nostri cædunt, domosque se recipiunt. Inter hæc ducentæ Nordomannorum naues, de Cimbrica peninsula in Frisiam hostili animo feruntur: cum quibus Frisij ter pugna congressi, ter superati, inferiores abiere: victisq; non solum ab hoste tributum impositum, sed talento quoque argenti à victore pacem mercari coacti sunt.

Hohenburg. *Odo.*

Hochobochorum quoque oppidum, Albi conterminum, quod Odo legatus Imperatoris, & Saxonum præsidium tenebant, captum expugnatumque est à Vilizis sociis Danorum. Carolus postquam de his cladibus certior factus, absque cunctatione vndique, quam latissimè patet Imperium, copias militares euocat: ad se quamprimum properare iubet. Ipse nihil cunctatus absque mora de Aquis Graneis progreditur: Rhenum celeriter transit, ad Luppiam amnem tabernacula figit: ibiq; aliquot dies, veritus ne paucitas sociorum sperneretur, maiorem manum expectare statuit. Quò cum ex Galliis, Germaniis, Italia, militares cohortes, equitumque turmæ prouolassent, Imperator intento, infestoque exercitu, acieque instructa ad confluentes Alaræ, & Albis fluminum contendit: ibi castra ponit, statuitque quam primum cum Gotofrido confligere, ipsumq; domi suæ armis lacessere: omnemque belli imperum in Daniam transferre. Nec ante pacem sibi cum huiuscemodi populis, alienis à religione nostra fore censebat, quàm totum eum Septentrionis tractum, omnes eiusdem cardinis nationes, Danos, Cimbros, Suionas, Fennos, Nordouicos, Gotos, Getas subegisset, atque sub imperium obsequiumque vi & armis redegisset, & coëgisset. Legiones, equitatus, auxilia, commeatus, annona, pecuniæ, stipendia militibus, impedimenta, tormenta, arma, machinæ bellicæ, cuncta denique ad tantam molem necessaria vtiliaque adfatim comparata erant. Verùm omnis conatus frustra fuit: Ira cœli, pestis grauissima in iumenta, bouesque primum desæuit. Vni monachorum præsuli vna nocte centum boues dira lues abstulit, omen haud dubiè copiis nostris infaustum. Augustus ne contra stimulum calcitret, néue inuitis superis, læuoque numine quicquam casurum in caput suum moliretur, à proposito destitit. Nam & classis Cimbrica, audito Imperatoris aduentu, ex Frisia excesserat.

Godofridus interficitur.

Et Godofridus dum Halietis Anates venatur, & Aquilam à præda auellit à filio, cuius matrem pellice subinducta, repudiarat, interficitur.

Hemingus Rex Daniæ.

Hemingus nepos ex fratre Rex à Cimbris salutatur. Isque primus de nece patrui ad Imperatorem scripsit: & missis legatis pacem & fœdus à Cæsare supplex petiuit, & impetrauit.

Ægidura fluuius.

Duodecim vtriusque aulæ purpurati ad flumen Ægyduram coëunt, fœdus feriunt: vtraque pars solennibus cæremoniis ritu patrio religione iurisiurandi societatem sanciũt.

Rothrudis filia Caroli. *Pipinus moritur.*

Eodem anno qui fuit Christianæ æræ Octingentesimus & decimus, Rothrudis filiarum Caroli natu maxima, octauo Idus Iunij moritur: sororis fatum in paucis pòst diebus subsequitur Pipinus. Nam post mensem octauo Idus Iulij regnum simul cum vita amisit. Magnus compositis rebus Saxonicis, finitoque bello Cimbrico, Octobri Aquas Graneas petit. Vbi diuersi exterarum gentium legati, Nicephori Constantinopolitani Imperatoris, Abulazonis Hispaniæ vlterioris, siue Beticæ, ac Granatæ regis, eius aduentum præstolari nunciabantur.

Abulazo Rex Beticæ.

Cum vtrisque pax facta, fœdusque ictum. Hispanus Henricum purpuratum à Saracenis iam pridem captum Imperatori remisit. Eius filius Abdiromanus Cæsar Augustæ præficitur. Amorozus Oscæ: at Nicephoro Venetiæ redditæ sunt.

Augia diues

Atque cum eius Tribuno militari Arsaphio, Hædo monachorum Augiæ diuitis magister & Pontifex Basiliensis, ingenio, & corpore eximio, qui iter huiuscemodi memoriæ literarum commendauit,

Hugo Dux Ægo.

Hugo, Turonum Dux nobilissimus, Ægo foro Iulij oriundus, Byzantium leguntur, cum ipsis Leo Siculus transfuga, & Billærus Dux Venetus, dignitate ob perfidiam motus, Constantinopolim deportantur. Sub idem tempus Imperator Nicephorus à Vulgaribus à se sæpius victis, improuiso noctis impetu vltra Saum in Mæsia opprimitur, cum toto exercitu ad internecionem cæditur. Filius Nicephori Stauratius, saucius humerum, vix Hadrianopolim euasit: ibiq; Imperator à Græcis salutatur. Is iniquior nostris fuit. Populonium Tusciæ vrbem dolo magis, quàm vi captum diripit: quamobrẽ nostri legati, haud benignè, hospitaliterq; accepti, sed separati, Græcis ludibrio fuere. Tandem contumeliosè accepti, contumeliosiusue dimissi, cum magna rerũ iactura difficultateq; in Germaniam redeunt. Interea, apud Græcos Michael Curoplates, cognomento Rangabes, cui Nicephorus propriam filiam in matrimonium dederat, fratrem coniugis suæ Stauratium à fastigio rerum perturbat, contubernio monachorum includit:

habenas

habenas Orientalis Imperij, cum vxore arripit: ab hocque in paucis inde diebus Michael Episcopus, Theognostus pręfectus equitum legati, profecturi ad Carolum, qui Aquas Graneas habitabat, si perueniunt in fines nostros. Forte fortuna Hædo, & Hugo (quorũ iam paulò antè mentionem feci) apud Imperatorem nostrum versabantur, ipsique narrabant, quo pacto accepti à Græcis fuissent. Vetus dictum est, ab alio expectes, quod alteri feceris. Magnus, Græcos per longissimos, maximeque deuios anfractus alpium, sursum deorsum circumduci imperat, donec annona, pecunia, supellectile omni absumpta, egere inciperent. Tandem vbi penuria omnium rerum adtriti, per syluestres calleis montium seducti ad Aquas Graneas perueniunt: ne heic quidem continuò, & recta absque ludo in conspectum Caroli admissi sunt. Siquidem cum per quatuor summorum aulæ Magistratuum conciones, quæ ita ex industria subornatæ erant, oberrarent: & illos, quòd corporis habitu, cultuque cæteris pręstarent, rati esse Carolum, suo more adorare, & venerari conniterentur, verberibus ex composito, pugnisque adfecti, extrusi sunt: ridiculo, ludibrio nostris fuerunt, proteruè illudentibus nobilibus pueris ex Cæsarea cohorte, & adclamantibus: non est hic Cæsar. Mos est proceribus nostris, adultos liberos principibus tradere, ad munia haud multum à ministeriis seruilibus abhorrentia. Hi velut seminarium pręsidum, præfectorumque apud Germanos sunt. Primum itaque Græci in vestibulo regiæ magistrum Equitum in sublimi solio residentem, circumiecta ministrantium corona, offendunt. Hunc suspicati esse principem, venerabundi salutant: in humum pronum corpus ritu patrio abiiciunt: sed, vt iam dixi, non sine ignominia propelluntur. Deinde in præfectum prætorio, in basilica inter aulicos concionantem incidunt, atque Cæsarem esse rati, protinus procumbunt: verùm pari contumelia repulsi sunt. Inde in Archimagirum inter purpuratos, & eos qui ab epulis, & a potu Augusto erant, eminentem impingunt, ipsum itidem esse Carolum existimabant: at haud aliter heic, ac ab aliis excepti erant, tractantur. Nouissimè ad palatia Imperatoris, & ad militarem cohortem ferro, armisque nitentem, & ad cubicularios, eorumque præfectum deuoluuntur. Hi proximi foribus ædis, in qua Magnus versabatur, excubabant, stabantque, vt egressum principem deducerent. Græci pauefacti insolita rerum facie, torque contumeliis saturi, iam oculis suis non satis fidentes, ne ipsi quidem Augusto abunde fidem amplius habituri, incerti erãt, quemnam pro principe ducerent. Præfecti cubiculariorum pedibus, qui excellebat cæteros habitu ornatuque corporis, aduoluuntur, ignorationem nunquam ante visi Cæsaris, excusant. Is eos manu alleuat, benigneque compellat: hic in pręrorio Augustum esse docet, vt quam primum admittantur suam operam pollicetur. Magnus omnium rerum cõscius, Græcis obuiam proceres, qui illos honorificè ad se deducãt, ire iubet. Stabat Augustus Imperatorio cultu iuxta fenestram, innixus Hædoni, Hugonique. Dextra læuaque Ludouicus Rex Aquitaniæ, Carolus filius Rex Germaniæ, & Gallię designatus: & Bernardus filius Pipini, Rex Italiæ. Item Cæsareæ puellæ, reginæ, filiæ & neptes Cæsaris proximè adstabant. Pone hosce ingens ducum, Dynastarum, Pontificum, præsulum, & purpuratorum turba constiterat. Quisque pro sorte sua, vt captus est Germanorum, cultus vestibus, auro, purpura, armis, gemmis fulgebat. Gręci insolita rerum facie, subito terrore perculsi, maximè quod Hedoni, & Hugoni, quos ipsi ita contumeliis adfecerant, præcipuus honor haberetur, velut amentes, & attoniti, non oculos tollere, non hiscere ausi, linquente animo in pauimentum incumbunt. Carolus eosdem alleuari iubet, comiter excipit benignè adpellat. Ipsique paulatim recipientes spiritum, ac vocem, cum iam dicturi viderentur, rursus Hædonem & Hugonem à se ita spretos, in tanto honore esse cõspicati conscientia delicti, & periculi magnitudine corpora humi sternunt. Nec prius surgere ausi, quàm Imperator persanctè, per supremam cœli maiestatem deierat, se peccato & errori ignoscere, veniam præteritorum dare, ipsos impunè absque omni maleficio incolumes abituros. Ita accepta fide, vbi animum resumpsere, legatione more gentis defunguntur. Augusto genua ponunt, osculo mentoque humum contingunt: Carolum orbis terrarum rectorem (vt est gens adulandi prudentissima) mundique dominum, sua lingua salutant. Ipsi liberisque eius bene precati, omnia fausta, cuncta prospera ominantur. Pax inde, quæ cum Nicephoro conuenerat, & cum Michaële confirmatur, legesque pacti in libellum rediguntur: Qui Romæ in templo D. Petri à Leone Pontifice, Senatu, populoque Romano, hisce Græcorum legatis donum repetentibus, traditur. Atque ipsi Constantinopolim reuersi, de cętero in Germaniam non venere. At Magnus, vt solenne Francis fuit, conuentum Imperij, ad Aquas Graneas celebrat. Eo soluto, in tres mundi cardines, tres exercitus mittit. Ipse interea ad classem contemplandam, quam superiore anno instrui imperarat, petit Bononiam, Flandrorum in ora Oceani Germanici, Belgicique sitam. In eius vrbis litore turrim instaurat, cuius vsus nocturno nautarum cursu ignes ostendere, ad prænuncianda vada, portusque introitum. Ipse ignem incendit primus in vertice turris, quam Pharon nuncupant, à Pharo insula Ægypti, adposita ostiis Nili: In qua Ptolomæus secundus cognomento Philadelphus, Rex

Michael Curopalates ab aliis Calaphates dicitur.

Græci cum ignominia repulsi.

Pharus insula.

Ægypti,

Ægypti, huiuscemodi turrim maximam super quatuor vitreos cancros extruxit, nauigantibus noctu lumen exhibentem: hæc inter spectacula mundi recensentur. Cæterùm Pharos insula tempore Plinij Alexandriæ ponte iuncta fuit, quæ olim, Homeri nimirum ætate, (quod mirari subit) noctis, dieiq; velifico nauigij cursu, à continente aberat. Sub idē, vt dixi, tempus ad Septentrionem, Linones, Vilizi, Valatabi, Sclaui, atque Venedi, sinus Codani accolæ trans Albim, qui ad Danos desciuerant, rursus in ditionem redacti sunt. Hochobochorum castrum superiore anno ab his excisum, refectum est. Idem impetus fortunæ ab occidente Britannos cismarinos, noua molientes domuit, in officio vi retinuit.

Michael Imp. Constantinopol. fit monach. Leon.

Orientali Boiariæ limiti sæuior procella impendebat. Michael Constantinopolitanus Imperator infra Sauum in Mæsia, cum Vulgaribus malè pugnauit. Victus ab hostibus, & castris exutus. Ob res infeliciter gestas animo fractus, monasterio se abdidit. Leonti Pardi Patricij filio, Orientis Imperium concedit. Victores Vulgares, à nobis duntaxat Sauo flumine separati, Boiariæ metum incutiunt. Nam in Boiorum regno reliquiæ Auarorum, & Venedi Histro contermini, ciuili discordia laborabant: videbanturq; fenestram irrumpendi in Boiariam Vulgaribus aperire. Missi sunt ab Imperatore Carolus filius, & duces cum copiis, qui cognitis rebus, dissentientes ad concordiam reuocarunt, controuersias, lites diremerunt, atque hi cuncta strenuè transegerunt. Canizaucus Auarorum regulus, & Thuduno Hunnorum rector, cum proceribus Sclauorum Venedorumque iussi ad Aquas Graneas se conferunt. Vbi & Ancouinus & Hebbio, Hemingi regis Nordomannorum legati, cum muneribus aduentum præstolabantur Augusti. Qui, posteaquam ei

Scaldis. Carolus filius Magni moritur an. 811.

id renunciatum est, Bononia relicta, Scaldim fluuium, quem etiam Plinius Germaniæ tribuit, Gandauósque petit. Vbi classiariæ naues parabantur, materiáque cædebatur. Medio deinde Nouembri ad Aquas Graneas se recipit: legationes audit, & absoluit. Carolus filiorum Magni natu maximus vita in Boiaria defungitur, pridie Nonas decembris, anno ab orbe seruato octingentesimo atque vndecimo. Anno deinceps proximo ab Aquilone

Hemingi Regis Danorū mors.

bellorum turbo intonuit. Hemingus Danorum rector absque liberis mortem obiit: mox duo de principatu disceptare incipiunt. Complacuit primum regnum diuidi: sed cum inter eos de regni partitione non conueniret, scinditur studia in contraria populus Cimbrorum. Pars Gotofridi superioris nepotem Segifridum, pars Anylonem nepotem itidem Heroldi regis sectantur. Ambo reges comparatis copiis armis decernunt: ac eo prælio vterque regum periit. Cæterùm Anylonis pars superior fuit: hique aduersarios virium metu ad se trahunt. Victi coacti sunt arbitrium victoris sequi, communi suffragio

Reginofrid. & Heroldus Reges creantur.

Reginofridum, & Heroldum fratres Anylonis reges creant. Cecidisse eo certamine super noningentos & quadraginta decem millia hominum proditum est literis. Noui reges Oratores ad Imperatorem pacem petitum legant: Hemingum fratrem obsidem dant vltrò. At Imperator Hemingum fratribus remittit, sexdecim proceres Francorum in peninsulam Cimbricam, fœdus iureiurando solenni confirmatum proficisci iubet. Reges tum aberant in vltimo Septentrione, qua Britanniam & Occidentem spectat, vbi nunc

Norduuegi.

Nordouici bellum gerebant. Hisce gentibus perdomitis, ad legatos Imperatoris concedunt: In confinio Saxoniæ, Cimbrorumque vtrinque sexdecim purpurati, singulis, præeunte scripto fœciali, patréque patrato, iurant, inter se pacem seruaturos: eosdem pro amicis, ac hostibus habituros. Ita sacramento religionis, cæremonia vtriusque nationis, fœdus sancitum est, amicitia, societásque inita. Hæc vbi fiunt, Godofridi regis filij, & plærique Danorum, qui pulsi patrio solo profugi apud Suionas iampridem exulabant, contracto coniuratorum vndique haud contemnendo numero, multisque ad eos ex Cimbrica

Dennmarck.

peninsula, quam Dannomarchiam dicimus, prouolantibus, cum iam speciem iusti exercitus haberent, aleam belli tentare, congredi prælio, & acie cum Reginofrido & Heroldo certare statuunt. Reges quoque, absque cunctatione armati obuiam procedunt, facultatem pugnandi faciunt. Sed illi sine magno labore victi à regibus, natali solo, penatibus, foco, aris exciderunt. Interea dum hæc ad Sinum Codanum in extremo Germaniæ Magnæ angulo geruntur, ad mare Tyrrhenum in Australi Italiæ ora, cuncta tumultu, luctúque complentur. Saraceni, Maurique ex Africa & Hispania cum compluribus nauibus soluunt, ad deuastandam Italiam nauigant. Imperator cum valida manu ad defen-

Bernardus filius Pipini, nepos Caroli. Vallo. Sardi.

dendam Italiam, Bernardum ex filio Pipino nepotem, item Vallonem Bernardi patruelis sui filium, quam celerrimè contendere præcipit. At Saraceni pars Corsicam, pars Sardiniam insulas inuadunt. Sardi fortiter se, suáq; tutati sunt: hostes penè ad internecionem deleuerunt. Corsica ab altero Saracenorum exercitu, fœdè crudelitérque deuastata est: ingens præda capta, magnus captiuorum numerus abductus est. Sed haud prosperè hæc victoria Saracenis cessit. Nam redire domos conantes, Irmingerion Balearicarum insularum præfectus, ex improuiso & insidiis adgreditur, ac circumuenit: parte nauium sub-

Corsica.

mergit, prædá excutit, octo naueis capit: quingentos Corsicæ insulæ in hisce repertos captiuitate liberat. Cæteri Saraceni hancce cladem vlcisci, ignominiá abolere meditantur:

Irmigerion.

Nicæam Galliæ Narbonensis, centū cellas Tusciæ, vrbes dolo captas diripiunt, incendūt.

Inde victores in Sardiniam adpellunt: sed à nostris victi, pulsique multis amissis turpiter domos repetunt. Vulgarum Rex successu rerum impotens animi, prosperitateque bellica inflatior, quòd Imperatores Orientales sæpius deuicerat, Nicephorum occiderat, Michaëlem castris exutum de Mæsia exegerat: infesto intentoque exercitu ad Constantinopolim regiam Orientis contendit: ante portam vrbis castra locat. Et cum mœnibus incautius obsequitat, Imperator Græcorum Leon Pardi filius, eruptione facta, ipsum grauiter sauciat, in fugamque vertit: & retrò domum ferre pedē in Mæsias compellit. Ad hunc Leontem Byzantium missi sunt ab Imperatore nostro, ex more & longinqua consuetudine, Oratores. Huiusce legationis fuere principes, Amalarius archiflamen Treuerorum, qui itinerarium conscripsit, & Petrus collegij monachorum Nonantulensium magister. Bella, quæ Magnus per diuersas orbis partes per septem & quadraginta annos (tot enim imperauit) continenter gessit, paucis, & breui, impareque ingenio (fateor ingenuè) exposui. Quis enim ad alia festinans, & tantulo spacio sibi ad vires colligendas concesso, tanto oneri non succumbat? Homerũ ista postulant: Qui si reuiuisceret, atque ab inferis rediret, huicque ponderi manum admoueret, ludum, iocumque præ hocce fuisse diceret vnũ bellum Græcorum, qui circa vnam vrbem decem continuos annos hæsere. Et licet eos victores faciat vatum antiquissimus, tamen si quis gentis dissensiones, altercationes, parricidia, homicidia, damna, cædes, exilia, naufragia conferat cum vnius vrbis direptione, similior sit victo, qui vicerit. Carolus regno Francorum, quod à patre accepit, tantundem, & longè plura addidit. Francorum, Germanorumque maiestas sub eo in summo stetit. Salam, Ligerim, Anassum amnes, Alpes maritimas, litoreas, Cottias, Iulias, Rhætias, Graias, Peninas, Noricas, extrema Imperij Francorum, media fecit. Antea sub ditione Franca erant Celtæ, Narbonensis Gallia, Belgæ, Germaniæ, quæ sunt in Gallia Celtica, & Belgica: Sueui, Boii, Franci, Turogi, Frisij, Bathaui: subegit inuictus armis Carolus vi Franciam, atque Germaniam transtulit. Hinc Aquitaniam, Langodocos, Vasconas, tractũ omnem Pyrenei montis: Nauarros, citeriorem Hispaniam, vsque ad flumen Iberum: illinc Italiam, regnum Longobardorum, cum terrarum Dea gentiumque Roma, Histros, Carnos, Liburniam, Venedorum Marchiam, Dalmatiam, Schlauoniam, Noricum inferius, Pannonias, Hunniam, Auariam, Daciam, Saxoniam, Venedorum, atque Sclauorum nationes ferocissimas, & valentissimas: Sorabes, Mæsos, Boiemos, Zechos, Morauos, Lusatios, Silesios, Bolios, Abroditas, Mechelburgenses, Vilizos, Velatabos, Hammelburgenses, Brandenburgenses, Pomeranos, Boruscos: atque hæ gentes nunc intima Germaniæ Magnæ à Sala, & Albi, atque sinu Codano, vsque Vistulam, & Danubium incolunt: opulentissima ibi regna possident, quæ loca quondam Sueui tenuere: Imperio Francorum istæc omnia Magnus adiecit. Tantum vnius hominis virtus, felicitasque valuit. Referam nunc qualis fuerit erga exterarum gentium reges & in disciplina militari, ac in rerum humanarum, diuinarumque administratione. Deinde interiorem, ac familiarem eius vitam: quibus moribus, atque fortuna domi inter suos egerit, paucissimis indicabo. Ex quibus existimari licebit, longè alios mores, aliam vitam, alia instituta, in prophanis, & sacris, maioribus nostris fuisse. Ad quæ si quis nostrum sæculum reuocare contenderit, nihilo profectò plus agat, quàm si det operam, vt cum ratione insaniat. Extrema dementia est, cum inueteratis moribus pugnãdo, nihil aliud quàm odium sui quærere. Vulgatum apud Germanos prouerbium est, Canem vetulum esse indocilem. Hieronymus quidem se nequaquam deterreri adseuerat, quo minus vera discat, atque doceat: & sibi ac suis canat: Quamuis totus mundus errorum varietate sit repletus. Caroli (inde enim digressus sum) amicitiam exterarum gentium, orbisque terrarum maximi quique reges, missis oratoribus, atque donis, vltrò ambierunt. Extant epistolæ regum Britanniæ, Angliorum, Scotorumque: & vlterioris Hispaniæ. In his, Carolum patronum nuncupant, se eius clientes profitentur. Persarum, Ægypti, Africæ opulentissimi rectores peculiares, & preciosissimas suarum Regionum miserunt opes. Persa vectigalia, fructusq; omnes Palæstinæ reddidit. Imperatores Romani Constantinus Capronymos, Leon quartus filius eius, & nepos Constantinus quintus: Pontifex, Senatus, Populusque Romanus, merum, legumque regimen æquè perpetuum detulerunt. Constantinopolitani principes Irena Augusta, Nicephorus, Michaël, Leon Armenius Pardi filius, precibus, crebrisque afflagitationibus fœdus impetrarunt. Disciplinam militarem seuerius exercuit: militibus, qui gnauiter fecerant, præmia constituit: negligentes ignominia notauit: vbique virtutis spectator extitit. In Saxonico bello cum duo gregarij milites, facta testudine munitissimæ vrbis aggeres dissipassent, ac portas effregissent, ambos ad se vocatos pro concione laudauit, & ipsis præfecturam inter Rhenum alpesque dedit. In eodem itidem bello duos Tyrones, licet vulgo conceptos, fortiter in medio hostium agmine depugnantes, inter cubicularios, stipatoresque suos esse iussit. Item duorum regulorum filij adolescentes iussi ante prætorium noctu excubare, quòd largius æquo vino indulserant, somno graui opprimuntur, Carolus, vt eius mos erat, euigilat, noctu cum paucis clam castra circuit, explorat, num

omnia

Leon Pardi filius Græcorum Imperat.

Homerus.

Sueuorum veteres sedes. Carol. Mag. quæ Francorum Regno adiecerit.

Prouerbiũ. Hieronym. Caroli amicitiam maximi reges ambiunt.

Duo Tyrones.

omnia ritè fiant: vbi somno præpeditos offendit, præterit quidem, ad tabernaculum redit. Postridie tamen concilio vocato, sciscitatur quid nam is commeruerit, qui principem & caput Francorum hostium manibus prodiderit, atque exposuerit. Illi primi sententiam rogati suo se ense iugulant: huiuscemodi hominem capitali pœna condemnant. Carolus illos grauiter increpitos, ignominiaque notatos, exauthorat, cætera incolumes dimittit. Milites datis nominibus sacramento adacti in eius verba iurarunt, se illi secundum Deum deuotissimos fore: nec mortem pro eiusdem, atque Reipubl. salute recusaturos. Vetuit ne quicquàm amicorum, præter herbam, ligna, aquam, à militibus inter proficiscendum adtingeretur: néue alius alium ad bibendum prouocaret, aut cogeret. ebrium

Nota. in exercitu de cætero aquam potare compulit. Capitali animaduersione eos puniuit, qui absque missione castra atque militiam deseruissent. Militiam, sacramentumque detrectantes, prædiis, villis, agris, donis militaribus priuauit, ea in alios cõtulit. Censum, Chunigolsteuram, & Vanolehen vocant, quinq; denarios modius frumenti quotannis pensitat. Is qui militiam detrectabat, morbo aut senectute æs illud mulcticium, militareque pendebat. Nam munia bellica, censumque quàm accuratissimè exegit, quę Germanicis vocabulis,

Herschuld. *Herbann.* *Rangelt.* Heirschuldam, ipse & Heribannum ab exercitu, vulgus Raisgeltum, ab expeditione nuncupat. Et vt salubrem magis quàm ambitiosum principem scires, ne templis quidem munia bellica, æs militare, vtpote neruos, sine quibus Respubl. nequaquam salua esse possit, condonauit. Ea tempestate sacerdotes paucis, victu, vestitu leui, parabili, ac parco, ad naturæ desideria implenda contenti fuerunt, decimis victitarunt: de quibus nemini quicquam contribuerunt. Magnus, non solum prædia stipendiaria, agros, prata, vineas, villas, molas, laterarias, calcarias, & huiusmodi reditus, vectigaliáque: item iumenta, pecudes, mancipia, verùm & propriam supellectilem præfectorum præsidum, pontificum, fœminarum sacratarum, & virorum descriptam habuit. Iuxta multitudinem iugerum, agrorum, opum, certus numerus militum, auri, argenti, iumentorum, boum, pecudũ, rhedarum, vehiculorum, annonæ, vestimentorum, paludamentorum, armorum, cataphractarum, gelearum, gladiorum, scutorum, hastarum, arcuum, sagittarum, pharetrarum: item ferramentorum (quæ sunt palæ, bidentes, ligones, rastra, cophini, dolabræ, secures, asciæ, serræ) indictus, & definitus est. At nunc misera est conditio imperitantium, qui expertes omnium vectigalium, vniuersorum exortes tributorum sunt. Cunctis opibus imperij, prædiisque regiis, Episcopi, Duces, Tetrarchæ, Dynastæ incubant. Hi vbi iniuria à quopiam adfecti fuerint, continuò officium Cæsaris, etiam illius periculo, implorant: ipsi interim nec Reipubl. nec Imperatori, etiamsi hisce procella ingruerit, quicquam penitus, nisi grandi pecunia redempti præstant. Eodem pacto cum ducibus fit, & agitur. Comites eorum, equites, monachi, mystæ, quamuis beneficia populi, & regulorum occupent, ipsi tamen huiusmodi munia à se in principem, & egenos agricolas, & ciues (quibus nihil emolumenti, ne obolus quidem, aut è fisco, ærarióue accedit) relegant. Equites, quibus fiscus, & æraria seruiunt, nisi auro oppignerati, non parent. Ita regna, regiones, vrbes, pagi, oppida, principes cæteri omnes ad egestatem rediguntur: paucorum potentia, diuitiæque in immensum subitò crescunt. Hisce moribus complura, quæ maiores sanguine suo, & multo sudore peperere, perdidimus, haud dubiè & reliqua quæ adhuc possidere videmur, nisi resipiscamus, amissuri. Nullus delectus Tyronum est, nulla præmia veteranorum: vltrò militiam, non sacramento rogati, religionéque adacti, leuissimus quisque, ac strenuus potator sectari solet: nec de condicione, moribúsue aliqua quæstio. Sunt autem nostro ęuo militum Germanię, quorum opera potissimum in bello Europei vtũtur principes, tria genera. Primos à Boiemia natali solo, Boiemos adpellamus. Hi clypeos, tormenta, siue Bombardas, gladios maximos, quos Sarissas vocamus, ferunt. Laboriosissimi sunt in castris, vallis, fossis, munimentis excitandis: in obsidionibus perferendis cõmendantur plurimum. Secundum genus collectitia manus est, ex omnibus Teutonum regionibus. Ipsi

Landsknecht. *Schwuitzer* *Eidgnossen.* *Basilea.* patria lingua sese Landoknechtos, hoc est, patriæ ministros nuncupant. In conflictu, vrbium oppugnatione præstant. Tertium genus à pago, Suitones nominantur: ipsi se Eidgnossen Alemannica lingua, quasi tu dicas, fœderatos, dicunt. Liberi sunt, & immunes omnis Imperij. Basilea à Maximiliano Cæsare, mea memoria, ad hos defecit. Supra quã ea loca, quæ olim Heluetij incoluerunt, non solùm tenent, sed etiam implent. Ex altera parte Rheni coniunguntur eis Rhætorum populi, supra Comum, qui propriis vocabulis sunt Voltureni, Engadini, Graopundi, Cariones: atque inter hos, & medios internecinum odium est: licet eiusdem linguæ sint, eisdem armis, Amazonia securi hastis longioribus, pugione, & bombardis vtuntur. Nequaquam simul stipendia factitare solent: diuersos

Suitones. ferè duces comitantur, partésque contrarias sequuntur. Suitones quidem superbiæ nobilitatis aduersi, modestia, concordia, victus parsimonia, disciplina præferuntur. Verùm vulgo malè audiunt, castigantúrque, quòd omnia auro posthabeant: nihil præter pecuniam spectent, vt apud quos omnia venalia sint. Sed his omissis, ad Carolum redeo. Qui vetustissimæ Francorum legi Salicæ capita quædam addidit, quasdam ex integro sanxit: vt de

vt de moneta, mensura, ponderibus, quæ per totum Romanum Imperium ad æqualitatem redegit. Item Galliam in quinos conuentus diuisit, Viennensem, Lugdunensem, Senonensem, Rhotomagensem, Rhemensem. His cætera oppida contributa. Vnumquodque ius in finitimo sibi conuentu petere iussum. Apud Germanos, quos Cæsar vocat Cisrhenanos, qui in Gallia Belgica, Celticaque habitant, iuridici conuentus instituti sunt, Vesontinus, Mogontinus, Treuerensis, Agrippinensis, Cameracensis. Sanxit Magnus, vt in primaria cuiusque regionis vrbe, quam Metropolim Græca voce dicunt, pontifex & prætor ter quotannis, Aprili, Octobri, Ianuario ius dicerent, responsa redderent: & primùm pauperes, viduas, pupillos, dato his prudentissimo patrono, diligentissimè audirent, inimicos reconciliarent. Vetuit insuper Magnus, ne illi lites in diem differrent, neve calumniis locum facerent. Opulentos quidem, ac locupletes, pontifices, præfectos, si qui in concordiam redire nollent, ad se haud aliò delegarent. Sumptuarium decretum huiuscemodi iuri dicundo intentis promulgauit: quotidie pontifici quadraginta panes, gallinastras tres, porcellum vnum, oua quindecim: de potu modios tres, de auena caballis modios tres. Prætori panes triginta, modios duos, cætera tantundem statuit. De portoriis, singularique certamine complura sanxit, quæ, quòd nunc ludibrio sunt, corruptis nostris moribus, prudens prætereo: illa iam vetera, sed optimi moris, quæ nunc exoluerunt, vtinam possent obtineri, referam. Ebrietatem inhibuit, neve alius alij propinaret. Sine discrimine vniuersos ad Euangelica oracula, ad placita Christi Domini, Deique nostri sectanda coëgit. Nundinas diebus festis ademit. Edixit quoque prophanum plusquam ter in anno de sacrosancto conuiuio, quod Eucharistiam nuncupamus, vesci non placere. Festos, & solennes, statosque dies Christo seruatori nostro dicatos, nimirum natalem eius, Calendas Ianuarias, quando more Iudæorum circumcisus est, Epiphaniorum sacrificium, ante octauum Iduum eiusdem Mensis solenne, & lustrationis quarto Idus Februarij: annales verò ferias, quibus idem Christus reuixit, mortem, atque inferos superauit, ac hisce triumphatis, cœlos conscendit: & deinde in legatos suos spiritus æthereus illapsus est, tantum celebrandas esse sciuit. Præterea sacros, religiososque dies in æstate, D. Ioanni Baptistæ, diuis Petro & Paulo. In hyeme diuo Martino (cuius sacra secum ferre consueuere reges Franci) Andreæ, Stephano, Ioanni Euangelistæ, & infantibus ab Herode contrucidatis adiecit. Præcepit etiam vt monachi, sacerdotes literis operam sedulò darent, emendatè & rectè scriberent. In omnibus contuberniis monachorum, episcoporum ædibus pueros docerent. Mendicis palantibus vetuit quicquam tribui, suos quamque regionem inopes alere: sanos, validos labore victum quæritare, ac desiderio sufficere manus iussit. Idcirco opes ecclesiasticas in locupletioribus templis in tres diuisit partes, duas egenis, tertiam sacerdotibus attribuit. In ædibus augustioribus donaria æqua lance inter egenos, & sacerdotes bipartitus est. Autor & aliarum legum fuit, in quibus cauit: Ne temerè, & passim sacrificiis interdiceretur: neve cadauera in fanis humarentur, neu sacerdotes auariciæ, Venerique dediti essent: vt Pontifices officio publicè in templo docendi plebem fungerentur: vt sacerdotes auariciam, gulam, cauponas, negocia prophana, familiaritatem mulierum euitarent, aut sacerdotio cederent, aut tribu mouerentur. Vt fures, homicidæ, & huiusmodi crimina committentes, si ad asylum, templumve fuga elapsi forent, repeterentur, atque vi eriperentur. Quòd si quis monachorum pontifexve præfectusve illos reddere recusaret, satisdaret damni infecti, compensandique præstaret, promitteret: si illorum quispiam aufugisset, id non sua opera esse factum, iuraret. Ius assiduè summa diligentia dixit, nonnunquam manè dum indueretur, tanta temporis iactura apud eum erat. Nulli plures Ducatus, præfecturasque, aut sacerdotia concessit, dictitans, sibi & alios demerendos, beneficiisque oppignerandos esse. In episcoporum senatum haud temerè quempiam adlegit: eruditionem, atque bonitatem in cooptandis illis potissimùm spectauit. Neminem nisi antea sibi probatum, & cognitum creauit. Nam eum ordinem ad pristinum modum & splendorem à D. Paulo præscriptum reduxit. Curiosè cauit, ne quis auarus, aut ambitiosus, luxuve perditus, vnquam pontificalem apicem adipisceretur. Hyldegardæ reginæ petenti pro sacrificulo suo, idem proceribus aulæ rogantibus, respondit: Idoneo, & si pauperi iam destinaui: Imperatorem mentiri, aut falli non decet, vt obtrudat superis, cuius vitam, mores, ingenium ignoret: & tantóne oneri par sit, compertum non habeat. Episcopum Mogontinum, quod lituum aureum, distinctum gemmis, instar Cæsarei sceptri vsurpasset, seuerissima coercuit oratione: eidem auariciam, & superbiam pro concione propalam exprobrauit: indignabundus, & clamitans, En, ait, pastores nostros, crucem Christi professos, qui spreta cura & pascendarum ouium solicitudine, ostentatione, opibus, luxu, Imperatorem quemuis opulentissimum lacessant. Quendam pridie feriarum D. Martini designatum episcopum, quòd is auctus tanta dignitate, amicis cœnam exhibens, & vti fit, mero sese nimium onerans, somno deinde oppressus, noctu diuinis rebus non interfuisset, rursus sacerdotio mouit: intolerabilem, negligentissimumque fore ratus, qui primo die sibi non temperaret, vt sui compos Deum ad iracundiam non prouocaret. Item alium

Germani à Cæsare Cisrhenani vocati.

Leges à Carolo sancita.

Festi dies à Carolo instituti.

Opum ecclesiasticarum diuisio.

Episcopus Mogontinus à Carolo obiurgatus.

t lectio-

lætiorem ob pontificatum donatum, atque gestientem, & ab humo in equum absque scamno, siue subpedaneo, vno impetu subsilientem, reuocauit, Vales, inquit, vt video viribus, & eques haud malus es: tua opera in bellis, vbi tua virtus enitescat, indigeo: proinde ignobili & imbecillo oues & gregem pecudum relinque.

Publica ædificia Caroli.

Publica opera plurima fecit. Ex quibus præcipuum est templum Deiparæ Virginis, adhuc toti Europæ venerabile ad Aquas Graneas, ex aduerso Palatinæ domus: cui & porticus, & procerum ædes ita circumiectæ, ita extructæ fuerant, vt vndique paterent ex prætorio prospectanti. Columnæ marmoreæ Roma, Rauennaq; deuectæ.

Tanto monachus D. Galli.

Tanto monachus Sueuorum, Diui Galli consecraneus, tintinabula fudit. Ædes sacras vetustate collapsas, aut alio quouis modo absumptas, reficere Pontifices, & patres finitimos præcepit: & vt maturius quæque perficerentur, prætores præfecit. Veteres pontes, naues, portus, vias, & huiusmodi minora monumenta prætoribus suis reficiunda distribuit: maiora & noua, communi omnium episcoporum, monachorum, equitum impensa construxit. Neminem qui beneficia fisci, ærarij, populi ve possideret, immunitate donauit. Moguntiaci Rhenum ponte iunxit: cuius longitudo erat quingentorum passuum: tanta ibi est latitudo amnis. Decem annis per vices opera Europæ extructus est, perpetuus fore visus. Anno antequàm decederet, de cœlo tactus, tribus horis conflagrauit: adeò vt ne vestigium quidem relinqueretur: pro ligneo lapideum restituturus, prius ex hac vita migrauit.

Regiæ duæ Caroli.

Excitauit à fundamento duas regias: vnam haud procul Mogontiaco apud Ingelhaim, alteram Neomagi, vrbs est inferioris Germaniæ. Viam quoque ab Agrippinensi Colonia, Parisiorum Luteciam tenus munisse, atque strauisse, vulgo refertur. Ad tutelam Germaniæ, Galliæ, Italiæ classes reparauit, binas instruxit, aduersus Nordomannos, & Saracenos. Naues iuxta flumina, quæ ex Germania, atque Gallia, Italia in Oceanum, mareque Tyrrhenum defluunt, fabricauit. In omnibus portubus, & ostiis fluminum, qui nauium patientes erant, statiua, classiariosque habuit: tutasque Germanias, Italiam, Gallias, quantum præuideri humana ratione potuit, etiam in posterum præstitit.

Nordomanni qui.

Nordomanni, qui nunc Dani, à veteribus Cimbri dicti, assiduis incursationibus Gallicum litus infestum reddebant. Saraceni, siue Mauri Italiæ, Galliæque crebrò imminebant. Carolus captiuos horum pueros, atque infantes ad ensem metiri solebat, quicunque excessisset ensem, capite obtruncabatur. Ideo nullum graue detrimentum, neque Italiæ à Mauris, neq; Germaniæ & Galliæ à Nordomannis adiunctum est. Duntaxat Centumcellæ, Ethruriæ oppidum, ac Nicea Galliæ Narbonensis ciuitas à Saracenis proditione capta, atque vastata. Et in Frisia quasdam insulas, proximas litori Nordomanni deprædati sunt. Quatuor habuit vxores. Adolescenti mater eius Bertha, Irmogardam filiam Desiderij regis Italiæ collocauit: verùm cum ea diuortium fecit. Deinde Hildegardim Sueuam in matrimonium accepit, ex qua tulit tres mares, Carolum, Pipinum, & Ludouicum: totidemque filias, Rotdrudim, Bertham, Gisalam. Defuncta Hildegarde, Fastradam Franconum genere procreatam duxit. Ea duas filias peperit, Hildrudim, & Rothaidem. Post mortem Fastradæ Luitgardim Alemannam connubio sibi iungit, ex qua nihil liberorum tulit. Habuit & plurimos liberos ex concubinis. Nam Gersuinda de Saxonum progenie oriunda Adeldrudim, Reginopyrga Drogonem, & Hugonem.

Reginopyrga, quæ Regina ab Eginharto dicitur.

Adeluida Theodericum progenuit. Gisalæ sorori, matrique præcipua officia præstitit: maximos honores tribuit. Matrem in Cœnobio D. Dionysij, ad sextum à Lutecia Parisiorum lapidem, apud Pipinum patrem condidit. Eorum monumenta inspexi, dum in vrbe Parisiorum Philosophiæ ante annos duodeuiginti operam dedi. maxima cura liberos educauit. nunquàm domi sine ipsis cœnauit: nunquàm iter fecit, quin filij adequitarent: filiæ vehiculo extremo agmine claudente, subsequerentur. Ipsos liberalibus studiis, quibus ipse operam dabat, institui iussit. Mares simul ac per ætatem licuit, more Germanorum equis, armis, venationibus exercuit: fœminas verò etiam lanificio, colo, fusoq;, ne ocio torperent, adsuefecit. Atque hæ cùm admodum pulchræ essent, nullam earum nuptum dedit vsque ad mortem, caussabatur se earum consuetudine carere non posse. In hacque re fortuna eum destituit. Nam filiæ probro impudicitiæ notatæ, malè audierunt: sed ea siue crimina, siue maledicta patienter tulit, dissimulauitque. Duos filios Carolum & Pipinum, vnam duntaxat filiam Rotdrudim amisit. Filium Pipinum gibbosum ex concubina, cuius nomen non traditur, suprà commemorauimus. Pipini liberos, vt suos educauit. Bernardo paternum Italiæ regnum concessit.

Sic Eginhartus filias Pipini nominas.

Adelhaidem, Atalam, Gundradam, Bertaidem, Thedradam inter filias enutriuit. Amicitias Romanorum Pontificum, & adfinium constantissimè retinuit: peregrinos, & hospites humanissimè (qui vetus est Germanorum mos, sicut inter illustres annalium authores constat) excepit. Multa in eos beneficia effusius contulit. Eorum multitudo non solùm aulam, verùm totum Francorum quoque regnum prægrauare videbatur.

Carolus hospitalis.

At Carolus fisci detrimentum, fama genuinæ hospitalitatis, benignitatisque gloria compensabat. In pauperes & egenos munificentissimus fuit: in Syriam, Ægyptum, Africam, & vbicunque Christianos in egestate, & inopia viuere accepit, pecuniæ ingentem numerum misit. Asiæ, & Africæ regum societatem ambiuit, vt inde Christiani, qui illis parerent,

rent, quicquam emolumenti nanciſcerentur. Cibi, potuſque parciſsimus erat: in potu tamen temperantior, vt qui ebrietatem in quolibet, infimæ etiam conditionis homine, ne dum ſuis, velut mali ominis abhorreret: lege data eam prohibuit. Cœna quotidiana quaternis duntaxat ferculis, præter aſſam: qua maximè delectabatur, & quam venatores verubus inferre ſolebant, conſtabat. In cœna non ampliùs ter ferè neque temerè interdiu bibit. Æſtate pro potione ſumebat aliquid pomorum, & ſemel duntaxat bibit. Conuiuabatur rariſsimè, & hoc celebertimis tantũ diebus feſtis, magno conuiuarum numero. Inter comedendum legebantur ei hiſtoriæ, & antiquorum rerum geſta. In Quadrageſima ob miniſteria octaua cœnabat: quum hora nona demum prandere conſuetudo eſſet, poſt rem diuinam veſperi factam. Quod & Prudentius hiſce carminibus docet:

Caroli temperantia. *Prudentius.*

Nona ſubmiſſum rotat hora ſolem,
Partibus vix dum tribus euolutis,
Quarta deuexo ſupereſt in axe
Portio lucis.

Epiſcopum qui gulæ cauſa anteuerti horam calumniabatur, ieiunium ſeruare præcipit. nec quicquam vel guſtare permittit, donec ipſe, hinc duces, dynaſtæ, miniſteria cuncta deinceps comediſſent: ita epiſcopus demum poſt multum noctis fame tabefactus, cœnitare permiſſus, re ipſa doctus eſt, quamobrem Imperator anteuerteret horam. Non hic horæ æquinoctiales, ſed cuiuſque diei, quas inæquales, & planetarias vocant, ſignificantur. Fraus nunc fit à ſacrificulis decreto, Veſpertinum ſacrum ſacrificio iungunt, vt perpetrata re diuina, veſperi fieri ſolita, eodem tempore comedere videantur. Id enim ieiunium primum duntaxat ſacerdotibus ſolenne fuit, ſicuti in Pontificalibus libris legi: & Auſonius teſtatur hoc carmine,

Et deuota pij celebrant ieiunia Myſtæ.

Noctu dum in cubili cubaret, capiti pugillares ſupponebat. ſi quippiam vtile (vt fieri in lectulo ſolet) in mentem veniebat, adnotabat, ne memoria laberetur. Somnum quater, aut quinquies non ſolùm expergiſcendo, ſed ſurgendo etiam interrumpebat. Æſtate interdiu binis, aut ternis pomeridianis horis condormiebat. Manè dum amiciebatur, ac calciaretur, non ſolùm amicos ſalutatum, ſed & litigantes admiſit, & eorum decidit negocia, iusq; dixit, tanta parſimonia temporis erat. Eo quoq; tempore officia & quicquid fieri tota die placeret, breuiariis aperuit. Corpore fuit amplo, atque robuſto: ſtatura eminenti, quæ tamen iuſtam non excederet: quam Eginhartus ſcriba eius ſeptem pedum fuiſſe tradit. Caput habuit, more Germanorum rotundum. Oculos itidem, vt Germani cęruleos, prægrandes, & nitidos. Vultu erat tranquillo, & ſereno. Naſus paululum mediocritatem excedebat. In ſenecta canicie pulchra fuit, ceruice obeſa & breuiore ventre proiecto, ſed qui commoditate, & æquitate membrorum occuleretur. Inceſſu fuit firmo, & tota corporis habitudine virili: voce clara, minore tamen, quàm quæ proceritati conueniret. Authoritas, dignitasque plurima ſedenti, ac ſtanti non defuit. Vſus valetudine proſperrima: tempore vitæ toto penè illæſa, niſi quòd per quatuor annos, quàm ex hac vita migraret, crebra febri corriperetur. Ad extremum vno pede claudicaret. Et tum quidem valetudinem ſuo arbitratu rexit, ſine adiumento medicorum: quibus infenſior erat, quòd aſsis, quibus delectabatur, interdicerent, & elixis vti ſuaderent. Veſtitu, calciatu, & cætero habitu, patrio, hoc eſt, Teutonico vtebatur: non multum à vulgari abhorrente. Subucula, tunica artus ſingulos exprimente. quæ ſerico limbo ambiebatur: thorace pelliceo, tibialibusque lineis muniebatur. Amictus inſuper ſago Veneto. Enſe ſemper accinctus, cuius capulus, vt balteus, aut aureus, aut argenteus erat. Celebri feſto, aut quando exterarum gentium legati veniſſent, veſte, gladio, diademate aureis, atque gemmatis prodibat: peregrina, atq; exotica veſtimenta, precioſa quanquam, omnino contempſit. Romæ bis duntaxat Hadriano, item Leone Pont. Max. enixius orantibus togam, chlamydem, calceosque more Romano ſumpſit. Etiam habitum, veſtitumq; priſtinum reducere ſtuduit: qui is, quem deſcribam, erat. Pagus Boiariæ in Norico eſt, ad Maticham flumen, inter Iuuauum, Oenumque amnes, cubat, (Mautkirchen vocant) ibi in tẽplo duo equites, gypſo cocti, poſiti conſpiciuntur Franco veſtitu. Calceamentis vtrinq; lora trium cubitorum intexta ſunt: Tibialia fœminalia linea, ac vermiculata faſciolis eius coloris conſtringuntur. Atque hæc omnia ſuperiora lora cancellatim intendebantur. Extremum veſtimentum paludamentum quadrangulum cæruleum & duplex. quod humero iniectum, lateribus vtrinque patet: ore eius priores, poſterioresq;, vſq; ad calcem, plantamque perueniunt. Franci inter Gallos militare ſoliti, eorum ſagis virgatis, breuioribusq; vti iam cœperant. At Carolus viſa quondam Brachatorum turba, indignabundus exclamauit: En liberos Francos, qui eorum quos vicere veſtiméta haud bono omine, & inauſpicatò vſurpant: quid iſta pittaciola proſunt? Totum non operiunt corpus, maxima ex parte nudum relinquunt: neque à pluuiis, ventisq; defendunt. Quinetiam ad naturæ neceſſaria ſecedenti tibiæ congelaſcunt. Edixit deniq; ne de cætero huiuſmodi Gallica ſaga in Germania aut venderentur, aut emerentur à quopiam. Hyeme vt eſt

Habitus corporis Caroli. *Caroli veſtitus.* *Veſtitus veterum.* *Mautkirch.*

Germaniæ mos vetustissimus, longinquaq; consuetudo, rhenone ex pellibus lupinis, ouillisve muniebatur. Cumque apud Forum Iulium hybernaret, ac videret Francos exoticas pelles, peregrina vestimenta à Venetis mercatoribus magno emptitare: huncque sericatum, illum gemmatum, istum armillatum, alium manuleatum, cycladatumve procedere, omnes vti vestiti erant, secum venatū pluuia imminente proficisci imperauit, vestibusq; hisce imbre corruptis, spinis atque fruticibus, dum feras insequuntur, conficiunt, dilaniatis cruore atque sanguine oblitis, domum reuertit, iussitque vniuersos mox secum in prætorium coire, atque eodem habitu secum cœnare. Ob frigus tum omnibus ad focum certatim considentibus, conuiuium ad multam noctem protraxit. Postridie iisdem indutos amictibus, cunctos apparere iubet. Tum vbi huiusmodi indumenta, partim imbre, pluuia, sentibus dilacerata, cruore oblita: partim igne rugis constricta, proinde rupta, discissaque conspexit, lupinas pelles, quas, vti fieri solet, aëre siccarat, integras ostendit: Stolidissimi mortalium, inquit, quod vestimentum nunc vtilius, preciosiusve est? Meum ne drachma comparatum, an vestra, tot libris, atque integro patrimonio coempta? Exercitationes equestres, venatorias, quæ illi gentilicia erant, nunquam omisit. Germani enim à puero illis ita exercentur: vt nulla gens alia eis æquari possit. Animi laxandi caussa lauacris oblectabatur: sæpius calidis vtebatur, lauandoque, crebro natatu se exercebat, adeò vt omnes nando superaret. Ideo ad Aquas Graneas (quibus Serenus Grauius legatus Germaniæ Cisrhenanæ Hadriano imperante tam celebre apud posteros nomen dedit) Regiam extruxit: ibi extremam ætatem egit. Ad balneum non modò liberos, sed proceres etiam ac amicos admisit. Nonnunquam & cæteros aulicos, custodesq; corporis inuitauit: interdum plusquam cum centum hominibus lauit. Eloquentissimus fuit, copiosè simul, ac perspicuè, & ornatè de quacunque re dicturus erat, perorabat vsque ad extemporalitatem. Vtraque lingua, Romana atque Germanica iuxtà facundus, ac promptus: nam linguam Latinam iuxta patriam, hoc est Teutonicam calluit. Græcas quoque literas attigit, quas tamen melius intelligeret, quàm pronunciaret. Artes liberales studiosissimè coluit. Audiuit in eis Albinum Saxonem, Angliumque virum optimum, eius tempestatis vndecunque doctissimum, quem ferè secum, vbi à bellis feriæ erant, in aula magno honore detinuit. Habeo rhetorica, dialecticaque, quæ Albinus rogatu Caroli scripsit. Cosmographiam, & descriptionem orbis terrarum in mensa argentea cælatam habuit. Astrorum disciplinæ plurimum operæ nauauit: abaco exercitatissimus, cœli, syderumque meatus, atque naturam curiosissimè rimatus est. Rem quoque musicam apud Latinos auxit, cum apud Romanos, nempe Ecclesiasticos, quatuor duntaxat tropi seu modi, Phrygius, Dorius, Lydius, Mixolydius, quos vulgus cantorum tonos Autentos (αὐτέντας, id est clamosos, ἀϋτὴ enim clamor, ἀϋτέω voco, resono Græcum est) vocat, hactenus in vsu fuissent. Ne Latini vlla ex parte Græcis cederent, ducem à comite diuisit, quatuor subditios modos à quatuor primariis distinxit, octo tropos fecit: illos cantores plagios, id est, obliquos Græco vocabulo nuncupant. Admodum delectabatur libris D. Aurelij Augustini, præcipuè iis, quos de Ciuitate diuina inscripsit. Ingenia sæculi sui omnibus modis fouit. Artium liberaliū doctores præter cæteros egregiè veneratus est: magnis illos adficiebat honoribus, plurima in illos beneficia conferens. Constat quosdam celebres è ludo literario in aulam receptos, sacerdotia locupletissima, & pontificatus consecutos fuisse. O si mihi, inquiebat, fata duodecim Hieronymos, Augustinósve concederent. Subiunxit stomachabundus præceptor eius Albinus, suauis homo: Qui duodecim postules, cùm suprema illa, atque æterna maiestas, tanto temporis spacio duos duntaxat habuerit? Linguam patriam, hoc est, Teutonicam, locupletauit. Mensibus, & Ventis Germanica vocabula, à quatuor mundi partibus imposuit. Subsolanum Osten, & Oster. Austrum Suden & Sunder, Aquilonem Norden, Favonium Westen, Wester nuncupauit. Ex hisce cæterorum vocabula, vti à Græcis factum est, composuit. Mensibus quidem isthæc nomina fecit. Ianuarium ab hyeme Wintermonet: Februarium à cessando Hornung: Martium à tempore Lentzmonet: à Paschalibus Aprilem Ostermonet: Maium à gaudio Wunnemonet: Iunium ab arando Brachmonet: Iulium à fœnisecio Heumonet: Augustum à messe Arnmonet: Septembrem à satione Witonmon: Octobrem à vindemia Weinmonet: Nouembrem Windtmonet: Decembrem à natalibus Christi Heiligmonet adpellauit. Scripsit & Grammaticam patrij sermonis, quam extare aiunt: conatus est regulis ac præceptis cultiorem & elegantiorem, ad æmulationem Græcorum, Romanorumque linguam Teutonicam reddere, omnique barbarie exuere. Teutonica, & antiquissima carmina, quibus Heroum, sicuti mos est Germanorum, gesta canuntur, scripsit, & memoriæ mandauit. Liberalia literarum studia, penè iam, vt ipse ait, incuria maiorum obliterata, instaurare summopere connisus est. Et vt sui exemplo ad ea amplectenda cæteros inuitaret, ex Hybernia duos Scotos, Clementem, & Albinum acciuit, vt tum erant tempora, eruditissimos. Item ex Anglia alterum Albinum euocauit. Albinum Scotum Ticinum misit, ibiq; ludum literarium aperire iussit. Commilito huius Clemens, mandato Caroli in Lutecia Parisiorum concedit: eique Magnus annonam, stipendia è fisco tradit: procerum, pauperumque

Serenus Grauius legatus.

Caroli eloquentia & doctrina.

Albinus Saxo.

Carolus D. Augustini libris delectatus.

Mensium nomina à Carolo inuēta.

Clemens, Albinus.

rumque pueros, ingenuos modò, erudiendi causa tradidit, commisit: vt nostro æuo Imperator Maximilianus Viennæ Noricorum factitauit. Albinum Anglium secum detinuit. inde Diui Martini Cœnobio in agro Turonum sito, vbi doceret, cùm in aula nó esset, condonauit. Valdonemque Augiæ Maioris Magistrum ad diui Dionysij templum in agrum Parisiorum, ex Sueuia docendi ergò transtulit. Et cùm longo pòst tempore in Galliam diuertisset, pueros quos Clementi commiserat, epistolis, versibus, carminibus, orationibus, panegyricis, scriptis, vt periculum de eorum ingenio, atque indole faceret, sibi exhiberi iubet. Vbi tenuiores præter spem profecisse, nobiles verò gaudiis corporis deditos, cultum animi neglexisse deprehendit, illis ad dextram segregatis: Vos quidem macti virtute, inquit, estote filioli pientissimi, qui nostro imperio gnauiter defuncti estis, vestra erunt sacerdotia locupletissima, & pontificatus maximi. Ego vos in aulam ascisco: ex vobis Senatores cooptabo: vos in album Prætorum, & patrum curiam adlegam. Deinde ad nobilium liberos, quos à læua collocarat, vultu haud iram dissimulans, ait: At vos comatuli, & delicatuli, freti opibus, & splendore parentum, nostram maiestatem conspreuistis, vitia, ocia, luxum, & inertiam bonis literis virtutibusque, contempto decreto nostro, prætulistis, iubeo, & Deum immortalem testor, nihil penitus commodi, honoris, ne obolum quidem ab Imperatore vestro, cuius iussa aspernati estis, expectate: faxim vt omnibus mortalibus ludibrio viuatis: & in vos exempla edam, nisi resipueritis, & negligentiam diligentia expiaueritis. Vniuersos quoque Veteris ac Noui Instrumenti libros, librariorum imperitia, lectorum oscitantia, interpretum inscitia, & incuria temporum deprauatos, ad amussim, & veritatem fontis correxit. Extat publicum decretum: nec siuit, vt tanti Imperatoris verbis vtar, in diuinis lectionibus, templisque inter sacra officia, inconditos solœcismos, barbarismosque inconcinnos obstrepere: in quibus quidam religiosuli nostra memoria, sanctitatem collocant, quasi verò erroris, aut inscitiæ turpitudo, præstigiosæ atri genij tenebræ, itaque superum Deo Optimo scientiæ, & sapientiæ largitori, fabroq; complaceant. Atque illi crabrones iniquissimo ferunt animo, quòd nostro demum felicissimo, Christo propitio, seculo, Erasmus Roterodamus (quo nemo multis iam ætatibus vtilior Christiano contigit orbi) iussu Leonis decimi Pontific. Maximi, Noui instrumenti sacros libros, ad Græcorum fidem, hoc est, veritatis fontem, emendauit. Ad Carolum reuertor. Pietatem Christianam reuerentissimè à teneris vnguiculis coluit. Rei diuinæ, quacunque hora solitæ fieri, interfuit. Omnem grauitatem, seueritatemque, procul omni leuitate, in templis præ se tulit. Carmina sacra, & ritum cantandi, quo propiciari superos credimus, & quemadmodum nostro æuo adhuc in templis fieri solet, instituit per Paulum Warnefridum à sacris. Qui etiam, malo actus genio, Sexti Pompeij Festi viginti prolixa de verborum significatione volumina, in compendium, quod venale circumfertur, redegit, Carolo dicauit. Cùm Græci apud Aquas Graneas patriis cæremoniis rem diuinam facerent, & psallerent, Magnus occultè subauscultans, & captus dulcedine cantus, iussit vt sui sacrificuli eiusmodi numeros exciperent. Indicto conuentu principum, supra modum auariciam in sacerdotibus detestabatur. Conuentus episcoporum, sacerdotum per regnum, Mogontiaci, Turonis, Rhemis, Cabillone, Arelatico egit: de vita, moribus, honestate sacerdotum pleraque statuit: ne hisce legibus fraus vlla fieret, summopere cauit. Mortem eius, de qua hinc dicam, euidentissimis ostentis præcognitam fuisse, Eginhartus quidem author est. Verùm quæ superstitiosiora, leuioraque, quàm vt huic operi à me inserantur, Philosopho atque Christiano homini videantur, qui addictus, & deuotus persuasioni, cuncta à supremo numine administrari. Anno igitur ab orbe restituto octingentesimo super tertiumdecimum, cum morbo, senectuteque prægrauatus, extremum finem haud procul abesse præsentiret, vt omnem discordiæ ansam præriperet, Ludouicum filium suum ex Aquitania ad se vocatum, consilio Principum Augustum adpellat. Aquas Graneas Regni Francorum caput, Regiamque perpetuò fore statuit: vbi hactenus ex more Imperatores nostri inungi, atque coronari solent. Dimisso inde in Aquitaniam filio, non præter solitum reliquum autumni venando exegit. Vnde Calendis Decembribus ad Aquas Graneas reuersum, ibique hyemantem grauis febris mense Ianuario inuasit. Morbum abstinentia, vt solebat, aut mitigare, aut pellere conanti, laterum dolor accessit. Quem dum inedia temperare conatur, & corpus duntaxat potu refouet, septimo posteaquam succubuit die defecit, & excessit ad superos, hora diei tertia, V. Kal. Februarij, anno vitæ secundo atque septuagesimo, potestatis septimo, & quadragesimo: Restitutæ salutis octingentesimo atque quarto decimo, indictione septima. Ipse de sepulchro, funereque nihil mandarat. Humatus est in templo Deiparæ Virginis, quod ad Aquas Graneas condidit. Vbi adhuc religiosè colitur, & eius sepulchrum reuerenter aditur, atque monstrari solet. Nam anno Christi seruatoris nostri M. C. L X V I. Indictione X I I I I. Imp. Friderico primo Cæs. Augusto imperante in numerum cœlitum relatus est. Testamentum ante triennium quàm decederet, fecit: Gazam omnem atque regiam supellectilem, Cæsareum cultum, aurum, argentum, gēmas, vestimenta, stragula, preciosissima rerum, & vestium: vasa pre-

Carolus veteris & noui Testamenti libros correxit.

Erasmus Roterodamus. Leo 10. Pōt. Max.

Paulus Vuarnefridus à sacris Caroli.

Anno Christi 813. Caroli morbus.

Carolus Magnus moritur 814.

Carolus canonisatur.

preciosæ artis vniuersa, ædiũ Palatinarum instruméta: æramenta, ferramenta, arma, discos, pocula, pateras, cantharos, trullea, pollubra, in duodecim partes more veterum diuisit. Nam, vt ait Varro, multa antiqui duodenario numero finierunt. Liberos duntaxat ex vncia hæredes instituit. Itidem vnciam legauit aulico famulitio: pauperibus, atque egenis dextantem, nempe reliquas partes largitus est. Auream quoque mensam, item tres argenteas, in quarum vna Neoroma, in altera vetus Roma, in tertia orbis terrarum descriptus erat: quas multo comparauit, vendi: precium pauperibus distribui iussit per Archiflamines, iuxta quorum numerum, legata pauperibus in vnam, & viginti portiones diuisit. Quippe tot primariæ vrbes, quas Græci Metropoleis vocant, in Imperio Caroli erant, quorum nomina subtexui. In Italia Roma, Rauenna, Forum Iulij, Gradus, Mediolanum censebantur: Alpium maritimarum, & Cottiarum Ebrodunum, & Tarantasia. In Gallia Narbonensi (quæ verius Italia, quàm prouincia ait Plinius) erant Vienna, Arelas, quæ & Arelatæ: Aquitaniæ Burdigala, & Bituriges: Celtarum Senones, Turones, Lugdunum Belgarum Rhemi, Rhotomagus, Vesontio. Francorum Agrippinensis Colonia, Treueri, Moguntiacum, Iuuauia, quæ & Salisburgium. Imperator L V D O V I C V S Pius filius Caroli, viuente adhuc patre, superiore anno, quàm is decederet, communi principum decreto Cæsar designatus, nuncupatus est: continuoque in Aquitaniam rediit, vbi degens, de morte parentis fit certior, crebris legationibus in Germaniam inuitatur. Valo pronepos Pipini consanguineus plurimum in aula apud Carolum potuerat. Huius potentia, & authoritas formidolosa Ludouico erat. Aliud quoque accedebat malum. Sorores eius, vti suprà commemoraui, vulgo malè audiebant, quòd sub patre licentius, quàm maiestas domus Cæsareæ postularet, & liberius quàm necesse est probis, vixissent. Nam sunt nonnulli, qui ita existimant: eas parum honestè pudicitiam habuisse, atque cuilibet infimæ conditionis prostituisse. Has ob causas Ludouicus, ne se absente, aut seditio, aut tumultus abs nouarum rerum cupidis sceleratis excitaretur (quemadmodum fieri solet, vbi capite orbatum est Imperium) maturandum putabat: alioquin patientius mortem, quàm dedecora suorum ferre consuetus. Primùm ad Bernardum Regem Italiæ, nepotem suum ex fratre oratores mittit, postulatum, vt is patruo ad Aquas Graneas occurrat. Deinde cum copiis Valam, Wernerum, Landprechtum, Iungebertum præfectos, & amicos suos præmittit: quàm maximis itineribus Aquas Graneas properare iubet: mandátque, vt operam dent, dissimulando obseruent, ne quid interim flagicij committatur: neve stuprorum conscij fuga elabantur: præcipiantque exteros, & populares aduentum noui principis præstolari, eique cuncta integra seruare. Vbi hi ad Aquas Graneas venere, Wernerus communicato consilio cum Lanberto, cæteris collegis Vala, & Iungeberto ignorantibus, nec consultis, Hatuinum quendam, quem libidinosissimum esse, & stupri consuetudinem in aula fecisse constans erat opinio, ad se venire imperat. Is conscientia scelerum, se vocari vt comprehenderetur, ratus, venit quidem, sed armis, & prauo animo instructus. Nam admissus Wernerũ nihil mali suspicátem interficit. Landoberto crus fregit: ipse à ministris Werneri gladio confossus interiit. Ludouicus interea per Aurelianorum, Parisiorum, Haristalliorum agrum cum vxore, & liberis tertio Calendas Martij, tricesimo post Caroli obitum die, ad Aquas Graneas peruenit. Ibi à Germanorum principum, Pontificum maximo numero honorificentissimè excipitur, ritu patrio inungitur, & secundo senatusconsulto, plebisque scito Imperator, & Augustus adpellatur. Testamentum deinde parentis aperit, recitatque in senatu Cæsareo, soluitque legata fide Germanica, hoc est, summa: sororibus quoque testata repræsentat. Verùm cœtum fœminarum maximum aula exigit: præter paucissimas, probitate & castitate insignes, quarum ministerio regia carere nequibat. Postea (licet natura in vlciscendo lenissimus esset, vt eidem cognomen tum Pij meritò inditum sit) consortes flagitiorum, participes cædis superioris omnes in vincula coniicit, nulli eorum ignoscit. Vita quidem donatos, luminibus priuat: fratres suos tonderi, in monasteriisque concludi præcipit: multitudinem principum sibi, Reipublicæque perniciosam fore arbitrabatur. Deinde legationes exterarum nationum, maximè Leontis Imperatoris Constantinopolitani absoluit, cuius oratores Christophorus ab ense, & Georgius à sacris, cum Hamalario, & Petro à Carolo ad Græcos legatos fuisse diximus, aduenerant. Cum Græcis suos quoque, Nordbertum episcopum Reginensem, & Richouinum præfectum Patauinum ire iubet, qui solenni ex more fœdus inter principes, orientalem, occidentalemque initum, de integro renouarent. Eodem anno conuentum procerum Imperij ad Aquas Graneas cogit, sacramenta apud se dicere, maximè prætores, prorsus nihil munerum accepturos, iubet. Ipsis pauperes summopere commendat. Vetat insuper, ne populum extraordinariis tributis, nouisve seruitutibus expilent. Nulli delegauit officium, vt non adiiceret, Vide quid agas: Non hominis, sed Dei Opt. Max. minister es, eiusdem sacramento authoratus es: & agamus, ne quis popularium nos accuset. Quodcunque iudicabis facturusve es, in te redundabit. Ita tecum agetur, quemadmodum cum alio egeris. Non est enim apud dominum

Deum

Marginalia: *Varro.* — *Aurea mensa & tres argenteæ venditæ.* — *Ludouicus Pius Imp.* — *Valo, qui & Vualo, & Vuala.* — *Bernardus Italiæ rex.* — *Hatvvin.* — *Vverneri interitus.* — *Ludouicus à Germanis excipitur.* — *Fides Germanica.* — *Ludouicus cur Pius dictus.* — *Nordbertus Richouinus.*

Deum nostrum iniquitas, aut cupido, acceptiove personarum. Rex Deus omnibus idem, qui nos ad rerum humanarum fastigium prouexit, vt inopes plebemque suam ab iniuria potentiorum, seruituteque diuitum defendamus, & adseramus: non vt populi labore, atque sudore partis abutamur, ditemurque. Cardo & summa religionis Christianæ in amandis, promerendis egenis consistit. Hi cœlos possident, ab ipsis locupletes, & potentissimos quosque mercari oportet. Exiguo conceditur misericordia, potentes potenter tormenta patientur. Honoratissimus, atque maximus titulus, quem Deus peculiariter sibi vendicat, vsurpat, pauperum propugnator, pupillorum tutor, viduarum curator. Huic administrati imperij sui reddemus rationem.

Dei titulus maximus.

Posthæc Grimoldo duci Beneuentano graue tributum deprecanti, inopiam & mediocritatem rei familiaris excusanti, annuum vectigal diminutum. Antea vicena quina millia nummûm, quos solidos vocabant, fisco reddebat, iussus est septena duntaxat millia quotannis pendere.

Grimoldus dux Beneuentanus.

Bernardus quoq; in Italiam reuertit, iussu Augusti, qui eodē tempore Saxonibus patrias leges, ius testandi, quæ pater ademerat, restituit. Hæc quidam malignè, alij benignè interpretabantur: vt nemo omnium est, ne Deus quidem Opt. Max. cuius cuncta facta inculpata sint apud vniuersos: hi clementiæ, illæ imperitiæ tribuebant. Eadem tempestate Reginofridus, & Heraldus reges Danorum à filijs Gotofridi, qui vires recuperarant, armis inuaduntur, ad fortunamque prælij irritantur. Nec illi certamen detrectant: sed victoria penes Gotofridi liberos fuit. Reginofridus bello occidit, vitam simul cum regno amisit.

Reginofridus occiditur.

Heraldus fratre amisso, rebus suis diffidens, ad Imperatorem aufugit, seque illi in fidem committit, opemque ab eo postulat. Cæsar Bernardum ex Italia ad se reuocat, filios reges nominat. Lotharium filium regem Boiorum nuncupat: Boiorum illi regnum (quod a Lyco ad Sauum amnem protendebatur, hinc Boemiæ, Venedis, Franciæ antiquæ, illinc Italiæ conterminum erat) committit: in Boiariam eundem migrare iubet. Boiariæ orientalis limitibus Helmovuinum, Albegeronem, Babonem, & Geroldum præficit.

Lotharius rex Boiorū. Regni Boiorum magnitudo.

Pipinum alterum filium in Aquitaniam dimittit, Ludouico adhuc puero secum retento. Heraldum regem Nordomannorum in Saxoniam deducit. Ibi Badobrunnæ subsistit: hucque conuentum totius Imperii indixit. Adfuere legati orientalium Sclauorum primores. Cæterum Heraldum per Waldricum legatum suum, & Saxones, Venedosque reducere in Cimbricam peninsulam frustra conatur. Nam hij Gotofridi validissimis præsidiis, classe insuper ducentarum nauium comparata, regnum mari, terraque tenebant. Nostri nulla re memorabili gesta, ad Imperatorem in Saxoniam reuertuntur. Rumor tum erat, sine certo authore, Romanos proceres in Leonem Pontificem conspirasse: hunc que authores coniurationis contrucidasse. Ægrè ferebat Imperator id in vrbe sua absque suo iussu fieri. Idcirco compositis Venedis, Cimbricisque rebus, Heraldo Saxonibus commendato, in Saxoniamque dimisso, soluto concilio Francofordiam proficiscitur.

Ludouicus Francofurdiam proficiscitur.

Inde Bernardum nepotem regem Italiæ domum remittit: Romam eundem ad inquirendum, & cognoscendum, quæ temerè audierat, proficisci iubet. Bernardus vbi Romam venit, ægritudine impeditur. Verùm Geroldum præfectum suum: item Ioannem episcopum, Theodorum a commentariis, Sergio duce legatos Pontificis Romani ad satisfaciendum Augusto in Germaniam ire imperat.

Bernardus Romã venit.

Interim Leo Pontifex morbo corripitur. Atrox oritur tumultus Romæ: Imperator, ne quid Respublica detrimenti caperet, Romam vt vrbis suæ turbas sedaret, profecturus, comperit negotium à Bernardo rege, missis eò cum Winogiso præside Spoletano copiis, esse compositum: quamobrem ex Germania excedundum sibi haudquaquam existimauit.

Vuinogisus qui & Vuinigisus.

Porrò Lotharius Rex Boiorum, quorum regnum à Lyco flumine ad Sauum amnem protendebatur: atque hinc Francis, Turogis, Venedorum nationibus Sorabis, Boiemis, Morauis, illinc Italiæ continuabatur, in Orientali Boiariæ limite, sicut parens mandarat, Albogeronem, Helmovuinum, Babonem, Geroldum quatuor limitum præfectos ex Boiorum nobili prosapia oriundos instituit. Hos tutari terminos contra Bulgares iubet. Ipse in superiore Boiaria in pago Lycatiorum, Thierhauptum contubernium diuo Benedicto: item alia duo, diuo Aurelio Augustino collegia instituit. Vnum apud Damasiam, & propter lacum Ambronem, iussu & mandato Lotharij Regis Boiorum mystis Augustinianis construitur: Architecto Rathardo sacerdote, ex nobilissimis Boiariæ proceribus procreato: cuius frater Hanto Pontifex Augustæ Rhetiarum templum inaugurauit. Alterum eiusdem regis mandato Hitto Pontifex Fruxinensis condidit, nempe ædiculam diui Stephani in monte qui proximus Fruxino imminet, Aurelianeis consecraneis tradidit: sex in collegium sacrificos cooptauit, septimum magistrum, qui cæteris præesset constituit. Post ducentos annos imperante D. Henrico secundo Romanorum principe, duce Boiorum tertio, idem templum traditur cæremoniis Benedictinis. Sacerdotes in ædem diui Viti ad radicem eiusdem montis migrant, vbi adhuc habitant.

Collegiū D. Viti apud Frisingam. Hæc ex libello de reb. gestis sub Ludouico, incerti authoris.

Saxones Franconesque in Sorabes, Sclauos, qui ab imposito iugo resilire conabantur, exercitum ducunt: vnoque castello duntaxat expugnato, gentem ad obsequium redigunt. Vascones quoque, qui trans Garumnam circa Pyreneos montes consident, & ob Siguuinum ducatu

Leo Pontif. Max. moritur. Stephanus 4. Pont. Max. Ludouicus coronatur.

P. moritur, Paschalis 1. succedit. Pontifex Rom. à populo creabatur, Augustus author fiebat.

Pipinus. Lotharius.

Thrafico, Sclaomir, Ceadragus.

Essesfeld castellum. Gluomus habent alij, ab Auentino Gelomus dicitur.

Ex eodem libello incerti authoris.

ob Imperatore motum rebellarant, domiti sunt. Tum Romæ Leo Pontifex vrbis defunctus est. Stephanus quartus ei sufficitur. Is continuò ad Imperatorem, vt author fieret, legatos misit: seque ad eum venturum, aperuit. Cæsar Rhemorum vrbem petit, ibi episcopum Romanum, missis ante obuiam, qui eundem deducerent, honorificè & reuerenter excepit: sacrisque veteri more perpetratis, consecratus est, anno Christianæ salutis DCCC. XVI. Mense Octobri. Hisce confectis, Stephanus Romam, Pius Compendium se confert: consumptis hic viginti diebus, ad Aquas Graneas in hyberna pergit: auditque exterarum gentium oratores, qui pacem & fœdus petebant. Abdirachman filium Abulazi regis Saraceni Hispaniæ, Nicephorum à Leonte Orientali Imperatore ob Dalmatiam diuidendam missum: certamen erat de finibus vtriusque regni. Cadolach limitis Dalmatici dux, Albigarius nepos Vnrochi, cum quibusdam Italis Sclauisque Dalmatiæ finitimis, illuc in rem præsentem ire iubentur, iureque potius, quàm armis disceptare. Reges quoque Cimbrorum, filij Godofridi ob crebras Heraldi incursationes, legatos de pace ad Imperatorem mittunt: dolo tamen, qui vbi patuit Heraldo, auxilium contra eos decretum est. Inter hæc Stephanus quartus primarius Vrbis Romæ sacerdos moritur: Paschalis primus succedit. Qui missis legatis ad Pium cum munere, & epistola, se confirmari petit. Nam Pontificem Maximum antè populus Romanus creabat, Augustus author fiebat: illum nunc flamines, lege à se lata cæteris exclusis, sufficiunt. Adeluinus quoque Reginoburgensis episcopus tum obiit, & Bathuricus ab Imperatore sufficitur. Subsequenti anno dum Pius ad Aquas Graneas tertio die ante Paschalia è templo redit, porticus lignea corruit, Imperatorem, & viginti homines ruina operuit: Augusti auris dextra vulnerata, femur dextrum iuxta genitalia trabe collisum: pars sinistra imi pectoris capulo gladij adflicta: sed cura Medicorum intra vicesimum diem curatus est Pius. Qui inde Neomagum profectus, venationi operam dedit. Post ad Aquas Graneas reuersus, conuentum primorum regni, more Francorum agit. Interfuere filij eius Pipinus rex Aquitaniæ, Lotharius rex Boiorum. De sacerdotum ibi luxu Imperator leges tulit, quibus pontificibus, monachorum patribus, vniuersis denique sacerdotibus, vestimenti preciosi, serici, gemmarum, auri, argentei etiam in balteis, cultris, vaginis, phaleris, calcaribus, & huiusmodi vsus interdicitur. Dicere solebat Pius, portentum, abominabileque inferum ludibrium, aris addictum, deuotumque sacris, qui paupertatem Christi amplecti, crucem eius portare deberet, ad gloriam luxumque prophanorum aspirare. Sed episcopi præcipuè Galliarum, iniquissimo hæc acceperunt animo. Eodem concilio Ludouicus eum quoque diem, quo Deipara Virgo terris relictis, in senatum cœlitum adlecta est, fastis addit, celebrarique præcipit. Conuentu soluto, posteà in prætorio apud Ingelhaim, prope Moguntiacum, Græcanici Cæsaris legatos audit, absoluitque. Inter hæc Abroditæ Venedorum natio trans Albim, veteres Francorum socij ab Imperatore ad reges Cimbrorum; filios Godofridi deficiunt: Saxoniamque vastant. Post mortem Thraficonis reguli Abroditarum, Sclaomir ducatu eius gentis donatus est à Carolo, Ceadrago filio Thrasiconis adhuc impubere, immaturoque rebus. Is vbi adoleuit, à Pio partem paterni regni impetrauit. Sclaomir iussus cum eo diuidere regionem, nimis impatienter tulit: iurauit se nunquam in Imperatorum conspectum, aut aulam posthac peruenturum. Nec hoc contentus, fœdus atque societatem cum regibus Danorum init: exercitum terrestrem, naualemque accipit. Classis igitur Nordomanna per Albim ad Essesfeld vsque nauigat, Sturia flumini contermina loca depopulatur. Gluomus dux Nordmannici limitis pedites cum Abroditis ducens, ad superius castellum terrestri itinere processit: verùm cùm hostes fortiter se defenderent, & copiæ missæ ab Imperatore, præfectique limitis Saxoniæ (quibus mandatum erat, vt terminos sibi commissos tuerentur) ad auxilium obsessis prouolarant, hostes domum retrò discessere. In Italia Bernardus nepos Imperatoris ex fratre, quorundam prauorum consultorum consiliis obsequens, aditus omnes in Italiam patruo præcludit. Vniuersas vrbes in sua verba iurare cogit. Authores huius conspirationis, episcopi erant, Anshelmus Mediolanensis, Vvolfoldus Cremonensis, Theodolphus Aurelianensis: proceres verò aulæ Egideus amicorum regis primus, Reginhartus cubiculi præfectus, Reginharius Mæginharij filius, cuius auus Harttradus olim in Germaniæ Francia cum multis ex ea regione nobilibus aduersus Magnum conspirarat. Celtæ & Itali Bernardo: Belgæ & Germani Augusto fauebant. Ad hos motus comprimendos Imperator ex omni Germania, Galliaq; comparato quàm celerrimè exercitu, in Italiam contendit. Bernardus à suis desertus rebus suis diffidens, armis abiectis, apud Cabillonem Heduorum vrbem Burgundiæ patruo se dedit. Quem cæteri secuti, non solùm se tradunt, sed vltro etiam non admoti quæstionibus, omnem technam huius rebellionis detegunt. Augustus omnibus aduersariis in suam potestatem redactis, in annum sequentem, qui fuit restituti orbis octingentesimus, duodeuicesimus, ad Aquas Graneas, cùm ibi hyemasset, in Maium mensem conuentum Imperij indicit. Vbi procerum sententia iuxta leges Romanas, Salicamque, rex cum sociis omnibus, & consciis adfectatæ tyrannidis læsæ maiestatis reus peragitur, capitalique supplicio condemnatur.

Verùm

Verùm Imperator nepotem vitæ donatum, luminibus duntaxat priuari, monasterio concludi iubet: bona publicata, confiscataque sunt. Episcopi decreto tribu sacerdotum moti sunt, in cœnobiaque relegati. Bernardus in paucis post diebus ex vulnere, siue quod verisimilius est, ignominiæ dolore, atque mœstitia interiit. Reliquit filium Pipinum, qui tres liberos procreauit, Bernardum, Pipinum, Heribertum.

Bernardus rex obcæcatus monasterio includitur.

Eodem anno Mormanus Britonum præfectus regem se adpellat, totam Britanniam citeriorem occupat. Imperator cum omnibus copiis Britanniam petit, in Venedorum vrbem concilium primorum conuocat: aduersariorum munimenta expugnat: Mormanum tyrannum prælio interficit. Quo cæso, tota Britannia, ne vno quidem refragante, ad Imperatorem redit: obsides dat, obedienter imperata facit.

Mormanus.

Cæsar subactis Britannis, dimissisque copiis, in Andium vrbem reuertitur ad vxorem Irmingardim filiam Ingerami, quam ibi ægrotantem reliquerat. Ipsa altero die, quàm Pius aduenerat, mortem obiit, quinto Nonas Octobris. Reliquit tres filios reges, Lotharium, Pipinum, Ludouicum. Imperator Rhotomago, Ambianis, Cameraco, Haistallio in hyberna ad Aquas Graneas maturat. Ibi Beneuentanum Ducatum, mortuo Grimoldo Sigoni committit. Sclaomir regulum Abroditarum captum à præfectis limitis Saxonici, atque sibi exhibitum à popularibus ob perfidiam grauiter accusat, in exilium deportat. Itidem Lupum Vasconum procuratorem, quòd pacem interturbasset cum Berengario Tolosæ, ac Vuarino Aruerni præside pugnasset: eo certamine Garsandum amisisset, in exilium agit.

Sigo dux Beneuentanus.

Post Natalem Christi deinde conuentum ad Aquas Graneas cogit: pontifices, monachos, sacerdotes, vitam Christi, authoris nostri, legatorum eius æmulari, spretis negociis prophanis, literis operam dare, sacræ philosophiæ studere, pueros docere, libros omnium professionum scribere iussit. sciuit: ne sacratas quidem fœminas ab hoc labore liberauit. Extant passim in Bibliothecis cuiuscuis generis libri, in membranis, quos virgines sanctæ scripserunt. Monachos monachas ad vnum vestitum ritumque viuendi Pius redigit: legibus quædã capita addidit. Festũ diem omnium Cœlitum in Calẽdas Nouembris transtulit.

Festum omnium sanctorum.

Hisce confectis, Iuditham filiam Vvelphonis dynastæ Sueuorum, sororem Conradi & Rudolphi, quorum posteritas potita est Boiaria, quemadmodum in sexto narrabo libro, matrimonio sibi iunxit.

Iuditha filia Vvelphonis, Sueuorum Duc. Cæsar nupsit.

Interea dum hæc fiunt, Lindevuitus Sclauus ob negata, vt præ se ferebat, stipendia, rebellat, magnumque incendium in orientali Boiaria excitat: tractis in suas partes Bulgaribus, Carnis, & quibusdam Carionibus. Pannoniam inferiorem occupat, eam igne, ferro vastat. Ingens exercitus abs Pio aduersus eundem mittitur. Mandatum Bornæ duci Dalmatiæ Cadalocho præfecto Foroiulii Baldricho, & cæteris Boij limitis procuratoribus, vt darent operam, ne quid maleficij hostis nobis inferret. Hi copias Lindevuiti in ripa Draui fluminis contra Charinos missas, adsecuti, cædunt, fundunt, delent, ex regionibus nostris hostes propellunt. Cum ipso Lindevuito Borna dux Dalmatiæ, Dragomosus socer Lindevuiti, sed fidem genero præferens, propter Colapium amnem confligunt: sed victi fuga sibi consulunt. Lindevuitus victricia signa in Dalmatiam transfert, cuncta depopulatur, & cæde incendiisque complet.

Colapius flu.

Borna cum impar viribus esset, nec aperto Marte cum hoste congredi auderet, in castellis, & locis munitis se continet: ex insidiis pugnans, opportuneque erumpens, vires hostium paulatim carpsit. Tria millia tandem vno prælio interfecit: trecentos equos cepit: impedimenta diripit, præda magna potitus est: Dalmatia denique hostem excedere cogit.

Borna.

Hoc bello scriptus est codex, qui ex membranis compactus, monstratur in monachorum monasterio, quod à patria mea decem millia passuum occidentem versus hyemalem, in ripa Ilmi conditum extat. Sunt in illo libro descriptæ vitæ Diuorum, à Paschasio è Græca lingua in Romanam translatæ: Item Hilarion Diui Hieronymi, adeò antiquis literis, vt mihi repuerascendum, & ad prima elementa redeundum fuerit. Hæc ad verbum in calce leguntur: *Hic liber fuit inchoatus in Hunia in exercitu, Anno Domini DCCCXIX. IIII. N. IV N. & perfinitus apud sanctum Florianum, pridie Idus Septembris in hebdomada quintadecima.* Dum hæc in Oriente geruntur, in Occiduo sole Pipinus filius Cæsaris Vascones, sublatis seditionis authoribus, vi & armis in officio continuit. Heraldus rex Danorum ab Imperatoriis copiis in Septentrionale Germaniæ reductus, à Godofridi filiis consors imperij recipitur.

Heraldus Danorum rex.

Cæsar resoluto conuentu, quem apud Ingelhaim Iulio mense primò egerat, primò Cruciniacum, inde Bingium petit: ibi naues conscendit, Rheno secunda aqua ad Confluentes Mosellæ nauigat: vbi in Arduenna sylua, more solenni venationi indulget. Postea in hyberna ad Aquas Graneas concedit: quo in Ianuario frequentes proceres, ciues, sacerdotes coire iubet. Adfuit & Borna Dalmaticus præses: huius consilio Lindevuitus hostis iudicatus, atque proscriptus: eidem bellum indicitur: Decretumque fit, tribus exercitibus perfidum hominem compescendum, atque eradicandum esse. Præterea Bero præfectus limitis Histriæ accusatus, quòd cum hostibus sentiret, capitis supplicio condemnatus est. At clementia principis seruatus, in exilium agitur.

Bero.

Tres sub idem tempus iussu Pij exercitus congregati, diuersis itineribus contra Lindevuitum Sclauum procedunt. Intra Sauum, Drauumque coniungere vires iussi. Primus ex Italia per alpes Noricas

magna

magna difficultate, renitentibus hostibus, serò ad definitum locum peruenit. Alter quoque Franconum, & Saxonum per Danubij ripam, ad Drauum amnem peruenit: in transeundo flumine, & profluuio ventris grauiter adflictus est. Boij verò secundiore vsi fortuna, per Charionum regionem ter hostibus victis, Drauo amne superato, in Pannoniam penetrarunt: ibi cùm superiores exercitus operiunt: qui cùm serius venissent, coëunt, vires coniungunt, ferro, igne quicquid hostium fuit, deuastant. Nullo detrimento accepto, Lindevuito nusquam adparente (qui in quodam munitissimo castello in arduo monte sito, sese abdiderat) domos abeunt. Carni, qui circum fontes Saui sedes habent, & Charionum pars, qui ad Lindevuitum defecerant, à nostris recepti sunt.

Abulazarus rex Saracenus.

Abulazaro quoque regi Hispaniæ Saraceno bellum indictum. Octo naues mercatorum à Sardinia in Italiam nauigantium à latronibus mare infestantibus, interceptæ. Piratæ Nordomanni tredecim nauibus Flandrensem oram inuadunt, sed à limitaneis ducibus fortiter repulsi sunt: paucæ cæsæ, incensæ, non magnus pecorum numerus abactus incuria, & negligentia præsidentium. Inde ad hostia Sequanæ delati latrones, similia tentantes eadem à milite litora custodiente perpetiuntur. Tandem in Aquitaniam appellunt, potiunturque vico, cuius præda ditati ad naues discedunt. Hoc anno iuges pluuiæ corrupere fruges, prohibuereque eas maturescere: ipsæ in aruis computruere.

Eluuies aquarum ingens.

Eluuies aquarum in autumno sementem fieri inhibuit. Atrox pestilentia hominum, boumque subsequitur. Imperator Februario ad Aquas Graneas rursus conuentum principum cogit, de belli gerundi in Hispania, & orientali Boiaria ratione consultat. Placuit triplici exercitu vastari hostes. Mandatum limitum præfectis, vlcisci ferro, flamma, perfidiam rebellantium. Interim mense Maio frequentes proceres Neomagi conueniunt. Arno Archiflamen Boiorũ tum obiit. Adelramus à Pio Nonis Iunij in eodem oppido eius sacerdotio donatur. Is mortuo Theodorico sacrifico (quem Arno constituerat) Otonem Venedis, Illyricum, Noricum, Pannonias, Liburniam incolentibus pontificem sacrificulum creat, quem archiepiscopum illi, nos Suffraganeum vocamus. Cæsar soluto conuentu Treuerorum Augustam, deinde Mediomatricum vrbem petit. In Vogesi saltu more gentis venatur. Inter hæc Borna Dalmatiæ legatus vita defungitur.

Lada Sclauus.

Fortè Lindeuuito.

Nepoti eius Ladæ Venedo genere, Ducatus ab Imperatore committitur.

Fortunatus patriarcha.

Fortunatus patriarcha Gradensis amicissimus Ludouico, ob hoc ab Augusto accersitus, Constantinopolim aufugit.

Diethenhofen, quæ & Theodonis villa. Vtinam nostro etiã tempore fieret.

Medio Octobri celebris tertiò principum conuentus fit in Diethenhofen. Solenne fuit quondam nostris Regibus, & Imperatoribus, quotannis concilia cogere, præcipuè Maio mense. Vbi à singulis exactum iusiurandum, futuros in potestate principis. Apparuere tum cum amplissimis muneribus Theodorus, & Florus legati Romani episcopi. Pius socios Bernardi ab exilio reuocat, ipsis prædia reddit. Adelhardum præsulem, eius fratres Valonem, Bernardum cognatos & propinquos suos, quos in Corbiense monasterium deportarat, restituit. Publico piaculo sæuitiam, quam in nepotem, eiusque factionem & sectam perpetrarat, luit. Cum fratribus, quos inuitos sacris initiarat, in gratiam redit.

Lotharius fit Cæsar.

Lotharium filium Cæsarem adpellat, consortem Imperij legit: eidem Irmingardim Hugonis filiam despondit. Inde ad Aquas Graneas cum filio, & nuru remigrat: vbi nuptias maximo apparatu conficit, Anno Christianæ æræ octingentesimo vicesimo primo: vti hoc Bathauensis templi diploma significat, cuius initium: *IN NOMINE domini Dei, & saluatoris nostri IESV CHRISTI, HLudouicus & HLotharius diuina ordinante prouidentia, Imperatores Augusti (inquit ille) dilecti filij nostri HLudouici regis Boiariorum, & Geroldi Comitis, dedimus monasterio nostro Chremisa in Pago Troungeu, vbi Sigehardus Abbas dono territorium in pago*

Summerbach.

Flinspach.

Gruntzuuits, iuxta montem Summerberch, ab oriente à Summerberch vsque Dreisina, ab Hohogepleching, inde sursum vsque territorium episcopi Bathauensis. Inde ad Austrum vsque Heribrunnum: in occidente vsque vbi Flinspach exit de sylua: ab Aquilone vt sylua pergit ad dictum locum, &c. Signum



HLudouici serenissimi Imperatoris. Signum HLotarij gloriosissimi Imperatoris. Durandus Diaconus ad vicem Fridagisi recognoui. Anno Christo propitiò XV. Imperij Domini HLudouici serenissimi Imp. & HLotarij VI. Actum Aquisgrani palatio regio.



Ceadragus Abroditarũ princeps.

Eodem anno Lotharius in vrbe Vangionum, Ludouicus Aquis hyemauit. Ceadragum ruumor fuit pacem fecisse cum regibus Danorum. Quocirca inimicus eius Sclaomir ab exilio reuocatur, Abroditis præficitur. Qui cùm in Saxoniam venisset, morbo correptus, lustralibus aquis expiatus, decedit. Sequens annus, qui est CHRISTI DCCC.XXII.

Prodigium in Turingia 822.

prodigiis portentisque nobilitatus est. Apud Turogos cespes sesquipedalis subitò in aëra sublatus, ab eo loco, spacio pedum quinque & viginti integer reperitur. In confinio Saxoniæ, & Misniæ terra intumuit in modum aggeris, surrexitque iuxta lacum Arnseum, quasi vallum tribus millibus passuum in longitudinem. Hyems solito longior fuit: Altissima Galliæ, & Germaniæ flumina, Danubius, Rhenus, Albis, Sequana gelu constitere acutissimo per glaciem, quasi in continenti tricenis amplius diebus, plaustra vltrò citroq; & vehicula commearunt. Proximo anno Ludouicus Francofordiæ conuentus agit, æstiuatq;. Ab eodem Rabanus Franco, eiusdem tempestatis Poëta, Theologus, nulli secundus,

Fuldensi monasterio præficitur. Scripsit is inter pleraque alia ad Ludouicum Augustum de cœlesti immortalis Imperatoris nota, carmen insigne, æmulatus Porphyrionem, qui ad Constantinum Maximum idem factitauit, cuius D. Hieronymus non sine laude mentionem facit. Eum nostro æuo Ioannes Stabius Cæsareus Historiographus, præceptor meus, in Austria inuenit, & Viennæ mihi ostendit. Literæ carminum singulæ ita compositæ sunt, separatim, vt calces, media capita, versum, sursum deorsum, in orbem quoque lecta quoquo versum metra referant. Idem Rabanus commentaria, quæ in librum Iudithæ scripsit, Iudithæ Augustæ dedicauit. Sub idem tempus Boij cum ingenti exercitu ad tutandum orientalem limitem, Drauum amnem aduersus Lindevuitum Sclauum traiiciunt. Is impar viribus in Dalmatiam aufugit, ibi à Liromusalo, auunculo Bornæ legati Dalmatarum interficitur. Pius in matrimonium dat filio suo Pipino filiam Theodoberti Dynastæ Matricensis. Eundem confectis nuptiis in Aquitaniam redire, Lotharium ad ius reddendum in Italiam proficisci iubet: ipse ad Francofordiam ad conuentum agendum in hyberna concedit. Interfuere cum muneribus omnium Orientalium Venedorum oratores, Abroditæ, Sorabes, Vilizi, Boiemi, Bolij, Moraui, Gepidæ, qui & Prædenecenti, Daciam aduersi Mæsiis incolentes, interfluente, Danubioque contermini: & Auari, qui in Pannonia inferiore sedes inter Boios, Venedosque receperant. Sacramenta in eodem concilio renouantur: leges parendi de integro feruntur. Adparuere & Heroldi, regnúmque Nordomanniæ, Aquilonaris Germaniæ legati. Hocque anno crebrò, insolitaque terruere mentes mortalium. Apud Aquas Graneas Palatinæ ædes contremuerunt. In Tullensi Leucorum, siue Lothareorum ag[r]o, puella nacta duodecim annos, integros decem menses omni cibo potuque abstinuit. In Frisatio pago Saxoniæ tres & viginti vici fulmine adflati conflagrarunt. Fulgura tranquillo aëre, sere noque delapsa, præter solitum, domus de cælo tactæ: homines, ac pecora extincta sunt: lapidibus grandinauit. Circa solstitium æstiuale in Burgundia crusta glaciei, longitudine pedum quindecim, latitudine septem, altitudine binûm de cœlo ruit. Secuta est dira lues. In Maio more Francorum solenni, Francofordiæ concilium procerum totius regni cogitur. Ibi Meligastus, & Ceadragus reges, filij Liubi, de regno diuidendo iure disceptant. Eorum pater prælio ab Abroditis interfectus erat. Vilizi Meligastum maiorem natu regem adpellarunt: sed cùm is aduersus morem gentis, voluntatem popularium regnum administraret, eundem gubernaculis submouent, fratrem eius minorem rebus imponunt. Ambo reges ad Imperatorem venere, qui ibi eos audiuit: minorique natu regnum à popularibus delatum, quod animos nationis proniores ad eum esse comperit, confirmat. Cæterùm ambos fratres in fidem acceptos, domum dimittit. Ceadragus Abroditarum regulus ad hoc concilium non venit. Missi ad eum legati sunt, ipse se hyeme venturum pollicetur. Lotharius rebus in Italia expeditis, Romam proficiscitur, Paschalibusque à Romano episcopo consecratur, à Senatu, populoque Romano Augustus adpellatur. Inde Ticinum pergit. Iunio ad parentem venit. Qui Drogonem fratrem suum Mediomatricibus designat episcopum. Sub idem tempus renunciatum est Imperatoribus nostris, Theodorum, atque Leonem generum eius Romanos, quòd principibus nostris fidem seruarent, Pontificum ambitui intercederent, consilio & iussu Paschalis episcopi Romani interfectos esse. Idcirco Pius Adalungum antistitem monachorum diui Vedasti, Hunfridum præfectum Rhætiæ Curiensis Romam proficisci imperat. Inter hæc Paschalis Pont. Max. per Ioannem episcopum, & Benedictum diaconum, sese de hoc crimine apud Imperatorem in Germania purgat. Ipse Romæ coram superioribus legatis iurat, se non solùm non iussisse, sed penitus ignarum quoque huius cædis esse: & missis rursus aliis in Germaniam legatis, satisfecit Imperatoribus. Qui per Vangionum agrum Compendium Galliæ (quo ad Kal. Nouembris Cõmitia indixerant) sese conferunt. Huc Ceadragus venit tandem, licet eius aduentus suspectus esset, quòd anteà ad Augustum accedere contempsisset: nec suæ cunctationis satis causæ adferre posset: ob merita tamen parentum, remissus est ad auitum regnum. Præstò fuit & Heroldus rex Danorum, auxilium aduersus Gorofridi filios postulauit. Ideò vt pax inter reges Nordomannos componeretur, missi sunt in Daniam Theotharius & Rotmundus præfecti: Ebbo episcopus Rhemorum, qui complures Cimbrorũ philosophiam Christianam recipere persuasit, aquaque sacra lustrauit. Ormortag etiã Bulgarorum rex legatos ad Augustos misit. Hi fœdus à nobis, & vt certi termini inter se Boios cõstituerentur, petebãt. Ludouicus admiratus insolitam legationem (nam Bulgari ad orientale Imperium spectabant) Michelinum Boiariæ dynastam in Bulgariam legat perscrutatum quid nam sibi rex Bulgarorum huiusmodi inconsueta legatione velit: Bulgaros exploratum regiones venisse mussitabatur. Dum hæc fiunt, Paschalis Romæ moritur. Duo à discordi populo Pontifices deliguntur: nobilitatis tamen pars vicit, à quib. Eugenius cooptatus consecratur, obtinetq; sacerdotium. Cæsares vbi de hac re certiores facti sunt, Romam adeundam esse decernunt. Ideò Lotharius eò contendit: statum Reipub. quem superiorem Pontificum ambitio immodica, insatiabilis auaritia, versutiaq; improba cõturbarat, componit: intercepta dire-

Bellum Lindevuiticũ.

Thietbertus comes Matricensis.

Meligastus & Ceadragus, Vilzorũ siue Vilizorum reges.

Ceadragus Abroditarum princeps.

Lotharius Romæ consecratur.

Sanctus Vedastus.

Hunfridus.

Heroldus qui ab aliis & Herioldus dicitur.

Ormortag Bulgarorũ rex.

Michelinus Boius.

Paschalis Pont. Max. moritur.

Eugenius Pont. Max. fit.

direptaque fraude à flaminibus, dominis iustis, antiquisque possessoribus reddit. Ludouicus interea diuisis copiis triplici exercitu Britanniam inuadit rebellem. Vnum Pipinus filius, alterum Ludouicus alter filius, ipse tertium ductabat. Perdomitis itaque Britannis, acceptis obsidibus, Rothomagum ad vxorem, quam ibi reliquerat, quintodecimo Calendas Decemb. reuertitur. Legatos Michaëlis Balbi Imperatoris Græcorum (qui Leonte Armenio Pardi filio cæso, orientale Imperium arripuerat) audit, pacem & fœdus veteri more Græculi petebant: & nescio quid vltra de simulachris colendis locuti, Romam ad Pontificem Maximum relegati sunt.

Fortunatus patriarcha Aquileiæ.

Fortunatus patriarcha Venetiæ, nos Aquileiæ adpellamus, quem suprà fugisse diximus, reuersus Imperatori fugam suam purgare connisus est. Posthæc Pius ex Gallia in Germanias ad Aquas Graneas transitum facit. Natalem Christi ibi celebrat: Bulgarorum legatos, qui in Boiaria erant, ibi, donec vocentur, detineri iussit.

Gepidæ Predenecenti dicuntur.

Gepidæ qui vulgò Predenecenti dicti sunt, Daciam, vt dixi, incolentes, aduersus Bulgarorum incursationes, latrociniaque conqueruntur: opemq; ac præsidia postulant. Augustus verisque diem in Maium ad Aquas Graneas dicit.

Aeblus & Asinarius in Hispaniã progredientes capiuntur.

Aeblus, & Asinarius cum valida manu Vasconum, in Hispaniam ad Pompelonem, acie infesta progrediuntur: incolas armis in obsequio continent, inter redeundum in Pyrenæi montis iugo astu incolarum in insidias delati capiuntur: copiæ eorum cæduntur. Aeblus captiuus Cordubam ducitur: Asinarius ad proprios lares redire permissus est. At Imperator Ludouicus post Paschalia, quæ ad Aquas Graneas peregit, Neomagum venandi causa pergit. Inde medio Maio ad Aquas Graneas, quò proceres regni conuocarat, reuertitur: auditq; Bulgarorum, Gepidarumque, insuper & Boiorum legatos.

Hitto episcopus Fruxinensis.

Horum princeps erat Hitto episcopus Fruxinensis. Actum est de limitibus designandis inter Boios, atque Bulgaros. Lotharius mense Augusto ex Italia ad conuentum à parente coactum redit. Gotofridi filiis regibus Danorum petentibus, pax datur.

Ludouicus filius pij rex Boiorum.

Ludouicus filius à parente postulantibus Boiis rex declaratur, qui anno ab orbe liberato octingentesimo, vicesimo quinto, cum vxore Hemma in Boiariam migrat, Reginoburgiique habitare cœpit. Imperatores soluto conuentu, Neomagum ad venandum se recipiunt. Deinde in hyberna ad Aquas Graneas redeunt. Ludouicus autẽ rex Boiorum iussu parentis Bertrichum præfectũ prætorio per Charionum regionẽ deducit ad Geroldũ, & Balderichum, Auarici limitis duces, vt simul explorarent res Bulgaricas. Nam Bulgaros, qui Sauo amne à regno Boiariæ dirimebantur, tumultuari, & in armis esse rumor erat. Eadem tempestate regis Boiorum mandato Vrolphus Bathauensis pontifex Auares, & Hunnos in Pannonia, & Norico consedentes, vbi nunc Austria, & Vngaria nominatur, in religione Christi instituit (nam illi partim Christum dominum, Deumque nostrum, partim auita numina adhuc colebant) falsorum deorum superstitionem radicitùs extirpat.

Tutundus rex.
Ratfrid.
Fauianu.

Tutundum regulum Auarorum atque Hunnorum sacris Christianis lustrat; & Ratofredum ipsis consecrat episcopum: Viennæque inter eos habitare iubet. Vbi & eo tempore Romanorum episcopus consedit; à quibus Fauium vocatum reperio. Transgressus inde Vrolphus Danubium Morauos, Vendorum populum; itidem sacra nostra recipere persuadet.

Moemarus dux
Methodius Iuliomontanus.
Adeluueim.

Moemarum ducem cum popularibus, & tota gente ad cognoscendam veritatem cohortatur. Pontifices qui eos sedulò doceant, Methodium Iuliomontanum, Adeluinum Nitrauensem esse iubet. Hæ vrbes nomina adhuc seruant. Et dum Sueui & Gepidæ ea loca incolerent, Pontificum fuere domicilia. Hæc vbi ad Eugenium secundum Pontificem Maximum delata sunt, Vrolpho episcopo Bathauensi, Archimystæ dignitatem, honoremque cum Morauia, Pannonia, Hunnia, Auaria restituit: præcepit superiores pastores cum grege, & ducibus Vrolpho archiflamini Laureacensi, sicut parenti non quidem corporis, sed animorum, nuncio Dei, & a se misso obtemperare. Extat huiusmodi diploma. Dum verò hæc ad Orientem geruntur, ab Occiduo sole Pipinus ex Aquitania cum præfectis & ducibus limitis Hispanici Calendis Februarij transitum facit ad Augustos. Consultatum est; decretumque de ratione belligerandi aduersus Saracenos Hispaniam incolentes. Pipinus in Aquitaniam rediit.

Pius ad Ingelhaim venit.

Pius autem Maio de Aquis Graneis egressus, Calendis Iunij ad Ingelheim deuenit. Ibi in celebri conuentu diuersarum nationum oratores audit: Pontificis Romani, Dominici præsulis Palæstini à monte Oliuarum: item Danorum, Sclauorum, Abroditarum, Sorabum.

Heroldus qui & Heraldus rex Danus baptisatur.

Heroldus rex Danus cum liberis & vxore, cum magno Cimbrorum numero Mogontiaci lustralibus aquis expiatur, domumque redit per Fribam, vbi præfectura donatur, quo se reciperet, si regno pelleretur à liberis Gotofridi. Vvalricus, & Geroldus præfecti orientalis limitis à Ludouico rege Boiorum missi docent Imperatorem, nihil omnino sese de bello Bulgarico comperisse: nec Bulgares hostili in nos animo esse:

Georgius sacerdos.

Georgius tum sacerdos Venetia oriundus Musicæ Hydrauticum instrumentum, quod Organon vocant, ad Aquas Graneas conflat. Vnde Pius Salislam petit KL. Octobribus Francofordiam, inde ad Ingelhaim Rhenoque, Mænoque nauigat.

Ceadragus.
Tunglo.
Azo, qui & Aizo.

Ceadragum, Tunglonem Venedorum regulos perfidiæ insimulatos audit, acceptis ab eisdem obsidibus, domum redire permittit. In Hispania res malè à nostris gestæ sunt. Azo Gothus ex aula fuga elapsus ad Saracenos in Hispaniam se contulit.

Acce-

Acceptis copiis à Baderomano rege Saraceno, Gerundensium, atque Barcinonensium agros vastat: grauiter ferro, flamma atterit. Exercitus noster, qui aduersus Saracenos ad Hispaniam citeriorem tutandam missus fuerat, ignauia ducum serius aduenit. Iam hostes cum ingenti præda incolumes abierant. Ad Septentrionalem Germaniæ angulum Heroldus rex Danus à suis regno pellitur, fraude Hochorici filij Gotofridi, cuius aduentum, vt pollicitus fuerat, frustra diutius Pius Neomagi expectauit. Ab ora Orientis Bulgares pacem exuunt, regnum Boiariæ inuadunt; & nauibus per Drauum flumen delati Pannoniam vastant, occupant, subigunt. Pulsis nostris rectoribus, Bulgares duces regioni imponunt. Ad Austrum Romæ Eugenius Episcopus obiit. Valentinus à populo cooptatus, consecratusq; quadragesimo die occubuit. Huic Romani Gregorium quartum substituunt. Is non antè consecratus est, quàm legatus Augustorum Romam venit, vt si dignum, qui vicem Christi seruatoris nostri præsidendo rebus diuinis fungeretur, populus creasset; author Cæsaris auspiciis fieret. Februario frequentes proceres ad Aquas Graneas coëunt: legati, & præsides Hispanici limitis. Ibidem Geroldus, Waldricus Boiorum orientalis termini duces, ducatu amoti, pecunia mulctati, ignominia notati, quòd eorum negligentia atque desidia fines nostri ab hostibus deuastati essent, in ordinem priuatum redacti. In paucis diebus nacti stolidum Pipini & turbulentum ingenium, graue incendium excitarunt Imperatori. Qui soluto concilio, ad Ingelhaim Iunio accedit: inde Francofordiam pergit. Ibi paucis diebus consumptis, Wormatiam, deinde ad Theodonis villam transitum facit. Vnde Lotharium, & Pipinum filios suos contra Saracenos in Hispaniam arma mouere imperat. Porrò Saraceni aduentu nostrorum territi, domi se continuere, nec quicquam maleficij Hispaniæ, quatenus nostris principibus parebat, iniunxere. Pipinus in Aquitaniam, Lotharius ad parentem in Germaniam, ad Aquas Graneas, quò se iam ille contulerat, reuertitur. Inter hæc graue vulnus in Septentrione accepimus. Totius Saxoniæ reguli, duces, præfecti, tetrarchæ, præsides, dynastæ in confinio Cimbrorum iussu Pij conuenerant, seduloque de pace inter Heroldum, & inimicos eius reges Danorum agitabant. Heroldus impatiens iræ, pati arma temerè miscet: inconsultis nostris Cimbrorum regnum inuadit, aliquot exustis villis ad Saxonas regreditur. At filij Gotofridi subitò correptis armis, raptimque copiis contractis, tranatoque Egido amne, nostros in altera ripa desidentes, nec quicquam mali suspicantes, inopinatos de improuiso adoriuntur, castris exuunt; in fugam vertunt, cunctisque direptis ad sua castra cum ingenti præda redeunt. E vestigio tamen ad Imperatorem Ludouicum legatos ire iubent, factum excusant, culpam in Heroldum conferunt, qui bellum amicitiæ interuertit: se necessitate coactos vim vi repulisse. Ablata posteà restituunt, pacem supplices, & veniam præteritorum petunt; pollicentur se satisfacturos, atque responsuros, quemadmodum Augustus imperauerit. Prosperiore ad Austrum, Orientemque vsi sumus fortuna. Bonifacius Corsicæ præfectus, cum fratre Bernardo, & Tyrrheni litoris Classiariis, & mare Tuscum à piratis purgaturus Corsicam, Sardiniam circumuehitur. Nullo latrone inuento, in Africam Vticam, & Carthaginem adpellit. Nauibusque egressus cum multitudine Afrorum, Saracenorumque prouolantium, quinquies confligit, quinquies pari victoria hostes in fugam dedit: trucidatisque multis, ad naues incolumi exercitu paucis admodum desideratis, se recipit, domos abiit: ingentem terrorem Afris incussit, & scrupulum iniecit. Ludouicus rex Boiorum cum copiis contra Bulgares proficiscitur, hostes Pannonia, Boiaria expellit. Rathobodum ducem orientali limiti dat custodem. Brynonem, qui & Priuina quoque Morauorum regulum, qui trans Danubium in Aquilonari ripa habitabat cum filio Hezilone, ad se venientem benignè suscepit, eundem in religione Christiana instituit, Traismæ (vicus est in Austria episcopi Salisburgensis) in templo D. Martini sacro fonte abluit, & Rathobodo legato suo commendat. Erant Brynonis vrbes Nitrauia, Pisonium, quæ & Vratislaburgium, & Brynna, quæ adhuc nomen ab eo seruat. Adelramus archiflamen Iuuauensis Nitrauiæ templum dedicat. In sequenti anno Imperator Ludouicus in Augustum mensem Wormatiam conuentum indicit: Lotharium filium in Italiam abire iubet. Cumque quorundam insidias comperisset; Bernardum Hispanici limitis anteà ducem, spectatæ fidei, & fortitudinis expertæ, contra voluntatem procerum Galliæ cubiculo præfecit. Dimisso posteà conuentu ad venandum Francofordiam, inde Nouembri ad Aquas Graneas hybernatum reuertitur. Hoc anno cum Vrolphus pontifex Bathauensis, archimystes Laureacensis obiisset, Bathauensi templo Reginetius pótifex capitur. Is litem mouet Adelramo archiflamini Iuuauensi, ob regiones, quæ vltra montes Comagenos cubant. Dicebat hic, Arnonem decessorem suum ibidem religionis mysteria aperuisse: ille, Bathauensi, Laureacensique templo subditas esse comprobabat. Rex Boiorum Reginoburgium vtrunque ad se accersit; episcopos discordes ad pacem reuocat. Inter vtrunque ita superiorem regionem partitur. Aquilonarem, occidentalemque oram, qua Spiraza amnis exoritur, & cum altera Spiraza, atque Arabone confluit, Bathauensi adiudicat. Reliqua orientem, Austrumque spectantia in rebus diuinis procurare Salisbur-

Heroldus, à suis deiectus, tum ab. nat.

Eugenius P. M. moritur. Valentinus fit Papa. Gregorius & Geroldus.

Dithenhofen.

Pipinus in Aquitaniam reuertitur.

Egidora amnis.

Bonifacius Corsicæ præfectus.

Rathobodus. Brynó qui & Priuina.

Nitrauia, Neutra. Pisonium, Presburg.

Spiraza.

Ii gensis

gentes iubet pontifices. Extat hæc tabula, eius initium est: *In nomine domini Dei & seruatoris nostri IESV CHRISTI. HLudouicus diuina ordinante prouidentia rex Boiariorum, &c.* finis eius is est: *Actum Reganesburch anno Christo propitio D. CCC. XXIX. Anno XVII. HLudouico Imperatore, filio eius HLudouico regnante in Boiaria anno V. XIIII. Kal. Decembris. Luna XVI. Indictione VIII. Angelmarus ad vicem Gotzbaldi scripsi, & subscripsi.* Interim dum hæc fiunt, Imperator Rhenum in Germaniam Magnam transit. Francofordiæ toto autumno commoratus, venationibus operam dedit. Medio deinde Nouembri Aquas Graneas accessit, ibidem hyemauit. Anno posteà proximo, qui est æræ nostræ Octingentesimus super tricesimum, circa Quadragesimam in Galliam migrat, oram Gallici Oceani peragrat. Galliarum proceres, monachi, episcopi rerum nouarum auidi, aliorum detrimenta sua commoda existimantes, nacti occasionem aduersus Imperatorem conspirant: populares suos Celtas in eum concitant. Duces multitudinis, atque authores coniurationis (qui tum in Francorum Imperio sapientissimi, & Gallicæ rei columen censebantur) Hyldouinus Dionysianus, Vala Corbeiensis antistites monachi: Ebbo archimysta Rhemensis, Hugobertus Lugdunensis, Bernardus Viennensis, Iesse Ambianensis, Helias Tricassiorum pontifex: hique Celtarum Dynastæ Machofridus, Hugo, Landbertus, Godofridi pater & filius, Richardus, Hugbertus, Bergaretus, venatorum Augustalium quondam præfectus, inuidia, quod commune malum aulicorum est, irritati sunt, propterea quòd Bernardus præfectus prætorio, atque cubiculo plus quàm ipsi apud Imperatorem authoritate valeret, & quòd cum Bernardo rege Italiæ clanculum sensisse suspecti essent, pœnasque metuerent. Primùm quidem inter se communicato consilio, coniurationem faciunt, vt à gubernaculis rerum subdolè deturbent Pium. Deinde alios minis, & potentia territant, alios partim fraude atq; pecunia, partim ingentibus pollicitationibus lactant: hosce confictis, vt erant astutissimi, in Cæsarem criminibus ab eodem alienant, & vt conciliarent sibi animos vulgi Gallici, quod alioquin mobile est, & semper noui principis faciundi percupidum, tributa, vacationem militiæ, admodum hactenus grauia, remissum iri promittunt: factionem quoque suam indulgentia & largitionibus confirmant. Plerique omnes, qui antea sententia principum ob perfidiam & scelera sua damnati exilio, aut ignominia notati, prætorio, magistratibusque moti erant, & beneficio clementissimi Imperatoris vita donati, precario viuebant, vltrò nemine alliciente, prouolant. Coniurati igitur pontifices, Primores Galliarum, freti multitudine, titulum solennis officij sceleri præferentes, Pipinum filium Ludouici, adolescentem stolidi ingenij, imperitumque doli adeunt. Se maxima Imperij membra esse, quibus principis, Reipublicæque salus & cura incumbat, inculcant primò: iactitant deinde se Imperatori non esse inimicos, dolere se vicem eius: imò etiam quæ credidissent vtilia esse, suasisse: & quia fidele consilium dedissent, se contemni, & in periculo capitis versari. Dolere se communem calamitatem miserorum, præcipuè Gallorum, qui imperiosioris, quam boni iugum ferre possent, fœminæ, & alienigenæ mancipia essent: neque placere imperium Bernardi, qui hanc gratiam, authoritatemq; stupri consuetudine comparasset apud impotentem mulierem, quæ nouercali odio priuignos, eorumque fideles persequeretur: quæ stupris, libidinum probris, homicidiis, incestu, se & Cæsaream domum contaminaret: omnesque aula, quos suis flagitiis aduersarios fore suspicaretur, exturbaret, proponunt. Inde Ludouicum ex amore dementem, flagrare illecebris, blandiciisque captum, addictum vxori, non principem, sed ministrum agere: eundem coniugis compendio, studio ac libidine, honores, exercitus, prouincias, impunitates, supplicia largiri, & quidem nescientem plerunque & ignarum. Postremò commemorant, cæteros fratres longiùs abesse, quàm vt huic malo mederi queant: solum Pipinum restare, ad quem boni omnes, tanquam ad tutissimum portum naufragi confugissent. Oportere bonum filium dolere vicem parentis, nec pati paucorum flagitiis ac dedecore, tantum imperium collabi, & patrem infamem fieri. Imperatorem ab huiusmodi probrosa fœminæ seruitute, libertati, mentique suæ restituendum: Imperiumque Francorum à dominatione muliebri asserendum: hocque factum famam virtutum secuturam. Perfacile isthæc sine vi, & armis fieri, modò tot principum, episcoporum sapientissimorum, religiosissimorumque monachorum consiliis obtemperet. Pipinus, vt adolescens fraudis humanæ imperitus, credulus illis, cum coniuratis & suis copiis Aureliam petit, Machofridum amoto Ottone vrbi restituit: inde Berimbriam procedit. Augustus vbi comperit illos contra se & vxorem, atque Bernardum inimico obstinatoque animo vitam adfectare, Bernardo vt fuga sibi consulat, suadet. Augustam Lugduni in contubernio sacratarum fœminarum Deiparæ Virgini dedicato, consistere iubet, ipse Compendium petit. Porrò qui cum Pipino Berimbriam venerant, misso Varino, & Landberto, aliisque compluribus, Augustam ex monasterio ad se deduci imperant: eidem mortem intentant, nisi iuret se persuasurum Imperatori, vt quàm primùm armis abiectis, Imperio se abdicet: capillis detonsis cum vxore in contubernium monachorum se includat: vbi ambo, initæ voluntariæ mortis, precariæque salutis, difficiliore religionis obsequio, castimoniarum abiti-

Hyldvuin. Vvalo ab aliis. Ebbo archiepiscopus. Hugbertus. Bernardus. Iesse.

Pipinus.

Bernardus qui ab aliis Vvernhardus.

abstinentia satis ardua scelera, flagitiaque expient. Augusta metu necis perculsa, etiam maiora promissura, ad maritum à coniuratis deducta, secretiusque colloquendi copia data, iussa aperit. Pius quo ab imminenti morte vxorem eriperet, vt ipsa quidem monasterio includeretur, sacerdotissaque caperetur, annuit: at de se deliberandi spacium paucis diebus postulat, se in potestate principum Imperij fore respondit. Illud ægrè à coniuratis impetratum est. Nam qui supplicio capitali condemnati, beneficio Imperatoris clementissimi viuebant: & quos lege iureque occidi fas erat, stimulante conscientia cogitati sceleris, salutem Pio, quam ab ipso acceperant, inuidebant. Porrò Iuditha vbi rediit ad coniuratos, clamore insani vulgi ob scelera, stupra, adulteria ad pœnam deposcitur: verùm in exilium monasterium D. Radegundæ, vbi flagitiorum notam, victu duriore, temperantia, parsimonia vitæ elueret, deportatur. Inter hæc Lotharius Maio mense ex Italia in Gallias venit, parentem Compendij offendit. Mox ad eum omnis illa sentina nebulonum confluit, turba sceleratorum coit, quæ pridem Pipino, & huic inculcant: ipsum ad supremum Imperij fastigium pertrahunt. Lotharius quidem acta horum non rescindit, genitorem tamen nullo dedecore alio, vel maleficio adficit. Conniuente eo, Heribertus frater Bernardi aulæ moderatoris, qui aufugerat, renitente frustra Ludouico, luminibus orbatur. Otto consobrinus illius, Aurelianensis quondam vrbis præfectus in exilium agitur, tanquam criminum, quæ Iudithæ, & Bernardo imponebantur, conscij & fautores. In tali igitur ludibrio, periculoque Imperator titulotenus inter spem & metum dubius, in Galliis æstatem exegit. Cum iam autumnus appeteret, aduersarij, vt concilium vniuersi Imperij in Gallia conuocaretur, summa ope nitebantur. Imperator diffisus leuibus Gallorum animis, magisque Germanis credens, astutè clamque renitens, obtinuit, vt conuentus Neomagi (vrbs est inferioris Germaniæ) indiceretur. Metuens quoque suorum paucitatem, inimicorum verò multitudinem, imperauit, vt sine armis, atque cum paucissimis quisque appareret. Landbertum præfectum, & Helisacharum præsulem iubet itinera armis obsidere, fines tutari, ius reddere. Posteaquam hæc in Germania de Imperatore nunciata sunt, vniuersi Germaniæ populi auxilio Cæsari futuri, arma corripiunt. Ludouicus quoque rex Boiorum cum delecta suorum manu ad Augustum in Galliam quàm celerrimè contendit. Pius acceptis auxiliariis copiis Germanorum, filioque Ludouico, Neomagum ad diem præfinitum, quo & alij filij Pipinus & Lotharius, & conscij coniurationis frequentes coëunt, se confert: fretusque robore Germanorum primò Hylduinum monachorum Dionysianorum in agro Parisiorum præsulem, authorem conspirationis, qui cum pluribus, quàm iussum erat, aduenerat, læsæ maiestatis condemnat: Badobrunnam in Saxoniam relegat: vt ibi militari tabernaculo hyemet, præcipit. Deinde alterum ducem multitudinis & caput huiusce mali Valam specie pietatis caluicie, & Bardocucullo insignem, percellit: eundem ad Corbeiense monasterium deportat, & arctiore studio seruari iubet. Pipinus quoque alioqui instabilis, atque minus firmi animi, facilè Germanorum fortitudini cessit. Hisce perterriti cæteri coniurati, desperantesque rebus suis, & vincula, scelerum conscientia exagitante, formidantes, tota nocte sursum deorsum ad prætorium Lotharij properant: ignauiam suam accusant, Lotharium, & se proditos, actum esse vociferantur, nisi maturè cauerint, suadent & hortantur, antequam inulti omnes pereant, aut bello confligendum, aut aliquò secedendum esse. Eam noctem in huiuscemodi consultatione insomnes parricidij cogitati conscientia ducunt. At Cæsar vbi quàm primùm illuxit, ad filium legatos cum mandatis ire iubet. Hi admonent Lotharium, ne cõmunibus inimicis credat, hostibusve Dei & Reipublicæ fidem vllam habeat: sed omissa flagitiosissimorum parricidarum sentina, atq; versutissimorũ perfidorum praua cohorte, ad dominum & parentem indulgentissimum etiam inimicis clementissimum, qui eum genuerit, educarit, ad supremum generis humani fastigium prouexerit, quàm maturrimè veniat: ibi de rebus communibus cum parente & reliquis fratribus consulturus. Lotharius postulata non iniqua censens, non refragatur, licet purpuratis suis dissuadentibus, ad parentem pergit, à quo magis paterno adfectu benignè, quàm asperè increpatus, in gratiam recipitur. Dumque Lotharius vestibulum regiæ iam attigerat, ciuilis seditio vulgi ignobilis excitatur: in seque mutua cæde sæuire parabat. Hic filij, ille parentis tutabatur partes: ille Lotharianus, & Cæsarianus, hic Augustalis erat. Pessimumq; vitium perpetratum foret, nisi Imperator cum filiis in conspectum processisset, feralem tumultum sua præsentia composuisset. Posthæc Cæsar vniuersos coniurationis conscios diligenter custodia militari, ne quisquam elaberetur, circumdat, seruarique imperat. Inde iure peritissimos quosq;, item proceres, pontifices conuocat: eosdem cõsidere ad caussam coniuratorum cognoscendam, iusque dicendum iubet: suam vicem filios suos Lotharium, Pipinum, Ludouicum regem Boiariæ, præsidendo pro tribunali, defungi mandat. Omnium sententia socij conspirationis, parricidii, læsæ maiestatis accersiti, extremo supplicio condemnantur. Verùm Pius ne vnum quidem eorum occidi passus est. Prophanos in ordinem monachorum, adtonso & deminuto capite relegat; sacerdotum atque pontificum turbam itidem in monasteria

Monasteriũ D. Radegundæ.

Heribertus lumine orbatur.

Lambertus præfectus. Helisacharus.

Vala.

Cæsar ad filium legatos mittit.

Lotharius.

Coniuratorũ capti.

steria abdit. Hanc quidem clementiam, lenitatem illi, alij leuitatem, pro suo quisque ingenio interpretabantur. Cæterùm Augustus hisce rebus confectis, sumpto leni animo de coniuratis supplicio, ad Aquas Graneas hybernatum proficiscitur. Lotharium secum, aliis filiis subsequentibus, studiosius semper retinuit. Coniugem posteà ex Aquitania, fratres eius Conradum & Rudolphum, cum sorore Augusta in exilium actos reuocat. Nec ipsa antea ad thalamum Cæsareum recipitur, quàm legitimè, ritu solenni, in celeberrimis Deiparæ Virginis feriis, quas quarto Nonas Februarij cæreis incensis celebramus, sese iureiurandi religione, testibusque ab obiectis purgaret criminibus. Filij deinde Augusti domos abeunt: Lotharius in Italiam, Pipinus in Aquitaniam, Ludouicus in Boiariam reuertitur. Imperator per totam Quadragesimam, atque Paschalia in superiore vrbe, vbi ferè habitabat, commoratus est: & post Paschalia ad Ingelhaim accedit. Mitigatus coniuratoribus, & nil magis quàm iniuriæ obliuisci consuetus, in exilium actos de integro restituit. Detonsis, & in monasteria relegatis, in ordinem monachorum redactis, ad patrios lares, vitamque pristinam quasi postliminij iure redeundi copiam facit. eundem illis amicitię gradum apud se patere pollicetur. Inde piscationibus, venationi, aucupio indulget. Autumno conuentum regni ad Diethenhofen cogit: quò legati Saracenorum odoramenta, succos, vestes, paludamenta, Arabicas opes Imperatori dona ferunt. Huc quoque Bernardus, præfectus prætorio, qui in Hispania fuga sibi consulens delituerat, se contulit: ad singulare certamen (quod genus purgandi tum solenne maioribus nostris fuisse inuenio) accusatores prouocat: & nemine vires conferente, religione iureiurandi sese ab obiectis criminibus exoluit. Pipinus huic concilio non interfuit, sed iam soluto conuentu demum aduenit. Pius vt contumaciæ filij, & corruptis moribus à consultoribus prauis mederetur, eundem secum Aquis Graneis detinuit vsque ad Ianuarium. Verùm Pipinus iniquo ferens animo, sua facta à quopiam obseruari ac notari, insalutato patre, offensarum minimè dissimulans, in Aquitaniam clam discedit. Circa idem tempus, dum Imperator ad Aquas Graneas hyemat, grauis ei motus ex Boiaria nunciatur. Apud Langkhaim Ludouicus rex Boiorum, cum quibusdam principibus Germaniæ conuenerat, vnde nata suspicio est, rumorque dissipatus, quasi rex Boius desciscere à patre Austriamque, hoc est regnum Orientis, nempe Germanias, Rhætias, Vindeliciam, Illyricum, Noricum, Pannonias, Liburniam sibi vendicare tentasset. Augustus cum exercitu Augustam Rhætiæ (quam quidam olim caput Boiorum fuisse autumant, ego Augustam Tiberij, quam nunc Reginoburgium vocamus, siue Augustam Vindelicorum, quæ supra Monachium in ora Isaræ interiit, arbitror, deceptosque imperitos similitudine nominum existimo) petit. Ibi Boius parenti arguens rumorum temeritatem satisfecit. Pacata igitur Boiaria, Augustus Gallias adit. Aureliam frequentes proceres, filiumque Pipinum coire iubet: Ipse cum valida manu Germanorum eò contendit. Pipinus timens vires parentis inuitus abest, ob prauum ingenium, à patre Treueros in Germaniam relegatur, arctaque custodia obserari iubetur. Pius in Aquitaniam transmisso Ligere, procedit. Bernardum, cuius consilio vti Pipinus consueuerat, aula, magistratu, honoribus se abdicat. Inter hæc Pipinus negligentius custoditus noctu aufugit: profugus, & vagabundus quacunque licuit, delitescit, vitatque conspectum parentis, qui in Nouembrem alium conuentum in Aquitaniam, quo ad se fugitabundum retraheret filium, frustra indicit. Asperrima hyems tum incubuit repentè, grauiterq; exercitum Imperatoris, primò iuges pluuiæ, hinc gelu acutissimum adflixit: adtritæ vngulæ equorum, perpauci equis vsi sunt. Accessit & Aquitanorum improuisa & crebra incursatio. His fiebat, vt Imperator cum copiis suis, & ab intemperie cœli, & incolis terræ malè acceptus, Ligerim tranare, ex Galliis in Franciam ad Aquas Graneas maxima cum difficultate, nec citra ignominiam & dedecus, retro referre pedem cogeretur. Dumque talia fiunt, pessimi mortalium proceres quidam, ac Pontifices, qui omnia vtilitate & ambitione metiebantur, vt erant astutissimi, ex industria inter se operas partiuntur, ad filios Imperatoris vltrò citrò commeant, illis persuadent, parentem addictum vxoris illecebris, & iniustæ nouercæ præstigiis captum, insidiari vitæ liberorum, omniumque, quos amare eosdem intelligeret. Filij ob odium in nouercam, quòd eam alioqui mulierem versutam, & vulgò malè audire, parentemque vxorium esse agnoscebant, communicato consilio, coniunctis viribus in Alsatia apud Lugenfeld coëunt. Gregorius quartus Pontifex Romanus Maximus, vbi hoc incendium inter parentem atque liberos, prauorum consiliis excitatum esse accepit, quod ad detrimentum Reipublicæ Christianæ maximum procul dubio pertineret, ad restinguendum id, ad filios in Germaniam proficiscitur, seduloque operam nauat, si qua æquitate hominum perniciosus, parricidialisque tumultus, ad ocium & quietem reduci, & filij parenti reconciliari possent. Imperator mense Maio cum valido militum Germanicorum robore, in Vangionum vrbem se confert. Vbi tempus diutius consultationibus tractum, placuit tandem, nec quicquam salubrius visum est, Bernardum pontificem cum aliis optimis quibusque, ad filios, & Romanum pontif. proficisci. Qui primùm filios, vt redirent ad genitorem, cohortarentur: deinde pontificem Max. compellarent,

Exules reuocati.

Conuentus regni ad Dietenhofen.

Bernardus & Vuernhardus. Kampff.

Langkhaim.

Pipinus relegatur.

Pipinus aufugit.

Cōuentus in Aquitania.

Aquitanorum incursatio.

Procerum factio.

Imperator filios per legatos ad se reuocat.

pellarent, rogarentque, cur ipſe more maiorum Auguſtum eueſtigiò, & rectà non adiret. Rumor erat ideo eundem aduenisſe, vt Cæſari, & amicis, epiſcopiſq; eius, niſi obtemperarent filiis Auguſti, ſacris interdiceret. Germaniæ pontifices, maximè Drogo Mediomatricum paſtor, reſpondere: Si Romanus ſacerdos nobis malè precaturus aduenit, ipſe quoque malè audiet, & diris deuotus abibit. Quid plura? fruſtra vitrò citrò legati commeaunt, ſurſum deorſum nuncij curſitarunt. Inualuerant peſsimorum conſultorum doli, qui pacem contra ius gentium, citra ſanguinis rationem interturbabant, & filios cum patre armis committere ſummopere laborabant. Omnia miſceri, atque turbari cupiebant, ſaluo iſto rerum ſtatu, Auguſto, amicisque eius, ſe incolumes fore diffidebant. Pius igitur intento exercitu ad Lugenfeld proximè filios, octauo Calendas Iulij, diuo Ioanni Baptiſtæ dicato, procedit. Stabant vtrinque acies infeſtæ, iam iamque parricidiali prælio, cognatoque ſanguine ſe contaminaturæ. Intercedit pontifex Romanus, ad Auguſtumque ſe demum confert, quem ille in acie conſiſtens, ſine vllo honore indignabundus (cauſatus quòd contra maiorum decreta, patrum ſanctisſimorum, præter ſolitum, iniquo inſuper animo acceſſerit) excipit. Ductus tamen primarius ſacerdos in prætorium, docet Imperatorem, ſe ob nullam aliam omnino cauſſam adeſſe, quàm vt filios, atque parentem in gratiam redigeret, bellum nefandisſimum populi Chriſtiani, cuius paſtor eſſet, ceruicibus auerteret. Mitigatus hoc reſponſo Pius, pontificem ad filios remittit: facit eidem comprimendi tumultus, pacis & amicitiæ reintegrandæ confirmandæq; poteſtatem. Verùm nequaquam Gregorius, poſteaquam ad filios reuertit, ad Cæſarem, vt iuſſus fuerat, redire permittitur. Nam dolo fraudeque coniuratorum iactabatur, Ludouicum à pontifice Maximo ob nouercale in filios odium, inferis deuotum eſſe. Qua de cauſſa ſæuit ignobile vulgus, gregariique myſtæ, apud quos ſemper ſuperſtitio, commentaque humana, & craſſæ cæremoniæ ſpeciem pietatis præ ſe ferentes, efficaciores ſunt quàm iuſta religio, plerique donis allecti, alij promisſis ineſcati, pars minis territi, quidam ſuopte ingenio deprauati, nouarumque rerum cupidi, deſerto Imperatore, ad filios cateruatim preuolant. Ita hac fraude ſubtractis copiis Cæſari, in dies magis atque magis aduerſariorum factio inualuit: vires Imperatoris authoritasque diminutæ ſunt: adeò vt pridie Calendas Iulij vilis plebecula gratificatura, vt rebatur, filiis, in Imperatorem irruere, imperiumque ipſe ere deſtinaret. Quæ cum Pius agitari ſenſiſſet, haud parem ſe furori multitudinis inſtar diluuij furentis, ratus, filios certiores facit, admonetque, ne parentem ab omnibus deſtitutum, contra fas, legesque naturæ prædam fore direptui, atque ludibrio inſani vulgi, & inimicorum ſceleri patere permittant. Filij, vt caſtris relictis, ad ſe quàm maturrimè obuiam proceſſuros, accedat, remandant. Imperator igitur neceſſitate rerum, iniquitate faci adactus, caſtris excedit, ad filios contendit: Itidem filij faciunt: & licet quibuſdam (vt plures ſunt mali, quàm boni) diſſuadentibus, obuiam ite parenti feſtinant. Vbi ambæ partes in conſpectu fuere, atque conuenere, mox filij equis deſiliunt, oſculoque ab Auguſto excipiuntur. inde ſimul ad caſtra filiorum proficiſcuntur.

Drogo.

Prælium parricidiale.

Imperator ad filios tendit.

Tum abſque cunctatione Iuditha Auguſta, quam cauſſam omnium malorum eſſe vociferabantur, ab Imperatore ſeparatur, ad tabernaculum Ludouici regis Boiorum deducitur. Lotharius patrem cum filio Carolo adhuc impubere, ad ſuam papilionem abducit, ibique conſiſtere iubet. Interim omnes qui aderant, in verba filiorum iurant: Imperiumque à fratribus in tres diuidundum partes eſſe decernunt. Auguſta Dertonam, quæ vrbs eſt nonæ regionis Italiæ, relegatur. Gregorius epiſcopus Romam, vbi improbitatem paucorum plus quàm æquitatem valere videt, non ſine maximo mœrore petit. Ludouicus quoque pertæſus impotentiam coniuratorum Galliæ, ſerò intelligens, quò conatus illorum peſtiferi tenderent, fugitans incendium, quod reſtinguere non poterat, in Boiariam, Pipinus in Aquitaniam reuertitur. Lotharius verò atque coniurati, cunctis ex ſententia confectis, conuentu dimiſſo, Gallias peragrare inſtituunt, populum ſacramenta Lothario dicere iubent. Lothariusque ita rerum potitus, parentem deſtitutum à ſuis & priuatum, filiorum ſuorum captiuum, venaleque inimicorum ſuorum mancipium, velut ludibrium fortunæ cum Carolo infante circumducit: paucis cuſtodiæ eius deſtinatis equitibus. in Mediomatricum vrbem, inde Verodunum, poſtea in Sueſsionum Auguſtam procedit: ibi in monaſterium D. Methardi patrem abdit. Carolum necdum puberem Bruniam relegat, nec tamen tonderi iubet. Conuentum poſt hæc regium, Compendium Galliæ Belgicæ vrbem, in Calendas Octobris indicit. Ipſe interim venationibus indulgens, poſt patrem ſecum Compendium producit. Vbi legatos & munera Imperatoris Græci ad Pium miſſa audit, ſuſcipit, abſoluit. Iam pedetentim, vt animis hominum perinde ac fortuna nihil verſatilius eſt, indignatio, inuidia temporis ſpatio lenita, in commiſerationem conuertebatur. Miſerabantur vniuerſi, præcipuè Germani, fortunam Pij, qui ab his, quos ſeruarat, proditus, à ſummoque rerum faſtigio deiectus, indignis modis paucorum ſcelere tractaretur, & dum miſereſcunt, fauere incipiunt. Purpurati, quorum conſilio huiuſcemodi fiebant, ſerò ſibi metuere cœperunt: ne ſi Imperator reſtitueretur, ipſi pœnas darent, quoſdam epiſcopos, quibus chariſ

Iuditha Auguſta à Ludouico ſeparatur.

Auguſta relegatur.

Gregorius epiſcopus Romam petit.

Carolus impuber relegatur.

rius erat aurum, ac honor, quàm fides aut iustitia, impulere partim fraude, partim donis, vt denuò Cæsarem absentem, indictaque causa, velut indignum apice rerum summo, ob flagitia quæ ipse confessus esset, publico iudicio condemnarent: & consessu patrum celebri, ad sacra D. Methardi atque Sebastiani armis exuerent: atque ante aram Maiestate Cæsarea exaugurarent, imperio exauthorarent, deinde pulla veste indutum, atratum, in arctam custodiam obtruderent. Complures consensere: maxima pars, ne primores, qui rerum habenas tenebant, offenderent, subscripsere. Perpauci, quorum princeps erat Drogo episcopus Mediomatricum, frater Augusti, huiuscemodi consilio refragati sunt. Hique protinus in Germaniam, & Boiariam ad Ludouicum regem Boiorum, qui inter fratres prudentior, atque ad mansuetudinem pronior censebatur, fugam tendunt: persuadentque facile regi Boio, vt ad liberandum ex iniusta seruitute pudendaque parentem, fraude iniquorum circumuentum, operam nauaret. Mittuntur igitur à Germania & Boiaria, à Ludouico rege Boio, & Drogone patruo eius, & ab his qui eò confugerant, passim in Gallias: Hugo abbas in Aquitaniam, qui Pipinum ad liberandum genitorem instiget: Bernardus & Varinus in Burgundiam. Hique populum ad eripiendum Imperatorem incitabant. Interea dum talia fierent, Lotharius cum patre ad Aquas Graneas in hyberna se confert: istaque hyeme Galli, Burgundi, Aquitani, Germani frequentes coeunt, grauiter de paucorum potentia conqueruntur, quorum flagitio Augustus Pientissimus in seruitutem redactus sit. Nec deerat illis animus vi eripiendi Cæsarem. Lotharius primo vere vim Teutonum metuens, in Gallias redit, Luteciam Parisiorum petit, populum cogit, atque sacramenta sibi dicere iubet. Egobardus partium Imperatoris cum armatis obuiam Lothario tendit, eum ad certamen prouocat. Verùm Pio adnitente ab huiusmodi nefario prælio abstinuere manus. Inde Lotharius ad monasterium Diui Dionysij se confert. Iam Pipinus ex Aquitania, Ludouicus ex Germania, & Boiorum regno cum validis copiis, & his qui ad eum confugerant, in auxilium Augusti properare nunciabantur. Lotharius igitur omnium fluminum pontes rescindit, naues omnes submergit. Nihilominus tamen Cæsariani fama aduentantium virium erecti, passim armati prodeunt, atque conueniunt. Pipinus cum Aquitanis ripam Sequanæ insederat. Varinus & Bernardus ex Burgundia ad Matronam amnem peruenerant. Erat tum Quadragesimæ septimana prima, diesq; quintus. Rathboldus præsul, Gantzelinus præfectus ad Lotharium à Cæsarianis mittuntur. Atque hi: Ad te oratores venimus, inquiunt: Ludouicus rex Boiorum, Pipinus rex Aquitaniæ, fratres germani tui, vniuersa Germania, omnes denique boni postulant, vt nobis Augustum, illis genitorem reddas. Quod si fiet, cuncti erroris deprecatores, veniæ atque salutis authores tibi apud Imperatorem erimus: sin repulsam patimur, armis, Deo iusto iudice impetrabimus, quod precibus nequimus: bellum & pacem tibi offerimus, vtramuis conditionem, vt libet, accipe. Lotharius cùm æqua postulari censeret, & quo periculo esset animaduerteret, remotis arbitris, legatis benignè respondet. Nemini omnium magis cordi esse, quàm sibi, parentem: displicere admodum, quæ iniqui in illum perpetrassent: nec esse quenquam omnium, qui ita diu noctuque cogitet, quonam pacto iniuriam illi illatam, qui & vitæ & potestatis suæ author sit, vindicet: Non potuisse hactenus id ritè, sapienterque fieri sacerdotum suffragiis, adhibitis superis, patrem suum de solio regio detractum, se ibi collocatum esse: decere eundem iisdem sacris, auspiciisque prouehi. Si quid perperam actum sit, non in se culpam transferendam esse, sed in eos, qui patrem suum destituissent, atque planè prodidissent. proinde placere sibi, vt celebris totius Imperij conuentus, quo libeat, indicatur: vbi parens suus auspicatò, & quasi iure postliminij libertatem reciperet. His auditis, Legati ad suos redeunt, in commune consultant, quonam die rursus coeant. Interea Lotharius versutorum callidorumque amicorum (qui si is in gratiam cum parente rediret sibi timebant) consilio vsus, relicto patre in æde Dionysiana cum huiuscemodi maliciosis veteratoribus, & scelerum fabris, Burgundiam, Viennamque petit: ibi statiua facere, vires ad resistendum comparare, & sese munire, decreuere isti obscuri, fallaces, magis quàm ingenui, iusti, boniue consultores. Cæterùm Augustus iudicio episcoporum capite diminutus, eorundem sententia, arma, Augustalem cultum legitimè, ritu solenni resumit, die Solis, quam mediam Quadragesimam nuncupamus, dum sacrificij exordium est hoc carmen, *Lætare Hierusalem*: quod feliciter, prospereque euenire significauit populi adclamatio insecuta. Imperator postea cum Lotharium, licet amicis suadentibus, persequi nollet, Carisiacum se confert: ibi maximo omnium gaudio excipit filios, Pipinum regem Aquitanum, & Ludouicum regem Boiorum, qui maximis itineribus cum his, qui ad se confugerant, ad parentem liberandum properarunt. Hymni Deo Opt. Max. dicti, honosque habitus est. Pius Pipinum in Aquitaniam dimittit, cum Ludouico in Germaniam ad Aquas Graneas redit. Ibi Augustam ex Italia ab exilio reuocatam, à Ratholdo episcopo, & Bonifacio adductam recipit. Concelebratis Paschalibus, venationibus deinde se exercet. In occidenti Galliarum regno, Lothariani, Landbertus, & Machofridus cum sociis omnia tumultu complent.

Drogo Caroli Magni ex pellice filius.

Egobardus qui & Egbardus.

Rathboldus. Gantzelinus.

Lotharij responsum ad legatos pro Ludouico Pio.

Imperator filios excipit.

Prouinciam sibi à Lothario traditam, vi retinere conabantur. Cæsariani, quorum princeps Otto præfectus Aurelianorum, & Theodo antistes fani D. Martini Turonensis incautius cum illis manus conserunt. Cæsi sunt Otto, frater eius Wilhelmus, atque Theodo, cum compluribus, à Lotharianis, cæteri fuga elapsi sunt. *Otto* Lothariani, quamuis victores, tamen quòd hostes vires recuperabant, eosque acriores hac clade exasperatos fore suspicabantur, rati vtrunque sibi periculosum, & manere, & aufugere, nuncios ad Lotharium ire iubent, vt suppetias perditis rebus ferat, postulant. Lotharius ergo suis periclitantibus opem laturus à Varino, & Cæsarianis, qui firmo præsidio Cauillonum Burgundiæ oppidum tenebant, præpeditur: armisque lacessitus, & irritatus vrbem obsidet, expugnat, diripit, incendit: Gothelmum, Hamilum, Mathelmum dynastas capite truncat. Gariopygam vxorem Wilhelmi, quasi veneficam in flumine submergit, atque necat. His perpetratis, Augustodunum se confert, inde Aureliam, pòst Cænomanum pagum petit. Contrà Augustus, vbi in Germania id accepit, cum filio Ludouico rege Boiorum persequi Lotharium statuit, & Lingonum vrbem accedit. Lotharius receptis suis haud procul à castris genitoris castra facit: eodemque loco quatuor dies legatis vltrò citroq; qui de pace ac concordia agitabant, commeantibus, commoratur. Quinto die retro in Galliam vlteriorem ad Ligerim amnem in Aquitaniam transiturus, copias fratris Pipini sibi coniuncturus, contendit. Imperator compendio filio anteuertit, ad Ligerimque considet: vbi & Lotharius vires suas explicat, proximè Blesense castrum, vbi Cissa Ligeri confunditur. *Bles.* *Cissa.* Pipinus cum rex Aquitaniæ cum auxiliaribus popularium copiis ad parentem peruenit. Lotharius posteaquam se circumuentum vndique, spe destitutum, nec in fuga, nec pugna salutem esse videt, attonitus mœstitia simul & desperatione, inter spem & timorem hæsitans, tristium specie abiectis armis ad parentem venit, preces, supplicia admouet: veniam erroris atque stultitiæ impetrat. Nam Ludouicus natura simplex & mitis, gratiam facit deprecanti, peccasseque confitenti ignoscit. *Ludouici clementia.* Contentus, filium, eius proceres in potestate sua futuros, iurasse. Inde incolumes omnes cum filio in Italiam migrare iubet: custodes tamen in angustiis collocat, qui scrutarentur commeantes, atque obseruarent, ne quispiam sine commeatu aut ire, aut adire, rediréve queat. Inde cum rege Boio Germaniam versus tendit: per Aurelianum, Parisiorumque agrum in hyberna ad Aquas Graneas proficiscitur: in sequentis anni vernum tempus, conuentum procerum Wormatiam indicit. Decembri ad Diethenhofen, inde Mediomatricum vrbem accedit: cum Drogone fratre natalem Christi seruatoris nostri peragit. Februario rursus Diethenhofen petit: Pontifices quorum scelere fraudeque captus fuerat, condemnat, sacerdotiis & dignitate mouet, proscribit, in exilium agit. *Drogo.* Ebbonem in Saxoniam ad Hyldeshaim relegat. Agobertum Lugdunensem, qui vocatus præstò non fuit, nihilo secius curia pontificum mouet. *Ebdo qui & Ebbo relegatur.* Cæteros quoque in Italiam elapsos per omnium sacerdotum religiones deuouet. Post hæc primo Solis die Quadragesimæ, velut nondum ab iniusta sacrificulorum execratione solutus, rursus à septem archymistis solenni ritu bene precantibus, lectis de libro supplicamentis, faustis, bonisque ominibus, cum maxima omnium qui aderant, lætitia, populo acclamante, fœliciter expiatur: quasi verò in potestate hominis sit, in arcaque siue vitro, sicuti ater genius magico susurro, clausa teneatur æterna illa Maiestas, vt nutu nostro vel claudat vel aperiat cœlos. Ludouicus superis itaque conciliatus cum filiis Pipino, & Ludouico regibus ad concilium Wormatiam se confert: illo soluto, Diethenhofen, hinc Aquas Graneas petit, ibique hybernat. Eodem anno, qui est ab humano genere seruato octingentesimus tricesimus sextus, Adolramus archiflamen Boiorum pridie Idus Ianuarij ex hac vita migrat. *Adolramus moritur.* Leopramus hoc sacerdotio ab Imperatore, regeque Boiorum donatur. Is Venedis Illyricum, Noricum, Pannoniamque incolentibus, pontificem, sacrificulum creauit Osvualdum, ad quem in pontificalibus scitis extant binæ epistolæ scriptæ à Pontifice Maximo. *Osvualdus pastor Venedorum.* In quarum vna sacerdos, qui cultorem falsorum deorum licet se defendendo occiderat, de curia mystarum, classibusque sacrorum mouetur, iubeturque in turba prophanorum consistere. In altera, itidem presbyter à sacris, arisque arcetur, quod diaconus ab eo leuiter duntaxat verberatus, è quo cadens ceruicem fregerit: ex hoc vulnere obierit. Satius enim esse, ait Romanus episcopus, in humiliore religionis gradu seruari, quàm alta petentem perire. Subsequenti anno Imperator, quòd aduersarij in Italiam aufugerant, & à Lothario reciperentur, expeditionem Italicam meditatur, quæ necessaria fore opinatur, parat. Ad Nordomanni Frisiam Insulam quondam, Oceani Germanici oram armis inuadunt: Hantorff, Bicolam, emporium iuxta ostia Rheni incendunt, Dorostadium expugnant, cæsis præfectis Eckhardo, Hemingo Halpodani filio, cum compluribus, cuncta sibi armis parere cogunt, in ditionemque subigunt. *Hantborff. Hanthorphos Amenianus dixit.* Britones quoque fœdera rumpunt duce Muromano. Copiæ quas Augustus aduersus hosce proficisci iusserat, parum profecere virtute. Fortuna quidem Cæsarem non deseruit. Muromanus paulo pòst vitam simul cum regno finiuit. In orientali Boiariæ limite, Moraui, Venedorum, Sclauorumque natio est, qui tum aquilonarem Danubij ripam, qua Noricum inferius,

siue Pannoniam superiorem præterfluit, insidebant, regi Boio rebellant. Autores tumultus Ratisolaus, Brynoque cum filio Hesilone, ad vlteriores Venedos, qui Ratomaro parebant, à Rathbodone duce limitis Boiarici, iussu Ludouici regis submoti sunt. Venedorum tum vrbes Brynam, Pisonium, Nitrauiam, reliqua castella rex Boius occupat, in Boiariámque transfert. Augustus omissa expeditione Italica, Romam Fulconem, & Adrovualdum monachorum magistros, Richardum præfectum in Italiam ad Lotharium legat. Hic reddi transfugas, illi rebellibus sacris interdici à Romano pontifice postulant. Ingrata legatio Lothario, eiusque amicis fuit. Romam verò missi benignè auditi sunt. Pontif. Romanus duos episcopos, Petrum & Georgium, eius rei gratia ad Imperatorem in Germaniam proficisci iubet: qui cùm Bononiam, in Germaniam transitum facturi peruenissent, vltra procedere arcentur. Leo purpuratus à Lothario illò missus, vetuit eos verbis Lotharij, ne vsquam pedem ex Italia, ad Imperatorémve ferrent. Illi minis territi parent, Romamque redire coguntur. Adrovualdusque epistolam ab eis ad Augustum scriptam occultè accipit, atque cuidam, qui eam habitu mendici trans Alpes ferret, tradidit. Ita diligentia Lotharianorum, vestes, sinus, bulgas, calciamenta scrutantium, excutientiumque elusa est. Inter hæc Imperator in Frisiam aduersus Danos mouet. Cimbri audito Imperatoris aduentu, exacto à Frisiis tributo incolumes domum redeunt. Quod vbi Pio nunciatum est, dimisso exercitu ad Ingelhaim reuertitur. Humeio Britanorum ducatum in tutelam fidemq; commendat. Lues dira Lotharianos consultores inuadit, præcipuè eos, qui coniurationis authores extitere, vniuersi intra duos menses à Septembri ad Nouembrem extinguuntur. Pius cum filio Ludouico rege Boiorum Lugdunum pergit, in demortuorum episcoporum decurias alios allegit. Inde hybernandi causa ad Aquas Graneas discedit. Sequentis anni tertio Idus Apriles, stella crinita per continuos quinque & viginti dies fulsit, errantium syderum modò ab occidentis ora in orientem mouebatur. Quam cùm Augustus, talium studiosissimus, conspexisset (quippe Astronomiæ deditus, de huiusmodi rebus cum eiusmodi disciplinæ peritis confabulari solebat) Astrorum peritum, qui in aula versabatur, accersit: eius sententiam de huiusmodi stella, siue (vt verum fateamur) igneo nodo, inquirit, cum illo de natura eius disputat. nam variæ sunt de Cometa philosophantium opiniones. Democritus & Anaxagoras errantium syderum, dum coëunt, fulgorem conuolutum esse arbitrati sunt. Hippocrates stellam errantem esse tradit, pasci, atque ali humore terreno: in hoc repercussu radios reddi, qui comæ, barbæve videantur. Sunt qui & hæc sydera perpetua esse credant, quemadmodum Pythagorici, suoque ambitu ire, sed non nisi relicta à Sole cerni. Alij verò, sicuti Aristoteles, docent igneam vim esse, tracto alimento humoris, & moueri cum aëre, nasci nimirum ex humore fortuito, atque halitu radiis Solis adsumpto, raptoque ex terris in supremam aëris partem, proximam igni, alimento tellure subinde tracto: terrificum magna ex parte sydus, ac non leuiter expiatum, & maximè ad reges pertinere, ventos, æstus significare tradunt. Qua de causa in hominibus feruens difficili bile tumescit iecur. Licet quoque literis proditum sit, salutare & faustum terris esse, portendere cædes, bella, commutationes rerum, exitium principum, excidia regnis. Hocque veluti monstro, mortales vt resipiscant, à supremo numine patre indulgentissimo admoneri, vulgo magis credunt, quàm sciunt. In hanc sententiam dum Viennæ Austriæ cultioribus literis, maioribusque Musis operam darem, & tum Cometa ibi fulgeret, lusimus:

Vidimus ardentem, non certè impune, Cometam.
Non premit incautos vltio iusta Deûm.

Et profectò eodem anno, vt verum fateamur, Philippus rex Hispaniæ, pater Imperatoris Caroli Maximi Cæsaris Augusti interiit. Cæterùm Ludouicus (inde enim diuerti) dum diutius de natura rerum philosophatus esset, paulo indulgentius vino pepulit curas & solicitudines: cæteros vt idem facerent, cohortatus est. Tum Iuditha Augusta, callida, atq; astuta mulier, ministerio Palatino (vt mos aulæ est, & mutuum muli scabunt) adnitente, ab vxorio marito haud difficulter Burgundiam, Rhætias, Sueuiam, vnde ipsa oriunda erat, Carolo filio suo adhuc impuberi, ad Aquas Graneas celeberrimo loco extorquet. Hanc ob rem cæteri filij de tanta re nouercam, quæ vulgo malè audiret, nec maioribus, nec fœminæ conuenientibus negociis abstineret, imò magis æquas partes potentiæ sibi vindicaret, licentiusque quàm matrem familiâs deceret, cuncta ex libidine ageret, sententiam ferre perindignè ferentes, in valle Tridentina, vbi confinium est Boiariæ, atque Italiæ. ad huiuscemodi acta rescindenda conueniunt. Interim Morati res nouas moliuntur: Rathomarus regulus, ad quem suprà Brynnonem aufugisse commemorauimus, Boiis præfectis obtemperare recusabat, Imperiumque Boiorum aspernabatur. Rex Boius Rathobodum Austriaci limitis ducem, quem Marchionem vocamus, cum validissimo exercitu aduersus Rathomarum proficisci iubet: mandatque Rathobodo, vt perfidum caput non ante persequi cesset, quàm aut occidat, aut regione penitus exturbet. Rathomarus, & Brynno Venedorum rectores haud imparati nostris obuiam procedunt, cum

Marginalia: *Humeius.* — *Cometa adparuit.* — *Variæ de Cometis opiniones.* — *Philippus rex Hispaniæ interiit.* — *Iuditha Augusta.* — *Carolus filius Ludouici.* — *Rathomarus regulus.*

cum Boiis pugna confligunt. Verùm amissis multis in fugam vertuntur: atque rebus desperatis, cum iis, qui euasere cædem, ad Bulgaros in Mæsiam trans Sauum aufugiunt. Rathomarus ibi periit, Brynno tædio exilij, cum sine pignore, sine lare extorris patria erraret, fretus clementia Ludouici regis Boiorum, Sauum amnem, accepta publica fide abs Salachone, eius limitis procuratore, in Boiariæ regnum transit, ad Ludouicumque regem Boiorum, ab eodem præside Reginoburgium mittitur: atque non solùm veniam præteritorum impetrat, & vrbes Nitranam, Pisonium, Brynnam, & alia perdita recuperat: verùm etiam partem inferioris Pannoniæ, & Norici iuxta Seunam flumen, quæ tum deserta erat, recipit. Vbi cum filio Hezilone dirutas colonias, & arces à Romanis quondam deductas, & à Germanis solo æquatas, instaurat. Inter quas Celeia & Petanio, & Mosaburgium numerantur. Templa quoque de integro à Brynnone ibi ædificata, à Leopramo Iuuauensi archiepiscopo Boiorum consecrantur. Nullus stat aduersus immodicas cupiditates terminus. Auaro difficile est sibi temperare, & eo contentum esse, quod offert occasio: quippe sordere solent prima, quum maiora speraueris. Non minus auidæ rerum, quàm mutabiles ac religiosæ sunt fœminæ, præcipuè vbi copia iudicum moratur. Idcirco Augusta spreta priore conditione, regno Imperij Francorum florentissimo inhiare cœpit. Dabat animos id tentandi mariti facilitas, qui obnoxius vxori nihil pensi habebat, nihil eidem deprecanti negare solebat. Primò igitur Iuditha aulicos, quos opportunos esse videbat, partim muneribus & ingentibus pollicitationibus, partim blanditiis, quibus plurimum pollebat, suos facit, atque suffragatores parat. Deinde Pipinum regem Aquitaniæ socordis, tardíque ingenij, pari astu in suam trahit partem. Postremò eò Imperatorem illecebris pellicit, vt in Galliis Carisiaci celebrem conuentum Celtarum cogeret. Vbi præsente Pipino Carolum ense, diademate regio ornat, regemque Lugdunensis Galliæ adpellat. Hisce confectis, Pipinus in Aquitaniam redit: paulo pòst mense Nouembri, relictis duobus filiis, Pipino & Carolo, vita defungitur. Imperator ad hyberna ad Aquas Granea reuertitur. Augusta territa ob mortem Pipini, aduersámq; Pij valetudinem, cui finem vitæ in foribus adesse, eundem propediemq; moriturum animaduertebat, sibi filioque suo impuberi consulere, tutorem, patronumque parare, cautè prudenterque operam nauat. Communicato itaque consilio cum amicis Augusti, quos suis rebus studere sensit, quemnam priuignorum ad hoc munus accersat, consultat. Lotharius magis opportunus, magis ex vsu visus est. Expugnato igitur astu, precibus, blanditiis animo Pij, Iuditha partim iussu mariti, partim sponte sua perquàm honorificè legatos ad Lotharium in Italiam mittit. Qui primò dicunt, mitigatum esse Imperatorem Lothario, ipsi, eius amicis, eundem amicitiæ gradum apud Cæsarem non solùm patere, sed & Imperij successorem illum à parente indulgentissimo designatum esse. Deinde suadent Lothario, vt quàm celerrimè ad Augustum, maximam Imperij partem occupaturus contendat. Quo autem hæc quæ Augusta constituerat, facilius ex voto, sententiaque animi perficerentur, Ludouico regi Boiorum publico decreto reliquis regionibus interdicitur. Imperator eundem, victus techna coniugis, excedere Boiariam vetat, & alio quouis gentium ferre pedem prohibet. At Ludouicus rex Boiorum cùm hæc fieri insidiis iniustæ nouercæ, paucorumque flagitio (qui amore ac ætate despicientem Augustum, morboque adfectum, & valetudine minus sui compotem, suo arbitratu venundarent) intelligeret, tertio Calendas Decembris Francofordiam venit, coacto Francorum, Saxonumque senatu, iniurias iniustæ nouercæ, inimicorumque insolentiam commemorat: qui Augusti adfecti valetudine, obnoxiique seruituti vxoriæ, lenitate in communem omnium perniciem abuterentur. Edictum tum ridiculum, tum iniquum aduersus se proponit. Quid ab huiusmodi fumi venditoribus reliquis expectandum sit, cum filio & regi obsequentissimo genitorem præripuerint, declarat: beneficia sua prædicat: orat ac postulat, Rempublicam suscipiant, vnà secum administrent, in commune rebus consulant: nec patiantur genuinam, germanamque Francorum sedem, prauorum prædæ atque auaritiæ patere. Germaniæ primores, quòd eis iam pridem cognita erat mansuetudo, prudentia regis Boiorum, pronunciant, se in eius potestate fore. Operam deinde suam certatim spondent, & nequaquam se eum deserturos, Reipublicæque defuturos pollicentur. Pius vbi hæc ei renunciata sunt, omissa Aquitania, quò ire, & defuncto filio regionē pacare constituerat, vires cogit, vltimo Decembri Mogontiaci Rhenum transit, Triburiæ castra facit, considet, maiores copias expectat. Quæ vbi conuenere, aduersus filium infesto, intentoq; exercitu Hodonnam procedit. Rector Boius nefas ducens, filium cum parente ferro decernere, sortem suam supremo numini commendat, in Boiariamque cedit. Iubet eos, qui suis rebus fauebant, sibi consulere, ad Augustumque redire. Hique ab Alberto Cæsarianarum partium dynasta, ingentibus pollicitationibus, & spe veniæ ad Pium reducuntur. Proceres Francorum frequenter ad Cæsarem conueniunt, docent, neque se, neque reliquos Germanos pati posse Ludouicum regem Boiorum, & Augustæ Maiestatis hæredem, de omnibus & Republica bene meritum, tantis rebus aduersus Venedos, Imperij, & religionis Francorum hostes publicos, gestis, oppidis, mœnibusque prohiberi, ludibrioque fore

Pipinus Aquitaniæ Rex moritur.

Iuditha legatos ad Lotharium mittit.

Ludouicus insidias sibi structas intelligit, Germanorum opem implorat & impetrat.

Boius.

fore impotentis naturæ animali, & soricibus pestilentibus. Se primaria membra, nempe conditores & authores Imperij Francorum esse, non posse quenquam sine suo consensu rebus imponi: rem sui iudicij esse, armis haud dubiè muliebri audaciæ, pessimorum conatibus obuiam ituros. Proinde (inquiunt) Augustus habeat rationem posteritatis, periculique Reipublicæ: caueat ne hancce dum flagitiosissimorum (qui omnia permiscere, cuncta ad suam potentiam, dominatumque conuertere, rem ad arma deducere studeant, temeritati obsequatur, pessundet atque perditum eat. Admonent, ne quid raptim turbateque agat. Postremò petunt, atque iure suo postulant, vt cum filio omnium optimo ac sapientissimo in gratiam redeat. Imperator hisce commotus verbis, qui, alioqui quippe tenuis, infirmi, ne dicam instabilis animi, vento & nutu consultantium circumferebatur, regi Boio gratiam facit: isque ad patrem supplex venit. His compositis, Pius Francofordiæ hyemat: in Quadragesimali ieiunio Confluentiæ Rhenum transit: inde in Sueuiam pergit, Paschalia prope lacum Brigantium perpetrat. Mense Maio Wormatiam proficiscitur. Huc ex Italia Lotharius, promissis, vt suprà dixi, inescatus, euocatus à patre, venit: à quo honorificè & benignè præter solitum excipitur. Deinde Imperium Francorum, relicta sola Boiaria Ludouico, inter Lotharium, Carolumque connitente Augusta diuiditur. A flumine Mosa Orientem solem, Austrumque versus cuncta Lotharius animo inuadit: regna Occidentalia Galliarum Carolo relinquit: eius tutor Augustæq; curator adpellatur. Adsunt Aquitanorum quidam, qui de nouo rege sententiam Imperatoris expectabant, verùm qui domi remanserant, regem nisi à se creatum aspernabantur, Carolumq; recipere detrectabant. Pipinum nepotem Imperatoris ex filio Pipino, rebus Aquitanicis imponunt, ad regiumq; solium subleuant. Imperator quasi re bene gesta, & ceu omnem discordiæ de diuidundo imperio fenestram præclusisset, seriò triumphabat: lætus hilariorem Lotharium in Italiam dimittit, ipse Aquitaniam petere aduersus nepotem suum constituit: dictitabat, se non inuidere nepoti, sed consulere, ne scilicet ferox eius ingenium, ætasque tenera, leuibus atque proteruis Gallorum, pertinacibus Aquitanorum moribus corrumperetur: eundem apud se in Germania educatum iri oportere prædicabat. Cum coniuge igitur, ac Carolo secum ducto, arma in Aquitaniam mouet, proceres iurare Carolo adigit: refragantes in vincula conijcit, quæstionibus admouet, Pipinum nepoté in Germaniam mittit, educandũ Drogoni Mediomatricum pontifici cõmendat. Interea dum talia in Occidente geruntur, Ludouicus rex Boiorum impatiens doloris, quòd æqua portione regni, auitaque hæreditate (quasi vulgo conseptus, imparéve matrimonio natus) exclusus esset, consilus Germanorum voluntatibus, Sueuorum sibi animos primò conciliat, deinde Francofordiam petit. Quò frequentes ad eum Francorum, Saxonum, Venedorum duces, tetrarchæ, dynastæ, pontifices, sacrifici, monachi, item legati Cimbrorum coeunt. Vbi rex Boius patientiam suam prædicat, inimicorum fraudem proponit, à fratribus bis captum genitorem, à se bis seruatum esse commemorat: egregiam sanè hisce meritis gratiam referri, illis imperia ob parricidia tribui, se ob pietatem velut nothum, exhæreditatum esse: &, si Diis placet, Germaniæ hactenus liberæ dominum muliebri scelere imponi, se semper cum fratribus de virtute certasse: se vt antea operibus studuerit, sic iustitia & æquitate velle superare: petit sui rationem haberi. Fit patrum consultum, Germanis regem apud se educatum cordi esse, placere eius modestiam ac iustitiam, quas iam pridem sensissent, ac experimentis cognouissent. Non placere populo inuicto, nationi orbis reginæ, principem cuius vitam ac mores ignorent. Hyemabat sub idem tempus apud Pictonas in Aquitania Imperator Ludouicus, crebrisque nunciis, item literis fit certior, Ludouicum filium vniuersas Germanias occupasse, in eiusque verba omnes Alemannos, atque Venedos, & Sclauos iurasse: Regesque Cimbrorum, Danos, Suionas, Nordomannos, Gothos, Finnos eidem operam suam pollicitos esse. Hocque tristi nuncio accepto, languore, & pectoris inflatione tentari, crebris singultibus concuti cœpit, causam valetudinis ex mœrore contraxit: pituita, ac distillationibus, quæ aliàs pulmonem, & viscera huiuscemodi vitalia vitiarant, & auctæ tum frigore hyemali, læuoque tumore, intumuere in suppurationem & apostema. Relictis igitur vxore ac filio Carolo in Aquitania, Drogum archiflaminem Augustalem, Albertum magistrum Equitum ad tutandam occidentalem Rheni ripam, & in officio continendos accolas, præmittit: initio Quadragesimæ ex Aquitania egreditur, cum copiis, licet annis, & morbo adfectus, subsequitur: ad Aquas Graneas ante Paschalia cum exercitu peruenit. Peractis ibi festis diebus, Mœno Francofordiam nauigat, ad Herueldense monasterium, Turogósque, vbi filium considere, statiua habere, fama erat, petit. Cùm fines Boiariæ, Nariscorumque nullo hoste obuio adtigisset, Ludouicum filium per Boiemiam, & aliorum Venedorum prouincias magna difficultate, atque haud mediocri discrimine penetrasse, in Boiaria meridionali incolumem degere audit. Porrò adgrauata valetudine retro pedem refert, Salsam vicum regium deuenit: ibi solennes supplicationes facit, triumphumq; Christi concelebrat. Inde Rheni ora, insulis in agro Mogontino circuitis, dum secessu mediamnis, proximè Ingelhaim fixis papilionibus ægritudinem leuare parat, succubuit. Voca-

Imperator in gratiam cũ filio redit.

Ludouicus Francofordiam petit.

Hersfeld.

Vocatis ad se Drogone fratre archimista Cæsareo, episcopo Mediomatricum; Hettone Treuerensi, Ottogerione Mogontino pontifice, cum omnibus mitis in gratiam redit, filio Ludouico ignoscit, supellectilem Imperatoriam distribuit. Diadema, ensem gemmatum, auratumque, sacra & insignia Imperij Lothario legat. Hisce peractis ad cœlum conuersus, diuinisque rebus intentus, nulli posthac negocio prophano animum accommodauit, duodecimo Calendas Iulij, anno vitæ LXIIII. potestatis XXVII. CHRISTI authoris nostri DCCCXL. animam efflauit, & in hac voce defecit, Aus, aus, quod non tam diminutæ, alienatæque mentis signum, quàm atros genios abominantis verba fuere. Nam apud Germanos is sermo abigentis est, declaratque foras foras, hoc est, abi, abi hinc in malam crucem. Corpus Drogo in Mediomatricum vrbem deportauit, in ædem diui Arnulphi, vbi genitrix eius humata erat, intulit, mausoleoque condidit. Supra quàm cuiquam credibile est, mitissimus Pius fuit. Quem si verè cognominauero, haud immeritò pilam fortunæ dixero, in qua iocos, lususque suos illa exercuit: aut vt veritatis placita sequar, in Ludouico hoc, rerum & naturæ parens vim suam planè ostendit: quemcunque, vti vti libet, attollit in altum, & de sublimi rursus præcipitat. Nec est quisquam omnium qui refragari audeat, aut quærere cur nam ita agis? Virtutem illam ac magnitudinem animi, & fortitudinem parentis Pius non est adsecutus: Vis illa immortalis ingenij, quæ in Magno extitit, in filio defecit. Hic magis peruicax in secundis, quàm aduersis fuit, atque in prosperis pertinax, in angustiis mollis, ac minimè resistens fuit. Vxori, animoque nimium indulgens: ad nutum tinearum aulicarum circumferebatur. Minus cautè, parum prudenter pericula cauit. Nec incolumitati Reipublicæ quàm longissimè post se consuluit. Quòd si factum parentis de diuidundo Imperio æmulatus fuisset, haud tam citò Imperium vires Francorum occidissent. Nec tantum armis licuisset, neque tantum sanguinis Christiani, parricidiali bello effusum adhuc Respublica lugeret. Sed nihil versatilius fortuna. Vulgatum apud nos prouerbium est: Summa quæque tandem ad ima rursus relabi, quæ si amplius intendantur, in neruum erumpent: habenisque laxatis sensim, donec occidant, remittuntur. Quibusdam fortè, ac temerè humana negocia volui, agique persuasum est: alij fato, & æterna constitutione, nexuque causarum latentium, & multò ante destinatarum, suum quenque ordinem ineuitabili lege percurrere arbitrantur. Nos ita omnia æternæ, supremæque maiestati subiicimus, vt tamen animi nostri liberi sint motus. Et quisque suo vitio sibi malum accersat: immortalis quidem illa prouidentia, cuius fortuna euertenda est, eius consilia corrumpit. Lothario vbi renunciatum est parentem obiisse, ex Italia in Germanias, Galliasque maturè quàm maximis potest itineribus contendit. Aquas Graneas, regiam & caput Franciæ occupat, Galliarum, Germaniarumque primores accersit, sacramenta sibi dicere iubet. Legatis Caroli & Ludouici, fratrum suorum, qui æquam auitæ paternæq; hæreditatis diuisionem postulabant, consilio Alberti præfecti prætorio (is plurimum apud Lotharium poterat, & discordiam fratrum, quàm concordiam, bellum quàm pacem sibi vtiliora existimabat) respondet, se iam pridem à Pontifice Maximo S P Q R. Imperatorem appellatum, ac Romæ solenni ritu Augustum consecratum, consortem Imperij à parente adlectum, ab eodem insuper testamento hæredem, & successorem Augustalis maiestatis, Imperij, qua latissimè patet, missis eius insignibus declaratum, perniciosam esse Reipublicæ multitudinem principum: Vulgo dici, negligi quod à pluribus custoditur. Quamobrem sibi vt maximo natu, summam rerum à parente, communi procerum Imperij consensu traditam esse. Decere pios filios, bonosque rectores acta parentis, vniuersique populi tueri. Se quidem Ludouico Boiariam, Carolo Aquitaniam, vbi vterque regio more degat, concedere: hac tamen lege, vt hæc regna precario possideant, in fidemque à se accipiant: atque sibi, sicuti Augusto orbis & vrbis domino obtemperent, quemadmodum sub parente, & auo factitatum sit. Hæc vbi ad reges Carolum, & Ludouicum relata sunt, communi consilio Lothario bellum indicunt, armis impetrare, quod iure nequiuere statuunt. Carolus à tergo, Ludouicus à fronte fratrem adgreditur. Is soluto conuentu, ex Aquis Graneis egreditur, coniuncto sibi Pipino nepote, qui in Mediomatricum vrbe educabatur, cum magno exercitu Mogontiacum primariam Germaniarum vrbem, inde Germaniam Magnam, quatenus longissimè, latissimeque porrigitur, vendicaturus petit. Rex Boiorum cum antiquorum Francorum non tam numerosa, quàm valida manu, suburbanis Mogontinis fratrem occupat, retrò pedem ferre cogit. Quippe Lotharius timens robora Francorum cedit, aduersusque Carolum in Occidentem arma conuertit. Interea Ludouicus Francos Orientales omnes, Saxonas, Hassos, Franconas, Turogos, Sueuos, Venedos, Sclauos, proceribus multa largiendo, complura ciuitatibus promittendo, singulos benignè appellando sibi conciliat: in suaque verba iurare pellicit. Orientalem Rheni ripam validis præsidiis confirmat. At Lotharius crebris legationibus eorum, qui suis rebus fauebant, reuocatus, omisso Carolo, è Galliis rursus in Germaniam iter flectit, & proximi anni Aprili quamcelerrimè ad Rhenum procedit. Iuxta Vangionum vrbem eum exercitu clam flumen transit. Ludo-

Ludouicus Pius obiit anno Christi 840.

Ludouici Pij sepultura.

Ludouicus Pius pila fortunæ.

Prouerbium.

Lotharius ex Italia in Germanias & Gallias redit.

Bellum Lothario à fratribus Carolo & Ludouico indictum.

Ludouicus in fugam compulsus.

Ludouicus à suis partim ciuile bellum detestantibus, partim principatum affectantib. desertus, & planè proditus ab hostibus, de improuiso circumuentus, cum paucis vix euasit, in Boiariamque aufugit. Lotharius dispositis præsidiis iuxta Rhenum, ne sibi à tergo bellum immineret, partem ibi copiarum cum Alberto magistro equitum ad prohibendos Ludouici conatus, ad impediendumq;, ne is vires cum Carolo coniungat, relinquit: omnē imperum belli in Carolum conuertit, qui iam ad Mosam, Ludouico se côiuncturus peruenisse ferebatur. Ab hoc rex Boiorum in auxiliū per legatos euocatus, per Sueuiam cum suis absq; cunctatione armatus ad fratrem Carolum properat, fratrisque alterius præfectos sibi resistentes, & iter intercludere cônantes, graui admodum clade afficit, Albertum magistrum equitum huiuscemodi belli nefandi authorem cum plurimis Lotharianis prælio occidit: victorq; nemine omnino prohibente Gallias petit, copias cum Carolo iungit.

Ludouicus victor euasit.

Lotharius cum ingenti exercitu in Fontanedo vico Antissiodorensi (quæ ciuitas Galliç Lugdunensis tertiæ) consederat.

Fontanedus vicus Galliç.

Rex Boius, & Aquitanus armis coniunctis, ad fratrem procedunt, oratores ad eum proficisci iubent, qui pacem offerant, si ille æquam portionem fratribus germanis, vti ius gentium est, redderet. At ille auiditate Imperij excors, nullius salubris consilij patiens, summā rerum mordicus tenere connititur, nec vllam aliam conditioné concordiæ, ne audire quidem, ne dum accipere voluit. Iam enim fatis admouebantur Francorum genti bella ciuilia. Destinati igitur sorti suæ fratres, parricidiali prælio manus conserunt: se cognato sanguine contaminant septimo Calendas Iulij. Acriter diu pugnatum est: vtrinque magna accepta clade, victoria tandem cruenta, Ludouico & Carolo cessit. Lotharius ad Aquas Graneas aufugit.

Lotharius fugit.

Iordanus Osnaburgensis.

Concidere hoc certamine vires Francorum: centena amplius millia hominum hac pugna interiisse author est Iordanus Osnaburgensis: Francique soliti hactenus fines regni proferre, elaboratos ac acquisitos à maioribus ægrè posthac tutati sunt. Carolus & Ludouicus castra fratris diripiunt, corpora occisorum humari iubent. Deinde rex Boius dimisso fratre in Gallia, mense Augusto in Germaniam reuenit, Salsam regium vicum accedit. Lotharius rursus reparatis viribus, & vndecunque suis collectis, ea æstate Mogontiacum occupat, Lotharium filium ad Saxonas mittit, eos ad se Augustam Nemetum properare præcipit.

Lotharius Saxonum opem petit.

Ipse interim Rhenum traiicit, contra Ludouicum intento, infestoque exercitu procedit: exitium regi Boio minatur: eundem non solùm Francia, Boiariave, sed etiam Europa exacturus, vsque Boiariam Franciæ antiquam peruenit. Verùm huiuscemodi minæ in ludibrium versæ, Boij & eorum rex fortiter se, ac fines suos tutati sunt. Lotharius re infecta, Vvormatiam redit: ibi filiæ suæ nuptiis confectis, Gallias petit.

Lotharius re infecta Vvormatiam petit.

Tota hyeme frustra aduersus Carolum arma mouit, nullaque re memorabili gesta, ad Aquas Graneas reuertitur. Inter hæc Rabanus Fuldensis antistes, vir ea tempestate vndecunque eruditissimus, Vates, Theologus insignis, quòd nimis literis deditus, rem familiarem negligeret, à monachis Monasterio eliminatur. Ipse ad Ludouicum regem nostrum se contulit. Primo deinceps vere, cùm ne victus quidem Lotharius à pertinacia resisteret, Ludouicus cum Francorum, Boiorumque valida manu ad Rhenum contendit. Vrbes in occidua ripa sitas, quæ Lotharianæ erant, ad deditionem cogit. Carolus Argentorati ad regem Boium venit. Ambo reges coniunctis viribus aduersus Lotharium arma mouent, X V I I. KL. Aprilis eundem cum metu superioris pugnæ sui dilaberentur, in fugam vertunt.

Lotharius in fugam versus.

Fama erat, ipsum desperatis rebus Italiam petere. Hac de causa Ludouicus & Carolus Imperium Francorum inter se partiuntur. Ludouicus Germanias, Carolus Occidentalia Galliarum ipsi sibi destinant. Lotharius verò reparatis de integro viribus, apud Matisconem vrbem Burgundiæ castra locat, se vallo, fossa munit, denuò aleam belli tentaturus.

Lotharius vires reparat.

Quod vbi Ludouico & Carolo renunciatum est, eò cum suis copiis procedunt. Cæterùm iam omnibus huiuscemodi bella parricidialia detestantibus & abominantibus (nam quibus bellum quàm pax magis cordi fuerat, occiderant) amicis fratrum vltrò, citrò commeantibus, reges reconciliati sunt. Consilium deinde principum virorum habuerunt: in quo placuit, vt quadrageni cuiusque senatores, gnari regionum, locorum coirent, deinde imperium describerent, & iurarent, se absque fraude, doloque malo illud inter fratres partituros.

Imperiū inter fratres reconciliatos diuisum.

Centum itaque & viginti proceres in Germania apud confluentes Mosellæ, Rhenique coëunt, totum hunc annum ibi commorantur. Vrbes, oppida, castella, Imperij membra in libellum redigunt: deinde in tetrarchias diuidunt. Interim eius anni æstate Ludouicus in Saxoniam mouet arma.

Ludouicus in Saxoniā arma mouet.

Serui atque liberti in dominos conspirarant. Oppressa coniuratione, authoribus factionis capitali supplicio adfectis, Augusto mense ad Salsam, vbi regium prætorium erat, ad conuentus agendos proficiscitur. Inde Septembri ad Carolum fratrem Argentoratum pergit, Lothario tum in Dithenhouen diuersante. Insequentis anni Augusto, qui fuit ab seruato orbe octingentesimus, super quadragesimum tertium, Veroduni (vrbs est Cæsariana Galliæ Belgicæ primæ) reges, & centum viginti principes viri coëunt, diuisio Imperij renunciatur.

Virdun in Lotharin. gīa, Virdunum ab aliis dicitur.

Aquitania Pipino datur, Lothario cedunt cognomen Augusti, Romæ caput mundi, Italia victrix quondam gentium, Alemanni & Teutones, qui secundū Iulium Cæsarem, & veteres

Colmo-

Coſmographos, Gallias, Belgicam, Celticamque incolunt. Germania ſecunda, cuius partes ſunt Agrippinenſes, Tungri, Brabantini, Flandri, Toxandri, Hannonij Cameracenſes, Picardi vſque ad Sonnam flumen. Hi omnes quondam inferior Lotharingia dicti. Inſuper Germania prima præter Moguntiacum, Wormatiam, Borbetomagum, Auguſtam Nemetum. Gallia quoque Narbonenſis, quæ & Prouincia, Sequanique, Veſontio Lugdunum, Hedui, Lingones, Burgundia, Gallia Belgica ſuperior, cuius quatuor à Romanis ſcriptoribus primariè cenſentur vrbes, Treuerum Auguſta, Mediomatricum vrbs Leucorum Tullum, & Verodunum, hæc adhuc à Lothario Lotharingia vulgò nuncupatur.

Germania ſecunda.

Gallia Belgica.

Cætera Galliarum, nempe Galliam Belgicam ſecundam, cuius vrbes ſunt Rhemi, Sueſſonum Auguſta, Veromandorum Auguſta, nobis Sanctus Quintinus eſt, atq; Galliam Lugdunenſem, quæ & Celtica, Carolus accepit: eaque pars adhuc regnum Francorum, & Francia Occidentalis vocari ſolet, cuius caput eſt Lutetia Pariſiorum. Ludouico deſtinata ſunt vniuerſa, quæ à Rheni fluentis Orientem ſolem longè lateq; ſpectant: Germania Magna, Rhetia, Sueuia, Vindelicia, Illyricum, Noricum, Pannoniæ, Liburnia, Boij & Venedi. Additi ob vini prouentum in ripa Rheni occidua Mogontini, Vangiones, Nemetes.

Lutetia Pariſiorum.

Hiſce confectis, reges iureiurandi religione pacem ſanciunt: inde quiſque in ſuum regnum diſcedunt: continuoq; à prauis conſultoribus inter Carolum Regem Celtarum, & Pipinum Regem Aquitaniæ ob limites diſcordiæ flamma excitatur. Carolus Aquitaniam crebris incurſationibus infeſtat: Bernhardum limitis Hiſpanici præſidem trucidat. Cæteri Pipini Duces ſeptimo Idus Ianuarij copias Caroli de improuiſo adoriuntur, fundunt, cædunt. Interiit hoc prælio Rhabanus, ſignifer Caroli, & cum eo magnus nobilitatis numerus: hique monachorum magiſtri Richobotus, Hugo patruus Caroli.

Inter Carolũ & Pipinum diſcordia oria.

Bernardus præſes trucidatus.

Rhabanus ſignifer.

Richobotus & Hugo abbates.

Inter hæc Gregorius quartus Pontifex Romanus ex hac vita migrat: cui Sergius, antè Os porci dictus, ſuffragio Imperatoris, ſacerdotum, Senatusque populi Romani ſufficitur. Saraceni ex Mauritania ſoluunt, Italiam inuadunt, Beneuentum capiunt. Rector Germaniæ orientali Boiariæ limiti in Pannonia filium Ludouicum præſidere iubet. Ipſe Venedos trans Albim conſidentes, & ad Orientem vergentes, qui res nouas moliebantur, occiſo eorum regulo Gozomuzilone, perdomitat, Ducesque ipſis Teutonicos, ne deficerét in poſterum, imponit.

Sergius Papa, antè Os porci dictus.

Rhabanus noſter, librum de ſacroſancto domini Deique noſtri vexillo, vt ſupra narrauimus, conſcriptum, per Aſchorichum, & Rupertum monachos Romam Sergio Pontifici Maximi petenti mittit. Quod opus laborioſum noſtro æuo, opera Ioannis Reuchlini, Hebræarum literarum inſtauratoris, ab Thoma Anshelmo diligentiſsimè excuſum eſt. Nordomanni latrocinij ſtudio ex Cimbrica peninſula nauibus delati, ducibus Regnero & Rorico, regnum Caroli inuadunt, ſecundum Sequanæ ripam Pariſios tendunt: monaſterium D. Germani diripiunt: Carolum qui cum Britannis malè pugnarat, amiſsiſque multis cum paucis vix euaſerat, gens ferociſsima pacem à ſe mercari cogit. Poſt hæc Dani domum in Oceano Germanico nauigantes, Friſiam inuadunt, ter pugna cũ Friſiis conflixere. Primo inferiores prælio diſceſſere, duobus noſtres ingenti ſtrage adfecerunt, inde victores reuerſi, in Saxoniæ Cimbrorumque confinio Hamburgium deuaſtant: verùm noſtris ad auxilium paſsim euolantibus retro ceſſerunt pedem.

Dani Friſiã inuadunt. Hamburg deuaſtatũ.

Horuci alias ſed Crãtzius Eric. habet. Heraldus qui & Heroldus baptiſatur, vt Crantzius lib. 1.

Porro Ludouicus Rex noſter conuentum procerum in Saxoniæ Padobrunnæ cogit. Adfuere fratrum, & Erici Regis Nordomannorum legati, item Sclauorum omnium, Bulgarorumque oratores, cum quibus omnibus pax fœdusque confirmatum eſt. Nordomanni captiuos reddidere, ablata reſtituerunt. Haraldus Danus, princeps inter ſuos, philoſophiam noſtram recipit, in Franciaque manere maluit, in Saxonia ſedes & domicilia à Rege noſtro accepit: præcipuo in honore apud noſtros fuit. Boiemi quoque religionem noſtram recepere. Quatuordecim gentis Dynaſtæ, cum popularibus ſuis ſacra aqua luſtrati ſunt: iuſſusque eſt Bachuricus Pontifex Reginoburgenſis Zechos, (ita enim ſua lingua Boëmi nominantur) inſtituere in philoſophia Chriſtiana. Nam Boiemia ab Occidente & meridie Boios ſpectat. Boiariæque finitima eſt, in rebus diuinis paruit Epiſcopis Reginoburgenſibus, vſque ad Diuum Wolfgangum, cuius conſenſu de cætero proprios habuere Pontifices, quos Imperatores noſtri dederunt, ſicuti in quinto narrabimus libro.

Boiemi fiunt Chriſtiani, Zechi qui.

Boiemiæ ſitus.

Non ſolum externi hoſtes Francorum fines infeſtarunt, indigenæ quoque ciuiles inter ſe diſſenſiones concitarunt. Lotharius Bolocratum ducem Arelatenſem, Burgundiones à ſe deſciſcere parantes, vi ad deditionem cogit: armiſque in obſequio continet. Giſalbertus Caroli præfectus filiam Lotharij rapit, in Aquitaniamque profectus eam ſibi connubio iungit. Auguſtus id Carolo annuente, fauenteque factum eſſe exiſtimabat. Ideo par pari referre, expeditionem aduerſus Carolum iniuriam iniuria compenſare meditabatur. Subſequentis igitur anni vere Rex Germanus in Occidentem ad Carolum proficiſcitur. Ibi in conuentu celebri vterque Regum iuramento ſe purgat, inſcios eſſe raptus: neque placere hoc coniugium. Inde Ludouicus ad Lacum Brigantinum reuertitur: pridie nona Aprilis, ibi Paſchalia celebrat, Cæſarem Carolo reconciliare fruſtra ſumma ope nititur. In Auguſto cum exercitu in Morauiam tumultuantem pergit, quæ latiſsima erat. Ab Occidente

Giſalbertus filiã Lotharij rapit & inde bellum oritur.

Morauia.

dente Boiemiæ continuabatur, Orientis ab ora, & Meridie tum cum Danubio, vsq; in Pontum fermè excurrebat, atque cum Europa finiebatur. Eius regulus summus Sclauorum Princeps censebatur. Germanus rector compositis rebus genti Ratislaum nepotē Moëmari imponit.

Ratislaus Sclauorum regulus.

Nitrauæ, Brynnæ, eidemque tractui antea Brynnonem, itidem Venedum præfecerat: per Boëmiam Reginoburgium reuertitur. Vbi vita functo Bathurico, Ariofridum eiusdem vrbis summo sacerdotio donat. Saraceni, quos Mauros nominant, templum D. Petri Romæ, cum vrbem capere non possent, vastant. Templum Diuo Ruperto dicatum Iuuauiæ conflagrauit. Anno deinceps proximo qui fuit æræ nostræ octingentesimus quadragesimus septimus, quies ab armis fuit. Augustus Regem nostrum inuitauit: ipse vicissim ab eo inuitatus est. Huncque annum hi duo fratres, mutuis conuiuiis, venationibus, sagittariis muneribus, equestribus spectaculis, ac cæteris regiis voluptatibus transegerunt.

Lotharius & Carolus fratres reconciliantur.

Attamen Ludouicus, vt Imperat. Carolo Regi Celtarum reconciliaret, frustra operam sumpsit. Nimis impatienter ferebat Lotharius ignominiam sibi ob raptam filiam illatam: nec ab animo eius suspicio illa amoueri vllo pacto potuit, quin hanc technam Caroli esse opinaretur. Eodem anno Ottogerione Pontifice Mogontino mortuo, Rhabanus ille ob eruditionem à Ludouico Rege Archimystes primarius Germaniæ nuncupatur sexto Kalendas Iulij, iussuque Ludouici Kalendis Octobribus Moguntiacum cœtum sacerdotum cogit: viuendi normam sacrificulis præscribit.

Ottogerio qui & Odegarius moritur Anno Christi 847.

Quantumuis enim ager fertilis, solum fœcundum sit, nisi assiduo cultu agricolæ purgetur, spinas, & lolium tibi germinat. Fuit eadem tempestate in Sueuia, agro Constantiensi insana quædam vates Theoda nomine, quæ consilio cuiusdam sacerdotuli, quæstus gratia, freta vilis plebeculæ credulitate (vt sunt animi imperiti vulgi superstitiosi magis quàm religiosi) futura canere cœpit: ambiguisque dictis mortales stultos, stultiores reddebat. Contra scita D. Pauli, muliercula publicè concionabatur: de ministeriis diuinis prophanissimè philosophabatur. & de his, quæ soli Deo nota sunt, temerè pronunciabat. Visus cœlestes simulabat, congressus, collocutiones cum superis, à quibus cuncta disceret, ementiebatur. Extremum fatum orbi terrarum, & illum diem, Poëtis quoque alienis à religione nostra decantatum, impendere isthoc anno prædicabat. Viri, mulierculæ, pueri, puellæ metu perculsi, sturnatim, graculatimque prouolant, munera deferunt, deprecatricem apud Deum immortalem parant. Quidam Stoicidæ, obstipo, caluoque capite, vultu tristi, & sordibus notabilibus duntaxat religionem præ se ferentes, eandem velut Sibyllam, cœlitus demissam, Deoque plenam non solum venerabantur, verùm etiam sectabantur. Nam Pharisæorum hoc genus irritabile adhuc nostra quoque ætate, posthabitis sacrarum literarum fontibus clarissimis, cœnosas lacunas potare solet. isti rabulæ nugis, humanisq; commentis rationaciunculis sophisticis, ac tumultu (vti ait pater omnipotens) carminum suorū, felicitatem collocant, immortalitatemque in figmentis mortalium præceptiunculisque consistere opinantur: quasi verò cogitationes hominum atque DEI plus quàm per Diapasôn interuallum non distent: aut non dictum sit, Iustitia vestra, pannus profluuij menstis muliebris. Sed ad fatidicam illam reuertor. Ea iussu regis nostri, Mogontiacum à Solomone Episcopo Constantiensi deducitur, in templo D. Albani à Rhabano, & cæteris Episcopis diligentius audita, accuratius quæsita, scenam omnem vaticinij sui detegit: se edoctam à quodam sacerdotulo, lucri gratia hæc commentam esse fatetur. Palo igitur & verberibus admota, silere posthac iussa, ludibrio de cætero fuit.

Theoda vates in agro Constantiensi: vide [illegible] Mulier publicè concionatur.

Fuere item in Germania ea tempestate poëtæ, historici diuinæ philosophiæ doctores clarissimi. In Sueuia Strabo, qui & Walfridus monachorum D. Galli antistes. Rhabanus Archiflamen Mogontinus, Germaniæ primarius Pontifex. In Francia apud Fuldam Rudolphus. Hi commentarios in omnes sacræ historiæ libros ediderunt, vulgo Glossa ordinaria nuncupatur.

Strabo, qui & Walfridus. Rhabanus. Rudolphus. Glossa ordinaria.

Circa idem tempus Imperator Lotharius Cæsar Augustus bellum Carolo fratri Regi Galliæ Celticæ, Belgicæque secundæ indicit, atque in eum arma mouere parat. Ne autem hoc fieret, Ludouicus Rex Germaniarum apud confluentes Rheni, Mosellæq; fratrem Lotharim conuenit, iureque suo intercedit. Boiemos eruptionem meditantes per Ludouicum filium reprimit: ferocem populum legatos pacis gratia mittere, & obsides dare cogit. Kalendis Octobribus concilium procerum Germaniæ Mogontiaci celebrat. Oratores Imperatoris, & Caroli fratrum suorum: item Nordomannorum, & Sclauorum audit, & absoluit. Carolus metuens minas Augusti, quo eidem satisfaceret, Gisalbertum, raptorem Cæsareæ puellæ, regno suo excedere iubet. Is confisus clementia Rectoris Germaniarum in Franciam Orientalem aufugit: supplex Moguntiacum ad Ludouicum venit: Regeque nostro deprecatore, à Lothario, qui tum in Dithenhouen conuentum agebat, in gratiam recipitur: cum Carolo quoq; de pace conuenit. Eodem nempe Mogontino concilio Godescalcus genere Belga, professione sacerdos, qui docebat homines quosuis, ineuitabili lege, & necessitate prouidentiæ diuinæ siue inferis, siue superis destinatos esse à decuriis Pontificum nostrorum explosus, ad Hincimarum Rhemorum vnde oriundus erat, Episcopum traducitur: prius sacramento dicto, ne vltra Franciam Orientalem vnquam,

Godescalcus hæreticus. Nō meliora hodie reformati docent. Hincimarus Episcopus de quo & Sigibertus.

vnquam,regnúmue Ludouici adeat. Qui se soluto conuentu, in Boiariam Reginoburgium, hyemandi causa confert. Boiemi rursus,gens belli, prædeque auida rebellant. Ernestus Dux limitis Nariscorum,inter amicos Regis Principem obtinés locũ,cum magno militum,equitum,præsidum,præfectorum numero arma aduersus Boiemos mouet: nostrique castra hostium vallo munita vasto impetu inuadunt,summa vi oppugnát,multi vtrinque sauciantur. Ex nostris Dachulfus procurator Sorabici limitis,vir bellicosus, in genu sinistro sagitta vulneratus. Hostes se viribus rati impares fore tanto exercitui,legatos de pace cum suppliciis mittunt: obsides qui petantur offerunt,imperata se facturos pollicentur,copiamque colloquendi cum Dachulfo,cui magis,quòd is linguam,instituta Venedorũ callebat,fidebant,petunt. Dachulfus igitur Misniæ præses, dissimulato vulnere ac dolore,equo sedens,Boiemos pro castris audit: horum preces ad concilium procerum defert. At quidam ducum inuidia commoti,quòd gloria pacatæ Boiemiæ in Dachulfum transferretur,armis correptis,dum cæteri cum Boiemis paciscuntur, contra fas iusque gentium,in Boiemos nihil mali suspicantes,vt qui de pace cum nostris agebát,impetum faciunt. Venedi inuocato Deo perfidiæ vltore,fortiter resistunt, Teutonas cædunt,sternunt,& quasi pecudes mactant: Francos in fugam vertunt,atque in castra repellunt. Nostris de castris spectantibus,nec erumpere audentibus, spoliant occisorum cadauera: deinde castris vndique circumsistunt, excidium Teutonibus minantur. Nostri euadendi,aut resistendi spe penitus destituti,supplices legatos mittunt, vitam duntaxat petunt. Boiemi obsidibus acceptis,exutos armis, spoliatos bonis, cæterùm incolumes, via publica abire domos permittunt. Iisdem diebus Hochstadij (vicus est agri Mogontini) quidam instinctu atri genij percitus dementia efferebatur: nocensque ille spiritus lingua insani abusus, gloriabatur, se cum collegis suis bello Boiemico præfuisse: discordiam inter Duces seruisse,Teutonas cum Venedis commisisse: authoreque se, plurimum sanguinis humani effusum esse. Dum hæc in Germania Magna, & regno Ludouici geruntur,in Imperio Augusti Roracus Nordmannus (qui ad Imperatorem Pium cum fratre Haraldo aufugerat,ab eodem Dorstadium in fidem acceperat,& precario hactenus tenuerat) falso apud Lotharium perfidiæ accusatur, in vincula coniicitur. Vnde ope diuina elapsus in Germaniam Magnam ad Regem nostrum aufugit, innocentiam suam ostendens. Ab illo benignè excipitur, in confinioque Saxoniæ,& Daniæ collocatur,collectaque populariũ haud parua manu,piraticam exercere,& litus oceani Gallici quatenus Lothario parebat,infestare cœpit. Tandem ad hostia Rheni fluminis delatus, Dorstadium rursus occupat: ibique se aduersus Imperatorem munit. Sed vltrò citrò commeantibus amicis in gratiam cum Imperatore redit: ab eodemq; aduersus gentis suæ latrocinia Dux eiusdem oræ constituitur: Regia vectigalia fisco Cæsaris reddere iussus est. At regnum Caroli Godefridus Cimbrus inuadit: per Sequanamque sursum aduersus amnem proficiscens, circumcirca cuncta deprædatur. Carolus opem Lotharij Imperatoris implorat. Cumque Augustus aduersus hostes suorum copias contraxisset,& manus cum ipsis cóserturus proxime Danos cósedisset,Carolus pacem ab hostibus mercatur,Lotharius domum reuertitur. Fames tum admodum grauis Germanias,maximè circa Rhenum adtriuit. Modius Mogontiacus tritici denis argenti siclis veniebat. Rhabanus Archiepiscopus tum,in vico Mogontinensi Neocella dicto,degebat,quotidiè trecentos amplius pauperes vndique prouolantes pascebat: præter eos qui in conspectu suo quotidie alebantur. Venitque eò mulier quædam inedia adfecta, infantem secum portans, vix limen ædis Pont. adtigerat,collapsa,efflat animá,fame perit. Infans mortuæ genitricis, quasi viuentis papillam lingua,morsuque sensim apperens,spectaculo diro,miserabiliq; cunctos collachrymare,flereque coëgit. Apud Turogos quidam à Grabenfeld oriundus, dum esuriei rabie efferatus syluas cum infante petit, & filium interficere, atque comedere meditatur: iam iamque parricidio manus admouet, subitò,haud dubiè,diuinitus,duos lupos ceruam laniantes conspicit. Euestigiò lætus,manus à suis visceribus abstinet, fera lupos abigit, cadauere feræ vescitur. Accessit ad hoc malum Sorabum defectio, qui crebris incursationibus, igne, præda, Teutonum fines fœdissimè adflixerunt. Ludouicus per Turogos, Misniam hostili animo petit: segetes,fruges, agros,frumenta,vicos,horrea succédit: quæcunque victum administrarent,exurit. Fame hostes ad deditionem cogit. Ad occiduum solem Pipinus Rex Aquitanus à Carolo patruo suo capitur, in ordinemque sacerdotum redactus,in Augusta Suessonum monasterio D. Methardi includitur. Frater quoque eius Carolus more monachorum tonsus in Corbiense cœnobium conditur. Vnde fuga elapsus in Germaniam Magnam ad Ludouicum alterum patruum euasit. Eodem anno Irmogarda ex hac vita migrat. Subsequenti, hoc est, anno Salutis octingentesimo & quinquagesimo,Haraldus,de quo suprà memini, suspectus Ducibus Cimbrici limitis proditionis esse cœpit,pœnasque seu opinati, seu cogitati sceleris dedit. Per idem tempus Ludouicus maximum concilium sacratorum, & prophanorum Mogontiaci cogit. Singulorum controuersiæ auditæ,causæ cognitæ,lites diremptæ sunt. Pax per vniuersam

Ernestus.
Dachulfus Marchio Misniæ.
Dachulfus Misniæ præses.
Teutoni cæsi à Venedis.
Hochstad.
Harald. qui & Heroldus.
Gotfridus Cimbrus.
Carolus pacem mercatur.
Rabani pietas in pauperes.
Sorabum defectio.
Pipinus in monasterio detruditur.
Carolus monachus fieri cogitur.
Irmogarda Augusta moritur.

Germaniam iureiurando firmata. Interfuere Bulgarorum, Sclauorum legati. Rex dimisso conuentu, in Boiariam Reginoburgium migrat: paucis pôst diebus ad Augustum, ad Agrippinensem Coloniam proficiscitur. Inde in Saxoniam pergit. Conuentum Iuridicum ad amnem Visurgim agit, prædia regia, quibus procerum quidam incubabant, neque quicquam tribuebant, recuperat, fiscoque adiecit. Leges Saxonum emendat, Iudices auaritia notatos, iura venditare, munera accipere solitos, albo prætorum eradit, bona eorum confiscat, institutorum veterum, atque legum peritos, pecuniæ contemptores, prouinciis iuris dicundi præfecit. Perlustratis Saxoniæ finibus ad Turogos se confert. Erdfurdiæ itidem concilium gentis cogit, ibi vetiti sunt magistratus patrocinia vendere, aut cuiquam in sua præfectura adesse. Diminutæ sunt causidicorum merces, quorum perfidia nihil venalius. Nec est quicquam, quod Teutonas nostro æuo magis ad summam egestatem redigit, quàm litium calumniæ, & leguleorum aurisuga turba, qui quasi Sardi venales, fora constipant. Hisce rebus legitimè confectis, Ludouicus hybernandi causa in Boiariam, atque Reginoburgium remigrat. In sequentis anni vere Nordomanni compluribus nauibus Oceano Germanico, Belgicoque circumeunt. Hostia tandem Ligeris subitò occupant, ac de improuiso Nanetum vrbem inuadunt, cædibus, incendiis, rapinacuncta complét, Episcopum ciuitatis pridie Paschalium ex more sacrum fontem lustrantem in templo interficiunt, sacerdotes trucidant, omnem latè circa regionem depopulantur. Nemine resistente Andegaues primò, deinde Turonas capiunt: templum ibi Diui Martini comburunt, omnia quasi turbo humi prosternunt. Inter hæc Pipinus Rex Aquitaniæ, auxilio duorum monachorum è cœnobio euadit, fuga sibi consulit. Aquitanorum legati ad Ludouicum in Boiariam Reginoburgium veniunt, ignauiam atque discordiam Regum suorum, sæuitiam atque crudelitatem imminentium hostium commemorant, Regnum Aquitaniæ offerunt, petuntque, vt aut parens, aut filius Ludouicus illuc pergat: Aquitaniam hæreditario iure possideat, in medioque hostium Nordomannorum, & Saracenorum sitam defendat, docent popularibus suis cordi esse Ludouicum, fratres eius displicere: ac nisi postulata impetrent, se desertos à iustis hæredibus, cogi, vt non absque detrimento Reipubl. Christianæ ad externorum opem confugiant. Ludouicus igitur filius à Rege Germaniarum, in Aquitaniam, nationem in fidem accepturus transitum facit. Verùm cum eò peruenisset, longè aliter rem esse, quàm legati narrarant, comperit, timensque leuitatem gentis semper rerum nouarum auidæ, in Germaniam reuertitur. Pipinus rursus capitur à Carolo, apud Syluanectum Galliæ Belgicæ oppidum arctissima custodia seruatur. Nordomanni deuastato crudeliter regno Caroli cum ingenti præda domum redeunt. Vbi ciuile bellum ob gubernacula inter Ericum Regem Danorum, & Gutorinum nepotem ex fratre exarsit. Dani hactenus finitimos latrocinantium more deprędari soliti, in se manus victrices conuertunt, mutuis vulneribus cadunt, vulgus infinitum interiit: Regia stirps, excepto vno infante radicitus excisa est. Apud Wirtzburgum caput antiquæ Franciæ, vicies terra tremuit, grandine, turbine, insolita cœli intemperie, homines, pecudes, agri afflicti sunt. Templum Diui Kiliani nonis Iunij, defunctæ lucis salutationibus, horam nonam nunciantibus, atque perstrepentibus sacerdotibus, subitò fulmine afflatum est, ignisque laquearia lambens, & sensim inualescens, fenestram plerisque euadendi aperuit: sacerdotes tamen quidam veste illæsa extincti sunt. Cæterùm ædes vix seruatis, ablatisque sacris igni concremata est. Muros, deinde sexto Idus eiusdem mensis ventus euertit, & solo æquauit. Godeboldus vrbis Pontifex, & Altaichij inferioris in Boiaria monasterij antistes vita defunctus. Monachi excusso iugo Diui Benedicti, posthac populariter viuere cœperunt, ad mystarum decurias desciuerunt, vsque ad Imperatoris Hainrici secundi ætatem. Ratisolaus Morauis & Sclauis à Rege nostro procurator datus, rebellat, imperata facere detrectat, Regem se appellat. Rathobodus vir bellicosus, qui priore anno præfectura motus fuerat, rursus Austriaco, hoc est Orientali limiti Boiariæ in Pannonia præficitur. Ipse Rex Ludouicus comparata vndique valida manu, Reginoburgio egreditur, infesto intentoque exercitu aduersus Venedos procedit: omnia incendiis, cæde, direptionibus complet, Ratisolaum quodam firmissimo loco se continentem, obsidione claudit. Hostes dum castra nostrorum temerè expugnare nituntur, à Teutonibus acriter excepti, ad internecionem deleti sunt. Rector Franciæ Orientalis desperans tam munito loco absque clade suorum posse potiri, inde cum exercitu discedens, Reginoburgium reuertitur. Satis pœnarum ab hoste se exegisse, ipsum ab armis huiuscemodi insolentia, posthac sibi temperaturũ arbitrabatur. Verùm longè aliter ac rebatur Ludouicus, euenit. Quippe Ratisolaus vbi Regem longius abesse audiuit, hostili animo in Boiariam, traiecto Histro transit, Rathobodum præsidem in fugam vertit, iuxta Comagenum montem cuncta depopulatus est, atque succendit. Sub idem tempus Imperator Lotharius Reipublicæ cura se abdicat, cõuocatis proceribus, Imperium tribus filiis in tres partitur partes: Ludouicum Cæsarem declarat, eidem vrbem Romam, Italiamque tradit. Carolum, qui minimus natu erat, Galliam

[Marginalia:] *Erdfurt.* — *Iurisperiti no.cti, & rabulæ forenses.* — *Nannetum Crantzius vocat.* — *Hæc Crantz. & Sigebert. Pipinus euadit.* — *Vide Reginonem.* — *Sed iterum captus (inquit Regino) infula. Necles castro munitissimo custodiæ mancipatur.* — *Testantur Sigebertus & Crantz.* — *Ratisolaus. Rathobold.* — *Ludouicus contra Venedos.* — *Rathobodus fugit.* — *Lotharius Imperium resignat, an. 855.*

Galliam Narbonensem, Burgundiam obtinere, cætera Lotharij, cognominis sui, prouinciam esse iubet. Ipse Prumiæ (monasterium id est in agro Treuerensi) monachus fit, & in paucis pòst diebus morte obiit honesta, terras reliquit, cœlum petiit, tertio Kalendas Octobris, Imperij anno sexto decimo, Seruatoris nostri octingentesimo quinquagesimo quinto. Eodem anno Hyldescalcus Episcopus Tridentinus (vt nihil auarius vulgato etiam prouerbio inueniri sacerdotibus solet, quęstum, sicut ait Paulus, religionem putant:) vineas Episcopi Fruxinensis apud Pisonium Coloniam Boiorum ad Isaci, & Athesis confluentes, occupat. Anno Episcopus rem ad Ludouicum Regem defert: is Pontificibus diem dicit, apud Aybling in publico Boiorum conuentu, vico superioris Boiariæ, in ripa Mangualde: iure disceptare iubet. Qui causam cognouere Iudices, vineas Fruxinensi templo addixere. Defuncto Lothario, proceres, & Pontifices regni Lothariani, ad Ludouicum Regem Orientalem Francofordiæ frequentes coëunt: Lotharium filium Imperatoris ad patruum deducunt, ibique Regem salutant. Lotharius Thietbyrgam sororem Hugberti vxorem ducit. Sub idem tempus Rhabanus Archiepiscopus pridie nonas Februarias ex hac vita migrat. Hatto quoque Fuldensis præsul decedit. Ludouicus Rex Mogontinis Carolum nepotem suum ex fratre Pipino Rege Aquitaniæ, Fuldensibus Theodonem præficit. In Orientali Boiorum limite filium suum Carolomannum maximum natu Venedis, Morauis, Bulgaris opponit. Ipse comparatis copiis, per Sorabes Albim transit, Venedos trans Albim considentes (vbi quondam Sueui fuere) prælio superat, ad obsequium redigit: & acceptis obsidibus, tributarios facit. Cecidere ex nostris cum compluribus Bardo, & Herpho præfecti equestres. Ludouicus Boiemiam quoque percurrit: inde hybernatum in Boiariam Reginoburgium se confert. Deinde Februario vt adpellaret Lotharium nepotem, ad Confluentes Mosellæ, & Rheni proficiscitur. Postea Vangionas ad conuentus agendos petit. Roracus Nordomannus Dorstadij præfectus commeatu accepto à Lothario Rege, honestaque missione exauthoratus, res suas nauibus imponit, ad Oricum Regem Danorum migrat. Ab eo ducatu in ceruice Cimbricæ peninsulæ, inter mare & Egidoram flumen donatur. Inter hæc apud Sclauos, nationem Germaniæ Magnæ, tum populosam, tum ferocem, tumultuatum est. Schlauitza, Witztrachi Boiemiæ dynastæ filius cum fratre de potentatu contendit: fratrem Boiemia exigit, principatum occupat: & Regi nostro non est audiens dicto. Germanus ad Regem exul profugit, ab eoque ducatum impetrat. Ernestus Dux limitis Septentrionalis Boiariæ, Rudolphus præfectus prætorio, Odgerus Episcopus Aichstadiensis cum copiis in Boiemiam pergunt, exulem Boiemum vi reducunt, popularibusque imponunt. Schlauitza fuga sibi consuluit, ad Ratisolaum Regem Morauiæ elapsus est. Carolomannus filius regis nostri coactis copiis ex Boiaria, quatenus Austrum, Orientemque solem spectat, cum Brynnone regulo Venedorum, qui Danubium accolebat, arma in Morauos mouet. Copias Ratisolai cædit, fundit, vniuersam Morauiam (vbi quondam Quadi, Sueuorum natio, ac Gepidæ & Daci, qui Getæ & Gothi, consederunt) præda, igne, ferro depopulatur: segetes succidit, agros, domos exurit, pecora abigit: captiuos pueros, puellas, viros, fœminas, ciues, agricolas, seruos, nobiles abducit: vsque ad Suartzam amnem cuncta luctu, cæde, rapinis complet. His denique coactus Ratisolaus, legatos primùm pacem petitum ad Carolomannum præmittit. Accepta fide, deinde supplex aduenit: regioque nomine abdicato, in verba Carolomanni iurat. Tributa imposita quotannis pensitaturum pollicetur, pacatis itaque Sclauis, cœpere rursus deserta Boiorum habitari, oppida, & vici in Austria, siue Pannoniis instaurari. Ludouicus in autumno consilium Mogontiaci habuit. Iisdem diebus varia prodigia visa, in acta, fastosque relata. Septimo decimo Kalendas Octobris in Agrippinensi Colonia, igneus draco in cœlo apparuit. Ciues territi in templum ad propitiandam supremam maiestatem prouolant. Ibi tum tres simul diuersis locis eodem momento vno ictu fulminis extincti sunt. Apud Treueros in æde sacra, & sella Episcopi, ater canis visus subitò, nusquàm comparuit. Kalendis Ianuariis Mogontiaci maximus terræmotus extitit: templo Diui Vrbani, & muris prostratis. Babyloniorum, Astrologorumve placita, hæc vi syderum existimant fieri. Physici, maximè Aristoteles in causa esse tellurem, naturamque exhalationum, nec ad nos quicquam, resque humanas pertinere arbitrantur. Vulgus & historici Deum emittere, præsagia inauspicata esse, & ex fide iram superûm, aut leua fata mortalibus, præcipuè principibus portendere, sacris quibusdam tamen ac comprecationibus cogi credunt. Vnde procurationes, lustrationesq; huiuscemodi ostentorum, cæremoniasque, & ritus ad Deum Optim. Maxim. placandum instituta à maioribus legimus: quorum plæraque adhuc à sacrificulis obseruari solent. Sed hæc equidem arbitrio cuiusque existimanda relinquo. Illud secundum Aristotelica Peripateticorum placita certum est, nihil aliud esse in terra tremorem, quàm in nube tonitrum. Quippe vtroque inclusus spiritus luctatur: & erumpere, atque ad libertatem exire, à cardineque, vt natura exhalationis est, ad apsida sursum

Lotharius monachus fit. Lotharij mors 855.

Hyldescalcus Episcopus Tridentinus. Boizen colonia Boiorum. Anno Episcopus Frisingensis.

Lotharius Thietbyrgā ducit vxorē. Rabani mors. Hattonis mor.

Carolus Episcopus Mogontinensis. Carolomann.

Roracus qui & Roricus Rex. Oricus Rex.

Sclauitza.

Raschla Rex.

Schvvartza amnis.

Deserta Boiorum.

Prodigia varia.

Terræ motus Moguntiaci.

Tremor terræ quid.

ſum tendere nititur. Hyldegarda filia Ludouici noſtri tum deceſsit. Rector Teutonum Venedorumque menſe Februario Forchaimium accedit, inde Vlmam oppidum Sueuiæ ad conuentus agendos pergit. Ibi legatos Imperatoris Ludouici Nothingum Epiſcopum, Eberhardum præfectum audit: cum Auguſto nepote ſuo ex fratre, pacem, ſocietatem renouat. In media Quadrageſima Francofordiam diuertit: ibi Paſchalia celebrat. inte ante diem octauum Kalendarum Maij ad Confluentes Moſellæ, Rhenique amnium migrat: vti Lotharium alterum nepotem ſuum adpellaret: qui vti condixerat, nec venit, nec nuntios miſit. Carolus enim Germanus Lotharij, filius Lotharij Cæſaris, & frater Ludouici Imperatoris Romani, Rex Galliæ Bracharæ, ſiue Prouinciæ, atque Burgundiæ abſq; liberis animam efflarat. Carolus Rex Celtarum, nepotis regnum inuadere conatur. Lotharius armis reſiſtit. Imperator quoq; Ludouicus fratri Lothario auxiliares mittit copias, de potentatu cum Carolo contendit. eaque controuerſia hoc pacto compoſita eſt. Carolus ab hisce terris decedit, Lotharius cum Carolo aduerſus Ludouicum Auſtriacum conſpirationem facit, & cum fratre Auguſto regnum diuidit. Cæſar Galliam Narbonenſem vltra Rhodanum, citra verò Lotharius Burgundiam poſſedit: eiusque ducatum inter montem Iuram, & Cottias Alpes (illæ nunc Peligardi, hæ Diui Bernardi nuncupantur) dat Hugberto, fratri coniugis ſuæ, quem Zaringiæ Ducem longo poſt tempore cognominarunt. Nunc ſunt Ichtlandi, Sedunenſes, Valeſij pars Suitonum. Ludouicus Rex Orientalis Francofordiam redit, dumque ibi moraretur, vnum illud propoſitum habebat, interiora regni ſui in pace continere: à finitimorum iniuria defendere. Itaque limites validiſsimis firmare præſidiis inſtituit. Ideo delectus habet, exercitus luſtrat, tyrones legit, copias ſupplet. Aquiloni, & ſinui Codano aduerſus Danos & Venedos transalbianos Ludouicum filium: Orienti contra Morauos, & Bulgaros itidem filium ſuum Carolomannum præſidere iubet. Sic enim exiſtimabat, Germanias, regnumque ſuum tutiſsimum fore, ſi Cimbri, quorum maxima & eximia virtus erat, & Venedi, atque Sclaui, quorum ob multitudinem authoritas ſumma eſſet, exercitus continerentur. Ab Auſtro Imperator Ludouicus in Italia amicus erat. Ipſe Rex Franciæ Teutonicæ in Occiduo ſole Francofordiæ concedit: eoque eiusdem anni Iulio Adelhardus præſul, Otto dynaſta cum compluribus, qui in Germanias ex Galliis odio Caroli profugi abierant, ex Occidentali Francorum regno ad Ludouicum adueniunt: ſe de ſua omniumque ſalute, è communi totius Franciæ Veſtriacæ conſenſu legatos eſſe docent. Vbi data copia fandi, primò calamitates, ſtrages, miſeriam, ærumnas popularium aperiunt: ignauiam deinde Caroli, atque crudelitatem commemorant. Referunt eum ſuperbè & crudeliter imperare: nobiliſsimum quemque tollere, in eos omnia exempla cruciatus, leui admodum ſuſpicione edere, ſi qua res non ad nutum, aut ad voluntatem eius facta ſit. Hominem eſſe meticuloſum, temerarium, imperitum, non poſſe eius imperia diu ſuſtineri. Landbertum, qui ducatum inter Ligerim & Sequanam tenuerit, dolo interfectum. Iuuianum virum potentem, atque nobilem, ſimili fraude circumuentum periiſſe. De Gothberto quoq; equeſtri præfecto, & cōpluribus aliis, Caroli iuſſu capitale ſumptū eſſe ſupplicium. Hisce de cauſis Britannos, veteres Francorum inimicos exuluiſſe animos: è corpore ſuo ſibi Nomenoium Regem creaſſe, ab impoſito Francorū iugo non ſolum reſiliiſſe, ſed etiam tra iecto Ligeri, omnia vſq; Pictonas crudeliſsimè incendiis, cædibus, præda adtriuiſſe: vicis, ædificiis incenſis, ciues occidiſſe, templa, oppida, agros, frumenta ſuccendiſſe: virgines ſtupraſſe, coniugibus vim intuliſſe: atq; cum ingenti captiuorum numero, onuſtos præda domū incolumes reuerſos. Carolum accepto damno in Britanniam cum pluribus legionibus, & auxiliariis Saxonum copiis (quorum ductorem Witechundum itidem in Saxonia ortum Andegauenſibus præfecerit) hoſtili animo contendiſſe: Saxones in prima acie collocatos, vt primum impetum gens bellicoſa exciperet: vim, imbremq; ſagittarū nequiuiſſe ſuſtinere, ſed retrò pedem ad Francorū agmen retuliſſe: propterea quod Britanni equis depugnant, ſagittis plurimū valent. Et nunc ſubditis calcaribus equo, quaſi perrupturi aciem, atq; homines iumentaq; perculſuri, vaſto impetu aduolant, ſpicula plurima ſimul ſpargūt, rurſus elabuntur: modò vrgent, modò aufugiunt. Cominus, eminus pugnant, adeò vt cedendo, an inſtando pernicioſiores ſint, diſcernere non ſit in promptu. Francos cominus ſtrictis gladiis decertare ſolitos, nec fugacem hoſtem perſequendi ob grauem armaturam idoneos: neq; conglobatos in acie conſiſtentes ab pluuia ſpiculorū tutos, facile ſuperatos, grauiſsimum vulnus, maximam ſtragem accepiſſe. noctem prælium dirimiſſe. Carolus cum bis malè pugnaſſet (pergebant legati) ſuis deſertis, ipſis ignorantibus clam nocte intempeſta aufugit, relicta omni Regia ſuppellectili cum papilionibus. Exercitus Francorū vbi ſe proditos, deſtitutos à Rege vident, fuga dilabuntur: fugientes hoſtis perſecutus plurimos trucidauit, pleroſq; viuos cepit, potitusq; caſtris, opimis ſpoliis, Regia Gaza, opibus, armis, cultu Francorū in Britanniam victor reuertitur. Et licet hæc detrimentoſa ſint, tamen domeſtica ſęuitia crudelitatē hoſtiū ſuperat. Preterea poſtremò legati deinde docēt, ſe inuitos cogi vt aut ad hoſtes à legitimis hæredibus, neceſſariisq; ſuis deſciſcāt, aut domo emi-

Imp. Ludouicus de potentatu cum Carolo contendit.

Mompelgart. S. Bernarts-berg. Ducatus Zaringiæ. Ichtland. Valles.

Ludouicus filius Ludouici. Carolomannus filius Ludouici.

Legati ad Ludouicum.

emigrent: aliud domicilium, alias sedes remotas ab hostibus, inimicisq; petant. Quippe futurum esse paucis annis, vt omnis nobilitas omnis senatus, omnis equitatus tollatur, nisi quid auxilij in germanis cognatis, parentibusque suis, atque in Ludouico eorum rege siet. Francos occidentales tot aduersis defessos, ad orientales Franconas fratres, & consanguineos suos confugere: illos à Germanis ortos, antiquitusque ante aliquot annos ab Hylderico magno rege, Germaniæ transductos Rhenum, partim agri bonitate & loci fertilitate, partim bellandi gloria in Gallia consedisse: Romanos qui tum ea loca tenebant, expulisse, atq; nuper à Germania diuulsos esse, cupere in corpus Germaniæ rursus redire: Ideoque ad Ludouicum Teutonum, Venedorumque regem, propter iusticiam prudentiamq; summam rerum, omni voluntate deferri. Orare igitur, vt is auxilium ferat, in Occidentale regnum transeat: magnum eius nomen atque opinionem esse, authoritate sua, fama exercitus, totque bellorum prospere gestorum in diuersis locis, aduersus bellicosissimas nationes triumphis, Galliam omnem ab iniuria inimicorum, hostiumque posse defendi: Rempub. tot populis, tot regnorum salutem, tot egregios Senatores, ciues, Equites, sacerdotes præferendos priuatæ necessitudini, vniusq, homuncionis auaritiæ: Decere eum imperare, qui cæteris sapientia, bonitate, fortitudine præstet: Vtilius fore imperito cedere & parere prudenti rectori, qui nauem in tempestatibus & fluctibus gubernare, & conseruare calleat, quàm aduersis superis temerè clauum arripere, se & alios perditum ire. Ludouicus omnibus his rebus auditis, spatium deliberandi sumit, diutius cum amicis consultat, animo fluctuabat, quid nam ageret. Incertus erat in Galliam proficisci, miseris auxilium ferre, opitulari supplicibus: Necessarios non deserere, honesta ratio erat. At contra fratrem arma mouere, eius hæreditatem contra religionem iurisiurandi præter fas & æquum, spreta sanguinis necessitate intercipere, sceleratissimum ac planè impium videbatur. Accedebant malignè cuncta interpretantium crimina. Quem enim fore, qui hæc syncero animo, vtilitate Reipublicæ fieri credat, ac non potius auiditati imperitandi tribuat? Rursus tantam fortunæ benignitatem vltrò oblatam è manibus dimittere: eos qui ad suam fidem confugerint, derelinquere ac deserere, neque suæ, neque populi Germani dignitatis esse statuebat. Deuictus igitur cùm precibus oratorum, tum consilio Senatus persuasus, in occidentalem Franciam proficisci decreuit. In Augusto itaq; apud Wormatiam Vangionum vrbem, copias vndecunq; contrahit: cumq; valido exercitu per Elsatiam, Burgundiamq; in regnum Caroli fratris sui procedit. Ciuitatem Senonum, tertiæ prouinciæ Lugdunensis caput, dedentibus se ciuibus accipit. Sunt autem Senones in Gallia Celtica, iuxta Ptolomæi, Iulij Cæsaris, Antonini Pij Augusti descriptionem, proximi Belgis, Parisijs, Trecassibus, atque Burgundionibus: ab illisque tertia Lugdunensis Galliæ portio, Senonensis prouincia à Romanis cognominata est, qui in ea octo primarias vrbes enumerant. Ipsam Metropolim Senonum Agendicum Cæsari, & Agedicum Ptolomæo, Carnutum oppidum, Gebanum, Autricum, Antissiodorum, Tricassium, Augustobonam, Aurelianos, Parisiorum Luteriam, Meldos: hi sunt Melodunum Cæsari. Atq; si Straboni credimus, Senones à Sueuis Germaniæ populis oriundi sunt: qui antiquitùs & in Gallias, & Italiam ex Germania Magna, ob loci fertilitatem, bonitatemque soli migrarint. De his satis, superque pro necessitate rei dixi, ad historiam redeo. Ponticone vico regio frequentes Francigenarum proceres ad Ludouicum coëunt, in verba eius iurant: pauci admodum præstò non adfuere. Nimirum illi qui cum Carolo versabantur. Istum iuxta Ligerim amnem cum Britannis pacem fecerat: eos in societatem muneribus illexerat. Nam Nomenoius rex Britanniæ animam efflarat: Heroboius filius eius pacis, quàm armorum studiosior, se & omnia Carolo permisit, ei fidem, se in eius potestate fore dedit. Carolus ducatum inter Ligerim & Sequanam aduersum Britannos Ruperto viro bellicoso, quem nostri Iudæ Machabæo comparant, & ex Saxonia cum patre Witechundo in Galliam migrarat, commendat. Ipse vbi certior factus est, Ludouicum fratrem, haud fraterno erga se animo intra regnum suum considere, intento infestoque exercitu aduersum eundem procedit, in Briacoque castra facit. Cum autem robori orientalium Francorum, & eorum qui à se ad Ludouicum desciuerant, viribus imparem esse, proinde prælium sibi detrimentosum fore animaduerteret, quasi modò pugnam conserturus aciem instruit, verùm cum paucis clanculum se subducit. Exercitus vbi Imperatorem, pro quo decertaret abesse, se relictum sensit, continuò ad Ludouicum transit: eidem sacramentum dicit. Sæuit posthæc ignobile vulgus, Carolum persequendũ censebat. Vix Ludouicus tumultum populi furentis authoritate sua compescuit: periculosum fore dictitans huiuscemodi insequendi temeritatem: prius missis speculatoribus, vbi nam gentium hostis agat, quidue rerum moliatur, explorandum: ciuilia negocia regni antè cognoscenda, componendaque esse, regnique res in ordinem ac pacem redigendas esse. Omnibusque hisce rebus confectis, consilio procerum Galliæ, Austriacum exercitum certissima auxilia in Germaniam dimittit: nec quenquam timens, nimiumque sui securus, fretus his imprudenter, qui suo fratri fidem non seruarant

Ludouici auxilium imploratur.

Ludouicus legatorum precibus locum dat.

Senones.

Senonensis prouincia.

Senones Sueuorum natio.

Nomenoius rex Britanniæ.

Heroboius.

Rupertus vir bellicosus.

in Gallia hyemare decreuit: ibique sex omnino menses commoratus, & Conradi præfecti filios ad speculanda, obseruandaq; acta fratris proficisci iubet. Atq; hi, quod multo minus ipsis sub Ludouico astutiore, quàm sub Carolo tardioris, hebetiorisq, ingenij licebat, ad hunc, vt ab eodem gratiam nouo scelere inirent, deficiunt. Ludouicum quemadmodum anteà Carolum deserunt: muneribus & præmijs corrupti aperiunt, Ludouicum secarum sui cum paucis admodum ociosè agere. Carolus vbi isthæc accepit, quoscunque potuit, partim minis, partim pecunia ac pollicitationibus singulos deniq; benignè ad pellando, veniam præteritorum & emendationem promittendo, ad suas partes trahit, sibiq; clam conciliat: & Ludouicum nil tale metuentem occupare meditatur. Plebes mobilitate & leuitate animi nouis Imperijs studebāt: potentibus qui vulgò occupare regnum destinarant, præsentanea potestas, rex propinquus displicebat, longinquum accerserant, vt eo rursus in Germanias remigrante, atq; pacandis Venedis, Danisq; remotissimè à Gallijs in extremo terrarum angulo occupato, interim alienis auspicijs, reiecta inuidia dominationis in Ludouicum regnarét: nutu suo omnia administrarent, amicos subleuarent, inimicos opprimerent. Et profectò grande periculum Ludouico iniunctum fuisset: quippe haud dubiè desertus à suis in potestatem inimicorum venisset, nisi aduersæ res in Germania eundem seruassent. Forte fortuna Venedi, Sorabes dicti, ac absente rege imperata facere detrectabant: rebelles spiritus sumpserant. Zistibertum ducem Ludouico amicissimum prælio occidunt. Inde finitimos Turogos, Saxonas, Francos, Boios crebris incursationibus adfligunt. Hoc vbi Ludouico enunciatum est, quàm celerrimè maximis itineribus ex Gallia, occidentalique Francia, vbi hyemarat, primo vere in Germaniam ad tumultum hunc comprimendum contendit, reuersurus, vbi hostes oppresserit, ac Germaniam Franciamque orientalem pacarit. Carolus vbi frater discessit, nemine omnino resistente cuncta recuperat facilius, quàm amiserat. Est in Germania Galliaque Celtica, haud procul à Bingio oppido, vbi Nauas flumen Rheno miscetur, pagus Camonti (quasi tu dicas caput montium) vulgò dictus, quod ibi initium montium, qui cum Rheno procurrunt Aquilonem versus, inditum à Romanis loco nomen est, dum ea loca possiderent, atque incolerent. Ibidem hisce diebus desertor, ac perfugi spiritus multa miracula edidit: circulatorias præstigias lusit, incolas infestauit. Primò vmbra feralis à nemine quidem conspecta, lapides in homines iactare, pulsare fores cœpit. Mox sub humana effigie pestilens, ac nequissimus ille genius delitescens responsa reddidit, furta prodidit. Criminatus quoscunque nota infamiæ aspersit, discordias, simultates excitauit. Paulatim horrea, casas omnes succendit, atque exussit: sed vni molestior extitit: perpetuo eius lateri, quocunq; diuerteret, hærens, atq; domum comburens. Et vt viciniam vniuersam in necem innocentis concitaret, ob scelera illius hunc locum infamem, ac deuotum esse prauus mendaciorum faber, iactabat. Coactus est homo sub dio manere. Ab omnibus enim quasi lemuribus nocturnis sacer, tecto arcebatur. Atque vt ille confinibus satisfaceret, candens ferrum manibus portauit, ac cum non violaretur, insontem se comprobauit. Nihilominus tamen in agris frumenta eius in aceruos compositos, idem lar contaminatus ac perditus combussit. Et cum odiosus indies magis atq; magis esse pergeret, coacti pagani, rem ad Pontificem Mogontinum deferunt. Sacerdotes missi agros, villas, sacris ac comprecationibus solennibus lustrali aqua, saleque lustrico expiant, atque conlustrant. Praua, ac conturbata mens, primo quidem retinebatur, ac lapidibus quosdam vulnerauit: verùm diuinis carminibus incantatus, efficacibusq; supplicamentis adiuratus tandem conticuit: nec vsquam gentium appauit. Vbi discesserunt mystæ, spiritus ater atq; pestilens rursus adest. Interim dum illi, inquit, caluastri sacrificuli, nescio quid immurmurarent, sub lineo amiculo sacerdotis (nominatim huncce notabat) qui meo suasu filiam hospitis sui superiore nocte compressit, delitui. Atq; hisce relatis ingenti edito eiulatu, vmbra feralis ex illis migrauit sedibus loca ritè lustrata reliquit, tenuesque euanuit in auras. Quoniam tempus admonuit, haud alienum fuerit à suscepti operis proposito, de candenti ferro, aqua feruente, & singulari certamine, & huiusmodi cæremonijs expiatorijs, prætoriisque paulo altius rem repetere. Maiores nostri religiosissimi mortales, magis Deo, quàm sibi confidebant, plus diuinæ iustitiæ, eiusque promissis, quàm suo ingenio aut sapientiæ innitebantur: potiusque cœlestibus decretis quàm suis opinionibus stabant. Officijs omnibus, atq; actis supremum numen interesse voluerunt: eaq; demum rata haberi, quum diuinum auspicium addixisset. Cuncta quasi in theatro superûm, despectantium in conspectuque Dei Opt. Max. geri statuerunt. Proinde in causis ambiguis, maximè criminibus, quæ nullo humano testimonio comprobari poterant, ad cœlestia beneficia, ad summam maiestatem, quæ falli non potest, tanquam ad arbitrum honorarium, & iudicem omnium confugiebant. Senatus, populus atq; sacerdotes, qui singulare certamen spectatum frequentes venerant, interim sicuti in lege Salica lego, diuinā opem implorabant: beneficia memoriter cōmemorabant, quæ in simili negocio deus immortalis Christus seruator noster, ipsis pro sua benignitate, atq; clementia contulisset. Admonebant promissorum, exempla recitabant:

Ludouicus à suis deseritur.

Zistiber dux

Naua, qui ab alijs Nauas. Camonti vicus.

Hoc etiam Sigebertus scribit sub anno Domini 858.

Maiores nostri nobis religiosiores.

rabant: comprecabantur vt summa potestas in re præsenti, pollicita re, sicuti hactenus semper factitasset, comprobaret. Et quæ sua esset iustitia, innocenti adesset, victoriamque cœlitus concederet. Reo eligendi, atque conducendi quemcunque vellet, copia fiebat. Criminator ipse pugnare cogebatur. Candens ferrum, aquam feruentem, suis supplicamentis consecrata esse à mystis, in antiquis sacrificiorum libris reperio: ea ad faciendam fidem subnecto. *Ferrum candens.*

DEVS IVDEX iustus, fortis & patiens, qui es author, & amator iustitiæ, qui iudicas æquitatem, indica domine quod iustum est: quia recta tua iudicia sunt. Qui respicis super terram, & eam facis tremere. Tu domine omnipotens, qui per aduentū filij tui Domini nostri IESV CHRISTI mundum saluasti: & per eius passionem genus humanum redemisti. Tu hanc aquam per ignem feruentem sanctifica, qui tres pueros, id est Sidrach, Misach, Abdenago, iussione regis Babylonis missos in caminum ignis seruasti. Tu clementissimè præsta, vt si quis innocens in hanc aquam feruentem, manum mittat, sicut tres pueros supradictos de camino ignis eripuisti: & Susannam de falso crimine liberasti: ita Domine manum illius saluam & illæsam perducas. At si quis culpabilis, vel incrassante diabolo cor induratum, præsumpserit manum mittere, tua iustissima pietas hoc declarare dignetur: vt in eius corpore, tua virtute manifestetur, & anima illius per pœnitentiam saluetur. *Consecratio aquæ feruidæ.*

DEVS IVDEX iustus, qui author pacis es, & iudicas æquitatem, te suppliciter rogamus, vt hoc ferrum ordinatum ad iustam examinationem cuiuslibet dubietatis faciendam, Benedicere, & sanctificare digneris. Ita si innocens (de prænominata causa vnde purgatio quærenda est) hoc ignitum in manus acceperit, illæsus appareat. Et si culpabilis atque reus, iustissima sit ad hoc virtus tua, in eo cum virtute declarandum: quatenus iustitiæ non dominetur iniquitas, subdatur falsitas æquitati, per Dominum nostrum, &c. *Consecratio ferri.*

Atque hæc, tantum abfuit, vt impia iudicarentur, vt sanctissimos pontifices, principes Christianissimos, viros atque fœminas sacratas, vsurpasse istas purgandi cæremonias inueniam. Istud tum erat sapere, fidem deo habere, omnem spem in ipso collocare. Nostro sæculo nihil minus. Quippe nihil aliud est quàm delirare, deumque immortalem irritando ad iracundiam prouocare. Solet idem factum, vt video, diuersis ætatibus, hîc pietatis, alibi erroris, nomen accipere. Nec nobis superstitio sua, impostoresque impientissimi desunt, quid ante paucissimos, nempe, vt opinor, duodecim haud amplius annos, Dominicani Bernæ apud Suitones, dum morionem nobis adorandum, factitiumque Franciscum conantur exhibere, moliti sunt, ab alijs abundè Romana, Teutonicaque lingua, enarratum est. Equidem illud præterire facinus non possum, quod opera Chunegundæ prudentissimæ atque nobilissimæ fœminæ, genitricis principum nostrorum anno abhinc quinto detectum est, non satis mirari possum, qui fiat, vt huiuscemodi præstigijs libentius quàm Christi seruatoris nostri atque comitum & legatorum eius vaticinijs admonentibus, huiuscemodi pestes cauendas esse fidem habeamus. Nullum est tam impudens mendacium, quin testes & fautores, maximè eos qui sibi matæologiæ (hem lapsus sum verbo, Theologiæ volui dicere) principatum vendicant, inueniat. Et vt paucis fabulam narrem. Anna laminita, Augustæ (quæ Rhetiarum caput est) multos annos cibo & potu omni se abstinere, cœlitus, spirituque duntaxat viuere, ementita est, insuper colloquia superûm, nocturnos Deorum congressus finxit, qui sibi quædam diuinitus reuelarent. Quæ non solum stolidum vulgus, indocta plebecula, sed etiam sanctuli illi nostri magistri credidere. Noui Theologiæ professores (vt ipsi putant) omnium præstantissimos, qui illius belluæ amicitiam vltrò adfectarunt, eamque pro dea coluerunt, & eius testimonio, in rerum diuinarum disputationibus, scriptisque libris vtuntur. Quid de socordia episcoporum, sacerdotum impietate commemorem? hi veneficam meretriculam quotidie sacris aris Christianæque cœnæ conuiuam, quasi Iouis nunciam admouere. & lupa tecta ouina pelle tamdiu (stultis ad eam pecudibus vndique confluentibus, & sanctitatem eius venerantibus haud tuto seque illi committentibus) in ouile Dei grassata est, & diutius scortum vilissimum orbi Christiano (ea est diligentia Pastorum) imposuisset, nisi impientissimum prostibulum vocatum monachium à Chunegunda, sanctissima fœmina matre principū Boiariæ, sorore Cæsaris Maximiliani, in conclaui seclusum, deprehensum atque admonitum foret, vt de cætero mentiri, populumq; fallere desineret. At scortillum egregium Augustam reuersum pertinacius suos mores, (ita sunt ingenia malorum) tutatur, cœpitq; sanctissimam fœminam Boiorum primariam mendacij arguere. Quamobrem Chunegunda omnem rem fratri Imperatori literis prodit. Huius igitur iussu laminita illa sanctissima nectare & ambrosia tot annos pasta, finibus Imperij eliminatur, ad Suitones cū ingentibus opibus quas religione peperit, concessit, militique robustissimo ob diuicias in manum venit: nunc ob scelera submersam esse prædicant, taceo, quot stupra, quot incestus sub pretextu religionis in illius domo commissa fuerint. Faxit Deus Opt. Max. & meliorem mentem det pontificibus nostris, vti omisso luxu fastuq; diuitem principem tenebrarū sequi desināt, fallacissimi mundi huius caduca atq; fragilia bona fastidiant, Christū pauperem æmulentur, eiusq; calicem

calicem bibere, eius crucem humeris portare, tandem discant. Ita fiet vt vulgò malè vltrò non audiant atq; castigentur, quòd gregem Christianum, populum Dei peculiarem compilent, venundent, deglubant, & tanquam escam panis deuorent, adeò vt tolerabilior miseris foret conditiò sub imperio Turcarum. Sed malè ominatis verbis parcamus, ad rerum ordinem redeo. Ludouicus Germanus ex Gallijs reuersus pacatis Venedis per duces, Wormatiam venit, ad fratrem Carolum, & nepotes Ludouicum Augustum, Lotharium, regem, legatos ad placandum fratris animum ire iubet. Eiusdem legationis hæc sententia fuit: Se rogatum, vocatumque in Gallias venisse, non oppugnandæ, sed conseruandæ Galliæ, concordiæq; firmandæ, ac sui muniendi causa exercitum eò transduxisse: ne quid ob intestinas simultates, ciuilia, ac externa bella, imminentibus sæuissimis hostibus Respub. Francorum detrimenti caperet: se temporis gratia auspicium, & occidentale Imperium occupasse, cum nouis initijs, nouis hominibus, nouo denique rege ad res stabiliendas opus esset. Ideò compositis rebus se in suum, nempe orientale Imperium decessisse, integrumq; regnum iusto regi abscessu suo fiducia restituisse. Petere igitur vti dies constituatur, vbi conueniant, & de communibus omnium rerum statibus colloquantur, in communeque consulent. Postremò, si cuiquam iniuriam fecerit, se satisfacturum pollicetur. Amicis deinde vltrò citroq; missis, die constituta, tres reges orientalis, occidentalis, medioximus, iussis cæteris in ripa Rheni consistere, cum admodum paucis, quos quisque de alterius regno nominatim delegerat, iuxta Antoniacum oppidum, in insula quadam coeunt, manusq; iungunt. Primus Ludouicus excusare cœpit potentum Caroli perfidiam, auaritiam, ambitionemq; lethalem: se vt fratrem conseruaret in Gallias profectum, ne is bello Britannico occupatus, à suis desertus interciperetur: atq; Galliæ, ea vulgi gentilicia est leuitas, ab imperio Francorum ad hostes Franci nominis deficerent. Carolus accepta excusatione, vltrò citroq; multis verbis habitis, purgando tempus teritur: quisq; regum de tinearum & soricum fraude doloq;, ac de primorum auiditate inuicem conqueruntur. Placuit tandem communem omnium Francorum conuentum Basileam in autumno indicere. Hisce peractis, principes, quisq; domum suam discessere. Ludouicus Theodonem Fuldensem antistitem ad Imperatorem Ludouicum nepotē suum, & Nicolaum primarium pontificem Romanum legat, petitq; vt ipsi quoq; oratores suos ad superius cōcilium mittant. Theodo Romæ honorificè excipitur, defunctusq; Imperio regis, cū epistola primarij sacerdotum in Germaniam redit. Interea Ludouicus Basileam proficiscitur: verùm nec Lotharius nec Carolus, vt condictum erat, eò accessere. Ludouicus è Basilea reuersurus in Boiariam, ad lacum Brigantinum procedit: vbi Theodonem redeuntē ex Italia obuium habuit. Lectis literis episcopi Romani, Reginoburgium in hyberna se confert. Theodo Fuldam redit. Basilea (quoniam eius mentio incidit, quam & Basiliam in vetustis exemplaribus vocatam reperio) Colonia quondam Romanorum in Gallia, Germaniaq; Celtica, nomē accepit à L. Minutio Basilio legato populi Rom. Ab his qui Romanas descripsere prouincias, Sequanis adtribuitur. Regio eadem adhuc ibi nomen vetus vulgò seruat. Sequanorum autem nouem à Romanis oppida numerantur: Vesoncio, Colonia equestris, & Rauriaca, quæ & Augusta Rauricum, quam duo millia passuum supra Basiliam interijsse, in villas abijsse à peritis eius regionis accepi. Auenticum Heluetiorum caput, Veronam esse autumant, aut prope. Basilea, Vindonissa, vbi hybernacula Romanorum militum, exercitusque fuere. Argentuaria, Colmaria est. Heluetium quod Slettstadium esse aiunt. Ebrodunum, siue Abucini. Hasque vrbes Burgundi, dehinc Sueui, vtraque gens Germanica, Romanis pulsis occuparunt. Nam hæ sedes quas nunc Sueui tenent, non sunt eorum genitale solum: sed fuere domicilia quondam Rhetorum, Heluetiorum, Sequanorum atque Rauracorum. Est etiam triplex Sueuia, sicuti Strabo noster in Sueuia ortus narrat, quæ suo tempori, & sexto libro seruentur: nunc cætera exequi pergam. Hyems præter solitum longa, acutaq; fuit: niue sanguinea pluit. Sinus Hadriatici maris, vbi Venetiæ conditæ sunt, congelauit: à continenti in vrbem vehiculis, equis, plaustris onustis mercibus, vltrò citroq; commeauit mercator. Ludouicus rex, Carolus frater eius, & Lotharius nepos illorum, reges Francorū, apud Confluentes inter Mosellam atq; Rhenum conueniunt, paxque inter tres duces in hoc fœdus componitur, quod iureiurandi religione conceptis verbis sancierunt. Ludouico, qui maximus natu erat, præeunte hoc modo: Ita me Deus adiuuet, vt ego posthac, quàm diu vixero, istum fratrem meum Carolum, & nepotes meos, imperatorem Ludouicum, & Lotharium amabo, atq; pro viribus adiuuabo, fautor & consultor aduersus omnes homines ipsis adero. Non regnum eorum praua cupidine adfectabo, nec vitæ insidiabor. Dabo equidem operam vt principatus, quos obtinent, perpetuò cum prole possideant, quoad per ipsos licuerit, & ipsi vicissim erga me fecerint. Atque isthæc omnia syncero animo, absque dolo malo agam: vt Christi domini deique nostri in omnibus rebus voluntati obtemperetur. Eius scitis stetur: eius religio & pietas vera propagetur: bona pacis & iustitiæ confirmentur: discordia, lites, controuersiæ minuantur: & populus Christianus à deo immortali nobis com-

Theodo Abbas Fuldensis.

Vide Am. Marcel li. 30. Basilea vnde nomē habeat.

Sequanorum oppida.

commiſſus, ſumma nobiſcum perfruatur tranquillitate. Ad vltimum vnà ſimul, curſu noſtro in hoc procelloſo, ſæuo, turbulentiſsimo mari defuncti, portum contingamus æternum. Subſequenti anno, qui fuit Chriſtianæ æræ octingenteſimus ſexageſimus primus, Ludouicus pòſt Paſchalia in Boiaria Reginoburgij conuentum egit. Ibi Erneſtus, omnes amicos regis dignatione vincens, & qui principem locum inter purpuratos, & amicos regis hactenus obtinuerat: item Vto & Beringerius fratres atque Sigardus præfecti equeſtres: Valdo monachorum antiſtes, cum pluribus alijs tribu & decurijs moti, in ordinem redacti ſunt, quòd munera ab hoſtibus accepiſſent. Richerus quoque Boiorum dynaſtes, Ratobodus Boiariæ orientalis limitis præfectus, perfidiæ condemnati, in exilium aguntur. Vto, Beringerius, Valdo fratres ad Carolum in Gallias migrarunt: cæteri domi ſuæ quieti manſerũt: nec vſquam aufugere, aut pedem retulere.

Erneſtus.

Carolomannus filius regis natu maximus orientali Boiariæ à patre præfectus. Duces limitis Pannonici, Carnicíque Angelſcalcum, Wilhelmum, & Babonem, quòd inter ſe diſsidentes occaſionem Ratiſlao rebellandi, atque terram deuaſtandi dediſſent, dignitate abdicat, terris à patre commiſsis exigit. Illi hoc iuſſu regis Ludouici factum ſuſpicantes, ad Ratiſlaum Morauiæ regulum ſe conferunt. Carolomannus limitibus Boiariæ, Carnis, & Venedis ſuos amicos præficit. Vnde nata ſuſpicio, quaſi deſciſcere à patre, Auſtriámque, hoc eſt, orientis regnum ſibi vendicare tentaret. Et vt varia ſunt in aula ingenia, plerique omnia in maius tollere ſueti, planè cauendum parenti filium dictitabant. Quare Carolomannus Reginoburgium feſtinans contendit, rumorum de ſe temeritatem arguit: parenti actorum rationem reddit, eidem ſatisfacit, ſe in eius poteſtate futurum iurat, inde in Auſtriam redit.

Carolomannus.

Porrò Ludouicus accepta excuſatione filij Mogontiacum, vt Lotharium nepotem adpellaret petit: deinde arma in Venedos trans Albim Saxonibus conterminos mouet. Tabomyzilonem regulum gentis ad officium redigit: eundem filium ſuum, & alios pleroſque nobiliſsimi cuiuſque filios obſides dare cogit: poſthæc Reginoburgium ſe confert. Hiſce diebus Meínradus Augiæ diuitis monachus, primus incola deſerti Claronæ, vbi vetus Colonia quondam Romanorum, Turicum ad marginem eiuſdem cognominis tum cubat, duodecimo Calendas Februarij à latronibus perimitur. Poſtea ſolitudo ea in celeberrimum conuerſa eſt templum, quo frequens populus adhuc coit.

Ludouicus in [illegible] arma mouet.

Dum autem Ludouicus Reginoburgij hyemat rurſus grauis tumultus in Boiariæ regno excitatur. Vehemens incendium inter filium ac parentem (adeò infida eſt ſocietas regni) ſuſcitatum, paucorum cum ruina reſtinctum eſt. Ratiſlaus Venedorum regulus (qui vt ſuprà diximus ſe in clientelam Carolomanno dicarat) aduerſus Brynnonem amicum Ludouici, itidem Sclauorum, qui Danubij oram aquilonarem tum incolebant, ducem, hoſtili animo cũ exercitu procedit, eundem prælio ſuperatum occidit.

Brynno occiditur.

Angelſcalcus & Wilhelmus, qui pulſi à Carolomanno fuerant, ad Ludouicum ſe conferunt: publicè grauiter Carolomannum parenti criminãtur: dominationis adfectæ, cogitati parricidij accuſant: eius iuſſu Ratiſlaum arma reſumpſiſſe, Brynnonem fideliſsimum regi occiſum eſſe calumniantur. Addunt in ſummo denique periculo omnium amicorum regis ſalutem, ac dignitatem verſari, quibus aut filius aut parens offendendus ſit. Ludouicus vocata concione, fidem illorum laudat, milites paganos ſacramenta ſibi denuò dicere iubet: filium hoſtem iudicat, contra Rempublicam feciſſe videri decernit. Teſtatur homines, deumque quoad viuat, nunquàm in gratiam cum filio rediturum, illum repulſam paſſurum: nec vnquam in aliquo apud ſe honore futurum. Expeditionem deinceps ad Charionum regionem aduerſus cum meditatur. Angelſcalcum & Wilhelmum dignitati reſtituit.

Angelſcalc. & Vuilhelmus dignitati reſtituuntur.

Eſt genus hominum peſsimum, qui cuncta vtilitate, & dignatione ſui metiuntur, & primi omnium eſſe volũt. apud hos nihil eſt nefas, modò libidinem animi expiant, ac compotes voti fiant. Hi cum in amicitiam principis dolo ac fraude, aliaúe quauis ratione irrepunt, frontem perfricant, cuncta ſibi ſeruire concupiſcunt, in ſuamque dominationem trahere nituntur. Quaſi tineę ac mures, optimos quoſq; ſibi diſsimiles, quos ſuis conatibus obſtaturos ſuſpicatur, arrodunt: eoque vecordiæ procedunt, vt malis gaudeant, atq; ex incommodis aliorum ſua vt comparent commoda. Et quo ſcelera lateant, odijs, ſimultatibus, armis omnia miſcent: fratres cum fratribus, parentes cum filijs committere haud erubeſcunt, fallaciarum fabri aſtutiſſimi. Quantumuis bonus, cautus, prudens fuerit princeps, decipitur, fallitur, venditur. Ab huiuſcemodi fumi venditoribus iſtiuſmodi, vt leuiſsimè dicam, commenta non tam difficilia explicatu, quàm incredibilia imperitis ſunt, ipſi qui experti ſumus vix oculis & auribus noſtris credimus, quas inſidias paucis antè annis in aula noſtra atque regno ſtruxerit: quos tumultus concitari, quid turbæ, quid machinari, quid rerum moliri. Quam nam diſcordiam inter fratres germanos ſerere ſtuduerit. Hieronymus Stuphius præfectus prætorio, nulli procerum vniuerſæ Boiariæ: quod negari non poteſt, ſiquidem bonus eſſe voluiſſet: eloquentia, opib. prudentia, natalib. ſecũdus, vulgò notum eſt, vt de quo quarto ab hinc anno, in celebri atq; frequentiſsimo Boiorum cõuentu Ingolſtadij ſuppliciũ ſumptum ſit. Carolomannus omnium rerum ignarus, ex Charinis ad parentẽ Reginoburgium

Carolomannus de hoſtili patris animo certior fit.

de

de triumpho gratulaturus properè contendit. In itinere fit certior de inimicorum acerbitate & animo in se hostili parentis. Insolito nuncio territus, quàm maximis potest itineribus Charionas petit: ibi se munire, ac defendere, ibi obuiam ire, atq; scelera animaduertere, statuit: donec missis oratoribus ad parêtem, innocentiam suam, scelera sibi falso obiecta in authores atq; criminatores retorqueret. Interea Ludouicus collecto exercitu, quasi aduersus Ratislaum profecturus, cum Bulgarorum auxiliaribus copijs suas coniuncturus, Reginoburgio egreditur. Verum omnê vim belli in filium conuertit.

Ludouicus belli vim in filiū cōuertit. Gundaker.

Gundagrius dux copiarum Carolomanni, clam à Ludouico corruptus (nam sibi ducatus Charinorum si ad Ludouicum deficeret promissus fuit) missus, vt Muræ fluminis, Drauiq; vado regem arceret, adituq; prohiberet, cum omnibus copijs transit ad Ludouicum, à quo Charionibus præficitur.

Carolomannus proditus.

Carolomannus cum videret se proditum, accepta principû fide, dissimulata perfidia suorum, fretus de innocentia sua, testeq; deo, intrepidus sanè, atq; imperterritus, nihil hæsitans, in conspectum parentis venit, Regem reuerenter salutat, cæteros benignè adpellat, hilarem ac lubentem se facit: vt nihil sibi conscius plus licentiæ, nihil pauoris ostendit, lætus cōuiuia agit, aleam exercet, spectaculis equestribus, sagittarijs muneribus, venatibus indulget.

Mens sibi conscia recti nihil timet.

Nec conscientiæ notas, scelerisúe indicium (cùm difficile sit crimen non prodere vultu) quispiam aduersariorum in ipso ore deprehendere quiuit. Iisdem diebus Carolus episcopus Mogontinus è vita decedit, Ludibertus à rege allegitur Ludouico. Qui vbi Carolomannum filium Boiariæ regno excedere, in Francia antiqua consistere iussit, atque is obedienter obsequitur, impetum omnem belli in Ratislaum Morauiæ rectorem conuertit.

Carolus dux Aquitaniæ filius Pipini regis episcopus moritur anno 863.

Augusto mense Danubium cum omnibus copijs superat, in munitissimo castro Douina dicto, hostem arctissima obsidione claudit. Pacem supplicem petere, obsides, quos imperaret, dare, eundem de integro sacramentum dicere, in clientelam se dicare, atq; idem proceres eius facere cogit. Hisq; ex sententia gestis, victor in Boiariam reuertitur. Septembri deinceps in oppido Tusconis cum fratre Carolo conuentum agit: ibi omnium rerum obliuio decreta est, fœdus & amicitia denuò renouata. Si quid posthac ambigi contigerit, aut quippiam controuersiæ natum fuerit, iure potius, quàm armis disceptandum esse statuunt: atq; cum arbitros, qui causam cognoscant, de negocio pronuncient, vterque regum de alterius regno, Ludouicus Hincmarum Rhemensem, virum eruditum, Galliarum primarium pontificem, Angelramum præfectum equestrem: Carolus Ludbertum Moguntinum Germaniæ summum sacerdotem, Adelfridum sacræ philosophiæ antistitem capiunt. Dum talia fiunt, Carolomannus perquam fidos amicos ad reges, patrem, & patruum legat, innocentiam suam, pietatem, benefacta prædicat: inuidiam omnem in aduersarios cōuertit: inimicorum facinora, perfidiam commemorat. Huiuscemodi (inquit) nebulones, concordiam regum exosam habent armis omnia miscent, paci, vbi eorum opera superuacua est, præferant bellû. Vbi enitescunt, ac ditantur, & sæuiciam, latrocinia, peculatum, furta, alias facinorum pestes licentia armorum occulât. Quippe vbi summa tranquillitate omnia pacata sunt, nihil huiusmodi impunè licet. Hæc dum per legatos parenti aperit, Carolomannus, confisus Boiorum, atque Charinorum voluntatibus in Boiariam pergit. Qui vbi de Carolomanni aduentu certiores facti sunt, omnes à Gundagrio, qui ob perfidiam inuisus erat, deficiunt, ad filium regis certatim coëunt. Exagitante eum scelerum conscientia ad Ratislaum Morauum aufugit. Hetzilon filius Brynnonis limiti Charionum à Carolomanno præficitur: ipse Mosaburgium arcem construxit: templum ibi Adalbinus Salisburgensis episcopus dedicauit.

Mosaburg. in Charinthia.

Ludouicus ope fratris cum Carolomanno filio in gratiam redit, eique post sua fata regnum Boiorum destinat. Posthæc Francofordiam proficiscitur, quo Arsenius episcopus, Imp. Ludouici, Nicolai pontificis Romani nuncius venit. Actum de fœdere & societate redintegranda, sicuti pridem inter Imperatorem, fratrem eius Lotharium, atque inter patruos horum Carolum Galliæ, Ludouicum Germaniæ Magnæ regem conuenerat. Hanc ob rem ad Agrippinensem Coloniam concilium indicitur, cui Ludouicus & Carolus fratres interfuere. Lotharius non venit, Arsenius cum Ludouico Francofordiam redit, leges fœderis quas Ludouico eius germano, cum Imperatore, & Lothario nepotibus suis constituerant, accipit, Romam ad Augustum pontificemque refert.

Arsenius episcopus.

Wernherus Francorum satrapes, quod à Ratislao munera acceperat, ipsum à rege deficere, bella mouere cohortatus fuerat, dignitate mouetur. Ecce mox aliud tibi impium bellum exardet. Ludouicus filius Ludouici regis nostri, ægrè ferens sibi preferri à parente Carolomannum fratrem, sicut germanorum quoque gratia rara est, prauis vsus consultoribus, quos ob flagitia, rex capite deminuerat, in ordinem redegerat, atque aula eliminarat, aduersus genitorem conspirat.

Wernherus dignitate mouetur. Germanorum gratia rara.

Wernherum, Vtonem, Berengarium coniunctos, iudicijs, dignitate ob perfidiam abdicatos, socios, adsciscit, restituturū se illos pollicetur. Deinde missis nuncijs ad Turogos, & Saxonas, adolescentes, inertiæ, ignauiæque deditos, qui alea, libidine, ganea patria, obligurierant bona, sollicitat: item obæratos, inopes, egenos, quibus nullæ diuitiæ, & qui vetera oderant, noua exoptabant, atq; odio suarum rerum, quippe egestas sine damno habetur,

betur, omnia mutari studebant, sibi conciliat. Præterea quoscunque moribus, aut fortuna nouis rebus idoneos credidit, per se, aut per alios in partes trahit: postremò socios sibi quoque adiungit, pro factis iudicium timentes. Posthæc Hainricum præfectum militarem ad Ratislaum proficisci iubet, qui Morauo persuadeat, vt à tergo regem adoriatur, se à fronte occursurum. Hæc vbi parens rescíuit, Carolomannum ad tutandum Boiariæ regnum relinquit, ipse properè in Franciam transitum facit. Vndique omnes quibus charior fides quam pecunia erat, euolant ad regem: omne scelus filij detestantur, factum abominantur. Nemo in tanta rerum turba fuit, qui quidem arma ferre potuit, quin certatim procurreret Francofordiam ad regem: adeò vt parens longe superior filio esset. Et nisi indulgentissimus pater huic parcere maluisset, haud dubiè præsentes pœnas parricidialis conspirationis dedisset. Ludibertus archimystes Mogontinus, alijque pacis magis quàm armorũ studiosi, profecti ad filium persuasere ei, vt armis abiectis, exauthorata prauorum sentina supplex ad patrem veniret. Nam horum consilio obsequens Vuormatiam in Nouembri ad genitorẽ pergit, se peccasse fatetur: veniam erroris precatur, & impetrat. Nicolaus quoque Pont. Max. vbi hæc ei renũciata sunt, ad filios Ludouici dedit epistolam, in qua iure suo philosophabatur, de honore parentibus exhibendo, docebat, atque hortabatur regios iuuenes, vt parenti obtemperarẽt, id esse voluntatem, præceptumque supremi parentis, legemque æternam naturæ. Interea in Boiaria Carolomanno Gundboldus præfectus, & ipse res nouas molitus, rebellat, prælioque cum filio regis dimicat: sed victus amisso exercitu ipse vix fuga euasit. Ludouicus rex in Boiariam hyematum Reginoburgium reuertitur. Oratores Bulgarorum ibi regem deprecantur, postulántque vt sibi philosophiæ sanctæ periti mittantur, qui popularibus suis pietatis Christianæ elementa tradant, religionemque interpretentur. Facilè id impetratum est a rege pientissimo. Iubentur illuc proficisci Irmenricus pontifex cum mystis, & diaconis. Itaque ope regis nostri gens Bulgarorum in Misnia, Mæsijs habitans, abdicata multorum deorum superstitione, ad ouile Christi reducti sunt. Auares quoque, atque Hunnos, qui in Dacia trans Histrum infra Tibiscum, Moësis oppositi tum considebant, atque Pannonia, Norico, a Boijs eiecti sub Carolo Magno erant, in Venedum nomen transierant, tum Ludouici opera Christi cultum recepisse inuenio. Circa idem tempus ecclesiasticus conuentus Teutonum & Venedorum, iussu regis, apud Vangiones actus est. Mystæ & pontifices Germaniæ Græcorum ineptijs, quas ad eos Romanus episcopus retulerat, responsa reddiderunt. Dúmque talia fiunt, Carolomannus traiecto Danubio Morauos, aliósque Venedos Ratislao parentes inuadit, bis cum hoste congressus, bis vicit. Quicquid terrarum, viginti diebus cum exercitu percurrere potuit, igne, ferro, rapinis deuastauit. Ingenti præda potitus, cum nihil reliqui fecisset, in homines, pecudes, agros, ædificia iuxta sæuisset, incolumi milite in Boiariæ Austriacum regnum mense Maio reuertitur. Sed maiore rursus vi Sclauorum nationes pleræque, instigante Ratislao aduersus regem resurgunt. Boiemi terminos Boiariæ incursant, pagos quosdam incendunt, pecora, mulieres captiuas abigunt, Sorabes, Siusli, Turogos vastant, plerosque nostratium incautis resistere conantes interficiunt. Ratislaus quoque in armis fuit, copijsque suis Gundagrium perfugam, Austriaci limitis quondam ducem, præfecit. Rex Boius atque Francus Reginoburgij quidem substitit, per duces Sorabes, Boiemos rebelles rursus ad obsequium coëgit. Carolomannus filius eius exercitum Morauorum bis fudit, Ratislao maximam stragem fecit. Gondagrium virum bellicosissimum imperatorem eius, cuius consilio Ratislaus, & Venedi toties ab imposito resiliebant iugo, armáque resumebant, prælio occidit: cœleste auxilium adfuisse, diuum Humeranum tutelarem Boiemorum martyrem, huic bello interfuisse scriptores eiusdem tempestatis tradunt. Nam antequam Gundagrius occideret, eum dixisse ferunt ad suos, Ite commilitones fortissimi, vos patriam, aras, focos, coniuges, liberos vestros defendite, me me, mea fata trahunt: venit hora fatalis, nos cœlestis ira vrget. Diuus Hemeranus cuius sacris adhibitis Ludouico regi, eiusque filijs fidem dedimus, scutum atque hastam tenet brachia, oculósque constringit: manus, pedesque, omnes artus, omnia membra loris duriter colligauit, vt ne manum quidem ad os admouere possim. Vix hæc ille fatus erat, nostri aciem hostium, perrumpunt, transfugam occidunt, cæteri more pecudum inulti à Boijs mactantur. Carolomannus potitus tanta victoria, regionem hostium, nemine obuio peragrat, casas, horrea incendit: frugibus succisis nihil intactum reliquit. Incolæ in munitissima aufugere loca. Ipse domum magno captiuorum, pecorum, aliarumque rerum numero repetit. Vbi hæc ad Regem Reginoburgium filij literis delata sunt, supplicatio decreta, grates Deo Opt. Max. actæ honorque habitus omnia tintinabula vrbis commugiere. Dúmque talia in Germania Magna, & finitimis regionibus fiunt, In Gallia, Franciáque occidentali, Heroboius rex Britonum interficitur à suis: Solomon vir bellicosus, rerum potitur. Carolus arma in parricidas mouet. Nec segniores Britanni facere, armati obuiam procedunt, amicis intercedentib. fit pax cum Solomone, quæ cum Heroboio fuit. Vix hæc Carolus arma exuerat, alius belli ardor flagrat. Nordomanni Hastingo

Luitbertus qui & Ludibertus archiepiscopus.

Gundbaldus Carolomanno rebellat.

Bulgari religionẽ Christianam recipiunt.

Conuentus ecclesiasticus

Morani bis fusi.

Gundager prælio occisus.

D. Hemeranus.

Heroboius vna a Sigeberto Heristano d... inter Solomon Hastingus dux Nordomannorum.

duce oram Ligeris inuadunt, Nannetes, Andegaues, Pictones, Turones crudeliter deuastant. Rupertus dux eius limitis, Ranulphus Aquitaniæ legatus collectis raptim copijs, hostibus obuiam pergere contendunt. Quod vbi Dani per speculatores explorarunt, ad classem quam in litore reliquerant, retro referre pedem parant: sed intercepti ab exercitu Francorum, id quod constituerant, facere nequeunt. Templum igitur amplum, & lapideum, quod viæ hærebat, occupant. Pars intus, pars foris quo ad licuit, se properè muniunt. Hastingus cum maximo suorum numero ædem tenebat. Qui extra fanum erant, abs Ruperto & Ranulpho absque cunctatione trucidati sunt: reliqui circũsidentur.

Ranulphus à Crantzio Raginulphus dicitur.

Machinæ, aggeres certatim fiunt à nostris. Postridie templum vndique summis viribus tota die oppugnatur. Vesperi Rupertus æstus de labore impatiens, galeam, & loricam exuit: dumque auram captat, interim hostes de improuiso vasto impetu erumpunt. Nostri correptis armis Cimbros repellunt. Rupertus inermis (subitò vti fit periculo) galea & lorica nudatus, suis opem laturus prouolat, hostes fugientes incautius insequitur. Dum templum cum agmine hostium irrumpere contendit, interficitur: corpore hostis potitur, in fanumq; trahit. Ranulphus quoque per fenestram sagitta vulneratus occubuit.

Rupertus interficitur Ranulphus sagitta vulneratus occubuit.

Andes siue Andegauenses. Crãtzius lib. 2. de rebus gestis Nordmannorũ.

Exercitus Gallorum amissis ducibus obsidionem soluit, domum trepidus & tristis reuertitur. Hastingus cum popularibus nemine prohibente, ad naues progreditur. Hugo abbas, vir iustus, omni virtute præditus, ducatum Ruperti administrare iubetur. Nam filij Ruperti Otto, & Rupertus, adhuc impuberes erant. Nordomanni verò rursus nauibus egrediuntur, prædandi auiditate continentem inuadunt. Andium ciuitatem incolis fuga dilapsis vacuam occupant: ibique se muniunt, cum liberis & coniugibus perpetuò ibi habitaturi. Inde finitimos deprædantur. Carolus vrbem obsidione cingit. Solomon rex Britonum flumen, quo vrbs muniebatur, ab alueo aliò deriuat. Hoc conspicati hostes cum Carolo paciscuntur, pacem licitantur, si incolumes dimittantur, se Gallijs excessuros, nec vnquam reuersuros pollicentur. Accipit Carolus conditionem, obsidionem soluit, copias dimittit. Hostes vbi periculo liberati sunt, nihil eorum quæ cum Carolo pacti erant, seruarunt: Longè plura maleficia fecerunt, nec finibus Galliæ excesserunt, in Gallia sedes posuere. In paucis diebus Solomon rex Britonum à ducibus suis Patiscano, & Vrofando dolo interficitur. Regnum inter se dum hi diuidere tentant, quod minor pars Patiscano faueret, bellum ciuile excitatur. Nordomanni Patiscano auxiliares fuerant: Vrofandus, licet victor, in prælio interijt. Patiscanus paulo post naturæ concedit. Eius frater Alanus, & Iudichilo nepos ex filia Heroboij Britanniam inter se bifariam partiuntur. Plura inter eos quoque fuere prælia. Iudichilo à Nordomannis occisus est. Posthac Alanus solus potitur regno.

Lotharius Tetbergam repudiat. Vualdrada pellex.

Lotharius Tetbergam reginam odio habere cœpit, captus amore & illecebris Vualdradæ, cũ qua adolescens sub patria potestate constitutus consueuerat. Hanc, repudiata Tetberga, iustam vxorem, si liceret, vt libebat, habere auebat. Tetbergam igitur, vt nunquã desunt regibus, perniciosissimum genus hominum, assentatores incesti falso accusant, quasi viciatã ac constupratam à fratre germano, prætextato diuulgant, vt tantum scelus diutino seuerioris religionis iugo expiet, in monasterium redigendam vociferãtur. Guntherus Agrippinensis Coloniæ episcopus, archimystes regius, primò per alios, deindè à rege de hac re consulitur. Lotharius ei omnẽ rem detegit, neptem eius se ducturũ promittit, si eius ope, cæterorumq; collegarũ authoritate Tetberga careret. Guntherus his promissis lactatus, operam suam pollicetur, rem cum Tergaudo Treuerorũ archiepiscopo, non admodum docto communicat. Indicitur conuentus ecclesiasticus. in Mediomatricũ vrbem coëunt omnes regni Lothariani pontifices, præter Hungarium Traiectensem, qui tum ægrotabat. Iure suo illi reginæ diem dicunt: eam in media corona circumsistunt, subornati prodeunt testes, qui præter alia grauia crimina, incestus reginam alligant: ita eam confessam esse testantur. Continuò de huiuscemodi flagitijs scita maiorum, quibus huiusmodi sceleribus pollutis matrimonium interdicitur, recitantur: deinde Tetbergæ sententia episcoporum libellus repudij datur: interdicitur alterius cuiusquã viri connubio, pœnæ qua huiusmodi crimina lueret, destinatur. Rex voti compos, rursus aliud mystarum suorum concilium ad Aquas Graneas cogit: pro concione verba facit, confitetur primò adolescenti ob furorem ætatis cœlibem vitam (quæ potius æternarum mentium quàm mortalium sit) periculosam esse, præterea proponit ob regni publicum bonum, ne id se sine hærede defuncto, discordiæ malis adteratur, se continere non posse, quin det operam liberis. Neque enim cuiuis esse, adolescentiæ sucIplenæ frenos imponere, aut vitam Superûm ducere: proinde petere, vti sibi vxorem, liberûm procreandorum causa, auspicibus sanctissimis patribus ducere liceat. Fit deinde hoc sacerdotum consultum. Quoniam Tetberga incæsti polluta, nunquam iusta vxor clarissimi regis nostri fuit, ac ne esse quidem vnquam ob crimina, quæ vltrò confessa est, potest, principum pientissimo, religiosissimo, iuxta diui Pauli, & magistrorũ religionis nostræ placita, aliud matrimonium indulgemus. Dicto citius, confestim Vualdrada apparatu regio incedit, Regina salutatur, in manusque Lothario datur. At fratres Tetbergæ

Vualdrada fit Regina, & Lothario nubit.

omnia

omnia ad Nicolaum Pont. Max. referunt, qui Haganonem, & Rutholdum simmystas percontatum in Lotharij regnum ire iubet. Quibus rex respondet, se sanctißimorum patrum consulto paruisse. Illiq; Romanenses hortantur quidem regem, vt Agrippinensem, Treuerorumq; pontificem satisfaciundi gratia ad Romanũ episcopum ire iubeat: Verum acceptis muneribus Tetbergæ nequaquã copia adpellandi facta: ab rege dicati, onusti auro Romam redeunt, inscitiæq; omnes Galliæ, Germaniæ episcopos incusant. In paucis pôst diebus Guntherus, & Tetgaudus archimystæ, vt secum omnibus simmystis rite, sapienterque fecisse, Lotharium insontem esse adseuerarent, Romam proficiscuntur: libellum vbi gesta scripta erant, sacro cõcilio, Nicolaoq; exhibent. Illo publicè ab eo, qui scriptum faciebat, recitato, rogati à Romano episcopo, Num hæc ita esse cõfiterentur? Non tam insani sumus (inquiunt) vt authographa pernegemus. Postea nec collaudati, nec confutati iusßi abeunt, reuersuri quando vocarentur. Non longo post tempore Pontifex Rom. senatum, episcopos, sacerdotes, diaconos cogit. Lothariani pontifices accersuntur. Tum consessu omnium acta eorum velut impia, scelerata rescinduntur. Tetgaudus & Guntherus curia pontificum mouentur, albo sacerdotum eraduntur, socij exaugurantur. Illi tam insigni cõtumelia Romæ accepti, ad Imperatorem Ludouicum fratrem Lotharij, qui tum Beneuenti morabatur, veniunt, procacitatis atque temeritatis pontificem Ro. accusant, qui Imperatoriam maiestatem, concionem totam Christianam spreuerit: eaque facta perpetrauerit, quæ nisi princeps atque cæteri templi Christi seruatoris Archimystę omnes authores fiant, rata esse non posint. Imperator frustra operam sumpsit, vti sacerdotes reconciliaret. Nam Pont. Max. per orbem Christianum missis literis, quæ egerit, iure se fecisse adfirmat, pluribusq; verbis & testimonijs comprobare nititur. Itidem episcopi Lothariani acta sua tuentur. Romanumq; sacerdotem iniustitiæ, proteruitatis, arrogantiæ carpunt, arguunt. Verùm operæpreciũ est huiuscemodi epistolarum sententiã verißimè, quàm paucißimis subtexere. *Nicolaus seruus seruorum Dei, Reuerendißimis & sanctißimis fratribus nostris Archiepiscopis in regno HLudouici regis Germani constitutis. Scelus quod Lotharius rex (si modò, qui libidini seruit, nec sibi imperare pôtest, qui stupris, adulterijs regiam maiestatem polluit, Rex dicendus est) perpetrauit, vulgò notißimum est, satis quoque liquet, atque huiuscemodi flagitiorum authores Guntherus, & Tetgaudus, sanctißimi scilicet Archimystæ existunt. Quod de episcopis credere nunquam omnino in animum induxissem meum, nisi ydem non modò vltrò confeßi coram nobis Romæ, verùm scriptis quoque tanquam benefacta impudentißimè perfricata fronte tutati fuissent. Quid multis opus verbis? veritas rustica, aperta, simplex mundicijs est, non eget lenocinio: mendacium vafrum, obscurum, vt verum videatur, fuco & ampullis subleuari solet. Nos qui Dei Opt. Max vicem ouili eius præsidendo defungimur, communi sacri cœtus sententia, ritu solenni acta episcoporum (qui sub pientissimo Imperatore Ludouico, indictione vndecima, mense Iunio in Mediomatricum vrbe conuenerunt) velut impia, nefanda, Christianæ philosophiæ aduersa rescidimus, Guntherum & Tetgaudum duces cæcorum à curia pontificum amouimus, albo initiatorum omnino erasimus. Nemo omnium posthac eosdem in claßibus sacerdotum censeat. Cæteris episcopis, qui istis impientißimis actis subscripsere, si resipuerint, & se peccasse confeßi fuerint, veniamq; supplices petiuerint, gratiam facimus hocq; piaculo resoluimus. Quod si quispiam aliter factitare ausus fuerit, aut illis (quibus à nobis sacris interdictum est) dicto factóue consultor fautor adfuerit, diris deuotus esto, à supremo numine proscriptus, beneficijs diuinis excors, Reipub. Christianæ extorris, transfuga cœlo, cum perfugis laribus, cœlesti patria perpetuò exulato.* Contra hæc episcopi Belgarum ita rescripsere. *Nicolao pontifici, Guntherus ac Tetgaudus patres, episcopi, & fratres coepiscopi nostri, nos ad te misere: ipsi quoq; sponte Romam venimus, acta tibi obtulimus, vt si quid in his peccatum, erratumúe videretur, tu tanquam parens pientißimus benignè cõmonefaceres, atq; vti præceptorem decet, modestè discipulos doceres. Tu verò accepto libello nostro, compluribus diebus nullum omnino responsum, vel per internuncios reddidisti: tantum abfuit, vt in conspectum tuũ admitteres. Nos inter hæc ociosi Romæ sedimus, post mensem pene demum nos accersitos, & absq; cunctatione aduolantes, nihil mali suspicantes, more latronum oppreßisti. Nempe vbi in ædem recepti sumus, pessulo foribus obdito, comites nostros sacratos, prophanos exclusisti. Expoliatos itaq; omni ope humana, turba paganorum, & sacrificulorum tuæ factionis cohorte, sine cœtu ecclesiastico, contra fas, contra decreta, moremq; maiorum nos, circumstetisti: Nemo archiepiscopus, nemo collegarum, nemo pontificum adfuit. Neque tu aut de errore nostro quicquam disseruisti, errorem úe testimonio, ratione aliqua arguisti: sed subitò, & de improuiso, cum lateri tuo hæreret Anastasius monachus ambitus condemnatus, sententiã iniustam, temerariam, nefandam, Christianæ religioni repugnantem, de chartula effutisti, satis proterue tuis fratribus, atque conseruis illusisti. Immortalis Imperator Augustam & sponsam suam clara æternaq; supellectile instruxit, dote non fragili ac caduca condonauit, sed perpetuo diademate, ac sceptro ornauit: fecit eidem potestatem, deditq; copiam, vt viuos consecraret, cœlo adsereret, ægrotos curaret, mortuos immortalitate donaret. Quæ beneficia tu veluti latro intercipis, templo Dei præripis, in teq; transfers. His factus fucus, quibus abuteris, viuos occidis, fortes superis detrahis, vulneribus gladium melle litum condis: mortuos, quibus per te reuiuiscere non licet, ad inferos extrudis. Tu Pontificis quidem personam præ te fers, at tyrannum agitas: sub habitu & cultu pastoris lupum sentimus. Titulus parentem mentitur, tute factis Iouem ostentas. Cum sis seruus seruorum, Dominus Dominorum esse contendis. Iuxta disciplinam*

Libellus vapud Nicolao papa exhibetur.

Tetgaudus & Guntherus dignitate sua remoti, Pontificem iniustitia accusãt.

Epistola Nicolai summi Pont.

Responsoria epistola episcoporum.

Anastasius monachus.

Christi seruatoris nostri infimus eius omnium minister templi Dei: tu verò libidine dominandi in præceps abis: quicquid tibi libet, licet. Fucus factus es Christianis. His de causis, nos cum collegis nostris, neq; edictulis tuis stamus, neq; vocem tuam agnoscimus, neq; tuas bullas tonitruaq; timemus. Tu eos qui senatusconsultis impijs non parent, impietatis condemnas, ijsdem sacrificijs interdicis. Nos tuo te ense iugulamus, qui edictum Domini, Deiq; nostri conspuis, concordiam collegij discindis, pacem immortalem, cœlestis principis tesseram, violas. Spiritus sanctus author est omnium ecclesiarum, quæ longissimè, latissimè, terrarum orbis porrigitur. Ciuitas dei nostri, cuius municipes sumus, ad vniuersos cardines pertinet, maior est vrbe, quæ Babylonia à sacris vatibus adpellatur, vt quæ diuinitatē vsurpat, cœlo se æquat, se æternā fore iactitet, perinde ac si esset deus, immortalisq; sapientia, nec vnquam errasse, neque errare posse mendaciter gloriatur, &c.

Huiuscemodi conuicijs sursum deorsum iactatis, Imperator Romanus, reges Francorum Carolus, & Ludouicus frustrà sibi operam reconciliandorum pontificum, Lotharijque sumpsere.

Guntheri & Tetgaudi mors.

Guntherus, & Tergaudus in Italia obierunt. Lotharius vt fulmen Pont. Max. euitaret, reiecto scorto vilissimo, legitimam coniugem recipere coactus est. Iurauit se vt iustam vxorem habiturū: idem duodecim proceres iurarunt. Verùm hæc concordia non mansit diutius.

Lotharius Tetbergam vxorem repudiatam recipit. Tetberga rursum falsi adulterij accusata, fuga elabitur.

Lotharius illecebris, consuetudineque concubinæ captus, & cum satis alioquin sua sponte insaniret, ab assentatoribus magis instigatus, Tetbergam subornatis testibus adulterij condemnare, deinde de ea, quasi adultera pœnas sumere, siue eandem ad singulare certamen prouocare statuit. Quod vbi ipsa resciuit, clam in Galliam ad Carolum fuga elabitur: Pont. Max. adpellat se regno, marito, opibus cedere, cœlibem vitam, & priuatam, si modò liceat, degere pollicetur. Quod etiam Nicolaus mulieri, nisi idem faciat maritus, pernegat. Scribit igitur Imperatori, scribit regibus Francorum, scribit Lothario, obsecrat, petit, admonet, minitatur, territat, vt aut Lotharius Veneri bellum indicat, aut vxorem recipiat, Vualdradam in numero sceleratarum, impiarumque haberi præcipit. Iubet vt omnes ab ea discedant, aditum, sermonem eius defugiant, ne quid ex contagione incommodi accipiant: vetat petenti ius reddi, vllumue

Prouerbiū.

honorem communicari. Prouerbium vulgò protritum apud Germanos est. Omnia fert ætas. Quæ cum crimina maxima fuere, nostro æuo, modò Senatus Romani consensu fiant, pia censentur.

Ludouicus 12. Gallorū rex Carolus octauus.

Ludouicus duodecimus Celtarum rex, nuper cum Carolus octauus eius discessor obijsset, vxorem sororem Caroli repudiat, indulgenteque Alexandro sexto Pont. Max. viduam Caroli ducit vxorem. Romani pontifices cum adhuc pauperes cum Christo essent, modestiores fuere: nec os suum in cœlum ausi ponere, tantam sibi soluendi legibus, vt libet, permisere potestatem.

Hormisda Pont. Max. anno domini 814. NOTA.

Haud alienum fuerit, de hac re Hormisdæ pontificis Romani verba referre. *Ego me* (inquit) *in hoc periculo immittere non audeo quia nec talia sunt merita mea, vt aliorum peccata in me excipere præsumam: nec tantam eloquentiam habeo, vt ante tribunal Christi contra tales & sanctos sacerdotes, qui decreta statuerunt, causam dicere possim.* Hæc Hormisda. Ego ad Historiam redeo.

Hucbertus abbas & dux frater Tetbergæ.

Hucbertus frater Tetbergæ Lothario rebellat, coacta latronum haud contemnenda manu latrocinia exercet, regnum Lotharij infestat, pulsis, occisis Lotharij præfectis loca finitima occupat: prædia, agros, villas suis commilitonibus distribuit. Frustra contra hos sæpius à rege missus exercitus. Nam illi fauces, syluas, valles, cacumina alpium Cottiarum, Iuræq; montis inaccessa occupabant, quæ intrare exercitus expauit. Tandem tamen Hucbertus à Conrado præfecto occisus est.

Nicolaus 1. moritur. Hadrianus 2. Pont. R.

Lotharius dum Romā purgandi se causa proficisci parat, Nicolaus primus decedit, qui Hadrianus secundus ab Imperatore, sacerdotibus, senatu populoque Romano substituitur. Apud hunc Lotharius innocentiam suam prædicat, pertinaciam Nicolai commemorat, eundem plus credisse mendacijs inimicorum quàm insonti causatur: se tanquam filium Hadriano obtemperaturum promittit. Inter hęc Saraceni Italiam, Campaniam, ducatum Beneuentanum, & vt nunc vocant, regnum Neapolitanum inuadunt. Imperator quo facilius hostibus resisteret, ne paucitas suorum contemneretur, neue viribus impar foret, in auxilium fratrem euocat. Lotharius cum robore regni sui, vndecunq; collecto milite ad Imperatorem in Italiam quàm celerrimè contendit. Fratres coniunctis copijs Saracenos superant, ex Italia proturbant, Lotharius à Beneuento reuersus victor Romam ingreditur: ibi honorificè ab Hadriano pontifice excipitur. Nihil more gentis prætermissum, quod ad ornatum aduentus eius spectare videbatur. Dumq; ibi lætum se ac hilarem facit, subitanea pestis in eius exercitum grassari cœpit. Cateruatim milites, equitesq; sub oculis eius cadunt. Infamem igitur locum relinquere parat: amissis penè omnibus, cum paucis Placentiam octauo Idus Augusti peruenit.

Lotharius moritur. 869.

Ibi die Solis, hora nona obmutescit subitò, animam agit, postridie eius diei fato concedit. Anno Christianæ salutis Octingentesimo vndeseptuagesimo. Eodem huius anni mense Ludouicus Germaniæ rector, tres exercitus, quibus filios præfecit, aduersus Venedos toties rebelles arma mouere præcepit. Ipse morbo correptus Reginoburgij decubuit, desperataq; salute omnem regiā supellectilem, gazamq; pauperibus elargitus est. Interea Ludouicus filius eius cum Saxonibus & Turogis, Sorabes, & socios eorum adgressus. Sorabes bis pugna victos ad deditionem rursus

cogit,

Boiemos ab illis mercede cóductos occidit. Rudolphus dux limitis aquilonaris Boiariæ, Boëmiam inuasit, cuncta igne, ferro, præda, luctu compleuit, Boiemos ad obsequiū redegit. Carolus minimus natu cū Francombus, atq; Sueuis, Morauos, & Sclauos Ratislao parentes sibi deposcit. hostes prælio fusos, in fugam dedit: vrbes incendit, mœnia diruit. Incolæ in syluas se, & res suas condunt. Ratislai munimentum, quod firmissimum ac inexpugnabile credebatur, vi expugnatum. Ratislaus fuga sibi consuluit, in densissimis syluis Hercyniæ delituit. Nam Morauiam, & vniuersas eius cardinis gentes, raras vrbibus, frequentes vicis obumbrat, munitq; Orcinium nemus. Nostri quotidā lucos ingressi, defossa in agris, abscondita in syluis reperiunt, magna præda potiuntur. Carolomannus cū Boijs Suatebogum nepotem Ratislai, debellauit, ipsum sub iugum, à quo resiluerat, misit. Suatebogus se fidem regi, filijs eius seruaturum, quæ imperentur facturum iurat. Hisce perfectis Carolomannus, & Carolus germani fratres victores in Morauia conueniunt: grates Deo Opt. Max. reliquis cœlitibus agunt: inde domos incolumi in lite abeunt. Ratislaus vbi nostros finibus excessisse accepit, prodit è latebris. Erat ipsi molestum, quòd nepos suus regnum à Carolomanno in fidem acceperat. Quamobrem Suatebogo (ita enim nepos illius adpellabatur) insidias tendit: ipsum in vincula conijcere tentat. Conuiuium instruxit, nepotem inuitat. Suatebogus ignarus fraudis, dolique securus aduenit: rem ibi omnem rescîscit. Quidam partim commiseratione, & indignatione facti, partim iure hospitij, spe præmijue illectus, commotus, technam omnem detegit. Suatebogus nauiter dissimulato indicio, dum epulæ, dum cœna adparatur, simulat se venatum Anates cum Aquila proficisci, nec redijt, ita seruatus est. Vbi Ratislao insidiæ non processere, ad vim conuersus, aperto Marte nepotem perdere contendit. Suatebogus accitis Boijs finitimis auxiliaribus copijs, haud imparatus Ratislao occurrit. Fit pugna, Suatebogo vt causa, sic fortuna superior fuit. Ratislai exercitus cæsus est, ipse viuus in manus hostiū deuenit, & Boijs vinctus traditur: & ab ijs ad Carolomannum, ab eo ad regem Regimoburgium deductus est. ibi in concilio Francorum celebri, Boiorum, Sclauorum, perduelliōnis læsæ maiestatis fit reus: iuxta legis Salicæ decreta, supplicio capitali condemnatur. Verum Ludouicus rex pœnam leuat, vitam condonat. Nam oculi Ratislao eruti, postea cæcus monasterio inclusus est. Boiemi quoq; tum Carolomanno se tradunt. Qui transito Danubio, regnum Ratislai, nemine prohibente, resistenteue cum exercitu peragrat: cuncta oppida, castella deditionem faciunt. Quibus Carolomannus suos præsides imponit, rebusque ex animi sententia compositis, regia potitus gaza, in Austriam atq; Charnos se confert. Inter hæc Carolus rex occidentalis, nuncio de Lotharij morte, de fratris aduersa valetudine, Venedorumque rebellione accepto, Lotharianum regnum inuadere meditatur. Inde Attiniacum procedit: ibi ad eum conueniunt Lotharingæ, Ludouicique fratris sui legati, postulantque ne fines regni Carolus intret, donec frater eius salubritate percepta, quem præter ægritudinem Venedi quoque vrgeant, conualescat, & pacatis Sclauis ad Ingelhaim regiam se conferat. præterea Imperator iustus hæres certior fiat: tum consilio amicorum habito, vniuersa iure, non ex libidine transigi posse. At Carolus nihilominus quod facere constituerat, perficere conatur, quanta potest celeritate Verodunum contendit, Hattonem episcopum, ciues sibi sacramenta dicere iubet. Nonis deinde Septembribus Mediomatricos petit, Aduenticium vrbis episcopum, Franconem Tungrensem, Arnulphum Tullensem pontifices, cum oppidanis & compluribus alijs in fidem accipit. Posthæc quinto Idus eiusdem mensis in templo diui Stephani, coram rege, & episcopis, aduocata concione populi, Aduenticius huiuscemodi verba fecit. *Quas calamitates, quæ molestias sub rege Lothario, fratres charissimi, perpessi sumus, sensistis: eius morte perterriti, ad opem cœlestis imperatoris, cuius omne regnum est, cœlos, prece, abstinentia satis ardua fatigamus, vt nobis princeps iustus, clemens, qui nos tutaretur contingeret, voti compotes sumus. Hunc regem nostrum a deo nobis datum, vltrò ambiuimus, sponte eundem in hanc huius regni primariam sedem accepimus. Sed ipsum iam audiamus.* Hæc vbi dicta, Carolus incipit primum omnium: *Populares pientissimi oro, quasi bonum habetote animum, quemadmodum me regem summa concordia designastis atq; recepistis, ita summa ope pietatem inprimis, iustitiamq; colam. Dabo equidem operam ne muteris factum, neue quisquam à sermone nostro tristis discedat, bonos præmijs, malos pœnis exercebimus.* Posthæc Hincmarus archiepiscopus Rhemorum (nam Treuerum pontifex, cuius hoc munus erat, in Italia, vt & Agrippinensis, obierat, nec adhuc alius cooptatus in locum demortui fuerat) cæteris episcopis sacra operantibus, sacerdotibus carmina diuina perstrepentibus, Carolum regio diademate adornat. Quod felix, faustumq; foret, populo adclamante. Plerique procerum quibus hæc displicebant, ad Ludouicum in Germaniam Boiariamque aufugiunt. Carolus deinde ad Aquas Graneas, hinc Neomagum, regias Francorum se confert. Richildam concubinam, cum qua post fata Irmotrudæ iustæ coniugis, rem habere consueuit, vxorem ducit, nuptias ingenti adparatu apud Aquas Graneas concelebrat. Ibi tum Berchtoldum nepotem Aduenticij Treuen[illegible], Hildouinum monachorum magistrū, Agrippinensibus pontifices designat, nuncupat, ipsiq; a Francone Tungrorum episcopo consecrantur.

Rudolphus dux limitis / *Carolus Morauos inuadit.*

Morauia.

Carolomannus. Suatebogus.

Ratislaus vita donatur à Ludouico.

Aduenticij oratio.

Hincmarus, qui & Hincmarus. Carolus rex inungitur.

Richildæ, quæ & Richildis. Irmotrudæ. Berchtolfus. Hildouinus.

Gothardus, Paulus, Leon.

crantur. Eo quoq; tempore Gothardus, Paulus & Leon episcopi, oratores Imp. pontificisq; Rom. veniunt, iubentq; Carolum regno alieno manus abstinere, Lotharingia mox discedere. Ni obtemperet, arma, proscriptionē, atq; per omnium sacerdotum religiones, deuotionem minitantur: non posse alium Lotharij hæredem esse, quam germanu fratrem, Imp. Rom. Carolus respondet, se à libero Francorum populo vocatum, non posse eos deserere, qui ad suam fidē & tutelam confugerint. Inde ratus haud dubie fratri vltima fata imminere, Alsatios petit, Hugonem Leitfridi, & Bernardum Bernardi filium in ditionem redigit. Moxq; Aquas Graneas repetit, ibi natalis Christi anniuersarium sacrum peragit. Interim Ludouicus frater eius maturius expectatione, vigorem animi & corporis recuperat. Viribus itaq; corporis receptis, celeritate quanta potest Calēdis Februarijs Francofordiam festinat. Confugiunt ad eum pleriq; omnes ex Gallia, Germania, Belgica & Celtica, quibus rex Carolus cordi non erat. Luitpertus archiepiscopus Mogontinus, Adlfridus Saxonum Hyldeshaimensis pontifex, vitæ probitate, morum sanctimonia, sapientiaque nobilissimi, ad Carolum legati proficiscuntur, receptiq; ab Agrippinensibus inuito Carolo, Willebertum iussu Ludouici, episcopum vrbi consecrant. Inde ad Carolum se conferunt, hancq; orationem ibi habuerunt. Quoniam (inquiunt) *hactenus tibi ludibrio fuimus, tuq; animo indulgens, consilia, preces, postulata nostra floccifacis, neq; vlla iuris, pietatis, sanguinis ratione habita aliena intercipis, nihil vltra, verbis frustra tempus teremus, factis opus est, armis præcipta repetemus: vi ablata, ferro adseremus. Vulgò apud nos dici soles: Qui aliena appetit, sui est negligens: & nimis multa concupiscens, perpauca adipiscitur, proinde pacem, & bellum hic offerimus. Vtrum uis, mox tibi sume: aut continuò cum omnibus comitibus in tuum regnum, quonis gentium ex hisce discede terris, aut iam aciem instrue. Iam iam inuictissimus rex noster, regijq; iuuenes Carolus, Ludouicus, Carolomannus fulmina belli, victrices copiæ aderunt, ingruent, cum his bellicosissimi & ferocissimi Germaniæ pugnaces populi, nationesq;, ne socijs satis quidem notæ, Sclaui, Venedi, Cimbri Dani, Nordomanni, Abrodita, Boiemi Zechi, Sorabes Marani, Boij, Velatabi, Turogi, Franci, Saxones, Boij, Sueui, Chaniones, & cæteri quos scrupulosius referre superuacuum est. Hi superis fauentibus frenos auiditati imponent, te ferro docebunt, quid nam periculi sit fratrem fallere, & alienam hæreditatem præripere.*

Luitpertus archiepiscopus. Adlfridus episcopus Hyldeshaimensis. Willebertus cõsecratur episcop.

Carolus commotus authoritate, & constantia grauissimorū Pontificum, amicorumq; suorum suasu, euestigiò Lotharingiam liberam relinquit: vno itinere in regnum suum Compendium remigrat. Deinde Ottonem Bellouacorum episcopum, Harduinum equestrem præfectum cum decem proceribus Francofordiam ad fratrem ire iubet. Placuit, reges quemq; cum decem consultoribus, triginta verò equitibus apud Marsanam, in ripa Mosæ coire, ibiq; controuersiam tollere: quod æquum fasq; foret de diuidundo nepotis regno constituere. Rector orientalis anniuersarias supplicationes, Quinquagenalia Weissenstadij apud Vangionas ritè feriatus, Maio consedit, Iunio Occidentem petit. Apud Flammarosæmos Ribuariorum pago, dum in diuersorio cœnaculum ascendit, cōtignatio vetustate laxata collabitur, rexq; tigno latus adflictus casu duas costas fregit. Aulicis continuò prouolantibus locumq; detergentibus ac purgantibus illico prosilit, se incolumem esse proclamat, dissimulato, victoq; dolore postridie ad fratrem (vti cōdictum erat) Marsanam peruenit: regesq; Francorū regnum Lotharingiæ, nulla ratione Imperatoris iusti hæredis habita, ita bifariam partiuntur. Quicquid intra Mosam, Rhenumq; amnes, citra Vosegum Iuramq; montes, Austrum Orientemq; spectat, Neomagum, Geldubam, Nouesium, Agrippinensem Coloniam, Traiectum, Aquas Graneas, Leodium, cuncta citra Mosam, Epternacum, Luxouium, Diuum Gundolpham, Sanctum Theodatum, Treueros, Mediomatrices, Alsatiam, Argentoratum, Basileam, Solodurum, Suitones Ludouicus possedit: cætera Viennam, Lugdunum, Vesontionem, Tullum, Verodunum, vltra Mosam ad Aquilonem, occiduumq; solem vergentia, Tungros, Toxandrorum præfecturam, Cameracum, Brabantinos, Flandros, Pictonas, Hannonios Carolus accepit. Qui facta diuisione, Heristallionas petit: Ludouicus ad Aquas Graneas accedit: ibi penè duos menses decubuit, obligari costas demum iussit. Sub idem tempus Winclodius, Ioannes, & Petrus episcopi, Bernardus purpuratus ab Imperatore, Romanoque episcopo veniunt, postulantq; vt Ludouicus Imperatori nepoti suo hæreditatem paternam restituat. Ipse benignè respondet, ad se vltrò confugientes in tutelam recepisse, prohibuisseq;, ne totum regnum Galli præriperent: per se non stare, quo minus reddat, nisi quid aliud aut frater, aut Lotharingij velint. At hisce princeps propinquus, & præsens ab ipsis creatus, & acceptus placebat: ingratusque erat longinquus, & Imperator Italicus, qui hactenus venire grauatus esset. Ille verò imperiū, quod obtineret & possideret, inuitis popularibus alteri tradere stultum censebat. Ita legati re infecta, in Italiam, Romamq; redierunt. Cogitur deinde VI. KL. Octobris iussu regis nostri cōuentus ecclesiasticus apud Coloniam Agrippinensem. Interfuere archiepiscopi Luitpertus Mogontinus, Bertulphus Treuerorum, Willebertus Agrippinensis, Adeluinus Iuuauensis, cū episcopis, sacrificulis, sacerdotibus monachis suis D. Pauli ad Timotheū Titumq; de libro epistolę recitatæ sunt. Sacerdotes, episcopi, auari, veneri ventriq; dediti, ignominia notati, tribuq; moti sunt. Cæteri iussi

Otto Bellouacorum.

Ioannes & Petrus legati Imperatoris & S. Pont.

sunt

sunt viuere iuxta Christi seruatoris nostri placita. Imperatum mystis, vt literis sacræ philosophiæ operam darent, vt oues pascerent, neue gregem à Deo creditum malis exemplis trucidarent: neu lac consumerent, de lanis se contegerent. Ante omnia vt curam pauperum agerent Episcopi, parrochique, præceptum fuisse lego. Kalen. Nouembribus Rex Germanus Reginoburgium in hybernacula concessit. Eodem anno terræmotus, varia prodigia euenisse curiosius quidam nimis meticulosi tradunt. Vnum notasse satis faciat: nubes in aëre quarto Idus Augusti, velut exercitus vibratis inuicem igneis spiculis cōcurrerunt. Dum hæc in Francia fiunt, Adalgisus Dux Beneuentanus in Italia Imperatori rebellat. Plures vrbes Campaniæ, Lucaniæ, à Cæsare Ludouico ad illum deficiūt, Augustus Beneuentum obsidione vrbem cincturus petit. Adalgisus vbi se imparem esse videt, magno pecuniæ numero pacem mercatur, deditionem facit, gratiam recuperat: iurat se in potestate Cæsaris perpetuò posthac fore. Imperator inde in Campaniam exercitū transfert, omnes ciuitates sine labore recipit, sola Capua portas clausit. Cingitur obsidione ciuitas, omnis aditus intercluditur, circum circa oliuæ, vites, arbores frugiferę succiduntur. Vniuersa iratus miles diripit, ædes, casæ, prædia, agri incenduntur. His calamitatibus Capuani adacti, fame, inopiaque debellati cum Episcopo suo, & Diui Germani vrna, alia quoque sacra progerentes, portis apertis prodeunt: castra Imperatoris inermes togati adeunt, pedibus Augusti supplices accidunt, veniam errorum obsecrant, ac à clemente principe impetrant: Qui ciuitatem præsidio firmat, & admissis copiis Beneuentum cum paucis adit. Adalgisus superior contemnens paucitatem Cęsarianorum, aduersus Imperatorem conspirat, subitò arma corripit, Palatinas ædes, vbi meridie Imperator acquiescebat, expugnare nititur. Ludouicus tumultus strepitu excitatus, arma corripit, cum corporis custodibus, qui sanè perpauci erant, ad ostium prouolat, aditu latrones ferro arcet. Adalgisus vbi expugnare prætorium diffidit, ignem subiicit, exuriq; Regiam iubet. Augustus in eo articulo rerum, à fortuna deprehensus, pacem postulat, conditiones quas Adalgisus dixit, accipit. Manus pignoribus diuorum imponit, iura se Beneuenti fines continuò relicturum: neque vnquam perpetuò reuersurum, hancque contumeliam vindicaturum. Postridie illicò Beneuento Romam migrat, conuocato Pontifice, Senatu, Populoque Romano fraudem, dolum, perfidiam Adalgisi commemorat. Fit senatusconsultum, Adalgisus hostis Reipublicæ iudicatur, proscribitur. Ioannes Pont. Max. Imperatorem religione iuramenti iure suo soluit, Adalgisum per omnium sacrificulorum cæremonias diris deuouet. Imperator quidem manus bello, ratus etiam hosti fidem seruandam, abstinuit. Cæterùm Angeldruda Augusta arma in Adalgisum mouet. Qui vbi se peti cernit, conscientia stimulante, desperatis rebus suis, fuga sibi consuluit, in Corsicam euadit, Beneuentum Augusta recipit. Eadem tempestate Methodius philosophus Venedas inuenit literas, vertitque diuina oracula in vernaculum Sclauorū sermonem: persuasitque popularibus Dalmatiam incolentibus, vt explosa lingua Latina, exibilato ritu Romano, suum consecrarent eloquium. Posthæc in regnum Boiariæ perrexit, in Liburnia, Norico, Pannoniis, Venedis, habitantibus idem persuasurus. Richoualda sacrificulus Pontifex Adeluinus, archimystes Salisburgensis: item Iuuauenses sacerdotes, qui hactenus in superioribus regionibus ex decreto Caroli Magni, per quinq; & octoginta annos, rebus diuinis præfuerant, sacrificia priuata, publica procurarant, religionem interpretari fuerant, Reges adeunt, concionibus, epistolis populum concitant aduersus Methodium, qui regno Boiariæ factione Iuuauensium mystarum pulsus, in Morauiam aufugit. Vbi humatus est in vrbe, quæ nunc caput Morauorum censetur, vulgo Olmuntz, hoc est Iulij mons adpellari solet. Duos fuisse Methodios necesse est: nisi eundem dixeris, ad quem suprà Eugenium secundū Pont. Max. scripsisse narraui: qui ob bella crebra Morauia relicta in Dalmatiā abierit, ibiq; inuentis literis rursus ad Morauos redierit, quem ipsi in album superûm adscripserunt, adhucq; religiosè colunt. Sacerdotes Liburniæ, qui Archiduci Noricorum nostro æuo parent, adhuc ignari sunt Romanæ linguæ, sacrificia patrio sermone, nempe Sclauorum, procurant. Quorum literis in publicis monumentis, summos Noricorum Principes (sicuti Viennæ Austrię in templo D. Stephani cuiuis conspicere in promptu existit) vsos esse reperio. Sed ordinē rerum prosequar. Ludouicus & Carolus fratres Germani cum quibusdam adolescentulis imperitis rerū, & aliis, qui ob scelera aula moti erant, aduersus parentem, & fratrem Carolomannum conspirare conantur. Coniurati & rerum nouarū auidi, frequentes ad iuuenes regios coëunt, pagum Pirensem occupant. Amabatur plus cæteris fratribus ob virtutes atque prudentiam Carolomannus à parentibus, famaque dissipatum erat, Carolo & Ludouico, veluti conceptis posthabitis, parentem Ludouicum post fata sua Carolomanno summam rerum destinasse. Is posteaquam rem accepit, Boiaria exit, Francofordiam Kalendis Februariis se confert. Ibi nunciis vltrò citroque missis in conuentu celebri Orientaliū Francorū pax vtrinq; religione iureiurādi firmata est. Rex in Boiariam Reginoburgiū reuertitur. Filij eius Ludouicus, & Carolus ad limites Imperij proficiscūtur. Vix ciuile incendiū, ope & consilio bonorū restinctū erat, alia rursus procella ingruit.

Adalgisus dux Beneuētanus in Italia Imperatori rebellat & pacem emit.

Capuani debellati.

Adalgisi in Imperatorē conspiratio.

Adalgis. proscribitur.

Angeldruda Augusta.

Methodius philosophus literas Venedas inuenit.

Olmuntz, id est Iulij mōs.

Ludouicus & Carolus in parentem & Carolomannū fratrem conspirant.

Suatebogus nepos Ratislai. *Schlagomarus.* *Morani cæsi.*

Suatebogus nepos Ratislai Morauorum regulus rerum nouarum, perduellionisque incusatur. Carolomannus eundem in vincula conicit. Sclaui Morauiæ rati Principem suum iam pœnas dedisse; Schlagomarum cognatum eius, licet sacerdotem rebus imponunt. Isque continuò aduersus Wilhelmum & Angelscalcum legatos Carolomanni arma mouet, eos ex ciuitatibus, quibus cum præsidiis præfecti erant, exigere summa ope connititur. Illi verò in hostem perfidum toties à se deuictum & superatum alacres ruunt, Morauos cædunt, affligunt, sacerdotem cum Sclauis terga vertere cogunt. Ludouicus Rex Maio tributariam ad conuentus (vt solenne tũ Francis erat) agendos proficiscitur. Saxonẽ quendam, Hainrici præfecti equestris clientẽ excæcari iubet, quòd inter parentem, liberosque discordiam serere conaretur. Ægrè id tulere filiorum amici, sed prudentia Regis, benignitate & pollicitis, filij in officio retenti sunt. Rex Iunio Galliam Celticam Belgicamque quatenus sibi parebat, peragrat. Inter hæc Suatebogus (quod crimina, quorum postulabatur, nemo legitimè arguere poterat) à Carolomanno postliminij iure libertati & potestati restituitur: atque vt eidẽ satisfieret, muneribus Regiis collocupletatus in Morauiam ab exercitu Carolomanni reducitur: iuratque Carolomanno, se Schlagomaro hostem futurum expugnaturumque. Sed vbi domum venit, magis magisque periculi sui quam beneficij Carolomanni memor fuit, ignominiaque pertinacius animo hæsit. Quippe ipse non eadem fide in gratiam redierat cum Carolomanno, qua is cum illo reuersus fuerat. Quamobrem omisso bello contra Schlagomarum æmulum suum, vires, studium omne dolosque, ad vindicandam contumeliam, & eluendam sanguine Boiorum notam à Carolomanno sibi inustam, versutum callidumque ingenium conuertit. Comparatis ergo copiis, quasi Schlagomarum expugnaturus innumeris Boios, qui eum reduxerant, nimium securos, nil prorsus mali suspicantes, in castris subitò inuadit: inopinatos imparatosque multos viuos cepit: exercitum paucissimis fuga elapsis ad internecionem delet. Ita fortuna, qua nihil versatilius est, & quæ nunquam simpliciter indulget, maiestatem populi Boiariæ hac strage fœdè sugillauit, & serenitatem tot triumphis à Boiis hactenus aduersus hanc gentem præcipuè partam, subita tempestate obscurauit. Nulla domus Boiariæ excors publicæ cladis fuit, vbiq; pernicies, luctu omnia completa sunt. Carolomannus tanta suorum ruina perturbatus, omnes obsides qui in Boiariæ regno erant, Suatebogo, vt suos quos captiuos ab hoste detineri rebatur, redimeret, reddidit.

Rathobodus.

Verum duntaxat vnum Rathobodum seminecem recepit: cæteri omnes à Suatebogo contrucidati erant. Iisdem diebus Ludouicus Adolardum ad Carolum fratrem in Gallias ire iubet, eundem ad colloquium, pacemque renouandam inuitat, ipsique mense Augusto apud Traiectum Mosæ conueniunt. Eo filij Ludouici minores natu accedere recusarunt, excusantes sibi verbis promissa pridem non ex fide contributa esse. Cæterùm Rex Orientalis salutato fratre ad Aquas Graneas redit. Vbi cum audiret Imperatorem nepotem suum ab Adalgiso Duce Beneuentano dolo necatum esse, Aquis Graneis egreditur, confinium Boiariæ atque Italiæ, nempe Tridentum petit. Eo Angelpyrga Augusta ad eum peruenit, quæ de Cæsare marito suo temerè vulgata erant, falsa esse docet, reperitque ab eo Lotharingiæ partem. & Ludouicus se vero facturum respondet, si idem quidem Carolus frater fecerit. Augusta ad huncce amicos, qui partem postularent mittit. Atq; is rursus suos remittit. Ita tempus internunciis, inanibusque consultationibus tractum est. Posthæc Princeps Germanus ad Aquas Graneas reuertitur, vt sibi filios Ludouicum ac Carolum minores natu placaret, Rhætiam ipsis precario concessit. Inde mense Octobri Francofordiam, inde in Boiariam Reginoburgium se confert. Boiemi tum irruptionem in Boiariam meditantur. Ipsi quendam locum aditu difficilem vallo firmissimo munierant, vnoque itinere angusto accessus patebat: quò si quis temerè ingressus foret, velut in cauea deprehensus inultus more pecudum, cum nusquam ferre pedem posset, trucidabatur. Contra hos iussu Regis Boij armati procedunt, quorum Duces erant Arno Wirtzburgensis Pontifex, & Rudolphus limitis Boiorum Septentrionalis præfectus. Inter hæc Morani nuptias in Boiemia fecerant, secumque nouam nuptam, filiam Ducis Boiemici instructam domum ducebant. Vbi id nostri per speculatores comperiunt, insidias nuptiis intentis, & nimium securis tendũt, seque condunt. Mox in Morauos prætereuntes impetum faciunt: illi terga vertunt ad munimentũ superius, quod Taboriam vocant, in angustias feruntur. Boij fugitantium tergo hærentes, equis, armis, gaza, instrumento nuptiali, noua nupta potiuntur. Nam Morani omnibus impedimentis abiectis, equis quoque, onera, & impedimentum rati, relictis, quo expeditior fuga foret, nudi aufugiunt, ægreq; euadunt: in latebris Hercyniæ se cõdunt. Boij sexcentos, & quadraginta quatuor equos stratos militaribus ornamentis in castra sua, nemine resistente, reducunt. Hæcque victoria, atque præda in prouerbium, de Sponsa & nuptiis, quod adhuc vulgo protritũ est, cessit. Nam ad nuptias venire, & dubium esse, quisnam sponsam domum ducet, crebri apud nos adagiones in ore vulgi sunt: quibus id significamus penè, quod Latini, inter os & offam, Græci, inter calicẽ, supremaq; labra, multa sæpius solere interuenire aiunt. Id quod

Tridentum confinium Boiariæ & Italiæ.

& nos

& nos aliter dicimus, nempe inter telum, & metam, siue scopum. Circa eundem temporis tractum Basil. j Macedonis Græcorum Imperatoris legati cum epistolis, atque muneribus aduentare nunciabantur. Carolomannus ipsis obuiam officij causa procedit, eosdem Salisburgij excipit, & deinde nonis Ianuarij ad parentem Reginoburgium deducit. Græci inter cætera munera cristallum prodigiosæ magnitudinis, auro, gemmis preciosissimis inclusam dona ferunt. Maxima quoque salutiferæ crucis portione, & aliis sacris Regem nostrum donarunt. Fœdus sicut apud maiores fuerat, ictum cum Græcis. Ludouicus postea in medio anniuersarij ieiunij sacro apud Forchaim conuentum regni cogit, ne post mortem discordia, vti ferè fit, de diuidundo Imperio excitetur, consilio procerum habito, regnum Orientale in treis partes distribuit. Carolomanno regnũ Boiariæ, Sclauorumque prouinciæ destinantur. Franciam, Saxonas, Turogos, Frisios, Lotharingiæ regnum Ludouicus demum post fata parentis obtinere iussus est. Sueuia Carolo qui minimus natu erat, relicta est. Hique duo fratres in conspectu totius exercitus iurarunt, se parenti fidem perpetuò seruaturos. Inde Rex Germanus in Boiariam reuertitur, Paschalibusque rite Reginoburgij perpetratis, vindicare ab vltimo dedecore à Suatebogo iniuncto, nomen gentemque Boiorum parat. Quatuor exercitus ad diuersos orbis cardines in Venedos arma mouere præcipit. Primi Saxones atque Turogi ab Aquilone Morauos, qui tum latissimè omnium Venedorum imperitabant, inuadunt. Cum sine Rege essent, ac ductores dissentirent, terga dedere hostibus, in fugamque fusi, compluribus amissis, domos turpiter repulsi sunt. Quidam præfecti dum pauidi pedem referunt, à mulierculis hostium fustibus verberati, de equisque reiecti, trucidati sunt. Arno Pontifex Wurtzburgensis, Sigehardus Fuldensium monachorum pater, cum Francis ab Austro hostibus congressi, eos pugna superarunt, victoresque, vastata sibi destinata portione, tamen pluribus prælio desideratis, magnis difficultatibus annonæ, & itineris (nam per Boiemorum confinia ductabant) domos rediere. At Luitpertus archimystes Mogontinus cum Rheni accolis, cumque Lotharingiis, Boiemiam per saltus Hercynios vi penetrauit: manu, ferroque viam fecit. Zentislaum, Vtislaum, Hermannum, Spotimarum, & Mosolaum regulos quinque Boiemorum cum manu valida occurrentes, coniuratos Suatebogi in fugam coniecit: multos occidit, plerosque in Multam amnem actos submersit, paucis in ciuitates munitissimas elapsis. Boiemiam prędando, exurendo peragrat, incolumis cum triumpho reuertitur. Carolomannus cum Boiis Orientis ab ora superat nauibus Histrum, Amboricum Episcopum Reginoburgensem cum parte copiarum, stationes & excubias ad classem sedulò agitare iubet. Ipse extremos fines Morauorum adoritur, fruges incendit, arbores succidit: in homines, pecora, ædificia, ferro, igne iuxtà sæuit. Hostes in latebras syluarum paludumque se condunt. Inter hæc Suatebogus mittit clam exercitum, qui Boios ad tutandas naueis in flumine Histro relictas, ac non attentiore cura excubias agentes, incautos opprimit: hos ferro occidit, illos in flumen agit, atque mergit, paucos captiuos abducit. Solus Amboricus cum paucis elapsus est, fuga sibi cõsuluit, seruatusq; est. Sex millia Boiorum cæsa fuisse referunt nostri scriptores. Carolomannus ob acceptam cladem sæuior totam Morauiam percurrit, quicquid obuiam velut turbo sternit, victorq; in Boiariam in hyberna concedit. Eadem tempestate grandines, fulgetra crebriores solito territarunt mortales, fruges, homines, pecudes afflixerunt. Templum D. Petri Vangionum de cœlo tactum conflagrauit, parietes solo æquati sunt: tertio nonas Decembris hora prima terra intremuit, Mogontiacum euersum est. Ludouicus Francofordiam ad conuentum agendum migrat, natalem Christi ibidem concelebrat: ibique in frequentissimo Pontificum, tetrarcharum, Ducum, Rege quoq; præsente septimo Kalendas Februarij. Carolus minimus natu filiorum Regis, subito prosiliit, menteque emota insanire cœpit, abiecto ense & baltheo, vestem quoque exuturus, à sex robustissimis viris ægrè sustinetur: & modò tenui, modò maiore voce mugiebat magis, quàm clamabat, hiantique ore dentibus minabatur. Angi eum malo genio, instinctuque dæmonis, percitum dementia interpretabantur, opinabantur. Tum Ludouicus ad alterum filium cognominem sibi infit: Viden' vt peruersæ potestatis seruituti vltrò vos subiicitis? vt incestis vagis, nequissimis spiritibus vestro periculo vos mancipatis? Deserere ac fallere parentem, nedum aduersus hunc inimico animo cõspirare, parricidium haud vnquam leuiter piatum habetur. Vulgò apud Germanos dici solet, nullum homicidium diutius latere, tantum abest, vt scelus in vitę, dignitatisque authorem commissum impunè cadat. In neminem quempiam flagitiosorum, quàm parricidas à Deo Opt. Max. rerum, naturæq; parente grauius exempla eduntur. Proinde crimen deprecamini, & resipiscite, supremum numen sedulò propitiate: ego quidem paterno animo gratiam facio, erroremque condono, lachrymis & precibus obsecro, vt ille præses mundi, & rector vniuersi, qui scit omnia, cuius oculis nihil septum est, faxit vt tandem mutuo erga me animo sitis. Porrò Carolus effertur, insanit, vlulat, minatur, furoribus quatitur, intorquetur, in templum ducitur: ibi contaminatus ille subdolus ac perditus spiritus per maiestatem Christi, solennibus sacrificiis & carminibus

Ludouicus regnũ Orientale inter filios diuidit.

Ludouicus contra Venedos bellum gerit.

Arno. Sigehardus abbas.

Luitpertus qui & Ludibertus, & Lindebertus dicitur.

Amboricus.

Carolus insanit.

minibus efficacibus archimystæ adiuratus à Luirperto Mogontino, de corpore, quod obsederat, excedit: Carolusque ab animo incursibus furiato liberatus, in sensusque pristinos restitutus, pro palam pro concione confitetur, continuò se incursum conturbatæ ac prauæ mentis sensisse, posteaquàm in animo conceperit, se aduersus parentem, quòd is sibi solam Sueuiam tribuerit, res nouas moliturum. Carolum quoque Occidentalium Galliarum rectorem fortuna itidem in sobole destituit. Tulerat ille ex Irmodruda priore coniuge tres mares liberos, Carolomannum, Carolum, Ludouicum. Carolus dum solus noctu, Albini, fratris Biuini & Bettonis, à venatione domum redeuntis vires ac fortitudinem (quæ tum vulgò prædicabantur) temerè periclitari ac superare contendit, ab eodē suspicante se à grassatore peti, confoditur, in terramque datur, semiuiuus relinquitur, Albinusque victor equo, armis occisi potitur. Verum vbi filium Regis illum esse comperit, fuga mortem vitauit.

Albinus Carolum interfecit.

Carolomannus alter filius sacris initiatus adhuc puer, parentis iussu in classem Diaconorum (vt vocant) ministros sacrificantium sacerdotum, & pauperibus opes templi elargientes, cooptatus fuerat. Pòst vbi adoleuit, relictis aris, bellum sacerdotibus indicit, templa, opes mystarum diripit. sæpius à parente admonitus redire ad mentem noluit. Propterea captus à genitore luminibus orbatus est, in vinculaque coniectus. Reperio quosdam id insidiis iniustæ nouercæ tribuere. hæc in Gallia facta sunt.

Carolomannus luminibus orbatur

In Germania sub idem tempus Rex Teutonum, Venedorumque Francofordiæ hyemauit. Perpetratis ritu patrio Paschalibus Wilsenstadium in agro Vangionum, ad conuentus agendos petit: filios suos Ludouicum ac Carolum in album prætorum adscribit, eosdem aduentantium causas cognoscere, ius vnicuiq; reddere, lites dirimere, controuersias minuere, si quid grauius sit ad se referri iubet. Ipse legatos Danorum, Cimbrorumque fœdus petentes audiuit. Peracto consilio Mogontiacum, inde ad Aquas Graneas se confert. Mense Augusto in Mediomatricum vrbe consilium procerum agit ibi Berthmarus dynasta Sueuus, superiore anno à Morauis captus, à Suatebogo hac lege, vt legationem ad Regē susciperet ac ex fide defungeretur, dimissus, persuasit Ludouico Regi nostro, vt Suatebogo supplici gratiam faceret, peccata fatenti veniam præteritorum donaret: in fidem ac clientelam acciperet.

Berthmarus qui & Berthramus dicitur.

Eodem concilio Rorichus quoque Nordomannorum satrapes, in clientelam se nostro Regi dicauit. Sigfridus, Halbdanus fratres, Reges Cimbrorum, iisdem diebus magnum auri pondus, & argenti puri, puti, ensesq; Regi nostro donant, supplices pacem & amicitiam petūt, se tanquam filios pientissimos in tutelam Ludouici parentis indulgentissimi commendant. Aurum & argentum ex composito in solum abiicitur, pedibus commeantium, remeantiumque passim prouoluitur: ensem in manus Rex Francus accipit, dumque mucronem admouere conatur, rumpit. Mox alium, quem Danus porrigit, eodem pacto, integrum tamen, quòd mollius ferrum erat, intendit atque remittit. Tum Cimbri, faxit Deus (inquiunt) vt & nostris regibus magis ferrum, quàm aurum cordi fiet. Fœdus deinde datur Nordmannis, in quo comprehensum, vt pax facta in omni Germania, communi patria, foret: & apertum mare, quodcunque alluit Germaniam, hospitali littorum omniū appulsu esset: mercatores securi vltrò, citrò commearent: nec amplius permitterent Nordmanni Reges, populares suos Germaniam, commune genitale solum, latrociniis infestam reddere. Vtrinque deinde legati missi, in confinio Saxoniæ, Cimbrorumque religione iurisiurandi huiuscemodi pacta sanxerunt. Vtraq; natio iuxta ritum suum, Franci sacris Christianis, Dani more veterum Germanorum, frameis interpositis iurarunt. Posthæc Ludouicus ad Alsatiam, gentisque caput Argentoratum se confert. Ibi Diethmarum archimysten Boiorum, in demortui Adeluini locum declarat. Inde hyemandi causa in Boiariam Reginoburgium concedit: vbi superior Diethmarus Idibus Septembris consecratur.

Diethmarus Archiepiscopus Boiorū.

Huc quoque Carolomannus filius Caroli è vinculis elapsus ad patruum aufugit, acerbitatem inimicorum & nouercæ commemorat, & tragico more ærumnas suas deplorat. Ludouicus Rex miseratus inopem, & tali calamitate oppressum, Luitperto Mogontino Archiepiscopo commendat: eidem monasterium Diui Albani, atq; D. Villebrodi Epteronacum attribuit, hic paucis pòst diebus moritur, ac sepelitur.

Sanct Alban. Ebrach.

Legati Boiemorū, qui dolo speculandi gratia in Boiariam, Reginoburgiumq; concesserant, in catenas coniecti sunt. Eodē anno dira fames per vniuersam Germaniam, Italiamq; supra modū sæuit. Plures inedia extinguuntur. Prima æstate grandiores solito locustæ, pollicem viri implentes ab Oriente, externa pabula quæsituræ, Occiduū solem versus tanto stridore pennarum peruolarunt, vt aliæ alites crederentur, solēq; per quinq; millia passuum obumbrarent: sollicitè spectantibus populis ne suas operirent terras, dira messes contegebant nube, multa contactu adurentes, omnia morsu eradentes: cortices quoque arborum, atque fores tectorum. Centum quinquaginta iugera vno die depasti is fuisse memoriæ proditur. Viginti millib. passuū vno die per aëra, instructa acie, compositisq; ordinibus ferebantur, terræ incūbentes castra faciebant. Duces cum paucis itinere vnius diei præcedebant agmen, quæ loca opportuna castris capturi. Eadem hora, qua antecursores pridie venerant, vniuersæ copiæ postridie aderant. Ante ortum

Fames in Germania & Italia. Locustæ.

solis

solis à loco cui insiderant, non mouebantur: orto sole demum, per cohortes suas proficiscebantur. Varro author est à locustis in Africa pulsam esse ciuitatem. Illud quoque traditur à grauissimis scriptoribus, etiam longinqua maria ab iis transiri, continuata plurium dierum profectione. Populus Germaniæ inopiæ metu, ad diuina remedia confugere coactus est. Tandem illæ a vento sublatæ in Oceanum Belgicum actæ sunt, reiectæque æstu ad continentem, fœtore corruperunt aëra: subsecuta dira pestilentia est. In Italia quoque eadem tempestate, in agro Brixiensi tribus diebus, & noctibus sanguine pluisse, in acta, & fastos relatum est. Subsequenti anno, mense Iunio Rudolphus Nordomannus de regio genere ortus, qui occidentale Caroli regnum crudeliter longo tempore vastarat, ad Orientalem appulit Franciam. Præfecturam Frisiorum inuadit, incolis tributum denegantibus, ac imperata detrectantibus, superbè respondet, se omnes mares occisurum, pueros, puellas, mulieres captiuos abducturum minatur: hocque impetu arma in Frisios mouet. At hi contrà armati, sua defensuri procedunt. Fit prælium atrox, Rudolphus cum octingentis commilitonibus cæsus est à Frisiis: cæteri cum fuga ad naues non pateret, in quadam æde se muniunt. Quos cum nostri obsiderent, vitam, præda omni quam ex Galliis hactenus coëgerant, à Frisiis mercantur: nec se vnquam in posterum regnum Ludouici ingressuros promittunt. Hisque pactis iureiurando sancitis, incolumes omnium rerum nudi, à nostris ad naueis deducuntur: etenim ij desperarant, nostri fessi erát, timebantque varium belli euentum, fortunamque, quæ nunquam simpliciter indulgere solet: proinde non fuit rerum humanarum memoribus, & victoria insperata potitis, consilium, Martem vltra lacessere. Nouembri Agathon Archiepiscopus Orientalis, Imperatoris legatus, Reginoburgium ad Ludouicum venit. Tachulfus Dux Sorabici limitis, eisdem diebus vita defungitur. Quamobrem Sorabi Venedorum ferox populus, & finitimi eorum res nouas moliuntur. Luitpertus Mogontinus Pontifex, Rathulphus, quem Rex Tachulfo successorem dederat, Ianuario, Salam flumen superant, igne, ferro, præda in obsequio hostes continent. Ludouicus Kalendis Februarij Francofordiam venit, temerè vulgatum erat, Ludouicum filium à parente desciuisse. Post Paschalia Rex Fuldam adit, inde ad conuentus agẽdos Tribuariam proficiscitur: vnde per alpes Noricas Italiam petit. Veronæ Ioannem Pontificem Maximum Imperatorem Ludouicum nepotẽ suum appellat. Adfuere oratores Sclauorum, Suatebogi Morauię reguli, & Boiemorum. Princeps legationis erat Ioannes mysta, oriundus Venetiis. Petebant Venedi, & Suatebogus supplices pacem, se in clientelam, & seruitutem regi nostro dicabant: modò liceret frui pace, ab armisq; cessare: quæcunque imperarentur, se obedienter facturos promiserunt, atque iurarunt. Annuit Ludouicus postulatis. Hisceque rebus confectis, in Boiariam se confert, Iulio mense Francofordiam, & ad Aquas Graneas contendit: Decembri Heristallione apud D. Lambertum fratrem Carolum conuenit: vnde tertiodecimo Calendas Ianuarij reuersus reliquum hyemis Francofordiæ exegit. Sæua admodum lues hoc anno plerosque mortalium extinxit: vix tertia pars superstes euasit diram pestem. Peractis hybernis, Ludouicus in Boiariam ad Hemmam vxorem ægrotam pergit, quæ Reginoburgij morbo (quem Græci paralysin, & hemiplexiam vocant) correpta, subitò obmutuit: tribus literatorum Apoplexiam nuncupat. Vulgo persuasum est, id euenire gutta è capite in cor delata: ideo id genus morbi à Teutonibus conuiciis & maledictis frequentatum, Tropfe atque Schlage, hoc est gutta, ac percussiò appellari solet. Non desunt qui discernant, paralysin esse, cum pars: Apoplexian, cum totum corpus afficitur. Ludouicus rursus Iunio Tribuariam ad conuentus agendos proficiscitur. Octauo tum Idus eiusdem mensis Cometes visus est. Aschoprunnam vicum in pago Nitensi subita imbrium inundatio quinto nonas Iulij intempesta nocte obruit, pecudes, iumenta, homines octo & octoginta in cubilibus, mares, fœminas, pueros, puellas extinxit: casas, horrea, conditoria, templa, arbores radicitùs euertit: adeò vt ne vestigium quidem illius apparuerit. Cadauera mortuorum tellure pluuiali, humore soluta, aliò delata in finibus alterius pagi inuẽta sunt. Dumque hæc fiunt, & Rex Germanus concilium Tribuariæ mense Augusto celebrat, Imperator Ludouicus in Italia moritur, sepeliturque Mediolani in templo Diui Ambrosij. Quod vbi Carolus comperit, inconsulto fratre, quàm maximis potest itineribus contra pacti religionem in Italiam festinat, Cæsarea gaza, & supellectili potitur, vrbes, Italiam vniuersam sibi subigere conatur. Quamobrem Ludouicus ne frater Imperium interciperet, filios suos Carolomannum per Boiariæ fines, Carolum per Sueuiam in Italiam aduersus Carolum Occidentalem cum copiis proficisci iubet. Ipse interim vt fratrem ad sua tutanda reuocaret, Occidentalem Franciam inuadit cum filio Ludouico: Galliam percurrit, eam rapinis vastat, diripit. Attiniaci natalem Christi celebrat. Eò ad eum optimates Caroli atque Pontifices veniunt supplices, orant, obsecrant, vt populo insonti, qui nihil commeruerit, quæ sua sit clementia, ac iustitia parcat: Arma in authores perfidiæ, qui cum Carolo in Italiam concesserint, vertat: se quidem operam daturos, quoad fieri liceat, persuasurosque Carolo, vt pacem seruet,

Rudolphus cæsus.

Agathõ Archiepiscop.

Tachulfi mors.

Ioan. Pont. Max.

Apoplexia.

Cometa oritur.

Imbrium inundatio.

Anno 875.

Ludouicus Galliam vastat.

Italiam cum fratre secundum fœderis pridem verbis pacti conditiones, diuidat: Ludouicus pro sua mansuetudine, misericordia innocentis plebeculæ commotus, precibusque procerum, & Episcoporum exoratus per Treuerum Augustam Mogoriacum vltimo Ianuarij venit, vnde ad conuentus Februario agendos Francofordiam se contulit. In Italia cum Carolus nepotes suos vi arcere aditu non posset (etenim, superatis angustiis, ac iugis montium iam plana Italiæ cis Padum occuparant, atque armis tenebant) legatos de pace mittit, magno pecuniæ numero auri, gemmarumque pondere nepotes donat, ad colloquium inuitat, benignè appellat, se ideo intrasse Italiam, vt eam sibi ac fratri suo subigeret, commemorat: nihil perfidius, ac mobilius esse Italorum animis: moleste ferre eos alienam dominationem, præcipuè Francorum, & Germanorum. Timuisse ne à Francorum Imperio ad Græcum Imperatorem deficerent, aut de suo corpore Regem crearent: discederent igitur nepotes ab armis, exercitus dimitterent, ex Italia se domum conferrent, se quoque idem facturum. Posse paruo labore hanc controuersiam tolli, se quamprimum ad fratrem accessurum, eius consilio & authoritate Italiam ex æquo diuisurum promittit. Carolomannus igitur & Carolus creduli verbis patrui, sine cunctatione abeunt, domos reuertuntur, exercitus dimittunt.

Carolus Romam venit.

Cæterùm Carolus Occidentalis quàm celerrime magnis itinerib. Romam contendit. Quò cum sextodecimo Kal. Ianuarij peruenissent, corruptis pecunia Pontifice, Senatu, populoque Romano, contra fœderis fidem nono deinde die natali Christi Seruatoris nostri celebri, octauo Kalendas Ianuarij Augustus salutatur. Ioannes primarius sacerdos Senonum Pontificem, primarium sacerdotem Patriarcham Galliæ & Germaniæ constituit. Augustus nonis Ianuarij ex vrbe egreditur, in Gallias redit, contempto Francorum vestitu, calciatu, & cætero habitu, cultum Græcorum sumit: pallam auream indutus, sericatusque, baltheo ad pedes dependente in publicum procedit: se Principem omnium Regum summum appellari iubet.

Irmogarda. Boso Rex Galliæ creditur. Hemma moritur.

Irmogardam filiam Ludouici Augusti, Bosoni Richildæ vxoris suæ fratri dat in matrimonium, eumque Regem Galliæ Narbonensis nuncupat. Inter hæc Hemma vxor Ludouici Germani, Reginoburgii in media Quadragesima diem obiit, in monasterio sacratarum fœminarum superiore sepelitur, sicuti Imperator Carolus tertius filius eius prodit in diplomate, quod in eodem cœnobio seruatur, & eius suprà in Magno mentionem feci. Sunt tamen, qui eam in templo D. Heremani conditam tradunt: vbi & adhuc eius mausolæum ostenditur: quod ego Vtæ Augustæ vxoris Arnulphi Imperat. esse credo.

Vta vxor Arnulphi Imp. VVilibertus Archiepiscopus.

Ludouicus vbi coniugi funus duxit, & secutis diebus iusta peregit, Francofordiam adit, procerum ibi concilium cogit. Willibertum archimystam Agrippinensem, Adelhardum, & Menogardum præfectos equestreis ad Carolum fratrem legatos cum mandatis proficisci iubet. Postulabat, vt frater aliquem locum medium vtriusq; colloquio deligeret, vbi, quemadmodum pridem inter eos conuenisset, religioneque iurisiurandi sancitum esset, Italiæ regnum diuideretur: atque maiori natu, qui Ludouicus erat, Augustale cognomen decerneretur.

Caroli superba responsio.

Ei legationi Carolus primum superbè respondit. Si molestus mihi (inquit) Rex Germanus esse perrexit, copiis militaribus, atque equestribus Rhenum exhauriam, siccoque pede in Germaniam irrumpam, totque equis vastam illam solitudinem obruam, vt riui, flumina, lacus, paludes haud potui suppetant. His responsis relatis, Ludouicus vehementer commotus, maturè vanitati Augusti occurrendum sibi existimat, bellum Cæsari indicit, vndique copias contrahit, certissima semper auxilia Teutonas, & Sclauorum robora Boiemos, atque Morauos. Verùm amicis vtriusque, Gallis, Italis, Germanis, vltrò citrò commeantibus, Imperator à Rhemorum vrbe Ioannem, & Otonem Pontif. Max. Episcopos, cum suis oratoribus ad fratrem legat, pacem postulat. Dumque die dicto regnum Italiæ cum fratre diuidere statuit, is morbo corripitur. Gliscente indies magis, atque magis ægritudine, quinto Kalend. Septembris Francofordiæ decedit, anno ætatis septuagesimo, regni Franciæ sexto & tricesimo, Boiariæ altero, & quinquagesimo: Christianæ ætæ octingentesimo septuagesimo sexto.

Ludouicus: Ludouici Imp. mors. Laureacum. Larishaim. Larch, idem Ludouici virtutes.

Corpus à Ludouico filio ad contubernium Diui Nazarij in Vangionum agrum delatum, sepelitur. Laureacum, & Larishaim, nuncupant literatores, vbi & Thessalonum Boiorum regulum conditum esse suprà commemoraui. Sed de Ludouici moribus, pauca explanāda sunt. Extitit enim Princeps sanè optimus, cuius virtutes nullo confinio vitiorum læderentur: fuit magna vi animi & corporis, ingenioq; bono, corpore firmo, ac procero, oculis nitidis, atque micantibus: voce clara, atque virili: vultu vel in sermone, vel tacitus adeò tranquillo, vt intuentis in eum tristiciam discuteret: forma eximia, venustissima, dignaque, vt Græci aiunt, imperio. Patientissimus laboris, dolorum tolerantissimus extitit: inertiam, ocium, libidinem, luxuriam, superbiam, arrogantiam, velut pestem vitauit: fortis ac durus in aduersis: armis felix, fortunatus. Ciuiles sacrasque res, & disciplinas iuxtà calluit: assiduo studio res gestas veterum principum euoluit. In templum innocentiam ac sanctitatem, puram, castamque mentem magis, quam meditatum carmē, aut aurum inferre studuit, in pauperes pietatem, benignitatem, liberalitatem exercuit. Dum Reginoburgij, Francofordiæque sacras ædes muro hærentes,

tes, mœnibus solo æquatis ampliari iubet, auri thesauros reperit, egenisque elargitus. Christianis in Asia, Africa opem eius exposcentibus, denarios singulis regiis prædiis exactos ad inopiam subleuandam misit. Sacerdotibus & monachis prauo ingenio, indoctisue, ne in conspectum quidem eius venire licuit. Idem in vitandis inimicorum insidiis, & prætorum suorum moribus agnoscendis, supra quàm cuiquam credibile est, callidus, & astutus fuit: Ius diligentissimè dixit, controuersias accuratius deminuit: auaritiam Magistratuum maximè odio habuit, atque puniuit. Nemo ei impunè verba dedit. Inuitos, contemptoresque pecuniæ prouinciis præfecit. Nemo aut ambitione, aut muneribus in eius animum irrepere valuit. Haud quispiam ad ciuilem ecclesiasticámue dignitatem malis artibus, auro, cupiditate temerè aspirare ausus fuit. Nunquam captores munerum, auaritiáue notatos, ambitus, aut repetundarum condemnatos, siue ob aliud quoduis crimen semel magistratu abdicatos, posthac restituit: ratus, vulpem pilos, nunquā animum mutare: & magis illos periculi quàm beneficij memores haud vnquam syncerè fidos fore. Armorum apparatus, quàm conuiuiorum studiosior fuit. plus ferrum, quàm aurum dilexit: vsum auri, sericique, præcipuè militibus ademit. Si quem in exercitu sericatum, aut inauratum conspicatus fuit, Eho mortalium stultissime, non satis est tibi (inquit) vt solus pereas, nisi & res tuas hostibus tradas, atque eos locupletes, quo diutius faciliusque nobis resistant? Externos habitus edicto prohibuit: sumptuariam legem exercuit seuerissimè. Simplici ac parabili victu, vestituque patrio contentus, cum infimo quoque parsimonia & frugalitate certauit: plerumque carne, huiuscemodi lautioribus cibis abstinuit. Quatuor liberos, tres mares Carolomannum, Ludouicum, Carolum: vnam fœminam Luitgardam, Virginum in Chimino lacu Noricorum Maximam, reliquit. Hos ex Hemma, vt aiunt, Hispana tulit. Posteaquam verò mors Ludouici Regis Germaniæ Carolo Imperatori nunciata est, totum Orientale regnum, quicquid fratri paruit, animo inuad.t, in ditionemque vel vi redigere decreuit. Coactis idcirco quamcelerrimè copiis, cum quinquaginta amplius millibus absque cunctatione Franciam Austriacam intrat: Aquas Graneas Regiam Francorum sedem occupat, paucos ibi dies commoratus ad Agrippinensem Coloniam contendit. ibique castra facit: hucque ad se, tanquam Augustum & Regum Franciæ seniorem, & perinde iustum hæredem, omnes Francos venire imperat. Imperata detrectantibus excidium minatur. Dum hæc fiunt, filij Ludouici Germani, Carolomannus, & Carolus fratres rursus expeditionem meditantur, armaque Italiæ inferre parant. Ludouicus qui funeri parentis, dum effertur, interfuerat, Francofordiæq; iam degebat, vbi patruum vrbes primarias regni sui tenere accepit, cum paucis in aduersa ripa Rheni, conatibus Cæsaris, ne Rhenum superare, occurrit. E regione Vbiorum in altera amnis ripa statiua locat, ibi suorum aduentum, quos celeriter ad se maturare præceperat, opperitur. Legatos inter hæc ad patruum proficisci iubet, qui peterent ab Augusto, vt ab hæreditate nepotum manus abstineret, in suum regnū rediret, pacem, quam teste Deo Opt. Max. iuramento cum genitore sanxisset, cum filiis seruaret, id æquum fasque, Imperatoria maiestate, charitate patria dignum esse. Cæsar se pepigisse cum fratre, non cum nepotibus respondet. Hocque ad Ludouicum relato, supplicationem decernit, superos testes suæ iusticiæ inuocat, candenti ferro, aqua feruida (quod tum solenne erat) regnum paternum vindicat. Sed isthæc omnia ludibrio fuere Carolo. Iam globi Saxonū, Turogorum, Francorum gregatim ad Ludouicum properè prouolabant. Castra Ludouicus quàm maximo potest ambitu metatur, paucos admodum qui ignes incendant, excubias simulent, reliquit. Ipse clam Imperatore (qui castrorum duntaxat locum obseruabat) cum omnibus copiis inter confluentes, & Antoniacum, nemine resistente Rhenum superat, iuxtaque Antoniacum considet. Augustus cum se dolo à nepote occupatū animaduerteret, & ipse fraude agere cœpit. Richildam Augustam cum Hylduino præsule, & Francone Episcopo apud Heristalliones subsistere, euentum belli expectare iubet: fretusque multitudine virium, recta Rheni ripa ascendit, pacem simulat, oratores, qui cum nepote de amicitia agant, præmittit. Ludouicus benignè legatos appellat, mandatis paret, nil malique suspicans, securus de pugna, maximam partem exercitus sui, pabulatum, frumentatumque dimittit, aduentum Imperatoris, diemque colloquio dictum præstolatur. Carolus nihilo secius, imò magis hostili animo aduersus nepotem pergit, nonis Octobribus ad Meginensem pagum, haud longè ab Antoniaco, & castris Ludouici cum robore exercitus peruenit: noctuque surgens (cum forte fortuna pluuiarum crepitus dolos tegeret, stridorem armorum, strepitum proficiscentium hebetaret, atque obtunderet) infestis signis, per angustas & inuias semitas, in nepotem, nihil minus opinantem subitò & de improuiso irruere, & incautum opprimere contendit. Willibertus archimystes Vbiorum, vbi hoc animaduertit, intrepidus Imperatorem increpat, talem perfidiam detestatur, parricidium abominatur, Deum immortalem haud dubiè vltorem fore prædicit. Dumque à pertinacia Carolum reuocare non valet, per quendam fidum sacrificulum suum, nomine Hartuicum (qui vt sine armis, & gnarus locorum expeditior compendio Imperatori, ce-

Nota.

Carolomān. Carolus. Ludouicus. Luitgarda abbatissa in Chiemsee. Carol. filius Orientale regnū inuadit.

Richilda.

Bellum inter Carolum & Ludouicum.

piisque anteuertit) techinam omnem patrui Ludouico aperit. Iam Augustus ad Antoniacum peruenerat: & Ludouicus certior factus, vt dixi, de insidiis, & animo in se Cæsaris, arma cum suis corripuerat, in aciemque processerat. Mox candida lintea, signum dat bello, irruẽtem patruum haud imparatus, vt ille rebatur, excipit. Saxones ciere pugnam, & primum impetum hostium sustinere, frangereue iubet: qui territi multitudine aduersariorum retro referre pedem cœperunt. Verùm Francones per confertissimos Celtarum

Regomarus qui & Rengmarus.

cuneos penetrant, Regomarum dynastam, qui aquilam ferebat, trucidant, signo potiuntur, aciem Cæsarianam perturbant armis. Nec mora, fit fuga, Cæsariani abiectis armis, laxatis ordinibus in fugam passim effunduntur. Augustus quoque terga vertit, ad vxo-

Carolus vincitur.

rem fugam capessit, solusque relicto Cæsareo cultu cum paucis euasit. Austriaci fugientes Vestriacos persequùtur. multi qui effugissent, multitudine suorum attriti interierunt. Maximus hostium numerus interficiebatur, vbi se in angustiis viarum constiparant, recessumque primi vltimis non dabant, alius alij obstabat, inuicemque conflictabantur. Equites qui equis aufugere parabant, ab agricolis trucidati, spoliati, & exuti sunt. Iacebant passim strata cadauera virorum, equorum impedimenta, arma, sarcinæ mercatorum, qui exercitum Imperatoris sequuti fuerant: hisceque via fugientibus intercludebatur, perpaucos fuga seruauit. Omnibus impedimentis, machinis, gaza Cæsarea, gemmis, mercimoniis, armis, castris, potitus est Ludouicus: ea diripuit, inter milites que prędam omnem diuisit. Accepit hoc tam graue vulnus ob auaritiam suam (etenim, vt vulgò dici solet, cui aliena cordi sunt, sua odio habet) Carolus octauo Idus Octobris. postridie eius diei, vbi Augusta maritum malè pugnasse audiuit, ab Heristallhonibus, actum de Cæsare rata, aufugit. nocta peperit infantem, recensq; natũ humeris gestans, non antè fugere destitit, quàm Attiniacum perueniret, tanta fama victoriæ erat, quæ referebat omnes copias ad interne-

Carolus profugus.

cionem, ne vno quidem superstite, deletas esse. Eodem die Carolus ad monasterium Diui Lamberti profugus peruenit. Ortulphus Episcopus, & Gotholinus prælul monachorum, Regnarius, Adelramus, Adelhardus, Eberuinus, Hieronymus, Wernhardus dynastæ, & Duces Franciæ Occidentalis cum multis aliis viui capti, humaniter à victore accepti, liberique omnes tandem, & incolumes dimissi sunt. Ludouicus pulso hoste, liberatisque Germanis, victricia signa ad Aquas Graneas confert. triumphabundus regnum Lotharingiæ lustrat, compositis rebus, receptis oppidis, vicis, quæ ad Augustum patruum suum defecerant, ad confluentem Rheni & Mosellæ redit, vbi Carolus frater eius ex Sueuia gratulatum ei occurrit. Ludouicus inde Francofordiam, Carolus Mediomatrices petit. Dein Nouembri tres fratres ad Salueldas conueniunt, Imperium paternum, quemadmodum

Diuisio regni inter fratres.

parẽs statuerat, inter se partiuntur. Carolus minimus natu Rhætias, Sueuiam, Alsatiam, superiorem Lotharingiam, atque Germaniam, quæ est in Gallia Celtica, accepit. Ludouicus inferiorẽ Lotharingiam, Belgas, Mediomatricos, Treueros, Aquas Graneas, Vbios, Mogontinos, Francos, Bathauos, Frisios, Saxonas, Turoges retinuit. Carolomannus, qui natu erat maximus. regnum Boiorum, Sclauorum tetrarchias, Boiemos, Morauos, Pannonios, Carnos, Noricos, Vindelicos possedit. Italia quoque, quam ab Cæsare armis repete-

Conuentus Frãcofordiæ à Ludouico indictus.

ret, eidem destinata est. Ludouicus Ianuario insequentis anni, conuentum Francofordię agit, captiuos omnes in Galliam remittit, Venedos transalbianos ab imposito iugo resilientes, tributum, quod hactenus pensitare soliti fuerant, regibus nostris pernegantes, per Duces in officio armis continet, ad obsequium vi cogit, vectigal annuum soluere cogit. Inter hæc Carolomannus Rex Boiorum expeditionem in Italiam parat, copias cõtrahit, comparata Boiorum, Venedorum diuersorum validissima manu in Longobardorum fi-

Carolus Imp. in Italia cõuentus indicit.

nes arma mouere cœpit. Imperator Carolus vt Italia nepotem arceret, ex Galliis in Italiam contendit, Ticinumque se confert, conuentus agit. Interfuit & Ioannes Pont. Max. At Carolomannus superatis alpibus ad plana Italiæ descendit, Veronam, Mantuam, cun-

Carolomannus in Italiã venit.

cta cis Padum occupat: decertaturus ferro cum Cæsare, Ticinum infesto intentoque exercitu procedit. Cumque aduentare nunciaretur, Imperator suorum animis superioris anni aduersa pugna adhuc perterrefactis, & immanium Sclauorum robore exanimatis, fugam adornat. Primò Augusta Richilda, deinde Cæsar fugam capessit, comites Ducem sequuntur. Pontifex Romam festinat. Imperator dum in Gallias properat, profluuio ventris extinguitur, anno Christianæ æræ octingentesimo septuagesimo septimo. Posthæc ciuitates Italiæ ad Carolomannum gratulatum proficiscuntur. in eius verba iurant. Pacata citeriore Italia, in fidemque recepta, in Boiariam ipse redit. Cæterùm Lambertus, & Albertus filij Bonifacij, Duces copiarum cum firmissima manu Romam procedũt,

Ioann. summus Pont.

Ioannem octauum Pont. Rom. qui regi Boio aduersabatur, arcta custodia claudunt. Senatus, populusque Romanus, se fore in potestate, iurare adacti, in clientelam Carolomanni se dicant. Vniuersa quoque Italia ad ipsum redit. Quamobrem Ioannes Episcopus ira percitus, Diui Petri ædem claudit, sacrificia ibi procurari vetat, expilatis templis, ecclesiasticis opibus secum ablatis, per mare Tyrrhenum in Gallias nauigat annumque inte-

Ludouicus Balbus.

grũ ibi moratur: Imperij titulos in Ludouicum Balbum filium Imperatoris Caroli transferre

ferre conatur. Vbi hoc non procedit, cum Bosone, quē Galliæ Narbonensi atq; Prouinciæ Carolus Caluus præfecerat, Romam redit: Bosoni Italiam subdere, Carolomanno auferre summa ope, frustra tamen studuit. Nam Italiæ populi, Germanica fide Carolomanno virtutis ergò fauebant: qui se tamen duntaxat regem, non Imperatorem, aut Augustum, Cæsaremue nuncupabat. Quemadmodum diplomata ab eo sacerdotibus, & monachis data, quæ adhuc seruantur, indicant: quorum quædam in Vrinensi historia iam publicauit. Vnius quod Reginoburgij in templo Diui Haimerani integrum extat, caput & calcem subtexo. *In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Carolomannus diuina fauente gratia Rex, &c. donat quadam prædia &c. ara hac est XII. Kalendas Octobris, anno tertio regni Carolomanni serenissimi regis in Boiaria, & in Italia secundo, actum ad Hohberabah curte regia.*

Vrinensis historia, Otinger histori.

Pannonio tum limiti, Orientalique regno Boiariæ Arnulphum filium suum Carolomannus præfecit.

Arnulphus filius Carolomanni.

Ipse frequens Vrini habitauit, vbi templum mystis Diui Benedicti extruxit, quod collocupletauit etiam Italicis prædiis, sicuti diplomata restantur. Ibi etiam Diuum Maximilianum, Diuam Felicitatem, brachium Diui Philippi legati Christi, complura alia sacra reuerenter condidit, quemadmodum in Vrinensi historia diligentius explanaui. Dum talia in Germania, Italiaque geruntur, Ludouicus Balbus filius Imperatoris Caroli, cognomento Calui, Celtarum rector, successu patruelium suorum territus, ad Ludouicum Austriacum legatos mittit: iniuriam a parente, se inuito illi illatam deprecatur, fœdus & pacem exposcit. Orientalis princeps benignè legatos patruelis sui accipit, absoluitque, mense Octobri ad Aquas Graneas se confert. Haud inde procul in ripa Mosæ apud Marsanam ambo Ludouici, Austriacus, & Vestriacus conueniunt, societatem his legibus sanciunt. Lotharingiæ partem quisque regum, quemadmodum parentes diuisere, retineto. Italiam Carolomannus, vti subegit, possideto. Vterque vtrique cordi sunto: auxilium mutuum alius alij, absque dolo ferunto. Superstes, defuncti vita liberûm tutor esto, consilio, & armis, quo illi hæreditatem paternam mancipent, fautor ac consultor adesto. Discordiæ, simultatum, odij authores procul in malam crucem ex aula abigunto. Quisquis publicè iure potius, quàm vi, atque fraude disceptare recusarit, vtroque regno in exilium sine lare, sine pignore extrudatur. Ad Carolomannum, & Carolum clarissimos reges amici proficiscantur, qui ipsis, vt hæc quoque pacta recipiant atque obseruent, persuadeant. Nam vt Respublica Christiana stabiliatur, salua sit, & stare possit, idem nos nolle atque velle necesse est. Posthæc Ludouicus Germanus in Franciam hybernandi causa ad Forchaim redit. Hocque anno dira lues in boues sæuit, maximè circa Rhenum: Vbi in Vangionum agro, haud procul ab Ingelhaim in Walshaim pago, canes villatici omnes cadauera laniatum, vt fit, conuenerunt. Deinde vno die, vna simul cohorte, nemo scit, quo nam gentium ex hisce finibus migrarunt: nec viui, nec mortui cuiusque aut vestigium postea inuentum.

Canum prodigium.

Circa idem tempus, nempe anno ab orbe seruato octingentesimo vndeoctogesimo Carolomannus morbo materno Vrini adficitur, ac decumbit, officioque linguæ subitò destituitur. Ludouicus frater eius vbi hoc audiuit, maturius ex hybernaculis progreditur, Boiariamque petit. Reginoburgium ad se omnes proceres Boiorum accersit, sibique, nullum alium regem, si Carolomannus decesserit, recepturos, sacramenta dicere iubet. Rebus Boiariæ compositis, Francofordiam se recipit, Paschalia ibi celebrat.

Carolomannus apoplexia tactus. Ludouicus Boiariam petit.

In Gallia eadem tempestate Ludouicus Balbus, tertio Idus Aprilis moritur, princeps simplex, mansuetus, religionis & pacis studiosus. Adoledam vxorem grauidam, & duos filios Ludouicum, & Carolomannum, quos ex Ansgarda concubina procrearat, reliquit: moxque de regno certamen editur.

Ludouicus Balbus moritur. Adelhaida alias Ansgarda.

Theodericus & Hugo abbas, Dux limitis inter Sequanam & Ligerim, Carolomannum ac Ludouicum adolescentes admodum scitos, bonæ indolis, ingentisque animi ad auitum paternumque solium subleuandos, decernunt. Quidam Bosonem, Richildæ Augustæ fratrem, quem Imperator Carolus Caluus Narbonensi prouinciæ præfecerat, accersendum putabant. Atque Boso vbi ei renunciatum est de morte Balbi, nouum Imperium adolescentulorum, velut vulgo conceptorum aspernatus partim minis, partim pollicitationibus Episcopos, atque Burgundiam, sine certo regis & regni hærede sibi attrahit, Lugdunique ab Aureliano vrbis archimysta, & cæteris Episcopis Rex Burgundionum adpellatur, sacroque oleo inungitur. At Gotholinus monasterij D. Vincentij, atque Germani extra mœnia Lutetiæ Antistes, & Conradus Parisiorum præses, cum plerisque, Gallias Germaniæ, vnde omnis nobilitas Franca oriunda esset, rursus coniungendas censebant. Hactenus ambo regna sub vnius Imperio florentissima extitisse, & ad summum orbis terrarum fastigium euecta fuisse, diuisa verò in partes, sensim collabi, & ad interitum properare: Imperiumq; Francorum, quod sub vno stare posset, dum à multis sustinetur, haud dubiè tandem casurum esse. Has ob causas Ludouicum Franciæ Orientalis regem iustum heredem, cuius humanitatem, iustitiam, vimque bellicam iam factis sensissent, vltrò vocandum ad auitum regnum esse. Nec mora, rogatus ab hisce Ludouicus Germanus, cum exercitu ad Mediomatricas accedit, inde Verodunum petit. Copiæ eius quòd ipsis annona ab incolis ca-

lis carius venditaretur, ad prædam conuersæ, quicquid commeatus in agris, villis, vicis, oppidis fuit, diripiunt. Hugo & Theodericus, qui rebus iuuenum regum fauebant, Baltherum Aurelianensem Episcopum, Goeramum, & Ansocherum equestris præfectos ad Ludouicum legant: ipsi Lotharingiæ partem, quam auus, parensque suorum regum possedere, vltrò reddunt, orantque, vt cæteras Gallias principibus suis omni destitutis humana ope, pro iure consanguinitatis relinquat, ac domum absque maleficio redeat, regesque suos cognatos vti filios amet. Rector Austriacorum cum iam etiam insolentiam Germanici exercitus Gothelmo, & Conrado displicere animaduertit, postulatis annuit, conditionem accepit. Veroduno in fidem accepto, atque Leucorum Tullo ad Mosam, inferioremque Lotharingiæ partem, quæ Imperatori Carolo Caluo, filioq; eius Ludouico Balbo paruerat, migrat, ad se omnes Episcopos vltra Mosam incolentes venire iubet, sacramentaque dicere præcipit. Cameracum itaque, Tornacum, Flandri, Brabantini, Toxandri, Hannonij iussu Ludouici, & Carolomanni regum Celtarum illum accipiunt eidem deditionem faciunt. Inter hæc Adelhaida vxor Ludouici Balbi marem edidit, cui Carolo cognomen aui fecit, qui & Carolus posthumus dictus est. Cæterùm Ludouicus noster auctus regno Lotharingię integro, præter Lugdunum, quod Boso occuparat, Mogontiacum, inde Francofordiam ad vxorem Luitgardam frementem, iurgiaque crebrò ingerentem, quòd non omnes Gallias vltrò oblatas accepisset, sese recipit. Id vbi accepere Gothelmus & Conradus ad reginam in Germaniam diuertunt: inde cum literis in Gallias redeunt, partes regis Germanici confirmant, eum mox cum copiis affuturum, vbi res Boiariæ, quas præripere nepos ex fratre conaretur, composuerit, adfirmant. Iisdem enim diebus Arnulphus, filius Carolomanni, ex concubina genitus, Landbertum, aliosque plerosque præfectos Boiorum, quos minus dicto audientes ægroto parenti esse cauillabatur, dignitate mouerat, Boiaria exegerat: ipsique ad Ludouicum, opem eius implorantes aufugerant, criminabanturque Arnulphum tanquam regnum Boiariæ sibi adserere vellet. Ludouicus igitur cum vxore Luitgarda, & filio Ludouico in Boiariam, vocatus quoque à fratre Carolomanno, properat. Adest & Carolus frater natu minimus, Rex Sueuorum. Ambo Vtinum ad Carolomannum Germanum conueniunt. Carolomannus desperata salute, cum egritudo gliscerer, ne discordia belloue post fata sua populus adtereretur, cum lingua non posset, authographo Ludouico regnum Boiariæ tradit, ipsi vxorem, & filium commendat, Caroloque per manus dat Italiam. Hic comparato vndique milite, cum Richarda vxore, in Italiam irrepere tentat per alpes Iulias, circa quarum radices ipsi Ludouicus, & Carolomannus Germani fratres, reges Galliarum, Bosonem tum oppugnantes, officij causa obuiam procedunt. Carolus salutatis nepotibus de improuiso Italiam inuadit, cis Padum, omni celerius opinione occupat. Et vt maior authoritas foret, archimystes primarius Germaniæ Luitpertus Mogontinus iussu Ludouici, & Theodomarus Iuuauensis Archiepiscopus Boiorum mandato Carolomanni & Caroli proficiscuntur. Vbi Rauennam ventum est, concilium ibi procerum Italiæ cogitur. Ioannes Pont. Romanus, patriarcha Foroiulianus, Archiepiscopus Mediolanensis, Senatores, Episcopi, tetrarchæ, dynastæ, proceres Italici frequentes coëunt, in verba noui principis iurant. Conuentu peracto, Carolus cum vxore Romam proficiscitur, à Ioanne octauo Pontif. Max. cum coniuge inauguratur, Augustusque à senatu, populoque Romano acclamationibus solennibus consalutatur, octauo Kalendas Ianuarij. Accepto igitur Augusti cognomine in Italia habitauit. Theodomarus Diuum Vincentium à Romano Episcopo impetrauit, in Boiariamque Iuuauiam transtulit. Porrò Ludouicus Boiariæ totum regnum in deditionem accipit, alimenta, sumptusque, prætores fratri præbere iubet. Partem Pannoniæ, vbi fontes Draui Sauique amnium sunt, Arnulpho in tutelam commendat, Charini limitis Ducem appellat. Etichonem socerum suum Sueuum genere oriundum ex Altorff, Rauenspurgioque Lycaciis Occidentali Boiariæ termino præficit. Vbi haud longè à fontibus Ambronis fluuij in vico eiusdem cognominis templum Diuo Benedicto, eiusque duodecim consecraneis dicauit. Hainricus filius eius à sororis marito, quicquid in superiore Boiaria aureo vehiculo à prima luce ad meridiem ambiret, quasi ludo exposcit. Ludouicus ratus fratrem coniugis pauperiorem esse, quàm vt aureum currum possideret, postulatis annuit. Mox Hainricus plaustro rustico, in sinu quidem aureum curriculum admodum paruum gestans, vnde cognomen ei adhæsit, circumuectus est à Lyco ad Ambronem: à Gelono flumine ad alpes Penninas. Arrisit Ludouicus dolo, & quæcunque hisce finibus continentur, Hainrico donauit. Huius proles, itidem Hainricus, Hatim ex Hohenvvart, & Damasia oriundam vxorem ducit, ex qua Diuum Conradum tulit: nam eius posteritas potita est Boiaria: in superioreque Vindeliciа construxere, & collocupletauere cœnobia Altonis monasterium, Raitenbuch, Staingaden: vbi eorum mausolæa adhuc ostenduntur. Sed hæc suo tempori reseruabo. Ludouicus per Duces suos, Hugonem filium Lotharij regis, & Waldradæ concubinæ latrocinia in Gallus agitantem, haud longè à Veroduno superat, commilitones eius trucidat, arce potitur,

Adelhaida siue Adelheida Carolus posthumus.

Arnulphus Carolomanni filius ex concubina.

Ludouicus cũ Luitgarda vxore in Boiariam tendit.

Diethmarus siue Theodomarus.

D. Vincentij corpus Iuuauiam transfertur.

Charinorum Dux.

D. Cõradus.

tur, eam solo æquat. Dumque Reginoburgij Boiorum negotiis intentus est, Ludouicus filius eius impubis, quem Lutgarda vxor iusta peperit, de fenestra Palatinarum ædium decidens, ceruices fregit, animamque efflauit. Parentes luctu, tristitiaque saturi, hyematum Francofordiam tendunt. Deinde primo vere cum vxore Lutgarda Rex Boius, Francorumque ad Aquas Graneas migrat. Dein Gallias subacturos Clusiacum petit. Obuiam veniunt Gothelmus & Conradus, cum suæ factionis hominibus, regemque Germanum cum vxore honorificè excipiunt, per Galliæ Occidentalis oppida, vicosque, Attiniacum, Hercuriacum, Ribodi montem circumducunt. Tandem Ludouicus, & Carolomannus Germani, Vestriacæ Franciæ reges armati cum suæ partis proceribus sese aduersariis opponunt, ab vlteriore regno eos vi prohibere meditantur. At amicis connitentibus, pax quæ superiore anno inter reges conuenerat, redintegratur & iurisiurandi religione sancitur. Vniuerso Lotharingiæ regno (vti suprà) Galli denuò cedunt, & ad id quod quasi mancipio dare regi Austriaco debuerunt, velut liberales venditores solent, auctarium addidere: Attrebates nimirum, atque Diui Vedasti templum. Facto itaque fœdere cum nepotibus, & indicto Gundolphiam conuentu, Ludouicus noster domum reuertitur. Inter redeundum in Carbonaria sylua, ad Salitam fluuium, iuxta pagum regium Thimum, Nordomannos cum præda magna; classem repetere conantes ostendit, signo dato, in latrones irruit, quinque millia trucidat: reliqui fugam capessunt ad superiorem vicum, ibi gradum sistunt, ibi se defendere, atque munire parant. Hugo filius regis naturalis, dum incautius dimicat, grauiter vulneratur, ab hostibusque capitur, interque eorum manus animam efflat. Ludouicus ratus filium viuere, receptui canit, suos ab oppugnatione, si quo pacto filium redimere queat, reuocat. Interim nox intercedit, colloquium & prælium diremit, nostrosque ad castra redire compellit. Noctu Dani corpora suorum, qui prælio ceciderant, flammis exurunt: ita tenebris tuti ad classem euadunt. Vbi illuxit, Ludouicus inter cadauera agnoscit filium, corpus eius ad Laureacum monasterium transfert. Eodem tempore in Dania graue vulnus accepimus. Nordomanni nostros fraude superarunt, penitusque deleuerunt, vt dici solet, à caluo ad caluum. Bruno regulus Saxoniæ patruus Hainrici primi Cæsaris Germaniæ, Bardo frater Luitgardæ reginæ, Theodericus, Marichardus Hildeshaimensis, Episcopi, Vichomannus, Bardones duo, Theoderici duo, Gericus, Luithulfus, Folmarus, Auanus, Lotharius Duces, vndeuiginti præfecti, quorum nomina subtexo, Aderami, Alouini, Addaltæ, Ædones bini, Botho, Valo, Adeluini duo, Bernardi duo, Theodericus, Ælhardus, Ariouistus, Isenothus cum valida manu in Nordomanniam ad perdomitandos toties perfidos proficiscuntur, ibique castra faciunt. Est Danorum regio cauernosa, mare interfluit, sed obicibus arcetur: hos cum Cimbri reiecere, admisereque vndique aquam, castra aquis operta sunt. Nostri omnes à caluo ad caluum (vti dicitur) a minimo ad maximum vndis obruti, extincti sunt, ne vnus quidem, qui cladem nunciaret, euasit. Mea memoria eodem strategemate Cimbrorum regi populares sui rebellantes aliquot millia abstulere. Per idem tempus Ludouicus reuersus è Gallia, Francofordiæ Paschalia celebrat. Sorabes, Boiemi, cæteri transalbiani Sclaui, vbi malè pugnasse Saxones audierunt, Turogorum fines inuadunt, iuxta Salam flumen omnia ferro, flamma deuastant. Poppo Dux limitis Sorabici Venedos onustos præda, incautiusque velut profligato, deletoque hoste ouantes, de improuiso adgreditur, cædit, fundit, & ad internecionem, ne nuncio quidem cladis superstite, delet. Sub idem tempus Carolomannus Rex Boiorum, & Italiæ XII. Kalendas Apprileis, Anno salutis octingentesimo super octogesimum Vtini diem obit, ibique sepelitur: quemadmodum eius sepulchrum extat. Fuit peritus literarum, pietatis, & abstinentiæ, atque armorum iuxtà studiosus. Quoties ipse quidem cum hoste conflixit, semper victor extitit. Imperij sui terminos ferro plurimum prolatauit. Aduersus Venedos Orientales, Boiariæ conterminos, bella plurima sub patre duodeuiginti continenter annos feliciter gessit. Omnibus bonis artibus corporis, atque animi præditus; forma fuit venusta, iusta statura, corpore robustissimo: affabilis, placidus, clemens erga supplices: sæuus ac truculentus hostibus, summa facilitate, atque modestia cum suis versatus est. Nil popularitatis omisit, populum, plebem omni comitatis occasione, salua tamen maiestate, tractauit. In republica administranda magistratibus constituendis, officiis delegandis peculiarem præstitit solertiam: in his non solum principis, sed & parentis affectum exhibuit vnicum: omnium laudum concordia, omnis gloriæ concentus huic regi contigit. Tanto tamen principi legitima soboles nata non est, ob sterilitatem vxoris. Ex Litouinda concubina, ex Charinis oriunda, fœmina raræ nobilitatis, eximiæ speciei, filium tulit, cui Arnulpho nomen, sanctissimi Mediomatricum Episcopi, authoris generis sui nomen dixit. Ludouicus interea frater Carolomanni conuentum in Vangionum vrbe agit, Gundolphiam, vti constitutum erat ad nepotes suos ipse quidem non venit, at legatos cum haud contemnenda manu misit. Duces suos Hainricum, & Albertum aduersus Hugonem no-

Gothelmus & Conradus.

Ribodi mõs.

Arras.

Hugo occiditur.

Lerisheim.

Bruno regulus Saxonia.

Danorum regio qualis.

Poppo.

Carolomanni regis Boiorum mors 880.

Luitpuind. Luouinda.

thum Lotharij regis,Gallias infestātem proficisci iubet. Ipse contra Nordemannos, qui Neomagum occuparant, exercitum ducit,hostesque obsidet: nec prædas agere sinit, leuia vtrinque fuere prælia. Ex nostris Eberhardus, filius Meginardi Saxonum dynastæ, captus est,quem Euesa mater ære redemit, incolumenque postliminio recepit. Dum ibi statiua habet Rex,eius Duces Hainricus, & Albertus cum Hugonis copiis manus conserunt,acriter vtrinque pugnatum est. Diethboldus tribunus militaris ex sorore Hugonis progenitus, multis illatis, acceptisque vulneribus,tandem in fugam à nostris coniectus euasit. Hugo prælio non interfuit. Duces nostri victoriam, haud tamen incruentam, adepti, profligatis latronibus,triumphantes Gundolphiam se ad reges Vestriacos conferunt. quò & Imperator Carolus ex Italia perrexerat. Vestriaci,& Austriaci coniunctis viribus,cum regibus Galliæ Ludouico,& Carolomanno,cum Carolo Romano Imperatore aduersus Bosonem Burgundiæ regem arma simul mouent. Masticonem vrbem Burgundiæ obsident,viquе expugnant. Bernardum quem cum valido præsidio in ea Boso

Boso fugit.

reliquerat,in ditionem accipiunt. Boso Viennam fugam capessit,ibique se munit. Imperator,& reges Celtarum fugientis vestigiis inhærent,simul ad Viennam armati contendunt. Boso relictis ibi Richardo fratre,& filia,item vxore Irmodruda,filia Ludouici Augusti,consanguinea principum,territus ad cacumina alpium inaccessa perfugit. Imperator fœdere iuramenti religione cum patruelibus sancito,in Italiam abit. Galli,Germanique Viennam obsidione claudunt. Nordmanni cum Ludouico rege Germaniæ paciscuntur,se nunquam de cætero regnum eius inuasuros,dant fidem,si Rex incolumes abire abductis copiis sinat. Ludouicus ex pacto Francofordiam redit, exercitum dimittit.

Danorum incursio in regnum Occidentale.

Dani incenso prætorio,hostia Rheni repetunt,nauibus cōscensis, in Occidentale regnum irrumpunt,vicos,oppida,templa diripiunt,comburunt. Ludouicus Rex Occidentalis relicto fratre Carolomanno in obsidione Viennæ,in Galliam Belgicam secundam contra Cimbrorum incursationes properat. eidem Gundolphiæ Ludouicus noster obuiam venit. Huc quoque Hugo aduersa pugna,& cæde suorum fractus, accepta publica fide accessit: gratiam, veniam præteritorum impetrauit,principi Germano se in clientelam dedicauit. Is ipsi quasdam præfecturas,& contubernia in fidem commendat. Verùm Hugo prauis obsequens consultoribus,fidem frangit: quamobrem à militibus nostris regno Orientali in Burgundiam expulsus est. Ludouicus inde Germanicus in Boiariam transitum facit,totam ibi æstatem versatur.

Ludouicus Rex Galliæ moritur.

Ludouicus Gallicus cum Nordmannis dimicat, nouem millia Danorum trucidauit,potitusque tanto triumpho, paulo pòst diem obiit. Carolomannus frater eius dimissis quibusdam in Burgundia, aduersus Nordmannorum reliquias contendit,perpaucos hostium,quos fuga seruauit,domum retro ferre pedē cum ignominia & dedecore,vi & armis cogit. Vbi illi reparatis viribus,vtraque regna inuadere meditantur,

Vienna expugnatur.

interim Vienna expugnatur. Vxor Bosonis & filia, frater Richardus captiui,ad Heduorum vrbem Augustudunum deducuntur, ipsique Carolomanno se dedunt. Auxiliares copiæ, quas Rex noster miserat Carolomanno, domum reuertuntur. Vix hic armorum crepitus,tubæque sonitus conticuerat, ab Aquilone sæuior tumultus,

Godofridus & Sigefridus reges. Vormus. Haliso. Hasalon oppidum. Anno domini 881.

inauspicatumque fulmen intonuit. Godofridus & Sigefridus reges, Vormus, & Haliso Duces Cimbrorum,mense Nouembri ad hostia Rheni adpellunt: deinde Hasalon in ripa Mosæ oppidum XIIII. millia à Rheno passuum firmissimum occupant: locum castris capiunt,validius vallo,fossa muniunt. Deinde finitima quæque loca Germanici regni crudeliter ferro, flamma depopulantur. Cameracum, Attrebates, Tornacum, pagum Hispanicum,Morinorum,Mœnapiorum,Bathauorum fines,Diui Vdalrici,& Richarij cōtubernia,Gandauos,quicquid ad Scaldam flumen pertinet,adterunt: Louanium, Tungros,Traiectum, Leodium,monasterium Diui Lamberti concremant: vniuersum inde Ribuariam inuadunt,Nouesium,Iuliacum, Vbiorum vrbem, Bonnam simili clade adficiunt: Aquas Graneas incendunt,in sacra ædicula regios equos stabulantur. Indē Malomundarium,Stabulum Monasterium diripiunt,exurunt,in cineres & fauillas cuncta redigunt. Arduennam pòst syluam haud mitiore animo percurrunt. Prumiam templum monachorum opulentissimum Epiphaniorum festo die irrumpunt,triduo ibi consident, circum circa omnia deuastant, nihil intactum relinquunt,agricolæ, ciues,vulgus inconditum,inermeque,bellandi imperitum,nec disciplinæ militaris expertum,absque ordine,ingenti edito clamore,quasi lupos venaturi in hostem irruunt, sed veluti pecudes inulti mactantur à Cimbris: fit fuga ex vicis, oppidis, cœnobiis, pars in mœnia firmiora se confert, pars latebras syluarum, paludumque, & cacumina montium petit. Monachi, sacerdotes,fœminæ sacratæ, qui aufugere potuerunt, Mogontiacum se conferunt, sacra secum auferunt. Hostes ingenti onusti præda, Prumia incensa ad castra reuertuntur. Nam Ludouicus Rex reuersus ex Boiaria Francofordiæ ægrotabat, contractisque vndique copiis, Duces suos contra Nordmannos proficisci imperat,qui proxime hostes consedere.

Terræmotus. Cometa.

Tum tertio Kalendas Ianuarij Mogontiaci terra intremuit, postea XV. Kalendas Februarij sidus crinitum visum est. Tertio deinceps die Ludouicus

rex

rex noster naturæ concedit, anno Christianæ æræ octingentesimo, octogesimo secundo, mox effertur ad Lauriacum, ibiq; iuxta parentem conditur. Exercitus morte regis conturbatus, velut sine capite corpus tabescit, atque dilabitur, quisque domum suam redit. Nordomanni vbi hæc cernunt, vestigijs nostrorum hærent, vsque Mosellæ confluentem, nil intactum, inuiolatumque relinquunt. Mogontiaci tum trepidatum est: murus semirutus instauratus celeriter, atque refectus, fossaque perducta. Dani recta Mosellæ ripa ascendunt, Treuerum Augustam ciuibus, atq; incolis partim cæsis, partim in fugam datis, inuadunt, Nonis Aprilibus, qui tum dies quintus septimanæ erat, quem cultores deorum, Iouis vocant, & nos ob Vesperam nouissimam Christi seruatoris nostri, anniuersario sacro celebrem habemus, capiunt: Paschalibus quietem agunt, iumenta, milites q; commeatu reficiunt. Posthæc vrbem, omnem agrum finitimum flamma proterunt, concremant: ad Mediomatrices infesta acie contendunt. Valo vrbis pontifex, Adelhardus præfectus, Bertolfus Treuerensis archiepiscopus, armati se Cimbris opponunt. Primo impetu Valo occiditur: cæteri in fugam passim effunduntur. Accessit ad hoc malum, quòd Boso Burgundiam occupare, Hugo Lotharingiam connitebatur: ille occidentali, hic orientali Franciæ imminebat: ambo pari insania prædas agebant, latrocinia exercebant, vtrunq; regnum infestum reddebant. Iam Imperator Carolus Cæsar Augustus, filius Ludouici regis Boiorum, Francorumq;, Ludouici Pij nepos, pronepos Caroli Magni, audita morte fratris, & hostium sæuitia, ex Italia cum pluribus legionibus aduentare iactabatur. Quamobrem Nordmanni cœptum deserunt iter, retrorsum vela dant, cursus iterant relictos, onusti præda, ne palantes circumuenirentur, ad castra sua iuxta Mosam, vbi Aschulocha à Rheno XIIII. millia passuum distat, festinant, ibi Imperatorem expectare statuunt. At Cæsar certior factus est de morte fratris, & incursatione hostium, crebris nuncijs Germanorum, Gallorumque rogatus, vltimo Aprili in Boiariæ regnum, metu Arnulphi nepotis ex fratre, ex Italia mouet, incolas Vindelicos, Noricos, Pannonios, Sclauos, Venedos, sibi sacramenta dicere iubet. Arnulpho Charinorum ducatum, quem à fratre acceperat, in tutelam committit. Eundem copias Boiorum, & Venedorum, quas contra Danos duceret, contrahere, seque sequi iubet: ipse Calendis Maij ad conuentus in vrbe Vangionum agendos proficiscitur. Certatim proceres, episcopi, sacrorum, antistites, ciues aduolant, in verba Imperatoris iurant, & de exigendis hostibus consultant. Ex Italia, Gallia, Germania, qua latissimè porrigitur, vndique legiones euocantur. placuit copias partiri. Imperator cum Longobardis, Sueuis, Francis ab Occiduo sole, recta Rheni fluminis ripa descendit. Arnulphus cum Boijs, & Venedis aduersa amnis parte arma mouet, Antoniaci copias transmittit, coëuntque exercitus. Hic rursus in tria agmina vires diuiduntur. Hainricus cum Franconibus, Arnulphus cum Boijs præmittuntur, diuersis itineribus properant, si insidijs hostem occupare possent, præcedunt: subsequitur Carolus cum Italis, & Sueuis, iustoque exercitu Hainricus & Arnulphus celerius opinione, & præter spem ad hostium castra delati, de improuiso hostes adoriuntur, plerisq; occisis, cæteros in oppidum repellunt, expugnanda castra esse decernunt. At quidam Francorũ proceres, auro à regibus Cimbrorũ corrupti, periculosam esse oppugnationem pro concione proponunt, se aduersus tantam multitudinem haud æquo Marte dimicaturos, ad Imperatorem, ne ob paucitatem ab hostibus contemnantur, ac deniq; circumueniantur, redeundum esse vociferantur. Milites ab his concitati, inuitis ducibus ad Carolum retrò cedunt. Imperator coniunctis copijs, ad Cimbrorum munimenta infesto ac intento procedit exercitu. Illico reges, duces, omnis equitatus, pedites vniuersi, hostium in castra obtrusi sunt, obsidioneq; cincti. Nec aditus, nec exitus cuiquam patebat. In duodecimum diem iam circumsessio protracta fuerat: ecce tibi subitò duodecimo Calendas Augusti, post meridiem nubila obducuntur, tenebræ castra nostratium obumbrant. Tum fulgetra crebra oculos perstringere, crebra item tonitrua aures obtundere cœperunt. Grando dira, nec antea nostris visa, conglaciato imbre, oui anserini instar cadit: equi afflicti, repagulis præfractis, habenis abruptis, sursum deorsum recalcitrando feruntur. Mœnia quoque oppidi, quod circumsidebatur, corruunt, adeo vt equestris turma, nisi vallo, fossaque arceretur, irrupisset. Secuta est ob æstum plus solito grauiorem, pestilentia. Ea foris & intus, extra & intra mœnia in homines, & iumenta iuxtà sæuire cœpit. Dira lues cadauerum fœtore gliscebat: in eodem luto & obsidentes, & obsessi hæsitarunt. In eo articulo vtrinque constrictis, primi hostes de pace oratores suppliciter mittunt: Augustusq; vocato concilio, mandata Godofridi, & Segifridi regum Cimbrorum cognoscit: quibus mandatis potestas appellandi Cæsarem, fœdusque faciundi amicorum vtriusque partis arbitrio, & interim induciæ ab Augusto postulabantur. Ea Hainrico & Arnulpho & plerisque placuere: pauci verò ferocius decernunt, scilicet ignari rerum humanarum, & fortunæ, qua nihil versatilius est, illæ quoque fluxæ, & mobiles sæpius in aduersa mutantur, & ex tranquillissimo portu. Cæterùm Dani impetratis omnibus, fideque publica accepta, prodeunt, & primo Sigefridus, cuius vires validiores erant, ex oppido cum suis egreditur,

Ludouicus rex Boiorũ moritur 882. sepelitur in Laurihaum.

In cœna Domini.

Arnulphus arma mouet.

Sigefridus.

egreditur, ad Imperatorem in castra deducitur, ibi se continuò cum omnibus Imperio excessurum, nec vnquàm de cætero eò venturum iurat: duos dies ita simul rex, & maios potestas sumunt. Inde Sigefridus cum quadraginta millibus ad naues properat, finibusque orientalis Franciæ excedit.

Gotfridus baptizatur Gisala Lotharij filia.

Porrò Gotofridus in verba Imperatoris iurat, Christianam philosophiam recipit, fitque regis lustricus pater Imperator, Cimbroque dat in matrimonium Gisalam patruelis sui Lotharij filiam: eandem instruit Francis auri libris bis mille, atque octoginta, quod est nunc nostratis pecuniæ, aureûm, nempe nummûm millia ducenta, sexaginta sex, & paulo plus, ducenti nimirum, & quadraginta aureoli. Insuper nouus sponsus ducatu Frisiorum donatur ab Augusto. Qui hisce rebus gestis ad Confluentes Mosellæ, atque Rheni cum exercitu redit: vbi omnes honesta missione exauthoratos domos abire iubet. Boijs reuertentibus grauis pestilentia comes fuit, quæ toto Boiariæ regno vbique grassata est.

Poppo & Egino ciuilē tumultum concitant.

Ciuilem tumultum inter Turogos, ac Saxonas Poppo & Egino præfecti Turogum concitant. Saxones superiores marte fuerunt. Imperator Wormatiam ad conuentus agendos proficiscitur. Interfuere huic concilio Venedorum legati. Ibi Boso, qui Burgundiam occuparat, se regem vocarat, Imperatori deditionem facit. Et Hugo filius Lotharij in gratiam Cæsaris redit, Mediomatricum templi sacerdotibus curator datur. Hugo abbas legatus Carolomanni regis Galliæ ex pacto partem Lotharingiæ reddi postulat. Vniuersos pacatos Carolus dimittit.

Richardis Augusta. Luithardus qui & Liutuuardus.

Richardem Augustam Romam, vbi degat regiam vitam, per Luithardum Vercellensem episcopum, magistrum epistolarum deducit. Interea Sigefridus Nordmannus inferiorem Germaniam contra fœdus incursationibus infestat. Hainricus frater Popponis, palantes Nordmannos, prædationibusque intentos, subitò aggressos vniuersos ad internecionem cecidit. Imperator soluto Wormatiæ conuentu Calendis Nouembribus in Sueuiam se recipit: ad lacum Brigantinum progreditur, apud sanctum Gallum, oppidum Sueuorum natales Christi concelebrat.

Harmut abbas S. Galli Bernardus abbas S. Galli. Ioannes Pont. Ro. moritur. Marinus Pont. creatur. Vido Tusciæ dux.

Hartmudum monachorum magistrum, virum tum prudentem, tum senem in aulam adsciscit, Bernhardum, monachis præficit. Inde in Boiariam Reginoburgium se confert, Paschalibus ibidem conuentum cogit, quo peracto Romam contendit. Ioannes octauus pontifex vrbis, animam efflarat. Marinus à senatu populoque Romano, communi omnium consensu in Pontificatum maximum cooptatur, Cæsarque author fit. Eisdem diebus Vido Tusciæ dux rerum nouarum postulatur, Spoletum ei dies dicitur. Verùm ipse sibi fuga consulit, cum Saracenis Mauritaniam incolentibus fœdus icit. Beringarius consanguineus Imperatoris cum exercitu Vidonem persequitur: at peste sæuiente in militem Cæsarianum, non penitus debellare hostem, atque omnibus oppidis, & castellis exuere potuit. Imperator ex Italia in Sueuiam reuertitur, inde Boiariam petit, Boiosque arma in Italiam mouere aduersus Vidonem præcipit, illique ad obsequium Vidonem coegere. Dum hæc ita fiunt, Gallia ab occiduo sole, Boiaria ab orientis ora grauissimum accepere vulnus. Wilhelmus & Angelscalcus vita decedunt. Hi fratres, proceres Boiorum, bellicis artibus præclari, à Ludouico rege Boiorum, parente Augusti limiti Boiorum Austriaco, hoc est, Pannoniæ iuxta Ptolemæum, siue Norico iuxta Romanos, quatenus ab Arrabone flumine ad Danubium, Drauumque amnes pertinet, præfecti fuerant: nec minus fortiter, quàm prudenter inferiorem Boiariam administrarant, Morauos, Sclauos, Venedos, Suatebogum sæpius debellarant, sæpius vicerant: terminos Boiorum ad Morauiam vsque promouerant.

Pannoniæ descriptio.

Et vt de Pannonia, quod ad Ptolemæi opinionem facit, explicem, etiam nunc pars Norici, quæ Iuuauensi archimystæ subdita est, Pannonia vulgo vocari solet. Quamobrem crediderim totum eum tractum Norici, vsque ad Histrum ab Ptolemæo Pannoniam superiorem nuncupari, de qua Romani scriptores ne verbum quidem, qui regnum Noricorum vsque ad Drauum amnem protelant, vnamque Pannoniam enumerant, quæ intra Sauum, Drauum, Histrumque amnes contineatur.

Aribo Boius.

Huncce ducatum Imperator Carolus (vt redeam vnde euagatus sum) Ariboni Boio tradidit, id permolestè Wernherus, Vzilo, Megigothus: & Poppo, Boiorum ditissimi, superiorum præsidum liberi, & cognati, tulerunt, cœpereque Aribonem missum à Cæsare procuratorem floccifacere, minusque ei quàm par est, dicto audientes esse. Erat horum capitalis inimicus, quòd à parentibus eorum crebris cladibus perdomitus fuerat Suatebogus Morauiæ regulus. Cum hoc Aribo societatem facit, eidem filium dat obsidem, in auxilium eundem accersit. Suatebogus homo callidissimus, atque versutus, sub specie huiusce fœderis, clades sibi à Boijs, iam diu illatas vlciscendi nactus, opportunitatem ad prætextum crudelitatis & vindictæ, quam in Boiariæ gentes exercere iam pridem concupiscebat, aduersus hostes Cæsaris cum magno Venedorum numero in Boiariæ orientales fines ingreditur: speciosum titulum sceleri prætendit, se aduersus hostes Reipublicæ atque Augusti Christianissimi arma ferre iactitat: se opitulatum ire legato principis Romani diuulgat. Casas, villas, agros exurit: sine discrimine inimicos, amicos iuxta obterit: ferro, prædationibus vniuersa vastat, in homines, & iumenta sæuit: & cum magna præda, incolumi exercitu in Morauiam

redit.

redit. Superiores dynastæ collectis copijs, comitibus plerisq; Boiorum primoribus, Aribonem authorem huiusce mali ex orientali Boiariæ limite vi & armis exigunt, ipsi ducatum Pannoniæ, quæ tum a Boijs expulsis Hunnis, atq; Auaribus incolebatur, usurpant. Suatebogus ceu Augusto principi sui rebelles domiturus rursus arma in Boiariam mouet, obuiam procedunt Sclauis in Aquilonari Danubij ripa, vim vi repulsuri Wernherus & Vzilo præsides, præliumque cum Morauis committunt, sed à Suatebogo superantur, atq; capiuntur: ipsisq; genitalia, lingua, dextræ amputantur. Commilitones eorum vicissim læua, dextraq; mutilantur. Deinde Moraui victores superato Histro, ab Arrabone flumine, orientem versus cuncta terrarum, vbi tum Boij (vti plus millies iam dixi) habitabant, vastando percurrunt, nemine resistente rapiunt, cædunt, vrunt, hominum, superûm opes diripiunt. Vbi satis sæuitum est, domos redeunt. Megigothus & Poppo hisce malis coacti, cum plerisq; eum tractum incolentibus ad Arnulphum confugiunt, Is tum orientalem Boiariæ limitem, qua ad Austrum vergit, hoc est superiorem portionem, inferioris Pannoniæ, vbi Saui, Drauiq; fontes sunt, procurabat. Amnes ij clari, atq; nauigabiles in Danubium fluunt. Drauus ex Noricis violentior, Sauus ex alpibus Carnicis placidior: atq; ea regio adhuc summo Noricorum principi, quem Archiducem vocamus, parere solet. porrò Suatebogus ad Arnulphum legatos ire iubet, suos, & Reipub. atq; Cæsaris rerum domini hostes sibi reddi poscit: adigitq; minis ac criminibus Arnulphum, vt is solenni ritu iuraret, & religione iurisiurandi se expiaret, neq; res nouas moliri, neq; in necem Augusti, atq; Suatebogi, quemadmodum rumore dissipabatur, conspirasse: neq; cum Bulgaribus, qui superiore anno Imperij fines vastarint, sensisse. Posthæc Suatebogus rursus Sclauos suos cogit, Boiariam Austriacam inuadit, regionem copiarum multitudine operit, adeò vt ab ortu solis ad vesperam locum quemuis datum vix præteriret exercitus. Megigothus & Poppo cum quibusdam Pannoniam incolentibus arma corripiunt, aduersus Suatebogum procedunt. Dum primo impetu incautius pugnam cient, superantur, terga vertunt, armis abiectis versus Arrabonem flumen fugam intendunt. Ibi consistunt, prælium instaurant, victi Boij rursus ab hostibus in flumen acti submerguntur: Woltherus episcopus trucidatur, Megigothus & Poppo cum plerisq; Boiorum haud inulti cadunt. Berchtoldi frater cum nonnullis captus est. Posthæc Suatebogus atq; Moraui ab Arrabone versus Eurum cuncta crudelissimè depopulatur: nemini sæuissimus hostis parcit. Quicquid antea reliquerat intactum, obterit, colonos cædit, trucidat, seruos, ancillas cũ paruis liberis extinguit, greges, pecora abacta sunt. Nobilitas partim cæsa, partim capta, lingua, manibus genitalibus truncata est. Ita ea Boiariæ, siue Pannoniorum, siue Noricorũ pars ab Arrabone flumine orientis oram spectans, aliequin (vt nunc quoq;) raris habitata cultoribus per treis cõtinenter annos, Imperatore alijs rebus occupato, ac dissimulante, ita truculentissimè adtrita, in vastã redacta est solitudinem. Id quod eius tempestatis scriptor versiculis hisce, non admodum cultis, summatim comprehendit, quos libuit ad faciendam fidem subtexere.

Suatebogus arma in Boiariam mouet.

Drauus fluuius.
Sauus flu.

Omne dicit IESVS fieri non stabile regnum
In se diuiduum, & nil dissociabile firmum.
Hinc dolus, anxietas tibi formosissima tellus:
Hinc labor exoritur, quondam Pannonia felix,
Hinc patria planctus, & est miserabile funus.

Imperator tandem ex superiore Boiaria in Pannonias, & fines orientalis Boiariæ, ad componendum tumultum hunc proficiscitur, ad flumen Tullinam, montemq; Comagenum conuentum Boiorum, atq; Venedorum agit. Ibi Suatebogo in verba sua iuranti, Morauiam, tum latissimam Sclauorum tetrarchiam, conterminam Boiariæ, dat in fidem. Cæterùm ducatum Pannoniæ secundæ, quæ tum portio Boiariæ erat, & ad inferiorem partem Draui, Saui amnium, & ad Danubium pertinebat, Vratislao viro bellicoso commendat. Totius verò Boiarici regni curam Arnulpho, filio Carolomanni regis Boiorum, & Italiæ, nepoti suo tradit & committit. Hisce peractis in Italiam se confert, procerum & ciuium concilium Ticini cogit, in Epiphaniorũ ferijs. Vido superior apparet, se & omnia Imperatori permittit: se à criminibus falso obiectis iuramento exoluit. In Galliam interea Segifridus Cimbrorum rex, qui ex orientali Francia cõfœderatus Carolo discesserat, impetum facit, ad Sonnam Galliæ Belgicæ inferioris flumen adpellit, regnum occidentale ferro, flamma, rapinis depopulatur. Carolomannus rex, quòd impar viribus, nihil aduersus Danorum incursationes armis proficeret, abs gente, auri, prædarumq; cupida pacem, maximoq; pecuniæ signatæ numero cauponatur: in duodecim quoq; annos, argenti pondo millibus duodenis, auri quatuor, & viginti inducias paciscitur. His atq; pecunia acceptis, Nordmanni ad classem, quam in littore oceani Gallici habebant, reuertuntur. Inter hæc Carolomannus venatum proficiscitur, & dum ab apro occupatur, à stipatore opem ferre conante, venabuloque incautius feram petente, lethali vulnere sauciatur, in paucisque pòst diebus interijt. Verùm ne innocens occideretur, ab apro se percussum diuul-

Tullina siue Tulna. Comagenus mons.

Vido se Imperatori dat.

Sonna fluuius, qui & Sonnum dicitur.

Carolomannus moritur ex vulnere.

diuulgauit. Dani certiores facti de morte regis cursus relictos iterant, in Francia Vestri-
Hugo abbas.
cam redeunt, prædas agunt, ædificia comburunt. Hugo abbas inter Sequanam & Ligerim præses, cæteri optimates, legatos ad Cimbros mittunt, fœdus violatum vociferantur. Adhæc Nordmanni respondent, se cum rege, non cum incolis pepigisse, illo defuncto pacta soluta esse, oportere successorem pacem tantidem redimere. Hanc ob rem continuò pontifices, duces, dynastæ, primores Galliarum occidentalium ad Imperatorem Carolum, vt legitimum hæredem, in Italiam frequentes abeunt, deditionemq; faciunt. Moxque Augustus rogatus, vocatusque ex Italia, in occidentalem Franciam transitum facit: Gallique ad Gundolphiam ipsi occurrunt, in ipsius verba iurant. Ita Galliæ, Germaniæ, Italiæ quarto ac quadragesimo anno, posteaquam diuisæ fuerant, ad vnius potestatem rediguntur. Nordmanni quod fœderati erant Augusto, retro cedunt, domumq; reuertuntur. Cæsar rebus Gallicis pacatis, ad conuentus agendos Wormatiam in Germaniam
Marinus Pont. obijt.
Hugo.
pergit. Quò dum Marinus Romanus episcopus contendit, & iam medium iter perfecerat, diem obijt. Eadem tempestate Hugo filius naturalis Lotharij regis, quibusdam solita vanitate spem eius inflantibus olim agitatum scelus exequi statuit, clam à Gotfrido rege Danorum, cui Gisala soror sua nupta erat, exposcit auxiliares copias: quibus auitum
Gotfridus in Augustũ conspirat.
paternumq; regnum adserat, atq; cum sorore & Gotfrido partiatur. Gotfridus igitur cum Hugone, inaudita antea facinoris societate inita, in Augustum conspirat: eum tollere, eidem regnum præripere decernit. Quod cum vi, atq; iure non posset, fraude assequi tentat. Gerolphum & Gardolphum Frisiorum primores ad Imperatorem mittit, ea postulat, quæ siue negata, siue concessa, prorsus sibi opportuna forent. Proponebat autem, se in palustribus locis, atq; incultis vitam abstemiam, indignã genere & meritis suis, in omni rerum penuria agere, direptuiq; Danis vicinis, & popularibus suis (quibus ob lares, sacra, mores patrios desertos, inuisus esset) patere: petere igitur à Cæsare, vt in meditulliũ Imperij, ad loca culta, vitifera, & tutiora, nempe ad confluentes, Mosellæq; ripas amœnissimas, vbi more regio pro virtute sua degat, transferretur. Cæsar etsi fallacem gentẽ semper alia cogitantem, alia simulantẽ bene cognitam habebat, atq; eum tam impiæ voci quantum nefas subesset, non lateret, tamen nunc animo temperat: si enim ea quæ petebantur, apertè negarentur, se iure desciscere posse, iam sibi Danus persuaserat. Ne igitur meritò cum velit queri, ac res nouas moliri Nordmannus queat, Imperator legatos benignè appellat, cuncta sibi curæ fore respondet, Gotfrido nunciare iubet, vt constituto die in Bathauorum insula, cum paucis præstò sit: eò se missurum amicos, qui cum illo de summis vtriusq; rebus colloquantur, ac de postulatis ex voto, animiq; sententia, pro vt æquum, vtrisq; dignum fuerit, transigant. Posthæc Imperator remotis arbitris Hainricum militaris disciplinæ præfectum, prudentem, ac fortem vocat. Deinde Augustus, & legatus secretum consilium ineunt, diu aliud atq; aliud consilium voluntant, quo nam pacto, externum & aduenam regem in fines Imperij, velut aspida in sinum soricemúe in bulgam receptum, rursus abigant. Cum id vi ob inaccessa paludinosaq; loca haud fieri posse perspicerent, placuit fallaciam fallacia trudere: & perfidum atq; fraudulentum caput dolo aggredi, ac tollere insidijs. Cæsar Eberhardum præfectum equestrem apud se exulantem, à Gotfrido domo pulsum, clam in Bathauiam cum armatis proficisci iubet: ibi latitare, atq; tandem die dicto in curiam armis veste tectis irrumpere, fidem Cæsaris inuocare, Gotfridum accusare, atq; respondere connitentem ferro aggredi præcipit. Hainricus quoq; suos non cateruatim, sed sparsos per Saxoniam ad Bathauos irrepere: ibi se cum armis occulere, aduentum suum expectare, auditoq; tumultu ad se conuolare ex latebris imperat. Ipse cum paucis Agrippinensem Coloniam accedit, secumq; Williberto vrbis archimysta assumpto, in Bathauiam pergit. Gotfridus audito horum aduentu, obuiam illis procedit, coëuntq; partes Hœreburgij: vbi Rhenus bicornis huc & illuc dispargitur, & parte,
Vala.
Vacalus.
quæ vulgo Vala, à Cæsare nisi fallor, Vacalos adpellatur, insulam Bathauorum efficit. Vbi primus dies vsq; ad vesperam sermonibus vltrò citroq; de imperio & regno habitis, extractus est, vtriq; postridie reuersuri, diuersoria quisq; sua petiit. Vbi illuxit altero die, Hain-
Gisala Gotfridi vxor.
ricus mandat episcopo, vt Gisalam vxorem Gotfridi ex insula ad se vocet, cum ea colloquatur, atq; eam cohortetur, vt ipsa virum mitiget, persuadeatq; pacem seruare, amicitiã Cæsaris, certa incertis præferre. Interim ipse cum Gotfrido coit: cum consedisset vterq; cum paucissimis amicorum, Eberhardus, superior intrat, fidem Augusti, rerum domini, præsidisq; mundi implorat, legatũ eius quiritando appellat, Gotfridi sæuitiam, iniuriam sibi illatam commemorat. Dumq; hisce intentus respondere Danus parat, ab Eberhardo subitò, ense stricto lethaliter in capite vulneratur. Excitato mox strepitu ac tumultu, Cæsariani omnes vndiq; ex latibulis prouolant: concursu facto vniuersos Nordmannos, quos in insula inueniunt, obtruncant. Sublato hoste, atq; inimico perniciosissimo, postea ad
Hugo captiuus.
Cæsarem Gunolphiã pergunt: vbi Hugo huiusce tumultus author captus, cum suis consultoribus pœnas luit. Imperator oculos Hugoni erui imperat, eundem in Sueuiã in ædem D. Galli deportat. Inde in Prumiam transfert, vbi ille decedit, atq; humatur. Dum hæc ad

Rhenum

Rhenum geruntur, pax fœdusque inter Arnulphum regulum Boiorum & Suatebogum Moranum in Austriaco Boiariæ limite, in conuentu celebri Boiorum sacramenti religione, affinitate & mutua liberû adoptatione sancitur. Suatebogus Gisalam sororem Arnulphi vxorem ducit, filium Arnulphi ex concubina genitum lustrali die arrogat. Imperator hybernatum in Boariam se confert, Reginoburgij hyemem consumpsit. At Nordmanni cæteri, audita clade suorum, vndecunq; confluunt, duce Rollone Germaniam inferiorem inuadunt, Louanij trans Mosam castra faciunt. Contra quos Hainricus cũ exercitu, prædas agere, gentem ferocissimam prohibet. Ipsi Fauonium versus iter tendunt, Lutetiam Parisiorum, caput orientalis Franciæ obsident. Hainricus iussu Imperatoris, dux copiarum cum vtriusq; regni valida manu, vrbi & obsessis suppetias fert. Inter hæc Cæsar in Italiam pergit, Pontificatum maximum Hadriano tertio, à populo Romano in albû Romanorum episcoporum inscripto, sicuti tum mos fuit, committit, atq; iure suo fit author. Dumq; Ticini conuentus agit, Paschalia ibidem celebrat. Scribarum Luithardus præfectus, episcopus Vercellensis Romam ad causas cognoscendas, litesq; dirimendas pergit: decretum à Romano episcopo refert, licere episcopis Parochias, quas hostis alienus à religione Christi inuaserit, deserere, atq; ad alias migrare vrbes, hasq; incolere. Seditio tum atrocissima orta est Ticini inter ciues, prætorianosq; milites. Hi cæsi, illi grauiter vulnerati, dum metu pœnæ vrbem relinquunt, fugam capessunt, inter fugiendum afflicti sunt. Letalis quoq; ambitus, inuidiaq; commune malum aulicorû inter purpuratos in apertum martem exarsit. Luitpertus, de quo iam dixi, amicorû Imperatoris locupletissimus erat, omnes senatores Cæsaris dignitate vincebat, ab omnibus colebatur, omnes ad eum decurrebant, gratiam eius expetebant, ipsi parebant. Nemo nisi per illum ad gradum amicitiæ Cæsarianæ ascendere quibat. Omnes illius amici esse volebant sed totidem, quot volebât, esse non poterant. Huic Beringarius dux Fori iulij bellum indicit, Vercellas capit, supellectilem, gazam opulentissimi sacerdotis diripit. Cumq; talia in Italia fiunt, in Gallia Nordmanni certiores facti aduersus se exercitus, robora Germanorum, Gallorum aduentare: ante castra sua foueas crebras, vnum pedem quoquo versum latas, tres altas effodiunt, virgultis, ac stirpibus operiunt, & quasi perterriti in castris se continent, paucissimos suorum in faucibus viarum latitare iubent. Vbi Hainricus legatus Imperatoris cum copijs eò peruenit, cum paucis exploratoribus speculatum castra, vbi nam facillima expugnatu forent, obequitat. Qui angustias viarum insederant, prodeunt, virum sagittis cominus lacessunt. Hainricus calcar æquo subdit, contempta hostium paucitate, acri impetu in eos inuehitur. Dani fugam simulant, nota diuerticula petunt. Hainricus studio insequendi ad scrobes trahitur. Equus in foueas cadit, excutitque ducem. Nordmanni adsunt, vidente toto exercitu legatum occidunt, armis exuunt. Nostri quidem opem laturi, verum serò prouolant: in fugam hostibus coniectis corpore potiuntur. Quod Suessonum Augustam deportatum, in templo D. Medardi humatur. Exercitus amisso capite dilabitur, domum quisque suam reuertitur. Imperator posteaquam certior factus est de nece legati, & virium suarum dissipatione, copias contrahit, ex Italia per Burgundiam in Gallias infesto intentoq; exercitu contendit, Gallias percurrit, in agro Parisiorum aduersus Danos castra locat. Hugo tum dux Vestriæ. Gothelinus Parisiorum episcopus, duo fulmina belli, terrorq; hostium moriuntur. Cæsar Otoni Saxonia oriundo, filio ducis Ruperti à Danis occisi, ducatum in tutelam: sacerdotium Ascherico in fidem commendat. Fœdus deinde cum Nordmannis origine Danis facit, traditq; ipsis vrbes trans Sequanam, quæ ipsum nondum receperant, imperataq; detrectabant. Cimbri confirmata pace, initaq; societate cum Carolo, regionem ab Imperatore condonatam inuadunt, Rhotomagum occupant, cæteras vrbes in deditionem redigunt, superant, subigunt: cum coniugibus & liberis ibi sedes perpetuò mansuri capiunt. Eaque Galliarum pars adhuc ab ipsis Normannia vocari solet. Id factum esse reperio anno Christi DCCCLXXXVI. Rollonem ducem gentis anno postea abhinc XXVI. Carolus posthumus, vxore illi data, cum popularibus religionẽ nostram amplexi persuasit, ipsum Rupertum vocauit. Porrò Cęsar pacata Gallia Germaniam petit, in Alsatia grauissimo capitis dolore decumbit, cui incisione mederi, ob atrocissimos morbi cruciatus coactus est. Recuperata sanitate in Sueuiam procedit: apud Waiblingam conuentus agit. Vbi Beringarius Luitperto satisfacit, delicti veniam impetrat. Irmindruda filia Imperatoris Ludouici secundi, mortuo Bosone coniuge, Ludouicum filium impuberem (qui postea Italiam occupauit, ab Beringario excæcatus est) ad Augustum deducit, eidem illum commendat. Imperator liberis legitimis carebat, puerum, sobolem iustam Augustorum, nepotem Ludouici secundi Cæsaris Augusti, patruelis sui, cognatum suum apud Kirchaim pagum Rheni adoptat, hæredemque atque successorem designat. Sub idem tempus Luithardus magister epistolarum, a Sueuorum proceribus stupri insimulatur, quòd familiarius, quàm domus Cæsareæ maiestatis postularet, cum Augusta viueret, dignitate mouetur, prætorio eliminatur, in Italiam abit. Richarda tanta contumelia affecta, tam sinistro rumore

Rollo dux Nordmannorum. *Lutetia obsidetur.* *Hadrianus 3. Pont.* *Luithardus episcopi Romani decretũ refert.* *Seditio Ticini.* *Luitperti authoritas.* *Beringarius dux.* *Hainricus legatus castra explorat.* *Hainricus à Nordmãnis occisus.* *Hugo Vestriæ dux.* *Nordmannia.* *Rollo fit Christianus & Rupertus dicitur.* *Vuaiblinga.* *Irmindruda filia.* *Luithardus qui & Luitnardus, & Luitualdus.* *Richarda quæ & Richardis Augusta.*

rumore aspersa, candenti ferro crimen adulterij obiectum diluit, diuino beneficio rumorum temeritatem coarguit. Deinde haud vnquam tactam se à Cæsare, nedum à quopiam alio mortalium violatam esse persanctè deierat. Misso, ac remisso repudio in Andelauu sacratarum fœminarum ædem, quam ipsa dedicauit, petit, ibi obijt, & sepulta est. Carolus posthæc rursus asperrima ægritudine afficitur, non solum corporis, verùm animi quoque vigorem amisit: ingenio, mente torpescere, & repuerascere cœpit. Dum ergo Francofordiæ mense Nouembri conuentum agit, omnes subitò proceres, maximè Franci, Turogi, Boij, Saxones, ne sine capite corpus imperij tabesceret, ab eo tanquam desipiente, ac planè iam delirante deficiunt: connitente Hyldgarda fœmina cordata, sorore Caroli, Arnulphum regulum Boiorum, filium Carolomanni regis Italiæ, atque Boiariæ, vltrò ad subeundam Imperij molem trahunt, rebus imponunt, curam Reipublicæ suscipere iubent: Carolumque patrueli bellum indicere parantem, Sueui quoque, qui hactenus maximam habuerant apud illum authoritatem, & nec dum desciuerant, deserunt, ad nouum regem certatim, ne tarditas fraudi foret, properant. Imperator ab omnibus desertus, ne vno quidem ministerij misericordiæue causa remanente, triduo in summa egestate fuit: fame perijsset, nisi Luitpertus Mogontinus archimystes commiseratus versatilem rerum humanarum sortem, eum aliquot dies pauisset. Nihil infirmius ac mobilius esse potentia, documentum est clarissimus princeps. Qui cum esset Italiæ, Galliarum, Germaniarum, Rhætiarum, Vindeliciæ, Noricorum, Pannoniarumque rector locupletissimus: tamen in illum fortunæ sæuienti tantum licuit, vt subitò de summo generis humani fastigio ad ima deiectus, obolo etiam eguerit. Quanquam literarum peritia pietate in deum, liberalitate erga pauperes insignis fuit: tamen fati iniqui vim, immeritissimus sensit, patienterque tolerauit. Nam tandem filium naturalem Bernardum supplex ad nepotem misit, se atq; prolem eius fidei ac tutelæ commendauit: victum duntaxat orauit. Arnulphus patruo Nidingá pagum Sueuiæ, vbi habitaret concedit, redditus eiusdem vici, vnde victitaret, tribuit. Et in paucis pòst diebus Carolus vita defungitur Idib. Ianuarij, anno ab humano genere seruato octingentesimo, octogesimo octauo. Imperauit annos VII. D. X. in Veneto Rheni lacu sepelitur. Primus annos Christi seruatoris nostri omnibus epistolis, libellis, diplomatibus addidit. Posthac id vsque ad nostrum æuum hactenus obseruatum est. Porrò nepos illius ex fratre Carolomanno Arnulphus Cæsar à Francis designatus, in Boiariam concedit, Reginoburgium conuentum indicit. Francones, Turogi, Sueui, Boij, Venedi, Saxones frequentes adsunt, in verba noui principis iurant, atque ipse Arnulphus tanta fortuna sibi de improuiso data, quam maximo potest apparatu natalem Christi, Paschaliaque Reginoburgij perpetrat. Lætus præsenti rerum statu, rudis tantæ molis, extrema Imperij membra curare negligit: quæ si absque cunctatione continuò in tempore, quod omnium primum est, adijsset, haud dubie Imperij corpus integrum seruasset. Dum itaq; cessat, & potestate accepta frui, quàm vti mauult, præclarissima Europæ regna, quæ ante tres annos coiuerant, rursus dilacerantur. Berengarius filius Eberhardi, foro Iuliani præsidis filius, Italiam intercipit, se regem adpellat. Ranulphus Aquitaniæ sibi diadema imponit. Radulphus filius Conradi, nepos Hugonis abbatis, ducis Galliæ Lugdunensis, cuius sæpius suprà mentionem feci, superiorem Burgundiam, inter Iuram montem, & alpes Cottias inuadit, apud diui Mauricij oppidum, quod Rhodanus alluit, accitis proceribus, & episcopis quibusdam, quos muneribus, ac blandimentis pellexit, rex salutatur. Galliam Narbonensem Ludouicus Bosonis filius ambit, Belgis inhiat Vido filius Lamberti ducis Spoletani. Nec Lotharingorum animos, tres hi auiditate pares, precibus, pollicitationibus, missis oratoribus tentare, & sollicitare cessant. Otto Franciæ orientalis procurator, filius Roberti præsidis à Nordmannis occisi, à Saxonia oriundus, à Celtis, quibus hactenus iussu Imperatoris Caroli tertij, precario præsederat, Galliæ Lugdunensi imponitur. Arnulphus intellecta perfidia hominum, serò tandem Franciam petit, Francofordiæ concilium agit: superiores Tyrannos, nisi ad præscriptam diem præsto Wormatiæ sint, proscribit: eos contra Rempub. Francorum fecisse videri iudicat: contractisq; copijs transito Rheno in Vangionum vrbem contendit. Solus Otto Galliæ Celticæ legatus, supplex ad Arnulphum, quòd Carolus posthumus nactus annos duodecim, nepos Imperatoris Caroli Calui, iustus hæres superstes esset, pergit. Eius sic ratio erat, sic animum induxerat suum, stultum esse, bello, sanguineq; quærere, quod beneuolentia possis retinere. Posteaquam ergo fandi potestas facta est, Veni, inquit, maxime principum, ducatum à patruo fidei meæ commissum, nepoti reddo: nec pœnitet me famæ, solum fecisse id, quod alij facere summopere fugitant. Christianus sum, concordiam amo. Christus Deus Opt. Max. prohibeat nefas, ne eorum incommodo, quibus prodesse debeo, meam comparem dignitatem. Non sum tam perditus ambitione: maius est regnum fastidire, si verum fateri volumus, quàm accipere. Franci occidentales, Francorum tuorum progenies, à Germania orbis regina, quæ tibi summam rerum commendauit, migrarunt in Gallias. Nuper quoq; Witechundus, auus meus, apud Saxonas ortus, euocatus ab Im-

Andelauu. — *Hildgarda quæ ab alijs Lutigarda dicitur, abbatissa in Chyembsee.* — *Imperator egens & famelicus.* — *Nidinga. Neidingé.* — *Carolus moritur.* — *In Augea maiore sepultus.* — *Ludouicus Bosonis filius.* — *Vido qui & Vuido.* — *Carolus posthumus.*

ab Imperatore Carolo Caluo, patruo tuo magno, in Gallijs cum suis consedit. Nunquam equidem committam, vt ob auiditatem meam nefarium bellum inter cognatos, atque consanguineos conciretur, populusque Christianus trucidetur. Si per te regnare licet, vtar beneficio tuo, & dabo operam, ne sim ingratus: si aliud tibi placuerit, malo pace tua, tranquillo ocio, procul à Repub. aulæque strepitu perfrui, quàm te inuito regnum, quod vndique arma crudelissimorum hostium, & nomini Christiano infestissimorum circumfremitant, non tam possidere, quàm à Nordmannis obsessum vi vindicare. Et regiam, & priuatam vitam pati didici: æquo animo opes, atque inopiam fero. Nimiarum opum magna iactura esse solet. Tu modò vide, amicum ne fidum, atque cognatum, an forsan quempiam aduenarum, hostiumúe, rerum Gallicarum potiri malis. Arnulphus contentus sorte, quæ præter spem oblata erat, ipsam vel Germaniam maiorem, quàm vt ab vno commodè regatur: ratus, Franciam occidentalem fidei tutelaque Ottonis committit: addit & Aquitaniam, vt hanc Ranulpho auferat, illam aduersus Cimbros iure suo tueretur, mandat. *Otto fit rex Franciæ.* Et Otto quo vicissim Arnulpho gratificaretur, sacra Galliæ peculiaria surripit, Arnulpho tradit. Nempe Dionysium illum Gallorum tutelarem cœlitem: & quem tanti æstimant, librum auratum, atque gemmatum, ob honorem tanti herois, iussu Imperatoris Caroli Calui, rectoris occidentalium Francorum, aureis literis scriptum, & ædi eiusdem diui amplissimæ in agro Parisiorum sitæ, dono datum. *S. Dionysius in Boiariam transfertur.* Arnulphus hæc pietatis monumenta, Reginoburgij in templo D. Haimerani tutelaris Boiorum numinis condidit, vbi adhuc monstrantur, religiose coluntur, passim coit frequens populus, vota reddit. Nosque hos dies, quibus illa religionis pignora ex Gallia furto sublata, & in Boiariam translata sunt, in fastos & acta retulimus, & festos habemus. Atque is, de quo dixi, codex, vitam & diuinam philosophiam Christi Domini Deique nostri, quos quatuor Euangelistas vulgus nuncupat, continet. In liminari pagina, Imperator Carolus Caluus, rex Franciæ occidentalis, depictus cultu regio, solio residet in alto: dextra læuaque adorabundi, ac supplices cornucopiæ exhibent, cum hisce carminibus. *Carolus Caluus.*

Francia grata tibi rex inclyte munera defert,
Gotthia te pariter cum regnis inchoat altis.

CIRCVM REGEM HÆC PENTAMETRA, hexametraq; elegiaca scripta leguntur:

Hic residet Carolus, diuino munere fultus,
Ornat quem pietas, & bonitatis amor.
HLudouic iustus erat, quo rex non iustior alter,
Qui genuit prolem hanc tribuente Deo.
Alma viro peperit Iudith de sanguine claro,
Cum genitor regni iura dabat proprijs.
Hic nomen Magni Caroli de nomine sumpsit,
Nomen & indicium, sceptra tenendo sua.
Istius imperio codex resplendet, & auro,
Qui bona construxit multa fauente Deo.

AD VMBILICVM HI VERSICVLI SVNT:

Bis quadringenti volitant, & septuaginta
Anni quo Deus est virgine natus homo.
Ter denis annis Carolus regnabat & vno,
Cum codex actus illius imperio.
Hactenus vndosum calamo descripsimus æquor,
Littoris ad finem nostra carina venit.
Sanguine nos vno patris, matrisq; creati,
Atque sacerdotis seruat vterque gradum.
En Beringarius, Leuthardus nomine dicti,
Queis fuerat sudor difficilisq; nimis.
Hic sibimet Lector succedant verba precantis,
Vt dicas, capiant regna beata poli.

Seruantur insuper in contubernio D. Haimerani saxa quadrata, in quibus hoc epigramma literis Romanis maiusculis insculptum est.

DIONYSIVS AREOPAGITA HIC REQVIESCIT SVB ARNVLPHO IMP. ET OTONE REGE SVB EVBVLONE ABBATE MONASTERII SANCTI DIONYSII GISALBERTVS FVRATVS EST QVINTO NONAS IVLII FVRTO SVBLATVS HVC VENIT PRIDIE NONAS DECEMBRIS TEMPORE TVTONIS EPISCOPI.

Gisalbertus.

IS Gisalbertus procerum locupletissimus fuit, ex composito sacrilegij condemnatus, de industria monasterium D. Dionysij deportatus, libenter à monachis recipitur, cum quibus frequenter bene victitans (nam & habebat, quod dabat, & dabat nemo largius) longè gratior factus est. Vbi satis fidei sibi habere videt, sumptus affatim suppeditans, dubiam cœnam, vinū studiosè optimum monachis, & contubernalibus omnibus monasterij, regio luxu apparat, in noctem protrahit conuiuium: illisque omnibus vino, somnoque sepultis, tum Gisalbertum sacrilegium perpetrasse literis proditum est. Quin etiam ostenditur diploma datum D. Haimerani mystis à Leone nono Pont. Max. qui coram oratoribus Galliæ Reginoburgij in æde D. Haimerani, in re præsenti, scrinia & monumenta vniuersa eiusdem fani perscrutatus, litem diremit, sententiam dixit, tantum cœlitem è Gallia furto sublatum, Imperatori Arnulpho traditum, in Boiaria Reginoburgij situm esse pronunciauit. Gallos, nisi mentiri desinant, deuouet. Et quid satis est? cui hæc parum sunt, ego cum pertinacibus digladiari nolim. Nam istis testimonijs non credere, complorata, perditaque est impudentia. Cæterum Arnulphus (inde enim ablatus sum) composita pace cum Ottone, Belgas, Germanos, Celticæ atque Belgicæ Galliæ incolas, atque regnum Lotharingiæ percurrit, in ditionemq; accipit: Vidonem in Italiam propellit. Deinde aduersus Rudolphum in Burgundiam arma mouet, petit Alsaciam. Ibi consilio cum Sueuorum dynastis habito, Burckhardo regulo Sueuiæ, vt cum popularibus Rudolphum, atq; Burgundionas ad obsequium ferro cogat, præcipit: ipse per Franconas in Boiariam hyematu Reginoburgium redit. Porrò Rudolphus, Burckhardo aduersus se aduentanti Bindroduri Sueuos à finibus suis vi prohibiturus armatus occurrit, prælium committit, sed amissis multis, à Burkhardo superatur, castris exuitur, & cum paucis ægrè ad iuga inaccessa alpium, sibi nota, perfugit: præruptisque rupibus latitare cœpit. Verùm mente meliore vsus cùm sero suo periculo didicisset, omnia consilio prius, quàm armis sapienti tentanda esse. maluit prius omnia experiri verbis, quàm aleam iactare, & rursus armis fortunam belli lacessere, de pace ad Sueuos legatos mittit, suppliciter colloquium petit. Accepta igitur publica fide Reginoburgium ad Arnulphum pergit: Burgundiam ab eo in tutelam accipit, sacramentumque dicit, se Arnulpho, regibusq; Francorum perpetuò fidem seruaturum. Bertham postea filiam Burckhardi Sueui, quo firmiores res illius forent, vxorem ducit. Mansitque regnum Burgundionum annos centum quadraginta duos. Perdomita Burgundia placuit Italiam asserere. Arnulphus igitur comparata valida manu per Tridentina iuga, Athesinamque vallem in Italiam contendit. Quod vbi nunciatum est Berengario, suos amicos nobilissimum quemque officij causa obuiam procedere Arnulpho iubet: fœdus, amicitiam, pacem petit, se in potestate regis Francorum, Germaniæque fore pollicetur. Quibus impetratis ipse Tridentum ad Arnulphum se confert, deditionemque facit, iussus quotannis militibus Francis stipendium pendere, rectorique Germano exercitum alere: cæterùm Italiam vniuersam ab Arnulpho in fidem recepit, præter paucas vrbes, quæ Germaniæ, Boiariæq; regno addictæ sunt. Italia pacata Arnulphus Forum Iulij petit, Pannoniarum superiorem partem, quæ ad Italiam vergit, Carnos, Sauum, Drauum, Noricos tractus, Charionum fines perlustrans, ibidem hyemauit. Apud Charionas natalem Christi concelebrauit: reuersus in Boiariam, Reginoburgij ver exegit. Æstate prima apud Forchaim concilium cogit, procerum pontificum Suatebogum, ac Ratholdum filios suos naturales, quos ex Helenrada tulit, reges constituit. Siquidem Vta iusta vxor legitimam sibi prolem non enixa foret. Eodem concilio adfuere Venedorum, Nordmannorum oratores, cum quibus fœdus more maiorum renouatum est. Soluto conuentu Cæsar Reginoburgium ad hybernandum proficiscitur. In Gallia Nordomanni agro Parisiorum vastato, Burgundiæ terminos inuadunt, sex menses Senonum vrbem frustra obsident, fortiter incolis ciuitatem defendentibus. Soluta igitur obsidione Lutetiam repetunt: inde recta Matronæ fluminis ripa ascendunt, Tricalsiorū vrbe potiuntur, eam diripiunt, incendunt vsque Verodunum, Tullumque oppida, & confinia vtriusque Franciæ, rapinis, cæde, incendijs, luctu complent: igne, ferro, vniuersa depopulantur. Malè tum quoque à nostris pugnatum est trans Albim aduersus Sclauos. Arno Wirtzeburgensis episcopus inter sacrificandum cæsus est. Luitpertus archiepiscopus Mogontinus vita decessit. Sunderholdus literis ab ineunte ætate Fuldæ institutus, à Poppone Turogorum tetrarcha educatus, ab Arnulpho ad sacerdotium trahitur, sublenatur. Grando insolita: eluuies aquarum, fruges, fœnum corrupit, obtriuit, vias oblimauit. apud Turogos nimbus de cœlo repentè cadens villas obruit, trecentos amplius homines cum pecoribus extinxit. Eodem anno qui fuit æræ Christianæ octingentesimus super vndenonagesimum, vicini nostri Vgri, qui sua lingua sunt Mægari, rege Cussale ex Scythia, Sarmatiaq; Asiatica, ex maximo Roxolanorū ducatu, transito Tanai in Europam, Sarmatiamque Germaniæ veniunt. Quidam soli melioris gratia patrios reliquisse lares, alij ad exonerandam prægrauantem domi regum multitudinem, alij pulsos à finitimis ferunt, pars ab Arnulpho aduersos Sclauos, & Suatebogum, cuius tum imperium in Germania

Vido in Italiā pulsus.

Arnulphus in Rudolphū bellum mouet.

Vrsinsterdur fortasis.

Bertha Sueua. Burgūdiæ regnū durat 142. annos.

Suatobogus qui alijs Zuendebaldus. Zuēdeboch, & Zundeboldh dicitur.

Vgri qui & Mægari.

mania interiore latissimum erat, euocatos, immissosque Germaniæ tradunt. Vtcunque sit, hæ sententiæ tamen minimè repugnant, neque sibi aduersæ sunt, simul omnia confieri potuere. Hoc satis constat, eius gentis progenitores (sicuti periti eius regionis scriptis produnt) adhuc habitare vltra Tanaim Rhaque flumen extra Sarmatiam Asiaticam, in Scythia, in extremo Aquilone, esseq; accolas Oceani Scythici, maximè Septentrionalis, quibus sedes nemora, alimenta pisces, feræque, vestimenta lupi, vulpes, martes, vrsi sunt. Sub imperio principis magni Moschorum, atque Roxolanorum, quos nos Massogetas atque albos Russos appellamus. Hisque quotannis pro tributo, preciosas pelles murium quos venantur, & nos Zobelos vocamus, pensitare: vbi alij hyperboreos, montes *Zobeli.* aureos Gryphas custodientes ponunt, & eos qui felicitate telluris aerisque temperie diutissimè viuant, donec eos satietas magis, quàm tædium vitæ capiat. Hoc anno, quo hæc scripsimus, dynasta ille Massogetarum maximus cum sacratis Teutonum equitibus in Sarmatia, sinuque Venedico considentibus, cumque Alberto illorum præfecto, ex Brandenburgensibus principibus oriundo, fœdus inijt, illis auxilia mitit aduersus Sigismundum Poloniæ regem. Diutius istuc bellum protractum est ob Boruscos à Polonis interceptos. *Albertus Brandiburgensis Marchio.* Sed ad Vgros redeo: qui tres annos per orientalis Germaniæ magnæ, Sarmatiæ vtriusque fines, ferocissimas nationes, vastas solitudines, syluasque palantes pererrarunt, prædando, latrocinando, venando victum quæritarunt. Quarto demum anno ab Arnulpho statas sedes impetrant. Tum Daciam vltra Tibiscam amnem, quæ cum Histro ad Eurum vergit, inuadunt. Auaros, Hunnos (quos eò submotos, propulsos esse ex Noricis, Pannonijs à Pipino Boijsq; commemorauimus) excindunt, delent, terram illorum occupant, quam adhuc tenent. Auarorum tum, atq; Hunnorum gens, nomen in Europa quidem interijt. Vbi Histri accolæ fuerunt, partim in Dacia, partim Pannonijs, Noricoque quingentos super nouem annos hactenus habitarant. Ijdem tum Vgri, Venedos quoque qui Daciam incolentes Morauiæ regulo Suatebogo parebant, magis ruina, quàm strage adficiunt: vniuersam Daciam subigunt quæ adhuc ab ipsis Vngaria Germaniæ Magnæ appellatur. Post mortem denique Arnulphi, Moëmaro, Suatebogo regulis Morauorum interfectis, Morauiæ quoque portionem occupant: & superato Danubio Boiariam inuadunt. Pannonias ad Histrum pertinentes, regno Boiorum auferunt: sanguinem humanum potant, qualia aptius suis locis referetur. Nunc ad ordinem rerum redeo. Primo vere subsequentis anni Arnulphus Pannoniam, tum orientalem Boiariæ limitem lustrat, Omontobergomi conuentum agit. *Ormonte.* Adfuere legati Stephani quinti Pont. Max. Senatus populique Romani oratores, orabant vt rex Francus iure suo vrbem Romam, Italiam adsereret à Saracenis, & pessimis Christianis liberaret, Francorumq; rursus imperio coniungeret. Quippe Vido filius Lamberti Spoletani ducis repulsam in Gallia passus, in Italiam redit, vrbem Romam, Rauennam, Italiam vltra Padum cum filio Lamberto, Beringario abstulerat. Saraceni quoque Fraxinetum in confinio Italiæ, Narbonensisque prouinciæ inuaserant, vtraq; regna incursationibus vexabant. Arnulphus legatis respondet, se non passurum, quàm primum per negocia licuerit, vt se viuo, terrarum Dea, gentiumq; Roma victrixq; mundi Italia, Saracenis & pessimis quibusque ludibrio sit, atq; direptui pateat. Suatebogo postea Morauiæ regulo, quòd is priuato amicus fuerat, & filio suo lustrico die nomen indiderat, Boiemiam quoq; condonat. Verùm iuxta prouerbiū. Morauus auctus regno, dum fortunæ sese permittit, naturam suam dedidicit. Soluto posthæc concilio istoc, Arnulphus aliud solenne mense Maio, more gentis apud Forchaim habet. Vbi ab eo Irmindruda Bosonis Imperatoris Ludouici secundi filia, cum filio Ludouico Galliam *Irmindruda Bosonis vxor.* Narbonensem in fidem accepit. Hugo ex Francia antiqua oriundus, Arelatensi præfecturæ præficitur. Hocq; conuentu peracto, Germanus præses supplicandi gratia Constantiam, inde Venedum lacum adit. Posthæc Reginoburgium in hyberna concedit. Ambricus vrbis episcopus tum defungitur, Tuto, in album Pontificū Reginoburgensium *Ambricus episcopus Ratispon.* ab Arnulpho adscribitur, anno salutis octingentesimo nonagesimo primo. Eiusdem anni quarto Idus Augusti Reginoburgium conflagrauit cū vniuersis templis, præter duas ædes *Tuto episcopus.* Haimerani, & Cassiani. Nordmanni ab Ottone, Galliarum rectore, apud Axonam flumen afflicti sunt. A Britonibus quoq; duobus prælijs superati, duodecim millia hominum amisere. Succenturiatis igitur copijs, nouoq; popularium delectu acto, in Orientale regnum tendunt. *Segibertus testatur sub anno 894.* Segifridus quoque & Godfridus reges ex septentrionali Germaniæ angulo, Cimbrorum, Suionum, Danorum, Norduicorum, Fennorum, Gothorum, Nordmanorum, maximo numero collecto (super centum millia fuisse tradunt annalium scriptores) successu suorum (qui vt dixi, Galliæ partem ab Imperatore Carolo tertio extorserant) inuitati, comparata classe, vestigia priorum insequuntur, in Gallia Belgica, Germaniaque inferiore adpellunt. Coniunctis deinde viribus, quibusdam ad tutandas naues relictis, ne via abeundi intercluderetur, orientalem Franciam vltra Mosam inuadunt, incolæ ad munita loca fugam intendunt. Nordmanni propter Louanium in ripa Thiliæ amnis locum palustrem occupant, ibi copias exponunt. Dumque talia fiunt, Suatebogus *Suatebogus.*

Arnulpho rebellat.

auctus Boiemia se regem appellat, res nouas molitur, Arnulpho rebellat. Arnulphus ad hunc motum comprimendum, Austriacum Boiariæ limitem petit. Sunderholdum archimystam Mogontinum, Arnulphum præfectum rei bellicæ, aduersus Cimbros cum Lotharingijs proficisci iubet. Hicq; repentè contractis copijs ex Germania superiore & inferiore, quæ sunt in Gallia Celtica, & Belgica, circa Leodium propter Mosam castra locant: prætoria tendunt: à traiectu amnis hostes arcere decreuerant. At Dani prius traiecti, quàm omnes nostratium copiæ coirent, Mosam superant, relictis à tergo castris nostris ad Aquas Graneas in syluis, paludibus, & alijs locis opportunis insidias locant, in quos nostri, vt qui passim sine ordine, ad exercitum festinantes commeatum conuehebant, incidunt, atque cum annona intercipiuntur. Quod vbi Francis nunciatum est, vocata concione, quónam pacto, aut vbi nam gentium hostibus occurrendum sit, consultant. Inter hæc pauci Nordmannorum adparent: nostri incomposito agmine, quo quemq; iræ impetus tulit, non præmissis speculatoribus, Nordmannos fugam simulantes insequuntur, ad insidiarumq; locum pertrahuntur. Fit clamor, Cimbri vndiq; erumpunt, pharetras more patrio gentis concutiunt: it clamor vtrinq; cœlo, prælium committitur. Lotharius quod inuitus solutis ordinibus, iniquo loco pugnare cogebatur, terga vertit, passim fugitur, passim more pecudum trucidantur. Sunderholdus archiepiscopus, Arnulphus dux copiarum, pleriq; nobilium, vulgus promiscuum, sine numero cæsi sunt. Hostes deinde castris, quæ vino, commeatuq;, & opibus referta erant, potiti, ea diripiunt, captiuos trucidant, occisis spolia detrahunt: accepimus hoc vulnus septimo Calendas Iulij. Dani posthæc victores, nemine resistente, ad prædam conuersi, omnem tractum inter Mosellam, Rhenumq; luctu complent, Ribuarium pagum vsq; Bonnam vastant, Landolphiam occupant. Sed reliquijs profligati exercitus, quæ iam vires receperant, aduolantibus, noctu descendunt. Prumiam tendunt, monachi diffugiunt, seruitia trucidantur. Inde Cimbri in Arduenna sylua, castellum in loco editiore conditum, quò vulgi inconditi magnus numerus confluxerat, expugnant, diripiunt: interfectisq; omnibus, superata Mosa, ad Louanium, vbi, vt dixi, consederant, cum ingenti præda reuertuntur. Nam Arnulphus crebris literis, item nuncijs certior de strage suorum factus, composito vtcunq; orientali Boiariæ regno, Boios domi reliquit, Suatebogo opponit, cum Sueuis & Franconibus fidissimis semper Germani principis auxilijs infesto intentoq; exercitu, quàm maximis potest nocturnis & diurnis itineribus spem summam in celeritate existimans, ad hostes cótendit: quos trepidos certamenq; detrectantes offendit. Mox proxime eos tabernacula figere iubet, animoq; volutat, quo nam modo prælium cómittat. Tutabatur à tergo Danos Thylia flumen, à fronte & læua, dextraq; lacus palustris erat, nec equitatu Cimbri adiri poterant. Sueui quód Nordmannos incredibili virtute, atq; exercitatione in armis esse audierant, perculsi metu, perterritiq; superioris pugnæ euentu clam dilabuntur. Arnulphus infracti animi heros nihilominus aut vincere, aut honestè mori voluit, pedestriq; certamine confligere decreuit. Vocatoq; Francorum equitatu, En latrones mundi, supremæ maiestatis hostes, inquit, comites deuotissimi: conspicite obsecro, quemadmodum cœlitus attoniti, & mortis imminentis metu perterriti, velut ante lanium victimæ trepident, ac vix arma retineant. Christus dominus, & Deus noster, scelerum vltor adest: cuius diuinitatem gens impia conuicijs lacessere ausa est, eius religionem polluit, sacra prophanauit, mystas occidit, templa diripuit, aras euertit, ædes diruit, ac solo æquauit: venit hora, prædones, sacrilegos supremum cœli numen in has angustias constipauit, vt à nobis militibus eius velut in cauea deprehensi, inulti more pecudum mactentur. Non parentes, cognatos, affines, fratres, sorores, coniuges, & liberos, atq; amicos, iniuriam nostram vindicare in animo est. Contumeliam Dei Opt. Max. ferro nostro, execratæ nationis sanguine expiabimus. Maiores nostri, socij, proceresq; pientissimi, sæpenumero admodum pauci cum infinitis hostium legionibus feliciter pugnauere. Paucorum ferè victoria est, qui freti causa, & cœlo, cautiores sunt. Multitudo confisa viribus suis, paucitatem aduersariorum contemnens, oblita dei, incautius agens, ruinæ magis quam stragi obnoxia esse solet. Proinde commilitones optimi, spem in Christo deo Opt. Max. habete: virtutem parentum æmulamini, sicut bonos ac pios decet viros, vt hactenus factitare consueuistis, fortiter agite, & quò seruator noster, superiq; cœlesti auspicio nos vocant, ite: me ducem, & Imperatorem sequimini: ego primus hoc ense capita deuota petam: ego primus aciem perrumpam. Hisq; dictis de equo in pedes desilit: cæteri idem faciunt, obsecrantq;, vt ipse equo sedens se pugnantes à tergo procuret, ne quid detrimenti à tergo accipiatur. Moxq; alacres composito agmine, à fronte, & sinistra, & dextra vndique Danos confertissimos inuadunt, contis hastisque primò sternunt, in flumen, quod vti dixi, tergo hærebat, propellunt. Hostes ira dei constipati, alius alij impedimento erat, nec arcus tendere, quo volebant, quibant. Deinde cominus strictis gladijs rés agitur. Nec vllus modus Franco cædis fuit, donec hostes cæsi, fusi in flumen præcipitati, ibi submersi, ad internecionem (ne vno quidem, qui ad classem custodientes nuncium cladis referret, superstite) penitus deleti

Dani Mosã superant.

Lotharius & Lotharingius pro eodem.

Dani Landolphiam occupant.

Arnulphus contra Suatebogum.

Arnulphi oratio.

deleti fuerunt. Duo reges Gotfridus, & Segifridus cum nonaginta amplius millibus popularium cæsi sunt. Alueus fluminis cadaueribus oppletus sicco pede transibatur: aqua cruore hostis infecta est. Nostris omnino incruenta victoria cessit: nemo desideratus est. Donum id dei fuit. Quamobrem eodem in loco Calendis Septembribus Arnulphus cum vniuerso exercitu supplicatum iuit, cœlesti numini grates egit, superis honorē habuit: isque dies in fastos Boiariæ relatus est. Sexdecim signa hostibus ablata, in monumentum victoriæ in Boiariam missa sunt. Posthæc Arnulphus ingenti onustus præda victorem exercitum Mogontiacum reducit, Francorum copijs dimissis. Hattonem monachorum, lacum Venetum, incolentium, magistrum perquàm callidum, & prudentem, pontificem Mogontinum nuncupat. Inde Sueuiam in hyberna petit, Vlmæ hyemauit. Hacque clade factum est, vt gens ferocissima, quæ per quadraginta amplius annos continenter vtrunque regnum Franciæ crebris incursationibus deuastauit, in posterum domi se continuerit. Etenim Nordmanni qui ad naues seruandas relicti fuerant, domū aufugere. Nam & illi, quos Imperator Carolus tertius in Gallia collocauit, eadem tempestate, à Carolo posthumo, data in matrimonio regia puella Hunthoni regi eorum, quem alij Rollonem vocant, pace Christiana imbuti sunt. Atq; hunc Carolum filium Ludouici Balbi, nepotem Imp. Caroli Calui, hisce diebus Franci occidētales apud Rhemos, dum Otto in Aquitania aduersus Ranulphum & filios eius bellum gerit, regem salutant. Folco archiepiscopus Rhemensis eundem sacro oleo inungit, diuturnumq; certamen his duobus de regno occidentalis Franciæ fuit. Vterq; amicitiam crebrò missis legatis, & muneribus, fauoremq; Arnulphi ambiuit. Is primo vere Austriacū Boiariæ limitem petit, mense Maio celebrem regni conuentum apud Hengstoueld agit. Quò cum Suatebogus venire contemneret, hostis Reipub. iudicatur. Interfuere eidem concilio Vratislaus vlterioris Poloniæ præses, & Cusalæ regis Vgrorum, qui adhuc incertis sedibus in Sarmatia Europea vagabatur, legati, pollicentes omnes vires suas aduersus Suatebogum, si sibi quasi prostipendio terra, quam armis occuparent, daretur. Grata legatio Arnulpho fuit, statim ipse annuit, & Morauos triplici exercitu inuadere decreuit, Cusalæ & Vgris popularibus suis Dacia destinatur. Vratislaus à tergo iussus est cum Venedis suis arma inferre. Arnulphus à fronte cum Francis, Sueuis, Boijs ingruit: per integrū mensem, nempe per totum Iulium Morauiam vniuersam percurrit, cuncta incendijs, cæde, rapina, luctu complet. Quicquid obuium fuit, trucidatur: fruges, villæ, agri, casæ, ædificia ardent. Arbores pomiferæ ab irato milite radicitus succiduntur. Porrò Cusala & Vgri longè crudelius sæuiunt, vtramque Daciam, citra & vltra Tibiscum, quatenus à Grano flumine, cum Sueuo monte, Danubioq; amne ad Pontum Euxinum excurrit, velut nimbus inundant, ferro viam aperiunt, colonos veteres trucidāt, regionem inter se sorte diuidunt, ibiq; perpetuò mansuri domicilia locant. Quæ adhuc Vngaria. Transsyluani, Septem castrenses, à literatoribus vulgò nuncupantur. Ea loca quondam incoluere Iaziges, Getæ, qui & Daci, & Goti contermini Sueuis, à veteribus propriè Dacia, communi vocabulo Scythia vocatur. Getas pepulere Attila, & Hunni. Post mortem Attilæ, Hunnis exactis, Gepidas, sobolem Getarum, ibi consedisse authores sunt. Longobardi gens Sueuorū Gepidas deuicere. Vbi illi in Italiā migrarunt, postea ibidem Venedi inualuere. Pars quoq; Hunnorum atq; Auarorum à Boijs & Carolo Magno, Norico, & Pannonijs pulsi, vltra Tibiscum amnem armis submoti sunt. Hæq; gentes tum dicto audientes fuere Suatebogo Sclauorum potentissimo, bellicosissimoq; principi. Vgri igitur Venedos, Auaros, Hunnos, Daciam incolentes, deleuere, Suatebogo ea loca iussu Arnulphi abstulere, ibi sedes sibi delegere. Vgris nunc Turcæ imminent, excidiumq; quotannis minantur. Ita nihil humanarum rerum certū est: vt homines, ita & regiones suus finis manet, sua fata vrgent. Suatebogus nondum satis tot cladibus perdomitus, in pertinacia mansit, latebras Hercyniæ petit. Vratislaus, & Arnulphus peragrata Morauia, hostili animo, victoresq; conueniunt, iussu Arnulphi Vratislaus legatos eius ad Litomarum Bulgarum regem deducit, fœdus more maiorum cum Bulgaribus ictū, in quo comprehensum est, ne rex eius gentis salem ad Morauos deuehi è regno suo de cætero permitteret. Sequenti anno Arnulphus templa orientalis Franciæ supplicandi gratia collustrat, in Vangionum vrbe concilium procerum cogit. Eò Carolus posthumus, quem Otto, compositis rebus in Aquitania, & frater eius Rudpertus Gallia exturbarant, venit, opem patruelis implorat, orat q; Arnulphum, ne se sanguinem suum, & legitimum Franciæ hæredem destituat, aduersæ & externo ludibrio esse patiatur. Ad hæc Arnulphus, Per me, inquit, patruelis charissime nō stabit, quo minus auitum, paternumq; regnum adsequare, te puero & impubere ne à Nordmannis vndiq; vrgentibus Galliæ interciperentur, Ottonem virum fortem & bellicosissimo precario ibidem regnare permisi: si quid ab eo fortè vel vi, vel prece, quouis modo extorquere poteris, Lotharingios, Galliæ finitimos opem ferre iubeo. Carolus itaq; accepto Galliæ regno in fidem ab Arnulpho, ab eoq; auxiliaribus copijs adiutus, trans Mosam procedit, in Galliā vi irrumpere contendit. Verum Otto armatus occurrit, ab aditu regni vi aduersarios prohibiturus. Non placuit

Gotfridus & Segifridus occiduntur.

Huntho rex Nordmannorum.

Otto, qui & Odo.

Folco archiepiscopus.

Conuentus ab Arnulpho apud Hengstoueld agitur.

Arnulphus & Vratislaus in Morauiam bellū mouent.

Sibenburg. Iaziges. Getæ. Daci. Goti. Attila. Gepidæ. Longobardi.

Vgri.

Litmair Bulgarum rex.

Carolus in Galliā contendit.

Francis cognatas acies committere, victricesq; dextras in sua viscera conuertere. Idcirco dimisso vtrinq; milite, Otto Luteciam Parisiorum, Carolus Burgundiam petit. Inter hæc Angelscalcus orientalis Boiariæ præfectus, quem Marchionem Pannoniæ vocant, gener Arnulphi, Wilhelmus patruelis eius Reginoburgij, in celebri Boiorum conuentu, quòd cū Suatebogo clam senserint, munera ab eo acceperint, sentētia crimine læsę maiestatis condemnantur: Angelscalco oculi exsculpuntur, Wilhelmus capite pœnas luit. Huius frater ad Morauos fuga elapsus est, gentemq; alioqui auidam belli concitauit. Arnulphus ergo rursus Morauiam inuadit, pręfractis claustris iuxta Granum amnem, montemq; Sueuum, Cusalam regē Vgrorum in Morauos iterum immittit. Tota Morauia rursus cæde, rapina, incendijs, luctu completur. Suatebogus serò tandem intellexit, quas vires lacessierit, coactus deniq; tot, & tantis malis pacem supplex petit, filium Moëmarū vltrò dat obsidem, ægreq; pacē ab Arnulpho impetrat. Ipse in paucis pòst dieb. tristitia, ægritudineq; animi mortem oppetijt. Filij eius Moëmarus, & Suatebogus ab Arnulpho Morauis imponuntur. Circa idem tempus Austriaco Boiariæ limiti Luitpoldum virum bellicosum, à quo cuncti principes Boij genus paternū trahunt, Arnulphus præficit. Cusala in Daciā quam armis subegerat, reuertitur. Posthac sex annis, quoad vixit Arnulphus, Vgri sibi ab incursationibus finitimorum cōtemperarunt, seq; intra terminos armis partos continuere. Vbi Arnulphus obijt superato Danubio, Pannonias, quatenus Danubio cohærent, Boijs præripuere: quæ suo tempore cōmodius narrabo. Arnulphus perdomito Suatebogo, Morauis subactis, cum Vgris fœdere facto, Vtinum Boiariæ oppidum in Norico Oeno conterminū, victor petit. Vta vxor eius ibidem habitare consueuerat, ea ibidem tum puerum peperit, quem Hatto archiepiscopus Mogontinus, & Adalberus, clarissimis ortus natalibus, episcopus Augustæ Rhetiarum, sacro fonte lustrauere, eiq; nomen Ludouici proaui fecerunt. Eadem tempestate Berengarius, nepos Arnulphi, cui Italiæ regnum cōmendarat, bis cum Vidone conflixit, bis acie victus est: quamobrem in Boiariā ad Arnulphum aufugit. Arnulphus filium Suatebogum, & Berengarium cum exercitu in Italiam contra Vidonem proficisci iubet: ipsiq; vsq; Ticinum incolumi milite penetrarunt, ibiq; vnum & viginti dies hæsere. Proceres à Vidone auro corrupti certamen detrectabant. Ideo nulla memorabili re gesta Berengarius, & Suatebogus inuiti in Boiariam ad Arnulphum reuertuntur. Legati quoq; Formosi Pontificis Maximi Senatus, populusq; Romanus, his diebus Vtinū veniunt, eos Reginoburgij Arnulphus audiuit: postulabant, vt Franci rerum domini, Romam, Italiamq; a seruitute Vidonis liberarent. Arnulphus consilio procerum habito, Italicam expeditionem meditatur: annoq; orbis seruati octingentesimo, nonagesimo quarto copijs contractis, apud Aibling in superiore Boiaria festos dies, quos in vltimo Ianuario celebres habemus, consumit. Inde cū Sueuis per iuga Tridentina in Longobardiā tendit. Receptus à Veronensibus, & cæteris Venetiæ, & finitimis vrbibus, Bergomum, quod cum firmo præsidio Ambrosius præfectus Vidonis tenebat, intento petit exercitu. Cumque portæ vrbis occlusæ essent, & nemo omniū prodiret, proxime mœnia castra fieri imperat. Sagittis de muro defensores deturbat, tota nocte excubias agitare suos, partito opere, ciues lacessere iubet. Postridie vbi illuxit, rebus diuinis ritè perpetratis, Bergomum diuiso exercitu ab omni parte oppugnat Calendis Februarijs, vrbeq; vi potitur: ciuibus trucidatis, eam diripiendam militi dedit. Ambrosium vrbis præsidem, cum baltheo, armillis militaribus, cumq; cultu principali, & insignibus potestatis, ante portam in crucem agit. Cæteræ inde ciuitates metu perculsæ vltrò oratores mittunt: certatim obuiam cum clauibus portarum procedunt, deditionē faciunt, se imperata obedienter facturos pollicentur. Arnulphus Ottonē Saxonum regulum, generum suum ad recipiendum Mediolanum præmittit, ipse rectà Ticinum pergit. Vido cum vxore Angeldruda, & Lamperto filio fuga salutem quæsiuit. Arnulphus itaq; pulso fugatoq; tyranno, totam Italiam à supero ad inferum mare percurrit: cuncta in deditionem cogit. Nihil tam firmum, tamq; munitum fuit, quod ei resistere auderet. Waldfridum læuum Italiæ latus, Meginfrido dextrum cōmittit. Inde oppidum Eporediam, Sibyllinis libris à populo Romano condi iussum, in potestatem, fugato Ansgerione eius tractus præside, redigit. Subacto itaq; Longobardorum regno, per alpes Cottias, oppidum D. Mauricij, per Burgundiam in Franciam redit, apud Vangionas conuentum agit, Suatebogum filium regem Lotharingiæ appellat. Ibi Ludouicus filius Bosonis cum matre Irmindruda ab Cæsare quasdam vrbes Burgundiæ impetrat. Otto quoq; Galliarū rex cum amplissimis munerib. adest, Arnulphū sibi conciliat: ab eo de integro occidentalem Franciam in fidem accipit: sancitaq; pace, in Gallias redit. Paucis pòst diebus & rex Carolus posthumus aduenit, Arnulphū, eius amicos orat, ambit regnum auitum, paternumq; sibi à patruele antè traditum, recuperare ope patruelis connititur. Verum auxilium illi aduersus Ottonem negatum, responsumq; redditū est, expectāda esse suprema fata Ottonis, eū, quem Franci regē sciuerint: quādoquidem & summus Francorū rex author sit factus, impugnari contra rempublicā, præter æquū bonumq; videri. Licere Carolo vbi velit, in Francia oriētali, & sub imperio patruelis suo more degere.

Engelschalk

Arnulphus rursus Morauiam inuadit.

Suatebogus moritur.

Vta vxor Arnulphi. S. Adalberus. Comes à Dillingen Episcopus Aug. Ludouicus, Arnulphi filius Vido. qui & Guido dicitur.

Decembrem forsan, & natalem Domini voluit intelligere.

Ambrosius Bergomi præses suspēditur.

Arnulphus Italiam in ditionē suā cogit.

Otto Galliarum rex.

At Suatebogus quidem filius ab Arnulpho Rex Lotharingiæ declaratus, quasi Carolo aduersus Ottonem suppetias laturus, Lugdunum obsidet. Otto qui cum in Aquitania bellum gerebat, obsessis in auxilium festinat. Quod vbi Suatebogus audiuit, soluta obsidione domum reuertit. Eadem tempestate Arnulphus Luitgardam amitam suam, cuius ope imperium Francorum nactus fuerat, quòd connubium, regnumq; affectare incusabatur, ad Chiminum lacum Noricorum, Boiariæq; maximum, in cōtubernium sacratarum fœminarum, vbi adhuc eius sepulchrum ostenditur, relegat. In Italia cum Vido diuinitus percussus interiit. Filius eius Lambertus cum matre a Constantino & Stephano, qui principes tum Senatus Romani erant, Romam euocatur, Augustusq; nuncupatur. Quamobrem Arnulphus literis & nunciis aliorum Romanorum, & Formosi Pont. Max. accitus, mense Octobri iterum Italiam petit. Cumq; ad Padum peruenisset, diuisis copiis, Sueuos Bononia per Apenninum Florentiam adire iubet: ipsi eodem, ora Ligustici, Tyrrheniq;, maris perlustrata, proficiscitur. Lunæ, quod primum Ethruriæ oppidū, portu nobile, anniuersarium sacrum, vltimo Ianuario concelebrat, quos dies natales Christo domino, deoq; nostro habemus. Ob crebros imbres, iugesq; pluuias in superando Apennino (qui mons Italiæ amplissimus perpetuis iugis ad Siculum fretum tendit) Sueui nonnihil detrimenti in impedimentis, supellectileq; acceperunt. In equos pestis grassata est: bobus clitellæ impositæ. Accessit aliud incommodū: Berengarius nepos Arnulphi, solitus scutum, ac ensem prægerere rectori Francorū, atq; Cæsari, secreto colloquio cum Alberto Tusciæ prædiuite dynasta habito, conspirasse clanculū aduersus Arnulphum ferebatur: nihilo secius tamen copiæ Florentiæ incolumes conueniunt, rectaq; Romam tendūt. Angeldruda & Angelbertus aduenienti Cæsari portas vrbis claudūt. Ille in tēplo D. Pancratij supplicatione vnius diei decreta, perlitat: deinde cōcione vocata, ita verba facit. Inuicti orbis Christiani proceres, meretrix impudica, paucorum scelere, Romam terrarū caput, mercedem stupri tenet, Pont. Max. communem mundi parentē in vinculis habet, vestrasq; victrices dextras scortum contemnit. Agite principes, & milites optimi more vestro, facinus antehac inauditum, ne syncera pars trahatur, ad viuū ferro resecate. Quæ sit imbecillitas aduersariorum, satis fœmina imbellis, quæ eis dominatur, ostendit: ipsi ne vultum quidē vestrum, atq; aciem oculorum, nedum arma ferre poterūt, modò expugnationem simulate, & diffugient. Dum hæc heros magnanimus loquitur, fortè fortuna lepus concionantis voce excitatus, vrbem versus fugam tendit. Milites (vti fit) leporem sublato clamore insequuntur. Qui in muro erant, se peti rati, mœnia relinquunt. Quod vbi conspicatus est exercitus, vndique vrbem adgrediuntur: pars scalas mœnibus admouet, in vrbemque inuadunt, & dolabris portas effringunt. Cæteri ariete crebro, ferratis vectibus mœnia quatiunt, ac suffodiunt. Tandem vesperi vrbe potiuntur. Inter hæc Angeldruda, & Lambertus fuga elapsi sunt. Pontifex, Senatus, populusque Romanus à seruitute muliebri liberati frequentes nullo honoris genere prætermisso, sacerdotum tribus cum sacris, diuina carmina, laudesque Superûm perstrepentes, obuiam Cæsari ad pontem Miluium procedunt: eum veluti liberatorem vrbis cum triumpho in templum D. Petri deducunt, Augustum appellant, Imperatoremque Romanum consecrant. Populus deinde Romanus in æde Diui Pauli Imperatori sacramentum dicit, quod huiuscemodi fuisse in annalibus nostris reperio. Testor Deum Opt. Max. omnesque cœlites, & per diuina mysteria iuro, me quoad viuā, fore in potestate Imp. Arnulphi Cæsaris Augusti: haud vnquam, ita me Deus beet, Lamberti, aut matris eius rebus studebo: nec facto, nec verbo fautor, aut consultor adero: per me ipsi nunquam quippiam dignitatis adipiscentur, tantum abest, vt hanc vrbem ope mea rursus in seruitutem redigant. Posthæc Constantinus & Stephanus, qui principem locum in senatu obtinebant, cum Angeldruda coniurārant, ei vrbem Romanam prodiderant, perduellionis crimine condemnati, in vincula cōiciuntur, in Boiariam in exilium deportantur. Cæteri huius conspirationis authores capite supplicium luunt. Hisce rebus confectis, Imperator Pharoldum quendam è suis præfectum vrbis creat, Romæque relinquit. Ipse quintodecimo posteaquam eo venerat die egreditur: Spoletum oppidum, vbi Angeldrudam latitare rumor erat, obsidet, expugnat. Quam cum hîc non inuenisset, Camerini, quo aufugerat, & quod oppidum munitissimum erat, eam obsidet. At venefica, cum vi nil proficeret, ad astum muliebrem conuertitur. Per Rodpyrgam, quæ lineas vestes aulicis lauabat, auro corrumpit Gramanum, & Curtiū prægustatores Augusti: his virus pestiferum, quasi poculum amatorium, quo animus Arnulphi erga Angeldrudam leniretur, tradit. Id illi potioni Cæsaris indidere, isque continuò capitis asperrimo dolore excruciatur. Metuens ne sub alieno cœlo morbus latius serpens perglisceret, relicto filio Ratholdo in Italia, genitale solum festinus repetit. Verona, atque per iuga Tridentina mense Maio in Boiariam peruenit: deinde Pannoniam, Orientalesq; Boios lustrat. Mosburgium Vratislao Duci committit. Inde Reginoburgiū se confert. Ibi Lazarū Episcopū Leontis Imperatoris Constantinopolitani, Basilij filij, legatum audit; pax fœdusque more veteri inter vtrunq; Imperatorem sancitum est. Princeps

Lugduni obsidium.

Luitgardis quæ & Hildegard.

Luna oppidum.

Forsan Decembrē voluit dicere.

Berengarius Arnulphi nepos.

Angelbertus, qui tamen verius Lambertus, filius Vidonis fuit.

Constant. & Stephanus in exilium pulsi.

Venenum Cæsari datum.

Mosburg. Lazarus. Leon Imp. Constant.

ceps Occidentalis Vtini hyemat, Morauorum legatis societatem, amicitiamque petentibus annuit. Maio mense Reginoburgij concilium procerum cogit, quo soluto, quòd æger erat, in Boiariæ secessibus hyemare decreuit. Fames eodem anno Boios afflixit, complures inedia perierunt. Augustus Iunio insequentis anni in vrbem Vangionum conuentum indicit, Suatebogum filium, & proceres eius in gratiam redigit, propitiandi supremi numinis gratia, Fuldam proficiscitur, Salsam inde prætorium petit, Venedorum, Sorabum mandata cognoscit. Postea in hybernacula Reginopurgium concedit: ibi Boiemiæ Duces cum muneribus benignè accipit, opemque ipsis, quemadmodum postularant, contra Morauos, quorum res tum validiores erant, pollicetur. Totum autumnum in Aquilonari Danubij ripa tum ob vires corporis recuperandas, tum vt Boiemis continuis Boiariæ opem sua authoritate præsentem ferat, transigit. Ciuile tum bellum Morauos inuoluit, quibus duo fratres Moëmarus, & Suatebogus imperitabant. Inter hos prauis consultoribus discordiæ letalis flamma adeò exarsit, vt non solum inuicem mutuis cædibus, rapinis, incendiis, sæuirent, verùm alter alterius vitæ insidiaretur. Pars quibus hoc parricidiale bellum displicebat, ad fidem Imperatoris confugiunt. Suatebogus quoque Cæsari obtemperabat. Moëmarus autem imperata detrectabat. Aribo præfectus, Luitboldus progenitor principum nostrorum, Austriaci Dux limitis, Augusti iussu arma in Morauiam mouent, eos qui dicto audientes non erant, igne, ferro perdomitant. Per idem tempus Aribertus Boiorum dynasta, quòd hostibus faueret, munera ab his acciperet, ab Vratislao Duce in vincula coniicitur, Luitpoldo superiori traditur, cathenatus ab eodem imperatori exhibetur, qui tum hyemabat in Norico apud Ramterdorff, Oeno conterminum, vbi nunc templum Aurelianorum mystarum est, proxime vrbem Braunavv. Eadem hyeme Boij rursus Morauos vastant cum ingenti præda, incolumi exercitu domos abeunt. Sub idem tempus in Gallia mortuo Ottone Carolus posthumus ab omnibus Occidentalibus Francis recipitur. Is cum copiis primum hostili animo ad Suatebogum filium Augusti iuxta Mosam venit. Verùm amicis vltrò, citrò commeantibus, pax ac fœdus inter Duces conuenit, religione iurisiurandi sancitur. Exacta hyeme Imperator Reginoburgium migrat, vbi Vta Augusta iuramento se ab adulterij suspicione exoluit: eam insontem esse duo & septuaginta optimates iurarunt. Iisdem diebus Arnulphus paralysi affectus, ægrotare cœpit. Erupitque tandem fama venenum illi datum, authores sceleris esse, quos suprà commemoraui. Radpyrga & Gramanus capti, quæstionibus adacti, facinus confitentur. Curtius fuga sibi consuluit, in Italiaque delituit. Gramanus Vtini capitali pœna plectitur. Radpyrga apud Aibling vicum primæ Vindeliciæ in crucem agitur. In Morauia Moëmarus Suatebogum fratrem prodente Eysenricho Boiorum purpurato, capit, in vincula coniicit, necare parat. Boij iussu Imperatoris in tempore suppetias capto ferunt: vrbem vbi captiuus detinebatur, expugnant, Duces, omnes captiuos liberant. Suatebogum secum in Boiariam deducunt. Imperator verò quòd aduersa valetudine laborabat, nauibus secundo Danubio in Orientalem Boiariam deuehitur, Eysenrichum apud Mutaram (vrbs est adhuc Austriæ) obsidet, oppido vi potitur. Eysenrichus licet fortiter repugnaret, viuus tamen in potestatem Cæsaris deuenit. Dumque Reginoburgium ducitur, negligenter custoditus, conscientia scelerum se ad supplicium trahi ratus, fuga euasit: Ad Morauos, & eorum regulum Moëmarum transfugit. Eodem tempore Angelmarus Bathauiæ Episcopus diem obiit: Bichingus ab Imperatore sacerdotio condonatur. Is fuit primo Morauorum Episcopus, quem potente Suatebogo Magno, Stephanus quintus Pontifex Maximus consecrarat. Ipsum Suatebogus non Morauiæ antiquæ, quam Pontifex Bathauensis in rebus diuinis procurabat, sed vlterioribus Sclauis imposuit: quos idem Dux armis domitarat, philosophiam Christianam recipere coëgerat. Cumque Suatebogus Imperatori rebellat, Bichingus ad Imperatorem aufugit, atque ab eo Bathauiam accepit. Verum in paucis diebus, quibus hæc acta sunt, Imperator moritur. Theodomarus Iuuauensis archimysta Boiorum cum collegis suis ad gregem desertum redire iubetur, classe Bathauensium Episcoporum mouent, Richarium in tribum Pontificum Bathauiæ referunt, anno ab orbe ex seruitute inferorum liberato, vndenoningentesimo. Cuius anni sexto Kalendas Decembris Imperator Arnulphus Cęsar Augustus paterna ægritudine Vtini extinguitur: vbi quidam eum apud parentem sepultum tradunt, alij eundem inde Reginoburgium translatum ferunt, ibidem quippe Mausoleum eius in æde D. Haimerani monstratur: & eidem quotannis eo die, quo ex hac vita migrauit, parentatur, & ex testamento panes pauperibus erogantur. sunt qui Arnulphum pediculari morbo, qui Phthiriasis Græcè vocatur, interiisse velint, qua fœditate & Sylla dictator, & Alcman ex clarissimis Græciæ poetis obiere. Posteaquam autem Arnulphus è medio excessit, sæuissima armorum tempestas tranquillitatem Christianam conturbauit. Discors Italia, victrix quondam orbis, nunc fœcunda Tyrannorum, externisque ob dissensiones ciuiles direptui patens, à pluribus miserè dilacerata est Tyrannis. Rathboldus filius Imperatoris per lacum Larium in Germaniam

Morani ciuile bellum habent.

Carolus à Francis recipitur.

Arnulphus paralysi afficitur.
Gramanus decollatur.
Radpyrga in crucē agitur

Mautern.
Eysenrichus custodia elapsus.

Morauorũ primus Episcopus.

Arnulphus Rom. Imp. moritur.

maniam redit. Lambertus filius Vidonis, capto, securique percusso Mæginfrido legato Cæsaris, Mediolanum, Ticinum, & continuas vrbes inuadit Berengarius. *Berengarius regno potitur.* Walfrido itidem Arnulphi præfecto honesta morte defuncto, Veronam, & finitima loca occupat. Albertus locupletissimus Ethruriæ princeps Rauennam, Bononiam, Romam in potestate habuit. *Albertus Ethruriæ princeps.* Eius socrus Theodora scortum nobile, atque imperiosum Romæ dominabatur: Ioannemque nonum, amatorem suum, Bononiensibus primò, deinde Rauennatibus, postremò Romanis imposuit, primariumque sacerdotem creauit, vnde fabellam ortam crediderim, quæ temerè vulgarit, hisce temporibus fuisse sacerdotē maximam fœminam, quæ appellata sit Ioannes. *Fabula de Papa muliere.* Albertus præfectus Eporediæ alpibus, qua iter est in Narbonensem prouinciam, incubabat. Saraceni item ex Africa in Campaniam, Calabriam, Apuliam, iussu Imperatorum Constantinopolitanorum, quibus superiores regiones rebellabant, traiiciunt: crudeliter eam Italiæ partem depopulantur. *Saraceni in Italiam.* Nec mitiores fuere superiores tetrarchæ. Qui, vt dissociabile est regnum, in se, licet affinitate coniuncti forent, sæuire cœperunt. Lambertus in venatione ab Hugone filio Meginfridi trucidatur, is patris necem vlciscebatur. *Lamberti mors.* Berengarius inde potentia & authoritate creuit, maximè data filia sua Gisala in matrimonium Alberto Eporediæ principatum obtinenti. Vnde susceptus est Berengarius secundus, & vltimus Italiæ tyrannus, qui cum vxore Villa exul in Boiaria Bambergæ diem obiit. *Villa quæ & Vuilla.* Dum talia post obitum Arnulphi in Italia geruntur, in Germania proceres, Pontifices, populus Francorum, anno ab orbe liberato noningentesimo apud Forchaim oppidum Franciæ, Boiariæque antiquæ conueniunt frequentes, communi consensu Ludouicum legitimum filium Arnulphi, septimū agentem annū, regem nuncupant. *Ludouicus filius Arnulphi fit Imp.* Tutores eius, Ottonem Saxoniæ regulum, cui soror Ludouici nupta, & Hattonem Mogontinum Archiepiscopum esse iubent. Rei militari Luitpoldum, Orientalis Boiariorum limitis Ducem, parentem principū Boiariæ, virum bellicosum præficiunt. Valdoni Fraxinenti Episcopo, vt regem puerum literis instituat, mandant. Scriborum epistolarum magistrum Theodomarum Iuuauensem archimystam Boiorum constituūt. Moxque Lotharingij à Suatebogo, filio naturali Arnulphi, quòd Episcopus verberaret nobilitatem, grauissimos quosque floccifaceret, scortorum, venatorum, & vilissimi cuiusque tinearum, soricumque arbitrio regnum administraret, ad Ludouicū Orientalis Franciæ regem declaratum deficiunt, certatim ad eum procurrunt, eundem armis trans Rhenum ad Diethenhofen producunt, vbi in noui regis verba iurant. Ludouicus receptis Germanis, quæ sunt in Gallia Belgica, Celticaque in Boiariam rediit. Vtini frequens habitauit. Frater eius Suatebogus impare matrimonio natus, contractis latronum & sceleratorum viribus, incendiis, deprædationibus Lotharingiam deuastat. *Lotharingiæ vastatio.* Dum incautius iuxta Mosam cum copiis fratris Ludouici confligit, à Stephano, Gerardo, Machfrido præfectis interficitur. *Suatebogus interficitur.* Creuerant sub principe puero tum in Germania vitia sacerdotum. Nam & Romanus Pontifex ob scelera malè audiebat vulgò, venter & ea quæ sub ventre, illis Deus erat. Vino, ocio, Veneri & Cereri dediti sacras prophanas literas iuxtà contemnebant. Virgines sacratæ passim incestu polluebantur. Adulterio nihil cōmunius erat. Arrogantia, superbia, luxus, libido, auaritia communia sacerdotum mala, inualuerant leuitatem illi omnem, veste, incessu, armis, quasi carnifices circulatoresque præ se ferebant: pauperes, pupillos, viduas compilabant. Nemo hos defendebat: Carmina amatoria passim cantitabantur, emere, vendere sacra, pietas erat. Conradus Hæopagus atque Geophardus Argentoratensis, vates diuini, tum fœcundiam in vitia sacerdotum & monachorum auiditatem exercebant. Ac nisi resipiscerent, flagellum DEI Attilam adfore propediem prædicabant. Sed nemo his rectè præcipientibus admonentibusque obtemperabat. Ira Dei mortales vrgebat, cum insipientissimi essent, sapientissimos se esse credebant, superstitionem religioni, vmbram rei speciem pietati præferebant, sed mox pœnas pecudes stolidissimæ crudelissimas dederunt, qui patri indulgentissimo bene monenti obedire detrectarunt. Hactenus Morauia Episcopis Bathauensibus, à quibus religionis nostræ rudimenta acceperat, in rebus diuinis dicto audiens fuerat. Mortuo autem Imperatore Arnulpho, Moraui, qui Moëmaro parebant, Eisenricho transfuga instigante ad Ioannem Pontificem Romanum, stupris & auaritia infamem, legatos mittunt, grauiter sacerdotum Boiorum mores accusant. *Sacerdotes Boij ab Eisenricho accusati.* Eos cum Vgris alienis à religione Christi amicitiam fœdusque iniisse, Vgros vt Italiam inuadant, ab his concitari. Insuper illos per canes lupum deierare: cum Sueuis & Francis dissidere, Sclauis inimicos intolerabiles esse criminantur: pecunia denique Morauí se ab iugo Episcoporum Boiariæ redimunt. Quippe Ioannes Archiepiscopus, Benedictus, & Daniel Episcopi, oratores Romani Pontificis in Morauiam proficiscuntur: Morauos à legibus mystarum Boiariæ soluunt: ipsis archimystam peculiarem designant, & ex vna Pontificali prouincia quinque conficiunt, reclamantibus Boiariæ sacerdotibus. Nam Morauí hinc ansa arrepta, Ludouico rebellant, præfectis Boiorum obtemperare recusant. Quamobrem Boij per Boiemiam, in commilitium secum Boiemis ascitis, in Morauiam hostili animo transitum

faciunt:

Morauia deuastatur. Hatto Archiepiscopus.

faciunt: per mensem ferè totam regionem ferro, flamma, cæde, incendiis, rapinis, fœdè deuastant, cum præda copiosa incolumes domos redeunt. Hatto archiflamen Mogontinus, quinque Boiorum Pontifices, quorum nomina iam infrà commemorabo, Ioanni vrbis Romæ primario sacerdoti literis conqueruntur, se falso, & immeritissimos accusari à Sclauis: Ioannem facinus indignum, aduersum pietati Christianæ, & maiorum decretis commisisse, liberè, & apertè, multisque verbis docent. Hortantur postremò, vt Morauos mendaciorum loquacissimos, corrigat. Nisi Boiorum præfectis & Episcopis pareant, fulmine suo terreat. Oportere primarium sacerdotem plus tribuere Boiis, qui rem Romanam restituerint, quàm Morauis, qui Romanam maiestatem vastant, & manubrio (ex facto huiuscemodi legatorum) Episcopi Romani occupato, à rege Ludouico deficere conentur. Boios tam sacratos, quàm populares pietatis Christianæ officio nulli genti secundos esse, à quibus nolint velint Sclaui, Moraui sub iugum mittentur. Claudunt denique his versibus epistolam.

Alme pater mundi, dignus prænomine Petri,
Nomine quem sequeris vtinam virtute sequaris:
Suáq; tuis ouibus protector verus, & ipsas
Commendes Domino, cælo qui præsidet alto.

Cusala Vgrorum Rex.

Vgri igitur septimo anno postea quam Daciam occuparant, vbi Imperatorem Arnulphum obiisse, Imperium in tot principes, & inter se dissidentes dissectum, Christianorum discordias vident, contempta pueritia regis, cuius ætas obnoxia fraudi foret, Pannoniam terram fertilissimam, ipsis finitimam, pecoribus pascendis opportunã, occupare statuunt. Quod vt facilius, feliciusque adsequerentur, Cusala Rex gentis celebrem admodum suorum legationem ad Ludouicum, Boiosque vicinos suos mittit. hisq; mandat, vt diligètius cuncta, situm Boiariæ, mores incolarum explorent. Legati per Boiariæ fines equis vecti, Reginoburgium perueniunt, nunciare iubent regi, velle se ad eum mandata popularium suorum perferre. Admissi in regiam, iussique considere, fœdus quod cum Arnulpho conuenerat, de integro renouari exposcunt: Vgros amicitiam Boiorum, vicinorum suorum, quorum ope statas sedes possideant, omnibus præferre nationibus commemorant, semper huius beneficij memores fore: insuper Morauiam se suis armis perdomituros, subactu-rosque Boiis pollicentur. Rex Germanus, & proceres fidem habent. pacem confirmant. Vratislaus quoque Poloniæ vlterioris, Venedorumque rector fidus nobis in hac societate comprehenditur. Posthæc Vgri, specie societatis cum Boiis factæ Morauos hostes Boiorum inuadunt, omnia incendiis, cæde, luctu complent: Moemarum, & Suatebogum regulos prælio occidunt, Morauiæ partem sibi vsurpant. Deinde Morauis quibusdã (quibus religio Christiana sordebat, & qui odio Boiorum ob antiquam simultatem tenebantur) duplici agmine Boiariæ regnum (sicuti Imperator Otto secundus Cæsar Augustus in diplomate, quod dedit Pilegrino Bathauensi Episcopo, & is in epistola ad Benedictum septimum Pontif. Max. data, refert) inuadunt. Pars Aquilonarem ripam Danubij vsque ad Anasi hostia sibi destinat. Rex Cussal alteram oram sibi deposcit. Erat autem tum Boiaria latissima, à Septentrione, & Occidente, & Austro (vti nunc quoque est) Francis, Boiemis, Morauis, Lyco, & Sueuis atque Italiæ continua fuit: ab Orientis ora Sauo flumine claudebatur: eratq; eiusdem pars Pannonia, cui Cussal Rex Vgrorum superato Histro de improuiso superfudit, Boiosq; vlteriores ob fœdus factum, nihil mali suspicantes, proinde imparatos adgreditur, fundit, trucidat, ducenta quinquaginta amplius millia passuum, longè lateque vno die Boiariam infra Anassum depopulatur: omnia ædificia incendit, vulgus inermeque cædit, nobilitatem, viros ac fœminas in seruitutem redigit, captiuos abducit, monachos, sacerdotes cum templis comburit: adeò vt in Boiariæ Orientali, & Pannonia, maxima Boiorum prouincia (vbi hactenus quatuor fuerint Pontifices, quatuorque ecclesiasticæ iurisdictiones, quas tum Parochias, nunc Diœceseis vocant, quæ Archimystæ Boiorum Laureacensi, Episcopo Bathauensi paruerant) ne vna quidem ædes sacrata relicta fuerit, eaque regni Boiariæ pars, quæ ad Eurum vergens, inde Austria dicta, ita deserta, ac in solitudinem redacta sit, vt nullum vsque ad Ottonem Magnum, cultorem Christianum habuerit. Verbis vtor Benedicti septimi Pont. Maxim. quæ ad Hainricum secundum, regulum Boiorum scripsit. Pars quoque Vgrorum Italos, quòd imbelles, ac dites esse audierant, petunt: ferro sibi viam aperiunt, Duces limitis Chatini Gotfridum, & Eberhardum occidunt, Gregorium Aquileiensem patriarcham in fugam vertunt, Aquileiæ, Veronæ agros vastant. Berengarium primum cum vrbibus totius Italiæ occurrentem superant, eius copias cædunt, ipsum in fugam vertunt: viginti amplius millia hominum vno die, milites, equites, sacerdotes, Pontifices, monachos, contrucidant. Inde Italiam cis Padum simili ruina inuoluunt. Luituardum Vercellensem Pontificem, omnium locupletissimum, Imperatoris Caroli tertij olim Magistrum epistolarum, cum maximis thesauris fuga salutem quærentem,

Vgri Morauiam inuadunt.

Cussal Rex Vgrorum. Boij fusi.

Monachi combusti.

Gotfridus & Eberhardus Duces occisi.

rem, in eos incidentem, mox interficiunt, opibus eius potiuntur. Longobardia ita crudeliter deuastata, incolumes eadem via, qua venerant, ad regem reuertuntur. Atque ego non Chronicariorũ (vt ita loquar) somnia, ne dicam mendacia, sed publicam instrumentum fidem Pontificumque Boiariæ lector authoritatem. Seruantur in Bibliothecis Boiorum publicis, Hattonis Archiepiscopi Mogõtini, Theodomari archimystæ Salisburgẽsis, Richarij Bathauensis, Valdonis Fruxinensis, Erckenvvaldi Aichstatensis, Zachariæ Sabonensis (qui iam est Brixinensis) Episcopi epistolæ, datæ ad Ioann. nonum Pont. Max. in quibus, quę scripsi, quæ ipsi pręsentes senserunt, quorũ maxima pars fuerũt, plusquã tragico more complorant. *Meminit etiam huius deuastationis Sigebertus.* Sed ad reliqua pergamus. Boij citeriores vbi de strage Boiorũ Austriacorum certiores facti sunt, ad arma, ad arma ingeminant: *Boij Austriaci.* pars in ripa Anasi amnis, communi impendio, non longè à Laureaco vetustissima atque celeberrima quondam Romanorum Colonia, nouum oppidum extruunt: *Laureacum Ro. Colonia. Hodie Ens oppidulũ est quod olim Ensburg dictum est.* communi impendio aduersus Vgros fossa, vallo muniunt, præsidioque firmant Anassoburgium, ab amne præterfluente nuncupant. Sighardus Senonum Princeps, in superiore Boiaria, inter Oënum & Senonem amnes in sylua, quam Carnodunensem vocatam reperio, arcem aduersus Vgrorum irruptiones, admonentibus sacris vatibus Conrado, & Gebhardo (quos suprà nominaui) condidit: *Seno & Seta etiam dicitur.* ab apro, quem ibi inuenit, Ebersperg, quod apri montem valet, & nunc in templũ amplissimum monachorum versum est, vocauit. *Ebersperg monasteriũ.* Inter hæc pars primusque Luitpoldus pręfectus militaris, cum paucis, cum Richario Bathauensi Episcopo, infesta acie, Vgris obuiam ire, perfidiam vlcisci festinant. Hoc vbi Cussal comperit, cedit, castra ad Phischam amnem infra Viennam Austriæ cum principibus suis locat. *Vischa amnis olim Viscaha dictus.* At partem eius exercitus, qui ab Aquilone vsque ad Anasi hostia cuncta attriuerat, ibique sedens pro victore se agebat, Luitpoldus adsecutus, de improuiso inopinatos adgreditur, primo impetu mille & ducentos in Danubium agit, præcipitat, atq; submergit, cæteros in fugam dat, cædit, prosternit, vsque ad Prespurg, nunc primam Vngariæ vrbem. Vbi traiecto Histro Cussalem victoria cum suis exultantem inuadit, aciem perrumpit, turbat, regem cum maximo procerum suorum numero ad superiorem amnem Phischam interficit. *Cussal interfectus.* Nostri cæsis hostibus ibi statiua aliquot dies habent, Deo immortali gratias agunt, per omnia templa Boiorum supplicatio decreta est. Dumque Vgros rege orbatos, cæde procerum fractos Boij rursus regno pellere, ad internecionem excindere meditantur, mox ciuilium armorũ strepitus in Francia Lotharingiaque, quo quinque Duces ablati sunt, intonat. *Ciuile bellũ in Francia & Lotharingia.* Ludouicus Rex, Luitpoldus militaris tribunus, Boiorumque proceres, eò ad domesticos tumultus comprimendos proficisci coguntur. Nam in Francia antiqua proceres mutuis vulneribus in seipsos sæuiebant: in Lotharingia trans Rhenum incendia, rapinas, cædes agitabant. Rudolphus Wirzeburgensis Episcopus, & Albertus, Adelhardus, Hainricus fratres filij. Hainrici, qui Bambergæ habitabant, discordia perniciosa digladiabantur, leuiculam sanè, atque pudendam ob causam, nempe de claritate generis, opumq; magnitudine ferro decertabant. Albertus cum fratribus, & Francorũ valida manu aduersus Rudolphũ hostili animo de Bamberga in aciẽ procedit. *Rudolphus Episcopus VVirtzburgen. à Reginone homo fatuus vocatur.* Nec segniores Eberhard. & Gebhard. Hassi & Chatti fratres Episcopi Germano suppetias ferunt: irruentem temerè Albertum fortiter pugna excipiunt, ferro aciem perrumpunt, militem Alberti sternunt, Hainricum pugna occidunt, Adelhardum viuum capiunt, is paulo pòst iussu Gebhardi securi percutitur. Eberhardus quoque multis vulneribus in prælio confossus, inter cadauera semianimis inuentus, domumque à suis deportatus breui animam efflat. Albertus qui fuga elapsus fuerat, reparatis copiis Rudolphum Wirtzeburgio pellit, opes, prædia Episcopi diripit, incendit, colonos interficit. Eberhardi filios oppidis, castellis spoliat, vltra Hercyniæ particulam, quæ Speshart vocatur, relegat, omnia cæde, incendiis, rapinis complet. *Speshart sylua.* Contra hæc Conradus Hassonum præses Frites lariæ copias equitum, peditumque cogit, frater eius Gebhardus in pago Franciæ antiquæ, quæ Wederavv dicitur, aduersus Albertum armatus considet. Albertus ex Bamberga antequam vires illi iungerent, cum suis prosilit, seque Gebhardum petere simulat, moxque iter & arma in Conradum conuertit: eundem imparatum occupat, vulneribusque multis confossum neci dedidit, tertio Kalendas Martij: cæteros in fugam vertit, inter fugiendũ ipsos prosternit. Inde per tres cõtinuos dies regionem eam ferro, flamma crudelissimè depopulatur, cum maxima præda, atque cum sociis posthæc Bambergam se confert. Sub idem tempus in Lotharingia Conradus Dux Mosellanus, filij eius Gebhardus, & Conradus aduersus Gerardum & Machofridum pugnis decertant. Argentoratenses quoq; cum Baldramo Episcopo suo dissentiunt. Hisce coacti Ludouicus Rex, & eius Magister equitum Luitpoldus, Boiorumq; equites (vtcunque compositis, firmatisque limitibus aduersus Vgros, quos interea quieturos, ob necem regis, primorumque sperabant) ad conuentum celebrem Tribuariæ (vicus est in agro Mogontino, Rhenique ripa) indictum abeunt. *Tribuaria.* Ibi Alberto dies dictus, quò venire recusauit. Ludouicus eum Therassæ in agro Bambergẽsi circumsessione claudit. *Teressmonasteriũ infra Bambergã.* Cumq; obsidio lõgius opinione traheretur, & fames vrgere obsessos inciperet, Albertus ad frau-

fraudem côuersus, deditionem simulare statuit: vbi soluta obsidione, periculo exemptus, copiæque, quæ tam facile cogi rursus non possent, dissipatæ forent, se demum omnia latrociniis, cæde, flamma, ferro, igne deuastaturum, aduersarios perdomiturum decernit. Supplex igitur in castra venit, veniam præteritorum orat. Verùm Egino, qui eius intimus fuerat, ab ipso ad Ludouicum, salute proposita, deficit, vniuersa consilia prodit.

Albertus Comes de Bamberg decollatur.

Quamobrem Albertus communi optimatum sententia, manibus post terga reuinctis, spectante vniuerso exercitu, securi percutitur, quinto Idus Septembris, Therestæ sepultus, opes eius, & prædia infiscantur, inter purpuratos quasi stipendia distribuuntur. Fama vulgatissima est, Alberto quòd se Regi committere metueret, ab Hattone Mogontino Episcopo, impunè venturum, impunè reductum iri, fidem datam, ambosque proinde posteaquam ex regia egresi erant, rursusque quasi ientaculum oblitos rediisse, deinde epulatos in castra venisse: ibi Albertum nec quicquam quiritantem, fidemque Pontificis, qui reditu iureiurando se liberatum interpretabatur, implorantem, pœnas capite persoluisse. Pacata Francia Ludouicus in Mediomatricum vrbem se confert: in frequenti procerum concilio Gerhardum & Machofridum proscribit. Inde Argentoratum petit Episcopum & ciues in gratiam redigit: hisque confectis in Boiariam redit. Sub idem tempus, Boiorum vniuersi Episcopi, præsules, nobiles, proceres, ciues, quibus iter in Orientale Boiariæ regnû, quam Austriam vocamus, erat, ad Ludouicum Regem Vtinum conueniunt, rapacitate publicanorum, magnitudine portoriorum, vicos, ciuitates, colonos, sacerdotes, expilari & exinaniri conqueruntur. Rex benignè supplices audit, negocium cognoscit: Ariboni Austriaci limitis Duci præcipit, vt cum Boiis Orientalibus à senioribus diligenter inquirat, quónam pacto portoria, tempore Ludouici & Carolomanni Regum Boiariæ data sint. Præterea Theodomaro Archiepiscopo Salisburgensi, Burckhardo Bathauensium Pontifici, Odagrio præfecto, negocium committit, sua voce hos defungi, ac in rem præsentem itare mandat. Fit igitur frequens conuentus Boiorum Rafueltstadij, præsentibus quos iam numeraui, Episcopis, & dynasta, Ariboneque limitis præfecto. Quadraginta amplius nobiles iurarunt, portoria ita exacta esse, sicuti hisce legibus, quas tum tulere, comprehenditur.

Odagrius, qui & Odacer.

Leges portoria.

Merces, naues improfessa publica sunto.

Nauis quæ ab Occidentali regno venit, posteaquam syluam Bathauensem prætergressa est. siue Rosdorphij, siue alibi venundandi gratia appellitur, semidrachmam, hoc est, vnum scutatum pendat: si infra Lentzium tendit, semimodios tres, hoc est, tres scaphulas salis soluat: copia postea sit cuique, quolibet versus Boiemiam, distrahendi gratia vehi.

De mancipiis, cæterisque rebus nihil penditur. Boius domum salem transuehens, nihil pendit. Boij, Sclaui, bobus, caballis, clitellis, vt victum emant commeantes, immunes sunto.

Naues Tranorum nil præstant.

Carri clitellarij, qui Anassum transeunt, scaphulam præbent.

Venedi, qui de Rugiis, Boiemis mercandi gratia veniunt, de clitella vnum scutatum tribuunt: de mancipio caballis venditis, Saicam vnam. Venedi verò in Boiaria incolentes, ementes, vendentes nil tribuunt.

Eberßperg an der Traun.

Naues salinariæ syluam Bathauensem egressæ, nil pendant, donec ad Eberßperg veniant: si quis ad Morauiam nauigat, de naue solidum soluat.

Mercatores, Iudæi, vndecunque sint. de rebus, & mancipiis iustum pendant vectigal.

Dum autem talia in Francia, & Lotharingia, & Boiaria fiunt, Vgri duos Reges Dursacum, & Bugothum creant. Pannonias ante in vastam solitudinem, Danubio tenus redactas, occupant, eas Boiis auferunt, vbi Colonias Vgrorum deducunt. Ipsaque Pannonia toties mutatis cultoribus, sæpenumero variis est appellata nominibus. A Græcis, & Latinis rerum authoribus Pannonia vltra Drauum, citra verò à Romanis Noricum, Ptolomæo superior Pannonia nuncupatur. Eadem Gallogræcia quondâ dicta à Scordiscis, Boiis, & cæteris Gallis (hoc est Teutonibus) reliquiis Boiorum ex Italia pulsorû, & Brenni, quæ ex Græcia Ducibus Euridano, & Thessalono eò commigrarunt. Post Gotos ab Hunnis ex Dacia pulsos & mortem Attilæ, Goti & Rugi hanc tenuere regionem, quocirca Gotthia, & Rugilandia: moxque Longobardia, hinc Hunnia, atque Auaria: postremò denique Venedia, & Boiaria, sicuti ante Iulium Cæsarem erat, fuit. Nunc est sexcentos, & viginti fermè annos Vngaria: parum abest, quin & nostro æuo Turcia tandem fiat, & eueniet: ea est ignauia nostra, nisi quid Deus prospiciat. Sed ad rem redeo. Ludouicus Rex Germaniæ, atque Boiorum ex omni Boiaria peracto delectu, Anasiburgium nouam Boiorum Coloniam se confert. Adsunt Episcopi monachorum antistites, proceres Boiorum, quinto decimo Kalendas Iulij, anno Christianæ salutis noningétesimo super septimam. Ibi decretum omnium sententia Vgros Boiariæ regno eliminandos esse. Vires igitur ex vniuersis Boiariæ prouinciis, ex Nariscis, Boëthis, Chamabis, Vindelicis, Noricis, Vennonibus, Athesinis, Stiriis, Venedis, Charinis, Carnis contrahuntur: bellum Vgris indici

Pannonia varia nomina.

Gallogræcia.

Gothia.

Rugilandia.

Ens oppidû Austriæ.

indicitur, intento infestoque exercitu vtraque Danubij ripa, proceres Boiorum in hostes contendunt. Ludouicus cum Burckardo Bathauensi episcopo, Arabone præfecto, Anassiburgij substitit. Belli deinde periti, omnes copias in tria agmina partiuntur. Luitpoldus Austriaci limitis dux, ripa Aquilonari. Meridionali verò in parte Theodomarus archimysta Iuuauensis, Zacharias Sabonensis, Otto Fruxinensis, cum monachorum præsulibus Gumpoldo, Hartuico, Helmprechto Vratislauiam vsque procedunt, ibique castra faciunt. Eodem in Danubio nauibus copias Sighardus Senonum princeps cognatus regis, Ratholdus, Hattochus, Meginvuardus, & Eysengrinus dynastæ Boiorum perducunt. Nec Vgri segniciei atque socordiæ, vbi se tantis apparatibus peti vident, se dedunt. Cuncta antea, quæ necessaria forent, arma, viros, equos comparant, iamque non pro gloria, sed salute pugnaturi, acriter resistunt. Interim aliquot equites, cæteras Boiorum legiones lacessere iubent. Regesq; vtriq; infinito equitatu, quo plurimũ tum valebãt, agmen episcoporum incessunt: quasi perrupturi aciem pernicibus equis magna vi impetunt: ingentem sagittarum imbrem infundunt, Boios spiculis, quæ corneis arcubus iaculabantur, obruunt, rursusque cædunt. Velociores erant, quàm exercitus noster graui armatura instructus. Rursus cùm procul abesse credebantur, aderant: eadem velocitate & sequebantur, & fugiebant. Dum te vicisse putares, in discrimine maximo eras. Eminus sagitta Vgri inimicos petebant. Nec enim aperto Marte, pedestri prælio, acie congredi, ense cominus pugnare, vrbes obsidere, oppida oppugnare, castella expugnare tum nouerant: sed nunc cedendo, nunc vrgendo, insidiisque dimicare soliti erant. Et tantus in illis dolus, tanta velocitas, tanta peritia militiæ inerat, vt absentes, an præsentes, fugitantes, an instantes, pacem simulantes, an bellum gerentes, perniciosiores essent, in incerto haberetur. Dum igitur vasto impetu aduolant, rursus verso equo instant: vtroque modo spicula spargunt, tela ingerunt, dextra, læua, à fronte, à tergo incursant, nostros defatigant: tandem vndique ingruunt, vndique Boios fessos inuadunt, superant, sternunt, cædunt quinto Idus Augusti. Noctuque clanculum Danubium tranant, Luitpoldum legatum Ludouici, Eysengrinum epularum magistrum, cum omnibus copiis, cum quindecim dynastis in castris trucidant. Postridie, hoc est tertio Idus Augusti, eos qui ad naues erant, facile absque labore, metu perterritos, simili strage adficiunt. Tres dies continenter irato cœlo pugnatum. Maxima pars nobilitatis Boiariæ perit, vulgus promiscuum sine numero occisum. Luitpoldus dux orientalis Boiariæ, author generis regulorum Boiariæ, præfectorumque prætorio Rheni, cum vndeuiginti Boiorum dynastis, quorum hæc sunt nomina, cæsus est, Piligrinus, Dietpoldus, Hebbo, Eysengrinus, Hathechus, Bero, Rudmundus, Leitfridus, Waltherus, Arebertus, Babo, Iringus, Gundboldus, Eysengrinus, Hathochus, Meginvuardus, Ratholdus, Albertus, Luitpoldus, hunc nostrorum principum progenitorem Nariscum, Boethumque, ex prosapia Imperatorum & regum nostrorum oriundum esse, in diplomatibus vetustis reperio. Nam ipsum Ludouicus rex, illustrem Comitem, & dilectum propinquum suum appellat. Conditum ferunt cum vxore Adelhaide filia Ottonis Saxonici, sorore Hainrici primi Cæsaris Germaniæ, Melici, quod contubernium diui Benedicti est in Austria, reliquit duos filios Arnulphum & Berchtoldum, qui regno Boiariæ potiti sunt. Nec quicquam vltra de paternis Luitpoldi maioribus, quo gradu contingat familiam Caroli Magni, ego quidem hactenus reperi, licet accuratè vestigarim. In bibliothecis Nariscorum, Boethorum, Bambergensium, vbi ortus fuit, amplius quærendum censeo. Perpauci (vt reuertar ad id, vnde euagatus sum) quos fuga seruauit, ad Ludouicum Anassiburgium perueniunt. Aribo in demortui Luitpoldi locum substituitur. Vgri tanta perpetrata cæde, potiti castris & præda, fugientium vestigia insequuntur. Ad quos coërcendos Ludouicus vires exercitus dissipati colligit, recentesque copias, quas secum retinuerat, ignarus insidiarum, quas hostis parauerat, educit. Nam Vgri in syluis, quæ erant fortè campo iunctæ, suos condiderant. Vbi in conspectu vterque exercitus fuit, hostis fugam simulat. Nostri auidius incomposito agmine, solitisque ordinibus insequuntur, ad insidias perducuntur. Vbi prætergressi sunt syluam, qui in ea latitabant, ex improuiso terga nostrorum, cum clamore adoriuntur. Qui antè fugerant, gradum sistunt, fortiter repugnant. Boij à tergo, à fronte vndique circumuenti interimuntur. Ludouicus rex Bathauiam aufugit. Quidam similitudine nominum, quæ vna duntaxat literula distant, decepti, hanc cladem Boios accepisse tradunt ad Augustam Rhætiæ, quæ Teutonum sermone Auspurg, vt Anassiburgium Ansburg nuncupatur. Vgri bis triumphatores tanto rerum successu elati, nondum sanguine humano satiati, totam Boiariam cæde, rapina, incendiis, luctu, cadaueribus complent: vrbes quidem, oppida, arces, loca munita declinant, quippe vi oppugnare, expugnare, obsidere, adhuc res ipsis incognita erat. Monasteria, collegia, virgines sanctas, viros sacratos, quòd hos inermes esse, auro, argento, gemmis, vestibus sericatis, preciosæ artis, signis aureis, argenteis, pecunia abundare acceperant, maximè petunt. Monachi, sacerdotes capti, & trucidati: partim igne excocti sunt, pars aufugit. Primò itaque hostes, infra Anassum templum diui Floriani diuique Hippolyti diripiunt, combu-

Nomina occisorum ab Vgris.

Melck monasterium.
Arnulphus.
Berchtoldus.

Aribo Luitpoldo substituitur.

Boij caeduntur.

runt, nihil intactum relinquunt: latebras omnes perscrutantur, colonos occidunt. Fit fuga, Christiani ira Dei attoniti, metu perculsi, desertis vicis, oppidis, pagis ad Iuuauiam, Bathauiam, Reginoburgium, pars ad Alpes, & ad latibula syluarum, paludum, viligines, cacumina montium, ad munitaque loca aufugiunt. Nemo nisi in tutissimis locis Vgrorum præstolatur aduentum. Qui vt maiorem terrorem sui mortalibus, vulgoque incuterent, sanguinem occisorum potant, supra cadauera epulantur, aluum excindunt, intestina scrutantur, corda particulatim dissecant, atque quasi efficax remedium deuorant: nulla misericordia, cæde, & sanguine gaudentes, mouentur. Eadem ferocitas fœminis inerat. Tot seruitia post fata in alio mundo contingere, quot hostes mactassent, credebant. Vastatis Boiariæ finibus, infra Anassum amnem equis (vt Turcarum mos, & Scytharum esse fertur) tranant. Matichouiæ prætorium, Mateseum templum mystarum incendunt, diripiunt. Inde nemine omnino obsistente, Vtinum perunt, ibi vrbem, regiam, & monachorum ædem in cinerem, & fauillas redigunt. Ciues, monachi, sacerdotes cum sacris, brachio D. Philippi legati Christi, D. Maximiliano, & aliis diuorum pignoribus Bathauiam aufugiunt, eaque in pariete inter duas pyramidas condunt. Quæ Friderico secundo imperante, pariete vetustate collapso, atque refecto, primùm prodita, atque reperta sunt. Posthæc Vgri Chiminum lacum adfligunt, Oeno superato ad Tigurinos, quòd ibi locupletissimos degere monachos à perfugis certiores fiebant, contendunt: templum solo æquant. Schliersee eadem ruina inuoluunt. Deinde Isaram traiiciunt, pontes Schaphonios, Beurn, Cochel, Schlechdorff, Stapffelsee inuadunt: fœminæ sacratæ, virginum maximæ, monachi magistri contuberniorum diffugiunt. Vgri spoliatis sacris ædibus, igne ædificiis immisso, Polling, Damasiam, Wesseprun (vbi septem sacerdotes deprehensos excruciant) adoriuntur, comburunt. Nec mitiorem fortunam Sandavv, Siuerstat, Thierhaupten Lycatiorum monasteria sensere, & hæc ab Vgris excisa euersaque sunt. Inde hostis peragrata superiore Vindelicia Fruxinum, & ad inferiorem Boiariam tendunt, monachorum monasterium, haud longè à patria mea destruunt. Rectaque Danubij ripa ad Abudiacum perueniunt, monachorum numerum per maximum, veluti pecorum gregem ante se abigunt: pueros, puellas, mulieres capillis colligarant. Boij rursus aleam belli tentare statuunt, iuxta Lengenfeld vicum viam prohibituri, prædamque excussuri, armatos se opponunt: sed vincuntur, funduntur, sternuntur ab Vgris. Qui exusto Reginoburgio nouo nondum mœnibus cincto (nam eam Imperator Arnulphus, sicut ipse in quodam diplomate refert, ampliauit) Osterhofen, vbi monasterium, ædes Palatinæ, Mausoleumque regulorum Boiariæ erant, comburunt. Ibi Danubium transeunt, Altaich superius, inferius, templum locupletissimum spoliant. Boiariam continuam Boiemiæ, Nariscos, Boethos, Chamabos peragrant, vastant. In confinio Franciæ, & Boiariæ Francos occurrentes superant, trucidant. Gebhardum regulum Francorum, Burckhardum Turogorum tetrarcham cum copiis occidunt: Sueuos, Saxonas, Turogos, Francos impunè nemine prohibente atterunt: iram Dei fuisse manifestum est. Nationes pugnacissimæ, gentes fortissimæ, tot hactenus triumphis clarissimæ, desperatione cœlitus debilitatæ, animoque fractæ, nil nisi de fuga cogitabant. Quas strages, quæ vulnera tum orientalis Francia, & præcipuè Boiaria ab hostibus religionis Christianæ acceperit, haud facile dictu est. Materia maior est viribus meis, disertioribus isthæc enarranda relinquo. Rex Boiorum, Francorumque his malis, post tot acceptas clades coactus pacem auro, tributoque annuo ab Vgris emit. Pontifices Boiariæ, sacras vestes, lineas, sericas, laneas, opes templorum, vasa Ecclesiastica, signa diuorum aurea, argentea, sacraque ob tenuitatem ærarij, egestatem populi, hostibus contribuere addacti sunt. Ludouicus in paucis post diebus, ægritudine animi animam efflat Reginoburgij, duodecimo Calendas Februarij, ibi in templo D. Haimerani extat adhuc eius sepulcrum. Liberos non reliquit, Luitgarda soror Ottonis, amita Imperatoris Hainrici primi ei desponsa fuit. Expleuit annos potestatis vndecim, ætatis duodeuiginti. In eo familia regia in Germania & Boiaria defecit. Vgri quoque audita morte eius venalem pacem Boiis offerunt, ac nisi auro actutum amicitiam mercentur, excidium vniuersæ nationi minantur. Has ob causas Boiorum proceres, atque pontifices, Narisci, Vindelici, Norici, Chariones, Austriaci frequentes Reginoburgij conueniunt, inferias regi reddunt: ex veteri instituto (quo ipsis ex se, & Nariscis principem, vbi defecisset principalis prosapia, instaurare licebat) Arnulphum regem Boiorum salutant, regio auspicio opus esse ad atrocissimos hostes superandos rebantur. Fuit is filius Luitpoldi, quem ab Vgris prælio cæsum diximus, vir prudens, pacis, ac belli artibus iuxtà præclarus, qui fortiter Boiariæ regnum tutatus est: primusque Vgros, quos inuictos crediderant, vinci posse docuit: atque non solùm populum Christianum ab incursatione eorum defendit, atque liberauit, verùm etiam hostes religionis ad fœdus & societatem, quoad vixit, armis coegit. Sub hoc principe, Marcellas tot cladibus vastata surrexit, Franci quoque iure suo, & Hatto Moguntinus archiflamen, Otto regulus Saxonum, penes quos summa rerum post mortem Arnulphi ha-

Hoc & Scythæ credebant.

Matichofen.

Mathsee monasterium.

NOTA.

Reginoburgium incenditur.

Osterhofen.

Rex Boiorũ pacem ab Vgris emit.

Ludouicus moritur anno 911.

Luitgarda, ab aliis Mathilda dicitur.

Arnulphus Luitpoldi occisi filius fuit.

ctenus fuerat, rebus Germaniæ, & orientali Franciæ, Conradum Hassum, filium Conradi, quem Albertus Bambergensis prælio occiderat, nullò gradu contingentem, regum Cæsarumque domum imponunt. Ideo Arnulphus rex noster, Gisalbertus dux Lotharingiorum, Erenger, Berchtoldus fratres, & Burckhardus Sueui, Conradum recipere recusarunt, Carolum posthumum iustum hæredem ex Galliis, & Occidentali Francia accersendum censebant: & à Lotharingiis Carolus acceptus est. Cumque in paucis pòst diebus Otto Saxonum præses diem obiisset, filius eius Hainricus, Conrado quoque parere contempsit. Et ne quid mali deesset, Albertus Tuscus, & Albertus Eporedus, gener regis Berengarij, qui principatum in Italia obtinebant. Ludouicum Busonis regis Narbonensis prouinciæ filium, nepotem ex filia Imperatoris Ludouici secundi aduersus Berengarium regem in Italiam vocant, Romam perducunt. Vbi ab Pontifice S. P. Q. R. Imperator Cæsar Augustus vno die appellatur. Ipse deinde totam Italiam cis & vltra Padum, Veronam quoque tam fidelem Berengario armis aufert. Berengarius secundò in Boiariam aufugit, ibique aliquot annos delituit. Ludouicus cùm totam Italiam subegisset, in ditione & obsequio retineret, Itali mandata obedienter facerent, dimisso exercitu Veronæ nimium securè cum paucis degit. Quod vbi Berengarius in Boiaria resciuit, auro quosdam Veronensium portarios, & mœnium custodes corrumpit. Ab hisce noctu in vrbem receptus, Ludouicum imparatum occupat, in templum confugientem capit, eidem oculos eruit, & rursus Italia potitur. Vgris isthæc omnia opportuna erát, armis comparatis, ab Arnulpho & Conrado rege nouo tributum postulant: quod nisi vt Ludouicus reddat, omnia se deuastaturos, soloq; æquaturos cóminantur. Arnulphus legatis respondet. Ego, inquit, ab ineunte ætate cæteris imperare, non parere didici: veniant Vgri, & nos habere ferrum, & in pugna (hanc ostentabat) quinos digitos sentient. Vgri his auditis, continuò Boiariam copiosissimo equitatu inuadunt. Arnulphus imbelles cum rebus suis & supellectile ad tutiora loca migrare iubet. Milites, equites, per syluas, paludes, & loca Noricorum opportuna in insidiis passim condit: cum paucis expeditis, delectoque equitatu hostibus apparet, rursusque cedendo fugam simulat. Vgri superato Anasso amne, per Noricum quatenus Oeno conterminum est, freti viribus suis, & multitudine, fidentesque superiori prosperitati, peruagantur, pernicibus equis sursum deorsum volitant. Vtrini tandem, cursitando fessi, traiecturi Oenum, coëunt: ibique consident, se pro victoribus incautius agitant, & quasi secum nemo armis congredi audeat, seriò triumphant. Arnulphus explorata hostium socordia, cum omnibus qui latitabant, vndique subitò erumpit: de improuiso adest, vndique ab omni parte hostem circumuenit, omnem cædendi copiam, quo pacto gens bellicosissima confligere consueuerat, intercludit, vasto impetu à læua cataphracti, hastatique: à dextra milites contis, Arnulphus à fronte cum sagittariis Vgros aggrediuntur, cædunt, propellunt, fundunt, in Oenum agunt, ibique submergunt. Flumen quod antè pro ipsis erat, in contrarium versum, & alteram Oeni ripam nostratuum pars signo ab Arnulpho dato, armati insederant, tranare conantes excipiebant, ita ne locus quidem ad fugam hosti fuit. Omnes ad internecionem, ne vno quidem superstite, deleti sunt. Victor Arnulphus vota pro victoria suscepta reddit. Boiariæ limites firmissimis munit præsidibus, fratrem suum Berchtoldum, Vennonas & Athesinos administrare iubet. Austriæ infra Anassum, Rogerium armorum, Martisque studiosissimum, inclytum fabulosis Teutonum carminibus, cuius & Metellus Tigurinus in Lyricis meminit, præficit, Vgris opponit. Ibi vicos, templa reparare, colonias Boiorum, Venedorum deducere studet. Nam & ante Vgros ea pars Norici cum Pannonia pluribus vicis quàm vrbibus frequens fuerat. Charinis rectorem dat Ratholdum Senonum Dynastam. Cæteri Vgri, qui domi erant, quòd repulsi à Boiis Franciam, Sueuiam, Saxoniam intrare nequibant, facto cum Arnulpho, & Boiis perpetuo fœdere, iram in Italos vertunt. Berengarius ab ipsis pacem venalem mercatur. Hisce diebus Angerion, & Berchtoldus fratres Sueuiam aduersus Conradum regem occupant, partium eius episcopos oppugnant. Aenardus igitur Nemetum pontifex excæcatur. Solomon, Constantiæ primarius sacerdos in vincula coniicitur. Orbertus Argentoratensis ferro necatur. Richuinus demortui dignitatem inuadit. Inter hæc Vgri Sclauos, Saxoniam, Turogos, Franciam vsque Fuldam peruastant, inde per Sueuiam delati Rhenum transeunt, Lotharingiam, Alsatiam depopulantur, Basileam euertunt. Conradum pacem pecunia redimere, annuo tributo stipendioque adigunt. Deinde Longobardos impetunt, Berengario consentiente. Aduersus Lambertum episcopum Mediolanensem, & Albertum generum regis Hyldebertum præfectum prætorio: item contra Gisalbertum, & alios principes Italiæ, regi rebelles, feliciter dimicant, cum ingenti prędá domum incolumes reuertuntur. Eadem tempestate anno ab orbe seruato noningentesimo super sextumdecimum, indictione quarta, duodecimo Calendas Octobris, regni Conradi piissimi & Christianissimi regis, quinto concilium sacerdotum frequens apud Althaim, in pago Rhætiæ cogitur ab Ortonensi episcopo, legato Ioannis decimi Pontificis Maximi. Vbi hæc decreta fuisse reperio.

Quisquis regi fidem non seruarit, aut idem rebellare conatus fuerit, diris deuotus esto.

Arnulphus rex Boiar. Gisalbertus dux Lotharingiæ.

Berengarius rursus Italia potitur.

Vgri à nouo rege tributū postulant.

Vgri Boiariam inuadunt.

Rogerius R[illegible] [illegible] à Germanis di[illegible]. Metellus Tigurin. poeta in Bibliotheca Tegernsens[illegible] habetur.

[illegible] von der [illegible].

Angerion, qui [illegible] Erchingerus, & Berchtoldus [illegible] Sueuiæ.

Cōradus primus Imperium à Francis ad Saxones transtulit.

Aenardus episcopus, ab aliis Bernardus; & [illegible] Gebhardus dicitur.

Solomon Comes vel Baro à Ramb[illegible] episcopus Constant.

Orbertus occisus 30. Augusti, anno Domini 913.

Richuinus.

Lambertus episcopus.

916. Synodus celebratur.

Concilium sacerdotum.

Decreta Ioann. decimi pontif.

Erchingerus quandoquidem cum sociis vitæ regis, domini sui, & Christi Dei insidiatus est, à classibus Reipublicæ, armorumque exors esto, in monasterio captus perpetuo arctioris religionis disciplina scelus expiato.

Erchingerus capitur.

Richuinus Argentoratensis ædis occupator Herigero Mogontino archimystæ satisfacito. Quod si contempserit, curia sacerdotum exauguranto.

Herigerus episcopus Moguntinus.

Episcopi Saxonum, qui præsto esse recusarunt, sacrificiis abstinento: donec Romam ad eluendum facinus perueniant.

Erchingerus, Berchtoldus, Burckhardus, Arnulphus, quòd nostro decreto non steterunt, nec dicto audientes fuerunt, in numero impiorum, atque sceleratorum habentor: nemo non eorum aditum, atque sermonem defugito, ne quid ex contagione incommodi accipiatur.

Côradus contra Arnulphum. *Conradus Reginoburgiū capit.* *Arnulphus proscribitur.*

Conuentu hoc peracto, Conradus in Boiariam aduersus Arnulphum cū exercitu transitum facit, castra Reginoburgio admouet. Arnulphus siue vim eius ferre non valens, siue ne ciuili bello dissidentibus Vgri ingruerent, Iuuauiam secedit, ibique se continuit. Conradus Reginoburgij acceptus, Boios sibi sacramentum dicere iubet: Vindelicos, Nariscos occupat. Nonis Octobribus Reginoburgij concilium procerum, & episcoporum cogit. Ibi Arnulphus proscribitur, eidem sacerdotes malè precantur, huiuscemodi denique precibus Thiestæis ipsi sacrificiis interdictum est. Quoniam Arnulphus, & socii eius (inquiunt) regi & principi suo parere detrectant, inferis perpetuò deuoti sunto: nec vllo vnquam piaculo resoluuntur, cum Iuda proditore, cum malis geniis ignis æterni carnificina excrucianto. Posthæc Conradus Boiariam in tutelam tradit Eberhardo fratri suo, & contra Erchingerum & Berchtoldum proficiscitur: redactosque in potestatem Aldingæ securi percuti iubet. Interea Arnulphus è Iuuauia erumpit, Eberhardum Boiaria pellit, Reginoburgium, & Boios recipit. Quod cùm Conrado nunciatum esset, hostili rursus animo in Boios castra mouet, Arnulphum Reginoburgij obsidet. At is eruptione facta euasit, & ad alpes Noricas, Carinasque fugam capessit. Conradus deinde Reginoburgium ad deditionem facilè cogit: Boiariaque in obsequium redacta, in Franciam redit, in Hereldensi monasterio natalem D. Iohannis celebrat. Sequenti anno morbo affectus cùm desperasset salutem, conuocatis proceribus Francorum, Hainricum regulum Saxoniæ, nepotem ex filia Luitgarda Imperatoris Arnulphi, successorem designat: sceptrum, ensem, diadema, insignia Imperij per fratrem Eberhardum eidem mittit: populū Germanum, Rempublicam Christianam eius fidei & tutelæ commendat: decessit anno Christi domini Deique nostri nongentesimo vndeuigesimo, regni septimo, Fuldæ sepultum esse aiunt. Arnulphus vbi certior factus est de morte Cæsaris, e vestigiò ex latebris prodit, Reginoburgiumque redit, certatim ad eum Optimates, Pontifices Boiorum conueniunt, reditum gratulantur: eundem denuò regem Boiariæ salutant. Hainricus Saxo posteaquam hæc accepit, Boiariæ fines cum exercitu petit. E diuerso Arnulphus intrepidus procedit. Vbi in conspectum vtraque acies iam dimicaturæ steterunt, Hainricus caduceatorem cum mandatis præmittit, qui denunciaret interesse Reip. vt Arnulphus solus cum solo, communis salutis causa, de summis vtriusque rebus secretò colloquatur. Non respuit conditionem Arnulphus, amboque duces absque cunctatione, æquo ferè spatio a copiis vtriusque ad colloquium venerunt. Priorque Hainricus: Non te tam barbarum (inquit) aut imperitum religionis nostræ existimo, quin planè intelligas regem non à fortuna temerè dari, nec à fatis imponi, sed à supremo cœli numine cōstitui. Cuius mandata qui non facit, is haud dubiè cœlo, naturæq; repugnat. Senatus, proceres, populus, plebes, quæ multorum capitum bellua est, me regem vno omnium consensu declararunt. Horum mentibus nisi vnus & summus Deus author pacis & concordiæ incubaret atque moderaretur, haud vnquam fieri posset, vt non suus cuique mos esset: non tot sententiæ, quot homines essent. Vndique inimici imminent, Galli, Burgundi, Itali, Vgri lacerant, diripiunt, in nos sæuiunt, incursant. Si quis gregem ab immortali maiestate sibi creditum non tutaretur, non vniuersa ad plebis vtilitatem, veluti parens communis à Deo datus refert, nihil aliud quàm latro, & eius regnum publicum est latrocinium. Proinde si Senatus, populusque Francus me hoc fasce leuarit, tibique hoc oneris imposuerit, libens cessero, libentissimè tibi paruero. Atque vt apertè tute sentias, quam nihil minus mihi cordi, quàm dominandi libido siet, non solùm Boiariæ regnum locupletissimum, Nariscos, Alemannos, Chamabos, Boëthos, Sudinos, Ilistos, Marcomannos, Quados, Vindelicos, Noricos, Austriacos, Tyrollios, Athesinos, Vennonas, Stirios, Charinos, Venedos, Carnos, Pannonias tibi, sicuti possides, permitto: verùm sacratarum ædium quoque, opum ecclesiasticarum, episcoporum, sacerdotum, mystarum, monachorum, antistitum, omnium curatorem te esse iubeo, & patronum: illos tibi in clientulos dico, modò nomen regis inutile abdicato. Cuncta alia tibi habeto: quid nunc aliud tibi vis? Quid vltrà desideras? quæ concupiscis? quæ postulas? Vniuersa tibi fauore & gratia mea absque periculo, sine vi, sine armis obtinere licet. Facile ratio tam salubris consilij ab Arnulpho recepta est. Quocirca principes absque cunctatione, dextris datis,

Anno Domini 918.

Regnum Boiariæ quale fuerit olim & quàm diues.

datis, pacem faciunt, quam liberorum connubio, sponsalibusquè confirmant, Iuditha filia Arnulphi, Hainrico filio Cæsaris despondetur. Gerbirga filia Cæsaris Arnulpho filio ducis datur in matrimoniū. Coniunctisq; viribus Boiemiam vndiq; pro natiuo muro sal tib. Hercyneis clausam penetrant, Boiemos ad obsequium cogunt. Tuto Reginoburgensis episcopus, cuius prouincia tum erat, ibidem Pragæ (caput est gentis) templum diuo Vito dedicat. Hactenus Boiaria per centum triginta annos Reges & Imperatores habuit. atque dedit: postea per duces administratur. Quorum primus Arnulphus Reginoburgium nouum ab Arnulpho Augusto, vt dixi, prolatatum, nec dum muro cinctum, mœnibus, breuius opinione, diuiso opere inter proceres Boiorum communiuit. Pontifices Boiariæ, tum Iuuauensis, Bathauensis, Fruxinensis, Sabonensis, Augustanus, Aichstatensis & subsequenti seculo Bambergensis, ingentia condidere, accepereque Reginoburgij, circum ædes reguli Boiorum, prætoria, quæ adhuc ibidem nostro æuo & dux, & hi episcopi possident. Fuit enim Reginoburgium sedes longo tempore regulorum Boiariæ, sacerdotesque superiores aulam principis Boiorum frequentes sectabantur, statis diebus, quotannis, conuentibus iuridicis, cæterisque Boiariæ conciliis, interesse solebant. Reges illo seculo in demortuorum episcoporum locum, in senatum pontificum, præsulum quoscunque libuit, allegabant. Eam cooptationem pontificum, præsulum, mystarum, monachorum, Hainricus in Arnulphum transtulit: eaq; potestas sacerdotes creandi beneficium posthac Arnulphi fuit. Qui ad Dingelfing oppidum inferioris Boiariæ, in ripa Isaræ situm, concilium Boiorum conuocat. Interfuere quinque Boiariæ primarij sacerdotes, Hyldebertus archimysta Iuuauensis, Isengrinus episcopus Reginoburgensis, Gerardus Bathauensis, Wolframus Fruxinensis, Nithardus Sabonensis, & Sarcolochus, & Godbertus sacrificuli, quos Chorepiscopos vocant. Nuncij Vdalfridi Aichstatensis tum ægroti. Hoc concilio Arnulphus, prædiorum Ecclesiasticorum, quæ Vgri depopulati fuerant, ab aliisque occupabantur, vsusfructus sacerdotibus, monachis restituit: templa, sacras ædes refici, instaurari iussit. Maias & Caninas, item vicos, vineas, aliaque prædia prope Tyrolios, in Vennonum, Athesisque valle, quæ adhuc ibi mystæ Fruxinenses possident, Wolframo reddidit. Episcopos, monachos, sacerdotes, quorum quidam excusso seuerioris religionis iugo populariter viuere cœperant, sub arctioris disciplinæ iugum misit. Sub idem tempus in occidentali Francia Rupertus frater Ottonis regis Carolo postumo rebellat, seque regem appellat. Carolus Rupertum pugna victum hasta confodit, Franciam orientalem, Germaniasque sicuti iustus hæres repetit: vsq; Mogontiacum procedit. Castra in agro Vangionum facit, sed ab Hainrici copiis in fugam vertitur. Eodem anno Hainricus Mediomatricum vrbem obsidet, in deditionemque cogit. In Italia Lambertus archiepiscopus Mediolanensis, cæteriq; principes Italiæ à Berengario descisicunt, Rudolphum regem Burgundiæ (cui filia Burckhardi Sueuorum reguli nupta erat) euocant in Italiam, regemque constituunt. Is præter Veronam, Italiam totam Berengario præripuit, treisque annos quiete regno Longobardorum potitur. Dum quarto anno in Burgundiam redit Berengarius Forouilianus, qui hactenus se Veronæ continuerat, à Flammoberto quodam trucidatur: fugitiuam à se Italiam comprehendere nisus, cum Vidone, eius filio Lamberto, Spoletanis, Ludouico Narbonensi, Rudolpho Burgundo, vario euentu per quinque & triginta annos ferro disceptauit. Bis pulsus in Boiariam aufugit, bis reuocatus regnum recepit, tandem Veronæ necatus, vitam simul cum regno amisit. Mox Longobardi à Rodolpho quoq; deficiunt, Burckhardū socerum Rudolphi, qui genero suppetias ferebat, dolo circumueniunt, interficiunt, Rudolphus Italia excidit. Hugo Arelatensis ab Italis accitus regno potitur Longobardo. Albericus eius priuignus, cum matre Marzia vrbem Romam occupat, vitricum vrbe pellit, Ioannem fratrem suum Pont. Max. designat. Dum itaque Christiani ciuilibus armis in sua viscera sæuiunt, Vgri à nouo rege tributum postulant. Quod cùm negatum esset, Italiam duce Salardo inuadunt, Ticinum comburunt. Inde Sueuiam, Lotharingiam, Gallias ferro, flamma vastant. Transito in agro Vangionum Rheno, Franciam, Turogos, Saxonas armis prædando perlustrant: sed à rege Mersburgij superati, proceresq; plerique capti sunt. Cæteri vt hos redimerent, atq; incolumes domum dimitterentur, nouem annorum inducias paciscuntur. Posthæc Carolus, & Hainricus Confluentiæ primò, deinde Bonnæ conueniunt, amicitiam iureiurando confirmant. Carolus Germaniis, tota Orientali Francia excidit, neque posthac ad nostrum vsque seculum sub vnius ditionem coiere Galliæ atq; Germaniæ regna. Quamuis istuc summa ope superiore anno Franciscus occidentalis rex Franciæ (dum competitor Romani Imperij, atq; candidatus, Carolo Belgæ, atq; Norico fuit) studuerit efficere, id quod antehac quidem sæpius factitatum fuisse, & hinc vsque ad Imp. Hainricum secundum pronepotem Arnulphi ex filia tentatum fuisse reperio. Atque is Arnulphus cùm à Ratherio, genere Belga, religione monacho, professione eius tempestatis eruditissimo, dignitate episcopo Veronensi, sicut finitimus, præclaris virtutibus domi, bellique insignis, aduersus Hugonem euocatus, per Tridentinam vallem recta Athesis ripa, & per fauces, quæ pilæ Veronenses appellantur (iter vix binos capit armatos) in Italiæ

Hainricus postea cognomento r..xosus dux Boiorum.

Tuto episcopus Reginoburgensis.

Reges in Boiaria per 130 annos.

Hyldebertus qui & Oadibertus.

Vdalfridus episcopus, qui & Hyldefridus.

Rupertus rebellis: ptis: occiditur.

Hæc Sigebertus sub anno Domini 924.

Flammobertus Berengarium occidit.

Hugo.

Albericus priuignus Hugonis.

Franciscus rex Gallorū.

Carolus V. Rom. Imp.

Ratherius.

Berger Clausen.

plana cum exercitu descendit, Veronamque suæ ditionis fecit. Cumque pars Boiorum de Gausseningo castello Boiariæ incautius erumperet, ab Hugonis equitatu intercepta est. Arnulphus eo vulnere accepto perfidiam gentis metuens, in Boiariam, cum maioribus copiis reuersurus abiit, secumque quosdam Veronenses abducit. Moxque Verona Hugoni redditur. Ratherius capitur, Ticinumque in exilium deportatur. Moxque Hugo munera, legatos, pacem, & fœdus petitum mittit ad Hainricum regem Germaniæ (qui Sclauos, Danos, Cimbros, intima Germaniæ magnæ tenentes perdomuerat, sub iugumque religionis Christianæ miserat) amicitia confirmata est inter reges. Iisdem diebus finitis induciis, Vgri tributum à rege nostro exposcunt. Hainricus illis canem villaticum, auribus, cauda mutilum, scabie sordidum reddi iubet, se aliud tributum populo falsorum deorum cultori, pendere pernegat. Inde apud Teutonas, fabulam, Vgris canem imperitasse, ortam crediderim. Vgri tam insigni contumelia irritati arma capiunt, dolo copias augent. Equitum propemodum innumerabilis turba maiorem etiam, quàm pro numero, speciem præbens, relictis Boiis, cum quibus & Arnulpho, vt vicinis pacem, initam pridem persanctè seruabant, per Franciam, Sclauos, Sueuos, Turogos interiora Saxoniæ, vbi rex versabatur, penetrat. Cuncta præda, incendiis, rapina, luctu complet, passim diffunditur: centum amplius millia fuisse perhibentur. Hainricus votum nuncupat, si victoria potiatur, se nundinas sacrorum ex Germania sublaturum promittit. Nactusque nebulosum diem, subitò inopinatos, palantes hostes inuadit, sternit, cædit, terga vertere cogit. Qui fugam dedere, à colonis passim trucidati sunt. Cæteris deletis, septem duntaxat seruati, quos auribus, manibus, naribus truncatos rex ad confinia Vngariæ deducit: & ite (inquit) & nunciate vestris popularibus, vt de cætero domi se contineant, nec aliena appetant: neque ad ea loca, vbi huiusmodi in eos carnificina exercetur, vltrò accedant. Vgri in posterum viuente Hainrico, Germania manus abstinuere: Græcis, Bulgaribusque in Mœsiis considentibus negocium exhibuere. Hainricus triumphans, Christo domino, deoque nostro honorem habet, supplicatione decreta, grates summo Imperatori, cæterisque cœlitibus agit, paterque patriæ consalutatur. Dumque expeditionem Italicam meditatur, ex hac vita migrat, successorem testamento declarat filium suum Ottonem, cognomento Magnum. Eodem tempore, nempe sequenti anno æræ Christianæ noningentesimo tricesimo septimo, Arnulphus quoque dux Boiorum honesta morte defunctus est, sicuti in fastis publicis Boiariæ, mystarum, monachorum reperio, pridie Idus Iulij. In quem diem Paschalia incidere non possunt, quibus eum, quòd prædia monachorum diripuerit, proceribus Boiorum distribuerit, subitò interiisse ad Stygias paludes, quasi Cyclopas ad Ætnam, raptatum, cadauer in lacum Schirensem abiectum fabulantur. Qui amisso puro veritatis fonte ad lacunas lutosas conuertuntur, & pietatem quæstum, religionem prædam existimant. Homines suaues, se æditúos cœli faciunt, vbi nec fuerunt, nec sunt, nec vnquam erunt: nisi tandem nugari desinant. Referam quod ego comperi, quod hisce auribus audiui: Imperatorem Ludouicum quartum monachi, & sacratæ Virgines Boiariæ, in quos is beneficus fuit, Deum faciunt, cœloque locant: vnde eum ad inferos deturbant Romani flamines, quòd eorum superbiæ obuiam iuerit. Item Diuum Hainricum secundum Cæsarem Augustum, Bambergenses mystæ, quos ditauit, in album Superûm adscripserunt. At audiui quosdam, nempe quorum templis nihil tribuit, hi illum ignominiosè claudum appellant, & nuditate aliorum, spoliisque Bambergense templum dedicasse cauillantur. Sed ad Arnulphum, vnde euectus sum, redeo. Is Reginoburgij in templo diui Haimerani sepultus, ibique eius sepulchrum ostenditur. Suscepit ex Geibirga filia Rudolphi, vt opinor, fratris D. Conradi quatuor liberos, tres mares, Eberhardum, Arnulphum, Hermannum, vnam fœminam Iuditham vxorem Hainrici primi. Malè humana ingenia sibi consulunt, quòd plerunque non futura, sed transacta perpendunt: auidus Imperij animus impatiens veritatis, haud facilè sibi temperat. Quippe nemo est, qui non ob regnum, iustitiæ violatorem, si in cæteris pietatem colat, crimine soluat. Eberhardus statim post fata parentis, quòd natu maximus erat, principatum in Boiaria occupat, atque exercet. Arnulphus, & Hermannus fratres minores natu, & ipsi Imperium ambiunt. Berchtoldus patruus eorum, Ottonis regis authoritatem expectandam, atque sententiam exequendam esse docet: morte beneficiarij, beneficium ad summum principem lege rediisse: oportere rem integram ad eius aduentum seruari. Nepotes suasu quorundam optimatium (vt sunt mores) consilium patrui rectum aspernantur, ferocius quàm æquum ac bonum erat, agunt: Ottonem floccifaciunt: nihil iuris Saxonibus penitus, vel omnino regi, præcipuè nouo & alieno à genere veterum Regum & Imperatorum, in Boios esse aiunt. Hactenus à maioribus semper ita obseruatum, semper filios in Boiariæ regno successisse. Boios eam libertatem ab atauis accepisse, semper principem de suo corpore creasse, & citra cuiusquam authoritatem lege sua vsos esse: neq; par esse vt Otto Saxonesq; aliena, quæ nihil ad eos attinerent, curarent: qui sua defendere nequeant, quo pacto (inquibant) aliena largientur? Imperium noui regis, sicuti fieri solet, sub idem tempus Eberhardus præfectus prætorio Francorum, Gisalbertus Lotharingiorum

Margin notes: Gausseningū castellum. — Ratherius exul. — Vgri arma capiunt. — Henrici votum. — Hainrici Aucupis Rom. Imp. mors. — Arnulphus dux Boiorū moritur. — Ludouicus 4. Rom. Imp. — D. Hainricus 2. Rom. Imp. — D. Haimerani sepulcrū.

giorum præſes, cui nupta ſoror Ottonis erat, detrectabant. Fratres quoque regis Dancomarus & Hainricus non ſolùm dicto non audientes erant, ſed hoſtilibus viribus ſuas quoque copias iungebant, & regium nomen affectabant. Boleslaus quoque Boiemorum regulus occiſo fratre VVenceslao, quem Otto ducatu Boiemiæ præfecerat, eidemque Pragæ Tuto epiſcopus Reginoburgenſis templum D. Vito dicarat, Ottoni rebellat. Vgri etiam ſubdolè cum muneribus ampliſsimis ad nouum regem, quaſi officij gratia legatos, exploratum res Germaniæ, & diſcordias inteſtinas mittunt. Hainricus primus, Ottonem ante regnum, Hainricum in regno ſuſceperat. Otto natu maximus, ætatis priuilegio, ex teſtamento patris regnum ſibi vindicabat: quod ius, & ordo naſcendi, & natura ipſa gentibus dedit. Porrò Hainricus controuerſiam eſſe non de ordine, ſed naſcendi felicitate referebat. Ottonem quidem, primum Hainrico, ſed priuato proueniſſe: fratrem qui antè genitus eſſet, priuatè priuatum patrimonium, quod eo tempore Hainricus habuiſſet, non regnum ſibi vindicare poſſe. Se regi primum natum, ſe eſſe primum, quem in regnum rex pater ſuſtulerit. Huc accedere, quòd Otto non patre tantùm, ſed & matre, priuatæ adhuc fortunæ, creatus ſit: ſe verò & matre regina natum, & patrem non niſi regem vidiſſe. Ludouicus quoq; rex Galliarum Occidentalium, filius Caroli poſthumi, tanquam legitimus hæres, ab Ottone velut hæreditatis alienæ captatore, & regni peculatore, Germanias armis repetere decreuit. Alſatiam armatus petiit, Briſacum caſtellum, edito loco, ſupra Argentoratum conditum, & quod Rhenus alluit, præſidio firmat. Quinetiam alia diſcordiarum flamma in Boiaria exarſit. Epiſcopi inter ſe tumultuabantur, paucis ante diebus, quàm Arnulphus concederet. Gundolphus Bathauenſis pontifex, Hyldbertus Salisburgenſis archimyſta mortem obierant: atque huic Egilolphum, illi Gerardum Arnulphus ſuffecerat. Hi poſt ducis mortem de archiepiſcopi dignitate diſceptare cœperunt. Iuuauenſis honorem à Carolo Magno templo ſuo traditum, à Bathauia eò tranſlatum, retinere mordicus conabatur. Gerardus rurſus Laureaco (quod in primordio religionis Chriſtianæ initiatum eſſet, cuius fundamenta comites Chriſti ieciſſent, quod denique tot martyrum, & confeſſorum ſanguine dedicatum eſſet) vi ablatum ignauia ſacerdotum, adſerere ſumma ope niſus eſt, & ad Pontificem Maximum prouocauit: rem ad Leonem ſeptimum Vrbis Romæ primarium ſacerdotem detulit: ſuos collegas negligentiæ & ſocordiæ acrius accuſauit. Romanus epiſcopus, pallium archimyſtæ antiſtiti Salisburgenſi detrahit, Laureacenſibus Pontificibus reſtituit. Huiuſcemodi reſcripta Boiis mittit. *Leo epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Reuerendiſsimo, ac ſanctiſsimo confratri noſtro Gerardo, ſanctæ Laureacenſis Eccleſiæ archiepiſcopo, pallium, veſtem philoſophi Chriſtiani tibi reddimus, quo pacto vtare, præſcripſimus. Sis norma, ſpeculumq́; bene, beateq́; viuendi filiis tuis: inopibus, viduis, pupillis, qui direptui, & rapinæ opulentorum patent, & quos locupletes, item prætores, ſcribæ, lictores, & tondere, & deglubere ſolent, fortiter adeſto: iiſdem qui illos ſeruitute premunt, & iniurioſi in proximos ſunt, modeſtè obuiam ito. Notam immortalis Dei tibi progerendam curato. Diſce compati infirmitati fratrum: te in alio cogita. Qui vitia odit, homines odit: nemo vitiis ſine naſcitur. Optimus ille eſt, qui minimis vrgetur. Cæteris ita ignoſcas, tanquam ipſe quotidie pecces: ita peccatis abſtine, tanquam nemini ignoſcas, tibi implacabilis. Exorabilis eſto etiam iſtis, qui dare veniam, niſi ſibi, neſciunt. Affectus omnes, iram, cupiditatem in crucem age. Victu, & cultu corporis lenis, parco, & parabili ſis contentus. Quæ nobis diuina virgula ſuppeditantur, ad valetudinem & vires corporis, non voluptatem referenda ſunt. Verè copioſus, verè diues eſt, qui Chriſtum totúmque mundum poßidet, & cui quod habet ſatis eſt: proinde ſatis omne putato eſſe quod eſt. Chriſtianus nulla re eget, nihil ſibi deeſſe ſentit, nihil requirit, nihil quærit, optat, expetit amplius. Non tantùm decet ſacerdotem opes non poßidere, ſed nec oblatas recipere. Illud inprimis conſidera, ſacerdotium non honorem, ſed onus eſſe. quamobrem paupertatem, ignominiam, contumelias (quæ maxima putantur onera, & ſunt certiſsimæ veriſsimæq́; germani Chriſtiani diuitiæ) ita ferto, vt eius penè delectari videare.* Idem quoque Pontifex, ita Boiariæ duci Eberhardo eiusque myſtis ita ſcribit. *Leo epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Egilulpho Iauauenſi, Eyſengryno Reginoburgenſi, Lamperto Fruxinenſi, Viſundo Sabonenſi, Starchando Aichſtatenſi venerabilibus epiſcopis, & cæteris per Boiariam commorantibus.* Commemorat primò negligentiam horum, quam à Gerardo archimyſta Laureacenſi cognouerit: deinde eoſdem accuſat, arguit, increpat, quòd adulentur magiſtratibus, aſſentandoque prætoribus, conniuendo locupletibus pietatem violent, religionem polluant, ſacram Philoſophiam prophanent, pacem Chriſtianam conturbent: obiicit poſtea, quòd inter eos ſit inexplebilis honorum cupido, certamen gloriæ & honoris, ſplendoris, cupidinis, atque ambitio potentiæ, quæ maximas inimicitias etiam inter amiciſsimos excitent. *Chriſtiani* (inquit) *in veſtris prouinciis, authoribus epiſcopis (qui canes muti ſunt, non valentes latrare, & ſpeculatores cæci) inuicem imponunt: tenues opulenti fraudant, decipiunt, circumueniunt, fœnerant, poſcunt, paciſcuntur, auferunt, eripiunt: nemo pactione, dono, munere, xeniis abſtinet. In lites coitur, veneunt aduocationes, veneunt etiam præuaricationes. Ex ſpoliis pauperum magni, & ſtati redditus, & gloriæ loco ſunt. Vltra modum ſumptu, & magnificentia, ne dicam luxu,*

Dancomarus.
Hainricus.
Boleslaus.

Vgri exploratores in Germaniam missi.

Ludouicus filius Caroli posthumi.

Alia discordia in Boiaria.
Hyldbertus qui & Odelbertus, obiit anno 935.

Leo 7. S.P.

Epiſtola Leonis S. P. ad Gerardum epiſcopum Laureacum.

Sacerdotium verius onus quàm honos.

Altera epiſtola eiuſdem Papæ ad ducem Boiorum.

ædificando, epulando, egregij ſanè paſtores Chriſtiani gregis prodeunt. Grauiſsimus ſolet eſſe morbus, qui à capite diffunditur.

Refert etiam illud, ſacerdotes tum publicè duxiſſe vxores, ſicuti cæteros Chriſtianos: poſthæc reſpondet ad ea quæ ſciſcitati fuerant. *Si quiſpiam (ait) vxori adulteræ repudium remiſerit, nec hi coniuges in gratiam redigi conniuerint, nulla lex, nulla religio vetat illum nouas facere nuptias. ſatius enim eſt caſto connubio frui, quàm multarum amore deperire, aut ſcortari, paſsimq́ue vagæ Veneri operam dare. patruelium, amitinorum, conſobrinorum & horum liberum. Nuptiæ inceſtæ ſunt, omnino non fiant, ſi huiuſcemodi coniuncti fuerint, diſceßionem faciant, ſupplicamentum, quod Orationem Dominicam vocant, & Chriſtus docuit quod eius comites duntaxat ſacrificiis ſolennibus vſurparunt, epulis non adhibeatur.* Poſtremò in ea epiſtola hortatur, vt epiſcopi quos in capite recenſet, Gerardo archimyſtæ Boiorum pareant, atque Eberhardo regulo Boiorum officium ſuum delegat, præcipit, vt vicem Pontificis Maximi defungatur: Gerardo fautor, adiutor, conſultor, pro viribus in omnibus adſit. Idem Pontifex Maximus pleraque alia imperat, quibus noſtro æuo quidam nihil magis delirum ducerent. Tantum abeſt vt epiſcopi ad ſe pertinere, quicquam exiſtiment: profectò ſi verum fateri, & Imperatori hominum Deûmque, eiuſque legato primario Paulo credere volumus, nobis periculoſa tempora, & ingenia ſuperſtitioſa ſortitis fucus & vmbra pietatis perplacent. Atque totius iniuſtitiæ nulla capitalior quàm eorum, qui cùm maximè fallunt, id agunt vt viri boni videantur. Quidam cùm libidini ſeruiant, ſic aliorum vitiis iraſcuntur, quaſi inuideant: & grauiſsimè puniunt, quos maximè imitantur. Si quiſpiam prophanus adoleſcentulus adoleſcentulam, cœlebs cœlibem adamarit, aut ſacerdotulus egenus concubinam, ſine qua viuere, & rem familiarem adminiſtrare non poteſt, loco iuſtæ vxorculæ habuerit, Decuriones myſtarum & parochi, intonant, fulminant, diuina humana cuncta miſcent, cœlum claudunt, inferos aperiunt: ipſi interim impunè & paſsim inceſtu, adulteriis, ſtupris contaminant omnia. Amant, potant, ſubant, virgines plures vno anno vitiant, & implent, ſub ſuperficie pietatis nepotantur, fraudant, compilant, litigant, templa, ſacerdotia diripiunt, quaſi caballos venalitios commutant: cæremonias nundinantur, religiones cauponantur, ſcortantur, laſciuiunt, venantur, belligerantur, humanum ſanguinem & impunè ſitiunt, effundunt, latrocinia exercent. Videas quoſdam alienas rapere vxores, ſcorta impudica, ac viliſsima quaſi ſacra circumferri paſsim & monſtrari. Eaque non ſolùm à minutulis ſacerdotibus, & parochis, ſed à ſanctiſsimis quoque monachorum magiſtris, vt propitium habeant Iouem, ambiri, adorari. Cumque huiuſcemodi hominum genus peſsimum nihil in Rempublicam penitus conferant, mortalium ſcelera tamen comedunt & bibunt, gaudiis corporis dediti, per ignauiam ſummam, luxum maximum ætatem tranſigunt, literas, literatos omnes tanquam peſtem deuitant, bellum literis, bellum virtuti, bellum omnibus bonis artibus, bellum denique Chriſto Domino Deoque noſtro (ita viuitur, is ſtatus rerum eſt) indixiſſe videntur: inter ſe mendacij ſilentium velut orgia quædam ſanciunt, quibus cæteris veluti pueris ac infantibus more ſuo fabulis inludant. Quamobrem vel pro concione indignantur, iraſcuntur, inſaniunt, ſi quis prophanus ſacras literas, mandata Chriſti, comitum eius doctrinam legerit. Timent talpæ, ne eorum cæcitas deprehendatur, & auaritia tenebræque luce appareant. Inferi ac Superi vectigales, viui, mortui tributarij ſunt: cœlum & terram ſtipem emendicare coguntur. Non licet gratis noſſe Deum, prochotyranni illi aduerſus pontifices, principes, parochos, ſacerdotes, populum Chriſti conſpirarunt: quotannis ſtatis diebus coeunt: illam coniurationem renouant, quæ vbique terrarum gerantur, ſcrutantur, circuunt domos more canicularum. Vt vulgò dici ſolet: mendicans religio, iuxta vulgò protritum dictum, ſacrificulus cum fano, ara cum æditu cuncta venalia ſunt. Ceu verò à ſummo rerum imperatore lege atque perpetuo edicto non ſancitum ſit, Non ſit mendicus, non ſit meretrix in Iſrael. Aut Paulus fulmen eloquentiæ Chriſtianæ non intonet: Beatius eſt dare quàm accipere. Et ſi cœlitum quiſpiam aliter docuerit, execratus eſto. Neque ego audita noto carpoque, inopis plebeculæ me miſeret, quam ita ab illis rapaciſsimis lupis, nemine penitus auxilium ferente, deuorari video, ſentio, & ſub ſpecie, quemadmodum Paulus prædixit, pietatis. Sed hæc nihil ad me. Chriſtus Deus faxit vt reſipiſcant, peccataque agnoſcant ſua. Ego nunc ad reliqua pergo, & ad Ottonem reuertor. Qui vndique armorum procellis frementibus, ingenti animo fortunæ malignanti reſtitit, fretusque Deo, comparato exercitu, hoſtes ſuos adgreditur. Et primò Boiariam petit, Reginoburgium aliquot menſes obſidet, vrbem ad deditionem cogit, Boios ad ſe vocat, ſibi ſacramenta dicere iubet. Eberhardum ferocius reſiſtentem capit, in Sueuiamque relegat. Berchtoldum fratrem Arnulphi, ſuperioris Boiariæ regno præficit, eique neptem ſuam ex ſorore Gerbyrgam, filiam Giſalberti deſpondet: Arnulphum inferiorem, & Hermannum fratres Eberhardi curatores templi Fruxinenſis, præfectos prætorio Boiariæ declarat, quæ tum maxima dignitas ſecundum regulum erat. Comes Palatinus vocatur, is vicem Cæſaris præſidendo ſenatui principali defungebatur: fidem

Reginoburgi obſidium.

Comitis Palatini officium.

fidem Imperatoris implorantibus aderat, iusque reddebat, fiscum Augusti, prædia Salica, redditus regios procurabat: Cæsareum censum exigebat. Nil citra eius authoritatem duci, aut decernere, aut statuere licebat. Si senatusconsultum reguli displicebat, intercedebat, ad Cæsaremque referebat. Arnulphus Schiram oppidum in superiore Boiaria in pago Schirorum (prosapia est Boiorum haud dubiè nobilissima, tum magna, tum vetusta) condidit, vnde posteri eius dynastæ Schirorũ cognominati sunt, quibus & Abusinam patriam meam, & Kelhaim & pleraque superioris Boiariæ castella paruisse reperio. Illud castellum ab Arnulpho conditum, modò longo tempore in templo D. Benedicti commutatum, adhuc perquàm celebre est, nomenque vetus seruat. Inter hæc dum talia in Boiaria geruntur, Vgri Germaniam Magnam, ac Saxoniam inuadunt, sed fortiter cum ignominia & detrimento repulsi sunt à ducibus Ottonis. Qui pacata Boiaria aduersus Ludouicum regem Vestriacum, intento exercitu in Tribochorum agrum procedit: castra transito Rheno Brisaco admouet, Fridericus archiepiscopus Mogontinus, Ruthardus episcopus Argentoratensis ab Ottone ad hostes deficiunt, relictis impedimentis castra deserunt, noctu clam se ab exercitu regis abducunt, vrbem Mediomatricum petunt, vbi Ludouicum regem occidentalem, Giselbertum Lotharingiæ ducem, Eberhardum Francorum, Hainricum fratrem Ottonis conuenisse acceperant. Interim Ottoniani Hereburgij Danckmarum fratrem regis ex concubina susceptum occidunt. Otto frater Hermãni Sueuorum ducis, Conradus cognomento Sapiens, & ipsi partium Ottonis prope Antoniacum Giselbertum & Eberhardum epulantes inuadunt de improuiso, in fugamque vertunt. Gisalbertus in Rhenum præcipitatus, Eberhardus ense perit. Hainricus frater regis in brachio grauiter vulneratus, ægrè fuga euasit, tandem captus, apud Ingelhaim arcta custodia seruatur. Fridericus archiflamen Fuldam, Ruthardus episcopus Corbeiam relegatur. Monasteria sunt, illud Franciæ, hoc Saxoniæ. Editha regina Laureaci interea degebat. Brisacum deinde se dedidit. Ludouicus Germania excessit, cum Ottone pacem fecit: sororem Ottonis viduam Giselberti vxorem ducit, Germaniis, Lotharingia iureiurando cedit. Bolizlaus quoque parricidij pœnas ab Ottone perdomitus luit. Ludouicus rex Francus occidentalis ab Hugone Ruperti filio, & suis pulsis in Germaniam aufugit, ab Ottone vi restituitur. Lugdunum, Rhemi, Rothomagus, Laudunum, reliquæ vrbes à Saxonibus expugnatæ, & redditæ Ludouico. Hugo Luteciæ obsessus ad obsequium Ludouici à rege Germano redactus est. Per idem tempus Vgri duplici agmine Boiariæ fines inuadunt, pars Tranos, pars Charinos vastat. Bercholdus Boiorum regulus, duces suos ad Charinos proficisci, hosque vt tuerentur, iubet. Ipse robur hostilis exercitus petit, iuxta Valentiam vrbem Noricorum, quàm maximo potest impetu antequam gens pugnacissima arcus rursus tenderet. in Vgros fertur, hostem in fugam vertit: in Tranum flumen agitat, atque submergit, tertio Idus Augusti. Præfecti quoq; Berchtoldi auspicio apud Charinos eadem prosperitate dimicant, Vgros ad internecionem delent. Nec antea vnquam gens ferocissima tantũ vulnus a nostratibus accepit. More enim pecudum à Boiis mactati sunt Vgri. Otto rex, & Berchtoldus qui maximopere rebus Ottonis studebat, inuicem gratulatorias scribunt literas, vt qui solicitudinis publicæ participes fuerant, lætitiæ quoque communis socij forent, matrimonio amicitiam firmarunt. Berchtoldus neptem Ottonis vxorem duxit. Hæc in Germania quidem, ac Gallia gesta sunt. In Italia Berengarius secundus, nepos ex filia Gisala primi Berengarij, limitis Eporedici dux, res nouas molitur, regnum affectat, fratrem eius Ansgerionem Spoleti, & Camerinorum præfectum, ante Hugo rex bello occiderat. Quamobrem is & Berengarium tollere, eidem oculos eruere, cumque benignè vocatum dolo in vincula conijcere decreuit. Cui consilio cùm rex Lotharius adhuc puer filius Hugonis interfuisset, Berengarium salutis suæ admonet. Vetus est crebrumque apud Germanos prouerbium, tria genera hominum, maximè pueros, temulentos, moriones veritatem dicere. Berengarius igitur cum vxore Villa fuga sibi consulit, in Sueuiam ad Hermannum ducem, inde ad Ottonem regem aufugit. Hugo legatos in Germaniam proficisci iubet, transfugam repetit, muneribus regis amicos orat, ambit, corrumpit: Ottoni ingentem vim pecuniæ offert, vt sibi perfuga reddatur. Rector Francus respondet, populum Germanum ferro, non auro pugnare solere, ad suam fidem confugientibus opem ferre, nefasque ducere quenquam hospitem tecto arcere, aut denique deserere, nedum prodere. Berengarius consilio fauore, & nomine Ottonis cum vxore in Italiam ex Sueuia, per Vennonas, hoc Venustam vallem reuertitur, à Longobardorum proceribus honorificè recipitur, Carolum Magnum aduenisse ominabantur. Primò ille Formicariæ castra facit, castello fraude potitur. Milo ei Veronam quoque tradit. Vido Mutinæ episcopus, cum compluribus ad ipsum deficit. Hardericus archiepiscopus eundem Mediolanum asciscit. Huc Hugo mittit filium Lotharium, ipse Ticini se continet. Lotharius consilio Berengarii à proceribus rex Italiæ salutatur. Ideo Hugo rex, declarato filio suo Lothario rege, Aurelatum, vnde venerat, rediit, ibique in paucis pòst diebus moritur. Lotharius inane nomen regis ferens, quippe omnis potestas penes Berengarium erat, altero regni anno decedit. Berengarius ab omnibus rex Italiæ

Schiram monasterium prope Pfaffenhofen.

Fridericus dux Lotharingiæ archiepiscopus Mogont. Ruthardus episcopus.

Hæc ex Frisingensi.

Editha quæ & Egitha atque Hutogitha dicitur, corruptè tamẽ.

Polizlaus rex Boemorum.

Hugo, qui dictus est Capeton.

Berengarius II.

Ansgerio.

Tria hominum genera veridicos.

Villa, quæ & Vvilla.

Hugo legatos ad Ottonem mittit.

Vido, Hardericus.

Berēgarius.

iuncu-

nuncupatur, atque recipitur. Eadem tempestate Berchtoldus Boiorum rector ex hac vita migrat, nono Calendas Decembris, anno ab orbe asserto noningentesimo duodequinquagesimo, in collegio monachorum apud Altaich inferius sepelitur. Huc vsque per centum & sexaginta annos Francia oriundi potiti sunt Boiaria, quam posthac aliquandiu Saxones administrarunt. Hos deinceps in quinto dicam libro.

Berchtoldi mors.

FINIS QVARTI LIBRI.

ANNALIVM BOIORVM IOANNIS AVENTINI LIBER QVINTVS.

In quinto libro Annalium Boiorum hæc explicantur.

Saxonum origo.
Hainricus primus regulus Boiorum, frater Ottonis primi.
Hainricus secundus.
Otto secundus, dux Boiorum & Sueuorum.
Imperator Hainricus secundus, Cæsar Augustus, præses Boiorum tertius.
Hainricus quartus.
Imperator Hainricus III. Cæsar Augustus, Boiariæ rector quintus.
Dynastæ Senonum, id est, von der Sempta, & de Ebersperg, qui Geisenfeld dicarunt.
Hainricus sextus.
Conradus, qui & Cuno.
Imperator Hainricus IIII. Cæsar Augustus, Boiorum verò regulus septimus.
Hagna Augusta.
Otto tertius dux Boiorum.
Hermannus Sueuus ex nobilissima Veringensium familia ortus, tempestatis suæ philosophus, Mathematicus, Poeta, Theologus clarissimus. Extant eius Lyrica, Mathematica & Chronica. Parentes eius Vuolfhardus, & Hyldrudis aui Vuolfhardus, & Bertha, obiit anno Christi M. L IIII.
Othochus Fruxinensis mysta, deinde monachus Reginoburgensis, suæ tempestatis Theologus, & poeta præstantissimus, sub Imperatore Hainrico quarto scripsit. Item Otochi æmulus Arnulphus ex Vogburgensibus regulis oriundus.
D. Haimeranus Reginoburgensis præpositus, iisdem sub Imperatore Hainrico quarto scripsit de Ecclesiasticis scriptoribus.
Wenceslaus vir eruditus ac prudens, Altaichij inferioris præsul, à consiliis Imp. Hainrici IIII. Cæsaris Augusti regis Boiorum.
D. Marianus Scotus, qui Chronica & commentaria in hymnos Dauidis scripsit, Reginoburgij hæc seruantur: ibidem enim vixit, & in templo D. Petri extra mœnia vrbis sepultus est. Sub Imperatore Hainrico quarto Cæsare, & Augusto, rege Boiorum, Germania perlustrata tandem in Boiariam Reginoburgium concessit, ibidem Mathematica docuit: sacras literas interpretatus est. Chronica scripsit. Pastus est à fœminis sacratis superioris, inferiorisq́ monasterij.

ANNALIVM BOIORVM Liber Quintus.

PROOEMIVM.

SÆPIVS ac frequenter vulgò genus humanum conqueritur, quòd non modò fruges, arbores votis non respondeant, tellus pascendis animalibus non sufficiat, verùm etiam annonæ sit incredibilis caritas: quamuis pagi, vrbes, vici cultoribus deficiant. Id quod planè, nisi lapides simus, sentimus. Vniuersa ad egestatem & solitudinem rediguntur. Duæ virtutes, parsimonia atque paupertas imperia pariunt, augent, retinent. Itidem duobus vitiis auaritia & luxu pessundantur. Studium pecuniæ, potentiæ, splendoris cupidi-

cupiditas, cuncta regna euertunt. sub specie quidem virtutum grassantur lites, simultates odia bella generant, odia cædes perpetrant, opulenti ambitione cæci, luxuque perditi legibus solui committuntur, æquitatem detrectant, pacem ferre recusant, vltro cupiunt, occupant, habenas rerum arripiunt, emunt fraude, dolo, precio, fauore, quouis modo irrepunt, seditiones, factiones, discordiæ mala serunt, optimum quemque insidiis circumueniunt, amicos veritatis simplicis, apertos, bonos, veluti stolidos ac ineptos à Rep. gubernaculisq; rerum arcent, qui suis moribus congruunt admittunt. Dispares mores disparia studia sequuntur. Dissimilitudo inimicos, similitudo amicos parit. Malus, qui voluptatem, potentiam, imperia, opes amat, vt his quouis modo fruatur, nihil pensi habet, æqualitatem contemnit, æquitatem aspernatur, societatem hominum cõmunem violat, ius sibi, cuncta deniq; suæ voluntati seruire vult, rapit, defraudat, simulat. Vbi te dissimilem vitam viuere illhæc aspernari videt, se sperni, irrideri, peti à te arbitratur, vitia sua à te notari, fert impatientissimè: quamobrem te velut hostem persequi non cessat, vel insidiis, vel vi tollendum curat. Ita probitas aut paupertatis aut necis causa tibi existit, pauperum autem nulla cura est, boniq; ad negligentiam, desidiam rediguntur, coactique suum officium faciunt, priuato commodo & ipsi consulunt. Nec vltra iam quàm ipsis vtus est, cum alia ab aliis occupanda cernant, laborant: paulatim denique fortunæ malignitati cedunt, vitiisque herbam porrigunt. Honestis manibus omnia lætius proueniunt, quoniam & curiosius fiunt. Christus dominus & Deus noster pacem atque mutuam charitatem pro religiosissimo nobis insigni dedit. At nos intestinis seditionibus adfligimur: quamuis vnius corporis simus membra, sacrati tamen prophanos, prophani sacratos, negotiis suis, ceu orgiis alienos arcent, quasi verò vnum membrum sine alterius ope, suo defungi queat officio, aut oculi pedibus non egeant. Mirari subit, quòd Deus nostris moribus non magis irritetur, & fulmina iracunda tamdiu ponat. At non magis sceleribus nostris irascatur, pridem certarunt Grammatici, & maximum bellum (cuius & nos pars fuimus) oratoribus atque poetis fuit cum his qui se Theologos & philosophos nuncupant. Exploso Alexandro grammatista, receptis sacris vatibus atque Rhetoribus, & clarissimis aliis rerum scriptoribus pax tandem rediit. Nunc Theologi inter se sæuiunt, fremunt, debacchantur. In sua viscera cruentum conuertunt ferrum, inuicem sanguinem sitiunt, inuicem more Druydum sacrificiis interdicunt, digladianturq; pro lana caprina: diuinus ille furor vatum, poetis veteri domicilio relictis theologos inuasit. Is se nouum, hic veterem: ille Scholasticum, hoc est vmbraticum, alius verum ac solidum se appellat. Sunt qui vniuersa adfirment, & contrà qui cuncta negent. pars in Scoti siue Thomæ verba iurat, pars Vilelmio Ocomensi ac Gregorio Ariminensi addicta est: nec hi inter se concordant. Vt quisque maximè à cæteris dissenserit, nouam aliquam sycophantiam excogitarit: ita maximè doctus & acutus reputatur. tot opiniones, quot theologistæ: facilius inter horologia quàm inter Theologos conueniet. alius sermones & historiam Longobardicam, hoc est meras fabulas, non rem amplectitur. ille discipulus est, alter dormit securè. Inuenias & gryzium animal apud Germanos inauspicatissimum, & conuiciis frequentatum. Maxima pars sacras literas antequam discant, docentes quicquid in buccam venerit, magno boatu deblaterant, vt pecuaria Arcadiæ rudere credas. Et de his quæ penitus ignorant, audacter pronunciant, pluraque verba effutiunt. Summæ Maiestatis oracula superstitiosè interpretando, suis moribus apta faciunt. Quicquid nugati fuerint, cùm nemo obstrepere aut intercedere audeat, legem Dei putant, quasi plastæ ceræ molli, quamlibet formam fingunt. Hæcque licentia atque imperitia Magistrorum nostrorum in sales apud indoctos etiam crebros abiit. Calceolarii, sarcinatores nisi præscripto tempore manum ferulæ subduxerint, & tandem manu solertiam comprobarint, in artificum classem non recipiuntur: solis licet sacrificulis absque præceptore vltrò se ingerere, vltrò ad aras nemine vocante gregatim absque delectu currere, adeò vt Theologum habere cogâre, quem mulionem nobis. Quidam Ecciani sunt, quidam Lutheriani nominantur: illi Romanum episcopum plus quàm Deum faciunt, hi in ordinem redigunt. Ignauissimus quisque aras adit, alioqui sub diuite dæmone agricola futurus flagitia impunè perpetrat. Sacratæ quoque fœminæ excusso pudicitiæ iugo castitati bellum indixere, nisi me pietas Christiana cohiberet, flagitiosiores prostibulis dicerem. in vno modestiam seruant, virgines quòd non sunt, adpellari erubescunt, dominas se vocant. Si veritas vnquam acerba fuit, nostro æuo potissimum odium parit. Omnes quæ sua sunt quærunt. visio à propheta, lex à sacerdote perit. Canes muti non possunt latrare, ôs obstruxit pecunia, consuetudo praua, gratia, timor. Tetra & detestabilis Philosophiæ & libertatis Christianæ est oppressio, crimina feruent, pietas refrixit, paupertas Christiana maximum opprobrium est, maximus honor diuitiis habetur. Amor nummi, lethalis ambitus, quam symoniam vocant, crescit: odia, lites, factiones, partium studia, bella intestina parit: sacerdotia quasi caballi venduntur, permutantur: religiosus est, qui plura interceperit, præripuerit, inuolauerit. Non quot animas bearint, aut cœlo restituerint, egregij illi pastores quærunt: sed quot nummos quotannis prædia stipendiaria, sacerdotiáve etiam

absenti

absenti reddant, dextra computant. Omnis sermo horum de pecunia, venere, vitiis aliorum, leuiusculis aliis rebus est, si vnum verbum de Christo, aut ex diuo Paulo Prophetáve adduxeris, veluti impium te abominantur, & theologum infami iam nomine adpellant, potentia, opes, venter, & ea quæ sub ventre, illorum dij sunt. Viuunt vt bibant & edant. Gloriari quosdam in vinariis tabernis audiui, sese quascunque puellas fœminásve in sui amorem quotlibet pellecturos. Nec secreta, quæ vt vocant, confessionibus timantur, prodere & temulenti & sobrij erubescunt. prudens prætereo, quæ quotidie non sine maximo animi dolore sentire cogor. tantum abest vt rumoribus temerè credam, facit indignatio versum. Captorum greges in morem porcorum, & sicuti vulgo dici solet, grunniunt, nec vnquam concordes sunt, nisi quando conspirant. Vt quisque maximè à cæteris victu, vestitu, moribus, institutis, religione, cantu, preculis discrepaerit, ita maximè religiosus putatur: sunt qui carnem fugitant, pisces optimos, vina nobilissima adpetunt. Hi contactum pecuniosæ deuitant, verùm oblatas diuitias arripiunt, testamenta aliena & faciunt & intercipiunt. Funibus alij loco cinguntur, is cæruleus, hic ater: ille candidus est, pars discolores sunt. videas quosdam intus laneos, foris lineos esse. Alius est Francisci, alius Augustini, alius Dominici, alius Carmeli, quasi verò (diui Pauli vtor sententia) isti, non Christus pro nobis mortem obiisset, illi omnes scelera comedunt, crimina bibunt mortalium, virtutes & benefacta venditant sua, hamatasque preculas viscataque murmura cauponantur. Regionibus inter se diuisis, pro quibus & disceptare solent, tumultum carminum (vt est apud Prophetam) & precularum murmura nundinantur. Neque per hosce vel manibus, licet esse pacatis, pro quorum cadaueribus contendunt, & quotidie in publicis concionibus cum sacerdotibus popularibus conuiciis rixantur. nullum terminum auiditati suæ ponunt, nec vnquam aut mendicando aut accipiendo satiantur, vel stipem è flamma, vt aiunt, petunt, inuicem in templo Dei æde sacra mordent sese inuicem, casearios scortatoresque nuncupant. Ista fames, ista pestilentia, non quidem corporum, sed animorum, iste parricidialis tumultus, istud nefandum intestinumque bellum quadringentos & quinquaginta annos continenter sub circo Romano in plebem Christianam grassatur. Quod si fieri posset, vel immortalitati destinatos falli necesse esset. Adeò dira lues tot pontifices, tot imperatores, cæterosque inuoluit, extinxit. Quæ videmus, cernimus, lapides stipitesque sumus, si non persentiscimus. Christus & legati eius omnes non sua morte defuncti sunt. *Omnes qui piè volunt in Christo viuere, in hoc mundo persequutionem perpeti necesse est.* Haud fieri potest (ita mores sunt) quin cædes, homicidia, discordiæ, crimina, simultates, bella edantur: sed viderint quibus autoribus ista committuntur. Imperator cœlestis edixit, Non veni ad mittendam pacem, sed gladium: ipse & comites eius, quòd veritatem docebant, crudelissimè interempti sunt, pars in crucem acti, pars submersi, pars combusti. Alij ad bestias, hi ad metalla & latomias, illi ad insulas condemnati sunt. Et nos velut pecus ignauum, ab euentu facta notanda putamus, successuque rerum cuncta metimur, ceu verò temeraria consilia plerunque fœlicitas non excipiat, aut non sæpè praua magis quàm bona prosperè eueniant: taceo scribarum, causidicorum, frumentariorum, quæstorum, lictorum, leguleiorum, versutias atque rapacitatem. Vetus dictum est Aristotelis, eos qui cæteris præsunt, nihil ratione atque virtute, cuncta experientia atque vi agere. Et vniuersi quidem quos commemoraui, populum Christianum lacerant, decipiunt, fraudant, attenuant, exinaniunt, deuorant, adterunt, exedunt. Miseris iustior atque clementior apud Turcas foret seruitus. Calumnias litium prudens prætereo, nos sub tecto litigamus, vt controuersiæ, cœli iniuriæ diminuerentur: Romani sub dio, Hebræi sub porta litigarunt. Primus Marcellus, Octauia sorore Augusti genitus, in ædilitate sua, auunculo XI. consule, Calendis Augusti velis forum inumbrauit, vt salubrius litigantes consisterent. Quantum mutatis moribus Catonis Censorij, qui sternendum quoq; forum muricibus censuerat. Quid de hac re diuus Paulus sentiat, nolo hic commemorare. Pontifices, sacerdotes, monachi, qui nostra lana teguntur, lac omne consumunt, quasi nihil horum ad se spectet, gaudiis corporis dediti, ocio & voluptate perfruuntur. Ætatem silentio transigunt, interim securi nepotantur, panes, equos, scorta alunt: venantur, lauant, potant, amant. Auaritia eorum ac superbia & perditi mores in prouerbium vulgò venere. Ipsi literas sacras prophanas iuxtà odio habent. Eruditorum omnium, potissimum sacrarum literarum interpretum, conspectum, conloquia, consilia, amicitiam aspernantur, velut dirum omen fugitant, nullum præsidium in his omnibus pauperibus existit. Ita me Deus amet, vt plebeculæ inopis & ab omnibus desertæ misertum est. Equidem scio exiguo concedi misericordiam, potentesque potenter, ecclesiasticos, populares tormenta passuros, quippe quibus vel ingratis durissimum atque arduum imminet iudicium: Tu ergo Christe, terrarum mundique Rector audi, audi pacis & concordiæ autor, Tu nos tua victrici dextra vindicasti, & tuo sanguine adseruisti, morte tua ære & libra mancipia coëmisti: tu nos vnctos sacrosancto eruore tuo pontifices cooptasti: Reges constituisti, nobis cœlos, inferos, homines subegisti. Tu nos condiscipulos tuos cohæredesque

deos

deos declaras, nuncupas, designas. Tu nobis ne alium præter te in terris magistrum atque Dominum agnoscamus præcepisti. Lupi vndique vlulant, leones circumcirca rugiunt. Nisi tute oues tuas præsenti ope, quemadmodum polliceris, seruaris, actum est. Omnes haud dubiè occidimus, atque planè perimus. Da precamur auxilium, rebus succurre perditis, Carolo Maximo Augusto tuo numine adesto, vt morbos Reipublicæ ad viuum resecet, sanitatem restituat, labentem disciplinam corrigat, pronum in omnia mala sæculum, & in luxuriam fluentes Germanias coerceat: fessis rebus subueniat, & mortales iuuando hoc cœlesti passu ad æternam gloriam vadat. Qui hisce diebus dum hæc prodo, iampridem Cæsar designatus apud Aquas Graneas more maiorum inunctus est. Sed Saxonum originem, qui Boiorum regno potiti sunt, vti tempus postulat, iam exequar. Rhetoricati sumus, sed lex Historiæ coegit.

SAxones Cimbrorum Teutonumque sobolem esse reperio: habitarunt ad ceruicem peninsulæ Cimbricæ: pulsos à Danis esse volunt, ad Albisque ostia vtrinque. Quamobrem sicuti à regibus Francia oriundis, Franci, & Germania Francia dicta fuit: ita ab Imperatoribus Saxonia progenitis, à Teutonis originem trahentibus, Teutones nuncupantur. Et nationis nomen, non gentis paulatim euanuit: in nomen quoque Saxonum Sycambri, Cauci, Cherusci transierant: atque trans Albim Orientem versus non parua Venedorum pars, quæ loca quondam Sueui tenuerunt. Apud rerum scriptores Teutonicum regnum Franco successisse, & in iure pontificio Ottonem Teutonum primum regem, hoc est, Saxonum lego. Saxoniæ quoque partes tres reperio, Austriacam, Nordmannam, Vestriacam: hæc ad inferiorem partem Rheni, altera ad Cimbros, Oceanumque Germanicum: tertia ad Albim, sinumque Codanum pertinet. Significantque illa vocabula, Teutonum sermone, & Germanico, Orientalem, Septentrionalem, Occidentalem. Primus Saxonum, qui Boiis imperauit, est Hainricus frater germanus Imperatoris Ottonis magni Cæsaris Augusti. Is vultu patrem referebat, idcirco plus à diua Mathylda matre sua amabatur. Huius precibus Otto exoratus fratri Hainrico ducatum Boiariæ, mortuo Berchtoldo tradit: Hainricus posthac bonus, fidusque regi mansit. Vxor Hainrici fuit Juditha filia Arnulphi ducis, raræ pulchritudinis, atque pudicitiæ fœmina, quæ Reginoburgij sacratarum fœminarum contubernium, quod inferius vocant, extruxit: vbi eius mausoleum in aditu adhuc monstratur. Diuus Ratho Damasia oriundus, eo tempore orientalis, Boiarici regni limitis dux fuit, cum Juditha hac supplicandi gratia Hierosolyma profectus est. In ripa Ambronis, in superiori Boiaria mystis D. Benedicti templum construxit, cui à suo vocabulo nomen indidit: ibidem sepultus, ab accolis adhuc religiosè colitur. Eadem tempestate Toxus Vgrorum rex, audita morte Berchtoldi ducis Boiorum, duobus exercitibus Boiariæ fines inuadit, limitem Austriacum, & Charionas in confinio Italiæ deuastat. Hainricus regulus Boiorum contractis copiis obuiam hosti armatus procedit, bis aperto marte cum Vgris congressus, bis pugna superior fuit: Vgrosque perpaucis fuga elapsis cædit, fudit, afflixit. Nec ausa est gens cædis auida, de cætero Boios bello lacessere. Hainricus, & dux copiarum eius Ratho, in monumentum tantæ victoriæ cœlitus datæ, armati equis insidentes, quemadmodum prælio interfuere, è gypso ficti & expressi, indurati que igne, in templo Deiparæ Virginis apud Maurkirchen pagum Boiariæ Noricorum dedicati, positique anno æræ Christianæ DCCCCXLVIII. (quo Berchtoldus Boiorum regulus obiit, Hainricus in regno Boiariæ illi successit, atque Vgros in Boiariam ob mortem ducis irruentes deuicit) adhuc visuntur, seruantur, monstrantur, quò tum frequens populus supplicandi gratia, votis susceptis coibat. Vulgus imperitum Hainricum regem, qui ante duodecim annos obierat, credit. Hainricus regulus Boiorum filius eius est: frater Ottonis magni. Toxus autem Vgrorum rex à Boiis malè acceptus, iram in Italos imbelles, dites, dissentientesque conuertit, Italiam robore Vgrorum aggreditur. Berengarius rex Longobardorum decem modiis nummûm pacem ab hoste mercatur. Lactantes, infantes, pueri, puellæ, viri, fœminæ, sacrati, prophani, quisque censum pro capite, nempe nummum pependit: templorum aurum, argentum, gemmæ tributæ sunt. Berengarius hæc conflauit omnia, æsque commiscuit, ex paucis summam compleuit, reliquum sibi seruauit, homo omnium auarissimus: qui etiam diuam Adelhaidim Augustam defuncto vita Lothario marito eius in vincula coniecit. Obierat iam coniunx Ottonis regis Germaniæ. Is ab Adelhaide & amicis mulieris in Italiam aduersus Berengarium per nuncios euocatur. Hainricus dux cum Boiis, iussu fratris in Italiam inuadit, Aquileiam, Histros, Venetiam, Forum Iulii, Veronam, omnes vrbes vsque Ticinum occupat, atque capit. Eò Otto rex venit, ibidem hyemat, Adelhaidim liberat, eam connubio sibi iungit; nuptiasq; regio apparatu facit. Deinde Adelhaidim secum in Germaniam abducit, relicto in Italia Conrado genero suo. Huius suasu Berengarius in Saxoniam ad regem, fretus eius clementia, proficiscitur: nihil tamen, quemadmodum postulabat, & quæ Conradus promiserat, licet precatoribus etiam Conrado, & Luitolfo filio Ottonis, impetrauit. Verùm repulsam

Saxonum origo, & sedes.

Saxoniæ partes tres.

Hainricus I. boioriæ dux.

Juditha vxor.

Nidermünster.

Toxus rex Vgrorum.

Toxus cum Vgris Italiã inuadit.

Adelhaidis in Italia regnauit.

passus est, ægrè vita & patria donatus, Eporediam redire permissus est: eaq́ue cuncta consilio Hainrici Boiariæ rectoris fiebant. Quamobrem Luitolfus, & Conradus gener regis, aduersus Ottonem clàm coniurant cum Friderico Mogontino archimysta, cui antea inimicissimi erant, in gratiam redeunt. Cæterùm Otto conuentum celebrem Imperij mense Augusto, Augustam Rhætiæ indicit. Conuenere frequentes Saxonum, Francorum, Sueuorum, Boiorum, & Italiæ plerique proceres. Præstò fuit & Berengarius cum filio Alberto, seque in clientelam Ottoni dicauit, Italiam ab eo recepit, præter Veronensem, Forojulianamque regionem: ij limites Boiorum duci Hainrico addicti, Boiariæque regno coniuncti sunt. Conradus & Luitolfus nimis impatienter ferunt, se minoris apud regem esse, magisque authoritate apud regem ducem Boium pollere, proinde res nouas moliuntur. Otto Ingelhaim cum paucis petit, inde Mogontiacum ægrè in vrbem admissus, se confert. Luitolfus & Conradus superbiam Hainrici rectoris Boiariæ excusant, se nihil penitus in regem machinari, verùm illum, si aduenisset capturos, in vinculaque coniecturos fuisse confitentur. Otto quòd paucos fideles secum habebat, dissimulata re, Agrippinensem Coloniam accedit: inde ad Mediomatricum vrbem pergit. Lustrata Lotharingia, paulatim copias auget ad se ab inimicis deficientes benignè adpellat: eis gratiam facit. Brisacum castellum, oppidumque receptaculum hostium, latronumque intrat, complures ibi moratur dies. Tota Lotharingia ad obsequium Ottonis redit, præter paucos prædones, quibus cordi bella, cædes erant: & qui nisi in bello ob scelera salui esse non poterant. Fridericus Moguntinus mystes vrbem regiam, caputque Francorum inimicis regis tradit. Otto comparatis quàm celerrimè copiis, eò cum infesto, robustoque Francorum, Lotharingiorum, Saxonum exercitu contendit, vrbem arctissima obsidione claudit. Rector quoque Boiorum cum auxiliaribus copiis ad fratrem transitum facit, tutelam Boiariæ, vxorem, liberos, thesauros, Reginoburgium, Arnulpho, & Hermanno fratribus vxoris suæ, Schirorum principibus, præfectisque prætorio Boiariæ, quos Landgrafios vocant, committit. Inter hæc Luitolfus, qui Itham filiam Hermanni ducis Sueuorum duxerat, mortuoque socero, Sueuos à patre acceperat, parenti rebellat, imperata facere detrectat. Arnulphus & Hermannus nacti, vt ipsi rebantur, occasionem opportunam recuperandæ Boiariæ, cuius principatum pater atque patruus tenuerant, ad Luitolfum deficiunt: cum eo fœdus, amicitiamque firmant, sororem Iuditham cum liberis, & amicis Reginoburgio, totoque Boiariæ regno exigunt: gazam, supellectilem Hainrici diripiunt, militibus populoque distribuunt. Reginoburgenses cæterosque Boios, sibi veluti iustis legitimisque hæredibus sacramenta dicere cogunt. Inde Augustam Rhetiæ Pontificiamque prouinciam, quòd diuus Vdalricus ciuitatis episcopus, ciuesque rebus Ottonis studebant, inuadunt, capiunt, spoliant, ferro, flamma vastant, diripiunt. Magna præda potiti D. Vdalricum apud Schvvabmenching, Sueuorum pagum, aut viuum capturi, aut occisuri circumsident. Prouolant in auxilium episcopi cum copiis Albertus Marthalensis præfectus patruus, Theobaldus frater episcopi. Fit prælium atrox, Februariis Iudis die Lunæ ante caput Quadragesimæ. Arnulphus victus terga vertit, obsidionem soluit, Reginoburgium aufugit, seque ibi munit. Frater eius Hermannus viuus in potestatem hostium venit, captiuusque abductus est. Albertus grauiter vulneratus, in paucis pòst diebus ex hac vita migrat. Augustæ in templo maximo ante aram Diuæ Vvaltpurgæ à nepote humatur. Otto vbi hæc audiuit, Brunnonem fratrem Agrippinensibus, quorum episcopus tum obierat, pontificem Lotharingiis dat præsidem. Conradum generum, cuius vxor obierat, hostem Reipublicæ iudicat. Soluta obsidione Mogontiaci, in Sueuiam properè peruenit ad Ileram amnem, Tussamque pagum Sueuiæ castra facit. Obuiam & filius Luitolphus cum copiis armatus procedit, contra patremque consider. Cumque iam pater & filius parricidiali bello manus commissuri, in acie vtrinque starent, diuus Vdalricus Augustanus, Hardopertus, Curiæ episcopus vltrò citrò commeant, sursum deorsum cursitant, minis, precibus, pollicitationibus Sueuos ad obsequium Ottonis redigunt: à detestando bello, & sanguine cognato manus abstinere persuadent, suasu suo in officio continent. Copiæ proinde certamen detrectant, Luitholphus in Boiariam Reginoburgium ad Arnulphum se confert. Otto tradita Sueuia Burckhardo à Helfenstain, cui Luitgarda filia Hainrici ducis Boiorum nupta erat, in Boiariam transitum facit. Reginoburgium obsidet toto autumno: machinas, ferramenta, tormenta, instrumenta, quibus vrbs expugnaretur, parari iubet. Vltimo Decembri in Saxoniam redit, ibi sacrum Christi natalem ritè perpetrat, Februario in Boiariam reuertitur, duos penè menses vrbem quotidie oppugnat: nihil aduehi, nihil intrò ferri sinit, famęque obsessus vrget, vtrinque pro portis crebrò acriter pugnatum est. Iam obsessi fame laborabant, quam diutius tolerare non erat consilium. Luitolfus cum proceribus vrbe egressus, pacem supplex petit à patre, quam tamen non impetrauit, quòd fidei genitoris absque omni conditione se committere recusabat, in vrbem repulsus est. Moxq́, Gerion bellicis rebus præclarissimus, tum princeps partium regis, portam Orientalem oppugnat, perfringereque tentat. Arnul-

Moguntia 60. diebus obsessa, vt scribit Vrspergens.

Arnulphus & Hermannus Boiariā Hainrico eripiunt.

Burckhardus comes ab Helfenstain. Reginoburgium obsidetur ab Ottone.

Arnulphus cum suis erumpit, ab hora tertia vsque ad nonam sex horis continenter pugnatur, donec Arnulphus fortiter dimicans equo cadente, telis confoditur, armisque exuitur. Cæteri in vrbem aufugiunt, portamque claudunt. Boij cùm nollent pro mortuo bellum trahere, Ottoni se tradunt, Luitolfus quoque absque omni pacto se parenti permittit. Recepto itaque Reginoburgio, Hainrico Boiariæ ducatus restituitur. Otto pacata Boiaria in Saxoniam, & interiorem Germaniam ad domandos Venedos abit. Vix hæc turba composita erat, mox aliud ex alio malum. Duo episcopi Boiariæ, Bathauensis & Salisburgensis pro pallio insigni archimystæ decertant. Heroldus Iuuauensis honorem à Carolo Magno traditum nuper à Leone ablatum vsurpabat, viqùe retinere conitebatur. Gerardus Laureacensis episcopus iam à Leone septimo declaratus vetustate Laureaci contrà nitebatur. Laureacensis templi fundamenta iacta esse in primordio Christianismi, à primariis authoris nostri legatis diuo Petro, & Paulo, horumque discipulis, Marco Euangelista, Lucio Hermagora, atque Fortunato proponebat, primamque in hisce prouinciis tum Romanorum, quas modò Boij tenent, sacram ædem fuisse: vbi maximus sacrorum testium numerus religionem Christianam suo sanguine consecrasset. pontificem Bathauensem, Laureacensemque hactenus semper fuisse archimystam Boiorum prædicabat, donec Hunni ea loca circum circa omnibus vastatis in solitudinem redegerunt. Carolusque Magnus excisis Hunnis, dum regnum Boiariæ orbatum doctore & legato Christi foret, Arnonem Iuuauensem episcopum demum in collegium archimystarum Boiariæ cooptauit. Hanc rem Gerardus per Hadomarum monachorum Fuldensium magistrum, ad Agapetum secundum Pontif. Maxim. refert, poscitque sibi restitutum honorem confirmari. Agapetus annuit postulatis, Bathauensem episcopum à ditione Salisburgensis soluit, archiepiscopum Boiorum Laureacensem nuncupat, Salisburgensi ob suprà commemoratas rationes præferendum censet. Gerardo mandat, vt Pannoniam, Auaros, Morauos, Venedos in rebus diuinis procuret. Heroldo Iuuauensi, & sociis eius, nisi pareant, sacrificiis interdicit, Gerardum eius successores, Laureacensem appellat archimystam: eum Ottoni regi, Hainrico duci Boiorum vt fautores eidem aduersus Heroldum adsint, commendat. Heroldus sibi iniuriam illatam ratus, cum Conrado duce ab Ottone proscripto, fœdus init: eundem in societatem, amicitiam adsciscit, ad seque recipit, templa spoliat, gazam ecclesiasticam Vgris hostibus religionis nostræ distribuit, amboque ad Bultzkonem regem Vgrorum se conferunt, illum aduersus nos concitant, discordiam, infirmitatem nostrorum aperiunt, prædam ingentem ostendunt, se duces fore itineris pollicentur. Bultzko legatos exploratum quasi officij gratia ad Ottonem ire iubet. Hisce reuersis, nunciantibusq; vera esse, quæ Conradus & Heroldus narrabant, cum quam maximo potest hominum numero, & quinque exercitibus, & legionibus, quibus ipsæ, & tetrarchæ eius Lælius, Sura, Toxus, & Schaba præerant, ducentibus Conrado & Heroldo regnum Boiariæ inuadit. Neminem sibi resistere ausurum opinabatur, tantæ erant copiæ, insuperabiles se fore, nisi terra dehisceret, aut cœlum rueret, iactabant. Portæ igitur vrbium clauduntur: homines relictis vicis, agris, oppidis, sibi fuga consulunt. Vgri syluis, amnibus vi emensis, pernicibus equis vbique adsunt: declinatis vrbibus monasteria petunt, diripiunt, incendunt, quemadmodum ante quatuor & quadraginta annos factitarant. Monachos, sacerdotes in ignem abiiciunt, cæteros viros, fœminas, pueros, puellas, quos occuparant, captiuos veluti pecudes abigunt. Ab Ebersperg, Fruxinoque repulsi, Damasiam, Rathonis monasterium, Thierhauptum, reliqua Boiariæ templa euertunt: Boiaria deprædatione, ferro, flamma deuastata, Danubium, Rhenumque transeunt, ductore Conrado Lotharingiam depopulantur. Omnia cæde, incendiis, luctu complent. Tandem diuinitus, vt aiunt, territi, Augustam Rhætiæ petunt: quòd eò ingentes opes congessisse Boios, Sueuos, Francos fama erat. Vrbem circumsidunt, pars tranato Lyco, in Boiariæ ripa Thierhauptum occupant, vtraque potiuntur ora, terram sicuti locustæ operiunt. Inter hæc Hainricus dux Boiorum Heroldum iuxta legis Salicæ horrendum carmen (quo cauetur, vt episcopus si cum hostibus conspirarit, hos quopiam inuitarit, & eos quos seruare debeat, perdere voluerit, pœnas capite luat) perfidiæ condemnat. Eundem apud Muldorff capit, eidem oculos exculpi iubet. Conradus quoque ab Vgris ad Ottonem profugit, seque pro Republica deuouet. Quinetiam Ioannes duodecimus Pontifex Maximus Heroldum ob huiuscemodi facinus Rauennæ in conuentu amplius quinque & quinquaginta patrum celebri, septimo Calendas Maij, indictione decima, diris deuouet. Non solùm senatu Pontificum, sed etiam tribu sacerdotum mouet. Sacerdotes, populusque Boius, communibus suffragiis Fridericum in curiam Iuuauensium episcoporum allegant. Huic postea Benedictus quintus honorem archiepiscopi restituit. Extant hæc diplomata. Porrò Otto qui tum domandis Venedis in intima Germania aberat, vbi hæc accepit, copias vndique contrahit, obuiamque pergere hostibus iubet. Ipse quàm maximis potest itineribus, cum Saxonibus ad Vgros in Rhetiam contendit. Francorum equitatus duce Conrado, Bolitzlaus Boiemiæ regulus cum electis militibus eò

Hainricus Boiariam recipit.

Heroldus comes à Sc euris episcopus Salisburgensis.

Gerardus episcopus Bathauensis.

Bultzko rex Vgrorum.

Heroldus excæcatur.

Fridericus comes de Chiemgen episcopus Salisburgensis anno 958.

properat. Hainricus Boiorum rector, æger quòd prælio adesse nequibat, Eberhardo Senonum dynastæ exercitum Boiorum permittit. Burckhardus cum Sueuis, & diuo Vdalrico vrbe erumpit. Vbi diluculo copiæ nostratium conuenere, placuit Boiemos in subsidiis circa impedimenta consistere. Vgri hos adoriuntur, impedimentis potiuntur. cæteri nostratium contempta iactura instrumenti bellici, rati vniuersa hostium, & sua victoria fore, septem agminibus ab omni parte Vgros inuadunt, aciem perrumpunt, turbant, hostes circumueniunt, fundunt, sternunt. In altera Vindelicorum ripa Boij eius, qui in Thierhaupten considebant, superis fauentibus, pari clade inuoluunt. Nostri itaque vtrinque Vgros in Lycum flumen, quod pro hisce antè erat, agitant, præcipitant, submergunt: alueus Lyci cadaueribus oppletur. Nemo euasit, perpauci capti, cæteri ad internecionem deleti sunt, eo die, quo ante octo & quadraginta annos & ipsi exercitus Boiorum, viresque exciderant, nempe quarto Idus Augusti, isque dies in Romanos fastos relatus est. Postridie direpta sunt castra hostium, maximus captiuorum numerus liberatus, honor superis habitus, vota pro victoria suscepta, reddita sunt. Bulezko rex, eius quatuor reguli Schaba, Lelius, Sura, Toxus vnà cum paucis capti, traditi sunt Eberhardo Boiorum dynastæ. Is regem, & quatuor principes Hainrico duci Boiorum Reginoburgium misit. Vbi ante portam Orientalem, quæ Vngariam versus spectat, patibulo affixi, laqueo necati sunt. Cæteros Eberhardus apud Ebersperg viuos in fossam abiecit, terraque & luto obruit. Tintinabula, signaque ex eorum spoliis fudit. Nostris quoque cruenta atque luctuosa victoria fuit. Theobaldus frater D. Vdalrici, Regenvvald nepos eius ex sorore, patruus Berthæ auiæ Hermanni Annalium scriptoris, Conradus gener regis, Starchandus Aichstatensis episcopus occiderunt. Michael episcopus Reginoburgensis in manu vulnus accepit, ægrè euasit, ope (vt aiunt) Diui Haimerani. Burckhardus Sueuorum dux, gener Hainrici reguli Boiorum, periit. Otto adserta Germania, populo Christiano liberato, eaque cæde perpetrata, ab exercitu Imperator, & pater patriæ salutatus est. Porrò Vgri qui domi reliqui erant, tanta suorum ruina animo fracti, vallo, fossa, sudibus contra nos sese in locis palustribus muniunt, ne dum fines alienos inuadere (sicuti per annos quinque & quinquaginta hactenus continenter factitarant) animo posthac conciperent: concussi viribus, territique potentia Ottonis (sicuti & Luitprandus Ticinensis, & Benedictus Sextus Pontifex Maximus, qui eadem tempestate vixerunt, narrant) ne mutire quidem de cætero ausi fuere: regem tamen creant Geizonem filium Toxi, parentem D. Stephani. Is licet alienus à religione Christi esset, nostros tamen amauit, ab Ottone pacem impetrauit: bonus Christianis, suis sæuus extitit. Sunt qui tradant Vgrorum ductorem fuisse Schirorum principem Arnulphum, quem alij Ottonem, alij aliter nominant, mihi non fit verisimile. Equidem nihil certi, licet curiosius istæc indagarim, comperi: fabulæ sunt, nisi forsan Heroldus, qui & Herulphus, ex ea familia oriundus fuit, & similitudo nominum peperit (vti fit) errorem, Arnulphumque pro Herulpho imperiti accepere. Eodem anno nimirum Christianę salutis Noningentesimo quinquagesimo quinto obiit Reginoburgij Hainricus primus, Calendis Nouembribus, Hainricum filium hæredem Boiarię reliquit. Sepultus est in templo D. Haimerani. Tulit ex Iuditha Ludouicum, Hainricum, Luitgardam, Hælicam virginem sacratam, quæ Bathauiæ sepulta est. Hainricus secundus educatus fuit in Saxonia à D. Machtylda auia paterna. Mortuo patre vniuersum regnum Boiariæ à patruo Ottone accepit. Limitis Austriaci Burckardum, Charinorum Hainricum, filium Bercholdi reguli Boiorum, tum duces fuisse reperio. Vxorem duxit Hainricus secundus Gisalam filiam Conradi regis Burgundiæ, neptem ex fratre D. Adelhaidis Augustæ. Ex ea suscepit D. Hainricum tertium Boiorum regulum, Romanum Imperatorem secundum, Brunonem episcopum Augustanum, Gisalam reginam Vgrorum, Gerpyrgam Chimensium virginum maximam. Frequens habitasse dicitur Abudiaci, proximè Reginoburgium. Ob clementiam primùm Pius, deinde cùm Ottoni secundo Augusto, dicto audiens non esset, Rixosus cognominatus est. Vsus est familiariter D. Wolfgango Reginoburgensium episcopo: eius suasu Reginoburgij, quæ tum sedes summi Boiariæ principis erat, D. Paulo templum dedicat, Antistitem filiam suam capit: ædem sanctis virginibus fecit, vt pudicè casteque viuendi exemplar forent fœminis sacratis superioris inferiorisque ibidem monasterij. Hæ enim excusso pudicitiæ fræno, populariter tum videbant, seque nescio cuius chori dominas nuncupabant. Gisala vxor Hainrici in eadem æde, vbi socrus Iuditha humata est: ita crux aurea testatur, quam Gisala regina ad sepulchrum Gisalæ genitricis dedicauit. Eadem tempestate Italiam graui seruitute Berengarius secundus, nepos ex filia primi, premebat: in pauperes, diuites, sacerdotes, prophanos iuxtà sæuiebat. Ioannes duodecimus Pontifex Maximus, Senatus, populusque Romanus, proceres episcopi Italiæ per internuncios Ottonem orant, ambiunt, vt Italiam armis Germaniæ rursus adserat. Anno igitur ab orbe liberato Noningentesimo sexagesimo Otto Berengario bellum indicit. Reginoburgium in Boiariam in hyberna se confert. Ottonem filium septimum agentem annū regem declarat, & ad Aquas Graneas soléni ritu, quinquagenalium die inungi præci-

Vgri Boiemos aggrediuntur.

Bulezko rex captus.

Otto Imperator patriæ pater dictus.

Geiso vel Geizo.

Catalogus episcoporum Iuuauensium ponit Heroldum comitē de Scheurn.

Ann. 955. obiit Hainricus I. dux Boiorum.

Gisala regina Vngariæ.

Gerpyrga abbatissa.

præcipit. eundem Wilhelmo filio suo archimystæ Mogontino committit. Ipse per Boiariam, & Tridento, Veronaque Italiam petit, obuiam certatim prodeunt primores, episcopi Italiæ, læti regem Germaniæ excipiunt: nihil honoris, nihil officij, quo Franco rectori gratificarentur, prætermittunt. Otto Ticinum vi capit, cæteras vrbes subigit, Romam procedit. Vbi à senatu populoq; Romano reuerenter acceptus, Imperator, Cæsar Augustus salutatur, à Ioanne Pont. Max. consecratur, sibique hunc atque Romanos, se in potestate Imperatoris futuros, per sacra D. Pauli sacramentum dicere iubet. Roma deinde egressus Ticini Paschalia celebrat. Berengarium, coniugem eius Vvillam obsidet, capit, viuos in potestatem redigit. Vidonem filium eorum pugna occidit, alterum filium Albertum Italia exigit.

Otto Ticinũ capit.

Berengarius & Vv. lla vxor captiuí Bambergam in exilium missi sunt.

Inter hæc Ioannes Romanus episcopus ab Augusto deficit, Albertum reuocat, eiq; ne Romam tradit. Quód vbi Cæsar accepit, celerrimè Romã contendit infesto exercitu. Territi Ioannes & Albertus fuga sibi consulunt, in Campaniam elabuntur. Otto Romam in ditionem rursus cogit, denuò proceres, plebem, sacrificos iureiurandi religione adigit, nullum Pontificem maximum capturos, absque consensu Augusti, & Ottonis Cæsaris filij sui. Deinde Ioannem abdicat: Leonem octauum Pont. Max. ex patribus legit, Spoletum postea proficiscitur. Ioannes & Albertus corruptis pecunia fœminis Romanos viros concitant. Hi Leonem vrbe pellunt, Ioannem & Albertum recipiunt. Leo ad Augustum euasit. Otto castra vbi Romæ admouet, eam arctissima obsidione claudit. Inter hæc Ioannes mortem obiit subitò, Romani Benedictum quintum rebus ecclesiasticis imponunt.

Albertus filius Berengarij secũdi. Ioãnes Põt. deponitur.

Leo 8. Pont. Max.

Benedictus 5. S. P.

Augustus Romanos fame ad deditionem cogit, Leonem octauum restituit, subacta atq; pacata Italia, Benedictum secum Hamburgium deportat, Bremensi archiepiscopo, antè Hamburgensi episcopo Adaldago tradit. Vbi sacerdotum tribu motus, deminuto capite interiit Berengarius, & Vvilla vxor eius in Boiaria, nempe Bambergæ exules mortui sunt, regioque cultu humati. Paucis pòst diebus Leo octauus ex hac vita migrat. Azo scrinij primarius magister, & Marinus Sutrij Pontifex à Romanis ad Imperatorẽ legantur postulatum Pont. Max. Hanc ob causam Augustus Odogarium Spirensem, Lizonem Cremonensem episcopum Romam proficisci iubet. Tum comitiis Pontificiis, ab vniuerso populo Romano Ioãnes tertiusdecimus Narniensis deligitur, quem postea Petrus vrbis præfectus, & Rathfridus præses in vincula coniiciunt. Imperator compositis rebus Gallicis atque Germanicis Romam pergit. Ioannem liberat, tredecim vrbis proceres in crucem agit. Vrbis præfectus aufugit, Rathfridus iam honesta morte obierat. Pacata Roma Imperator, & Ioannes Pontifex Maximus Ottonem iam Cęsarem declaratum, literis in Italiam Romamque euocant. Isque Augustam Rhætiæ accedit, inde Romam ad parentem se confert, natalibusque Christi à Ioanne consecratur, Augustusque appellatur: eique connubio Theophania Nicephori Imperatoris Constantinopolitani dicatur, quæ duodeuicesimo ánte Calendas Maij die, post Paschalia inauguratur, à Pontifice Augusta cognominatur. Et tertia postea nocte Ottoni iuniori thalamo nuptiali coniungitur, celebratisque magnificè nuptiis, ambo Augusti in Germaniam, Franciamque redeunt. Vrbs Roma, Italiaque quæ per sexaginta annos à Germania diuisa fuerat, rursus Francorum iungitur imperio: cui adhuc titulotenus cohæret.

Crantzius in Metropoli sua, lib. 2. cap. 4.

Otto 2. coronatur Augustus.

In Boiaria sub idem tempus lites erant. Friderico Salisburgensi archimystæ prouinciam, quemadmodum à Carolo Magno decretum fuerat, restituit Benedictus quintus. Diuus tum Pilgrinus Bathauensi, Laureacensi templo præsidebat, ad hunc Geizo rex Vgrorum motus sanctitate viri, licet Christianus nondum esset, legatos mittit, atque vt Vgrorum regionem adeat, ibi philosophiam Christianam interpretetur, orat: se cuius cultum Christi recipiendi potestatem facere pollicetur. Lupus iuxta diuina oracula, mores suos mutauit, ouemque viuere cœpit. Pilgrinus igitur assumpto secum diuo Vvolfgango, viro eiusdem æui doctissimo, ad Vgros profectus, quinque millia eorum sacro fonte lustrauit. Captiui Christiani, quorum maxima pars erat, qui eò vndique terrarum abacti fuerant, publicè, nemine prohibente, certatim sobolem ad lustricam aquam deferunt: templa extruunt, id quod antea nequaquam licuerat. Nec animi ferocissimæ gentis, finitimæque Venedorum nationes, à Christiana pace iam abhorrebant. Pilgrinus cùm vnus tanto oneri non sufficeret: & messis copiosa, messores verò perpauci forent, Benedictum sextum Pontificem Maximum literis, & per duos sacerdotes flagitat, vt se archiepiscopum Laureacensem declaret, collegas cooptandi in Pannoniis copiam faciat: vbi quondam Gepidarum, Romanorumque tempore septem diciones ecclesiasticæ fuerant subditæ archiepiscopo Laureacensi: quatuorque ibidem manserunt, vsque dum Vgri Boiorum regnum inualere.

D. Pilgrin.

Vgri ad Christum conuertuntur.

Benedictus postulatis annuit, ac ita rescribit. *Dilectissimis in Christo filiis, Ruperto Mogontino, Theodorico Treuerensi, Alberto Magdeburgensi, patriarchæ Germaniæ, Geroni Agrippinensi, Friderico Iuuauensi, Adaldago Bremensi archiepiscopis: pariter Domino Ottoni gloriosissimo Imperatori, Augusto, atq; nepoti suo præcellentissimo duci Boiariorum, cæterisq; omnibus episcopis, abbatibus, ducibus, comitibus Galliæ atque Germaniæ, Benedictus diuina gratia Apostolicæ sedis pontifex, seruus autem seruorum Dei, in Domino salutem.* Ob vetustatem Laureacense templum, ab Iuuauensium iugo soluit, præfertque Salisburgio: illi dignitatem archimystæ restituit, quòd illic ab infantia religionis

Epistola Benedicti S. P. ad episcopos Germaniæ quosdam.

 Chri-

Hæc ad Pilgrinum habet in catalogo Episcoporũ Laureacensium.

Otto 1. Rom. Imp. moritur.

D. Vdalricus.

Osterreich.

Hainricus Austriæ dux.

Hæc Sigebertus sub anno 959.

Sigebertus sub anno 976.

Hainricus dux Boiorũ vinosus rebellat Ottoni 2.

Bolislaus. Mitzko.

Heraldus rex Danorũ.

Otto dux Sueuiæ Boiariam occupat.

Christianæ diuina ædes dicata sit, ibique complures pro Christo mortem oppetierint, Pilgrinum successores eius, episcopos Bathauenses, archiepiscopos perpetuo edicto designat, præstareque decernit Iuuauensibus archimystis: illis Pannonias, Noricum Ripense, Morauos, Vgros, Auariam, Vepedos addicit: his Noricum mediterraneum, & Vindeliciam adtribuit. Sub idem tempus Imperator Otto Cæsar Augustus ex hac vita migrat Nonis Maij, anno Christi noningentesimo septuagesimo tertio. Eodem anno obiere D. Vdalricus Augustanus pontifex, Burckhardus Sueuorum regulus, cuius ducatum Otto filius Luitolfi, nepos Imperatoris Magni, recepit. Burckhardus præfectus pagi Boiorum, qui Osterricha, hoc est, Austria vocatur. Sic Imperator Otto tertius, Cæsar Augustus, in diplomate nuncupat, quòd Hainrico duci Boiorum cognato suo dedit, quod in Ebersperg seruatur. Luitpoldus filius Eberhardi, nepos Arnulphi ducis, pronepos Luitpoldi ab Vgris occisi, amitinus Hainrici reguli Boiorum, Orientalem limitem aduersus Vgros administrare iubetur. Ita ego quidem apud quosdam lego: verùm quod ad imagines maiorum spectat, diligentius inquirendum censeo, quæ ego accipio, transcribo: non tamen omnia certò scio. Is Luitpoldus progenuit ex Richarda Poponem archiepiscopum Treuerensem, & Hainricum, qui post fata parentis Austriam procurauit. Vbi autem mors Imperatoris diuulgata est, vndique (vt fit quando Respublica principe, quasi nauta nauis, orta tempestate orbatur) armorum procellæ ingruunt. Reginero Bergorum Hannoniæ præfectus, cognomento Longi colli, à Brunone archiepiscopo Agrippinensi, duce Lotharingiæ, ante quindecim annos, quòd pacem interturbaret, apud Vvalentianas captus fuerat, ad Venédosque relegatus exul obiit, bona eius confiscata sunt. Bruno iste primus episcoporum fretus fratris Augusti authoritate, Reipublicæ munia obire cœpit: studium hactenus episcopis fuerat sacras docere literas. Regineronis filij (inde enim diuerti) Reginero, & Lambertus in Franciam Occidentalem aufugiunt, ibique vsque ad mortem Ottonis primi delitescunt. Vbi certiores facti sunt de morte Augusti, consisi affinitate Caroli ducis, fratris Lotharij regis Galliarum, & Hugonis dynastæ Parisiorum, in orientalem Franciam redeunt, paternam præfecturam recuperare conituntur. Warnerum, Ramoldum, & Reginonem, qui ea loca tum administrabant, pugna superabant, Buschum castellum in ripa Hanni amnis construunt, atque muniunt: incursationes inde in Luthariοs (quos nunc Brabantinos vocant) faciunt. Imperator Otto secundus ex Saxonia cum copiis aduolat, castra Buscho admouet, castellum obsidet, vi expugnat, incendit: vniuersos quos intus deprehendit, in vincula coniicit, captiuosque in Saxoniam abducit. Reginero, & Lambertos ad Gallos Vestriacos rursus fugam capessunt: ille Gerbyrgam filiam Caroli, alter Hadvvidam filiam Hugonis vxorem habebat. Inter hæc Hainricus regulus Boiorum, consilio Berchtoldi principis Schirorum, & præfecti palatij Boiarici, amitini sui, filij Arnulphi (qui Reginoburgensi prælio, vti diximus, periit) item suasu Hainrici Augustensis episcopi, nepotis Arnulphi ex filia, consobrini sui res nouas molitur. Ottoni Augusto patrueli suo rebellat, regnum affectat: in partes suas trahit Hainricum Charinorum præsidem cognatum suum, regem denique se appellat, & ab Abraamo episcopo Fruxinensi, Reginoburgij in templo D. Haimerani inungitur: nec quicquam D. Pilgrino Laureacensi archimysta, Luitpoldo Austriaco & Vdalrico ab Ebersperg refragrantibus. Hainricus nouus rex cum Bolislao Boiemorum, & Mitzkone Polonorum regulis, cum Heraldo Cimbrorum rege, huiusce ciuilis belli authore fœdus init. Otto concilium procerum conuocat, Popponem episcopum, Gebhardum magistrum equitum in Boiariam legat, qui postularent, vt Hainricus, accepta fide publica, quàm celerrimè ad Cæsarem se conferret. Quod si recusaret, videri eum contra Rempublicam fecisse. Paret mandatis Boiorum rex, cum Abraamo episcopo ad Augustum proficiscitur. Moxque Hainricus ad Ingelhaim, Abraamus Corobiam relegatur. Interim Heraldus Danorum rex Transalbianos vastat. Otto conatibus hostis cum exercitu properè obuiam venit, omnem vim belli in Daniam transfert. Heraldus territus legatos cum amplissimis donis supplex de pace mittit, filium dat obsidem, tributum annuum pollicetur. Imperator data pace Cimbris, cum ipsisque amicitia confirmata, arma in Boiariam vertit. Nam Hainricus & Abraamus interea custodia elapsi ad Boios redierant, seque aduersus Augustum muniebant. Ad hunc vbi fines Boiariæ adtigit, episcopi, pontifices, præsides, dynastæ, tetrarchæ, ciues, populus Boiorum, quibus bellum intestinum cordi non erat, prouolant, eum Reginoburgium deducunt. Ibi habito consilio Ramholdus D. Haimerani præsul, quòd Hainrico faueret, capitur, Treueros relegatur. Hainricus patruelis Augusti proscribitur, hostis Reipublicæ iudicatur. Hainricus Augustanus episcopus, Berchtoldus capti, in exilium acti, regnumque Boiario Ottoni duci Sueuorum, itidem patrueli Imperatoris, filio Luitolfi commendatur. Rex Boius exactus, fuga ad Charinos euasit. Augustus Boiemiam, Polonos inuadit. Bolitzlaum, Mitzkonem ad obsequium armis cogit. Wolfgangus pertæsus arma ciuilia ad Alpium Noricarum deserta secedit: proprius episcopus Boiemis datur Theodomarus, Saxo genere, vir sanctus. Hactenus Boiemos Reginoburgensis episcopus pauerat.

Dum

Dum Augustus in Boiemia versatur, duo Hainrici, rex Boius, & Charini limitis dux Bathauiam occupant, ibique se muniunt. Ottonianos, & suis rebus non studentes, grauiter adfligunt, ferro, flamma vastant. Idem Abraamus episcopus factitat, Fruxinique resistere Imperatori parat. Otto in Boiariam transitum facit, Reginoburgij copias cogit. Vdalricus Senonum præfectus, & Luitpoldus dux limitis Orientalis, cum auxiliaribus copiis se Cæsari coniungunt: Boiemi quoque Ottoni suppetias ferunt. Vdalricus cum parte exercitus Fruxinum obsidet, expugnat, Abraamum capit. Cæsar cum militibus Bathauiam adgreditur, ope diui Pilgrini archimystæ Laureacensis, nauis ponte facto, vrbe vi potitur: mœnia, ne posthac forent receptaculo hostibus, solo æquat. Heinricos ambos viuos in potestatem redigit, Treuerorumque Augustam cum Abraamo episcopo in exilium relegat, sancitque vt Pilgrinus cæterique episcopi Bathauenses, perpetuò sint, & nominentur archiepiscopi Laureacenses: extat edictum.

Theodomarus & Dietmarus episcopus i Boemorum.

Otto 2. Bathauiam capit.

Cumque talia in Boiaria fiunt, Lotharius occidentalis Galliæ rector, regia antiquorum Francorum proles Orientale regnum recuperare animum intendit, pacem rumpit, fœdus exuit, Imperatori Ottoni amitino suo rebellat de improuiso Germaniam inferiorem, quæ est in Gallia Belgica inuadit, Aquas Graneas, sedem Austriacæ Franciæ occupat, treis ibi dies consedit. Augustus infesto intentoque exercitu ad Lotharium contendit, Lotharius cedit, Cæsar regem fugientem Sequanam vsque, & contubernium D. Dionysij persequitur: à Calendis Octobribus ad Calendas Decembres, per continuos duos menses hostili animo Gallias percurrit, fines Rhemorum, Suessonum, Laudunensium, Parisiorum depopulatur: cuncta cæde, incendiis complet, sola templa intacta esse iubet.

Lotharius Galliæ rector rebellat.

Hæc Sigebertus sub anno 973.

Inter redeundum castra ad Axonam flumen facit, relictisq; ibi carris, plaustris, cæteris impedimentis, & commeatu cum paucis, qui ea tutarentur, cum copiis amnem traiicit. Inter hæc filij Regineronis transfugæ, quos suprà commemoraui, cum exercitu Lotharij regis castra inuadunt, milites occidunt, impedimentis, annona potiuntur. Huic expeditioni interfuisse D. Wolfgangum, Reginoburgensem episcopum, primumque cæteris hæsitantibus, vadum inuenisse, superasseque flumen, animumque nostris reddidisse reperio: quemadmodum Reginoburgenses quoq; adhuc prædicant, & depingunt. Amicis deinde vltrò citrò commeantibus, Cæsar & rex ad Charum flumen conueniunt, pacem faciunt, iuramento eam confirmant. Lotharius Germaniam abiurat, se & liberos suos Augusto commendat. Lotharingiæ ducatus ab Augusto, Carolo fratri Lotharij in tutelam traditur.

Aliàs Raginerius.

Charus fluuius.

Pacatis itaque Germaniis, Galliisque, Otto Reginoburgium petit, inde per Boiariam, comite Ottone Boiorum præside in Italiam pergit, Romæque hyemat. Tres prouincias Italiæ, Campaniam, Apuliam, & Calabriam, quas post translatum Romanum imperium in Germaniam Græci hactenus Imperatores tenuerant, subigit, in deditionemque cogit. Beneuentum quod Græcas sequebatur partes capit. Verùm Græci comparato infinito Saracenorum, Maurorumque numero, eas regiones inuadunt. In Calabria infestis signis, & animis exercitus concurrunt, fit prælium atrox. Saraceni & Græci primò victi, fuga cæsi sunt. Deinde cùm multitudine abundarent, reparatis viribus, nostros fessos, vt numero, ita & fortuna superant, totum nostratium exercitum trucidant. Hainricus episcopus Augustanus, Otto, Gebhardus, Berchtoldus optimi rei militaris duces, item cæteri episcopi, sacerdotes, tribuni, centuriones, decuriones, occisi sunt: scrinia, gaza Cæsarea capta, direpta. Otto Boiorum regulus, Wernherus Fuldensis præsul ægrè elapsi sunt.

Anno 981.

Imperator abiectis armis vestibusque, fugam capessit, ad sinum Carentinum, Rhosanumque eiusdem litoris vrbem, vbi Theophania Augusta, & Theodericus Mediomatricum pontifex, in subsidiis substiterant, fugam intendit. Vrgentibus verò Saracenis, in mare desilit, natando elabi conatur. Sed ab hostium nauibus intercipitur, in nauimque tollitur: seque gregarium militem esse simulat, magnumque pondus auri depositum habere iuxta Rhosanum. Dumque de precio, quo se redimat, cum Græcis colloquitur, paciscitur que, & nautæ ad litus, vbi Rhosanum condita erat, adpellere conantur, rursus Cæsar se ex nauigio deiecit, ad naues in portu stantes adnatauit, atque ad vxorem euasit. Diuinitus itaque seruatus, nec ab hostibus agnitus periculo liberatur. Pauci nostrorum qui effugerant, impatientes solis, fame, nimioque æstatis calore interierunt. Otto reparatis copiis Saracenos excindit, delet, sanguine eorum mare tingit: vnde cognomentum sortitus est. Romam deinde migrat, Ottonem Boiorum regulum domum redire iubet.

Rhosanum vrbs.

Is antequam attingeret fines Germaniæ, in Italia decedit, pridie Calendas Nouembris. Subsequenti anno, qui fuit Christi Noningentesimus octogesimus tertius, Imperator Otto Cæsar Augustus, Romæ profluuio ventris naturæ concedit, sexto Idus Decembris, in templo D. Petri magnifico funere sepelitur. Proceres Imperij de constituendo Cæsare dissident, pars Ottoni puero, filio Ottonis secundi, pars Hainrico Boiorum regulo imperium destinant. Hainricus vbi de morte Imperatoris comperit, callidè Treueris, vbi exulabat relictis, Agrippinensem Coloniam peruenit, fraudeque Ottonem puerum impuberem, qui ibi ab episcopo educabatur, in potestatem redigit: imperiumque tanquam proximus sanguine, tutorio nomine administrare contendit. Porrò dynastæ, sacerdotes,

Otto dux Boiorum moritur 983.

Otto 2. moritur Romæ.

Hainricus rixosus Boiariam rursus recipit.
Otto 3. Rom. Imp.

Ottonem vi Hainrico auferunt, regemque salutant, & Hainrico Boiorum regnum restituunt. Inter hæc Galliæ rex Lotharius rursus Germanias repetere in animum induxit, Virdunum vrbem expugnat, vrbis præsidem Godofridum capit. Vbi autem Ottonem Cæsarem declaratum esse audiuit, ei Virdunum & Godefridum reddit. In paucis pòst diebus moritur, relicto filio Ludouico, qui vno duntaxat anno occidentali Francia potitur, nempe absque liberis obiit. Tum Hugo nepos ex sorore Imperatoris Ottonis primi, paternam quoque originem ex Saxonia trahens, Galliam Romanam inuadit. Carolus frater Lotharij, dux Germaniæ inferioris, Galliæque Teutonicæ, Rhemos, & quædam alia oppida occupat, se quoque regem Francorum nuncupat. Duo itaque consobrini de Galliarum regno treis annos continenter contendunt, donec Carolus obiit, & Hugo inualuit. Progenies Caroli Magni, dum pro Germaniæ Imperio decertat, Celtarum quoque regno exclusa est. Otto filius Caroli ab Ottone Cæsare, Lotharingiæ præficitur, Hainricus abdicato regio nomine, receptoque Boiariæ regno, Vgros irruentes deuicit, conuentum celebrem Boiorum pontificum, præsulum, tetrarcharum, populi, procerum in Orientali limite apud vrbem Tulnam indicit. Interfuere Luitpoldus Austriæ, & Hainricus Charionum præfectus, cum episcopis, & antistitibus Boiariæ vniuersæ, summus Boiorum regulus causas cognoscit, ius dicit, responsa reddit, lites dirimit. Luitpoldus Austriacus princeps, & Christianus Bathauensis pontifex iure disceptant. Luitpoldus sibi seruire volebat prædia, quæ Bathauini episcopi in orientali pago possiderent: quædam etiam oppida Bathauensium, vt sua, occuparat. Episcopus portorium in Ebersperg, Traisemam, vrbem D. Hippolyti, Cisomurum, alia pleraque sui templi fuisse, & esse quinque testibus comprobauit. Hi fuere Boiorum dynastæ, Babo Schirorum princeps, præfectus prætorio Boiariæ, Mœnardus, Marichardus, frater eius Rogerius, & Thimo: iique rem ita se habere iurisiurandi religione confirmarunt. Prædia quoque Bathauensium omnia immunia fore decretum est. Piscatio insuper Husonum, quam ciues Tullani vendicarant, sacerdoti, sententia reguli Boiorum addicta est. Piscium id genus carthilaginem habet, Siluros Plinius vocat: eos Danubius, & Borysthenes alunt. Præcipua illis magnitudo; nullis ossibus, spinisve interlitis, carne prædulci: etenim optimus sapor, & nulla, vt dixi, ossa sunt. Tradit Plinius hos in Oeno amne, prope Visbium vrbem Germaniæ grassari. Visbium autem iuxta Ptolemæũ, sicuti ex computatione partium & segmentorum existimari licet, ad ostia Eni amnis conditum fuit, quem nunc literatores Enesum vocant. Cæterùm alius amnis, qui in Danubium Bathauiæ erumpit, in prima syllaba per diphthongon vltimam Oe scribitur, & profertur more Græcorum, à Germanis nimirum velut i longum, ille in prima syllaba primam diphthongon æ habet, Latinam seruat pronunciationem. In eodem concilio decretum, Quando ea regio Boiariæ, tædio vicinorum Vgrorum, ob horum crebras incursationes in solitudinem redigebatur, & (vt verbo Imperatoris Ottonis vtar) syluescebat, vt allicerentur noui Coloni indulgentia & largitionibus, qui nomina sua darent, terramque excolerent: tributa, militiæ vacationem, terram eam repurgantibus atque incolentibus remittendam esse. Nouos incolas omnium munium expertes fore, constitutum. Dataque Boiorum episcopis, monachis, sacerdotibus, nobilitati ibi castella, oppida, arces, aduersus Vgros construendi muniendique potestas. Extat de hac prærogatiua Ottonis tertij diploma, quod Boiis dedit, quemadmodum Theophania Augusta mater eius rogarat, & Hainricus summus Boiariæ princeps, & Hainricus Charionum dux efflagitarant. Hicque anno ab vrbe liberato noningẽtesimo, vndenonagesimo obiit, apud Altaich inferius iuxta patrem Berchtoldum sepelitur, vbi eius monumentum extat, & ostenditur. Ducatum eius postea administrauit Conradus frater Gregorij quinti Pontif. Maximi. Vbi tres & viginti potestatis annos compleuit, relicto filio impubere Conrado decessit. Sub idem tempus D. Wolfgangus Reginoburgensium episcopus moritur. Proximo deinceps anno, qui fuit æræ nostræ noningentesimus nonagesimus quintus, alter quoque Hainricus Boiariæ regulus tertio Nonas Octobris vitam finiuit, Reginoburgij, ibi in æde Haimeraniana sepelitur, eius mausoleum adhuc monstratur. Huius nunc patrueles, qui Boiaria potiti sunt, referam, Otto secundus regulus Boiorum, filius Luitolfi, nepos Ottonis Magni, Sueuos, & Boiariam simul sex annos administrauit: patruele suo Hainrico secundo, ab Imperatore Ottone secundo Cæsare Augusto, itidem patruele suo, in exilium acto, obiit in Italica expeditione, dum domum redire parat: liberos ne reliquerit, vbi nam sepultus sit, nemo, quod equidem sciam, tradit. Imperator Otto secundus Cæsar Augustus, Boiariæ regnum quatuor annos tenuit. Otto eius patruus, vti dixi, sex: dum Hainricus patruelis horum decem annos, partim apud Treueros, partim vagabundus exulat. Atque illi duo Ottones Tigurinam ædem à duobus fratribus illustribus, Boiariæ comitibus (ita in diplomate appellantur) constructam, ab Vgris combustam, quam proceres cum vxoribus, & canibus, & equis aliquot annos, monachis deficientibus inhabitarant, monachis cum prædiis reddunt, Hartuicum præficiunt, prophanos migrare iubent, anno nostræ Salutis DCCCCLXXIX. extat diploma.

Carolus frater Lotharij se regem vocat.
Otto filius Caroli fit dux Lotharingiæ.
Visbium.
Hainricus Charionum dux moritur.
D. Wolfgangus moritur
Hainricus Rixosus moritur.
Otto 2. dux Boiorum.
Tegersee monasterium.

D Hain-

D. Hainricus Rom. Imp.

D. Hainricus secundus Imperator, Pius, felix, Cæsar, Augustus, regulus Boiorum, filius Hainrici secundi, & Gisalæ filiæ Conradi regis Burgundionum, nepos Hainrici primi, fratris germani Imperatoris Ottonis Magni, natus est ab orbe seruato, anno noningentesimo altero abs septuagesimo. Abudiaci (vicus est, & arx Boiariæ inferioris in ripa Danubij, decem millia passuum supra Reginoburgium occidentem spectat) educatus est, literisque institutus apud Hyldeshaim in Saxonia, doctissimus fuisse perhibetur. Vxorem duxit D. Chunigundam Mosellanam. Ambo castimonia insignes, Veneri bellum perpetuò indixere, heroicamque vixere vitam: ambo in album superûm adscripti, adhuc coluntur. Hainricus parenti in ducatu Boiorum successit, religionis studiosissimus fuit, Primus Imperatorum sacerdotes & monachos ditauit: ipsis venationem quoque indulsit. Contubernia ab Vgris, vt explicaui, vastata erant. Monachi arrepta occasione ex paupertate, seuerioris religionis iugo excusso, licentius viuere cœperant, mystæ & Augustiniani ac ex atris albi, ex laneis linei facti erant. Hainricus consilio D. Gothardi, in Boiaria apud Altaichium inferius nati, viri perquam eruditi, atque boni, templa virorum, & sacratarum fœminarum, qui labente disciplina, difficile religionis obsequium interpretando detrectabant, reficit: hos ad castimoniarum abstinentiam arduam redigit. Mansee Noricorum ædem ab episcopis Reginoburgensibus in paupertatem redactam, sacris diui Benedicti imposito magistro, reddit. Bathuricus episcopus Reginoburgensis illam ab Hem[illegible]a regina Boiorum impetrarat, anno Seruatoris DCCCXXXI. Ipsa ab eodem monasterium superius Reginoburgij ceperat. Idem Hainricus Chiemensibus virginibus Gerpyrgam sororem, Bathauensibus Helicam amitam præficit. Altaichium inferius abdicatis popularibus mystis, in ordinem D. Benedicti redigit, Polling reficit. Tigurinis D. Gothardum dat magistrum inuitis monachis, id contra instituta esse vociferantibus, Gotscalco quoque episcopo Fruxinensi Gothardum, quòd alienæ incubaret prouinciæ, carpente. Quamobrem Gothardus ad Hainricum redit, peruicaciam monachorum incusat. Hainricus Tigurinos petit, Eberhardum vel ingratis imponit. Deinde de integro in Boiaria extruxit à fundamento Neoburgij supra Angilostadium templum: alterum Reginoburgij, quod plumbo texit, & veterem ædiculam nominamus. Tertium Mosburgij, illud sanctis virginibus, alia flaminibus popularibus dicauit. Cæteri Boiorum proceres, viri, fœminæ, episcopique secuti principem suum, pleraque construxere phana, annitente & opitulante pientissimo regulo. Angelbertus Fruxinensium pontifex extra mœnia vrbis D. Stephani ædem symmistis Benedictinis ampliauit & tradidit: sacerdotes inde ad ædem D. Viti, ad radicem eius montis migrare iussit, vbi adhuc sunt. Gebhardus primus pontifex Reginoburgensis cum fratre Rapotone, Damasia, & ab Hohenvvart oriundus, successor D. Wolfgangi, Prulam in agro Reginoburgensi, & Thierhaupten apud Lycatios D. Benedicto, eiusque consecraneis dedicat. Adalbero & Vdalscalcus fratres Boiariæ primorum clarissimi, Kuepachium non procul à Barro amne. Irmindruda soror D. Kunegundæ Augustæ, Welphonis secundi satrapis Ambronum in Vindelicia, & Boiaria & Altorff, atque Rauenspurgij in Rhætia siue Sueuia, vxor, sacratas fœminas ex Altorff Sueuorum, in Boiariam ad Altonis monasterium, & hinc monachos illuc transtulit, Garlitam virginum maximam cepit. Ipsa cum Itha socru in eodem Altonis monasterio humata est: vbi nunc simul, diuersis cœnobiis virgines, & viri sacrati habitant, vno tamen templo psallunt, Brigittani vocantur. Sub idem tempus Chunegunda soror Ithæ, cuius iam mentionem feci, neptis Ottonis Magni ex filia Richlyta, coniunx Friderici in Diessen, & Andechs tetrarchæ, D. Stephano, & Aurelianis flaminibus collegium instituit. In eius sepulchro nuper inuentus laterculus coctilis est, cui hoc epigrammia impressum est.

Sancta Chunigunda Augusta, Von der Musel.

Mansee monasterium.

Altorff vnd Rauenspurg. Altorff, heüte Vveingarten.

Diessen monasterium.

CHVNIGVNT
PECCATRIX
HVIVS LOCI
DOMINATRIX
ISTAM CONS
TRVENS AVLAM
II NON. MARTII OB.
A. M XX.

Bruno quoque frater Hainrici reguli Boiorum episcopus Augustanus, Straubingen, tunc vicum ignobilem, nunc verò caput interioris Boiariæ, qua Danubio Boiemiaque terminatur, quondam Coloniam Romanam, Augustam Aciliam cognominatam, Augustensibus mystis tradit, vbi quotannis parentalia celebrentur, pauperesque centum, cum scholasticis pueris pascantur: diuoque Mauricio collegium popularium mystarum apud Augustam Rhætiæ instituit, vbi & sepultus est. Per idem tempus D. Guntherus apud Turoges nobilissima familia procreatus, in Boiaria Aquilonari, qua Boiemiæ continuatur, in

Bruno.

Straubing.

Acilia.

Canonici D. Mauritij Augustæ.

Rinichnach monasterium. Noreta sylua, particula Hercyniæ Rinichnacum D. Benedicti monachis ædificauit. Altaichio inferiori addixit. Eadem quoque tempestate Aribo dynasta Boiorum, in Boiaria, quæ est in Norico Burgilum castellum suum, in templum vertit, Diuo Lamberto dedicat, *Soin monasterium.* traditq; symmistis D. Benedicti, accolæ à lacubus, qui ibi frequentes sunt Soëum vocant. Hainricus vniuersa huiusmodi templa largiter (extãt diplomata) collocupletat. Mortuoq; parente, cum Ottone tertio, consanguineo suo, & Gotscalco episcopo Fruxinensi, cæteris *Crescentius* Germaniæ optimatibus in Italiam proficiscitur. Nam Crescentius consulatũ vrbis Romę, *Bruno S. Pontifex fit.* alij patriciatum, quidam Tribuniciam potestatem vocant, Ottonem floccifaciens vsurpatat. Dumque Rauennæ Otto castra facit, nunciatur ei mors episcopi Romani: Brunonem igitur domesticum suum sacerdotem, virum apprimè studiosum, atque perquàm doctum, filium Ottonis, nepotem Conradi, ab Vgris ad Augustam Rhætiæ ante annos vnum & quadraginta occisi, pronepotem ex filiâ Luitgarda Imper. Ottonis Magni Cæsaris Augusti, Pontif. Maxim. capit. Gregorium quintum vocat: per Willigisum collegam eius Romam præmittit, ipse cum copiis vestigia horum subsequitur. Nono Calendas Iunij ab eodem Gregorio Romæ inauguratur, Imperator Cæsar Augustus à Senatu populoque Romano appellatur. Crescentio, precatore Pontif. Maximo, ignoscit, gratiamque facit. Vbi in Germaniam rediit, Crescentius rursus se consulem facit: Ioannem Placentinum pecuniosum ouibus Christi imponit, Gregorium vrbe pellit. Imperator Otto secundò Romam petit, Crescentium obsidet, capit, eundem cum duodecim vrbis senatoribus, consciis, ante vrbis mœnia in crucem agit. Ioannem Placentinum, nare amputata, oculis exculptis de Capitolio præcipitari iubet: Gregorium ouili Ecclesiæ restituit, Senatores plerosque, qui cum Crescentio conspirarant, in Saxoniam secum in exilium deportat: mortuoque paulò pòst Gregorio quinto, Romam tertiò pergit, Gerbertum Belgam genere, præceptorem suum, philosophum insignem, & Mathematicum (vulgus suo more magnum vocat) Romanum declarat pontificem, Syluestrum secundum nuncupat: inde in Germaniam redit, Venedorum regiones, intima Germaniæ lustrat. Guyson vrbem primatiam Polonorum, *D. Albertus.* ad sepulchrum D. Alberti (qui pro Christo apud Borussos, malorum geniorum cultores, à Sicone Deorum sacerdote iaculo confossus, hisce diebus mortem oppetierat, Cæsarique intima familiaritate coniunctus fuerat) votis susceptis, supplicandi gratia proficiscitur, *Gaudentius Boiemorum archiepiscopus.* septem prouincias pontificales facit: Gaudentium fratrem D. Alberti Boiemis archimystam designat. Inde ad Aquas Graneas se confert, ossa Caroli Magni. * Quartò deinde Romam transitum facit, ibique mortem obiit absque liberis, annò ab orbe vindicato, *Otto tertius obiit.* altero super millesimum, decimo Calendas Februarij. Hainricus Boius iure consangui- ** Aliquid deesse videtur.* nitatis Imperij insignia vsurpat: viam ferro sibi aperit, corpus Augusti in Germaniam defert, intestina Augustæ, (extat ibi monumentum) reliquum ad Aquas Graneas, vbi Carolus Magnus humatus est, condit. Herbertum, Agrippinensem archimystam (qui tum, vt prudentia, integritate vitæ, proinde authoritate cæteris præstabat, ita primas noui principis constituendi tenebat, nam ab eius arbitrio cæteri pendebant) in potestatem redigit, suffragia, comitiaque Cæsarea tanquam iure hæreditario vi extorquet, conciliatisque sibi *S. Hainricus coronatur.* aliorum animis, a Willigiso Mogontino pontifice, sacro oleo inungitur. De Septem viris, & primariis Heptarchis, qui sibi deligendi Imperatoris Romani, Germanici- *Nota de septem principibus Electoribus.* que partes nunc sumunt, nihil penitus, ne verbo quidem vno, neque Hermannus, neque Romerius, neque Sigebertus, neque Otto noster, Guntherusve poeta, & cæteri quique proximi horum temporum grauissimi, diligentissimique scriptores, vllam mentionem faciunt: profectò non omissuri tantam rem, si vti nostro seculo sunt, illa tempestate principes illi, constituendi Cæsaris legem ac prærogatiuam accepissent. Res aliter est: Nempe longo tempore pòst instituta, filios semper parentibus, proximos sanguine & affinitate, in demortuorum locum successisse, ab omnibus communiter ducibus, dynastis, satrapis, episcopis, præsulibus, ciuibus, populo Italiæ, Galliæ, Germaniæ designatum esse *electores* rectorem, vsus tum, rerum magister indicat. Ego illos demum post fata Friderici secundi institutos, & à Gregorio decimo Pont. Max. confirmatos esse compertum habeo. Porrò Hainricus Cæsar declaratus ducatum Boiariæ committit in fidem Hainrico, cognomento *Hainricus Herzel.* Hezeloni (sicut diploma Augusti indicat) fratri Chunegundæ coniugis suæ. Is Osterho- *Osterhofen.* fense templum ab Vgris excisum, reficit, ibi collegium popularium mystarum instituit. Hainricus Austriaci limitis dux Luitpoldi (de quo suprà mentionem feci) siue vt alij tradunt, Berchtoldi præfecti filius, quòd sibi regnum Boiariæ, veluti iusto hæredi præreptum, in aliam translatum foret familiam, regi rebellat. Bruno frater regis, ambo Bolitzlai Polonicus & Boiemicus, nondum cladibus satis domiti, nouum aspernantur Imperium. Sed celeriter vniuersi subacti, obedienter imperata faciunt. Hainricus primò in Hainricum orientalis Boiariæ præfectum arma mouet, castella diruit, ad officium Austriaci limitis ducem vi cogit. Saxoniam Venedi Inuaserant, sacerdotes crudeliter necarant: Venedos deinde intima Germaniæ incolentes petit, eosdem celerius opinione superat: quotannis solitum stipendiũ pensitare cõpellit, & sub iugum religionis nostræ mittit. Pacata Germania,

finea

fines Italiæ intrat: vniuersas cis Padum vrbeis subigit. Ticinum ipso quo coronatus est die, irrupit: ferro, igne perdomuit: acceptis obsidibus, rebus Italicis compositis, victor in Germaniam reuertitur. Saxoniam, Venedos: Boiemos, Polonos, interiora Germaniæ Magnæ lustrat. Inde reuersus in Galliam, Lotharingiæ, mortuo Ottone duce, Gotfridum filium Gotfridi Ardunensis præficit. Valentinianas vrbem Hannoniæ tum liberam, in limite Lotharingiorum, Francorumque occidentalium, quam Balduinus Flandrorum dynasta occuparat, obsidet. Richardus Nordmannus, Rupertus rex Vestriacorum Gallorum, obsessis in auxilium properant. Hainricus vbi per exploratores certior fit, cedit, obsidionem soluit, vim belli in Flandros vertit: Gandauo castra admouet. Ibidem Balduinum obsidione claudit. Territus is, Valentinianas reddit, obsides vltrò offert, in verba Hainrici iurat, pacemque iis conditionibus impetrat. Cæsar reddita pace Germaniæ, Galliæ, Italiæ, quòd liberis careret, in castello, oppidoque suo Bamberga, ædem Pontificiam sacrat, diui Benedicti consecraneis templum extruit: pleraque prædia, vicos, syluas, castella, arces, oppida Austriæ, Boiariæ, Charionum, Styriorum, Liburniæ, Noricorum, Breonum, sicuti aliis pontificibus Boiorum, Reginoburgensi, Iuuauensi, Fruxinensi, Sabonensi, Bathauensi, Bambergensibus quoque mystis perpetuò donat, quæ adhuc possident. His quoque Abudiacum, incunabula sua addicit: arcemque ne à regulis Boiorum occuparetur, solo æquat. Insuper patrimonium suum, dotem Chunegundæ, Bambergensibus destinat sacerdotibus: Eberhardum eius vrbis episcopum legit, à ditione aliorum archimystarum soluit, vt soli Romano episcopo pareat, lege sancit. Benedictus octauus Pontifex Maximus ab Hainrico euocatus, in Boiariam pergit, Bambergensem ædem dedicat, confirmat diplomate immunitatem à Cæsare datam. Eius diplomatis hoc est initium. *Benedictus seruus seruorum Dei, dilectissimo in Christo semper domino, & gloriosissimo, atque serenissimo regi Hainrico, a Deo coronato, suoq; spiritali filio, Eberhardo quoque confratri & episcopo sanctæ videlicet Bambergensis ecclesiæ venerabili episcopo æternam in Domino salutem, & Apostolicam benedictionem: prærogatiuam Cæsaris sua quoque authoritate confirmat. Indictione X I. duodecimo Calendas Februarij.* Hisce diebus Luitolfus archimysta Treuerum decedit, Megingothus à rege illi templo præficitur. Adalbero frater Chunegundæ reginæ, Pontificatum quibusdam fauentibus ambit. Hainricus quoque dux Boiorum, Theodericus episcopus Mediomatricum, fratres reginæ, Welpho secundus Ambronum in Boiaria, Lycatiumque superiorum Tetrarcha, cui nupta erat Irmindruda soror Chunegundæ reginæ, aduersus regem conspirant, ab eo dotem patrimoniumque Chunegundæ sacerdotibus distribui, nihilque aliud agi, quàm vt fenestra sceleribus aperiatur, alioqui ociosis sacrificulis, paupertatem Christi professis, nihil illis cùm ditati forent flagitiosius futurum, conquerebantur. Augustam ergo Rhætorum capiunt, diripiunt, incendunt, Brunonem fratrem Cæsaris, vrbis episcopum in fugam vertunt, Angelbertum Fruxinensem pontificem cum Cæsarianis copiis suppetias ferentem cedere quoque cogunt: itidem agrum Fruxinensem depopulantur. Pontifex Rhemensis, atque Lugdunensis Cæsari quoque rebellant. Ergkenbaldus Mogontinus ægrè in officio perstitit. Hoc quoque tumultu Argentoratum diripitur, Treuerorum Augusta ab Adalberone occupatur, prætoriumque præsidiis firmatur. Hainricus in rebelles arma mouet, ad Rhenum infesta acie contendit: inimicos perdomitat, Sarbrigam, & Mediomatricum vrbem obsidet, expugnat: Theodericum episcopum, fratrem vxoris suæ ad deditionem cogit, Hainricum fratrem eius, quem Boiis præfecerat, ducatu mouet, Boiariæque regno extrudit. Superatis hostibus, in ditionemque redactis, copias aduersus Venedos mittit, ipse Reginoburgium in Boiariam se confert. Adsunt legati Vgrorum, pacem cum Hainrico, perpetuumque fœdus componunt. Rectori eorum filio Geizonis, qui obierat anno Christi DCCCCXCVI. Gisala soror Hainrici despondetur, hac lege, atque omine, vt ille explosa falsorum deorum superstitione, Christi vnius & veri & summi Dei cultum, cum popularibus reciperet. Accepit conditionem princeps Vgrus: statim aqua lustrica tingitur, Stephanus appellatur, & à Cæsare rex nuncupatur. Gisala igitur fatale sortita nomen, Stephano tamquam obses, & fidei vinculum nuptum datur. Cuius ope & consilio Vgri philosophiam Christianam sectari cœperunt. Gisala autem lingua Teutonum obsidem valet, crebrum apud Germanos fœminarum nomen. Nam maiores nostri, vim quandam diuinam concordiæ amorisque mutui inesse fœminis crediderunt, & efficacius obligari animos eorum existimarunt, quibus inter obsides puellæ quoque nobiles imperarentur. Hanto, Wolfger, Hermannus, Boso, Wentzeslaus, Boiorum optimates cum Gisala in Vgriam migrant: & more Teutonum Stephanum ense, baltheo militari accingunt, armis induunt. Apud Alemannos quondam (sicut est apud Cornel. Tacitum) arma sumere non ante cuiquam moris erat, quàm solennibus diebus, conuentibusque primores, & populus suffecturum comprobassent, tum ipso concilio, vel principum aliquis, vel pater, vel propinquus scuto, & framea iuuenem ornabant: hæc apud illos toga, hic primus iuuentæ honos erat: ante hoc, domus pars videbatur: mox, Reipublicæ id nomen, ea gloria erat, si numero ac

Aliàs Gotfridus Ardunensis.

Balduinus Flandrensium comes.

Richardus comes Nordmannorum.

Rupertus rex.

Abudiacü episcopo Bambergensi datur ab Hainrico.

Bened. Eius est num S. Pont.

Megingothus.

Adalbero.

Hainricus dux Boiorū.

Theodericus.

Welpho 2.

Augusta capitur a Welphone & aliis.

Angelbertus episcopus Fruxinensis.

Sarbruck.

Metz.

Hainricus cognomento Hetzel Boiaria priuatur.

Hāto, Wolfger, Hermannus, Boso, Wenzeslaus.

virtute

virtute comitatus, emineret. Iuxta hunc morem, à Boiorum proceribus, diuus Stephanus arma sumpsit: atque illorum opera in pace ac bello vsus, gentem suam armorum studiosissimam, proinde à pietate Christiana, quasi inutili, aduersaque viris bellicosis abhorrentem, in obsequio religionis vi continuit. Quod vt facilius assequeretur, dotis nomine ei Coloniæ Boiorum Vratislaburgium, Pisonium, infra Phiscam amnem Oedenburgium, Sempronium, Sabaria, & alia pleraque oppida, quondam Boiorum, infra Phiscam attribuuntur. Archimysta proprius genti nomine Ascthericus, qui & Anastasius imponitur, Bregetione, quæ & Grana, & Strigonium habitare iubetur. Nam antea in ea regione pontifex Bathauensis, archiepiscopus Laureacensis, sacrificia publica, priuata procurabat, totaque Vgria in decem ditiones pontificias diuiditur. Gisala fœmina religiosissima Wessobrunum extruxit: singula templa lustrauit. Quæ ad ceremonias ritumque spectabant, magnificè, simul munificentissime largiebatur: phrygionum vice fungebatur, vestes sacras suis manibus nebat, texebat, sarciebat. Inter hæc Cæsar Hainricus ad Lotharingios aduersus fratres vxoris suæ arma mouet.

Hainricus cognomento Herzel Boiariam recuperat.

Hainricus ducatu Boiariæ motus, in conspectu Cæsaris Theodericum partis Lotharingiæ præsidem capit, captiuumque abducit, hocque liberè dimisso, pacem à Cæsare rursus impetrat, ducatumque Boiorum ab eodem recipit. Sub idem tempus Conradus Charionum rector, frater Gregorij quinti Pontificis Maximi, & Hermannus iunior dux Sueuorum decedit.

Ernestus Sueuiæ dux.

Heinricus Charino limiti Adalberonem præficit, Sueuis Arionistum, maritum Gisalæ consobrinæ suæ, & sororis superioris Hermanni imponit. Cæterùm Adalberonis filij sunt Adalbero episcopus, & Marichardus, frater verò Arionistus. Ipse & Adalbero dux Charinorum præfuit treis & viginti annos, priuatus quarto anno obiit: sepultus est apud Geisenfeld, contubernium, id est sacratarum fœminarum, in superiore Boiaria, Vindelicorum Ilmus amnis præterfluit.

Geisenfeld.

Reginero, qui Raginerius à Sigeberto dicitur.

Lambertus.

Eadem tempestate Getardus auunculus Conradi, qui postea rerum potitus est, Reginero Bergorum, Hannoniæ, huius patruus Lambertus Louanij Satrapes, pacem Orientalis Franciæ interturbant, Baldricum Leodiensem episcopum, multis occisis prælio superant. In Italia quoque Græci post Romam, nostros premere cœperunt. Cæsar Gotefrido duce viro bellicoso, in Germania cum parte copiarum dimisso, cum vxore Chunegunda, cum cæteris militibus, & equitibus Italiam petit: Romæ à Benedicto octauo internuncio Walthero episcopo Spirensi data, accepta vtrinque fide, sextodecimo Calendas Martij inauguratur. Inde Græcos Apulia, Calabria, Picentum agro, Campania expulit. Interea Gotefridus Lotharingiæ inferioris præses, Gerardum atroci prælio, occiso eius filio, deuincit, & ad obsequium Cæsaris cogit: Louanium obsidet, expugnat. Inde in Hannoniam cum fratre Gothelone castra mouet, Regineronem, & Lambertum circa Bergos superat, huncque prælio occidit: victorque cum fratre, pacata inferiore Germania, Galliaque Teutonica ad Augustum, qui iam ex Italia redierat, cum triumpho proficiscitur. Inde contra Theodericum Gandauensem filium Gotefridi imperata detrectantem iussu Imperatoris reuertitur. Dumque in conspectu vtraque acies iam iam dimicatura staret, voce ingenti, incertum vnde edita, Fugite, fugite, Cæsariani omnes in fugam coniiciuntur, multique à paucis interimuntur. Godefridus captus in potestatem hostium deuenit, libereque tandem dimissus, ab Imperatore veniam præteritorum inimicis impetrauit. Dum talia fiunt, Cæsar interiorem Germaniam Venedorumque regiones percurrit.

D. Colomannus.

Stockeraw in Oesterich.

Melicium. Melck.

Hainricus Austriæ præfectus obiit.

Suanhild.

Arionistus, qui & Ernestus.

Ducum à Zaringen prima origo.

Rudolphus dux Burgundiæ.

Hæc ex Vrspergen.

Heribertus Coloniensis episcopus.

Per idem tempus diuus Colomannus Scotorum in Austria ab incolis tanquam ab hostibus missus speculator, in arbore suspenditur, laqueo necatur, eius innocentia statim miraculis diuinitùs æditis declaratur: annoque ære nostræ M.XIIII. Melicij ab Megingotho Alberstadiensi episcopo sepelitur, vbi adhuc religiosè colitur. In paucis pòst diebus Hainricus Orientalis limitis præfectus subitò perit. Vxor eius Suanhyld, filius eius Albertus, qui patri succedit, priuignus Arionistus dux Sueuus, maritus Gisalæ, qui in venatione ante annos tres ab Adalberone comite feram appetente, sagitta percussus interiit. Gisalam Conradus, qui post Hainricum imperauit, vxorem ducit. Ab illo Arionisto, Sueuo, eiusque filiis Arionisto, & Hermanno Zatingij originem trahunt. Illi etenim Arionisti, & Gisalæ liberi Sueuorum principatum obtinent, priuigni Conradi, qui postea imperauit. Is eisdem diebus cum Conrado patruele suo adolescente coniunctis copiis, apud Vlmam Adalberonem ducem Charionum affligit, in fugamque conuertit, qui paternum iuuenis ducatum tenebat. Rudolphus quoque Burgundionum rex, auunculus Augusti, à suis pulsus ad Imperatorem confugit. Wernherus Argentoratensis episcopus cum Sueuorum copiis, iussu Cæsaris, Burgundos pugna superat, Rudolphum vi in regnum reducit. Imperator Agrippinam ad hyemandum concedit, Heriberto archimystæ, qui tum obierat, Piligrinum sufficit. Ad Aquas Granesis deinde concilium indicit. Peracto conuentu, propter Charum flumen Euasij ipse & Rupertus rex occidentalis Franciæ coeunt. Rex procul veniens vt à Cæsare conspectus est, equo descendit, ad complectendum eum concurrit, mutuaque gratulatione ambo principes functi, deinde concilio habito, Rempublicam Christianam, regnum, Imperiumque Francorum, concordia,

optimis

optimis institutis legibusque stabilire decernunt: conuentumq; solennem Ticinum indicunt. Franci Occidentales, sicuti soboles Germanorum collaudati, muneribusque & præmio onerati sunt ab Imperatore, adeò vt magnificentia Cæsaris largitioque opes Persicas superasse ferretur. In Italia rursus Græci Calabriam, Apuliam Campaniam inuadunt. Imperator ad tutandos Imperij fines, Italiam intrat, Troiam expugnat, euertit: exactis Græcis Italia, Neapolim, Capuam, Salernum, aliasque earum regionum vrbes in deditionem accipit, & Nordmannorum examen, qui minuendæ multitudinis domi prægrauantis causa Roberto & Richardo ducibus ex Gallia migrarāt, in Calabria, Apulia aduersus Græcorum incursationes collocauit: ibidem eosdem domicilia c[illegible]pere, perpetu[illegible]; habitare iussit. Ita Calabria, Apulia quæ hactenus Orientali Imperatori par[illegible] Nordmannis subditæ sunt. Qui inuitati discordia incolarum, cum omnē tractum [illegible], quæ quondam magna Grecia dicebatur, occupant: ad vlteriora quoque manus auaras ([illegible] prima & oblata sordent, quando maiora sperantur, atque auiditatis nullus est modus) paulatim extenderunt. Vtriq; Imperatori formidolosi, sed hæc suo tempore referuentur. Augustus pacata Italia, victor per vrbem Romam in Germaniam redit, Reginobur[illegible] vbi frequens habitabat, mortuo tum Gebhardo Episcopo, Gebhardum secundam A[illegible]ustanum mystam cultus vestium curiosiorem, Pontificem legit. Inde Bambergam pr[illegible]fectus ægrotare cœpit.

Troia euersa anno domini 1022. Robertus. Richardus.

Accito concilio, consilioque habito, Conradum filium Hainrici, fratris Gregorij quinti Pont. Max. nepotem Ottonis Ducis, pronepotem Conradi, occisi ab Vgris, generi Magni Ottonis, maritum Gisalæ consobrinæ suæ Cæsarem declarat. Deinde decedit tertio Idus Iulij Anno Christi M. XXIIII. Imperij XXIII. ætatis LII. Bambergæ in templo D.Petri sepelitur. Hac tempestate in Altaich interiore mulier simul enixa est quinque filios. Tum quoque Babo ille, qui adhuc canitur, patriæ meæ Abusinæ, & Roræ dynasta ex duabus legitimis vxoribus triginta filios, vel (vt fama adhuc est) duos & triginta, atque octo filias tulit, educauit: totque simul liberos viuos, superstites reliquit: quemadmodū in fastis Weltenburgensium, & Iuuauensiū lego. Fuit autem is Babo filius Babonis Schirorum principis, frater Ottonis primi Schirensis satrapę, & procurator Diuæ Chunegundæ Augustæ, præfectus vrbis Reginoburgensis, clarus in orbe tum vixit Romano.

Conradus Hainrici filius Gisalæ maritus. Cæsar declaratus. Hainricus 2. Ro. Imp. moritur anno 1024. Babo comes ab Abësperg & Ror. Babo à Scheuern.

Eundē Diuus Hainricus secundus Imperator Augustus, cum Reginoburgij habitans, secum venatum (vt mos est Germanorum principum) cum paucis pr[illegible] iussit. Babo sperans se tempus opportunum nactum, quo tantam sobolem principi maximo commēdaret, iuuenes iam puberes, scitos admodum, & elegantes cultu quoque & arte ornat, vnicuique comitem adiungit, cum tali prolis globo venatum procedit ad Imperatorem. Ille visa tanta multitudine, Babonem accersit, sciscitaturq;, cur nam cum paucis aduenire iussus, tot equites adduxerit? Babo respondet, cum vno equidem duntaxat famulo, sanctissime Cæsar, præsto sum. Qui igitur alij sunt, inquit Augustus? suscipit Babo, Et tui, inquit, principum optime, famuli, filij mei, quos tuę Maiestati exhibeo, committo, quod bonum, faustum, felixque siet, talem electorum iuuenum & fratrum cohortem, in pace decus, in bello præsidium, dono do, vt ingenuam decet sobolem maxima cura tibi educaui. Adolescentes solertes sunt, spero te dignos & vtiles Reipublicæ fore. Gratissimum munus tale iuuenum fratrum examen Augusto fuit, singulos adolescentum benignè appellat, dextra & osculo excipit, filios nuncupat, secum in aula consistere iubet. Vniuersos paulatim præfecturis, vicis, prædiis stipendiariis, castellis, parochiis collocupletauit. Vnde plerosque nobilium Nariscorum, Vindelicorum, Noricorum, Charionum, Boiorum, Francorū, Rhemensium genus trahere authores sunt. In patria mea etiam nunc quotannis statis diebus eius manes placantur: ciues eidē parentant, & inferias dare solent, atq; omnis memoriæ nominisque honos habetur. Sed plura in vltimo huius Operis libro referam: nūc cætera exequar.

Hainricus quartus dux Boiorum.

Hainricus quartus Dux Boiorum, frater Diuæ Chunegundæ Augustę, & Friderici Mosellanorum, & Lotharingiæ superioris Ducis, à marito sororis, cum is Cæsar declaratus foret, ducatu Boiariæ donatur. Osterhofen ab Vgris excisam refecit: Augustinianos flamines ibi consecrauit, vbi Vtilo quondam regulus Boiorum, D.Benedicti consecrantis templum condiderat, & cum vxore Hyldruda sepultus est. Prætorium ibi fuisse regum Boiariæ, & esse Mausolea principum, in diplomatibus reperio vetustis. Ibidem & hic Hainricus cum vxore Maria situs est. Obiit anno salutis M. XXVI. potestatis quarto & vicesimo, Kalendas Septembris. Nec quicquam vltra de eius maioribus compertum habeo.

Osterhofen. Maria vxor Hainrici 4. Ducis Boiorum.

Successit illi Imperator Hainricus tertius Cæsar Augustus, qui decimum agens annum, ab Imperatore Conrado patre suo, mortuo Hainrico quarto Boiariæ principe primario, Rex Boiarum constituitur. Et Elsetruda, qui & Chunyla filia Cyntonis regis Cimbrorum, & Anglorum eidem despondetur: curatoresque dantur, atque tutores Angelbertus Fruxinensis, Bruno Augustanus Episcopus, potitumque illum regno Boiariæ vndeuiginti annos reperio. Erat Conradus pater eius acer consilio, manuque strenuus, charus Principibus, populo acceptior. Competitor ei fuit Conradus patruelis [illegible]. Huius rebus Ernestus priuignus illius, & Welpho tertius Ambronum, Lycatiorumque in

Hainricus 5. boiariæ Dux im. Ro. [illegible] nominatus 3. Ab aliis Chunegundis dicitur. Cinto qui & Canutus Rex.

superiore Boiaria tetrarches, studebant, nouique principis Imperium aspernabantur. Sed horum ambitione facilè explosa, atque procerum, & Pontificum consensu factione oppressa,

Aribo Palatinus Rhen. Archiepiscopus Mogont. Conrad. Ro. Imp. cognomento Salianus, coronatus.

Conradus superior Mogontiaci ab Aribone archimysta ex Boiaria à Burgilo Noricorum, Damasia, & Andechs Vindelicorum (quæ castella nunc in templa cōmutata sunt) oriundo, sacro oleo inungitur. Deinde comitantibus Rudolpho Burgundionum rege, auunculo Gisalæ vxoris eius, & Canutone Anglorum, Cimbrorum, Danorum, Suionum, Finnorum, Gotorum, Norduicorum, Scandiæ, Scandinauiæ, Britanniæ, potentissimo rege, Romam petit, mediusque horum à Ioanne vicesimo Pontifice Maximo consecratur Paschalibus, quos dies victoriæ Christi, qua deuicta morte superatis inferis reuixit, festos, solennesque habemus. Imperator subacta Italia, in Germaniæ fines redit. Vlmæ Sueuorum oppido conuentum peragit:

Ariouistus Dux Sueuiæ Welpho 3.

Ernestum priuignum Ducem Sueuiæ, Welphonem tertium Ambronum, Landspergi in Boiaria, Rauenspurgij, & Altorffij in Sueuia præfectum, in deditionem accipit, & quòd pacem interturbarat, in exilium aliquot annos relegat. Posthæc Hainricum filium regem Boiorum, duodecimum nactum annum Cæsarem declarat, ad Aquas Graneas Paschalibus ab Pilgrino archimysta Agrippinensi inungi iubet.

Hainricus filius Conradi Imp.
Bruno Episcopus moritur.

Peractoque hoc conuentu, Augustus, & Cæsar in Boiariam Reginoburgium transitum faciunt: solenne Imperij concilium concelebrant. Bruno frater D. Hainrici secundi, Episcopus Augustæ Rhætorum, flamen Augustalis ibi ex vita excessit. Adsunt legati Stephani regis Vgrorum, & Gisalæ vxoris eius, Hainrico filio horum regnum Boiariæ, quod maiores, atauus, proauus, auus & auunculus tenuissent, iure hæreditario à Conrado repetunt. Quod cum negatum foret, bellum Imperatori, & regi indicunt, domosque abeunt. Huic conuentui interfuisse Babonem illum multitudine prolis inclytum, patriæ meæ dynastam: de quo paulò suprà dixi, cum filiis, qui iam Germaniæ regiones impleuerant, beneficia Imperij possidebant, reperio.

Diethmarus comes de Leonsperg, & Lungau filius Babonis.
Sant Veit an der Rot.
Viana capitur ab Vgris.

Diethmarus filius eius Leopergensium (arx adhuc est inferioris Boiariæ, quam Isara percurrit) & Lungonum (pagus est Charinorum) præfectus in Vindelicia Rhodanum amnem Elispagum monachis tum condit, post inde duo millia passuum translatum Diui Viti appellant. Eadem tempestate Vgri repulsam passi Vianam Boiariæ Orientalis oppidum capiunt. Conradus arma in Vgriam mouet, vsque ad Arrabonem flumen penetrat: cuncta terrarum cæde, præda, incendiis complet, ab vlterioribus Vgris fluminibus, & paludibus prohibitus, penuria annonæ coactus in Boiariæ fines reuertit. Ibi vltrò citroque missis oratoribus, de pace agi cœptum. Hainricus Rex Boiorum ad Stephanum, & Gisalam in Pannoniam proficiscitur.

Emericus Emerich.

Iam enim Diui Hainricus filius illorum (Vgri Emericum corruptè vocant) qui hæres regni Boiariæ ob matrem inde oriundam asserebatur, obierat. Rex Boius, & Vgrus amicitiam, quæ antea cum Diuo Hainrico secundo conuenerat, renouant, religione iureiurandi sanciunt.

Mitzko.
Vlricus.
Iacomarus.

Inter hæc Mitzko Polonus, pulso fratre Ottone, regem se appellat: & Vlricus quoque Boiemus occiso fratre suo Iacomaro noua molitur. Hi ambo iugum Imperij nostri rigida ceruice excutere, & sui iuris esse conantur. Otto à fratre Polonia pulsus ad Conradum fugit, ab eoque armis restituitur. Mitzko externi opis egens in Boiemiam ad Vlricum regulum aufugit: quē cum Vlricus Conrado Augusto prodere, ab eoque gratiam inire vellet, Imperator rescripsit, solere Germanos virtute cum hostibus, non fraude certare, nihilque acrius, quàm perfidiam vlcisci, sceleribus non nomini hostium irasci: oportere armatum esse, quem oderint. Mitzko hisce rebus perfidia nimirum Vlrici, & iusticia Augusti compertis, supplex ad hunc venit, ab eoque diuisa Polonia, partem, ducatumque recepit. Dumque talia fiunt, Rex Boius ab Vgris reuersus cum exercitu Boiemiam intrat, Vlricum gubernaculis deturbat, in exiliumque Reginoburgium deportat, Boiemis Vratislaum imponit, reuersusque Reginoburgium proceribus Boiemiæ, diuoque Gunthero adnitentibus, Vlrico gratiam facit, ei ducatum restituit, isque in verba Cæsaris iurat. Inter hæc

Rudolphi Burgundionum regis mors.

Rudolphus Burgundionum Rex moritur, testamentoque Imperatorem maritum neptis suæ ex sorore hæredem instituit. At Otto itidem ex sorore nepos, Belgicæ, Campaniæ atque Caroliæ præses Burgundiam inuadit, castellis plerisque firma præsidia imponit, & ab Imperat. affine suo efflagitat, postulat, vt eius nomine & auspicio liceat sibi regnum Burgundiæ tenere. Augustus Burgundiam armatus petit, Murtenam diruit, cis Rhodanum omnia subigit, Genuam intrat, Lugdunum in fidem accipit. Ibi Archiepiscopus Lugdunensis, cæterique proceres in eius verba iurant, Regnumque Burgundiæ finitur, quod à morte Imperatoris Caroli tertij cœpit, mansitque hactenus annos centum quadraginta quatuor. Imperator subacta Burgundia in Campaniam Belgicæ primæ arma mouet. Vniuersum eum tractum ferro, igne vastat. Otto his malis coactus supplex venit,

Otto, ab aliis Odo.
Bruno Cōradi Carinthiæ Ducis filius fit Episcopus

imperataque se facturum de cætero, sacramento pollicetur. Augustus pacatis Burgundionum, Gallicisque rebus Wurtzburgium Franciæ primariam vrbem accedit: mortuoque Meginhardo vrbis Episcopo Brunonem patruelem suum, filium Conradi Ducis Charinorum, & Machtyldæ, substituit. Atque cum eodem anno Fridericus Mosellanorum Dux absque liberis ex hac vita migrasset, eundem ducatum, Lotharingiamque superiorem

periorem Gotheloni inferioris Lotharingiæ præsidi in tutelam, fidemque committit. Post Reginoburgium ad conuentus agendos petit: ibi fratrem suum Gebhardū, vita functo Gebhardo secundo vrbis Episcopo, in demortui locum allegit, in albumque Pontificum Reginoburgensium adscribit. Hisce confectis Bambergam se confert, Adalberonem ducatu Charinorum mouet: eidem limiti Conradū patruelem suum præficit. Vratislao, mortuo patre suo Vlrico Boiemiam commendat. Circa eundem temporis tractum, nempe anno Christi seruatoris nostri M. XXXVIII. Heruicus Sabonæ Noricorum Episcopus, Brixiam, quæ in decem millia passuum distat, migrat: id oppidum mœnibus cingit. Posthac est Brixinensis Episcopus, qui antea fuit Sabonensis. Eadem tempestate Hainricus Rex Boiorum, Cæsarque designatus Chunyldam filiam Chnutonis Anglorum & Cimbrorum regis vxorem ducit: nuptiæ regio apparatu Neomagi fiunt. In Italia vulgus ignobile conspirat, sæuitque aduersus principes, ea seditione Episcopus Astensis interiit. Ad hunc tumultum comprimendum, Imperator in Italiam mouet. Veronam, Brixiam, Cremonam, Placentiam, Mediolanum percurrit: inde Ticinum, postea Rauennam se confert.

Conspiratio in Italia.

Interea Mediolanenses authoribus Placentino, Cremonensi, Vercellensi, Mediolanensi Episcopis rebellant. Imperator Mediolanum petit, vrbem obsidet, capit, diripit, vicos, castella imperata detrectantes solo æquat, exurit, vi ad deditionem cogit.

Mediolani direptio.

Benedictus nonus Pontif. Maxim. Cremonam ad Imperatorem proficiscitur: superiores Episcopos Augusto obtemperare recusantes, velut impios, & sceleratos pacis Christianæ interturbatores deuouet: perfidis, & Imperatori fidem frangentibus malè precatur. Illi postremò omnium capti, in exiliumque acti sunt.

Benedictus nonus Pont.

Imperator Parmæ natales Christi celebrat, totam Italiam, superum, inferumq; mare, Apuliam, Calabriam, Campaniam, omneis tractus perlustrat. Interim Otto Belgicus immemor sacramenti, Lotharingios incursat, Tullum Leucorum vrbem vastat, Barum castellum obsidet. Gothelo Dux obsessis auxilio venit, Ottonem superat, occidit, caput ei amputat, atq; illud cum signo tanquam certum trophæum victoriæ in Italiam Augusto mittit.

Otto Belgicus.
Tullus vrbs.
Barum castellum.

Qui compositis rebus Italicis, per oram sinus Hadriatici mense Iulio in Germaniam redit. Pestis, feruorque æstatis intolerabilis, plerosque nostratium, inter quos & Chunyldam reginam Boiariæ extinguit, decimoseptimo Kalendas Augusti. Quo tempore, & Stephanus Vngariæ Rex obiit: cùm liberis careret, Petrum nepotem ex sorore adoptat, successoremque declarat. Nepos Stephani ex fratre cùm refragaretur, oculos amisit. Migrarunt tum quoque ex hac vita Diua Chunegunda Augusta, vxor Imperat. Hainrici secundi, cum marito immortalitati consecrata. Adalbero, & Conradus Duces Charinorum: Angelbertus quoque Episcopus Fruxinensis: Hermannus Dux Sueuorum, priuignus Augusti, & Schebus Dux Vgrorum vitam finiunt. Imperator reuersus ex Italia, Soloduri conuentum agit: ibi Burgundiæ proceres Hainrico filio suo sacramentum dicere iubet. Deinde inferiorem Germaniam petit. Dum Traiecti apud Frisios Quinquagenalia concelebrat, pridie nonas Iunij, repentina inopinataque morte decedit, anno seruatoris nostri millesimo vnde quadragesimo. Corpus Nemetum Augustam transfertur, ibique tumulo contegitur. Mortuo Augusto, nouum principem (ita homines sunt) gens efferata, Vgri atque Boiemi flocci faciunt, imperata detrectant, parere recusant. Petrus Vgrorum Rex, cui peculiariter Diuus Stephanus moriens Gisalam reginam commendarat, huic prædia, dotem vi aufert: ne cuiquam se inconsulto quicquam tribuat, eandem iurare cogit, insuper in vrbem quandam relegat: vbi diligenti custodia obseruari iubet: omnem copiam adeundi, prodeundi adimit.

Petrus Vgrorum Rex.

Proceres, Pontifices, quorum fidem per internuncios Gisala implorabat: quique calamitatem reginæ miserabantur, & eam tutaturos Diuo Stephano iurarant, regem acriter increpant. Nihilominus Petrus in proposito perstat, illos opprimere, quouis modo affligere, tollere denique pergit, rapit, defraudat: omnia venalia habet, mystas veritatem prædicantes spoliat, tribu mouet, sacrificulos suæ farinæ substituit: virgines vxores alienas stuprat, vitiat. Non deerat talia perpetranti perniciosa adulatio, perpetuum principum malum, quorum opes sæpius assentatio, quàm hostis euertit. Atq; huiuscemodi omnia maximè consilio Budæ fami venditoris sceleratissimi, fiebant.

Buda.

Vratislaus quoque Boiemiæ regulus, suasu Petri, fretus eius auxiliaribus copiis, ab imposito resilit iugo: Cæsaris amicitiæ renunciat, tributa pensitare pernegat, Polonos amicos Cæsaris infestat, regem Poloniæ se appellat.

Bellū inter Vratislaum & Cæsarem regē Boiorum.

Rex Boius Cæsar designatus in Boiaria Kalendis Ianuarij Reginoburgij copias contrahit, in Boiemiam confinem Boiis regionem, & genitale quondam solum, adhuc ab ipsis retinens, expeditionem meditatur. Vratislaus, vbi hoc resciuit, vt à tergo discrimen belli auerteret, dolo legatos, obsidem filium Spitigneum Reginoburgium ad Cæsarem mittit, se in Boiariam euestigiò venturum, mandata obedienter facturum pollicetur. Credulus his Cæsar, diem illi dicit, Reginoburgij hyemat. Primo vere Augustam Rhetorum petit, legatis Italorum ius dicit, responsaque reddit. In Ingelhaim deinde Paschalibus conuentum agit, Episcopis Italiæ, quos suprà in exilium actos commemoraui, gratiam facit, quòd errati eos pœniteret, ab exilio reuo-

car,templisque restituit. Peracto hoc concilio, Reginoburgium tendit. Cumque Vratislaus, vti condixerat, præstò non esset, ad conspectumque Cæsaris, cui nihil secum negocij foret, accedere contemneret, præmittit partem exercitus, delectissimum quemque ad occupanda itinera occulta, saltus Hercynei, per quem ad Boiemiam penetrandum erat. Nam viam publicam hostis insedebat, nostrisque omnem aditum intercludebat. Hercynia vndique in modum cordis, citharæue Boiemos cingit, quamuis eos pro natiuo muro à Boiis separet, quotannis tamen ferè inuicem, vt quæque gens eualuit, adhuc prædas agitare solent. Nostri per deuios tramites, anfractusque callium syluestrium, auiis Orcinium nemus penetrare contendunt, per confragosa, vndique obstrusa itinera feruntur. Tandem ad munimentum quoddam, quod firmo præsidio tenebatur, perueniunt. Quod dum defatigati de via difficili oppugnant, repentè vndique Boiemi ex insidiis erumpunt, irruunt, nostros cædunt, in fugam vertunt. Perpauci Cæsarianorũ fuga euasere. Wernherus, & Reginhardus signiferi cum plerisque occisi sunt decimo Kalendas Septembris. Capti precatore D. Gunthero vita donati, incolumes diligenti custodia seruantur: quos Cæsar reddito Boiemo filio, quem, vt dixi, obsidem habebat, redemit: qui tanto vulnere accepto, Salingstadij proceres cogit, consilium habet, quonam pacto inimicos vlciscatur, cladem acceptam expiet. Legati Boiemorum, qui eò quoque de pace, fœdereque acturi venerant, iussi sunt excedere concilio. Diethmarus secundus archimysta Salisburgensis tum moritur, Baldouinus à Cæsare Pontifex Boiorum summus capitur. At Vratislaus intellecta mente Cæsaris, quòd in se hostili animo esset, accito auxilio à Petro rege Vngariæ, aditus omnes, vias cunctas, itinera nota Hercyniæ, fossa, vallo præcludit: truncis arborum transuersis obstruit, fruticibus obserit, exercitus custodes ponit. Rex Boius cum robore Imperij Boiemos petit. Vbi Hercyniam, qua iter tutum apertumque est in Boiemiam, attigit, aditum sibi interclusum, viam ab exercitu Boiemorum circumsessam offendit: castra nihilominus ibi proxime hostes facit. Supplicatione decreta, cœleste inuocat auxilium, vt quæ cœperit, succedant, diuinum numen propitiatur, complures dies eodem in loco statiua habet, frustraque irrumpere tentat, atque consultat quid agendum sit. Non modò dolor, sed etiam pudor angebat: peritos tandem locorum & viæ in Boiemiam ferentis, qui non audita, sed oculis comperta haberent, & syluę latebras omnes pernoscerent, omnes eius calleis percurrissent, accersiri atque conuocari iubet. Eorum & aliorum, quos idoneos ducebat, consilium habet. His authoribus maiore parte exercitus ad custodiam castrorum relicta, præcipit, vt castrorum specie manente, plures de industria ignes fierent, milites quotidie acrius solito irruptionem totis viribus meditarentur: hostes illato terrore retinerent, quo magis Boiemi crederent, ipsum Cæsarem in castris esse. Deinde Cæsar mandat suis, cum trepidantium Boiemorum exaudierint tumultum, à fronte vrgeant, ad ipsumque eant, nec ingredi dubitent, quippe hostes ad se conuersos. Cæterùm ipse cum expeditissimo strenuissimo quoque Hercyniam circuit, silenti agmine clam hostibus pergit ad demonstratum iter callium: arduaque semita, vbi nullos esse animaduertit custodes, sed longius à statione hostium remota, & qua minimè Boiemus rebatur, emensis occultis tramitibus, irrepsit, Hercyniam penetrauit, ad planiciem & campos Boiemiæ, incolumi milite, nemine resistente eualit: hostium statione conspecta, strenuè armati à tergo se ostendunt nihil metuentibus. Quorum pauci, qui congredi ausi erant, cæsi sunt, alij cedunt, ad suos recurrunt, integros quoque antequàm discrimen experirentur, in fugam auertunt. Fremitu deinde in castra nostrorum illato, ipsi à fronte ingruunt, iterque diuersum ingressi, alium terrorem Boiemis inferunt. Totis trepidatur hostium castris, Boiemi vndique Cæsarianorum armis fulgentibus ancipiti malo oppressi, vndique circumuenti, cæsi, fugati, victoriam nostris concedunt: neque tamen populus Teutonicus lætam, aut incruentam victoriam adeptus est: ignauiam necessitas acuerat, & desperatio spei causa fuerat. Cæsariani superatis hostibus, coniungunt copias; vniuersam Boiemiam per duos & quadringenta continenter dies ferro, igne depopulãtur: agros vrunt, vicos incendunt, cuncta luctu, cæde, incendiis complent. Ingenti vi armatorũ, & frumenti, captiuorũq; numero potiuntur: quippe hostes per occultos tramites, ne quid abscondere possent, anteuenerant. Regulus Boiemiæ Pragæ se continebat. Inter hæc Luitpoldus filius Alberti Austriaci limitis præfecti, cum Boiorũ Orientaliũ multitudine, vrbem in confinio Boiariæ, Boiemiæque patri suo dolo præreptam obsidet, vi expugnat, filium præsidis capit, in vincula conijcit, captiuum secum abducit, maximum pecudum, hominumque numerum abigit. Cæteri Boij, accolæ Hercyniæ syluæ successu horum erecti, & ipsi per Hercynium nemus in Boiemiam irrumpunt, ingenti captiuorum, pecorum, iumentorum abacta, onusti & ditati præda incolumes domos reuertuntur. Boiemi tot cladibus perdomiti, anxij, miserantesque fortunas suas, sibi, liberisque, & genti Boiemorum prouidere constituunt. Vbi omnibus prælijs sese victos, agrum vastatum, multos mortales captos, occisos, regni opes comminutas esse vident, Seuerum Pragensem Episcopum, aliosque proceres, suscepta legatione ad Cæsarem proficisci: supplices qui bellum

Boiemiæ situs.

Wernherus & Reginhardus signiferi occiduntur.

Boiemi cæduntur.

Cæsariani Boiemiam rursus vastant.

Luitpoldus filius Alberti Austriaci limitis præfecti.

bellum, iramque deprecarentur, ad clementiam prouocarent, misericordiam Cæsaris implorarent: ac sine vlla pactione, se, regnumque in illius fidem traderent; liberos nobilissimi cuiusque, quos Cæsar imperaret, obsides vltrò offerrent, iurarentque; se imperata facturos, perpetuò in potestate Cæsarum fore, & ducem suum, nisi pareret captiuum abducturos.

Seuerus Episcopus Pragensis legatus.

Interea Vratislaus, vbi quæ agebantur ex nunciis accepit, diffidens rebus, tum demum veram deditionem, quam antè simularat, conatur: consilia & insidias suorum anteuenit, legatos cum suppliciis ad Hainricum mittit: qui tantum ipsi, liberisque vitam peterent, alia omnia dederent. Vltrò, quod alioqui necesse erat, Spitogneum, Ottonem, Vratislaum, Conradum filios suos obsides dat: precibus, dono, pollicitationibus purpuratos, quemcunque opportunum ducebat, ambit, orat, vt Cæsarem sibi placarent: se imperata facturum, Reginoburgium venturum, omnes captiuos de Polonia redditurum, argenti pondo octo millia pondere Germano, hoc est vnciarum millia centum viginti octo pensitare pollicetur: quæ vnquam vi, fraude vel alio quouis modo cuiquam ademerit, restituturum promittit. Quòd si hisce pactis non staret, ius obsides occidendi Cæsari foret. Continuò Hercynium saltum aperiri securibus, dolabris arborum ramos amputari, vallum excindere, frutices eradicari, aggeres diuelli, fossas compleri, itinera truncis purgari iubet: quo quàm latissimè patente via absque omnibus insidiis, molestiisque victor exercitus triumphantis in morem domum reuertatur. Conditiones huiuscemodi vltrò oblatæ à nostris accipiuntur. Qui onusti præda non sine lætitia domos redeunt. Hainricus Reginoburgium diuertit, ibi Albertus, & Luitpoldus Orientalis Boiariæ præfecti, reuertenti Cæsari obuiam honoris causa procedunt: filium præsidis Boiemi captiuum exhibent, res gestas commemorant, mutua defunguntur gratulatione principes. Cæsar gratias agit, se eorum facti semper memorem fore pollicetur: collaudatos, & præmiis oneratos dimittit. Inter cætera Luitpoldo equum regis Boiemiæ, ephippium, phaleras aureas, argenteas preciosæ artis condonauit. Vicesimo deinde die, vbi constitutum erat, Vratislaus cum plerisque optimatibus, & amplissimis muneribus Reginoburgium venit. Cæsaris in senatu curuli sella, cultu regio sedentis pedibus lachrymabundus accidit, adoperto capite, calceis pedibus detractis, corpus humi prosternit, suppliciter veniam præteritorum orat, Boiemiam cum signo reddit, regium nomen, Poloniam, quam occuparat, abiurat. Surgunt purpurati, Pontifices, dynastæ, Hainricum per Christum Deum Optimum Maximum per clementiam eius obtestantur, per superos omnes obsecrant, vt misero, & scelus confitenti ignoscat. Annuit Cæsar, Vratislaus iussus surgere sacramentum solenne dicit, quæ pridem verbis promiserat: reprobat semissem tributi, quod pactus fuerat: Cæsar illi remisit. Eodem anno, ventus vehemens syluas, ædificia subuertit, penuria frugum; annona cara fuit. Isacus & Athesis Noricorum amnes subitò inundarunt, maximam pauperiem accolis dederunt, subitò domos, iumenta oppresserunt, & obruerunt.

Eisach. Etsch.

Vorigines ingentes concursu torrentium cauatæ itinera ruperunt, eluuies vineas nudauit, demolitaque est vsque ad saxa. Dum talia fiunt in Boiemia, atque Boiaria, in Vngaria sæpius Petrus admonitus à proceribus resipiscere recusat, ad sanitatem redire contemnit. Vgri igitur authoribus Phiscone, Stoitzlao, & Pezilone, gentis optimatibus coniurant, regem adeunt, Budam intimum Petri, tantorum flagitiorum consultorem ad necem deposcunt. Atque dum is ad regis fidem confugit, regis opem implorat, vi abstractus in frustra minutatim conciditur, duobus filiis eius oculi eruuntur.

Buba occiditur.

Petrus cum tumultu isthoc tum conscientia scelerum perterritus, ratus se vbique terrarum tutiorem, quàm apud suos fore, ad Boios confines Vgris, quanquam sibi infestos, quòd Boiemis suppetias tulisset, cum paucis aufugit, benigneque ab Alberto Orientalis limitis duce acceptus Reginoburgium ad Cæsarem deducitur. Verùm primum sicuti Reipublicæ hostis, non solùm aditu prohibitus, sed in vincula quoque coniectus est. Adnitente tamen Alberto, cui soror illius nupta erat, & plerisque aulicis fauentibus, miserantibusque regiam calamitatem, in conspectum Hainrici admittitur.

Petrus Poloniæ Rex in vincula cõiicitur.

Moxque principis pedibus flens procumbit, fortunam deplorat suam: veniam delicti, simul vitam precatur. Cæsar memor rerum humanarum inopi gratiam facit: eundem bono animo esse iubet, auxilium pollicetur. Vgri, vbi aufugisse Petrum viderunt, Vuonem quendam (hunc alij Abantem, alij Obonem vocant) regem salutant, vti mos gentis est, solenni ritu renunciant, omniaque acta Petri rescindunt.

Vuo, qui ab aliis Ouo, Abans, & Obo, & Vban etiam Aba dicitur.

Cæterùm Hainricus inter hæc, perdomita Boiemia, Burgundiam petit, ius reddit: inde Argentoratum ad hyberna concedit: eò frequentes proceres Imperij coëunt. Ouo quoque cùm audisset Petrum ad Cæsarem profugisse, ab eoque receptum esse, legatos illò ad explorandam erga se voluntatem regis Teutonici proficisci iubet: illique admissi satis proteruè superba legatione defunguntur. Domine (inquiunt) Ouo Rex noster tecum ne bellum, an pacem habiturus sit, sciscitatur. Ambæ conditiones in te sitæ sunt:

Ouo regis Teutonici erga se voluntatẽ explorat legatione.

 veram-

vtramuis acceperis, à te certior fieri postulat. Admodum paucis Cæsar hisce respondet, Id ipsum quod percontamini, penes vos, & in arbitrio vestro est. Non soleo arma nisi lacessitus capere: quoad per hostes, inimicosque licet, quietem & ocium amplector, pietatem colo: si neque me neque meos iniuria affeceritis, prior crabrones non irritabo, neque aleam iactabo. Quod si nos priores læseritis, quid armis Christo propitio possimus, haud dubiè sentietis. Huiuscemodi itaque dictis, placuit legatos ad Vgros proficisci cum Ouonis oratoribus. Qui vbi in Pannoniam cum mandatis peruenere, Rex Vgrus virus, quod animo occulebat, tandem effundere decreuit: Boiariam, quam Austriam, quòd ad orientem vergat, vocamus, inuadere statuit. Ne autem rumor ante facinus emanaret, consilium suum proderetur, velocitate, qua celeritatem famæ antecederet, ratus opus esse, omnes copias, equites vniuersos clanculum contrahit, doloque omnes mercatores, hospites, externos, & legatos accersit, contra ius gentium in vincula conijcit, diligentissimaque custodia obseruari iubet. Deinde legatis nostris pacificantibus de improuiso, dum Boij de pace agi credunt, Boiariæ regnum, quatenus orientem spectat, & Vgris continuatur, triplici agmine aggreditur. Pars Charmos petit, ipse Australem Danubij ripam, alteram Dux eius sibi deposcit. Ambo ludis Februariis, quibus plus æquo Baccho, Cereri, imò etiam Veneri, contra fas & placita religionis nostræ indulgemus: nempe altero, vt sacrificuli nuncupant, Sexagesima die, nocte silenti absque omni tumultu & strepitu, atque maleficio, per latibula, per syluas, à nemine penitus animaduersi, peritis locorum ductoribus ad condictum locum Træsomam amnem prorepunt. Quo cum crepusculo ante lucis ortum peruenissent, Ouo nostros somno vinoque sepultos, sub tecto in cubilibus stertentes, nec quicquam mali suspicantes, inopinatos, imparatos subitò inuadit, resistentes cædit, ædificia incendit, pecora, homines abigit, multi mortales capti. Qui correptis armis se defendere parabant, à multitudine hostium oppressi sunt, à primo diluculo vsque ad occasum solis, cuncta longè, lateque incendiis, cædibus complentur. Rex Vgrus circa Tulnam vrbem Boiorum in armis pernoctat, postridie incolumi exercitu, cum ingenti præda, & captiuorum numero in Vngariam reuertitur. Nec vnquam aliàs tantam de Boiaria prædam Vngaria cepit. At in Aquilonari ripa aduersa fortuna Vgris fuit. Quamuis enim, vt Rex iusserat, ipse quoque Dux cum suis ad hostia Træsomæ nemine omnino animaduertente euasisset, ac sicuti Rex nondum orto sole nostros imparatos, nil tale sperantes adortus fuisset, cunctaque depopulatus ingenti vi captiuorum, iumentorum, pecudum potitus esset: tamen Albertus & Luitpoldus Duces limitis, subitò correptis armis, raptim collecto equite, superis vocantibus, Vgros qui se diuiserant, prædæ intentos, palantes, ac ouantes carptim inuadunt, cædunt, proterunt: captiui viri, fœminæ, pueri, puellæ, vbi nostrum agmen agnouere, & ipsi resistunt, lanceis, cultris, fudibus, sagittis, quicquid ira subministrabat, Vgros appetunt, incessunt: nec in hostem grassari desinunt, donec ea pars ad internecionem deleta, omnis excussa præda, omnes captiui liberati sunt. Dumque victores gratias Deo Optim. Maxim. agunt, habentque, alia manus hostium, quæ in insidiis hactenus delituerat, demum prodit. Quos vbi nostri, licet fessi post tergum vident, superos, cœleste auxilium vocant, fortiter irruentes Vgros excipiunt: Duces nostri in confertissimos hostes incurrunt, aciem perrumpunt, ordines turbant, Vgros propellunt, in fugam conijciunt: fugientes ad Marum amnem persequuntur, in flumen præcipites agunt, & submergunt: perpaucos hostium fuga seruauit. Dux Vgrus equo flumen tranat, regique suo exhibitus, ob rem malè gestam ducatu mouetur, oculisque priuatur. Qui Charmos inuaserant, à Godefrido eius limitis præfecto, à Welphonis Ducis, & Lycatiorum Boiariæ dynastæ copiis, iuxta Petanionem vrbem Noricorum cæsi, prostrati sunt: perpaucis fuga elapsis, præda, captiui omnes recepti. Hisce diebus, nimirum in Quinquagesima Cæsar Basileæ summum Boiariæ principatum in tutelam Hainrico nepoti ex fratre Hainrico Diuæ Chunigundæ Augustæ, ex Lotharingia Mosellana oriundo, committit. Paschalibus in Colonia Agrippinensi conuentus agit: frequenti pontificum, sacerdotum, tetrarcharum, satrapum senatu, bellum Ouoni, expeditionem Vngaricam indicit. Posthac Quinquagenalibus Wurtzburgium se confert. Brunonem vrbis Episcopum, cognatum suum, cum viris & fœminis ad Wilhelmum Narbonensis prouinciæ præfectum legat, eius filiam Hagnam vxorem sibi expetit. Interim contractis copiis in Boiariam aduersus Vgros transitum facit, V. Idus Augusti apud Altaich inferius fuit. Consilio Vratislai reguli Boiemorũ (quod Australe latus, paludibus, syluis, amnibus septum erat, incolas omnes Vuo vicis incensis, trans Arrabonem transtulerat) Aquilonarem Vngariam (nam eam Danubius interfluit) terrestri naualique exercitu adgreditur, Hannoburgium obsidet. Ciues desperata salute, iniecta ædificiis flamma, noctu aufugiunt. Cæsar mœnibus dirutis, ac solo æquatis, ad Presburg, quod Romana lingua Pisonium vocatur, castra admouet, vrbem oppugnat: oppidani deditionem faciunt. Idem cæteri omnes eius tractus incolæ vsque ad Granum flumen, missa legatione faciunt.

Austria vnde habeat nomen.

Rex Vgrus in Vngariã redit.

Veri pulsi & [illegible] Marum sum

Vgrorũ Dux [illegible] mo[illegible] & oculis priuatur.

Wilhelmus Pictauensis princeps. Hag[n]a qua & Agnes.

Pisonium.

Nouem

Nouem oppida se Cæsari permisere. Ouo bis ad Granum amnem cum nostris congressus, bis superatus, trans flumen est repulsus, maxima clade affectus, vnus nostratium duntaxat perijt. Cæsar Petrum, quem adduxerat, prouinciæ armis partæ imponere voluit: prouinciales pertinacissimè refragantur: mori se malle, quàm huncce rectorem pati, confidentissimè asseuerant. Filio igitur fratris Diui Stephani, qui initio belli ad Boiemos aufugerat, ea regio, consensu incolarum committitur: præsidio Boiorum, Boiemorumque valido, nempe duobus millibus hominum munitur. Cæsar dimisso exercitu in Boiariam occidentalem reuertitur. Goslariæ deinde in Saxonia concilium regni conuocat, ibique hyemat. Pontificatum Aichstadiensem Gebhardo tradit. Præstò ibi fuere Vratislaus Boiemus, & Roxolanorum, Polonorumq; legati, cum amplissimis donis, absentiam principum suorum excusantes. Gisala tum Augusta mater Cæsaris obijt, & in Nemetum Augustam translata, iuxta Imperatorem Conradum coniugem suam sepelitur. Cæsar Paschalibus in Leodiensi agro, regē occidentalis Franciæ (quam eius tempestatis scriptores nostri Caroliam vocant) appellat. Inde Quinquagenales ferias in Saxonia Badoburnæ concelebrat. Huc Vuo, nuncio malæ pugnæ, vt suprà dixi, perterritus, legatos mittit, veniam orat, fœdus & amicitiam postulat: auri montes, se captiuos omnes redditurum, pro his quos restituere non posset, precium persoluturum pollicetur. Cæsar se Reginoburgij, consilio Boiorum, qui iniuria adfecti sint, responsa legatis editurum ait: Reginoburgium peruentum est. Vgri rursus, ea quæ prius, promittunt. Verùm cum Cæsarem iureiurando fidem dare, pacta confirmare postulant, infecto negocio, intra præscriptum tempus excedere Boiaria, domum redire iubentur. Cæsar cum exercitu vestigia nunciorū insequitur. Cum fines hostium, nemine prohibente intrasset, delectus agit, exercitum lustrat: dumque Meridionalem Vngariam inuadere, munimentum (quod ripæ Rabinissæ ad arcendos nostros Ouo imposuerat) confectis iam machinis, postridie expugnare parat, Ouo missis nuncijs pacem supplex petit, partem regni ab hostijs & fontibus Mauri fluminis ad fines Charionum, & quicquid intra amnes Litham, Phiscamque continetur, quæ pars quondam Diuo Stephano amicitiæ caussa tradita erat, Cæsari reddit: insuper se quadringenta auri talenta Teutonica, totidem serica pallia mulctæ nomine tributurum, & tanto auri pondere, damnum à se datum compensaturum, captiuos omnes, Gisalæ reginæ quæcunque Petrus ademerit, restituturum pollicetur: Pezilonem ducem, cum septem alijs optimatibus, in quos animaduertendi more maiorum, si pactis non staret, & postridie Calendas Decembris verba promissa, factis non comprobaret, ius foret, ob fidem tradit. Vnum postremò orat, vt timori suo concedatur ne in conspectum Cæsaris venire cogatur. Cæsar consilio habito, conditiones accipit, Hainricum ducem Boiorum, & Vratislaum Boiemiæ rectorem ad Ouonem cōcedere iubet: coram quibus præeunte sacrificulo, Ouo sacramentum dicit: pacta iurisiurandi religione sancit. Hisce confectis, Cæsar regione recepta, eaq; in fidem Alberto, eiusque filio Luitpoldo commissa, in Sueuiam se confert. Constantiæ conuentum Ecclesiasticum agit, pacem more Germanorum perpetuò sancit edicto. Inde Vesontionem vrbem Burgundiæ, Sequanorumque petit, obuiam sponsæ procedit: eam Mogontiacum deducit: ibi de ea superos consuli, Reginamque appellari iubet. Deinde nuptias Ingelhaim imperatorio apparatu facit. Interfuere frequentes pontifices, episcopi, duces, tetrarchæ, dynastæ: ciues Italiæ, Germaniæ, Galliæ. Et ne hoc (vt se habent res humanæ) perpetuum ac solidum foret gaudium, Luitpoldus Austriacus adolescens fulmen belli, terrorque Vgrorum fato concedit, sepelitur Treueris à Poppone archiepiscopo patruo. Cæsar confectis nuptijs Augustam Treuerum in hyberna concedit. Primo vere, nempe Paschalibus Neomagum se confert. Gothelo dum adhuc viueret, inferiorē Lotharingiam, consensu Cæsaris Godefrido tradiderat: ipse Mosellanum ducatum, quoad vixit, retinuit: quem Cæsar alteri eius filio in tutelam committere destinarat. At Godefridus refragabatur, principatum fratri inuidebat, vtrumque ambibat. Vtrinque diu disceptatum est, nec res iniquitate hominum ad ocium & quietem deduci tum à Cæsare potuit. Interea loci Ouo tanto periculo, metuq; liberatus, partē quidem regni, quam commemoraui, & vt dixi, iam Hainrico reddiderat, verùm cætera omnia mentitus est, captiuos plerosque, at non omnes reddidit, pactum pecuniā die dicto non soluit. Hyeme tota (adhortantibus duobus fratribus Reginoburgio in Boiaria ortis) omnibus viribus expeditionem parat, rursus Boiariæ fines, vt priore anno fecerat, incursare fraudulenter meditatur. Erant duo Germani fratres Bernulphus ac Machthunus, obscuris crepundijs apud Boios occidentales Reginoburgij, vt iam narraui, orti: verùm pernefas, fasque ditati ingentes cumularant opes, in aulamque, freti authoritate Nitgeri episcopi Fruxinensis fratris sui, irrepserant. Et vt natura mortalium auida potentiæ & splendoris, præceps est ad explendam animi cupidinem, supra quàm cuiquam imperito credibile sit, ambire præfecturas (quod tum eis per nobiles nondum licebat) frustra cœperunt. Proinde ab Vgris id ipsum se assequuturos sperantes, clam Ouonem literis hortantur, vt simulata pactorum solutione, Hainricum cum paucis aduenientem fiducia pacis circumueniat:

Ouo bis superatus, maxima clade affectus.

Cæsar in Boiariam occidentale redit.

Gisala Augusta moritur.

Cæsar Vngariā inuadit.

Ouo qui & Vuo, pacem supplex petit.

Pezilo obses Cæsari datus.

Cæsar in Sueuiam reuertitur.

Conuentus Ecclesiasticus Constantiæ.

Godefridus fratri principatū inuidet.

Bernulphus Machthunus.

nihil mali suspicantem obtruncet, regnum Boiorum inuadat, se Reginoburgium tradituros: sin ille non veniat, nihilominus Boiariæ arma inferat, suum studium, suam operam offerunt. Ouo literis acceptis, ipsos collaudat, præmijs onerat: alteri ducatũ, alteri præfecturam Boiorum promittit, incœptis perseuerare hortatur. Illis rursus impensius, quam exigebatur, operam promittentibus, eorum consilia exequi studet. Verùm domestica seditione afflictus, ab incœpto supersedere coactus est. Plerosq; commissi in Petrum facinoris inuidia, postquàm decesserat, in miserationem verba, pœnitebat: quosdam fraudis Ouonis, quæ in sua capita redundatura foret, tædebat: pars Ouonem rem suam alieno periculo curare, pacem interturbare, fidem frangere permolestè ferebat.

Ouo homo ferox.

Ouo quoq; homo ferox & agrestis, nobilissimos quosque contemnebat, humilimi cuiusque consilio, qui refragari non solebat, vtebatur: agricolas aulicos scribit, obstrepentes indemnatos leui causa obtruncabat.

Vngarorũ coniuratio contra Ouonem.

Fit igitur optimatum in Ouonem coniuratio: ipsum vinctum, aut necatum Cæsari tradere constituunt. Verùm conspiratione detecta, indicium a conscio ad Ouonem delatum est. Lorico princeps coniurationis eius, filium eius immissis percussoribus Ouo obtruncat: illum, & cæteros authores capere nititur. Porrò Lorico, socijque fugam capessunt, ad Cæsarem euadunt, orbis terrarum domini opem implorant, Ouonis crudelitatem, perfidiam, scelera proponunt: Petri amicitiam ambiunt, cum eo in gratiam rediguntur. Cæsarem deinde cohortantur, vt Petrum restituat, ab Ouone perfido pœnas expetat. Cæsar ab hisce, vt Ouonem arte sua tentaret, huiuscemodi re dissimulata in Boiariam cum paucis pergit, duntaxat Boijs, atque Boiemis concomitatus, quasi limitem Boiariæ Austriacum lustraturus, pactamque pecuniam absque bello exacturus, potiusque iure, quàm armis disceptaturus, Boios orientales petit. Ouo, vt vafer erat, Zudnichonem ducem suum, cum Nannone à secretis, & plerisque alijs primoribus, qui vires & animum Cæsaris explorarent, cum auri maximo pondere ad Hainricum legat: inopiam, & paupertatem excusat, tantam pecuniæ summam superiore anno, non tam citò cogi potuisse, proponit: Loriconem, & transfugas iure gentium repetit: eosdem mendaciorum loquacissimos, prædones, atque latrones, authores turbarum, discordiæ, belli, tumultus esse aperit, primosque qui Petrum expulerint, Vgros aduersus Cæsarem concitarint, fuisse narrat: postulat denique in colloquium se admitti. Cæsar acceptis muneribus, Ouonem dolo suo adgreditur, legatos benignè appellat, verbis pacem nunciat, cæterùm rebellum asperrimum parat. Ouo rursus impensius supplices legatos speculandi gratia ad Cæsarem mittit, pacem orat, se suam, liberorumque vitam, omnia Cæsari dediturum: velle se cum eo de his rebus, quæ inter eos cœptæ, neque perfectæ essent agere, simulat: vti colloquio diem constitueret, petit. Sed tertiò Hainrico iam antea experimentis cognitum erat, Ouonem infidum, genus Vgrorum ingenio mobili, nouarum rerum auidum, seditiosum, discordiosumque esse. Itaque quæ postulabantur, neq; abnuere neque polliceri cœpit, & inter eas moras promissa, retentis secum legatis Vngaricis expectat. Dumque Boiemi atque Boij conuenissent, hisce se subsequi iussis, quasi venandi causa Hunnoburgium se confert, ibi septem dies commoratur. Nemo omnium apparet, neque Ouo, vt pollicitus erat, præsto fuit, tantùm abfuit, vt promissa compleret. Cæsar Pezelinum, quem sicuti suprà retuli, obsidem acceperat, Nannonemque scribam Ouonis hactenus secum retentum, nec cum abire permissum, ad Ouonem cum mandatis ire, triduo reuerti, mandata referre iubet. Illi vbi ad Ouonem deuenere, paucitatem nostrorum referunt: facilè perpaucis interfectis, Cæsarem intercipi posse docent. Idem literis Bernulphus, & Machthunus aulæ forices aperiunt. Ouo ergo, quàm maximas omnis generis copias comparat, obuiam ceu officij gratia Cæsari pergit. Ipsum cum tam paucis aduentantem circumuenire dolo, simulata pace decreuit. Cæsar quoque inter hæc, cui nota fraus Ouonis iam pridem fuerat, cum Boiorum & Boiemorum intenta atque infesta acie in Meridionalem Vngariam procedit.

Ouo cum Cæsare cõfligere statuit.

Iamque exercitus duntaxat vnius diei itinere distabant. Ouo vbi videt Hainricum contrà ac ratus erat, magna vi haud imparatum ad se contendere, prælium nisi ipse pareat, minimè detrectare, fretus multitudine, atque paucitatem nostrorum contemnens, missis nuncijs, statuit die tertio, loco constituto cum Cæsare aperto Marte confligere. Cæsar instructos ordines ad locum pugnæ destinatum deducit, sed neminem hostium vsquam offendit. Accersitis, consultisque locorum gnaris, vlteriora Pannoniæ inuadere statuit. Oedenburgio (Sempronium literati vocant) iter facit: cumque ad Rabanissam flumen peruenisset, ab interiore Vngaria, locis palustribus, per quos amnis defluit, arcetur. Cæterùm Vgris profugis deducentibus, tota nocte, recta via, Meridiem versus ascendit, donec vadum, pontemque inuenit. Moxque præsidio, quod ibi Ouo locarat, pulso paludes simul, ac flumen impunè transit: nemine resistente ad Arrabonem aliud flumen, oppidum eiusdem cognominis, quod Scaurinum Romani vocarunt, peruenit. Iamque qui in principiis erant, amnem superant, altera ripa potiebantur. Ecce tibi subitò latissimam planiciem (vbi quondam deserta

Boio-

Boiorum fuere) armatis, quasi sylua succreuisset, oppletam, confertamque cernunt. Nihilo segnius cæteri amnem superant, socijs se coniungunt, absque cunctatione aciem instruunt. Cæsar posteaquam videt acerrimorum hostium multitudine se clausum, à tergo flumine obstare, neque fugæ vllam spem esse, consilijs causa, & arte militari, suos spem in Deum optimum maximum duntaxat collocare, Christumque adprecatus, signo dato, cohortes paulatim incedere iubet. Idem facit hostium exercitus: iam eò ventum erat, vt à ferentarijs prælium committi posset: & non longius hostes aberant, quàm quo telum adijci posset. Cum repentè, siue illud diuinum munus, siue casus fuit, obductæ cœlo nubes condidere solem. Mox ventus excitato puluere ora, oculos hostium opplet. Deinceps turbo, quo nihil vehementius cum ingenti fragore erumpit, proximos quosque Vgrorum prosternens, contactos amburens, pariter & consternens: largum quoque postliac imbrem procellæ excudunt. Ingens aduersus æstum, pulueremque præcipuè fugientes persequentibus auxilium. Nam ea loca plana, omnino sicca, adusta, proinde puluerulenta sunt: quibus etiam nostro æuo illac iter est, aduersus vim pulueris specillis ocularijs, thecisque vitreis vti solent. Cæsar cœlesti beneficio (ita nostri, quos intactos ea tempestas præteribat, interpretabantur) animatus, Vgros diuina ira attonitos, metu perculsos inuadit, cædit, sternit, terga vertere cogit. Ouo postquam suos partim fusos, partim fugam capessere, seque cum paucis relictum videt, & ipse fortunæ cedit. Nostri fugientes more pecudum inultos trucidant, triginta millia passuum insequuntur: sacrificuli, episcopi capti, hasta regia aurea reperta. Nanno scriba interceptus est, in cuius crumenula à zona serica pendente epistola Bernulphi, & Machthuni inuenta, & à plerisque lecta Cæsari tandem offertur. Quam cum ipse legisset, Bernulphum, & Machthunum, fidei quam violarant, meritas pœnas soluere, crucifigique imperat. Deinde castra facit, receptuique canit. Boij atque Boiemi, vbi satiati cæde sunt, ad castra reuertuntur: eodemque in loco Cæsar laneis duntaxat indutus, item cæteri milites, equitesque corpora in solum proijciunt, signum cœleste adorant, Christo domino, Deoque nostro grates agunt, honorem habent. Et quoniam tam læta, atque incruenta victoria contigit (quippe centum duntaxat ac octo desiderauit) obliuionem omnium rerum, more Christiano, decernit. Quicquid hactenus aduersus se à quocunque peccatum sit, abolendum censet: omnibus inimicis, qui pœnas meruere ignoscit. Ingens hæc victoria fuit, anno Salutis MXLIIII. quarto Nonas Iulij: isque dies in fastos relatus, adhuc festus est, quem vulgus superstitiosum inter atros computat. Sed confecto prælio, tum verò cerneres homines, equos, sagittas, arcus, hastas, enses, vestes, iacula, tela, cætera instrumenta militiæ humi passim strata iacere. Cæsar ob fœtorem cadauerum triduo diuerso itinere exercitum victorem circumduxit, Albamque regiam Vngariæ caput, sedemque regni (quamobrem Teutones Stuelvueissenburg vocant) cum victricibus signis intrat. Certatim episcopi, proceres, ciues populusque Vgrorum ad Cæsarem coëunt, ob tam insignem victoriam gratulantur: Cæsaremque in templum deiparæ Virginis deducunt, in regio solio collocant, regem consalutant, in verba eius iurant. Cæsar Vgros Boiorum iure donat, conuocatoque consilio, Petrum cum popularibus in gratiam redigit, proceres illi sacramentum dicere, eundem precariò regnare iubet. Boiorum, Boiemorumque copias eidem præsidij causa permittit. Hisce peractis, in occidentalem Boiariam reuertitur, Reginoburgique supplicatione decreta, per omnia vrbis templa (quæ complura sunt) sacrificia Deo facit, sacerdotes, monachi, virgines, populus, frequentes salutatum superos iuere. At Ouo, cum abijsse Cæsarem certior factus est, vires reparat, eos qui fuga sibi consuluerant, & adhuc palantes vagabantur, colligit. Contrà Petrus cum Boiemis atque Boijs Ouonem persecuturus, prius ad eum cum mandatis amicos legat, veniam dat, gratiamque facit: obtestatur per Christum eiusque religionem, vt resipiscat, secum in concordiam, in gratiam redeat, seducatum, quem superioribus annis tenuerit, concedere, modò regis nomen inane abdicet. Omnia largiturum, quæ petiuerit, præter diadema & sceptrum regni insignia, promittit. Ouo siue auidus Imperij, siue quòd se Petro committere non audebat, aleam belli denuò se tentaturum respondit, aperteque Marte dimicaturum: Numen cœli haud dubiè, pugnæ euentu quinam verus rex sit, declaraturum. Porrò socij Ouonis rursus cum Boiemis atque Boijs victoribus, cum quibus antè malè pugnassent, confligere recusant, fortunaque superioris prælij deterriti, superos vltrà lacessere detrectant. Ab Ouone igitur qui æquissimas conditiones abnuebat, ad Petrum deficiunt. Ille à suis desertus, in vicum quendam fugam capessit. Verum villa de cœlo tacta, vix euasit, fugamque trans Tibiscum tendit. Dum in quoddam templum confugit, incolæ qui ab eo captiui illuc translati fuerant, eundem capiunt, in vincula conijciunt, vinctum cathenis ad Petrum deducunt. Ipse dicto die, communi sententia Vgrorum & Boiorum condemnatus supplicium capite luit. Dum hæc in Pannonijs Noricoq; geruntur, in Burgundia Ludouicus præses, Reginaldum Agnæ reginæ auunculum Hainrico parere detrectantē, castellum Burgundionum (quod Piligardi montem vocant, & nunc ditioni ducis Wirtenbergensis subditum

Cæsar in periculo versatur.

Vgri strati.

Ouo fuga salutem quærit.

Bernulphus & Machthunus cruci affixi infesti.

Contrà alij scribunt ingentē turbā Boiorum occidisse, vnde & locus ille hodie etiam Vngaricè Veszuempti id est Verlorn Bairn dicitur.

1044

Alba Stuelvueissenburg.

Petrus rex Vngariæ restituitur.

Ouo vires reparat.

Petrus ad Ouonem legatos mittit.

Ouo captus. Alij scribunt Ouonem à suis in villa quadā crudeliter esse obtruncatū.

Mōpelgard Mons Peligardi.

Cæsar fines Burgundiæ adit.

Godefridus vtrumque ducatū ambire pergit, & vtroque excidit.

subditum existit) obsidentem, prælio cum paucis superat, plerisque hostium occisis, cæteros in fugam vertit, obsidionemq; soluit. Cæsar Burgundiæ fines adit. Soloduri in gratiam cum Reginaldo & Geroldo primoribus Burgundionum redit. Vbi hæc Godefridus accepit, rursus precibus, nuncijs, muneribus Cæsarem fatigat: vtrumq; ducatum ambire non cessat: si modò principatibus ambobus potiatur, quiduis oneris imponatur, obedienter se laturum promittit. Quæ quidem aduersum nos (Cæsar respondet) hactenus Godefridus cōmisit, vt in Pannonia sciuimus, facilè condonamus: cum verò contra ius fasq; iniqua appetere pergat, aduersus vinculum fraternæ charitatis, citra omnem rationē pietatis, ac sanguinis, germano hæreditatem præripere studeat, ego, cui summum honorem, & maximum negocium supremus cœli Imperator imposuit, inauditum hactenus flagitium, ne dicam parricidium procul à Germania, Imperioq; nostro auertam. Etenim viua lex & iustitiæ sum vindex atq; adsertor. Dabo equidem operam pro virili, omnes neruos intendam, ne huiusmodi scelus impunè abeat. Godefridus bis iam repulsam passus, cum rege Caroliorum, quos occidentales Francos dicunt, fœdus facit. Ciues deinde, triennio aduersus quemuis se ducem secuturos, iurare adigit: clamq; res nouas molitur. Posteaquam id Cæsari nunciatum est, conuentum principum cogit, magna frequentia eius ordinis Godefridum accersit, qui, quod quę moliebatur clam adhuc esse opinaretur, apparet. Interrogatusq; de fœdere & coniuratione, primò fingebat, alia dissimulabat. Post vbi dissimulātem testes introducti, conscijq; coarguunt, senatus procerū decreuit, vbi abdicatus inferiore Lotharingia Godefridus filium obsidem daret, in liberaq; custodia haberetur. Itaque dum vtrique principatui inhiat, ab vtroque excidit. Attamen non longo pòst tempore, cum pedibus Cæsaris accideret, veniam precaretur, ipse quidem dimissus est, verùm filius pro obside retentus, paucis pòst diebus ex hac vita migrat. Godefridus itaq; iam liberis orbus, & egentissimus, cui neque sua chara quippe quæ nulla erant, à Cæsare deficit, arma sumit, de integro bellum renouat: Lotharingiam vnde amotus fuerat, vi recuperare conatur. Præsides inferioris Germaniæ, præfectos, ciues, agricolas, sacerdotes, fidos Hainrico, pariter lacessere, opprimere, vastare non desinit. Cæsar in Augusta Nemetum hyemat, expeditionem aduersus Godefridum indicit: Ianuario ex hybernis progreditur, inferiorem Germaniam, & Brabantiam, & finitima loca cum exercitu intrat, Beggalemum castellum munimenta Godefridi expugnat, solo æquat, ipsum regione exigit. Coactus penuria annonæ, relicto ibi validissimo præsidio, ad superiorem reuertitur Germaniam. Dira tum fames in orientales Francos deuastata est. Haud ignobiles vici, incolis partim hac peste absumptis, partim diffugientibus execrata loca, ad solitudinem redacti sunt: Cæsar caput Quadragesimæ, septem deinceps dies Fruxini in Boiaria commoratus est. Legati Petri regis Pannoniarum, Daciæque ibi præstò fuerunt. Vgri gens auida bellorum, armis assueta, rapinis & direptionibus finitimorum locupleta, inuita iugum pietatis Christianæ sub Stephano rege vxorio acceperat, excutiendi rursus illud non animus, sed occasio & dux deerat. Petrus potentia Cæsaris, atque maiestate nominis eius opus esse ratus, quo facilius ferocem populum, nouarumque rerum percupidum in fide atque obsequio contineret, Cæsarem in Vngariam crebris nuncijs euocat, rem arduam incidisse docet, quæ nisi ipse adsit, nequaquam queat componi: periculum non mediocre inesse, nisi maturet. Tertius Bambergæ diem solis, quam ab auspicio Palmarum cognominant: inde Goslariæ Paschalia concelebrat, dieque festo Ottoni, Imperatoris Ottonis tertij ex sorore nepoti, Sueuiæ ducatum, Ebboni à sacris Neoburgensem pontificatum tradit, filio Baldouini præfecturam conterminam, pro qua Godefridus certabat, in fidem atque tutelam committit. Posthæc in Boiariam pergit. Reginoburgij naues intrat, Bathauiam deuectus, ibi supplicationum ferias, triumphumque Christi ritu solenni perpetrat. Post secunda Danubij aqua Boiariam orientalem petit. Est oppidum Austriæ, Greinon vocant, iuxta, supra id præruptæ rupes surgunt, saxeæ moles cubant ac prominent, per quas Danubius vasto impetu, ingenti fremitu qui procul auditur, spumabundus fertur: crebri fluctus hinc proram, hinc latera pulsant: modò cunarum, nunc huc, nunc illuc nauigia succutiunt, vectoresq; humido imbre aspergunt. Teutones hunc locum infamem perniciosumq; nauigantibus à strepitu aquarum Strudelon nuncupant, tum poënostonos à patiendo dicebatur. Nam si in illas nauis impegerit cautes, illiditur. Vbi hanc perniciem euaseris, aliud continuò malum periculosius cohærens illi, te excipit. In rapidissimos vertices, quibus intorta, nauis obliqua, & gubernaculi impatiens agitur, incidis. Vorticosum baratharum aquam cōtorquet, hiatu maximo haurit atq; absorbet, nisi remis pro viribus incumbatur, naues attrahit, atq; subuertit: sed pertinacibus remigibus euerberatum veluti nauigia, classicis eripientibus cedit. Ergo nautæ ingenti certamine concitant remos, quantaq; vis humana esse potest, fluctus, qui in se vehuntur, euerberant, vndas findūt, gurgitibus nauem eripiunt. Circum circa habitant remiges horū locorū ab ineunte ætate periti, hos nauigātes conducunt, his gubernatorib. hæc pericula incolumes euadunt. Cæsarē cum illac nauigantē Bruno Wirtzburgensis episcopus cognatus

Caroli qui.

Godefridi filius obses datus.

Beggalemū castellum Cæsar expugnat.

Vgri gens bellorum auida.

eius alia naue comitabatur, dumque saxo cuidam eminentiori allabitur, atra Æthiopis imago, satis nimis apertè, ferale (vt exitus probauit) signum, ibidem constitit, Brunonem appellat, Heus heus episcope, malus sum (inquit) genius, meus es, & quouis gentium proficiscare, meus eris, nil quidem in præsentiarū agere aduersus te habeo, breui tamē iterum me videbis. Cunctis abominantibus pestilens spiritus ab episcopo signo immortali appetitus, adiuratusq; carminibus sacris, sub oculis omnium euanuit. Atq; hoc saxum adhuc monstrari solet, cui imposita turris lapidea, absq; tignis, & tecto cognomē ita sortita, adhuc retinet. Vnde haud procul (decem opinor millia passuum) Cæsar & comites eius in vico Bosenburg (vbi & nos sæpe diuertimus) appellant: Ibidem Cæsarē Richlita vidua (cuius maritus Adablero ab Ebersperg, primæ Boiariæ castelli, nunc templū est, dynasta, superiore Quadragesima decesserat) magnificè hospitio, & conuiuio excipit, oratq; vt Bosenburg, & prædia quæ hisce locis maritus precariò possederit, Welphoni tertio, nepoti suo ex fratre tradat. Cæsar cœnaculum conscendit, dum coram Brunone episcopo, & Alemanno præside Eberspergensi, atque Richlita, extendens dextram post ilatis annuit, repente contignatio collabitur. Hainricus in alueum solij balnearij absque* pauperie cecidit: Bruno, Alemannus, Richlita margine, tabellisque lignei labri grauiter allisi, pauci post diebus hoc casu extinguitur. Posthæc Cæsar in Vngariam nauigat, Albamq; regiam petit. Vbi honorificè Quinquagenalibus excipitur. Ipso die festo Petrus aduocata concione regnum Vngariæ cum hasta aurata reddit, fasces regni ad pedes Cæsaris deponit, cum maximo auri pondere, quod militibus suis Cæsar distribuit. Regio inde luxu conuiuium initur, cœna dubia apponitur. Cæsar armatus, armatisq; septus ob perfidiam inimicorum epulatur: septem ibi dies commoratur. Abiturus cunctos accersiri iubet, quos idoneos ducebat, eorum consilium habet. Ita more maiorum ex concilij decreto regnum rursus in fidem Petro tradit: Vgros sacramenta redintegrare imperat, eos non aliū regem, præter Petrum & filium eius recepturos, cæterùm post horum fata in potestate Cæsarum fore, persanctè deierare, ritu solenni sancire præcipit. Quandoquidem autem de Ebersperg o tempus admonuit, vt res postulat, rem paulo altius, quo magis illustris fiat, repetā. In confinio Vindeliciæ primæ, secundæq; inter Isaram & Oenum Senones sunt, à vico, & præcipuè flumio eiusdem cognominis ita dicti: hic infra Mosburgium cum Isara confunditur. Atque hic Vindelicorum pagus apud veteres clarissimis paruit dynastis, quos ex nobilissimo Carolomanni Boiorum, Italiæque regis sanguine procreatos fuisse reperio. Hi in inferiore Boiaria ad Lauarum amnem Peffenhausen vicum, & millia passuū decem infra patriam meam Abusinam, Langvuaid, & his proximā syluam Schiuerbuech dictam, & Schiuerbach: in superiore Geisenfeld, & Vallatam: in orientali Boiaria Bosenburg, Ibisum, & pleraq; alia prædia & castella, quæ recensere nihil est operæprecium, possedere. Sichardus (quem Imperator Arnulphus Cæsar Augustus dilectum suum propinquum appellat) perijt in bello Vngarico, sub Ludouico rege Boiorum, filio Arnulphi Augusti, anno æræ nostræ DCCCCVII. Ebersperg castellum condidit, cum vxore Gothina Fruxini humatus est. Succedit filius horum Ratholdus, ab Arnulpho regulo Boiorum Charionum limiti præfectus est, migrauit ex hac vita altero atq; tricesimo post fata parētis anno: ipse & vxor eius Angilmunda sepulti sunt Salisburuij in templo diui Amandi. Excipit soboles Eberhardus, & Adalbero primi: bello Vngarico ab orbe seruato, anno D. CCCCLV. interfuere, soror eorum Wilbyrga, templum diuo Sebastiano in arce Ebersperg construxerunt, anno Salutis DCCCCLXX. ipsi in paucis pòst diebus vita functi sunt. Otto Magnus pleraque his donauit. Eberhardus absque liberis, nempe cœlebs decessit: Adalbero ex Luitgarda Adalberonem Vdalscalcum & Vlricum tulit, quem D. Vlricus Augustæ episcopus aqua lustrica expiauit, ipsique suum nomen fecit. Ambo parentes Vlrici Fruxini conditi esse perhibentur. Vlricus vxorem duxit Richardim, sororem Marchardi Charini, cui Hadmudam sororem suam vicissim nuptum dedit. Illique procrearunt Eberhardum, Adalberonem secundos, Augustinianis flaminibus, collegium Ebersperg ij instituere. Richardis obijt anno Christi MXIII. maritus MXIX. sepulti in Ebersperg. Eberhardus cōnubio sibi iunxit Adelhaidim in Saxonia ortam: hi Geisenfeld concubernium sacratarum fœminarum dicauere anno à Christo nato MXXXVII. Gerpyrgam virginum maximā ceperunt: condonauere huic templo Langkvuald, Vallatum, Siuerpach. Adalberonis coniunx fuit Richildis, ex superiore Boiaria oriunda, soror Welphonis tertij ducis Charionū, filia secundi. Quòd liberis hi quoq; carerent, Ebersperg in ædem diui Benedicti cōmutarunt: tradidereq; monachis inter alia Peffenhausen, in Austria Bosenburg, Ibisum, hæc quod longius sita forent, duci Austriaco longo pòst tempore, circiter æræ nostræ annū MCLXXX. tribuuntur. Propinquiora prædia Conradus præsul recepit. Imperator Hainricus tertius Cæsar, & rex Boiorū author fit, datq; diploma Reginoburgij Calēd. Ianuarij anno Christi MXL. Huius quoq; Adalberonis opera Beurn templum locupletissimum, ab Vgris exustum, ad radices alpiū in superiore Vindelicia conditū, cuius curator extitit, monachis, sacrisque Benedictinis, reiectis Augustalibus flaminibus

Prodigium.

Bosenburg vel [illegible] boig è regione [illegible] oppidi Hodie [illegible] Bosenburg.

*forsitan [illegible]

Comites de Ebersperg.

Senones populi, an der Sempta.

Comites à [illegible] der Labar.

Richardis [illegible] & Richarda.

Geisenfeld monasteriū.

Adalberonis vxor Richildis.

Benedictbeurn simpliciter dictū Beurn.

Helengerio primus abbas in Beurn.

nibus redditum est. Atq; idem Hainricus rex Boiorum Helengerionem præsulem Tigurinum, & duodecim monachos Tigurinos eò transtulit. Obiere isti coniuges eodem anno, nempe MXLV. is sexto Calendas Aprilis, ipsa pridie Idus Iunij: in hisceq; defecit familia horum tetrarcharum nobilissima. Hæc ex fastis & diplomatibus Ebersperngensium, Beurorumq; accepta ex fide refero: ibidem huiuscemodi publica instrumẽta Cæsarum, Pontificum seruantur.

Gisala regina Vngariæ. Berengerus episcopus Bathauẽsis. Engelbertus episcopus. Cæsar expeditionem naualem indicit.

Cæsar ex Vngaria reuersus (vt ad narrationem redeam) secum Gisalam reginam vxorem diui Stephani abducit, Bathauiæ vbi in templo sacratarum fœminarum eius Mausoleum ostenditur, ab Vgris venerabundis aditur, collocauit. Mortuo tum Berengero, qui & Penno, episcopo, Engelbertũ vxoris suæ sacrificum Bathauensibus episcopum designat. Inde Francofordiam se cõfert, vbi grauissima ægritudine decubuit, adeò vt desperata eius salute, Hainricus summus Boiorum regulus, Otto Sueuorum dux episcoporum plerique, Hainrico filio Hetzilini, huius Ottonis patrueli Imperium destinarint: sed consilium illorum frustra fuit. Cæsar sanitatem, viresque recuperat, Goslariam in hyberna concedit: expeditionẽ indicit naualem in Phladirodicos aduersus Theodericum limitis præfectum, traiecit, victorque reuersus Quinquagenalia ad Aquas Graneas facit.

Goufred.

Ibi frequenti principum senatu Godefrido in terram corpus abijcienti, non solum ignoscit, sed principatum Lotharingiorumque tutelam, quam viuo patre obtinuerat, reddit.

Fridericus dux Mosellanorum. Vratislaus. Zemitzlo.

Ducatum Mosellanum Gotheloni fratri eius ob ignauiam ademptum, Friderico germano Hainrici ducis Boiorum committit. Conuentu peracto Mersburgium vltimo Iunio, octauo Calendas Iulij petit: ibi apparent cum tributo, donisque Cæsare dignis Vratislaus Boiemiæ, Pomerorum Zemitzlo, Cathmarus Polonorum regulus. Inde Calendas Iulij ad Moesiam vrbem pergit. Conuentu ibi peracto, Septembri Augustam Rhætiæ adit. Per idem tempus nuncijs crebris, item literis fit certior, tres Errones, & (vt

Tres summi Pontifices. Benedictus. Sylnester. Gratianus.

Clemens secundus appellat) Hæreticos Benedictum nonum, Syluestrum tertium, Gregorium sextum Pontificatui maximo incubare, diuersisq; locis habitare. Benedictus quòd imperitus literarum esset, Syluestrum collegam, qui rem diuinam procuraret adsciscit, ipse prædia, vectigalia, negocia prophana administrat, censum ecclesiasticum exigit, sacram pecuniam promit, atq; condit. Gratianus, qui & Gregorius sextus auro dato Benedicto, dimissis cum eo redditibus, vtrumq; munus obit. Cæsar in Boiaria copias cogit, Tigurinus Egbertum Herueldensem inuitis Magistrum imponit, Herandum virum eruditum, quem antea præsulem ingratis monachis præfecerat, secum abducit: vt auaritiam lethalemq; ambitum, ac reipublicæ Christianæ perniciosissimas pestes ab orbe Romano abigat, in Italiam cũ exercitu maiore, quàm priores principes proficiscitur. Veronæ substitit aliquot dies, vltimo Octobri, vj. Cal. Nouemb. Ticinum ad conuentus agendos contendit. Peracto concilio hinc castra Romam versus mouet. Decembri. Sutrium peruenit, vbi consilio habito Benedictum, Syluestrum, Gregorium exaugurat, Suidegerũ Bambergensium secundum episcopum, genere Saxonem, bonis artibus & scientia sacrarum literarum præditum, Pont. Max. legit: Clementem secundum appellat, Gregorium sextum in Germaniam relegat. Posthæc Cæsar, principes, & episcopi simul Romam pergunt. Dum talia in Italia fiunt, flagrans in Vngaria armorum flamma exarsit, multos mortales extinxit. Vgri bellis & incursationibus in alias regiones impetum facere assueti, atq; inde ditari, quòd eis per pietatem Christianam, & sub regibus Christianis non licebat, à Petro rege, simul & Christo deficiunt, cum Cæsarem longius, quàm vt auxilium ferre posset, abesse accepissent. In extremis igitur Vngariæ finibus coeunt, Andream quendam hac lege atq; omine, vt nouum Crucifixi cultum explodat, veterem & auitam religionẽ restituat,

Andreas rex Vngariæ eligitur anno 1047. vt scribit Ant. Bonfinius. D. Gerhardus. Zaunico bonus Christianus. Petrus rex oculis priuatur.

regem salutant. Andreas auidus Imperij, qui aliter regno potiri nõ quibat, tunc quidem annuit. Fit Senatusconsultum, Christus exibilatur. Dij gentis veteres recipiuntur. Proceres, populusq; Vngaricus huiusce coniurationis conscij, procul procul, ingeminant, à viris fortibus, garruli, imbelles, ignaui, meticulosi, effœminati sacrificuli, cum semiuiro grege, cum decimis & mendicis in malam crucem abeant, ad Teutonasque suos redeant. Templa deinde incenduntur, sacerdotes, monachi, episcopi, præter tres, inter quos Diuus Gerardus, aduenæ, hospites, externi indigenæ, qui fidem regni seruare, Christum abiurare recusabant, crudelissimè passim trucidantur. Vnus quoq; principum, Zaunico nomine perire maluit, quàm fidem violare. Petrus qui hisce diebus in confinio Boiariæ atq; Vngariæ cum Noricis venabatur, de improuiso circumuẽtus, fortiter triduo dimicans, omnibus suis amissis, tandem intercipitur: ad Albam regiam traductus, oculos, genitalia ferro amisit: ex vulnereq; & plaga obijt. Andreas tum à tribu, episcopis, quos huic cladi superfuisse commemorauimus, rex renunciatur: potitusq; nemine refragante Vngaria, edicto Christianismum instaurat colere plures deos capitale fore sancit. Deinde legatos ad Cæsarem in Italiam proficisci iubet, qui ipsum muneribus, purpuratos donis placarent, docerentq; Petrum domestica seditione interemptum: percussores omnes pœnas dedisse, se à popularibus regem salutatum. Quòd si Cæsar author fieret, se tributum quotannis pensitaturum, redditurumq; omnis conspirationis authores, pollicetur. Se nihil impensius

cupere,

cupere, quàm cum amicitia, & gratia Cæsaris regnare. Cæsar licet ægerrimè ferret necem Petri, vindictæq; auidus esse, tamen pro tempore dissimulata ira, quòd tũ alijs occupatus foret, legatos secum Romam, visum ædem D. Petri ire imperat, ibi responsa editurum: & quod bonum æquumq; sit, facturum asserit. Cùm ergo Romam peruenisset, anno ab orbe ab inferis vindicato millesimo quadragesimo septimo, octauo Calendas Ianuarij, cũ vxore Hagna à Clemẽte secundo Pont. Max. consecratur, Imperator Cæsar Augustus appellatur: riteq; rebus diuinis perpetratis, Pont. Max. Augustus, Augusta, Imperatorio cultu, flaminibus, episcopis, sacrificulis, senatu, populoq; Romano, equestri ordine, militibus deducentibus, & concomitantibus ad Lateranense prætorium procedunt.

Imp. Romã venit anno 1047.

Nemo nõ donatus abiuit, nemo à sermone principis tristis discelsit. Imperator, sacerdotes, flamines, senatum, populumq; Romanũ, nullum posthac Pontificem Max. capturos, nisi quem Cǽlares, more maiorum legerint, iurare adigit. Posteaquam aliquot dies festa pace Romæ cõmoratus est, partem exercitus cum Augusta domũ remittit, quæ filiam Rauennæ peperit. Ipse cum reliquis copijs vlteriorem Italiam, Campaniam, Calabriam, Apuliam, finitimasq; regiones perlustrat: castella malè obsequium præstantia expugnat, ad deditionẽ cogit, ius dicit, responsa reddit. Nordmannis qui ijs locis diuersabãtur, dat duces. Beneuentanos quòd socrum suam à Gargano monte redeuntẽ, aliter quàm Augustæ matrem tractarant, nempe ciues tumultum concitarant, malè mulctat. Rebus itaq; Italicis compositis atq; firmatis, in Germaniã rursus reuerti statuit. Mantuæ Paschalibus, rebus diuinis operã dedit morbo ibi grauissimo laborauit. Posteaquam conualuit, Augustam vltimo Iunio venit, Ebboni vrbis episcopo vita defuncto, Hainricum substituit.

Ebbo, qui ab alijs Ippo, & episcopus Aug.

Cumq; expeditionem Vngaricã meditatur, Godefridus dux Lotharingiorum, Balduinum Flandrum, Theodericũ Flerdingij limitis præfectum, in suas partes trahit, ipsis adiutoribus rursus rebellionem facit. Imperatori dicto audiens non est, conterminas sibi episcoporum prouincias depopulatur, Neomagi Palatinas ædes incendit, vrbem Chaborum Virdunum dolo capit, diripit, exurit. Eadem tempestate Andreas Vgrorum rector crebrò legatos supplex mittit: primò de nece Petri se purgat, deinde se inuitum coactumq; ab Vgris regnum suscepisse: eos qui aduersus Petrum coniurarint, partim à se trucidatos, partim in custodia, quos redditurus sit Imperatori, seruari docet. Postremò annuum tributum pollicetur, se in clientelã Cæsari dicat, si eius beneficio, authoritate & pace rerum Vngaricarum potiatur. Cæsar Vgris respondet, curæ hanc rem sibi fore, hasq; ob causas dilata expeditione Pannonica, classe & exercitu ingenti cõparato, tradito Mosellanorũ ducatu Alberto, pedestribus atq; naualibus copijs aduersus Godefridum, sociosq; eius ad inferiorem contendit Germaniam. Primò Theodericum aggreditur, in Frisiam per Rhenũ nauigat, Rinesburgium, & Fleerdingen vrbẽ capit. Verùm perpetuis paludib. & syluis prohibitus, nulla re memorabili gesta, imò mediocri clade accepta reuertitur. Nam aduersarij prædatorijs scaphis, latrocinãtium, piratarumq; more Cæsarianos insequentes, extremos primis cedentibus affligebant. In hac expeditione Hainricus sextus legatus Boiorum obit, dum vxorem ducere, nuptias facere parat. Sub idem tempus ex vita migrarunt Otto dux Sueuorum, Poppo archimysta Treuerensis, Clemens secundus Pont. Max. VII. Idus Octobr.

Clemens 2. P. M. obijt: Popponem Prisinisijem episcopum, qui habet Hermanus Contractus P. Max. Damasus 2.

Imperator nataleis Christi in Saxonia Polethæ concelebrat, nuncijs Romanis, qui eò venere postulantibus Popponem Saboniæ Noricorum episcopum, virum sapientem, ac studiosum Pont. Max. declarat ex consilij decreto, Damasum secundum nuncupat: ab episcopis quibusdam Romam eundem deduci iubet: Haruico cancellario suo Pontificatum Bambergensem tradit, Eckberto Fuldense cœnobium. Post Wirtzburgiũ, inde Sueuiã, deinde Boiariam petit. Quadragesima, & Paschalibus Reginoburgij commoratur. Ottoni de Schuueinfurt præfecto, Sueuiæ ducatum in fidem, Vratislao Boiemorũ regulo, plerisq; alijs principibus presentibus commendat. Dein Sueuiæ fines percurrit, triumphum Christi apud Turicos refert, veneratur. Quinquagenalibus Soloduri conuentum Burgundiæ agit. Post hæc per Franciam antiquam in Saxoniam pergit. In autumno redit, & in Mediomatricum agro cum Hainrico occidentalis Franciæ rege conuenit, more maiorum amicitiam gentiliciam renouat, iurisiurandi religione sancit. Inter hæc Godefridus Albertum ducem Mosellanum se insequentem, & deinde dimissis copijs, cum paucis agentem, nil hostile suspicantem, dolo subitò circumuenit, fortiter dimicãtem occidit. Ducatum eius Augustus Eberhardo Alsatio tradit, alterum Friderico. Inde ad hybernacula in Boiariam concedit, natalibus Fruxini Gotsboldum magistrum Epistolarum Aquileiensem nuncupat Patriarcham. Brunonem episcopum Tullensem diuini, humaniq; iuris consultissimum, veteri & tetrica Christianorum disciplina animum temperatum virtutibus habentem, vtriusq; linguæ peritum, in Alsatia claris natalibus oppido Daboburgio, patre Hugone Hagenauẽsi, matre Helica, qui Oppenhaim condidere, ortum, Pontificem Maximum designat. Isq; continuò deducentibus iussu Imperatoris Hugone episcopo, nuncio Romano, Eberhardo archiepiscopo Treuerum, Adalberone Mediomatricum, Theoderico Virdunensi pontifice Romam migrat, vbi vniuersis fauentibus, maximo honore excipitur, Leoque nonus pridie

Bruno Tullensium episcopus, qui & ab alijs Bano dicitur.

Oppenhaim condita.

Leo 9. Pont. Max.

Nonas Februarij auspicatiore nomine adpellatur: moxque Ecclesiasticum agit conuentum, legem ambitus, quam Symoniam vocant, denuò redintegrat. Godefridum, Balduinum, Theodericum, hostes Reipublicæ iudicatos, & proscriptos, quòd Augusto fidem non seruarent, deuouet. Imperator Reginoburgium Calendis Februarij petit, ducatum Boiorum Chunoni siue Conrado in fidem atque tutelam committit. Interea Theodericus superior à Cæsarianis interimitur. Cæsar aduersus socios eius Godefridum & Balduinum arma mouet, ad Aquas Graneas castra facit. Huc Leo Pont. Max. peracto Rhemis Galliarum occidentalium conuentu Ecclesiastico, venit. Godefridus territus concordia principum, seueritateque, Aquas Graneas cum supplicijs petit, peccatum fatetur: veniam orat, & precatore Pontifice Max. vitam impetrat: cæterùm Treueros in exilium relegatur, arcta custodia ab vrbis archimysta asseruari iubetur. Posthæc Augustus Balduinum Flandrum petit, in ditionemque vi cogit. Pacata itaque Germania inferiore, Mogontiacum cum primario sacerdote ad conuentus Iuridicos, & Pontificios agendos, se confert. Hisce peractis, Leo per Boiariam hyeme Romam migrat, regiones Italiæ vltra Romam sub iugum Augusti fulmine suo mittit: Cæsar Polethæ in Saxonia hybernat. Traiecti Paschalibus studijs diuinis operatur. Perdomitis vndique hostibus atque inimicis Reipub. Vngaricam meditans expeditionem. Norinbergæ oppido gentilicio, concilium vniuersæ Boiariæ cogit. Episcopi Hartuicus Bambergensis, Gebhardus Aichstatensis, Conradus Augustanus, Gebhardus Reginoburgensis, Adouinus Sabonensis, Nitgerus Fruxinensis aduolant. Item Conradus summus Boiorum regulus, duces & tetrarchæ Boiariæ, Welpho Charionum, Lycatiorum, & Athesinorum præses: Albertus Austriaci limitis præfectus, Otto Schirorum dynasta, præfectus prætorio Boiariæ, Fridericus Damasiæ princeps, & plerique alij Boiorum proceres præsto sunt: totius Boiariæ nationes apparent. Narisci, Chamabi, Boëthi, Alemanni, Sudini, Ilisij, Bachuni, accolæ Hercyniæ syluæ, Boiemisque continui: capita aliarum nominasse sufficiat, Vindelicos, Noricos, Austriacos, Stirios, Charionas, Iuuauenses, Burghusios, Tyrollios. Cum hisce omnibus de bello Vgris indicundo Imperator consultat. Decernunt rei militaris periti, vt Boij vrbem Hunnoburgium superioribus annis ab Augusto dirutam, in confinio Vngariæ atque Boiariæ, communiter instaurent, ædes, mœnia reficiant, fossa, vallo muniant, Coloniam Boiorum eò deducant: ibique dum hæc fiunt, & operi Boiorum plebes instat, cæteri castra faciant. Armatorum excubias (qui illos intentos vrbi cōdendæ interim defendāt) collocent. Gebhardus igitur patruus Augusti pontifex Reginoburgensium Campodunensi Rhethorum monasterio, à nepote donatus, cum copijs pontificum, mystarum, & præsulum atq; monachorum Boiariæ Vngariam petit, locum superiorem occupat: Vgros id prohibere conantes in fugam vertit, maxima clade afficit: fines eorum ingreditur, inde prædas agit. Veniunt in tempore Conradus primarius Boiorum princeps, & Albertus Austriacus cum Boiariæ dynastis, castra metantur, ea carrucis (vt mos est Germanorū) in orbem cingunt. Cæteri ædes, templa reficiunt, pars mœnia extruit, pars fossam ducit, reliqui aggerem iaciunt, ij palos figunt, alij vallum struunt. Vgri permolestè ferunt, vrbem nouam, velut claustrum ac obicem suis ceruicibus imponi. Copijs igitur omnibus vndiq; coactis prouolant, aliquot in subsidijs consident, alij castra vndique, noctu, decimo Calendas Octobris adoriuntur, imbrem sagittarum veneno illitarum effundunt, vni tabernaculo ducentas amplius sagittas adhæsisse literis proditur. Nemo tamen nostratium, quod mirari subit, vulneratus est. Nam dimenso opere fortiter resistebant, castraque defendebant. Duces & proceres alacres militem cohortabantur, & optimorum Imperatorum, & fortissimorum militum officia simul exequebantur: omnia prouidebant, pugnabant, hostem feriebant, contis, hastis, securibus Amazonijs, telis missilibus submouebant: summa vi septem dies castra oppugnata, summa ope defensa sunt. Tandem Boij conglobati, impetu quammaximo possunt in Vgros oppugnationi intentos, dispersosque erumpunt, cædunt, sternunt, mactant, in fugam conijciunt: fugientes ad exercitum in insidijs latitantem persequuntur. Et ij diuinitus territi terga dant. Boij potiti victoria grates Deo Opt. Max. supplicatione decreta agunt, ad castra incolumes reuertuntur, opus cœptum perficiunt, portas claudunt, colonos deducunt, ædes, agros diuidunt, validissimo ciuitati præsidio imposito, domos quisq; suam abeunt. Quod vbi Vgri accepere, vndiq; ex omni Vngaria, Pannonijs & Dacia, viribus coactis, vrbem obsidione die Solis cingunt: quatuor deinceps continenter dies vallum oppugnant, flāmas, feruefacta iacula, ignitas tragulas, candentes glandes, faculas ardentes, tædas, fomenta sulphure ac bitumine illita in casas (quæ scandulis more Boiorum, pars adhuc stramentis tectæ erant) in vallumque passim iactare, admouere, palis, sudibus cœperunt. Illa celeriter ignē concipiunt, Vgri tum maximo clamore, quasi parta iam, & explorata victoria, nostris extinguēdo igni deditis, pars vallum destruere, aggerem excindere, fossam adæquare, pars portas effringere, scalas mœnibus admouere: alij irrumpere parant: quidam circuire, missilibus incessere incipiunt. Tum repentè ventus coortus, conatus hostium frustratur, ab omni cœli cardine ignem extin-

Chuno, qui & Conradus.

Leo Pont. Max.

Godefridus in exilium mittitur.

Balduinus vincitur.

Bulochy habens alij.

Conradus dux Boiorū.

Haunēberg & Hemenburg ab alijs

Gebhardus episcopus Ratispon. Kempten.

Conradus Boiorum primarius princeps.

Vgri contra Boios.

Vgri vallū oppugnant.

extinguit. Turturque obsessos circumuolitat, quòd tanquam bonum faustumque omen, atque præsidium oppidani accipiunt: inuicem se cohortantur, quò cœleste signum vocet, in hostem pergere statuunt. Impetu ac agmine facto erumpunt, hostes imparatos, more triumphantium magis quàm dimicantium sese agitantes, aggrediuntur, cædunt, in fugam vertunt: multos more pecudum mactant. Tantaque cæde Boij in Vgros debacchati sunt, vt sex naues, hostilibus cadaueribus oppletas fuisse in acta relatum sit. Vgri cœlitus territi, posthac Boios incessere supersederunt. Dum hæc in confinio Boiariæ atque Vngariæ geruntur, Imperator in Saxonia Goslariæ copias cogebat. Rumor erat Cathomarum Polonorum regulum Silesiam, ab Augusto Boiemio præsidi datam, armis affectare. Cathomarus vbi isthæc accepit, ad Imperatorem venit, rumorem de se temerè natum coarguit. Cæsar excusatum eum habuit, domumque redire iussit. Per idem tempus Balduinus iunior Flandrensis Lotharingiam vastat, Honumque capit. Augusta filium peperit autumno. Imperator in Saxonia eodem in loco hyemat, natalesque Christi seruatoris nostri concelebrat. Augustam Rhetiæ ad conuentus agendos, quibus & Leo vrbis Romæ episcopus interfuit, Calendis Februarijs in Quadragesima Nemetum Augustam, Paschalibus verò ad Coloniam Agrippinensem proficiscitur, filium sacro fonte lustrat, Hainricum nuncupat: successorem & hæredem Imperij declarat: in eius verba, plerosque qui aderant, principes, episcopos iurare iubet. Conuentu peracto, Boiariam petit, coactoque exercitu Vngariam inuadere, Imperioque subigere tentat. Diem, quo Deipara virgo relictis terris ad cœlos migrauit, festum Bathauiæ agit. Ibi Godefrido ab exilio reuocato, prædia quædam stipendiaria archimystam Agrippinensem reddere præcipit, & illum Balduino Flandro opponit. Cæterùm Gebhardum patruum suum episcopum Reginoburgensem, Vratislaum Boiemiæ, Welphonem Charionum rectorem, cum Boijs atque Boiemis, Daciam, Aquilonares Vgrorum regiones vastare iubet. Vbi illi fines hostium attigere, agrosque vrunt, ædificia, vicos incendunt, eiusmodi tempestates sunt consecutæ, vt expeditio necessariò intermitteretur, & continuatione imbrium, torrentium, fluminumq; diluuiæ, plerisque equorum & mortalium absumptis, sub papilionibus milites contineri nô possent: itaque cunctis præda, igne, ferro attritis, domum reuertuntur. Porrò Imperator cum valida Francorum, Gallorum, Polonorum, Longobardorum, Venedorum, Sueuorum, Saxonum manu, Pannoniam Australem Vngariæ partem, terrestri itinere, absque carrucis, annona equis clitellarijs aduecta, inuadit: sed paludibus fluminumque eluuie iter sibi interclusum offendit: longisque anfractibus alluuiones amnium, qui iugi pluuia aucti excreuerant, alueosque egrediebantur, circuit, per Charionum fines Vngariam intrat. Hostes in continentes syluas ac paludes se suaque omnia contulerant, pugnandi aperto marte potestatem nequaquam Cæsari faciunt, pabulum, aquarum fontes corruperant. Interdum se à tergo, à fronte, modò à læua, dextra ostendunt: postremos in agmine tentant, ac statim regrediuntur, rursus alijs, pòst alijs minitantur, neque prælium faciunt, neq; ocium patiuntur, tam Cæsarianos fatigant. Romanus Imperator vbi se dolis fatigari videt, neque ab hoste potestatem confligendi fieri, quo ad commeatus, stipendiaque militibus suppetunt, vniuersa quocunque pergit frumentis succisis, ædificijs incensis depopulatur, solis templis manus abstinet, alia cuncta in vastam solitudinem redigit. Vbi annona exercitui deficere, miles fame vrgeri cœpit, reditum parat. Vgri Cæsarianis fame oppressis, per ripas fluminum, per vadosas paludes copias opponunt, reditum intercludere, famelicos aut ad deditionem cogere, aut vi opprimere tentant. Cæsariani interriti, paludes flumina contis explorant: inuicè adiuuando quouis modo queunt, nando, equis, vado, absq; cunctatione superant. Vbi ad Rabinisæ fluminis pontem (qui castello firmissimoque præsidio communitus erat) peruentum est, hostes traiectu amnis nostros arcent. Quidam Burgundionum, Saxonum, & Polonorum flumen non sine periculo tranant, munimentumque firmissimum in altera ripa ponti appositum primò vi expugnant, cæsis Vgris, in fugamque coniectis exercitui viam ferro aperiunt. Imperator ex Pannonia reuersus, dimisso exercitu in hyberna in Saxoniam concedit: vltimo Decembris festos dies, rem diuinam, vt Christianû decet principem, Goslariæ ritè perpetrat. Quosdam religiosulos, carnis vsum execrantes, ne latius malum serperet, in crucem agi præcipit. Hainricum archimystam Rauennæ esse iubet. Nitgerum episcopum Fruxinensem ob necem fratrum ignominiosam, nimis proteruum Rauennam relegat, vbi subitò interijt: Deinde Paschalibus Nemetum Augustam petit. Hisce diebus Bonifacius Italiæ potentissimus princeps sagittis à duobus militib. perimitur, Mantuæque sepelitur. Augustus Burgundionum consensû supplicationibus Soloduri, Quinquagenalibus apud Turicos agit. Inde rursus Vngariam inuadit, Pisonium, quod Teutones vulgo, diminutè Presburgium, integre Vratislaburgium nuncupant, naualibus terrestribus copijs frustra obsidet: sæpius frustra oppidanis se fortiter defendentibus oppugnat, machinas omnis generis struit, nihil intactum, nihil intentatum, quo vrbe potiatur, reliquit. Auxilium obsessis præcipuum erant, qui procul hostium conspectu aquam subibant, occultoque

Turtur obsessos circumuolitat.

Catzmair.

Balduinus iunior Lotharingiam vastat.

Honum oppidum est Lotharingiæ, Sigebertus author.

Godefridus ab exilio reuocatus.

Nitgerus episc. opus Frising. obijt.

Bonifacius Italiæ princeps occiditur.

Turici, Turicenses vel Tigurini.

Presburg.

lapsu ad naues usq; penetrabant, easq; terebrabant. Hæ ita perforatæ aquas recipiebant, [illegible] submergebantur. Tandem Leo pontifex eò pergit, vltrò citroq; missis legatis, Andreas pacem postulat, Cæsar annuit: vterq; primarium Christi sacerdotem arbitrum capit. Eodem quoq; tempore, contagio armorum, quasi pestilentia, Boiariam inuasit, perniciosæ discordiæ ignis exarsit, qui Gebhardum patruum Augusti episcopum Reginoburgensem, & Conradum primarium Boiariæ legatum inuoluit, commisit. Conradus eiusq; amici maximè auaritiæ simul & iniustitiæ dediti, venalia omnia habebant: contra diuinas humanasq; leges ab his, quos iure suo gratis tutari, quibusq; gratis iustitiam administrare debuerant, munera captabant, viduas, pupillos, ciues, agricolas, pauperes, inopes, aulici mures compilabant. Conradus illorum querelas nec audiebat, nec negocia cognoscebat: cuncta ad prætores relegabat. Qui largiebantur, principem possidebant, cæteris aditus præcludebatur: ne aspicere quidem nisi procul licebat. Episcopus Conradum modestè officij sui admonet. Docet principis munus esse magis dandis, quàm accipiendis beneficijs amicitias quærere, Imperiumq; administrare. Patriam, parentes armis tegere: vitæ pericula propellere, sapientia Reipublicæ consulere, augere, conseruare iustitiam, libertatem ciuium. Inopes ab iniuria potentum vindicare, pauperibus auxilium portare, hos à seruitute diuitum in libertatem asserere. Hæc boni præsidis esse virtutes Gebhardus commemorat: aliter superbam dominationem esse asseuerat. At Conradus & amici sui ægerrimè, facta moresque suos ab episcopo notari ferunt. Parckstain vrbem episcopi (vicus adhuc, & arx est Nariscorum, proxime Videnas vrbem Boiariæ antiquæ) dolo capiunt, diripiunt, incendunt: quod tum facere absque iussu Imperatoris capitale crimen erat. Quamobrem Augustus & pontifex Romanus ex Vngaria Reginoburgium mense Octobri veniunt, episcopum atque ducem Boiorum ab armis discedere iubent, illisque diem vbi iure disceptent potius quam armis dicunt. Maximus deinde Pontifex præsentibus Imperatore, oratoribus Hainrici regis Franciæ occidentalis, litem quæ de sacris diui Dionysij inter Parisios & Boios, nempe per annos centum atque sexaginta fuerat, velut arbiter honorarius dirimit, diuum Dionysium è Parisiorum suburbano oppido, furto sublatum, Reginoburgij in Boiaria, in templo diui Haimerani conditum seruari, pronunciat. Interfuere Baldingus archimysta Iuuauensis, Gotboldus patriarcha Aquileiensis, Dominicus Venetus, Humpertus diuæ Ruffinæ, Otgarius Perusinus, Seuerus Pragensis, Gebhardus Aichstatensis, qui Leoni in Pontificatu Max. successit, Gebhardus Reginoburgensium episcopus, patruus Augusti. Postea Leo diuum Erhardum, diuum Wolfgangum eiusdem vrbis Pontifices, superûm albo asscribit. Quibus etiam diebus Augusta filium genuit, cui Conrado aui paterni, cognomen parentis dixerunt. Posthæc Imperator & primarius sacerdos in Vangionum vrbem hyematum concedunt: in Paschalia Meisburgij concelebrant, conuentus agunt. Quò & Gebhardus, & Conradus Boij in ius vocati, se conferunt. Ibi frequenti senatu pontificum, principum, Conradus multa auarè superbeq; se fecisse conuictus fuit. Ducatu Boiariæ etiam ob superiora facinora mouetur, priuatamque vitam degere iubetur. Sed domum reuersus, res nouas molitur. Quoscunque potest, pollicitis & auro sibi conciliat: complures breui conscios, plerosque etiam procerum, quibus pecunia, luxus, voluptas, bella, aliaque omnia chariora, quàm pax atque fides erant, in societatem atque amicitiam adscisscit: vniuersos sacramenta sibi, vt fideliores forent, dicere persuadet: interim quietem ociumque simulat tempus opportunum suis consilijs præstolatur, quod tandem fortuna administrauit hoc pacto. Romanus Imperator celebre totius Imperij concilium Tribuariæ cogit. Hainricus filius eius frequenti procerum senatu Cæsar salutatur. Huc Andreas Vngariæ rex legatos mittit. Leo summus orbis Romani sacerdos, adnitente Gebhardo Reginoburgensi episcopo patruo Augusti, has pacis conditiones dixit: in quibus comprehensum, vt Andreas, quemadmodum sæpius vltrò pollicitus erat, auri summam, partem Vngariæ, Cæsari redderet: & suo periculo atque impendio auxiliaribus copijs Imperatorem belli adiuuaret. Atque has conditiones, hæc promissa iam verbis inita, se seruaturos, Vgri sacramento fidem fecerunt: quam primumque sedulò absque omni dolo malo se re comprobaturos. Ita legati absoluti, atque dimissi sunt. Dum autem hæc in Germania geruntur, Nordmanni, qui à D. Hainrico in Calabria & Apulia collocati fuerant, vbertate soli, discordia Italorum, simul & ignauia illecti, ex Constantia & Nordmannia Galliæ, complures receptos ad se socios adsciscunt: subinde copias suas ex genitali solo accitis gentilibus succenturiant. Vbi satis virium comparasse sibi visi sunt, finitimos inuadunt, imperium harum regionum affectant, nec occidentali, nec orientali Imperatori fidi, vtriusque se clientes titulotenus ferentur. Et vt Leo nonus Pont. Max. ad Constantinum Monomachum Imperatorem Constantinopolitanum refert, crudelius Ethnicis, quo terrorem sui Italis longè lateque incutiant, sæuiunt, veteres Colonos sedibus pellunt, Christianos passim trucidant, hactenus inauditis cruciatibus enecant: non ætati, non sexui parcunt: templa non solum spoliant, diripiunt, sed etiam incendunt, soloque æquant, vrbes capiunt, virgines

[Margin notes:]
[illegible] ardus episcopus Regin.
Conradus dux Boiariæ.
Vide suprà libro 4. Baldingus qui alias Balduinus.
D. Erhardus & Vuolfgangus canonisantur.
Conradus dux Boiorũ ducatu mouetur.
Constantinus Monomachus Imperator orientalis.

gines viciant, alienas coniuges stuprant, diuina humanaque permiscent. Tertius ergo Nonum in Italiam ad tutandos fines Romani Imperij dimittit. Isq; peritissimum quemque rei bellicæ ex Germania, Gotfridum quoque ducem, cum fratre Friderico secum abducit. Vbi Romam venit, legatos ad Nordmannos ire iubet: eos per Christum deum nostrum obtestatur, orat, obsecrat, vt ab huiuscemodi crudelitate, immani tyrannide resipiscant: si non homines, at Deum Opt. Max. vltorem scelerum metuant, vi rapta partaque restituant, ab regionibus quas iniustè, contra omne fas iusque occuparint, discedant. Vindictam diuinam, iram cœlestem non parentibus inculcat, interminatur, fulmine suo territat. Sed hæc frustrà Nordmannis, qui omne ius in viribus atque armis ponebant, cantitabat: imò magis hoc ipsorum sæuitia incendebatur. Hanc ob causam primarius sacerdos, suasu Argyrei ducis Imperatoris Græcorum miseratus Apuliam, statuit vim vi repellere, & vulnus immedicabile ferro ad viuum resecare. Romæ igitur consilio habito, Nordmannos contra pietatem Christi factitare videri pronunciat, cum ingenti deinde Italorum Teutonumq; vi in Campaniam castra mouet. Nordmanni obuiam procedunt armati, nihilo secius tamen legatos supplices mittunt, pacem petunt, imperata se facturos pollicentur. Dumque de conditionibus pacis refertur, repentino impetu de improuiso extremum agmen inuadunt. Primò à Germanis fortiter repulsi sunt, sed cum multitudine abundarent, & defatigatis subinde integri succederent, Itali fugam capessunt, quartodecimo Calendas Iulij. Vniuersi Teutones circumuenti, ad internecionem deleti [sunt] à Nordmannis, non tamen inulti, adeò vt hostis tam cruentam, tam luctuosam victoriam adeptus sit, vt plus tristiciam, quam gaudium, quòd vicerit, agitarit. Sicuti idem Leo in eadem epistola narrat: qui amissis suis Beneuentum peruenit. Hostes mutato animo, Pontifici obsequium obedienter præstant: quæ fore vtilia credunt, subministrant, reducque Romam permittunt. Vbi ipse morbo, quem ægritudine animi contraxit, decedit [s]extodecimo Calēdas Maij, dignitatis anno quinto super menses duos, dies nouem. Ego [ista] hæc ex eius epistola, quam ad Græcorum regem dedit, transcripsi: extat in Bibliothecis nostris. Inter hæc in Boiariæ regno Conradus dignitate motus, ansam vesaniæ suæ nactus, ad superiorem conuentum venire detrectauit. Interim quibus rebus potuit, opes factionis suæ confirmauit. Vbi, quæ bello necessaria fore existimarat, parauit, cum valida manu per fines Charionum ad Vgros transfugit: complures conscios coniurationis in Boiaria reliquit, quibus mandauit, vt bono animo sint, ac ita cuncta comparent, vt sibi propediem cum magno exercitu accedenti auxilio esse possint. Plebes quoque rerum nouarum auida incœpta Conradi studio, more suo, probabat. Andreas benignè Conradum excepit, eius suasu ab incœptis tractus, omnia quæ inter se & Imperatorem arbitro Pont. Max. conuenerant, exequi detrectauit. Auxiliares copias Conrado dedit. Is Charinorum fines, pleraque loca vastat, Hengstburgium vrbem capit, occupat, firmoque prælidio munit. Inde in Vngariam reuertitur. Imperator hybernatum in Boiariam proficiscitur, Conradum hostem iudicat, cæteræ multitudini diem statuit: ante quem sine fraude liceret resipiscere, & ab armis discedere, ac hostem Reipub. deserere. Omnes quos Conradus in Boiaria reliquerat, & sibi fore auxilio sperarat, resipuere, ad sanitatemque execrantes factum Conradi redierunt. Bona Conradi publicata, confiscataque sunt. Posthæc Augustus Vtini in ripa Oeni Noricorum oppido nataleis Christi feriatur, regnum Boiariæ filio suo Hainrico: templum Bambergense Adalberoni consobrino suo (cuius pater Adalbero dux Charionum apud Geysenfeld sepultus est) tradit. Hisce confectis, Reginoburgium ad conuentus agendos proficiscitur, per Sueuiam inde percurrit: ieiunium abstinentia quadraginta dierum Christianis solenne, apud Turicos obseruat, Mogontiaci Paschalibus sacrificat: vbi Theoboldus filius Ottonis Campaniæ Belgicæ præses, in clientelam se Cæsari dicat. Sequenti anno, qui Hengstburgij à Conrado relicti fuerant, crebra oppugnatione à Boijs Charionibus propè afflicti, vrbem ipsi diripiunt, clam in Vngariam aufugiunt. Sub idem tempus Cæsar Paschalia in Saxonia Mersburgij, Quinquagenalia Quintlenburgij celebrat, vbi Boiemum ac Polonicum ducem, veteres inuicem inimicos in gratiam redigit, reconciliatosque domum dimittit. Posthæc ad Aquas Graneas se confert, Hainricum filium suum regem Boiorum, Cæsaremque declaratum quintum agentem annum, diademate ornat. Arma postea aduersus Balduinum Flandrum mouet: omnia ferro, igne proterit. Ascaldem flumen transit, Lambertum copiarum Balduini ducem prælio superat, atque cum multis occidit. Balduinus vix fuga euasit. Cæsar fugientes persequitur, plerosque Flandrorum proceres Tornaci (vrbs est Galliæ Belgicæ secundæ) obsidet, & vrbe expugnata capit. Interea Vgri Charionum rursus regionem hostili animo incursant, abacta ingenti pecorum, hominum, iumentorum vi, læti in Vngariam reuertuntur. Sæpius vltrò citroque duce Conrado perfuga onusti præda commeant, Boiariam orientalem crebris incursibus atterunt, plerosque vicos diripiunt: complures mortales captiuos cum pecoribus, equis, bobus abigunt. Donec Boij contractis vndique copijs conuolant, ac iter Vgris cum præda domum properantibus intercludunt.

Hainricus Imp. Leonē 9. S. P. in Italiam dimittit.

Nordmāni pacem petunt.

Nordmāni victores cōtra Germanos & Italos.

Conradus dignitate motus.

Vgri Charionum regionem inuadunt.

Fit prælium atrox, ancipiti fortuna diu pugnatum: vtrinque multi cæsi, vtrinque complures fauciati sunt: victoria tandem Vgris, cruenta tamen atque luctuosa cessit. Quam ob causam, præda quidem potiti, amissis multis, domum abeunt: nec de cætero in Boiariam hostili animo transitū fecerunt: aut denique prædas vltrà de Boijs agere in animum induxere. Gotfridus ocij impatientissimus denuo noua molitur. In Italiam migrat, Beatricem matrem Machtyldæ, coniugem quondam Bonifacij, vxorem dicit. Sed dum rebellionem parat, ab Italis iussu Imperatoris exigitur. Reuersus in Germaniam ad Balduinum Flandrensem se contulit, qui coniunctis copijs Fridericum ducem Lotharingiæ inferioris Antuerpiæ obsident. Lotharingij aduolant, Flandros repellunt, obsidionem soluere vi cogunt. Dum hæc fiunt, Imperator in Saxonia Goslariæ hyemat, primo vere Reginoburgium in Boiariam ad conuentum solennem agendum migrat. Ibi Gebhardum in Boiaria castello Hirsperg ortum, episcopum Aichstatensem Pont. Max. legit, Victorem secundum nuncupat, & continuò in Italiam præmittit. Spitognæo quoque Boiemiæ ducatum in fidem tutelamque commendat. Nam hisce diebus pater illius Vratislaus obierat: reliquerat complures filios, quorum maximus natu Spitognæus erat. Cæsar his compositis rebus in superiorem contendit Boiariam, tertio Idus Martij Ebersspergium diuertit. Inde Italiæ Cisalpinæ, & Ethruriæ fines intrat, Mantuæ Paschalia celebrat: Eckhardum Brixiæ designat episcopum. Percussores Bonifacij opprimit: Beatricem neptem suam, quòd se inconsulto ad secundas transierit nuptias, hosti Italiam prodiderit, diligenti custodia asseruari iubet. Richerus præsul Casinensis, Leonensem quoque tum monachorum ædem procurabat, hanc Imperatori reddit, qui eam precatore Richero, Wentzeslao Altaichij inferioris consecraneo, admodum erudito ac sapienti Florentiæ tradidit. Post hæc lustrata Ethruria, pacata Italia cum Pont. Max. in Germaniam iter capessit, Veronensibus mortuo Walthero, Dietboldum dat episcopum. Dum itaque per annum in Italia moratur, fortuna sæuire cœpit: atrocissimumque scelus in Boiaria occultè succreuit. Amicissimi, sanguine proximi, nempe Gebhardus patruus, episcopus Reginoburgensis, quòd templum D. Haimerani in libertatem excusso iugo Pōtificio vindicatum, sibi præreptum esset, Welpho Charinorū dux, cæteri Boiariæ proceres, episcopi, puerum quinquennem, regem ignarum omnium, qui monitore ac præceptore egeat, & alium sibi regem quærat, sibi impositum esse permolestè patiebantur. In gratiā ergo cum Conrado perfuga redeunt, eum regem Boiorum clandestino conuentu salutant: aduersus Augustum conspirant, ipsum si in Boiariam rediret, insidijs tollere: Conradum ex Vngaria accersere, Boiariæ regno præficere decernunt. Nisi Deus Opt. Max. prohibuisset, indignum tum facinus, atque flagitiosissimum perpetratum foret. Nam quid ego hominum, qui vera pietate sapientiæ subnixi non sunt, perfidiam atq; malitiam cōmemorem, quæ, nisi ijs qui videre, nemini credibilia sunt. Pleriq; etiam nostro æuo Imperatorem contemnere virtutem nuncupant, quasi latrocinia agitare, quæcunq; libeant licere, nemini parere, iniuria afficere, magis timeri, quàm amari: Cæsaris edicta & rescripta respuere: impunè peiora, quam quæ Turcæ paterentur, committere, id demum esset vera nobilitas, atq; libertate perfrui. Memorare possem, ni ea res longius ab incœpto traheret, quantum discordia intestina & huiuscemodi flagitijs, quæ nemo (ita cæci sumus) animaduertat, maiestas populi Germani vastata, atq; fœdè sugillata sit. Sed dabit Deus his quoq; finem. Cuius Maiestas tum haud dubiè Imperatorem, qui secundum Deum in terris (vt ait Tertullianus) maximus est, seruauit. Nam Conradus repentina peste correptus, cruciatu atroci subitò animam exul & profugus in Vngaria exhalauit. Welpho quoque eodem morbo laborare cœpit. Cumque finem vitæ sibi adesse videret, indicium per nuncium fidum ad Imperatorem in Italiam detulit, suppliciter veniam precatus, omnes conscios nominatim aperuit, coniurationis scenam detexit, Vtingam gentilicium prædium, cætera quæ in Boiaria apud Lycatios & Athesinos & Ambrones & in Sueuia possidebat, Abuziacum, Fauces, Schongauu, Landspergam, Phoetinos, Rauenspurgium, Altorff. Weingarten Cæsari testamento legat, hisque satisfacit: cumque animam ageret, publicè scelus in Augustum cogitatum confitetur, moxque fato concedit. Augustus vbi hæc ei nunciata sunt, ex Italia in Boiariam contendit: neptem Beatricem secum abducit, Hartonem episcopum, Tridentinis mortuo Vlrico designat, Reginoburgium caput Boiariæ petit: conuentus ibi agit. Gebhardum patruum episcopum vrbis, frequenti senatu, parricidij, & læsæ maiestatis accersit. Crimen primò dissimulantem, negantemque, deinde manifestis indicijs conuictum in vincula conijcit, diligenti custodia asseruari iubet. Inde hybernatum in Saxoniam concedit, Paschalia Badobrunnæ agit. Post hæc in Galliam Belgicam proficiscitur: in confinio vtriusque Franciæ cum Hainrico Celtarum occidentalium rege coit, eundem, dum Germaniam maioribus suis præreptam, pacta violata conqueritur, ad singulare certamen prouocat. At is intempesta nocte, insalutato Cæsare fuga sibi consuluit. Augustus deinceps ad Vangionum vrbem digreditur: ibi cum Victore Pont. Max. pleraque quæ Rempublicam Christianam stabilirent, sciuit, atque sanxit:

Gebhardus comes ab Hirsperg eligitur in Pontificem maximum.

Spitogneus dux Boiemiæ.

Richerus præsul Casinensis.

Conradus dux Boiorū exul moritur.

Harto episcopus.

Victor Pōt. Max.

Gebhardo patruo, & Conrado nepoti, quòd contra se conspirarant, ignouit. Circa idem tempus Saxones malè aduersus Venedos, quos Litizos vocant, pugnauere: pars ferro, pars aquis periit. Wilhelmus quoque Dux copiarum, & Theodoricus tribunus cecidere. Albertus Austriacus etiam obiit, Ernestum filium reliquit. Isque annus nimirum æræ nostræ millesimus, quinquagesimus sextus clarus est multorum principum funere. Quo & Imperator Hainricus tertius Cæsar Augustus, Rex Boiorum tertio nonas Octobris, declarato filio Hainrico certo Imperij hærede successore, testamentoque Agneti vxori tutela pueri commissa, claudente oculos eius Victore Pontif. Max. vita excessit. Corpus Augustam Nemetum translatum est, eo die, nempe quinto Kalendas Nouembris, quo natus ille fuit, funeratur. Omnes superiores reges, Imperatores, Cæsares, iusticia atque industria superauit, & longo interuallo post se reliquit. Vixit annos duntaxat quadraginta. Cœlum tantum principem mortalibus inuidit. Sub eo Boiariam, quam ipse vndeuiginti annis absque legato per se regio auspicio administrauit, procurasse hos duos, quos iam referam, reperio. Hainricus sextus Boiorum regulus, nepos ex fratre Chunigundæ Augustæ Boiorum principatu à superiore Hainrico Augusto donatus Basileæ, rerum Boiaricarum annos quinque potitus est, cœlebs fuit, absque liberis obiit, à nato Christo anno millesimo quadragesimo septimo. *Hainricus 6 Dux Boiorũ.* Conradus, qui & Chuno ab eodem Imperatore Boiariæ præfectus, hanc tres annos, menses duos administrauit: multa auarè atque superbè fecisse conuictus, capite deminuitur, tribuque ducum mouetur, anno Salutis altero & quinquagesimo super millesimum. Ipse in Vngariam aufugit, pacis conditiones, quæ inter Andream Vgrorum regem, & Imperatorem, arbitrio Pont. Max. dictæ fuerant, interturbauit, regnum Boiariæ affectauit, tertio exilij anno cœlitus percussus, subitò periit. Nec quicquam amplius de his duobus regulis Boiorum ego quidem reperio. Imperator Hainricus quartus P. F. Cæs. Augustus Rex Boiorum, natus est tertio Idus Nouembris anno ab orbe seruato millesimo super quinquagesimum: sextum agens annum, eumque iam propè egressus, parentem amisit. *Hainricus 4. Ro. Imp. & Rex Boiorũ.* Vbi iusta parenti facta sunt, à Victore Pont. Max. cæterisque principibus, tertio posteaquam inunctus fuerat anno, ad Aquas Granensis, ingenti procerum numero atque apparatu deducitur, in solioque regio more Francorum collocatur. Inde ad Agrippinensem Coloniam diuertit, ibi Balduino Flandro, Gotfrido Lotharingio, qui iugum hactenus recusarant, gratiam adnitente Rom. Episcopo facit. // Summa rerum, tutelaque Cæsaris penes Augustam mulierem cordatam ex testamento mansit. Ipsa non muliebriter, summa industria, non minore prudentia atque iusticia, festa omnium quiete atque ocio, auiti paternique Imperij habenas quinque annos temperauit. Eodem anno Conradus filius Augustæ, cui Boiariæ regnum destinatum fuerat, quadrimus obiit. Et Cæsar cum matre Augusta in Boiariam Reginoburgium in hyberna, & ad conuentus regni agendos se confert. Victorem Pont. Max. & Gotfridum cum vxore Beatrice, in Italiam migrare iubet: his Italicas res commendat. Conradum cognatum suum finibus Charionum præficit. Cuius frater Hainricus præfectus prætorio Lotharingiorum, relicta Republica, vxore & liberis, in agro Mediomatricum, Gorziæ monachum profiteri cœpit: paulo tamen pòst ad priorẽ vitam rediit, atra bili percitus, vxorem interfecit. Boiariæ regnũ Augustæ, quæ se grauidam esse, filium parituram ominabatur, à filio traditur: & quoad id retinere velit, potestas eidem datur. Ipsa illud quatuor annos administrauit. Sub idem tempus Saxones gens efferata, nẽpe adhuc cruda carne vescuntur, finitimorũ spoliis quæstuosa, viuere rapto more veterum Germanorum insueta, à Francia Saxoniaq; oriundis Imperatorib. in vnam legionem conscripti, obsequẽtes latrones cognominati, Danis, Cimbris, Venedis hostibus tum Reipub. & nostræ religionis oppositi fuerunt, quo in illos impunè furta, latrocinia exercerent: vbi illi armis perdomiti, sub iugum pietatis missi sunt. *Obsequentes latrones.* Saxonum equestris ordo, atque nobilitas, pacem seruare, pietatem iustitiamque colere, finẽ cum armis vagandi, mandataq; facere coacti sunt: coerciti sapientissimorũ, paucisq; amantissimorũ principum superiorũ potentia. Posteaquam ergo Cæsarem impuberem, ætatẽ obnoxiam iniuriæ, rebus impositũ vident, rati eundẽ vbi adoleuerit, haud dubiè aui, parentisq; vestigia consectaturũ, res nouas in tempore moliri statuunt. Nactiq; ducem Ottonẽ quendam, impare natum matrimonio (qui à puero apud Boiemos exularat, auditaq; morte Imperatoris, fratrisq; sui Wilhelmi Saxonici limitis præfecti, hisce diebus in Saxoniam redierat) atauos æmulari, imperata detrectare, nemini omnium parere, omne ius in viribus ponere, viduas, pupillos (iuxta prouerbium vulgatissimum) deglubere, laniare, inopes opprimere, in seruitutẽ redigere, ciuibus inuidere, horum opibus insidiari, oppida diripere, mercatores & alios quoslibet vltro, citrò cõmeantes, vbi modò spes lucri sit, deprędari, spoliare: latrocinia passim, vt hæc sub rege puero quasi vsucaperent, tandẽ quasi sua iusta vsucapione atq; consuetudine defenderent, agitare cœperunt: *Otto ex matre Sclauita natus, dict Herisfeldensis.* Istæc & nostro æuo in plerisq; regionibus Germaniæ à nobilitate impunè cõmitti solent: ipsi libertatẽ auitam, & ius equestre vocant. Cæsar in Boiaria cõcilio soluto, in Saxoniam ad tumultus cõprimendos proficiscitur. Proceres Saxonũ Merseburgium accersit, ipsiq; cateruatim armari, hostiliq; animo aduentare nũciantur.

Idcirco Bruno & Eckbertus patrueles Cæsaris, fratres Germani, rebus militarib. præfecti, cum casu in Saxonum cohortem incidissent, statim Otto Saxonum ductor, signo dato illos inuadit: nec illi pugnam detrectant. Vtrinque maxima vi diu certatur, ancipiti fortuna modò huc, modò illuc inclinante. Primo impetu Bruno & Otto admissis habenis, calcaria equis subdunt, infestis armis concurrunt, inuicem equis deturbant, vterque perit.

Bruno & Otto occisi cadunt.

Eckbertus quamquam saucius, tamen dolore amissi fratris concitatus, in confertissimos irrumpit, Bernardi præfecti filium, alterum huiusce tumultus authorem interficit, cæteros in fugam vertit. Saxones amissis antesignanis, armis abiectis, deditionem faciunt, vltraq; armis regem lacessere omittunt. Inter hæc Victor vbi Romam peruenit, moritur: Fridericus frater Gotfridi Ethruriæ præsidis, communi omnium Romanorum suffragio Pontifex Max. consalutatur, Stephanusque nonus nuncupatur.

Fridericus Lotharingus Cassinensis abbas creatur Pont. & Stephanus 9. dicitur.

Iisdem diebus Adalbero Bambergensis Episcopus, cuius pater apud Geisenfeld in Boiaria prima sepultus est, moritur. Quartus compositis rebus Saxonicis, pace confecta, Paschalia in Vangionũ vrbe ritu Christiano cõcelebrat. Stephanũ primarium sacerdotem vti populus Romanus sciuerat, suo iure comprobat. Pontificatum Aichstetensem, quem Victor tenuerat, Guntzoni domestico sacerdoti: Bambergensem Gunthero magistro scrinij in fidem commendat. Rursusque in Saxoniam Goslariam hybernatum concedit, sacra Paschalia Mersburgij, Quinquagenalia Augustæ in confinio Rhætorum atque Vindelicorum facit. Sub idem tempus Stephanus Pont. Max. obiit. Ioannes quidam admodum diues, corruptis quibusdam Romanis pecunia, absque authoritate Cæsaris, principumque Imperij, Pontificatũ Max. occupat, Benedictum decimum se appellat. Gotfridus Dux limitis Ethrusci eundem vi Roma pellit: legatos Romanos in Germaniam ad Cæsarem proficisci ab eoque petere ex consilij decreto, more maiorum, Episcopum iubet. Illi vbi Augustam deuenere, Gerardum Florentinum Episcopum, virum bonum, studiosumque pastorem postulant: isque continuò Pont. Max. legitur, Nicolaus tertius: qui anno salutis Christianæ millesimo vndesexagesimo, mense Aprili, indictione XII. quod ambitus lethalis Romæ inualuerat, quemadmodum in iure Pontificio refertur, lege sanxit, vt defuncto primario mundi pastore, primò flamines, deinde cæteri sacerdotes, senatus populusque Romanus coëant, in communeque de capiundo animarum parente consulerent: saluo tamen (inquit) debito honore, & reuerentia dilecti filij nostri Hainrici, qui in præsentiarum Rex habetur, & futurus Imperator Deo concedente, speratur. Eadem tempestate Andreæ Vgrorum regis legati Augustam dona attulerunt, pacem, & vt ea affinitate confirmaretur, petentes. Cæsar acceptis donis: pace & affinitate confecta (nempe sororem suam Sophiam Solomoni Andreæ filio despondit) cum matre Augusta, & Vgris ad fines Vngariæ transitum facit. Ibi fœdus religioni iurisiurandi sanciri iubet, sponsam Vgris tradit. Alteram sororem Iuditham Polono duci nuptum collocat. Hisce peractis, in Franciam migrat: mortuisque Conrado Charionum Duce, & Ottone Sueuorum regulo, Charionas Luitolfo cognato suo, frustra eundem ducatum Berchtoldo à Zaringen affectante, Rudolpho de Rheinfelden Sueuos commendat, huic sororem adhuc impuberem despondet, quæ mox Rumoldo Episcopo Constantiensi educanda traditur. Ottonis superioris de Schuueinfurt oriundi vxor fuit Petrissa Nariscorum sanguine procreata, filia Ottonis ab Amerthal. Berchtoldus autem repulsam passus, nihilominus principatum Charionum cum posteritate titulotenus quidem vsurpauit, quem sibi ab Augusto, parente Cæsaris promissum iactabat, tempus opportunum, quo rebellionem faceret, præstolabatur. Per idem tempus Eppo, qui & Eckardus Fuldensis præsul moritur: substituitur à Cæsare Sifridus.

Eppo, ab Hermanno Contracto Eberhardus ab aliis Ebertus dictus est.

Eodem anno Reginoburgium duodecimo Kalendas Maij exustum est. Cæsar in hybernacula Argentoratum concedit. Meginherus Herueldensis antistes, Burckhardus Halberstadensis Episcopus, ob decimas decertant, inuicem ad tribunal Christi supremi prætoris prouocant. Ambo die dicto subita morte absumpti sunt. Luitpoldus quoque archimysta Moguntinus vita defunctus est. Hainricus in Boiariam transit, Decembris celebres ferias Fruxini perpetrat. Saturnalia Ianuarij festos dies Vtini, oppido Boiariæ, in ripa Oëni peragit. Sifridum magistrum Fuldensis monasterij Moguntinis, Halberstadio Burckhardũ, Herueldensibus Ruothardum præficit. Paschalia in Saxonia concelebrat, inde Augustam pergit. Iisdem diebus Conradus Nemetum Episcopus, Baldingus Salisburgensis archimysta Boiorum decedit: huic Cæsar Gebhardum scribam suum, illi Einhardum sufficit. Nicolaus quoque Rom. Pont. circa idem tempus naturæ concessit. Romani diadema aliaq; munera amplissima Hainrico mittunt, conuocatoq; Basileam cœtu procerũ, Episcoporum, caput illius diademate circundant: eundem tribuniciæ potestatis Cos. patricium faustis acclamationibus salutant: Cathochus Parmensis Episcopus Senatusconsulto Pont. Max. capitur Honorius secundus nominatur. Dum hæc fiunt, Nordmanni quibusdam Romanis auro sibi conciliatis, Anselmum Lucæ vrbis Tuscorum Episcopũ ante consecrationem Honorij Pontificatui maximo imponunt, vi Romam ducunt, moxq; inaugurant, Alexandrum secundum nuncupant. Honorius igitur exclusus Roma, quam iam alius occu-

Honorius 2. S.P.

occuparat, ingenti pecunia Augustam in Germaniam redit. Purpuratos pecunia sibi placare, aulicos cunctos auro ambire non cessat, donec Cæsar ei (vt tum mos erat) mitram, pedum, siue lituum traderet. Quidam etiam Romani furto sublata aurea cruce, cæteris pontificalibus insignibus surreptis, quæ Episcopo Romano præferri solebant, ea ad illum præferunt, quibus ipse vsus Pontificem quoque se primarium duxit. Eadem tempestate in Vngaria proceres concitata plebe, auitam religionem instaurare, à noua Christi deficere, lapidibus Pontifices obruere, sacrificulos in crucem agere, decimas militibus distribuere statuunt. Idcirco aduersus Andream, qui id pollicitus, hacque lege Rex creatus fuerat, & promissa tamen complere recusabat, conspirant, Belam fratrem eius, sub quo sibi illud licere sperabant, regem constituunt. Andreas Solomonem filium, nurum atque vxorem in confinem Boiariam mittit. Cæterum opem Cæsaris implorat: periculum imminens sibi & cunctis Christianis aperit. Cæsar Wilhelmum Turogorum ducem, Epponem Episcopum Citissæ, Spitigneum Boiemiæ regulum, Ernestumq; Boiariæ (ita appellant eius tempestatis scriptores) Marchionem, Bothonem atque Aribonem fratres, Boiorum fortissimos proceres (quorum virtus, factaque veteribus Heroibus comparantur) Nariscorum, Burckhusiorum, Scalæ, Noricorum dynastas cum exercitu Boiorum in Vngariam proficisci iubet. Wilhelmus & Pontifex non expectatis Boiemis in Vngariam contendunt, Andreæ se coniungunt, cum Bela certamen cõserunt: ingentem vim hostium primò prosternunt: verùm vbi se superari multitudine, Vgros, qui apud Andream erant, regem deserere, fugam capessere, ad hostesque deficere cernunt, retrò sensim referre pedem, & cum Andrea in Boiariam cedere statuunt. Vbi ad claustra, quæ Portas regni incolæ vocant, perueniunt, iter sibi fluminibus, paludibus, recisis pontibus & copiis oppositis interclusum offendunt. A tergo quoque Bela cum maximo exercitu ingruebat, qui cedentes quàm maximis poterat itineribus insecutus fuerat: atrox mox prælium committitur: vtrinque multi cadunt. Andreas fortiter pugnans, equoque excussus, dimicantium pedibus, carrucis, & equorum calcibus obtritus, conculcatusque interiit. Nostri iniquitate loci, hostium multitudine circumuenti fugam capessunt, ab hostibus inulti cæduntur. Eppo Episcopus cum multis captus est. Wilhelmus, Botho atque Aribo eius Germanus, quendam tumulum occupant, tota die impetum hostium, tantamque multitudinem fortiter se defendendo sustinent, propulsant: nox præliũ diremit. Bela ex odio in admirationem versus, illis si se dedant, incolumes fore, dat fidem. Illi accepta publica fide, fame quoque defatigati, se dedunt. Belaque & filius eius Geizo admirati virtutem, affinitate eos sibi coniungunt. Belaq; filiam suam Wilhelmo despondet: captiuos omnes absque precio liberè abire permittit: suscepta legatione ad Cæsarem proficisci, veniam & fœdus à Cæsare Vgris impetrari mandat. Hoc tempore Gebhardus tertius Reginoburgensium Episcopus diem obit. Cæsar qui tum Mogontiaci hybernabat, Ottonem Bambergensem mystam substituit: & peractis Theophaniorum hybernis feriis, cum Augusta Reginoburgium in Boiariam profectionem facit. Eodem regina Vngariæ cum filio Solomone, nurúque exul venit, fortunam miseratur suam, opem Cæsaris implorat. Is reginam in Orientalem Boiariam remigrare, sumptus ex fisco tribui iubet: ipse secum Solomonem, Sophiamque sororem in Franciam abducit, consultatque proceres Imperij, quo nam pacto exules, qui ad fidem Teutonum confugerint restituat. Bela quoque oratores cum supplicis mittit, nequicquam conatus ope eorũ, quos captiuos tenuerat, amicitiam impetrare. Romæ tum ciuilis seditio grassabatur. Quidam Honorio, alij Alexandro studebant. Romani cum mandatis legatos ad Cæsarem mittunt, qui eum Augustæ duodeuicesimo Kal. Septẽb. conueniunt. Atq; flamen, qui Alexandrum inaugurarat, ita, data copia fandi, verba facit: suppetias ferte orbis Reginę, principes pientissimi, opitulamini pro iustitia vestra, primariæ Christi seruatoris nostri Ecclesiæ: cuncta terrarũ per prudentiam vestram pace festa fruuntur, soli nos qui caput mundi, sacrosancti Imperij domiciliũ incolimus, & vrbis æternæ ciues sumus, domestico atterimur tumultu. Alexãder interturbat omnia. is cõtra morẽ maiorum, absq; consensu vestro sacerdotiũ sibi vsurpat, à Nordmannis pontificatum emit, vi & armis tenet, lupus atq; latro, non pastor: tyrannus, non Pontifex est. En ego, qui ipsum à Nordmannis, Deum testor, coactus consecraui, præsto sum. Quocirca consultissimi patres, huic pesti, ne latius serpat, occurrite: morbum grauissimum, qui à capite longè latè diffunditur, ad viuum resecate. Hæc vbi Senatus, principes, Pontifices audiuere, Cæsar habito consilio, vtrisque Pontificibus diem dicit: ad cognoscendam, dirimendamque litem Bocconem Episcopum Halberstatensem Romam legat. Hic vbi Romam venit, partes audiuit, auspicio Cæsaris Alexandro Pontificatum addicit. Sub idem tempus Augusta ducatum Boiariæ, quem hactenus quatuor annis administrarat, Ottoni ex Saxonia clarissimis natalibus oriundo, viro tum ciuili prudentia, militarique disciplina inclyto, in fidem commendat. Tantisper Augusta muliebri tutela rectè sapienterq; summę rerũ præfuit, Hainrici Episcopi Augustani potissimum vsa consilio & opera. Cæteri inuidere (ita homines sunt præcipuè purpurati) clanculum mordere, conuenire, Augustam, pontificemque

Anshelmus qui Alexãder 2. dictus est.

Bela frater Andreæ regis Vngariæ.

VVilhelmus Dux Turogorum.

Hanc historia ad longũ describit Antonius Bonfinius lib. 2. & 3. Decadis 3. de rebus Vngaricis.

Claustra regni Vngariæ Boris.

Andreas Rex in prælio occumbit.

Gebhardo Otto Bambergẽsis mysta substituitur.

Romani legatos ad Cæsarem mittunt.

Legatorum oratio.

Bocco Halberstatensis Episcopus.

ficemque criminari, eos incestus simulare, alia huiuscemodi vociferari cœperunt. Quæ, malum (inquibant) dementia tot fortissimis atq; sapientissimis regulis, principibus, dynastis, tetrarchis, præsidibus, præfectis, tot sanctissimis patribus, tot eruditissimis Episcopis, nationi orbis reginæ, victori gentium populo, fœmina dominatur? haud dubiè infaustum, dirumque Reipub. omen. Aqua, ventoque (sicuti vulgò dici solet) magis fluxa est muliebris fides: modò ait, modò negat: nunc odit, rursus amat: in vnius potestatem ob stupri consuetudinem, ius atque ditio cessit. Vnus omnia regni commoda, tributa, vectigalia, census potitur, cæteri omnes boni, nobiles, vulgus sine gratia, sine authoritate sumus: iusticia, denique cuncta venalia sunt. Omnis gratia, potentia, honor apud vnum, aut vbi ille vult, existit: ingens ludibrium, atque dedecus bellicosæ Germaniæ. Cæsar qui iam pubescit, procul à viris, in Senatulum mulierum relegatus, inter pensa colusque seruilibus ministeriis effœminatus. Tempus nunc est, vt columen Reipublicæ publica cura adolescat, senatu principum, publicis functionibus, armis & militarib. exercitiis insuescat: ipse denique Imperij munia obeat. Hæc & huiuscemodi vbi crebrò iactata sunt, tandem Anno archimysta Agrippinensis, Eckbertus patruelis Cæsaris, Otto Boiorum regulus communicato consilio, Hainricum muliebri potestate, dolo, ne seditio concitaretur (quippe populo Augustæ indoles, mite ac quietum perplacebat imperium) emancipare statuunt. Nauim preciosæ artis magna opulentia adornant, tapetis, aulæis intersternunt, auro, argento, pictura, cælatura, cæteris quibus animum Cæsaris oblectari opinabantur, instruunt.

Anno archiepiscopus Coloniensis. Insula Sudberti. Hainricus nauigio captus abducitur.

Cæsar cum matre Goslaria, vbi hyemauerat, egreditur, Nemetum Augustam petit, ibi Paschalia concelebrat. Anno archimysta, cæteri principes frequentes coeunt: nauim ad insulam Rheni, quam Diui Sudberti vocant, applicant. Cæsarem, cum hilarior post cœnam foret, ad spectandum nauigium ita exornatum inuitant. Cæsar adhuc puerorum more simplex, nihil minus quam insidias suspicatus, nauim ingreditur. Confestim subernati ab Annone latera principis stipant, ex composito nautæ soluunt, repentè remiges remis incumbunt, nauim in altum prouehunt. Cæsar se ad necem præsentem duci ratus, se è nauigio in flumen proiicit: iamque in oculis omnium submergebatur. E vestigiò Eckbertus patruelis eius in flumen de naui prosilit, dextera Cæsarem prenendit, adnauigatq; nauigio. Apparebat anceps periculum, tam prænatantis, quam sequentis. Qui vehebantur, adnauigant, ambos eripiunt, in nauemque excipiunt. Cæterum optimates Hainricum circumsistunt caussam edocent: eum blandimentis placant, Agrippinamque deducunt. Populus, qui in ripa procurrebat, acclamare, minari, sæuire, indignissimum facinus vociferari cœperunt, ius violatum, maiestatem Cæsaream læsam esse, ferro crimen vindicandum clamitant. Quamobrem Anno ad leniendam inuidiam, quæ hoc facinore coorta erat, conuocato concilio, facti sui rationem reddit, Cæsarique satisfacit: vulgique tumultu pacato, ne id ob suum compendium fecisse videretur, statuit vt Pontif. Max. Germaniæ sex curiis, iuxta numerum archimystarum Germaniæ rem consociarét, singuli publica munia obirent, Imperiumq; per omnes in orbem iret, finiretur. Vno mense popularia hæc, atque præclara primum videbantur: non tamen ea concordia mansit. Sub huiuscemodi tutela magis auaricia, ambitio inualuit, magis leges spretæ, iura contempta sunt. Quippe Cæsare à matre abstracto, paucorum potentia creuit: qui nactu habenas rerum adolescentulũ à curis Reipubl. in angulos ablegant: Nemini adire, nemini salutare Cæsarem, ne huic quidem salutare quempiam, nisi ex præscripto principum, licuit. Teneræ ætati parcendum esse: venationi, gaudiis corporis indulgendum docent. Ipsi interim omnia venalia habent: cuncta vtilitate metiuntur. Honorem magistratus, opes, in se, & quò volunt, transferunt. Cæsarem, vt ab eo cuncta extorqueant, suo more viuere, ea quæ fert ætas, factitare passim permittunt: quinetiam officia à voluptatibus instituunt, ad omnia conniuent. Et vt ab vno cætera discas crimina, discordiæ quoque malis Rempub. adterunt.

Bezelinus Episcopus. VVideradus abbas. Eckbertus.

Bezelinus Hyldeshaimensis Episcopus, & Wideradus Fuldensis præsul Goslariæ natalibus Christi, pugnis, subsellіis in téplo inter se concertarunt: vterque iuxta dextera Pontificem Mogontinum assidere connitebatur. Rursus Quinquagenalibus eadem concertatio inter eos fuit. Eckbertus partium Pontificis templum armatis militibus occupauit, aduersarios exigere sacris ædibus conatus. Fuldenses sociis suppetias ferunt: res strictis gladiis peracta est. Vtrinque multi occisi, fanum, ara, sanguine humano polluta sunt. Augusta autem tam graui affecta contumelia, tamen necessitatem in rationem vertit, vt rumorem de se temerè coortum coargueret, maluit tacere, patienterq; ignominiam tolerare, quàm iniuriam more gentium expostulare, in cótubernium sacratarum fœminarũ se addidit: dotalia præsidia retinet, cætera omnia relinquit: beneficio in pauperes insignis.

Agnes mater Cæsaris fit monialis.

Molestia deinde turbellarũ aulicarum, renitentib. aliquandiu amicis, Romam migrauit, ubi vitam finiuit, sepulta in templo D. Petronellæ. Dum hæc in Germania fiunt, in Italia Cathochus, quoniam Pontificatum iure obtinere non potuit, vi eundum extorquere conatur. Rebus eius Romani quidam studebant. Idcirco cóparatis haud contemnendis Longobardorũ copiis, vrbem versus contendit. Inter Sutrium Romamq;

castra facit: vbi aliquot dies statiua habet, sperabat metu sui sponte ad se Romanos conuolaturos, atque Alexandrum deserturos. Nam partium eius Romani turrim Crescentij, item aliam ad pontem Miluium occuparant, firmoque præsidio tenebant. Verum Alexandrini explorato Honorij aduentu, vim quoque se armis defendere statuerant, arma, pila, tormenta, arcus, sagittas, machinas, quæ ad resistendum necessaria forent, compararant. Parmensis vbi hoc per speculatores comperit, castra mouet, infesto intentoque exercitu Romam contendit. Alexandro fauentes armati obuiam procedunt, plebes, quæ suo more rerum nouarum auida est, pars indignantes quòd quispiam armatus Romam accedere auderet, mixti militibus equitibusque erumpunt. Sed primo congressu Alexandrini Romanique ab Honorianis & Longobardis in fugam vertuntur, cæduntur, trucidantur. Maxima pars ad Tyberim aufugit, nauim irrumpit. Vbi cum se constipassent, Honorianus miles pilo turbam petit: quæ telum vitabunda, in diuersum latus cedés, nauem inuertit, aquis obruitur. Hisce peractis, nomen, factio, fauor Honorij gliscit, Alexandri pars diminuitur. Cumque iam Honorius Romam intrare in animo haberet, Gotfridus Lotharingius, qui auspicio Cæsaris rebus Italicis præsidebat, aduenit in tempore, partes ab armis discedere imperat. Paret populus, parent milites, desertis Honorio & Alexandro domos dilabuntur. Gotfridus deinde vtrunque ad se vocat. En, inquit, pastores, qui oues (quarum lana teguntur, lac consumunt) committunt, pacem quam Christus Dominus Deusque noster reliquit, violant, pietatem polluunt. Ite in Germaniam ad Cæsarem, & ibi potius iure, quam bello, vter Pontifex sit, disceptate. Quem Cæsar principesque & Episcopi Pontificatu Max. donare dignati fuerint, is absque vi cum pace omnium primario potiatur sacerdotio. Placuit vtrique conditio: quippe vterque suæ caussæ confidebat. Alexander quòd inauguratus, à Cæsarisque legato probatus Pontificiam possidebat ædem: Honorius quòd ipse prior, lituum mitramque à Cæsare accepisset, comitiisque curiatis, ad huncce honorem (ita enim iam est, olim onus fuit) cooptatus foret. Posteaquam autem ad Cæsarem peruentum est, quòd expeditio Vngarica vrgeret, & hæc res absque Ecclesiastico conuentu cõponi nequiret, iussus est is interim, qui consecratus erat, & Lateranense templum insideret, nomen & titulum Pontificalem vsurpare, donec concilio edicto, per suffragia more maiorum lis dirimeretur. Alexander ergo Romam, Honorius Parmam se confert. At Cæsar in Boiaria hyemat, natalem Christi Fruxini celebrat: Wentzeslaum Altaichio inferiori præficit: Paschalia Goslariæ agit. Inter hæc in Italia Alexander Romæ post Paschalia, more veterum, cœtum præsulum, monachorum, mystarum, Episcoporum cogit, Honorium ambitus, homicidij condemnat, deinde deuouet. Contrà Honorius quoq; Parmæ suæ factionis sacerdotes conuocat, Alexandro, vtpote qui absq; consensu Cæsaris vi Pontificatum occuparit, à Nordmannis emerit, sacris interdicit. Eadem tempestate Cæsar in Germania Mogontiacum concilium indicit. Vbi frequenti procerum, Pontificum maximorum, minorum senatu, Solomonem in regnum restituendum, Vgris bellum inferendum, decretum. Quartus igitur tertiumdecimum agens annum, quam maximo potest apparatu, hanc expeditioné, quòd prima foret, adornat. Copias vndique cogit, delectus frequentes habet: nemo omnium erat, qui non iuueni principi gratificari, & cum eo stipendia facere studeret. Plerique vltrò, vt eorum virtus enitesceret, conuolabant. Denique fama huius apparatus territus Bela (quippe sæpius Teutonum vires senserant Vgri) crebrò legatos cum suppliciis mittit, pacem exposcit, filium obsidem offert. Causatur Solomonem nepotem suum sponte sua, nemine persequente, regnum reliquisse absque custode: se inuitum, ne hostes vacuam possessionem & terras relictas occuparent, ab Vgris, à rege suo desertis, rebus impositum esse. Licere Solomoni proximo suo in regnum suum absque armis cum pace redire: se ducatu, quem sub fratre genitore Solomonis administrarit, contentum fore. Principes nostri, quibus iam pridem experimentis astus Vgrorum cognitus erat, & ipsi Vgros suis artibus tentant: secum legatos, quos subinde speculatum Bela mittebat, retinent, diligenti custodia, ne elabantur, obseruant. Verbis pacem offerunt, re asperrimum bellum ostentant: ingenti cum exercitu, infestis signis, Histro, terraque, pedestribus equestribusque copiis in Vngariam properè cõtendunt. Nec segniciei aut socordiæ Bela deditus erat, aliud simulabat, aliud agebat: fœdus petebat, frequentes de pace legatos mittebat, nihilo tamen secius regnũ, præter quod crebris fluminibus & paludibus, qua Boios Noricosq; attingit, munitum est, præsidiis firmat, portas Pannoniæ, ita incolæ vocant, quas Græci pilas, Romani fauces, nostri claustra appellant, reficit: militari manu communit. Quò cum Cæsar peruenisset, omnem aditũ sibi præclusum offendit: statiua igitur ibi aliquot dies habet. Consilio Vgrorum, qui cum Solomone aufugerant, partem exercitus, gnaris locorum deducentibus per harundinetũ quoddam in Pannoniam præmittit, mandatq; se certioré faciant, totus ne exercitus illac traduci queat. Illi quidem incolumes in Vngariam penetrant: verũ ob itineris difficultaté, & quòd omnes loci hostib. obsessi erant, nemini, licet magnis præmiis propositis, persuaderi potuit, vt ad Cæsarem nuncium literásue perferret. Cõpositis igitur ordinib. bidui itinere

Parmensis Romam contendit.

Gotfridi oratio ad Honorium & Alexandrum.

Concilium Moguntiaci indicitur. Hainricus 4. an. natus 13. in Vngariã expeditionẽ parat.

Portæ, pilæ, fauces & claustra idẽ significant.

itinere ad Mysburgium pergunt, eam vrbem prius expugnare, deinde viam Cæsari aperire statuunt. Sed custodes vbi à tergo hostem conspicati sunt, & irreptisse in regionem viderunt, retrò pedem retulere, Cęsarque pulsis præsidiis, nemine prohibente, ad eandem vrbem, eodem momento de improuiso peruenit. Oritur confestim tumultus, nostri rursus copias coniungunt, vrbem oppugnant, primo impetu capiunt, diripiunt. Apertis post hæc vbique faucibus claustrisque refractis, Cæsar cum Solomone intima Vngariæ percurrit. Bela inter hæc exhalat animam. Filij eius Geizo, & Ladislaus fugam capessunt: ex Vngaria in Sarmatiam profugiunt. Cæteri certatim se Cæsari dedunt, in verba Solomonis iurant, quem Cęsar Albam regiam deducit, regemque more gentis salutari iubet. Restituto itaque in regno Solomone, pacataque Vngaria, in Boiariam reuertitur: inde Augustam profectionem facit. Mortuo Hainrico Episcopo, Embrichonem Liningensem substituit. Postea hyematum ad Vangionas se confert. Concilium Mantuam in Quinquagenales ferias indicit: eò Honorium & Alexandrum concedere iubet, decretoque patrum stare præcipit. Proxima igitur deinceps æstate, Anno archimysta Agrippinensis, Wentzeslaus Althaichij inferioris in Boiaria pręsul, annalium Boiaricorum scriptor, cum plerisque Episcopis & principibus Franciæ, iussu Cæsaris Mantuam se conferunt. Romani, Itali, Longobardi frequentes coëunt. Honorius cum magno hominum numero ad Aquas Nigras subsistit, cum mandatis ad Annonem mittit, qui dicerent. Magistrum à discipulis doceri non oportere: Honorium nequaquam venturum, nisi vicem Christi præsidendo defungi permittatur. Anno consilio habito, paucissimis respondet: Magistrorum sacrosanctæ concionis, Ecclesiæque sententiæ parendum, diuino oraculo obtemperandum esse. Proinde Parmensis hisce sibi relatis, venire Mantuam recusauit: cęterum per speculatores fidos singula acta diurna explorat. Alexãder quidem præstò fuit Postero die Quinquagenalium Episcopi, principes, pręsules frequentes in templo conueniunt, opem Dei exposcunt, sacrificium rituale faciunt. His ritè peractis, Alexander multa de pace ac concordia Christiana disseruit. Vbi finem dicendi fecit, Anno surgit. Cæsar, & Imperij proceres (inquit) fama & literis à plerisque certiores facti sunt, te Pontificatum emisse, atque conscientia huius criminis stimulatum, cum Nordmannis hostibus Reipub. amicitiam fecisse aduersus Cæsarem conspirasse, vt eo etiam inuito, fretus armis inimicorum nostrorum sacerdotium retineas. Nos vt veritatem inquiramus, & hancce rem cognoscamus, hic coiuimus. Suscipit Alexander: Si delatores veri sunt, cur hic, in hoc celeberrimo Christiani orbis conuentu, sicuti ego, non apparent? & crimina quæ mihi falsò obiiciunt, testibus, vti fas est, cõprobant? Quod cum facere non queant, ego vt me purgem suspicione, vos falsa opinione expediam, Deum testor, per Spiritum sanctum, cuius ferias agimus, iuro, me inuitum atque reluctantem ab his, penes quos copiam cooptandi Pontificis, maiorum more esse credimus, absque omni penitus ambitus scelere captũ esse. Quis innocens erit, si criminari satis est? De Nordmannorum amicitia nihil modò respondeo: quando illustris dominus Cæsar filius meus Romam veniet, re ipsa comperiet, nihil aliud magis à moribus meis alienum esse. Hæc vbi dixit, cuncti qui aderant, & quorum intererat Honorium, quod venire grauaretur, abdicant: & Alexandrum quem crimina legitimè diluisse, insontemque esse existimabant, pastorem recipiendum decernunt, atque ritu solenni renunciant. Deinde Deum Opt. Max. Christum seruatorem nostrum celebri carmine consalutant. Postridie rursus cum in templo patres consedissent, & Anno archimysta, quam ob caussam, nõ traditur, abesset, ij qui Cathochi rebus studebant, facto globo, excitato tumultu, strictis gladiis in ædem irrumpunt. Alexandrum hæreticum, pestiferum erronem vociferantur, eidem mortem intentant. Cæteri omnes diffugiunt, Alexandrum solum relinquunt. Wentzeslaus præsul Altaichij, Boiariæ monachorum antistes, qui probè mores Longobardorum norat (cum minacissimi enim verbis sint, ne digitulo quidem aduersarium attingunt) Alexandrum sibi quoque fuga consulere parantẽ, retinet: eidem animum reddit, atque cõsidere persuadet. Longobardos acriter increpat, maiestate vultuque tristi territat. Eodem quoque momento Beatrix vxor Gotfridi Ducis, cum multis ad templũ procedit, vix limen attigerat, Honoriani omnes aufugiunt. Cæteri redeunt, Parmensem Episcopum curia Pontificum mouent, atque deuouent. Peracto itaq; conuentu Alexander Romam, cæteri domos migrant. Percrebuit eadem tempestate in Germania constans opinio, imminere excidij fatum orbi terrarũ, & adfore tempus, quo mare, quo tellus, correptaque regia cœli ardeat, & mundi moles operosa laboret. Boiorum primores istoc seculo vndeuiginti ædes sacras mystis, monachis, virginibus in Norico, in Vindelicia condiderunt. Et ingens vis mortalium, duodecim fermè millia ex regionibus nostris, in Palæstinam Hierosolyma votis nuncupatis profecti sunt. Ipse Cęsar pleraque prædia, complures opes Boiariæ templis (sicuti diplomata data ostendũt) distribuit. In Rhanshofen proxime Brundunum vrbem (vbi tum Palatinæ ædes, hiscusq; regius erat, & parens eius Imperator Hainricus tertius parochiam, pręscriptis terminis dum Hainricum sextum Boiariæ præficit, instituerat) flamines Augustinianos cooptauit.

Bela moritur.

Geizo, & Geysa ab alus. Ladislaus.

Annoni oratio.

Honoriani aufugiunt.

Welle-

Wessesprunam, hactenus à popularibus sacerdotibus posteaquam ab Vgris exusta erat, occupatam, pulsis his, sacris D. Benedicti restituit. Eiusdem ope & consensu Ellenhardus Fruxinensis Pontifex Fruxini Diui Andreæ ædem dedicauit: cui Benedictbeurense templum Cæsar tradidit, hoc post mortem tamen Ellenhardi rursus immunitate donat. Almannus Episcopus Bathauiæ auxilio Hagnæ Augustæ, & Hainrici Neoburgensis extra mœnia vrbis Aurelianis mystis collegium in Austria Ketuuein Benedictinis extruxit. Adalbero Wurtzburgensis Pontifex ex Boiaria oriundus (cuius maiores in Vindelicia Neoburgium & Varnpach: in Norico Valentiam & Pictauiam possedere) inter Oënum & Anassum Lambacense castellum, in templũ commutauit. Idem factitarunt eius gentiles Himeldruda, & ex fratre Vlrico nepotes Eckbertus, & Hainricus Varnpach regiam suam, iuxta Oenum, proxime Scharding Boiorum vrbem, Diuo Benedicto consecrarunt. Hemma vxor Wilhelmi duobus filiis amissis, in Anassi valle Agunti contubernium monachis construxit: in sylua Gurica, in Norico inferiore, qua ad Pannoniã pertinet, septuaginta sanctis virginibus templum dedicauit: sicuti Imperator Hainricus quartus Cæsar Augustus in diplomate affirmat, ibidem Gebhardus Pontifex Salisburgensis Sueuus Catholdi & Azalæ filius ædem Pontificiam construxit, Guntherum eidem fano præficit. Apud Nariscos Berengerius de Sultzpach, Fridericus, vxor Bertha de Castel, cum filiis Ottone, Hermanno ab Heubsch, & Luitgarda vxore Diethboldi à Vogburg, & Cham præfecti, posteri Ernesti & Ottonis dynastarum in Ambergthal (vicus est, riuus & pagus Nariscorum, proxime Ambergam nobilissimum Septentrionalis Boiariæ oppidum) castellum regiam suam in templum commutant, cæremoniis Diui Benedicti dicant. In inferiore Boiaria iuxta Danubiũ, Asuinus & Fridericus à Bogen superius Altaichium ab Vgris exustum, instaurant. Propter Vilsi fluenta Bernardus filij eius Rupertus & Calochus Allerspach Aurelianis mystis dicant. In ora Oëni fluminis Angelpertus, vxor eius Tuta Charionum tetrarcha Siben quinque inde millia passuum Reichersperg. Bernardus, & vxor Tiethberga, soror Gebhardi Iuuauensis Episcopi, filius Gebhardus à Plaien. Chuni à Medling, & Frontenhausen satrapes Garts & Auu. Vxor eius Irmogarda in agro Salisburgensi Bercholdsgaden, vbi sepulta est, filia Adelhaidis cum marito Berengerio, filius Beringerio & Conrado à Sultzpach (oppidum id Nariscorum est) dynastis, ad confluentes Trani, & Alisi Painburg, vbi humati perhibentur, collegia flaminibus Augustianis instituunt. Monachis etiam dicauere hi principes, amici Cæsaris Æti Arnulphus Damasiæ præfectus. Rhod, Conradus, cuius filius Conradus, atque Irmogarda nurus, auus, paterque Boppo, in eisdem templis hi proceres conditi sunt. In superiore quoque Vindelicia, eadem tempestate, cœnobia quæ subtexam condita reperio. Otto Schirensis, vxor Hatziga, filij Otto, & Bernardus, Eckhardusque Vischpachavv, in faucibus Peninnarum alpium sacri Diui Benedicti initiarunt. Eberhardus & frater eius Albertus ab Euresburg, multum apud Cæsarem pollens, cum vxore Bertha, filio Ottone in ripa Libusæ Peilberg Aurelianis templum, in agro Tridentino Diuo Michaëli ædem condiderunt. Haud inde procul, nempe ad decimum lapidem, Otto & Berengerius Bardi, Theodoramus sacerdos Cellam auspicati sunt, quam pauco pòst tempore Otto ab Wolfratzhausen, eius filij Otto & Hainricus, Renopertus Ritensis, cum fratribus Ruperto, Alberto, Liebhardo: Hyldescalcus, quem Tigurinis antistitem Imperator Hainricus quartus imposuit, frater Rudolphi præfecti Vinariæ collocupletarunt, mystis Diui Aurelij Augustini dedicarunt: Theodoramum magistrum collegij cooptarunt, vnde ab eo Theodorami Cella nuncupatur. Sigbotho superioris Hyldescalci frater Vinariam consecranei, Aurelianis dedidit: eisdem mystis Otto à Valai præfectus, cum vxore Adelhaide Bernriet ad Vermium lacum primæ Boiariæ. Grysam in Tyrolensi pago condidit. Welpho quartus, qui postea Boiariæ ducatu potitus est, filius Chunegundæ, sororis Welphonis tertij, & Ecij, quem alij Azonem vocant Astensis tetrarchæ, nepos ex filia Welphonis secundi, ab Imperatore Hainrico quarto Cæsare Augusto, rege Boiorum, gentilicia bona, quæ auunculus absque liberis decedens, Imperatori Hainrico tertio Cæsari Augusto regi Boiorum legauit, impetrauit: in Vindelicia apud Lycatios Amerga Landspergam, Altonis monasterium, Raitenbuech, Staingaden: in Rhætia Abuziacum, Schongavv, Rauenspurgium, Altorff recepit. Raitenbuch in collegium flaminum Aurelianensium commutauit. Nordpertus Episcopus Curiæ popularibus mystis Heibach: fratres eius Ortulphus & Wildruda filij Rapotonis & Hemmæ, Hohenvvart sacratis condidere virginibus Vratislaus Boiemiæ regulus Wissegradam dedicauit, id templum Alexander Pont. Max. caput Boiemiæ statuit: eius decreti æra, data in manus Petri præpositi sancti Gregorij in palatio Lateranensi, sub Hainrico rege, filio Hainrici gloriosissimi Imperatoris septimo Idus Maij. Atque hæc omnia ex instrumentis priuatis, publicis excepi. Porrò sub idem tempus in Palæstinam profecti sunt, Sigfridus archimysta Mogontinus, Wilhelmus Traiectẽsis, Otto Reginoburgensis Episcopus, Guntherus Bambergensis Episcopus, Alemannus à sacris Augustæ, Fridericus Damasiæ, Eckhardus à Scheurn, Orthulfus ab Hohenvvart dynastæ, & alij complures

Monasteria diuersa fundata in Bauaria, & ædes & illorum fundatores.

Boiorum proceres. Guntherus omnes maiestate corporis anteibat, adeò vt ab omnibus qua iter fuit, Imperator Romanus putaretur. Posteaquam Sauum amnem transgressi, multa à latrunculis perpessi sunt (sicuti idem Guntherus scribit) Vgrorum perfidiam, Bulgarorum furta, latrocinia Vzorum, arrogantiam Græcorum, Asiaticorum sensere sæuitiam. A Byzantio Laodiceam Syriæ, inde Tripolim nauigarunt. Vbi ab Arabibus irruentibus, orta tempestate fulminibus & tonitru territis hostibus, liberati sunt. Inde littus legentes Cæsaream Galilææ, quæ & Turris Stratonis, nono Kalendas Aprilis, quarto die ante Paschalia duûm itinere dierum ab Hierosolymis peruenerunt. *[Orthulfus ab Hohenwart. Contigit hæc expeditio anno Domini 1063.]* Postero die Capharsalam vicum intrant. Rursus Arabum globus adest, primos trucidat, spoliat: cæteri cum resisterent, facile inermes à sagittariis & armatis in fugam vertuntur, in proximumque vicum fugam capessunt. Magna cædes nostratium facta, Wilhelmus Episcopus Traiectensis grauiter vulneratus, spoliatus, semiuiuus & nudus relinquitur. Reliqui tres Episcopi, Sigfridus, Otto & Guntherus basilicam duasque turres ex lapidibus constructas occupant, ibique quòd porta angusta nimis erat, muli, equi clitellarij nisi exonerari, intrare non quibant, se defendere parant. Hostes rebus iumentis nostrorum potiuntur, ea diripiunt, deinde turres expugnant: nostrates viriliter resistunt, turres duobus continenter diebus oppugnatas summa vi defendunt. Hostes tandem celeberrimo Paschalium festo die, pacem venalem offerunt, octoque Arabum principes in turrim admittuntur, qui de precio paciscuntur. Ibi hostium primarius, linteum, quo caput in modum coronæ colligarat, collo Guntheri Episcopi, quem Principem esse rebatur, innectit: En inquit, te solo capto, cęteros omnes in potestate habeo, & simul ac iussero, ab arbore cum comitibus pendebis. Guntherus vbi hoc per interpretem intellexit prosilit, pugnam in faciem minantis impingit, vno ictu hominé humi sternit: deinde prosilit, socios cohortatur, cæterosque septem Arabes captos, nudatosque armis, duriter vinculis constringit, relisque sæuientium popularium opponit. Arabes eo die sociis parcentes manus abstinent. Postridie Ramulæ præses, quem Rex Ægypti vrbi præfecerat, audito periculo nostrorum, ad liberandum eos cum magno equitum numero properat: non ob pietatem, sed quæstum suppetias fert. Deminui portoria vectigaliaque suo regi existimabat: præterea suum lucrum, censum, ciuitatumq; compendia attenuari cernebat, si nostri ita accepti, fama in se commissa, dissiparent, neminem posthac Palæstinam petiturum. Arabes autem latrunculi de illius aduentu certiores facti diffugiunt. Satrapes Ægyptius, acceptis quos nostri in vincula coniecerant, fide data, nostrates Ramulam incolumes perducit: vbi ab incolis considere quatuordecim dies. Tandem pridie Idus Aprilis Hierosolyma peruenere, tresdecim ibi conuocati sunt dies. Inde Ramulam reuersi, nauim conduxere, Alíquiæ applicuêre, postea in Europam nauigant. Sighardus & Otto rediêre, cæteri interierunt. Eodem anno obiere Angelbertus Bathauiæ, Ratherus Taurisiorum Episcopus. Cæsar sacerdotium Bambergensi Hermanno, Bathauense Altmanno sacrificulis suis, Thaurisios Volphramo Oziacensi præsuli, monacho Altaichij inferioris tradit. Hac quoque tempestate Diuus Marianus Scotus, poëta & Theologus insignis, nulliq; ie suo seculo secundus, cum conphilosophis suis Ioanne & Candido, Clemente, Donato, Murcheridacho, Magnaldo atque Isacio, qui centum vixit annos, in Germaniam venit. Inde Reginoburgium hi concessere, ab Hemma virginum maxima hospitio in superiore monasterio excepti sunt. Willa eiusdem contubernij antistes templum Diui Petri extra vrbem, quod Weichs vocatur, consentiente Ottone Episcopo ipsis tradidit. Machtylda inferioris monasterij zithum ac cereuisiam tribuit. Ipsi ope bonorum domicilia sibi construunt: in diem viuunt, docendo & interpretando sacras literas, scribendo, victum & magnam gloriam conquisiuêre: ob eamque rem Imperator eos immunitate donat, in tutelamque recipit. Hac fama moti complures ex Scotia veniunt paulatim, quibus per Germaniæ regna (sicut infrà in sexto referam volumine) passim condita templa, adhuc nomina seruant. Iam pridem improuisa mihi non est mentientium vanitas, qui illos sub Carolo Magno Reginoburgium venisse mentiri audent. Isti nebulones quæstum, pietatem, religionem, prædam putant, mera miracula comminiscuntur. Hoc enim sanctulorum genus, visus, somnia, nocturnos superûm cõgressus, nocturna Deorum colloquia simulant, freti credulitate imperiti vulgi pro concione euulgant, somnia qualiacunque velis venditant, fabulis ad voluptatem cõfictis imperitos in admirationem sui lactant, vili plebeculæ velut pueris inludunt, omnibus corneam fibram esse, neminem sua commenta animaduersurum arbitrantur. Vulgo indocto, multitudinique imperitæ, alioquin sæuæ, impotenti, mutabili, metum deorum atque superstitionem rem ad animos vulgi regendos efficacissimam iniiciunt: vbi illa vana religione capti sunt, melius falsis vatibus atque falsis prophetis quam veritati obtemperant: rationem quidem illi falsi vnctuli, ipsis perceptam consecraneos suos, at nequaquam vulgus edocent. Ergo orgia mysteriaque huiusce religiositatis in vulgus edam, dogmata prodam, mentiri sibi licere, decipere plebem, modò splendoris lucellive spes attulerit, inter secreta habent: nempe il-

lud

lud crebrò (vt eorum verbis vtar) iactitant, exempla ponimus, non quòd ita sint; sed vt discentes addiscant, digni profectò, in quos exempla edantur: qui diuina oracula adulterare, crimen veræ irreligiositatis cõmittere non erubescunt. Quid vndecimo abhinc anno moliti sint designarintq; Veronæ apud Suitonas, cõmemorare nolo. Valeant isti nugiuendi, fabularumq; mangones & caupones sacrorũ. Ego talia sentientes apertis testimoniis conuincam. Extant Reginoburgij in inferiore monasterio diuini Dauidis hymni, cũ commentariis in membranis scripti, opus Mariani. eius præfationem, vt fides fiat, subtexo *Marianus.* de verbo ad verbum. *Anno Dominicæ incarnationis 1074. Hainrico iuuene Imp. Machtylda abbatissa sanctæ Mariæ & sancti Herhardi abbatiam regẽte, decem noualis cycli XI. anno indictioni XII Marianus Scotus 7 peregrinationis suæ anno collegit modicas istas vndas, de profundo sanctorum patrum pelago, scilicet Hieronymi, Augustini, Caßiodori, Arnobij, & de opusculis S.Gregorij: & pro sua anima salute, in honorẽ saluatoris, Domini nostri Iesu Christi, & eius genitricis, semperq; virginis Mariæ & S.Herhardi confessoris scripsit, & in vnum librum perstrinxit.* Prolixas enim & salubres Catholicorum patruum expositiones non omnes auido cordis amore petunt. Multi sunt etiam, qui etsi tales legere vel habere vellent, tamen minori censu vel intellectu, vel aliqua causa existẽte occupati, illas inuenire & legere non possunt. Nunquam tribuatur ad transcribendũ extra monasterium, nisi pro eo congruum relinquatur vadimonium. Georgij fertis cœpit, Mathæi & Hemerami finiuit. Seruatur & diploma Imp. cuius caput tale est. *In nomine S. & indiuiduæ Trinitatis. Hainricus Dei clementia Rom. Imp. August. &c.* multis verbis commemorat Scotos quosdam Reginoburgium venisse, & ab Ottone eius vrbis Episcopo, villæq; superioris monasterij antistite templum huius quod D. Petro dedicatum extra mœnia vrbis, Weichs nuncupatur, accepisse. Ita bonos illis domicilia ædificasse, prædia, vectigalia tribuisse, tandemq; ad se Scotos supplices venisse, illisq; ab Ottone Episcopo & Haziga superioris monasterij virginum maxima impetrasse, vt iuri suo & templo, quod ipsis seruierat, cederent, Scotisque condonarent. Huius donationis author fit Imp. Scotos cum prædiis, templo, vectigalibus immunitati donat, in clientelam accipit, vt Cæsari bene precentur, ac pro eo vota Deo reddant. *Aera. Hermannus recognouit. Datum Kal. Febr. Anno D. incarnationis 1088. XI. indictione, 86. ordinationis regis Hainrici Imperat. V. Factum regina ciuitate in Dei nomine, Amen.* Nunc ad ordinem rerum redeo. Hainricus 4. Altaichij inferioris curatorẽ esse iubet Ottonem Boiariæ regulum, quod vt Deus haud bene verteret Ottoni, monachi ominati sunt. Cæsar deinde in Sax. migrat. nam cum imperium per Episc. in orbem iret, vti suprà narrauimus, Albertus Archiepisc. Prementis tum vice sua defungens, rebus præerat, diutiusq; quàm licebat, dominationem retinuit: Cæsarem per totum autumni hyemisq; spacium Goslariæ & in Saxonia detinet, statiua Goslariæ habere persuadet, suo more viuere adolescentẽ permittit. Eundem in sua potestate, exclusis collegis habet: nec ex sua classe in alias regiones, sicuti decretum fuerat, remigrare sinit. Existimabat suæ demptũ gloriæ atq; vtilitati, quicquid accessisset alienæ. Quamobrem cæteri fremere, tributa, vectigalia censum, præter ea quę monachorũ patres inuiti tribuebant, pernegare, sumptusq; deficere cœperunt, penusq; in diem coemebatur. Aulici prædas agere, pecora abigere, vinum, pabulũ incolis vi auferre incipiunt: hæcq; de industria odio Prementis Episc. fiebant. Principes tandẽ atq; Episc. anno Agrippinensis, Eberhardus Treuerorũ, item cæteri Francorum optimates, frequenti senatu Triburiæ in ripa Rheni conueniunt: Cæsarem more adolescentulorũ scortari, venari, potare, huiuscemodi voluptatibus ętatem transigere, iuris dicundo, Reip. negociis nequaquam vacare, ab eodem nobilissimos quosq; opprimi, infimos tolli, filias optimatũ obscuris, humilib. crepundiis ortis, vi in matrimoniũ dari, prædia priuata comparari, principes negligi, horũ omnium authorem & cõsultorem esse Archiepisc. Prementem, proponunt. Icetico is senatusconsulto, ni Cæsarẽ confestim reddat, hostis iudicatur. Cæsari quoq; ad principes venire detrectanti regnum abdicandũ esse decernitur. Cæsar perlato atroci nuncio, Goslaria Saxoniaq; relicta ad conuentum principũ Mogontiacũ properat, cum Bernardo præfecto prætorio. Postea quam ad Ingelhaim peruentum est, comites Bernardi prædas ex agris agunt: incolæ, viri, mulierculæ cõuolant, vi armisq; id fieri prohibent. Bernardus suis suppetias laturus procurrit, fit atrox pugna, saltatricula clauam in caput Bernardi impegit: ipse amissis multis, semiuiuus ad Cæsarẽ refertur. Tum omniũ sententia Cęsar aut Imperio cedere, aut amicitię Premensis renũciare iubetur. Sed spacium ad consultandũ impetrato, huius consilio clàm noctu fugam Goslariam adornat. Cumque intempesta nocte regia supellex effertur, in clitellas componitur: Principes certiores facti, aduolant, strictis gladiis consilij, talis inuentorem circumsistunt, mortem minitantur: & procul dubio eundẽ interfecissent, nisi Cęsar suo corpore protexisset, regio præsidio domũ deduxisset. Ita Premensis cum hac contumelia aula eliminatus est: dominatio ad cæteros Episc. per vices rediit. Cæsar Paschalia in Nemetũ Augusta cõcelebrat. Inferiis supplicationum stella crinita per quatuordecim continuos dies visa est. Quinquagenalib. Traiecti Cęsar Eberhardo Treuerorum Episc. defuncto, in demortui locum Conradum Phullingensem, præpositum Agrippinensis Coloniæ, annitente Annone

 Pon-

Pontifice, ſubſtituit. Huncq; Treueros adeuntem Theodericus vrbis præſes, ferox ingenio & ætate, concitato tumultu capit, comites in fugam vertit, reſiſtentes occidit, opes diripit, illum carnifici tradit, atq; de altiſsima rupe, tertio, cum bis incolumis euaſiſſet, præcipitari iubet. Quo caſu demũ is exanimatus eſt, Vdoq; in Pontificatu ſucceſsit. Cæſar tum Fritislariæ ſubitò morbo corripitur, medici de ſalute eius deſperãt, pleriq; Principũ regno inhiant, Imperiũq; iam animo inuadunt. Sed præter opinionẽ omnium Cæſar vires corporis recuperat, apud Herueldiam Quinquagenalia agitat, inde Wurtzburgij tertio Kal. Iulij (quo die Petrus & Paulus anteſignani religionis noſtræ, deuictis hoſtibus Reipub. de diuitiis atq; gloria triũpharunt) Bertham ſponſam ſuam, filiam Ottonis & Adelhaidis, Laudis Põpeiæ tetrarcharũ ſolemni cæremonia Reginam ſalutat. In Ingelheim deinde in agro Mogontino nuptias facit.

Laus Pompeia. oppidũ Italiæ, quod Boij ædificarunt, teſte Plinio.

Alij Triburiæ nuptias factas eſſe ſcribunt.

Eadem tempeſtate Wilhelmus Nordmannus cũ Anglis ex Saxonia oriundis atroci naualiq; prælio conflixit: victor Angliam in ſuam ditionem redegit. Duodecim amplius millia hominũ à victricib. copiis deſiderata ſunt: eorũ qui victi ſunt & cecidêre, numerus non proditur.

Wilhelmus Nordmannus Anglos vincit.

Cæſar confectis nuptiis in Boiariam ſe cõfert, Reginoburgij hybernat. Goslariam ad Paſchalia agenda primo vere petit. Dũ autem Cæſar ſub tutorib. degit, & Principes aliis negociis præpediti ſunt, Nordmãni per Cãpaniam, Apuliam, Calabriã finitimas regiones debacchantur, proteruas literas Cæſari ſcribũt, Principib. reſponſa ſuperba reddunt, mandata procacia referunt, ſeſe ſcilicet inuictos armis fore, vtriq; Imp. Occidentali & Græco, Pont. Max. fulmine ſuo adflanti, atq; aliis terriculamentis abſterrẽti, vt Italiæ portionẽ abſtuliſſe: haud dubiè quæ victricib. eorũ manib. parta ſint, inuitis & Francis & Græcis, Gallis, Italis, ſacrificulis Rom. retenturos: ſoli Deo immortali ſe dicto audientes eſſe, cunctos mortales pro hoſtib. ducere, qui cum vellent, congrederentur, intellecturos quid virtute Nordmanni poſſent.

Godfridus in Nordmãnos arma mouet.

Godfridus præſes Cæſarianus Italiæ, cõparato ingenti Teutonũ & Longobardorũ exercitu, acceptis auxiliarib. copiis, à Rom. & Alexandro Epiſc. hoſtes deuouente, in Nordmannos arma mouet, pleraq; omnia caſtella vi expugnat, capit, veteribusq; dominis reddit. Aquinũ arctiſsima circũſedit obſidione. Iamq; vrbs expugnanda erat, Richardus Nordmannorũ Dux, legati Cæſaris colloquium expetit, ſe in poteſtate Cæſaris fore iurat. Gotfridus ſoluta obſidione, dimiſsis copiis, domũ redit. Per idem tempus Boiariæ proceres Charini, Auſtriaci, Norici, Vindelici, ciuili bello digladiantur, inuicẽ prædas paſsim agunt, equis deturbant, cædunt, ſpoliant, villas, agros ſuccendunt: omnia cæde, incendiis, luctu cõplent. Nemini tutò iter per Boiariæ fines patet. Otto ſummus Boiorũ regulus modò his, modò illis auxiliũ pollicetur, munera ab vtriſq; accipit, diſcordiæ mala alit: ſe demũ verè principẽ fore exiſtimat, ſi illi diſſenſione domeſtica vires ſuas attenuarent: qui ſi opib. valerent, minus obſequentes eſſent. Cæſar tum in Saxonia Goslariæ hyemat, rurſus graui ægritudine affectus, lecto decumbit, ſed paulatim conualeſcit. Einhardo mortuo, Spirenſem Pontifi. Heinrico Goslarienſi myſtæ tradit. Rabingerio patriarchæ Aquileienſi Sighardum Epiſtolarũ magiſtrũ ſubſtituit. Bibonẽ ſcrinio præficit. Poſthæc Februario Auguſtam Rhetiæ petit, Italicam meditatur expeditionẽ: ſed diſſuadentib. Principib. in Saxoniam redit. Theodericũ, qui Conradũ Treueris Pont. deſignatũ, trucidauit, cum ſociis proſcribit: ipſeq; cũ conſciis in exiliũ actus, in Paleſtinã proficiſcitur, quonã gentium abierit, ſcit nemo. Sub idem tẽpus anno archimyſta Agrippinenſis, Hainricus Tridentinus Põt. Otto regulus Boiorum iuſſu Quarti, legati cum mandatis in Italiam tranſitũ faciunt. Italiæ regiones luſtrant, cenſum, conuentus agunt, ius dicunt. Rauennæ ab vrbis Epiſc. conuiuio excipiuntur. Cathochum Pont. Parmenſem obuiam officij gratia procedentẽ, benignè appellant, familiariter ſalutant: vtriſq; Pontificib. Alexander ſacrificiis interdixerat. Quocirca Cæſarianos, vbi Romam venere, quod aditũ eorum, quos in numero ſceleratorũ atq; impiorũ habendos cenſuiſſet, non deuitaſſent, ſalute non impartiuit. Verùm vbi rationẽ ipſis conſtare accepit, eosdẽ datis acceptisq; mandatis abſoluit. Et poſt Paſchalia more ſolenni, conuentum Eccleſiaſticũ agit.

Pontifex Tridentinus.

Vbi Pont. Tridentinus, qui diripientes res tẽpli ſui ſub Leone nono occiderat, homicidioq; pollutus hactenus ab aris motus fuerat, vniuerſis deprecantib. ouili reſtituitur. Florentinus Pont. & Otto Treuerenſis archimyſta, ambitus hæreſeosq; quam Symoniam vocant, poſtulantur: ille conuictus claſſe Pont. extruditur, hic iureiurãdo ſe purgans abſolutus eſt.

Cæſariani Roma diſcedunt.

Cæſariani defuncti Imp. principis Roma diſcedunt: Epiſc. domos abeunt. Otto in Italia ſubſiſtit, cum principib. Italiæ, quib. ſe mandata Cæſaris relaturũ prædicat, ſecreto colloquitur, ei obuiam procedit, in agro Placentino cum magno comitatu Gotfridus fama iactitatũ Ottonem res nouas moliri, tentare animos Italorũ occultè, quæreréq; quos in ſocietatẽ ſceleris aſſumeret. Porrò & Italis non fuit conſilium incerta pro certis amplecti, pacem cum bello cõmutare, fidem flagitio poſthabere. Ideo Otto repulſus turpiter ab Italia, in Boiariam rediit.

Otto in Boiariã redit.

Iamq; huiuſcemodi res tentatæ, ipſum Cæſari eiusq; amicis ſuſpectũ fecerunt. Proceresq; Boiorum cum ſua ſponte ſatis inſanirent, inſtigati ab Ottone duce ſuo manus apertè Marte conſerere ſtatuunt. In Orientali Boiaria, quam Auſtriam vocant, armatæ cohortes turmæq; hoſtili animo conueniunt. Iam teli iactu diſtabant,

bant,& hastis sublatis,arcubus tensis,ferire destinarant. Mox diuinitùs mutato subitò animo,ciuile detestantur bellum. Pax pax abiectis armis ingeminant,inuicem collachrymantes salutant: Ottonis reguli Boiorum insidias,moresque communiter incusant,datis dextris,pace confecta,domos abeunt. Wentzeslaus tum antistes inferioris Altaichij moritur. Volckger per suffragia communiter,consensu Ottonis à monachis cooptatur. At Cæsar Mogontiaci autumno commoratur,inde in Saxoniam Goslariam hyematum concedit. Ipsa hyeme congelatis fluminib. glacie Luticios petit, vrbes expugnat, vicos exurit,gente paludib. septam in ditionē cogit: cum ingenti captiuorū numero,magnaq; præda victor reuertitur. Inter hæc à nobilitate Saxonū,quòd latrociniis abstinere, legib. obtemperare,auiditati suæ fine dicto pietatem colere cogerentur,in Cæsarē conspiratum est. Principem coniurationis Ottonē Ducem Boiorū, genere Saxonem fuisse literis proditur. Isq; susceptis primis partib.Cæsarē victorē,dimisso exercitu,cum paucis redeuntem in oppida quæ Luticianis continuabantur,inuitat. Conradū educatorem atq; nutricium Cæsaris,iam pridē inimicum suū ante cubiculi fores excubantem,primò conuiciis,deinde armis inuadere statuit. Heginonē quendam famulū suum pollicitis in societatē adsciscit: huic ensem tradit,quo Cęsarē è cubiculo prodeuntē contrucidaret. Cum igitur conscij ex composito contumeliis Conradū afficiunt,forte fortuna amici eius haud imparati (vt participes conspirationis rebantur) adsunt,armis opē Conrado ferunt. Ita consiliū cædis frustra fuit: sceleris consortes,ne facinus notaretur,tanta spe destituti,abeunt. Nemo tamen præter conscios,quid sibi hic tumultus velit,intellexit: omnes priuatū odium,veteremq; simultatē qui mores purpuratorū sunt,interpretabantur. Cæsar itaq; cœlesti haud dubiè beneficio ab imminente periculo liberatus,Paschalia Quintelenburgij, Quinquagenalia Agrippinæ agit. Inde ad conuentus agendos in Vangionū vrbem concedit. Vbi cū Sighardo archimysta Mogontino secretū sermonē habuit. Turogorū gens Hercynia sylua pro natiuo muro,à Saxonibus, Francis,Boiisq; antiquis,à Misnensib. siue Sorabis,Sala flumine separatur. Ea sub ditione ecclesiastica archimystæ Mogontini censetur, neq; decimas sacrificiis more cæterorū Christianorum pensitant. Cæsar captus illecebris concubinarū,earumq; amore occupatus,abhorrebat à re vxoria. Hoc vbi sensit Sighardus Pont.Mogont. Cæsari,si Turogos decimas soluere cogat,se discessionē solemni cōuentu iureq; suo facturū pollicetur. Grata res Hainrico fuit,omnem operam promittit sacerdoti: prædicat se iniquo fato iniisse matrimoniū,& fascinatum nondū coniugem attingere potuisse,fama dissipat,vt illa virgo à se integra adhuc sit: nec eam diutius habere, nec eas tolerare posse nuptias,vnde liberos nullos sibi fore speraret: quocirca decreuisse,vt eam integram conuentu celebri itidem reddat,vti acceperit à suis,quo vterq; nuptiis auspicatiorib. cōnubio alteri liberûm procreandorū causa copuletur. hancq; ob causam Cal.Octobrib. Mogontiacum senatus Ecclesiasticus edicitur. Cæsar interea in Boiariam Reginoburgium migrat. Vxor eius in Loreshaim monasterium in Vangionū agro ablegatur. In Italia Adelhaidis socrus Cæsaris Laudem mandata facere recusantem obsidet, expugnat, portisq; præclusis neminē exire permittit,vrbem incendit,templa, cōtubernia monachorū,virginum,vici, fœminæ,puellæ,ædes priuatę,publicę,sacra,omnia prophana igne conflagrarunt. Eadem tēpestate Gotfridus Dux obiit,Gothelo filius,qui & Gotfridus Gibbosus succedit. Dumque talia fiunt,duodecim amplius Francorū proceres,Saxonumq; primores,cum Saxonię incolis,quòd prædia stipendiaria,quib. hactenus incubuerant,eis denegarentur, in Cæsarem conspirant. Principes coniurationis rursus Otto Dux Boiorum, Theodo & Albertus Tetrarchæ Saxonū erant. Placuit his Turogos in societatem assumere. animosq; gentis (quam Cęsar auita libertate dispoliare,& in seruitutem sacrificulorū redigere conaretur) tentare. Theodo & Albertus apertè rebellionē faciunt. Reliqui se amicos Cęsaris,quo falleretur,vel si victoria potiretur, participib. veniā impetrarent,simulabant. Theodo Schidingen oppidū Bambergensis Episcopi,in Turogorum terra inuadit, præsidio firmat munitissimo: Albertus Neoburgū occupat,ambo prædia Cæsarea sibi seruire cogūt. Cæsar qui tum Reginoburgij in Boiaria cōmorabatur,quàm celerrimè potest in Turogorū fines arma mouet. Sighardus Mogontinus Episcopus ratus adfore tēpus,quo Turogos soluere decimas vi cogat,cum auxiliarib.copiis Cæsarem insequitur: summa ope hoc bellū præsens administrat. Turogi qui animū Episcopi in se præsenserant, ad Cęsarem legatos proficisci iubent,qui dicerent,Turogos fidē principi seruaturos, imperata obedienter facturos,vnū à Cæsare petere,ne Turogos de Repub.bene meritos,ludibrio fastuosi antistitis,& auariciæ sacrificulorū direptui patere sinat. Malle Turogos mori,quàm auitā libertatem amittere, & in seruitutem caluorū effœminatorū redigi. Cęsar benignè respondet, Turogos bono animo esse iubet,ipsis opē suam,si modò in fide perseuerēt pollicetur. Posthæc Bichilingen,oppidū Theodonis castra mouet, primo impetu capit: atq; vbi eam vrbem diripuit,incendit,solo æquat,inde Schidingen obsidione claudit. Milites Episcopi iussu principis sui consulto in Turogos acrius sæuiunt. Villas diripiunt,incendunt: agros vastant,pecora abigunt,resistentes trucidant. Porrò Turogi eosdem,pabulatū, aquatum prof-

VVentzeslaus moritur.

Volckger cooptatur à monachis.

Lausnitz.

Sigebertus dicit iteram Luticianorū Hainricum ingressum cū exercitu anno 1069.

Hęc habes in Herueldensi Chronica sub ann. Domini 1069.

Gotfridus Dux obiit.

Theodo qui ab Herueldēse Dedi, ab Vrspergensi Teti dicitur.

Turogi ad Cęsarē legatos mittunt.

Bichilingen oppidū solo æquatum.

proficiscentes, aut denique prædas agitantes capiunt nullo contumeliæ genere abstinent, in crucem tandem agunt. Schidingenses, licet firmissimo præsidio tenerentur, vi expugnati prima expugnatione multi Cæsariani oppressi. Otto regulus Boiorum illi quidem bello interfuit: at quasi spectator, quò fortuna inclinaret, ab exercitu secedit, loco æquo considet, suos in armis continet, nec Cæsari, nec hostibus auxilio erat. Cæterum Quartus castellis duobus expugnatis, iam ad alia infesto contendebat animo. Theodo & Albertus vbi se impares Cæsari, à sociis desertos ac planè proditos vident, supplices se Cæsari absque omni pactione permittunt: prædia, castella reddunt, vitam duntaxat orant: cuncta ordine, consciorumque nomina exponunt. Cæsar quòd eos sceleris pœniteret, gratiam facit, parte maxima prædiorum mulctat. De reliquis coniuratis sumere supplicium supersedet, sapienter delicta dissimulat. Nam tot homines nobiles, maximis diuitiis, summa potentia, tametsi verum existimabat, reos simul parricidij facere manifesti, tum sibi tum Reipub. periculosum fore arbitrabatur. In tali tempore tanta vis hominum magis leniunda, quàm exagitanda videbatur. Pacatis itaque Saxonibus Cæsar quo Episcopo satisfaceret, ab eoque libellum repudij extorqueret, decimas Turogos quidem imperat: verùm verbis leuioribus quasi recusaturos cogere nollet. Inde Mogontiacum ad diuortium faciundum transitum facit. Dumque eò contendit, fit certior Petrum Damianum, P. M. legatum ibidem cœptis suis obstaturum esse. Proinde in Saxoniam redire in animo habet. Ægrè tamen ab amicis persuasus Francofordiæ substitit: hucque, qui Mogontiaci conuenerant, se transferre iubet. Quò cum illi frequentes conuenissent, flamen Romanus Mogontino, si dissidium facere pergat, sacrificiis interdicit, eundem albo Pontificum eradit, sacerdotum tribu eliminat. Deinde Cæsarem docet, facinus quod moliatur, inuidiæ, quam ferre difficile sit, obnoxium esse: diuino humanoque iuri repugnare, ipsique perniciosissimum fore. Omnium deterrimum esse, qui libidini indulgeat: nequicquam aliis imperare, qui sibi ac animo suo imperare nequeat. Cæsarem ideo à Deo constitutum, ideo ei ensem strictum præferri, vt scelera puniat: non exemplo nimiū periculoso, committat. Et norma sit rectè beateq; viuendi populo, qui ferè regenti similis esse solet. Præterea Berthæ parentes plurimū in Italia pollere, neutiquam æquo animo laturos filiæ contumeliam, quam discessione Italiæ vindicare queant. Romanum quoq; Pontificem iniuriam istam Reginæ factam, haud neglecturum. Hosce deniq; mores tanto indignos esse Imperio. Cæsar his & huiuscemodi dictis à legato Romano, amicisq; persuasus, vxorē recipit, cum ea in Saxoniam migrat, vbi proximo deinceps anno filiū peperit. At Mogontinus Episc. decimis excidit. Cæsar in Boiariam ad hybernacula redit, Fruxini brumales ferias cōcelebrat. Wolphramo Taurisiorū Episc. defuncto, in demortui locū Azilonem substituit, Hartuico Veronensi Episc. Husvvartum. Paschalibus Nemetū Augustam, Quinquagenalib. Misniam ad conuentus agendos petit. Otto Boiorū regulus, conscientia obstrepente, quiescere non potuit, consilia occulta facit, quoscunq; idoneos reperit, præmiorū spe & pollicitis, dolo sibi obnoxios fidosq; facit: & hoc assecutus opes factionis iam propalam confirmat, adeò vt Cæsari hactenus cuncta dissimulanti, non ferendus amplius videretur, maximè cum Hegino Ottoni intimus, repentè mutatus, seu pœnitentia actus, seu obstare Deum cœpit credens, ad Cæsarem vltrò profugisset, scelus confessus fuisset, cunctaque ordine narrasset. Cæsar Ottonem ad se Goslariam vocat, quæ ab Heginone audierat, spectante populo, in corona Principum, eidem exprobrat: eumque inficias euntem, domum redire, singularique pugna crimen diluere iubet. Die dicto Goslariæ, Otto quidem adest: sed se Cæsari, nisi publica fide interposita, committere metuebat. Cæsar mandat, se verò fidem, quatenus per leges liceat, dare illum incolumem, modò insons sit, abiturum. Otto hanc conditionem nequaquam accipit: mox equo admisso aufugit. Erant qui continuò persequendum, in vincula coniiciendum, supplicium de eo, more maiorum, sumendum, censerent. Sed Otto, amicis eius qui apud Cæsarem erant, dicendi mora, de industria diem extrahentibus, fuga elapsus est. Cæsar vbi dolum intellexit, subitò frequenti senatu à scriba legem Salicam, qua capitale est in Principem coniurare, recitari iubet: & vniuersos confestim iureiurandi, quo cuncti pro salute Reipub. atq; principis astricti erant, admonet, sententiamque rogat. Omnes in sententiam legis pedibus (vt aiunt) eunt: fit senatusconsultū, Otto hostis iudicatur, proscribitur: bona eius confiscantur, prædia publicantur, Boiaria Cæsari adiudicatur. Cæsariani oppida, castella Ottonis inuadunt, vastant, ædificia, villas, agros incendunt, comburunt. Otto profugus in saltum Hercyniæ, Chetilam nomine, fugam capessit, in latebris ac montibus eiusdem syluæ delitescit, socios sibi omnium flagitiorum, facinorum cateruam, quasi stipatores, asciscit: quicunque alea, ventre, pene bona patria dissipauerat, æs grande alienum conflauerat: postremò quos flagitium, egestas exagitabat, ad illum conuolant. Eumque ducem nacti, crebrò in Turogorum, Saxonum fines erumpunt: prædia Ecclesiastica, Cæsarea, igne concremant, diripiunt: omnia incendiis, luctu complent. Cæsar natalibus Christi Bambergam ad conuentus agendos proficisci-

Theodo & Albert. proditi supplices Cæsari fiunt.

Petrus Damianus legatus P. M.

Cæsar cur à Deo constitutum.

Cæsar vxorē recipit.

Anno Domini 1070.

Hegino.

Otto republicus hostis proscribitur

ficiſcitur, Welphoni Lycatio, cuius ſuprà memini, Boiariæ ducatum in tutelam committit. Iſque ſacramenta Cæſari dicit. Ottonem ſuperiorem, cuius filia ſibi deſponſa fuerat, ſocerum iureiurandi religione abdicat: eidem filiam cum repudio remittit. Iuditham Angliam vxorem ducit. Eius genus & ſobolem in ſextum transfero librum.

Vuelpho dux Boiorum.

Cæſar (vt ad rem reuertar) Leodij Paſchalia celebrat: prædia quædam Stabulenſium monachorum archiepiſcopo Mogontino donat, ſed rurſus monachis expoſcentibus reddit. Quinquagenalia Albeſtadij peragit.

Halberſtat.

Otto Boiaria pulſus Albertum archiepiſcopum Premenſem, cuius ante hac inimicus fuerat, ſibi muneribus conciliat. Is ergo in ſolenni ſacrificio nunquam inſtare deſtitit, vt gratia Ottoni fieret, ſuadere, orare, vſq; adeò, donec perpulit Cæſarem, vt Ottoni prædia gentilicia redderet. Quæ quidem precario ille poſſedit, alijs tributa ſunt. Nihilominus tamen Otto hominum ingratiſsimus atq; perfidus, cui nullum ſcelus eſt, poſtea rebellionē facit: maximis cladibus maieſtatem populi Romani vaſtauit.

Otto rebellionē facit.

Vbi miſericordia opus, nemo clemens eſt: Viduas, pupillos, inopes, agricolas, ciues compilamus, ſeruire nobis cogimus, in hoſce leui rumore animaduertimus: vbi nihil opus eſt clementia, potentibus, latronibus, peculatoribus, qui neque patriæ neq; famæ ſuæ, neq; dijs neq; hominibus vnquam pepercerunt, ignoſcimus. Dumq; paucis ſceleſtis parcimus, bonos omnes perditum imus. Sed cœptū perſequar. Pleriq; hoc anno antiſtites monachorum & epiſcopi, nempe Sigebertus Hyldeshaimenſis, Carolus Cōſtantienſis epiſcopi, Rupertus, Luitpoldus atq; Luitpertus præſides Augienſes, præſidente Cæſare, quòd candidati, munere ſuffragatores pararant, cum hiſq; interpellantibus pepigerant, ambitus condemnati ſunt, ſacerdotijs atque dignitate exciderunt. Geraldus tum Moſellanus regulus atque Gotfridus inferioris Germaniæ ſatrapes, præſes Italiæ obierunt. Succeſſere vtriſque filij, illius ducatus Theodorico, huius Gotfrido Gibbiſo, paruo exiguoque corpore, at magno animo, traditur à Cæſare, qui in hyberna in Boiariam concedit. Reginoburgij Decembris ferias concelebrat.

Geraldus Moſellanus regulus & Gotfridus obierunt.

Sub idem tempus in Vngaria Geyzo & Ladiſlaus fratres, Solomoni regi Vgrorum patrueli ſuo rebellare nituntur. Quamobrem Quartus expeditionem Vngaricam parat. Quod vbi Vgri intellexēre, internuncijs epiſcopis, patrueles in gratiam redigunt, Vngariam in tres partiuntur partes. Vna Geyzo & Ladiſlaus potiuntur, magnique præfecti atq; duces nuncupantur, reliquas rex Solomon retinuit.

Expeditio Vngarica.

Hoc toto anno in Boiaria commoratum fuiſſe Cæſarem, diplomata templis dediſſe, dona myſtis feciſſe, reperio. Hainricus archimyſta Rauennæ, Huſuuartus Veronēſis epiſcopus obijt: illi Vichbertus, huic Bruno à Cæſare ſubſtituitur. Berchtoldus à Zaringen noua molitur. Otto Boiaria deturbatus in Saxonia rebellionem rurſus parat. Subſequenti anno Cæſar in Boiaria Bambergæ natalibus Chriſti, Quadragenariæ abſtinentiæ caſtimonia Aichſtadij operatur: ibi Berchtoldo ſe purganti ignoſcit. Paſchalia ſacra Reginoburgij perpetrat. Quinquagenalibus ad conuentus agendos in confinio Boiorum Sueuorumq; Auguſtam proficiſcitur. Inde in Saxoniam, vt tumultum Saxonum, manus auaras, latrocinia, legibus & armis cohibeat, contendit: quippe illi, authore Ottone (de quo ſæpè diximus, & quem Cæſar conuictum condemnatumq; procerum iudicio non ſolum vita, ſed & patrimonio donauerat) arma reſumpſerant, per fas nefas aliorum bonis inhiabant, ſacerdotes, ciues, agricolas iuxtà opprimebant: dicto audientes non erant, cenſum nequaquam penſitabant, nulla reuerentia Imperia ferebantur. Ab hac igitur licentia vagandi, cum armis præſente Cæſare, maioreq; poteſtate repreſsi, pro factiſq; iudicium timentes, clam conuentus agunt, conſilia habent, tres proceres ad Cæſarem cū mandatis mittunt.

Cæſar in Saxoniam contendit.

Quorum qui natu maximus erat, & armis exercitatiſsimus Meginfridus ita verba fecit: Nobiliſsime Cæſar, auiti paterniq; regni clariſsimus hæres, Saxonum populus, nulli nationi armis & fide ſecundus, deprecatur te, vti iura auita, libertatem veterem ſibi reſtituas. Externi, egentes infimiq; quique, atq; inopes, vi opibus noſtris potiuntur, indigenas communibus ſyluis, paſcuis, pecoribus arcent. Quòd ſi patrio more nos viuere permittas, nullam Galliarum, Germaniamùe nationem tibi deuotiorem fore ſenties.

Meginfridi oratio ad Cæſarem.

Cæſar paucis reſpondet: Si qua iniuria affecti eſtis, ego ſanè iure noſtro impunè abire non ſinam. Nemo vnquam meam opem fruſtra, modò innocens fuerit, implorauit. Quòd inopes, viduas, pupillos defendo, pacem ſeruari iubeo, latrocinia, rapto viuere prohibeo, vi ablata reſtituo, prædones punio, cenſum ago, officia atq; imperij munia obeo & exerceo, non iniuria, ſed pietas eſt. A Deo Opt. Max. princeps conſtitutus ſum, enſem fero, vt diſcordioſi atq; ſeditioſi, ſceleſti quiq; ſiue nobiles ſiue ignobiles ſupplicia luant. Boni concordiæ atque pacis amatores feſta pace fruantur. Si quid aliud eſt, quæ populares tui volunt, concilium procerū Imperij conuocabo, ibi potius iure, quàm armis diſceptandum cenſeo. Hæc vbi Saxonum dynaſtæ accepēre, ſuaſu Ottonis Boiorū quondam reguli, arma corripiunt, & concitato magno tumultu, ſe libertatē armis potius defenſuros, quàm calumnijs compilari, ac planè venire vociferantur. Haud procul Hercinoburgio, vbi tum Cæſar epulabatur, caſtra faciūt. Hainricus nūcios mittit, accerſit ſingulatim quemq;, hiſq; parere recuſantibus, ac minaciter, quæ antè petiuerant, poſtulantibus, quod cū paucis cū ibi degebat, & im-

& impar tantæ multitudini foret, castella sex in ea regione præsidio firmo commeatuque munit, in Franciamque copias coacturus cedit. Cumque in Ottonem, ob perfidiam Boiariæ ducatu motum, qui sibi insidias, cum longè maioribus viribus in itinere pararat, incidisset, eundem maiestate deterruit, per Franciam in Boiariam euasit. *Saxones Hennobergomū obsident.* Saxones interim Hennobergomum obsident, oppugnant: sed multis amissis, à Cæsarianis fortiter repulsi, postea frustra fame ad deditionem cogere nituntur. Tandem Eckbertus præfectus prætorio Saxoniæ, corruptis quibusdam custodibus, auro, proditione atque pactione castello potitur. Mox Saxones infantis filij regis manes violant, ossa è conditorio eruunt, per agrosque spargunt. Post hæc maioribus copijs, nempe viginti millibus hominum Hercynoburgium, quod trecentorum equitum præsidio tenebatur, obsidione claudunt: nec tamen illos, neque auro, neque dolo, neque armis, neque fame ad deditionem cogere valent. *Saxonum strages.* Quin ducenti bis eruptione de improuiso facta, magna strage Saxonum edita, incolumes cum præda ingenti in castellum reuertuntur, obsidentesque pacem petere cogunt. Quam hoc pacto fecere, vt Cæsar author fieret. Inde vtriq; ab armis discedunt, obsidiones vbiq; soluuntur: vltrò citroque vtrinque impunè commeant, omniaque pacata videbantur. *Cæsar pacē confirmat.* Cæsar ex Saxonia in Boiariam reuersus, pacem quam sui fecerant, confirmat. Vgris qui Solomonem regem exegerant, bellum indicit. *Solomon in Vngariam reductus.* Solomonem maritum sororis suæ profugum in Vngariam reducit: Vgros in fugam vertit, superiorem partem regni Solomoni restituit. Ibi Russorum regulus à fratre regno pulsus, Cæsaris, rerum domini, communisq; orbis terrarum parentis, opem implorat, restituique in regnum petit. Dum igitur Cæsar postulatis annuit, & vlteriora Vngariæ inuadere, Roxolanum in Sarmatiam reducere meditatur, pontifices, proceres, gregarij quoque milites, auro, muneribus ab Vgris corrupti, dicto audientes esse, vltrà procedere recusant. Accedit aliud malum, *Saxones pacē exuunt.* Saxones pacem exuunt, fidem rursus frangunt. Adolescentuli duo Cæsariani, qui in præsidio Hercynoburgij erant, Goslariam arma cõparaturi ingrediuntur, confestim à ciuibus in vincula conijciuntur, indemnati in crucem aguntur. Socij horum qui Hercynoburgij reliqui erant, contumeliam sibi factam rati, necem innocentium vindicaturi, decem qui pecus Goslariensium, vt prædones, abigant, præmittunt. Centum equites in insidijs delitescunt. Vbi illos gregem abigere Goslariam renunciatum est, ciues arma corripiunt, senes, iuuenes, equites, patres, artifices, vulgus inconditum, prædam recuperaturi sine ordine ruunt. Vbi paululum extra septa vrbis progressi sunt, subitò equites Cæsariani prorumpunt, agmen incompositum ciuium cædunt, proterunt, in fugam vertunt: fugientes more pecudum multos trucidant: victores Hercynoburgium reuertuntur. *Saxones Cæsarianis bella indicunt.* Hac clade suorum commoti cæteri Saxones communiter arma resumunt, Cæsarianis bella indicunt. Hi fortiter se tuentur, eruptione ex omnibus castellis quæ tenebant, crebrius facta, incendijs, cæde, rapinis, luctu cuncta complent. Eadem tempestate dum talia fiunt, Alexander Pontifex Maximus moritur: substituitur à senatu populoque & sacerdotibus Romanis Hyldebrandus, qui & Gregorius septimus. Isque statim præsidi Italiæ Cæsario, se lectum, literis aperit. Scripturusque iam Reipublicæ Christianæ, occidentalis Ecclesiæ, Romanique Imperij bella, cædes, homicidia, parricidia, simultates, odia, stupra, furta, peculatus, sacrilegia, dissidia, seditiones, plus quàm ciuiles, plusquàm domesticas, præfandum operæprecium duxi, nos quemadmodum decet historicum, solam veritatem spectare, & ab omni odio atque amore vacuum esse, scribemus. Quippe cui Hyldebrandus & Hainricus, quos narrabo, nec beneficio nec maleficio noti, vt qui ante quadringentos annos, quàm ego nascerer, mortui sint. Non conquiram Chronicariorum (vti vocant) mendacia quales sunt: Vincentius, Antoninus & Iacobus, reliquique summularij, specularij, supplementarij, & fascicularij, homunciones perditissimi, & indoctorum arrogantissimi: qui cum nihil calleant, omnia tamen profiteri audent. Hominum ignauissimi procul à Repub. procul à conuersatione humana, inclusi antris, ætatem sub vmbra & tecto transigunt, leges historiæ nesciunt: nusquam in aulis principum, nunquam publicis negocijs interfuerunt, prudentiæ ciuilis, rerum diuinarum humanarumq; iuxtà imperiti. Nihil penitus eorum quę ad inquirenda veterũ gesta pertinent, & ego in Præfatione primi libri commemoraui, norunt, situm, cœlum, qualitatem, regiones, populi mores, instituta, linguam ignorant: tamen mortalium stolidissimi horum scribendorum prouinciam sibi sumunt, panegyricos, inuectiuas, clamationes (declamationes volui dicere) impudentissimè deblaterant. Legi multos, præsertim Paulũ Bernritensem, Gerochum Reicherspergensem antistitem, Augustinianos mystas, in Boiaria ortos. Vterque de huiuscemodi discordia perniciosa libros edidit, vterq; pars huius tumultus fuit. ille Reginoburgij, hic Augustæ primariæ ædis sacerdos, ambo rebus Hyldebrandi studuêre. Quamobrem sedibus pulsi, in exilium acti sunt. Extant præterea in Bibliothecis nostris epistolæ, diplomata, edicta, rescripta Hainrici & Hyldebrandi vltrò citroque missa. Ego horum instrumentorum publicam sequar authoritatem, vtriusque causam sedulò & ex fide perorabo: vitijs vtriusq; (vt homines fuerunt) notandis amicis, in virtutibus prædicandis hostibus

stibus credam. Nam Hainricum stupris, amoribus impudicitiæ & adulterij flagrasse infamia, ne amici quidem negant. Cæterùm in pauperes, monachos, sacerdotes munificentissimum: constantia in aduersis, fide in deditios, clementia in hostes, pietate, prudentia ciuili & militari, eximia specie ac maiestate corporis magnorum operum capaci, quibus eum natura dignata, omnes antecessisse, hocq; fastigio dignissimum fuisse, etiam inimici fatentur. Et Gregorium virum sanctissimũ peruicaciorem extitisse, Paulus Bernritensis, qui eius vitam libris duobus complexus est, & reliqui eius partiũ acerrimi propugnatores produnt. Gerochus quoq; (quo nemo acrius scriptis libris Hyldebrandum tutatus est, vtpote qui crimina Cæsari obiecta, quæ apud nullum alium legerim, explicat) tandem suæ partis pertinaciam, ne dicam tyrannidem hisce verbis, coactus veritate, notat. Romani (inquit) sibi diuinum vsurpant honorem, rationem actorum reddere nolunt, nec sibi dici æquo animo ferunt, Cur ita agis? Illud Satyricum inculcant: *Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.* Quæ nam felicitas eius temporis fuerit, vel hinc existimari licebit, quòd eius tempestatis illustris & grauis in primis ac eloquentissimus scriptor nomen suum prodere non audet. Et admodum scitè acriterq; ad factiones, ad fraudes, ad scelera (inquit) peruentum est: vera scribere periculum, falsa crimen. Hactenus Pontifices Ro. comitijs curiatis, calatis, à sacerdotibus equitatu, plebe, senatu, per omnium generũ suffragia electi fuerant, id tum ratum fuisse reperio, si Imperatores Ro. authores fierent, qui illos, sicuti alios episcopos ad concilia iure suo euocabant. Cæteros quoq; vniuersos pontifices, monachorum, mystarum magistros, ex consilij decreto, comitijs centuriatis, per suffragia purpuratorum, more maiorum, Imperatores per Germanias, Galliam, Teutonicam, Italiam, Romanum orbem, sicuti in Carolo Magno commemoraui, capiebant. Sanctissimi patres, quemadmodum Christus dominus & deus noster, comites & legati eius fecerunt, & alios docuerunt, Cæsares in terris à Deo secundos, ante omnes mortales primos, à supremo numine datos, diuinitus constitutos, ab immortali Deo electos, & (vt illi vocant) coronatos, venerabantur: dominosque suos vocare solebant. Eisdem tributum, censum non denegabant, pro eorum salute quotidie comprecabantur. Imperata detrectantes, tanquam cœlesti prouinciæ resistentes, videri contra pietatem Christianam fecisse decernebant. Grande nomen esse Imperatoris, à Deoque tradi prædicabant. Reipublicæ turbellis, nedum armis, vt milites Christi se non immiscebant: paupertate & modestia cum cæteris Christianis decertabant, quo quisque submissius se gereret, hoc maiorem esse sentiebant. Ensem ancipitem, gladium duplicem, Christianæ ciuitati datum, adseruandum, viuificandumque, non occidendum esse putabant: eundemque spiritalem appellabant, qui est sermo dei, vita & lux hominum: Et mortuos ad vitam reuocat, ex hominibus deos, ex mortalibus æternos facit: tantum abfuit, vt illi vel regum quempiam, vel impium, vel Arrianum regno pellere, eidem sacrificijs interdicere, populum sacramento soluere tentarent, atque regna euertere, sanguine humano se polluere, pro principatu cum Christianis decertare, sibi permittant. Vicissim hos, principes, sicuti parentes animorum communes amabant. Gregorius septimus, qui & Hyldebrandus, fretus armis. Nordmannorum, qui tum per Apuliam, Calabriam, Campaniam, quas vi occuparant, debacchabantur, confisus etiam opibus Machtyldæ mulieris impotentis, & discordia Germanorum, primus contra morem maiorum, contempta Imperatoris authoritate pontificatum maximum occupauit. Vtramq; personam sibi impositam esse à Christo, se quodcunque, vt liberet, ligare, soluere posse, iactitare, vtramque personam agitare. Occidentem adserere, omnem potestatem in se transferre, neminem parem, nedum superiorem ferre, iusta aliorum diminuere, cæteris ius atque honorem præripere, cuncta in se transferre: Cæsares, reges, augustos, vt precario regnantes, floccifacere: pontifices, episcopos in ordinem redigere, deuouere, capite deminuere, lites, bella concitare, discordias serere, factiones confirmare, iusiurandum, pacta, sacramenta soluere capit: etiamsi iniuria vel ipsum Cæsarem affecerit, tamen se metui oportere in quadam gloriatur epistola, vtpote qui errare non possit, & à Christo Domino seruatore nostro Petroq; acceperit potestatem, vt soluat ligetque vtcunque libeat. Tum mores ambitione auaritiaque corrupti paulatim inualuere, tempora periculosa cœpere, quæ nobis cauenda Christus seruator noster, Petrus ac Paulus longo antè tempore probè cantarunt. Tum illa quæ de Syluestro & Constantino vulgò inculcantur, & alia pleraque, quæ ob modestiam Christianam referre pudet, non minus imperitè, quàm impudenter mendaciterque conficta sunt, simulata religio, species pietatis inuasit. Compilationes, nundinæ sacrorum irrepsere & sacrosancta philosophia humanis commentis fabulis anilibus à sycophantis callida interpretatione pollui, corrumpi, violari cœpit adeò, vt sine multorum pernicie religio sancta procurari, & ad pristinam maiestatem restitui non possit. Ante hæc occidentales Christianos Deus parens indulgentissimus, per alienos à religione, nempe Saxonas, Hunnos, Nordmannos, Venetos, Longobardos, Vngaros, verberibus, flagellis, ferula, sæpius ac crebrò continenterque castigarit; nunc verò velut ab irato patre neglecti atq; exhæredati, more maiorum

(vt

(vt vulgò dici solet) geniorum, inuicem peius Turcis, per quadringentos amplius annos sæuimus (cantantibus classicum qui prohibere deberent) fallimus, decipimus, circumuenimus, defraudamus, trucidamus, in viscera ferrum conuertimus. Nostræ libidini relinquimur, nostro viuimus arbitrio, superbè, auarè, impunè agimus, deum immortalem mendacij arguere non erubescimus. Atque is Hyldebrandus, qui & Gregorius septimus, primus Imperium pontificium condidit, quod successores per quadringentos quinquaginta continenter annos inuito mundo, inuitis Imperatoribus adeò duxere, vt inferos superos in seruitutem redegerint, atque sub iugum miserint, atque cuncta fulmina perterritent.

Quo bruta tellus & vaga flumina, | *Quo Styx & inuisi horrida Tænari*
Sedes, atl intemq; finis | *Concutitur, mutant ima summis,*

Vtcunque libet de cœlo ad inferos præcipitant, rursus ex inferis ad astra tollunt, iam Imperator Romanus nihil amplius, appellatio modò est sine corpore, sine specie. Tametsi ex arbore fructus cognoscatur, & nemo ex spinis colligat vuas, & miles signum sui tribuni agnoscat: nobis tamen ante tempus non licet vllum iudicare, sed cum summa potentia maximo cœlestis sapientiæ studio, secundum diui Pauli præceptum expectandum est perpetuum æterni prætoris edictum. Sed vt me hoc fasco molestissimo quàm celerrimè leuem, reliqua exequi pergam. Sacerdotes illa tempestate publicè vxores; sicuti cæteri Christiani habebant, filios procreabant, sicuti in instrumentis donationum, quæ illi templis, mystis, monachis fecère, vbi hæ nominatim cum coniugibus testes citantur,

Presbyterissæ.

& honesto vocabulo Presbyterissæ nuncupantur, inuenio. Cæsar tum, quemadmodum in Carolo Magno, & iam explicaui, episcopos, pontifices, antistites, monachorum magistros, virginum maximas, suo iure capiebat. Et vt homines, non dij sumus, nihilque est ex omni parte beatum, eueniebat interim, vt & honorarium scribis pro diplomate, xe-

Nicolaitæ. Symoniaci.

nium suffragari, condonare necesse foret: sacerdotes illos Nicolaitas, hos Symoniacos appellat: eosdem deuouet, ambitus, incestus condemnat, curia sacerdotum mouet, scribit deinde Cæsari, ducibus, principibus, dynastis, tetrarchis, maximè Berchtoldo à Zaringen, Rudolpho Sueuo, Welphoni Boio, Adalberoni, & vxoribus horum, atq; mulieribus, cærerisque quoscunq; idoneos credidit: item episcopis, præcipuè Ottoni Constantiensi, sacrificulis, populo, vt superiores mystas velut sceleratos atque impios deuitent: eorum sacrificia, colloquia, sermones, conuiuia, haud aliter quàm contagionem fugitent: illos salutare, resalutareúe maximam impietatem esse docet: ijsdem parere, si sibi non pareant, æs Ecclesiasticum reddi vetat. Grauissima itaq; seditio gregem Christi perculit: nec vnquam talis lues populum Christi afflixit. Mystæ aduersus pontifices, populus aduersus sacerdotes, prophani aduersus initiatos sæuire, omnia diuina humana permiscere cœperunt. Viri, mulierculæ, vt quisque maximè auarus, ambitiosus aut inuidus erat, bella & lites, odia amabat: leui admodum suspiciuncula excitatus sacerdoti suo resistendi, bona templi diripiendi ansam præripiebat, populares, sacerdotulos, qui vxores habebant, floccifaciebant, religionem polluebant, sacra temerabant, lustrica aqua passim expiabant, decimas igni concremabant, sacrosanctam hostiam (horresco referens) à mystis, qui coniuges habebant, cósecratam, in lutum abijciebant, pedibusq; conculcabant. Tales enim

Falsi prophetæ.

non esse sacerdotes, neque sacrificare Hyldebrandus docebat. Hincq; occasione arrepta, multi falsi prophetæ nebulas offendunt, fabulis, miraculis exempla vocant, à veritate plebem Christi auertunt: sacras literas interpretando suo negocio seruire cogunt. Porrò paucissimis Veneri bellum indicentibus, quibusdam castitatem iactantiæ, quæstus ergò simulantibus, maxima pars sub honesto castimoniæ nomine stupra, incestus, adulteria passim & impunè committunt. Alij verbis quidem ambitus crimen abominabantur, sed plus auri sub magna pietatis superficie, dum se gratis dare cuncta iactát, corrasere, plurisque sacra venum dedere. Et tu vigilantissime Gregori, quid nam faceres, si te fortuna ad nostra tempora seruasset, & nunc demum natus esses, quando amare, potare, stupra, incestus committere, vim puellis inferre, virgines viciare, alienas permolere vxores, adeò vt caudax salax sacrificulorum in prouerbium vel vulgò protritum abierit, munus sacerdotale céseтur: quando diuitias, opes, ambire, sacerdotia cauponari, sacra nundinari, & quasi defectos caballos, iuxta commune dictum commutare, ius est & longinqua consuetudo, vulgò dici sæpius audio, Cæremoniæ cum pontifice, ara cum sacrificulo, templum cum æditio vniuersa venalia sunt. A pontificibus minoribus quos sacrificos vocamus, sexcéti exiguntur aurei nummi, in tantum vt quosdam hoc munus obijsse pœnituerit, & quosdam designatos, rursus quod non esset vnde auaritia Romanensium coruorú satiarent, abdicasse norim, fœnus quod ab alijs pontificibus redditur, quotannis à templis abraditur, minus est quàm vt à me licet numerorú abaci perito, numerari queat. Tum symonia tibi Gregori erat, nunc absentiú confirmationem, annatas ac nescio quib. alijs nominib. nuncupari audio. Cæsar, vt huc vnde abiui, redeam, vbi ea quæ in Saxonia fiebant, audiuit,

ex

ex Vngaria in Boiariam reuertitur, Bathauiam, inde Reginoburgium petit. Bambergensem episcopum ambitus condemnat, albo Pontificum eradit, Rupertumque substituit. Inde cum robore Boiorum, atque equitatu Vangionum, Sueuorum & Lotharingorum in Saxoniam contendit. Vbi fines hostium attigit, Saxones posteaquam se peti cernunt, decem principes legatos in castra Cæsaris supplices legant. Hi episcopos, tribunos, duces ambiunt, precatores sibi parant, se deliquisse in Cæsarem confitentur, diem colloquio postulant, vbi hæc controuersia sententia principum componatur. Cæsar vbi ista ad se ab amicis delata sunt, annuit postulatis. Vbi die dicto proceres Imperij consedere, Saxones Cæsarem incusare incipiunt, se iniurijs coactos inuitos ad arma trahi, patrias leges sibi ablatas, auitam libertatem vi ereptam esse proponunt. Quæ si reddantur, se fore in potestate Cæsaris pollicentur. Duces antea à Saxonibus corrupti, Saxonas æqua postulare censent: Cæsarique renunciant, nisi æqua petentibus annuat, se, cum castra moueri, & signa ferri iusserit, non fore dictis audientes: nec aduersus Saxonas arma laturos. hisque dictis discedunt, deinde paulatim dilabi, atque domos abire cœperunt. Saxones quasi iam iugum Cæsaris excussissent, castella quæ à Cæsarianis tenebantur, inuadunt, obsidione arcta claudunt: solum Hercynoburgium, quod præsidium firmissimum intus erat, non ausi circumsedere montem vrbi proximum occupant: mille atque ducentos armatos ibi locant, qui aditum prohibeant: eruptione atque commeatu hostes arceant. Cæsar nihil discessione principum, doloque Saxonum territus, cum sex millibus, quorum maior numerus Boiorum, Sueui atque Franci perpauci erant, tamen suis subuenire statuit. Magnis præmijs quendam persuasum, ignoto habitu per Saxonas penetrare iubet cum literis ad suos, qui Hercynoburgium, & cætera castella tenebant, hos hortatur, vt forti animo sint, fortiter faciant, se quàm primum cum exercitu adfore, hostiumque castra oppugnaturum. Cæsariani hoc accepto nuncio, læti vndique de improuiso erumpunt, custodes, vigiles trucidant: Saxonas cædunt, fundunt, insidijs annonam vehentes circumueniunt. carros cum iumentis & pecoribus abigunt.

Saxones cæsi.

Cæsar iam in Saxoniam penetrarat, suis suppetias ferre properabat. Saxones obsidionem soluunt, cum Cæsare aperto marte confligere statuunt. Vndique milites, equites, ciues agricolas cogunt, castraque haud procul à Cæsare faciunt, sexaginta millia fuisse perhibentur. Erat acris hyems, fluminaque acuto gelu constiterant, & plaustris veluti continente transibantur, plerique frigore interierunt. Cæsar promouet castra, proxime hostes considet, copias pro castris educit, aciem instructam habet, vt si vellent Saxones prælio contendere, eis potestas non deesset. Quòd si pugnam detrectarent, castra expugnare decreuit. At Saxones castris suos continent, nec copiam dimicandi faciunt. Vbi hoc Cæsar intellexit, in castra suos, postridie hostium castra oppugnaturus, reducit. Posteaquam id Saxones sensere, abiectis armis, excalceatique supplices in castra Cæsaris veniunt, veniam petunt, se peccasse confitentur, se cunctaque absque vlla pactione in fidem Cæsaris tradunt.

Saxones culpam coram Cæsare deprecantur.

Conuentus Goslariæ.

Hainricus supplicibus gratiam facit, citra sanguinem tanto potitus triumpho Saxoniam perlustrat. Goslariæ conuentus agit, ius dicit, responsa legatis, vi ablata dominis, patrias leges Saxonibus reddit: eos ab armis discedere, pacem seruare sancit: oppidis præsidia subducit: portas vrbium, quæ metu belli hactenus clausæ fuerant, reserari iubet. Pacata itaque Saxonia, in Franciam reuertitur. Cæterùm Saxones abductis copijs, metu & periculo liberati, authore Ottone, Boiariæ regno exacto, vniuersi rursus aduersus Cæsarem conspirant:

Saxones rursus in Cæsarem conspirant.

castella eius præsidijs vacua de improuiso inuadunt, expugnant, diripiunt. Hercynoburgium, vbi Cæsarea gaza erat, suppellectile regia erepta, euertunt. Templum, vbi mystarum virginum collegium erat, solo æquant, sacerdotes pugnis verberant, vestibus exuunt, in mortuos sæuiunt, sacra sepulchralia polluunt, liberûm Cæsarianorum ossa effodiunt, per agros spargunt: Saxoniam frequentibus castellis muniunt, templis passim ignem inijciunt: cuncta incendijs, cæde complent. Principes vbi se dolo delusos esse à Saxonibus, taliaque eos perpetrasse accipiunt, vltrò Cæsari operam suam pollicentur, eundem ad vindictam concitant. Cæsar Gregorio septimo Pontifici Maximo crudelitatem, perfidiamque Saxonum aperit, postulatque vt pro se oret, & hostes Reipublicæ diuinæ prouidentiæ resistentes, contra Christianam religionem facere decernat. Gregorius interea Cæsarem ab armis discedere iubet, se legatos missurum ad Saxonas respondet. Verùm Cæsar, cui cognita erat ferocitas atque perfidia hostium, veritus ne inualescerent inimici, non committendum putauit, vt suos desereret, spacium ad vires augendas hosti crudelissimo concederet, bellum vitando aleret, & quod inferre posset, accipere cogeretur. Copias igitur ex omni Germania properè coegit.

Rudolphus dux Sueuiæ. Vuelpho dux Boiorum. Ernestus marchio Austriæ. Gotfridus Lotharingius.

Rudolphus dux Sueuiæ atque Burgundiæ, Welpho Boiorum præses, Ernestus orientali Boiariæ limiti præfectus, Gotfridus Germaniæ atque Lotharingiæ inferioris inter Mosam atque Rhenum rector, Theodericus Mosellanus superioris Lotharingiæ legatus, Westphali, Frisij, Boiemi cum valida manu ad Cæsarem contendunt. Isque in Saxoniam intento infestoque exercitu proficiscitur. Saxones autem posteaquàm certum nuncium de exercitu Cæsaris aduen-

Saxones Thuringiã cũ exercitu ingrediuntur. Vnstrut fluuius ab Vnspergen. Instrues.

aduentantis accepère, & ipsi cum omnibus suis, sociorumque copijs obuiam Quarto pergere, libertatem armis tutari, cum Cæsare confligere statuunt. Comparato igitur ingenti ex omni Saxonia numero in Turogorum fines procedunt, Vnisotardam flumen transeunt, in altera ripa castra faciunt: ibi aduentum Cæsaris expectare constituunt. Hainrici deinde ferratæ acies apparent, compositoque agmine pedetentim pugnandi copiam facturi Cæsariani procedunt. Erant autem Boij, Sueui atque Burgundi cum ducibus suis Welphone & Rudolpho. Nam Quartus cum cæteris in subsidijs subsistebat, neque Saxones certamen detrectant. Primus Rudolphus, deinde Boij, Welpho atque Ernestus equis calcaria subdunt, in hostium cuneum, vbi confertissimi erant, impetu quàm maximo possunt, prouolant: hastis, telis, clauis, arcubus resistentes prosternunt. Fit prælium anceps, Saxones fortiter resistunt, nemo pedem refert, vtrinque multi occidunt. Ex nostris Ernestus Austriacus, Albertus & Dietpoldus dynastæ: in Saxonum parte Gebhardus Saxoniæ regulus, pater Lotharij imperatoris cum pluribus occidit: Mox Cæsar, qui cum reliquis copijs in subsidijs erat, cum recentibus atque integris in hostes, partim lassos defatigatosque partim saucios irrumpit, obuios quosdam prosternit, aciem conturbat, Saxonas cædit, fundit, tandem in fugam conijcit, ipsique abiectis armis, relictis signis, passim in fugã effunduntur. Ingens vis pulueris excitata Cæsarianos paulisper remorata est, conspectumque hostium abstuli- Multitudo ad Vnisotardum flumen fugam intendit, amnemque pars nando, . . pedibus, vadoque transierat. Gotfridus iussu Cæsaris, ne hostibus colligendi sui sp cium daretur, cedentes insequitur, proterit, trucidat: cum venissent ad superius flumen, in aquam propellit, opprimit. Magno numero interfecto: flumen hostilibus cadaueribus oppletum, quasi ponte coniunctum transit. Eos qui iam altera ripa potiebantur, non minori clade affecit, noxque finem sternendi fecit. Boiemi Saxonum castra diripiunt, commeatum intercipiunt, cæsos stratosq; spoliant. Accepere hoc vulnus Saxones æræ Christianæ, Anno millesimo super septuagesimum quintum, quinto Idus Iunij, qui tum dies septimanæ quartus erat, à Mercurio cognomen habens apud Romanos, Teutonas verò à meditullio dierum. Rudolphi virtus, ac opera hoc prælio commendatur, eidem palma tribuitur. Cæsar posthæc receptui canit, copias in castra reducit, virtutes pro concione collaudat, munera largitur: corpora cæsorum humari, saucios curari iubet. Deinde totam Saxoniam vastat, templa quidem immunitate donat. Cæterùm agros, vicos exurit, pecora omnia abigit, oppida, vrbes, arces expugnat, resistentes obtruncat. Pars Saxonum de oppidis demigrant, finibus excedunt, vxores, liberos, suaque omnia in syluas deportant: se in solitudines, ac paludes abdunt. Cæsar principibus discedendi potestatem facit, paucis secum retentis: latebras syluarum, vligines paludum vbique penetrat: pontifices, tribunos, duces in ditionem redigit. At Saxones contempta Cæsarianorum paucitate rursus rebellionem faciunt: rursus quoque Cæsar agmina Lotharingiorum, Francorum, Boiorumque accersit. Hique celeriter mandata faciunt, in Saxoniam incolumes ad Cæsarem perueniunt. Iamque Cæsar aut excisurus, aut perdomiturus gentem perfidam, coniunctis copijs castrametatur. Saxones frequentes cum omnibus principibus, episcopis, maioribus natu adhibitis . adoperto capite, excalceatique in castra veniunt, Cæsaris pedibus accidunt, absque omni pactione deditionem faciunt. Cæsar authores omnes seditionum partim in exilium agit, partim arcta custodia adseruari iubet. Pacataque, vt rebatur, Saxonia, in Franciam redit. Agrippinensibus mortuo Annone, Hildolfum pontificem designat. Dumque talia in Saxonia geruntur, Vgri quoque rebellionem faciunt, Imperatori bellum indicunt, Solomonem regno deturbant, arctaque custodia excruciant. Geizonem patruelem eius, regem, fratrem eius Ladislaum præsidem salutant. Vxor Solomonis soror Hainrici in Boiariam euasit. Cæsarem ergo Vngaricam expeditionem meditantem, quem vi armisque insuperabilem esse Saxones senserant, dolo, insidijs aggrediuntur. Exules quoque partim fuga, partim custodibus pecunia corruptis, in Saxoniam reuertuntur, rursus coniurant, rebellionem facere parant, quoscunque moribus, aut fortuna nouis rebus idoneos credunt, per se, per alios pecunia, literis, nuncijs, pollicitis sibi conciliant, famam Cæsaris, graui & perenni opprobrio, & ad omnium conuicia exposito, lædunt. Crimina (quorum ne nomina quidem Gallis Germanisque nota sunt, & quæ ab eo qui Imperatores Suetonij legerit, conficta esse necesse est) Hainrico obiectant, legatos Romam ad ciues, Pontificem Maximum mittunt, qui dicerent, auarè superbeque imperari, nullum pauperem, nullum inopem audiri, lasciuiam, superbiam, auariciam, pro æquitate, iure & iustitia inuasisse: prætores, appariores, scribas tineas muresque aulicos trahere, rapere paucorum potentiam inualuisse, horum arbitrio cuncta agitari, pecuniam vi exigi, à fanis quoque tolli, penes eosdem opes, pecuniam, gloriam magistratus esse: iustitiam, sacerdotia, Pontificatus, prouincias, cuncta venalia esse. Illum qui notior sit flagitijs, quàm nomine, venari, lasciuissimum, gaudijs corporis deditum esse, neglecta Republica, non modò inconcessis, permissisque voluptatibus temperantiam non seruare, sed etiam ea scelera designare,

Saxoniæ vastatio.

Saxones veniam petũt.

Hildolphus episcop. Coloniensis. Vngari rebellant. Solomõ rex regno pellitur. Geizo qui & Gysa.

designare, quæ vix referri, audiriue, nedum credi fas sit. Greges puellarum & adolescentulorum, sacratarum fœminarum, sacrificulorum choros prætorium frequentare: hosque ali publica annona, horum consilio episcopos, mystas, monachorum præsules, ouibus Christi imponi: præterea illum non solum alienas constuprare vxores, sed etiam (honor sit auribus) sorores incestasse, vxorem suam vi, sede arte ad id facta, prostituere, Veneris sacrificia, vbi amator iuxta amicam consideret, moxque extincto lumine iniret, perpetrare: ædes sacras profluuio genitali polluere: hisque mysterijs etiam Pontifices declarari commemorant. Proponunt deinde Imperium beneficium esse vrbis æternæ: proinde hortantur atque petunt, vt caput orbis terrarum, Pontifex populusque Romanus iure suo dent operam, atque vnà secum Rempublicam administrent, decernantque ex consilij decreto & cœtu principum, qui regnet, atque tanto Imperio, iusticia atque sapientia inclytus dignus sit. Pleraque huiuscemodi missa facio. Illud præterire non possum, statim tum hos versus diuulgatos esse:

Abbatissarum, Reginarumq; subactor,
Propter adulterium sumpsit episcopium.
Mundi Roma caput, si non vlciscitur illud,
Qua caput orbis erat, cauda sit, & pereat.

Grata admodum Gregorio, alioqui faciles aures vituperantibus atque criminantibus Cæsarem præbere solito, isthæc fuere: tanto cardine rerum nequaquam cessandum arbitrabatur: quippe sibi persuaserat, tempus opportunum venisse, quando Romanos flamines à seruitute vindicaret, Imperatoris iugum, eius opibus deminutis, excuteret, authoritatem antiquaret, omnem potestatem in se transferre liceret, itaque principatum Pontificalem confirmaret. Nihil speciosius videbatur, quàm sublato metu, neminem mortalium formidare. Et vt liberet Ecclesiastica libertate perfrui, atque esse Imperatorem, cuius arma, vis non metuerentur: vt qui arbitrio Romani Pontificis precario duntaxat regnaret. Gregorius ergo hæc mente obseruans, Saxonum animos verbis confirmat, sibi hanc rem curæ fore respondet: se propediem in Germaniam profecturum, concilium totius Imperij in certum diem indicturum, vbi communi consensu de huiusmodi rebus agitetur, pollicetur. Itaque dimissis Saxonibus, ipse plenus spei, haud tamen inscius quid inceptaret, quàm difficilem rem moliretur, Machtyldam primariam Italiæ fœminam, filiam Bonifacij locupletissimam, crebris colloquijs, familiari consuetudine sibi deuouet. Deinde Nordmannos, quibus formidolosa potentia Cæsaris erat, socios sibi asciscit: nempe hi Campaniam, Calabriam, Apuliam, Magnam Græciam vi occuparant, ne hisce locis à Cæsare armis pellerentur, metuebant: ne cœptum in neruum erumperet, sensim fortunam Hyldebrandus tentare statuit. Primò Hagnam Augustam (quæ in paucis diebus obijt, & sepulta est Romæ in templo diuæ Petronellæ) deinde eius prolem Machtyldam matrem & cognatam Cæsaris adhibet. Hisce præsentibus, sorices, tineas, purpuratos aulicos, vniuersos à consilijs Hanrici fulmine suo afflat, tonitru suo attonitos facit. Idem Cæsari, nisi hosce omnes aula procul à se eliminet, sermones, aditus eorum deuitet, interminatur. Nuncios Cæsaris, obiecta crimina à Saxonibus confutaturos, conatibusque eius obstituros in vincula conijcit, frigore, fame, siti excruciat, per vrbem circumductos Roma pellit. Hæc Cæsar refert in epistola, quam ad archimystam Agrippinensem dedit. Idque facinus plerisque mystis, Senatui populoq; Romano displicuit. Quamobrem Hugo flamen Romanus cum literis in Germaniam mittitur. Is vbi eò venit, voluntate Cæsaris & Sigefridi Moguntini pontificis in Vangionum vrbe Quinquagenalibus concilium cogit. Interfuere omnes episcopi Galliæ, Germaniæ, præter Saxonas lectæ sunt frequenti senatu epistolæ flaminum, primorum populi Romani, in quibus Hyldebrandum ambitus & periurij accersunt, eundem pleraque auarè, superbè facere conqueruntur, hocque reiecto, alium pastorem postulant. Fit patrum consultum huiuscemodi: Hyldebrandus, qui se Gregorium nuncupat, primus sine consensu nostro aduersus Imperatoris Romani, rerum domini, à Deo constituti, voluntatem, contra morem maiorum, contra leges, contra auspicia, Pontificatum Maximum, quem pridem ambiuit, & iudicio conuictus perpetuò abiurauit, inuasit. Quo genere hominum (sicuti vulgò aiunt) nil contumacius esse solet. quicquid in mentem venit, æquum iniquum per fas nefasque perficere conatur. Monachus desertor est, nouis dogmatibus sacrosanctam philosophiam adulterat, diuinas literas falso interpretando suæ causæ seruire cogit, concordiam collegij scindit, sacra prophana, diuina humana commiscet, vtrunque iuxtà polluit. Diabolis, hoc est, acerbissimorum hostium spurcissimis criminationibus, iniquorum maledictis aurem commodat & credit. Testis, iudex, accusator inimicus idem est. Maritos ab vxoribus separat, scorta pudicis coniugibus, stupra, incestus, adulteria casto præfert connubio, populares aduersus sacerdotes, vulgum aduersus episcopos concitat. Neminem initiatum ritè esse docet, nisi qui ab eo sacer-

Hugo cardinalis Ro. sedes

Sigefridus archiepisc. Mogunt.

Patrum cōsultum.

Gg dotium

doriūm emendicauerit, atque ab eius aurisugis mercatus fuerit: vili plebeculæ gratificari studet, vulgi imperiti auram captat, simulata religione decipit, defraudat, circumuenit: in senaculo mulierculárum de sacratissimis religionis mysterijs pertractat, supremi numinis legem, qua se idem quoque ligauit, soluit. Vtrunque & Imperium & Pontificatum, sicuti Decij & falsorum deorum cultores factitare consueuerunt, vsurpata. Vtriusque personam, quasi laruæ lemuresque agitat. Crimen irreligiositatis læsæque maiestatis committit, sacratissimo Cæsari optimoque principi vitam simul cum regno, quorum neutram dare habet, auferre conuitur. Hasce ob causas sanctissimus Imperator, Pontifices, Senatus, populusque Christianus illum Hyldebrandum abdicandum, sibi eundem non placere, neque oues lupo committendos censent. Huicque decreto non solùm Germaniæ Galliæque, sed Italiæ quoque episcopi, conuentu Ticini acto, subscripsere, iuraruntque, se nunquam Pontificem maximum isthoc nomine recepturos. Cæsar quoque & Hyldebrando, & sacerdotibus, populoque Romano, binas scribit literas, imperat ex consilij decreto, vt ille ad priuatam redeat vitam. Hi deserto Hyldebrando, pastorem more maiorum sibi deligant, atque manus quidem ab Hyldebrando abstineant, supremique prætoris tribunali relinquant. Inter hæc Gregorius, vbi ista agitari, per Saxonas, & eos qui rebus suis studebant, comperit (cognita ipsis erat Romani pontificis infirmitas, & quòd auidus nouarum esset) Romæ concionem in templum vocat, cum sacerdotibus, equitatu, plebe, Senatu agit: caput mundi (inquit) Romani rerum domini, victor gentium populus, & Imperium & Pontificatum, in quos libuerit, transferre potest: sicuti ante ducentos & septuaginta quinque annos, à Græcis in Germaniam transtulit. Quemadmodum militem ignauum Imperator exauthorare potest, ita militi ducem iniustum deserere licet. Vestrum munus est Quirites, vestrum est beneficium, vestro sanguine atque sudore partum tantum imperium, quod bonum, faustum fœlixque sit. Mecum, filij charissimi, decernetis, quinam Romæ posthac regnarit: nec me superstite Rex libero populo, quem non crearit, imponetur. Posthæc Gregorius millia talentûm, quindecies viritim distribuit. Ea à Nordmannis & Machtylda contributa fuere. Opes quoque Ecclesiasticas, quibus hactenus pauperes alebantur, militibus & rei bellicæ peritis largitus est. Quod & Hyldebrandini Gerochus & Paulus non inficias eunt, & hic tanquam benefactum excusat, & id licere defendit, Romanas ergo hac donatiuo oppigneratos, specioso nomine libertatis inescatos, Gregorius facile ad se deficere persuasit. Dum autem talia fiunt, Rulandus sacerdos Parmensis, literas Imperatoris, concilij decretum deferens, ædem sacram ingreditur, & absque omni salutationis honore, Tibi (ad Hyldebrandum inquit) Cæsar, noster Christianismus, sanctissimi Italiæ, Germaniæ, Galliæ episcopi, sacer orbis Christianus præcipiunt, vt te munere, quod astu, pecunia, gratia occupasti, confestim abdices. Nec enim fas est, inuitis illis, te aduersus authoritatem Imperatoris, contra Christianæ Ecclesiæ decretum, ouili, Dei vltrà incubare. Deinde ad cæteros versus, Pientissimi (inquit) fratres, pastorem iure vestro deligite: deinde sacratissimus consul, tribunus, & princeps vester, more maiorū author fiet. Iste enim Hyldebrandus neque pastor neque pater, neque Pontifex, fur est, lupus, latro atque tyrannus. Vix hæc fatus erat, Ioannes Portuensis prosilit, capiatur, capiatur, ingeminat. Fit tumultus, vrbis præfectus, & cæteri Parmensem gladijs strictis circumsistunt, in temploque confodere parant. Ille vix ope Gregorij (ita Paulus refert) euasit. Posthæc Pontifex multis verbis amarissimè in Cæsarem perorat flagitia, quibus à Saxonibus insultus erat, apertè dicit, crimina memoriter recitat. Tum ab omnibus, vti mos gentis est, acclamatum, immanis tyrannus à fastigio rerum deturbetur: truculentissimus Reipublicæ & Ecclesiæ hostis, sacro ense cum sociis & consultoribus feriatur: atrocissimum facinus ferro recidatur. Alius qui Romano Imperio dignus sit, substituatur. Gallina tum Romæ ouum, serpente quasi arte celatum, peperit. Gregorius posteaquam illiusce modi dicta sunt, ouum Imperium, serpentem regem, qui Romæ domicilio Imperij conterendus sit, interpretatur. Multa deinde innocentia & potestate sua præfatur. Deinde diuum Petrum adprecatur, his verbis: *Tibi sanctissime Petre, & nobis tuis successoribus Deus omnipotens dicit, Quodcunque ligaueris super terram, erit & ligatum in cœlis. Quocirca qui tuæ ædis amplitudinem attenuat, dignus est profectò, vt dignitatem amittat, splendorem perdat. Equidem hac ce potestate fretus, functusq; tua vice, eidem qui Ecclesiæ tuæ obtemperare recusat, vnitatem scindere studet, execratos non fugit, sacris regnoq; interdico: vt planè intelligant omnes mortales quòd tu sis Petrus, & super hanc Petram, qui tu atque tui successores sunt, Christus filius Dei viui ædificauerit templum suum, aduersus quod ne inferi quidem inualescant.* Postremò vbi huiuscemodi multa Gregorius dixit, concionem vt bono animo sit, & se Christo propitio, fortiter ad resistendum sacrilego, lasciuo, temerario, iniusto, imperito, superbo, auaro, crudeli, impuro, iuueni parer, cohortatur. Nordmannos, Machtyldam, Saxones armis inuictos, diui Petri rebus studere, alios haud dubiè fulmine sacro attonitos, causam iustiorem secuturos: beatos denique esse proponit, qui persecutionem patiantur. Posthæc concilio

Hyldebrandus deponitur.

Rulandus sacerdos Parmensis.

Prodigium.

Pontificis ad diuum Petrum oratio.

concilio dimisso, sexcenta fulmina, totidem tonitrua, diram grandinem, bullas appellant, in Galliam, Germaniam, Italiam mittit. Docet à se regem qui Christianam philosophiam contemnat, templum Dei subuertat, hæreticorum author sit, & consecraneus, execratum, regnoque abdicatum. Omnes qui in eius verba religione adacti iurarint, sacramento solutos esse commemorat. Exinde se maiorum vestigia, patrum scita, placita magistrorum Ecclesiæ, legem diuinam, summum cœlestis thesauri ius se insequi, Christum Dominum Deumque nostrum Diuo Petro, eius successoribus Romanis episcopis censuram totius orbis humani detulisse, eosdemque cœlitus constitutos censores esse, qui iudicarent de moribus, de curia cœlesti atque spiritibus æternis, nedum mortalibus. In arcanis sacræ historiæ contineri, diuina oracula esse, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam: & tibi dabo claues regni cœlorum, quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis. Nemo omnium (inquit Septimus) ne reges quidem atque Imperatores hic excipiuntur. Recitat inde veterum gesta, vbi legamus Hyldericum à Romano pontifice non ob flagitia, sed quòd inutilis foret, regno amotum, Francosque iureiurando, quo illi astricti erant, à primario vrbis sacerdote absolutos, ab eodem Pipinum regem substitutum esse. Imperatoribus Theodosio, Arcadio, Philippo, Anastasio, Ambrosium, Innocentium, Constantinum, Anastasium episcopos sacris interdixisse: addit in gestis diui Petri contineri, eius cui Pontifex maximus infensus sit, sermonem, conspectum tanquam diræ contagionis pestem, vitandam esse. Proinde concludit, qui quidem animam suam saluam esse velit, regi deuoto per sacrosanctam religionem audiens dicto non sit: imò vniuersi imperata mandataque detrectent, rebellionemque faciant. Saxonas quoque veteres amicos Gregorius muneribus explet. Neminem spernendum, neminem contemnendum esse decernit: quæcunque potest largiendo, pollicendo parare, nequaquam cunctatur. Scinditur in contraria populus Germanus studia. Principes apud Oppenhaim oppidum superioris Germaniæ, Rhenum continuum coeunt: pars, sicut Hugo Alsatius, ob egestatem atque inimicitiam (nemo enim est qui omnibus placeat, aut denique hoste careat) omnia misceri bello, vbi ditarentur, ac vindictam sumerent, omnia marte, cui cuncta licent, ardere auebant. Rudolphus Burgundionum ac Sueuorum regulus, senectute venerabilis, domi forisque præclarus, cæteris principibus bonis artibus præstans, cui soror Cæsaris nuptum collocata erat, cum Berchtoldo à Zaringen genero suo, cum hostibus (quos tamen maxima clade pro Cæsare fratre vxoris suæ pugnans affecerat) spe regni inescatus, sentire cœpit. Welpho quoque dux Boiorum noua molitur. Sigefridus Mogontinus archimystes, Hermannus Mediomatricum, Albertus Vangionum episcopus, Wilhelmus Hirsauensium monachorum antistes, in Boiaria Reginoburgi à puero in templo diui Haimerani educatus, insignis eius tempestatis mathematicus, Altmannus genere Saxo, Bathauensis pontifex, cum Gebhardo Sueuo Iuuauensium pastore, Adalberone Boio clarissimis natalibus orto Wurtzeburgensium primario sacerdote condiscipulis suis (quippe eodem tempore Lutetiæ Parisiorum literis operam dederant) sub toga & censura sanctissimorum patrum, melius quàm sub armis & strepitu forensi Cæsarum, tranquillitati & Reipublicæ Christianæ consultum iri arbitrabantur. Atque hi omnes quos commemorauimus, ad Saxonas sine cunctatione, deserta Cæsaris optimatiumque causa, deficiunt, ad prætextum mutatæ voluntatis, religionem obtendunt, Hainricum communi consilio abiurant, se perpetuò eius fore hostes, quoad vita suppetat, iureiurando sanciunt. Postea arma capessunt. Cæsari insidiantur, eius rebus studentes oppugnant. Omnia tumultu, cuncta terrore & luctu complentur. Cædes, incendia fiunt: insontes, & qui neutri parti fauebant, qui fidem regi seruabant, rebellare recusabant, pacem & ocium bello præferebant, armis se commiscere abnuebant, Symoniaci, Nicolaitæ, Hæretici appellantur, proscribuntur, in sceleratorum numero habentur, aris, sacris, conuiuio, colloquio, supplicijs, conspectu à coniuratis arcentur: sacerdotes, monachi, episcopi, fratres germani, amici, cognati, affines, liberi, parentes, miles, tribunus, herus, famulus, pueri, puellæ, coniuges, populus, principes inter se discordant, dissentiunt, publicè, priuatim altercantur, rixantur, pugnant, belligerantur: inuicem mutuis vulneribus, cæde, parricidio, incendijs, rapina conflictantur: agri vastantur, fana spoliantur, ærarium diripitur, fiscus exinanitur, villæ incenduntur, ædes igne concremantur: vrbes, castella vi expugnantur, leges silent, arma feruent, omne ius in viribus est. Quicquid victori collibuisset, victus patitur, virgines rapiuntur, liberi à complexu parentum auelluntur, matresfamiliæ vi constuprantur: terra, flumina, humano cruore rubescunt. Animæ cum corporibus intereunt, ad inferos raptantur, æternis supplicijs mactantur. Wurtzeburgenses, Vangiones, Mediomatrici, Bathaui, Salisburgenses episcopos suos exigunt, quòd contra instituta maiorum ciuibus suis suadebant, solenne fidei polluere, cuius Germaniæ populos patientissimos esse inter illustres grauesque rerum authores, licet hostes nostros, conuenit. Pastores igitur illi extorres, sine lare, sine ouibus erra-

Rudolphus Burgundiæ ac Sueuiæ dux. Berchtoldus dux à Zaringen.

Gregorio pontifici maledicitur.

errabundi, destituto ouili ad Saxoniam tandem se conferunt. Plerique tum priuatim, publicè indignum facinus clamitant: pro concione Gregorio maledicunt, Hyldebrando malè precantur: ipsum odio atque libidine dominandi præcipitem agi vociferantur, Antichristum esse prædicant, pietatis sub specie (inquibant) debacchatur, honestis nominibus bonum publicum simulat, titulo Christi, negocium Antichristi agitat: In Babylonia in templo Dei sedet, super omne id quod colitur, extollitur, quasi Deus sit, se errare non posse gloriatur: in excolenda gloria sua, pertinaci spei atque concupiscentiæ Imperatoris suo arbitrio constituendi, se deuouit: homines non peccatis, sed lege Christi, atque sacramentis soluit, pacem atque pietatem religionis nostræ labefactat, bella, seditiones concitat: stupro, cædi, periurijs, perfidiæ, rapinis, incendio indulget. Non solum ad ambitionem suam occulendam fabulas comminiscitur, annales corrumpit, res gestas inuertit, sed etiam cœlestia oracula adulterat: diuinas literas falsò interpretando, suæ libidini seruire cogit, sacram historiam lacerat, inter mulierculas de sacris philosophatur literis. Quicquid dixerit, legem Dei putat, ad auiditatem suam incongrua conquirit testimonia, sententias deprauat, ad voluntatem suam scripturam trahit repugnantem. Nimium sibi de Pharisæorum supercilio sumit, vt quosque damnare vel soluere arbitretur, cum apud Deum non sententia sacerdotis, sed vita hominis quæratur. Præterea Hyldebrandus ille diuinæ maiestati refragatur, Christianissimo principi diuinitus constituto, & à Deo inaugurato resistit: versutus, fallax, obscurus, callidus, imperium orbis, titulo Christi, sub ouina pelle ambit. Alios, pecudes ignauas, stultos, stipites, caudices, asinos qui eius sycophantias vaframentaque non intelligant, putat. Huc omnes neruos intendit, vt duce gregis oppresso, in ordinemque redacto, in oues desertas præsidio Imperatoris, licentius impuniusque grassetur. Si omnis potestas à Deo est, maxima quoque, nempe Cæsarea ab eo sit necesse est. Christus, cum eum populus rebus imponere conaretur, aufugit: & duos de hæreditate ambigentes, qui eum arbitrum ceperant, ad Cæsarem, cui Imperium orbis terrarum commissum est, ablegauit. Pontificibus quoque Iudæorum præcipit, Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: cui vectigal soluit, tributum pendit, censum dedit. Idem nos D. Petrus docet, Deum timete, regem honore afficite. D. Pauli præceptum est, Fidem regi seruate. Quod si quispiam cœlitum aliter docuerit, deuotus esto. Flagitium huiuscemodi Hyldebrandi inexpiabile, scelus hactenus inauditum, procul ab orbe Germano abigendum, ense (quem Imperator supremus ad vindictam malorum Cæsari tradit) resecandum, lupus sub ouina pelle sæuiens ferro tollendus. Septimus ille non verbis & disputationibus, sed vinculis & carcere fatigandus est. Nempe dictum est à Christo Deo Opt. Max. Petro, eius successoribus, Romanis episcopis, Vade retrò Sathana, offendiculum mihi es: & qui gladium acceperit, gladio pereat. Posteaquam autem Pontifex Romanus hæc accepit, vt hanc inuidiam leniret, aduersarios placaret, suos confirmaret, episcopis, ducibus, præfectis, vniuersis Teutonibus Christianam religionem defendentibus, ita modestius rescripsit: *Et si ea quæ fecimus, benè, rectè sapienterq́, in celebri Romæ cœtu, summa prudentia, summo consilio gesta sunt: tamen accepi, nos contra pietatem Christianam egisse, videri plerisque, qui egregium sanè facinus, velut ab odio & liuore, ab superbia atq́, auiditate profectum, carpunt, abominantur. Quamobrem rationem actorum reddere, rem ordine explicare placuit. Teste conscientia nostra nihil inuidiæ, nihil simultati, nihil ambitioni datum est. Quicquid hactenus actum est, amore diuinæ iustitiæ feci. Dum adhuc priuati essemus, vocabamur amici parentum regis, quem crebrò ac frequenter, & amicè literis familiaribus commonuimus, vti resipisceret: eundem per natales clarissimos, per auitam paternamq́, gloriam & virtutem, per salutem, vitam ac maiestatem Imperij sæpius obtestati sumus, vt rumorem de eius sceleribus (quæ Deus prohibeat vt edere in vulgus velim) dissipatum, falsum esse factis coargueret. Idem felicitius Pontificatū Max. adepti, iam cōmunis eius animi parens factitauimus. Ipse itidem subinde nobis rescripsit, ætatem, fortunam, potentiam paucorum, qui summam Imperij obtinerent, excusauit. Idcirco purpuratos quosdam, quorum consilio sacerdotia, pontificatus, contubernia monachorum venibant, ac lupi templis, non pastores præficiebantur, repetundarum postulauimus, condemnauimus. Postremò illos in malo obstinatissimos execrati sumus. Hainrico vti illos aula, prætorio, curia, sermone exigeret, præcepimus. Verùm enimuero tantum absuit, vt nobis rectè consultanti obtemperauerit, vti omnes Italiæ, plerique Galliæ atq́, Germaniæ episcopi eius suasu atq́, instinctu iugum D. Petri à Christo ceruicibus ouium impositum, excusserint, censuram Romanorum pontificum resecerint: & vt paucis summā scelerum illius explanem, primò eos quos capta pecunia accersiuimus, in numero sceleratorū impiorumq́, computauimus, deuitare noluit. Deinde non solum nullam præsefert spem resipiscendi, sed subnotari etiam à quopiam suos mores, grauis & iniquo patitur animo. Postremò templum diuinum dissensione labefactare, discordiæ mala serere studet. Neq́, precibus neque minus ad bonam frugem commouetur. Hasce ob causas eundem à societate sacrosancta concionis amouimus, ex albo Christianorum erasimus, vt qui sponte rectè facere negligit, hac contumelia coactus officiū suum, & quod se dignum est, faciat. Si quidem ipse seruari (quod Deus auertat) non vult, & omnino ad perniciem suam per præceps tendit, nos qui pastores eius, & rationē Deo de eius anima reddituri sumus, desidiæ atq́, socordiæ conuinci, ac perinde perire nolumus. Quòd si vtiq́, quispiam, nō tam*

Pontificis epistola ad aduersarios.

iudicio, quàm morbo animi nos vti, nostramq; sententiam iniustam esse existimarit, si talis est, vt doceri queat, sacras literas, decreta magistrorum Ecclesiæ consulat, veterum annales nobiscum euoluat: comperiet pro certo, nos plus æquo iustoq; humaniores, ne dicam segniores fuisse. Quanquam neminem omnium esse credam, qui mecum animo dissentiat, tametsi quæ sentiat, palàm eloqui forsitan non audeat. Enimuero si ille à nobis iniustè hoc fulmine afflatus foret, tamen eum supplicem venire oporteret, veniam atq; piaculum, quo solueretur petere. Proinde pientissimi filij, qui magis Deum, quàm homines timetis, qui iustitiam regi, veritatem iræ præfertis, bono estote animo, labore, patientia, factis fortibus vires exercete, bonis præceptis obtemperate, fortiter aduersus insanos facite. Magnæ curæ magna merces est. Immortalis Imperatoris parteis defenditis, qui si cœpto, quoad vita suppetat, perseueraueritis, immortalitate, præmio virtutis vestræ vos condonabit. Equidem perpetuò Deum Opt. Max. deprecor, vt votis virtutem præstet, regem ad sanitatem redire cogat: tunc planè intelliget, me & vos longè eum magis amasse, maioremq; gratiam ab eo inibimus, quàm illi qui animo indulgentes, assentando, palpando, adulando peruersam gratiam gratificantur. Si ille resipuerit, omnium quæ aduersus me gesserit, obliuionem decernam, & consilio vestro cum eo in gratiam redibo, in templumq; diuinum reducam. Sub idem tempus idem Gregorius Saxonas sociosque certiores facit, Romanis concilium Augustam indictum displicere: tantam rem Romæ (vbi penetrale religionis nostræ, sedes & domicilium Imperij sit) transigendã esse: se tamen, licet inuitis Romanis, Mantuam, quæ Machtyldæ pareat, profecturum, vbi bene inter bonos agier liceat. Mittuntur igitur à coniuratis ad Hyldebrandum, Mangoldus Veringensis dynasta, frater Hermanni historici, Aribertus mysta cum alijs compluribus, qui pontificem Max. in Germaniam deducant. At Cæsar cum animaduerteret, se his calamitatibus nequaquam medicari posse, & tot hostibus resistere, nedum illos perdomitare, difficile fore, nisi cum Pont. Max. in gratiam redeat, vt tantulo impendio ingens victoria staret, in Italiam transitum facit. Canusium, vbi tum Gregorius erat, absque cultu regio pergit, nunciare pontifici iubet, Cæsarem adesse, vt pacem cum eo faciat bonorum virorum arbitratu & saluo rerum statu. Scilicet ne sanguis Christianus effundatur, neue stupra, incendia, parricidia, prædæ (quæ licentia etiam belli iusti impunè committuntur) in populo Dei fiant, edantur: vnum postulare, ne contra fas iusq; maledictis acerbissimorum hostium magis, quàm innocenti sibi credatur. Optimum quemq; vituperationibus vulgi imperiti, nedum inimicorum expositum esse, præcipuè eum qui in rerum fastigio, quasi illustri loco & theatro collocatus, omnibus pateat. Ita humana sunt, nemo est qui vniuersis complaceat. Gregorium quoq; vulgo malè audire atque castigari, quòd familiarius frequentiusque secretò atque in occulto, quàm tantum pontificem deceat, cum Machtylda colloquatur. Saxonum legati, qui præsentes erant, intercedunt, ne pax fiat, summopere laborant. Quamobrem toto triduo Cæsar in conspectum Pontificis non est admissus. At Hugo monachorum Cluniacensium antistes, cæteri boni minis, precibus hortari, suadere, orare, terrere, quouis modo instare, vociferari, pertinaciam hanc tyrannidem appellare, non desistere, donec pepulere vt Gregorius consentiret, & cum Quarto hac lege, vt is Imperij insignibus in certam diem abstineret, in gratiam rediret. Quemadmodum in arcanis sacræ historiæ est, & apud grauissimos illustresque rerum authores constat, principes cuiusque gentis ad terrorem malorum, quo sanctiores, venerabiliores augustioresque forent, insignia quæpiam Imperij sumpsere: ita apud Romanos fasces duodecim cũ securibus, totidem apparitores, ignemque, qui Imperatoribus prægerebatur, sacra principatus fuisse reperio: sicuti apud Persas aureum simulachrum, Hebræos vnctionem, Germani imperatores apud proauos nostros hastam, coronam spineam, clauos (quibus Christum seruatorem nostrum excruciatum constat) insuper ensem, purpuram, diadema Caroli Magni progerere secum solebant, sicuti adhuc nostro æuo præfectus prætorio, quem Marescalcum, hoc est, maiorem aulæ nuncupamus, strictum ensem Cæsari præfert: illa Imperator Sigismundus Cæsar Augustus auorum memoria Norinbergæ condidit: vbi quotannis conceptis ferijs, magna populi, qui vndique coit, frequentia, monstrantur. Antiqui Imperatores secum veluti peculiaria sacrosancti Imperij penetralia, Cæsareæq; maiestatis auspicia circumferebant. Norinbergenses ad Aquas Graneas, quando designatus princeps de se consuli superos iubet, & solennibus cæremonijs inaugurari solet, deportant. Cæterùm Gregorius adhibita Machtylda & Adelhaide primarijs Italiæ fœminis, Cæsarem sacrificio, dape cœlesti, epulo Pontificio, cœnaq; saliari, veluti pignoribus redintegratæ amicitiæ excipit. Hainricus secum Pontificem in gratiam ex animo, syncereque redijsse credens, in Italia aliquot dies commoratur, rebus Italicis componendis operam nauat. Inter hæc, Gregorius in Germaniam ad coniuratos, Bernardum flaminem, Romanum diaconum, Bernardum Massiliensium monachorum præsulem, Christianum quendam, Theologum professione, suscepta legatione proficisci iubet, Saxonibusque rescribit: Ne molestum ipsis sit, quòd cum Quarto reconciliatus sit, quem magis obnoxium criminibus reddiderit, & cœlesti curiæ, non tamen regno, vnde auspicato Romæ destitutus, restituerit. Nec enim quenquam inauspicato, & inuitis liberis dominari oportere. Hæc vbi Saxones & socij

Mangoldus comes à Veringen, & Aribertus à coniuratis ad Hyldebrandũ mittuntur.

Cæsar ad põtificem pergit, vt pacẽ cum eo ineat.

Hugo abb.

Insignia Romani imperij.

Gregorius Cæsarem excipit.

Bernardus cardinalis.

Bernardus abbas.

Christianus Theologus.

eorum accepere, cum legatis pontificis Romani apud Forchaim, in confinio antiquæ Franciæ, veterisque Boiariæ, medio itinere inter Norinbergam Bambergamque coeunt X. Calendas Martij. Rudolphum Sueuorum & Burgundionum ducem, regem hac lege salutant, vt comitia pontificalia abiuret, clientelas: episcoporum abdicet, neue velut hæreditario iure filios suos successores declaret. Diadema deinde capiti Rodolphi circumdant, à Gregorio missum: illi inscriptus erat hic versiculus,

PETRA DEDIT PETRO PETRVS
DIADEMA RODOLPHO.

Posthæc legati septimi, quos suprà nominaui, Romam redeunt, Pontifici renunciaturi, eius auspicio nouum creatum esse principem. Interim Sigefridus Mogontinus archiepiscopus & Rudolphus Moguntiacum (caput tum Germaniæ Galliæque censebatur) migrant. *Rudolphus coronatur Mogontiæ, & tumultus fit.* Dumque Sigefridus quinto Idus Martij, qui dies erat media (vt vocant) Quadragesima, Rudolphum inungit, fit tumultus. Ciues arma corripiunt, Sigefridum & Rudolphum tanquam perfidos, fidei ac Cæsaris desertores proditoresq; vrbe exigere connituntur. Miles Rudolphi plebem armis excipit, complures in templo trucidat, alios in fugam vertit. *Cædes in templo.* ædes sacra sanguine humano polluitur. Perpetrato sacrificio, Episcopus & Rudolphus Palatinas ædes occupant, cænantque. Mox Mogontini arma resumunt, impetuq; facto obtruncatis Rudolphi militibus, faces in prætorium immittunt, idque exurere, cum scelerato tyranno, sacrilego episcopo (ita vociferabantur) conantur, *Sigefridus & Rudolphus fugiunt.* Sigefridus & Rudolphus beneficio noctis sibi consulunt, in Saxoniamque elabuntur. Rudolphus ducatum Sueuiæ Burgundiæque Berchtoldo à Zaringen genero suo tradit, collectoque partium suarum exercitu, *Wurtzburgiũ obsidiõe cingitur.* Wurtzburgium caput antiquæ Franciæ, arcta obsidione cingit. Adalberonem episcopum à ciuibus, sicut diximus, exactum, quem secum adduxerat, restituere contendebat. *Berchtoldus Rudolphi gener.* Berchtoldus gener Rudolphi in Sueuia, Luithulfus & Welpho in Boiariæ regno nouarum rerum auidi, sub specie pietatis, arces, oppida, vicos, agros, prædia Cæsariana impugnant, vastant: episcopos, proceres, nobiles, ignobiles, sacros, prophanos, ciues, paganos, quibus charior fides, quàm pecunia, atque alia omnia erant, infestant, cuncta, cæde, incendijs, luctu complent. Dum talia in Germania fiunt, Cæsar certior fit fama, crebris nuncijs, itidem literis amicorum, quo periculo Respublica sit. Quocirca in Germaniam redire parat: verùm omnes angustias Alpium sibi præclusas offendit. Tandem per Venetiam atque Aquileiam, inde per Noricum atque Vindeliciam, regnum *Cæsar Boiariã intrat.* Boiariæ intrat. Luithulfum cognatum suum Charionum ducatu mouet. Charinis Hainricum, Odagrium Ozionis filium Stirijs præficit, Inde Reginoburgium peruenit, ibi substitit. Hostes audito præter spem Cæsaris aduentu, subito metu perculsi, obsidionem soluunt, in Saxoniam non tam discedunt, quàm aufugiunt. episcopi arces impositas alpibus petunt. *Vuelpho captus à Cæsare.* Cæsar Welphonem summum Boiariæ principem Neoburgij obsidet, capit, in deditionem redigit, arcta custodia asseruari iubet. Inde Wurtzburgium petit, ciues collaudat, ipsis gratias agit, præmiaque largitur. Adalberoni, Gebhardo, Altmanno, licet comitijs hostilibus interfuerint, gratiam facit, eosdem ad desertas oues redire iubet, pascere gregem creditum suo iure imperat. At illi tantum abfuit, vt rectè monenti, pacemque vltrò offerenti obtemperarint, vt ea quæ summa tranquillitate, pace Cæsaris citra sanguinem retinere licebat, multa cæde, cruore ouium, clade, rapina miseri gregis, sceleribus pluribus emere maluerint, & Cæsarem ne videre quidem à longè, nedum salutare voluerunt, tanta pertinacia partium fuit. Cæsar Reginoburgium in Boiariam redit. *Arnulphus Comes à Dussen.* Cumq; videret hostes non solum saluti suæ insidiari, sed etiam neq; modum propriæ vitæ, neque rationem periculorum habere, dummodo se tollerent, vt augustior foret, se suosq; auspicijs regijs tutaretur, acerbitate hostium coactus, cultum Cæsareum. Imperij insignia resumit. Vindeliciam superiorem, & Norici partem continuam, per quam Athesis, Ilacus, Oenus amnes decurrunt, Arnulphum de Damasia cum Alberto, Iringoburgensi procurare iubet. Noricũ Iuuauense Burckhardo & Berchtoldo fratribus à Mosburg oriundis committit. Inferiorem Boiariam ad vtramque Danubij ripam, & quatenus Boiemiæ continuatur, Friderico & Asuino à Bogen, filijs Hartuici commendat. *Berchtoldi mors.* Inde Sueuiá petit, Berchtoldum principatu deturbat, Hugonem copiarum eius ducem in vincula conijcit, castella, oppida hostium expugnat, mœnia diruit, & solo æquat. Berchtoldus ibi resistere non potuit, ægritudine animi expirat. Cæsar Sueuis imponit Fridericum de Stauffen oriundum, eique dat in matrimonium Agnetem filiam suam. Perdomita Sueuia, Boiaria, victor Reginoburgium reuertitur: amicis animum reddit, inimicis terrorẽ inijcit. Multi qui ab eo, quòd rebus diffisi fuerant, defecerant, certatim ad eum redeunt. Inter hæc Rudolphus in Saxonia copias cogit, Adalberonem ex Boiariæ castellis Neoburgio, Schardingio, Pictauione, Lambachio genus trahentem, quòd eruditione, genere, cæteros præstabat, Wurtzburgium vi reducere, & opem ferre genero conatur: Cæsar cum exercitu

celerius

celerius opinione obuiam venit, hostem inuadit, fundit, terga vertere compellit. Rudolphus vix fuga elapsus est. Eius partium plerique occisi sunt. Bernardus Magdeburgensis archimysta, author belli ciuilis, à popularibus inter fugiendum occisus est. Sigefridus Mogontinus, archiflamen ex fuga retractus, cùm iam in crucem ageretur, clementia Cæsaris superuenientis ab imminenti nece liberatus est. Wernherus Merburgensis Episcopus, Cæsaris itidem pietate patibulum euasit, ambobus copia abeundi facta. Ipsi se rursus ad Rudolphum contulere. Neminem, nisi qui prælio cecidere, Cæsar occidi permisit: quem Albertus Vangionum Pontifex ne aspicere quidem voluit, proinde arcta custodia asseruari iussus. Inde corruptis custodibus pecunia elapsus est, ad Rudolphumque rediit. Magnus quoque Dux Saxoniæ, Hermannus eius patruus interiere, à Cæsarianisque prælio occisi sunt. Facta hæc strages Saxonum, sociorumque anno æræ nostræ M. LXXVIII. VII. Idus Augusti, tertio die Septimanæ, quem veteres Marti dicarunt, à quo adhuc Græca voce Ares apud Teutones vocatur. Cæsar tanta potitus victoria, in Boiariam hyematum concessit, Reginoburgij Calendis Februarij Diuo Mariano Scoto, eiusque sociis atque simmystis, viris religiosis, atque eius tempestatis doctissimis, mathematicis, poëtis, theologis, historiographis diploma dat, eosdem immunitate donat. Eberspergensibus monachis, Burensi templo prædia quædam tribuit. Fruxinensibus Meginardum Episcopum, mortuo Angelberto designat. Insequenti anno Cæsar rursus cum exercitu Boiorum, Francorum, Boiemorum Rudolphum primo impetu in fugam coniecit. Vbi Dux Boiemiæ Vratislaus regiam hastam Rudolphi nactus est, eaque à Cæsare Boiemo donata, in posterum festis diebus Regulis Boiemorum insigne Imperij solenne fuit. Pars Saxonum dum prælio decertatur, in castra Cæsaris vacua viris atque defensoribus, quo pueri diuerterant, irruunt, hosque omnes strangulant. Cæsar fusis hostibus Osnoburgensem, Virdunensemque Episcopos Romam cum mandatis proficisci iubet, postulatque à Pontif. Max. vt si quidem secum syncerè in gratiam redierit, tyrannum immanissimum, perfidum parricidam (qui affinitatis vinculo, fideique religione violata, bellum plusquam ciuile exercitarit, pacem interturbarit) pro Republica deuoueat. Rudolphus quoque Romani Episcopi opem, cuius auspicio regnare iussus sit, supplex implorat, petitque, vt Pontifex Maxim. communis generis humani parens, sæuissimum sacrilegum, incestuosum, sacerdotum contemptorem, cuius Deus venter atque ea quæ sub ventre sunt, sacro ense iuguler. Gregorius huius postulatis annuit. Hainricum quod contrà, ac pollicitus fuerat, insignia Imperij vsurparit rursus execratur: proceres, populum, sacratos, prophanos sacramento soluit: eos qui Cæsari fidem frangant, principi suo rebellent, Rudolpho adhæreant, ab inferis emancipat, cœloque locat, hisce incendia, cædes, & huiuscemodi scelera, quæ bello designari solent, indulget, aliis omnibus, qui Cæsari fidem seruent, ab eo deficere, armis se miscere recusent, diras inferiasque dicit. Regem malum ob crimina à se deuotum, proinde iam non regem, neque illi parendum esse docebat, quin obsequium præstare Deo, pietatisque esse occidere eos, qui Hainrico fidem seruarent, asseuerabat. Sacerdotibus quoque connubiis interdicit, vetat populum sacrificiis eorum interesse, aut illos pro sacerdotibus ducere. Gratissima hæc fuere scortatoribus, quibus pro vna vxore sexcentas muliercuias inire licet. Sed isthæc omnia, plerisque Episcopis, aliis eruditis, simplicibus, apertis atque bonis, præter coniuratos, qui suæ caussæ seruiebant, nouum dogma, pestifera hæresis, quæ vnquam Christianum conturbasset regnum, visa est. Quamobrem Italiæ, Germaniæ, Galliæ Pontifices, Quinquagenalibus Mogontiaci, septimo Kalendas Iulij, apud Brixinam Boiariæ (vt ait Otto Fruxinensis Episcopus) vrbem conueniunt, Hyldebrandum contra pietatem Christianam, verbis, factis facere, agere decernunt, eundem ambitus, hæręseos, impietatis, sacrilegij condemnant, huiuscemodique decretum tum factum est. Quoniam Hyldebrandus, falsus monachus, magus, diuinaculus, somniorum prodigiorumque est coniector, malè de religione Christiana sentit. Primus Pontificatum Maximum contra morem maiorum, inuitis omnibus bonis emit, ac contra voluntatem nostram, & orbis terrarum domini, vi retinere conatur. Berengarij antiquissimi erronis symmystes & discipulus, coniuratus est hostium Reipublicæ atque sacrosancti Imperij, Cæsaris Christianissimi, qui sæpius pacem ei, eiusque sociis vltrò obtulit, saluti corporis & animæ insidiatur: vitam Imperiumque perdere conatur, ius diuinum humanumque peruertit, falsa pro veris docet, sacrilegia, periuria, mendacia, homicidia, incendia, veluti benefacta indulget, collaudat, ad hæc perpetranda classicum canit: tyrannum perfidum suo more tutatur, discordias inter fratres, amicos, cognatos serit, lites nutrit, inter coniuges diuortia facit: suauis homo sacerdotes, qui vxores habeant legitimas, sacrificos esse pernegat, interim tamen scortatores, adulteros, incestuosos aris admouet. Quicquid vsquam pacis Christianæ fuerat labefactauit. Nos ergo authore Deo Optim. Max, eundem Pontificatu Max. amouendum decernimus. Quod si, vbi hæc audierit, vltrò se abdicare, parere huic decreto recusarit, perpetuò repulsam passurum, adytu

Rudolphus contra Cæsarè insurgens pellitur.

Bernhardus Magdeburgius archimysta belli ciuilis autor occisus.

Magnus & Heimannus occisi.

Ebersberg monasteriū.

Vratislaus qui alias Fradislaus, Dux Boiemiæ.

Rudolphi petitione Gregorius Cæsarem rursus execratur.

Sacerdotib. coniugiū interdictum.

Hyldebrandus accusatur.

Nota sanctitatem Pont. Rom.

arcendum censemus. Aduersus hæc Anthelmus Lucensis Episcopus (qui hymnos & alia quę de Seruatoris nostri cruciatibus præscripta sunt, de Gregorio interpretatur) & Wilhelmus Hirsunus, qui suam caussam, seque iustos esse miraculis post mortem declararunt, pleraque scripsere, quæ rursus confutata sunt, compluribus sacratarum literarum testimoniis ab Herueldensium Theologo. Sed ad Septimum redeo. Qui accepto superiore senatusconsulto, vt animos suorum confirmaret, prouidit, Saxonibusque renunciauit, hoc anno falsum interiturum regem, hocque de Hainrico interpretatus est. Dumque talia fiunt, Hainricus & Rudolphus in Turogorum finibus sexto Idus Februarij, tertiò infestis signis concurrunt, Rudolphus fusus, in fugamque coniectus est. Sed reparatis viribus, animatus vaticinio Gregorij aleam belli denuò iactare, fortunam tentare statuit. Nec Hainricus certamen detrectauit, quarto Idus Octobris ducum copiæ in Mysnia iuxta Ellestram amnem, aperto marte quartò confligunt. Quartus superior & hic fuit. Rudolphus cum Saxonibus inuitis superis pugnauit, inauspicato Martem lacessiuit, non solum superatus est, sed & amputata dextra, qua fidem Cæsari dederat, interiit. Mersburgij regio cultu sepultus est, anno Christianæ salutis millesimo, super octogesimum, potestatis quarto. Hainricus perempto Rudolpho, pacataque Germania, secundò Italiam, vt aut in gratiam cum Gregorio redeat, aut eum, si pacem accipere detrectet, abdicet, petit. Quicquid resistit, capit, perdomitat Septimus vrbes, castella, arces communit, ad rebellandum Cæsari hortatur. Verùm is vi cuncta penetrat, hostium munimenta expugnat, Romamque victricibus signis peruenit. Quinquagenalibus castra ante mœnia vrbis facit, fossa, vallo, carrucis munit, statiuaque ibi biennio habuit, vrbem obsedit, neminem exire, intrare permisit circumcirca. Vniuersa incendiis, cæde complet. Hyldebrandus fretus opibus Machtyldæ & Ruperti Vischardi Nordmanni, portas vrbis clausit, fortiter vrbem tutatus est, sæpius eruptionem fecit. Hainricus in contraria parte crebiò vrbem oppugnat, Romanos erumpentes in vrbem repellit. Extra mœnia quicquid fuit, in ditionem redigit. Tandem post annos duos, quarto nonas Iunij (qui dies sextus Quinquagenalium erat, eum Romani Veneris Aphrodites Græco, vt alia pleraque solent, vocabulo nuncupant) anno ab orbe vindicato millesimo octogesimo tertio vrbs capta est. Dato signo à gregario milite, qui cum obsessi atque obsidentes nimio æstu laboreque fessi dormitant explorabundus ad vrbis mœnia accedit, ex silentio animaduersa solitudine, mœnia conscendit, signoque dato, plerosque sociorum excitat. Qui confestim aduolant, murum superant, custodes somnolentos trucidant, portas effringunt, vrbe potiuntur, fit cædes, fugaque. Cæsar partem mœnium diruit, ac solo æquat. Vrbem infesto intentoque exercitu intrat. Pontif. Max. in molem Hadriani aufugit, pars Traiani, pars Crescentij prætorium, sunt qui Theoderici regiam nuncupent, Germani Angelburgium, hoc est Angeli castrum vocare solent. Cui Imperator castra admouet, vallo, fossa circumdat. Romani cum suppliciis adsunt, auro ægrè pacem impetrant, perfidiam omnem in Hyldebrandum transferunt, obsides viginti dant nobilissimos cuiusque liberos, quos Hainricus postulauit. Hisce quoque diebus, legati Imperatoris Orientalis multa auri, argenti pondo, signa gemmata, vestes holosericas aureasque Cęsari Romano tribuunt. Romani deinde suasu Gregorij, Quartum adeunt, orant vt diem colloquio constituat, vbi ipse & Pontifex, Senatoresque conueniant, de rebusque Reipublicæ summis consilium habeant, bonorumque virorum arbitratu pax communiter confirmetur. Non abnuit postulata Cæsar, diem Calendarum Nouembrium huic negocio destinat. Exinde, quòd lues ob æstum in exercitum grassaretur, ad Appenini montis, qua Campaniæ continuatur, vmbracula discedit. In Germania interea Saxones & socij Hermannum Lotharingium rebus imponunt Islebiæ, vrbs est Turogorum, vbi allij prouentus, hanc ob caussam Rex Allij vulgò cognominatus est. In Orientali quoque Boiaria, Luitpoldus Austriaci limitis præfectus, suasu Altmanni Episcopi Bathauensis res nouas molitur, rebellionem facit. Welpho corruptis pecunia custodibus euasit, contractis perditissimorum copiis, Fruxinum Vindeliciæ oppidum, Augustam Rhetiæ vrbem, de improuiso inuadit diluculo, capit, diripit. Wigoldum Episcopum à Sigefrido Mogontino in Saxonia furtim consecratum Augustanis imponit. Sigefridus Augustæ Pontifex fuga sibi consuluerat. Conradus frater Vratislai Boiemorum reguli cum Boiorum, Venedorum viribus Austriam depopulatur, Murbergij Luitpoldum magna clade afficit, quarto Idus Maij: Austriam Orientalem regni Boiariæ limitem ab Imperatore in tutelam accipit. Fridericus itidem gener Quarti, Boiariæ proceres, Conradi duo pater & filius Rhodæ iuxta Oënum, dynastæ præfecti prætorio Wigoldum Augusta pellunt, Welphonem tertio Idus Augusti Hochstadij iuxta Danubium superant. Eo prælio Conradus filius cecidit, Rhodam à patre deportatus, ibique in templo, in quod arcem parens commutauit, & cæremoniis D. Benedicti dedicauit, sepultus est. In Italia Cæsar Calendis Nouembribus vt condictum erat, Romam reuertitur, maximoque honore excipitur. Nuncij vltrò citroque commeant, Gregorium & Cæsarem in gratiam redigere conantur. Gregorius

Bellū inter Rudolphum & Cæsarem.

Cæsar victor Romā venit.

Freitag.

Hainricus 4. Rom. Imp. Romā capit.

Obsides Cæsari dati.

rius, vt Cæsar absque vlla pactione, se atque Imperium fide illius permitteret, postulabat. Cæsari non fuit consilium vitam, dignitatem, salutem suam atque amicorũ, arbitrio inimicorum in potestate acerbissimorum hostium credere, se ense suo iugulare, manubrium è manu dimittere: Gregorius tamen simulata pace, fugæ ornatu dissimulato, Salernum ad Nordmannos aufugit. Cæsar coacto procerum Episcoporum senatu, aduocata concione populi more maiorum comitia Pontificalia habet. Hyldebrandus necessitate in rationẽ versa, tanquam lupus, fur ac latro, veluti perfidus transfuga, ouium desertor, gregis proditor, Christianæ charitatis osor, omnium communiter consensu abdicatur. Ex patribus Vicbertus Rauennæ archimysta concordiæ ac pacis studiosus, vir bonus atque eruditus, Pont. Rom. capitur. Cæsar Epiphaniorum ferias in templo D. Petri perlitat. Kalendis Februariis in Campaniam arma mouet, maximã Apuliæ partem fusis, profligatis Nordmannis ad obsequium cogit. Posthæc à legatis Romanorum ad vrbem reuocatus vndecimo Kalendas Aprilis: qui tum dies decimus erat ante Paschalia, à Senatu, equitatu, plebe, reuerenter ac honorificentissimè exceptus Romam ingreditur. Moxque Vicbertus à cœtu Pontificum inauguratur, Clemens tertius appellatur. Is in celeberrimo Paschalium festo die, anno Christianæ salutis millesimo, octogesimo quarto Cæsarem cum Bertha vxore consecrat, Augustos acclamante populo Rom. appellat. Eadem tempestate Bruno genere Teutonicus, in Agrippinensi Colonia ortus, mysta atq; ludimagister Rhemorum adprimè doctus, Carthusianam Christianorũ maximè arduam disciplinam (quæ & in prouerbium venit) instituit. Imperator pacata Italia, firmissimis ibidem præsidiis relictis, in Germaniam redit: Augustam recipit: Mogontiacum properat: Sigefrido archimysta in exilio mortuo Wezilonem Pontificem declarat. Septimus hoc tempore Salerni moritur. Quidam eum omnia acta sua rescidisse mandasseque vt sui cum Imperatore in gratiam redirent, literis produnt: alij contrà referunt, adiurasse socios, ne quenquam præter Sergium Cassinensium monachorum magistrum, Ottonemue Cluniacensem monachum, Episcopum Hostiensem, sibi substituerent. Hic in Saxonia cum longius aberat, in opprobrium Segiuini Agrippinensis & Wezilonis Mogontini archimystæ, contra instituta maiorum, alienam temerè ditionem vsurpans, superstitib. adhuc veris pastoribus Constantiæ, Bambergæ, Mindæ Augustæ Gebhardum, Hainricum, Reginardum, Wigoldum nouos Episcopos nuncupat. Is tamen ab Archiepiscopis superiorib. de more atque ritu priscæ religionis celebri collegarum conuentu, cum exulibus Ponticulis ab eo creatis, in numero impiorum sceleratorumque computatur. Eisdẽ diebus Sergius legatione Hyldebrandi apud Nordmannos fungebatur. Hunc defuncto Hyldebrãdo Machtylda, & Nordmanni Pont. Max. creant, Victorem bene ominato nomine appellant. Verùm in paucis diebus profluuio ventris interiit. Sublatis itaque Gregorio & Victore capitibus perniciosæ dissensionis, fesso tot cladibus orbe Romano, placuit vtriusque partis Episcopis iure atq; literis, non armis atque ferro more barbarorum disceptandum esse. Fit igitur conuentus Garstungi XIII. Kal. Februarij, conueniunt Episcopi Germanię, Gallię, vtriusque partis. Vbi consedere, Cõradus Episcopus Traiectensis ita verbum fecit: ad pacem, quam nobis, patres conscripti, Seruator noster abiturus reliquit, stabiliendam conuenimus, vim, temeritatem, violentiam, errores pestiferos eorum qui cœleste donum contaminare non erubescunt, gladio duplici, ense ancipiti ad viuum resecare, vtriusq; instrumenti testimoniis iuxta præceptum Christi refellere, operæprecium duximus. Iosues hostibus astutis, fallacibus iuramentum, quod mendaciter extorserant, seruauit. Nabocodnosoro impio regi Iudæos regesque eorum fidem frangentes, immortalis cœli maiestas per Hieremiam atque Ezechielem vates suos coarguit, seque spretum testatur. Qui iuramentũ contemnit, fœdus spernit, pactum soluit, fidẽ frangit, illum despicit, per quem iurauit: illi facit iniuriam, cuius nomini aduersarius credidit. *Viuo ego dicit Dominus, iuramentum quod spreuit, fœdus quod præuaricatus est, ponam in caput eius. Nunquid qui soluit pactum effugiet?* Non considerandum cui, sed per quem iuraueris. Multo enim fidelior est ille, qui propter nomen Dei tibi credidit, quàm tu, qui occasione diuinæ maiestatis hosti tuo, imò iam amico moliris insidias. De Tiberio & Nerone non solùm leuissimis tyrannis, sed impurissimis quoque monstris, præceptum legimus: *Reddite Cæsari, quæ Cæsaris sunt, & Deum timete, regem honorate. Principibus qui non sine causa gladium portant, etiamsi mali fuerint, non modò dicto audientes estote, verum pro iisce supremum Deum deprecamini, quo tranquillam quietamq; vitã agamus. Omnis enim potestas à Deo est. Qui potestati resistit, diuinæ prouidentiæ repugnat.* Idcirco ambitiosi & superbi sunt, qui illud Domini Deique nostri elogium, Quodcunque solueris super terram, erit & solutum in cœlis: & Quodcunque ligaueris super terram, erit & ligatum in cœlis, perfricata fronte interpretando adulterant, suæ libidini seruire cogunt, & nobis ceu pueris atque omnium rerum imperitis astu illudere student. Quasi verò nesciamus, peculiare esse sacris vatibus diuinæ sapientiæ consultis, pro capacitate auditorum diuersis nominibus idem appellare, eandem rem pro diuersitate effectuum, modò propriis, modò translaticiis verbis, quod idem vales, nunc figuratè, nunc simpli-

Cæsar in Campaniam arma mouet.

VVezilo in exilio mortuus Halungi in Hassia sepelitur.

Hyldebrandus moritur

Sergius abbas.

Otto Hostiensis Episc.

Conradi Episcop. Traiectensis oratio

citer

citer dicere, crebris similitudinibus, frequentibus prouerbiis atque exemplis, aptis comparationibus & huiuscemodi: tanquam luminibus rem illustrare, animū atque aures tanquam stimulis ferire, & vt sunt varia ingenia, varia orationis sententiarumq; supellectile homines instruere, docere, recreare, rapere, trahere, mouere, oblectare. Et vt D. Aurelius Augustinus docet, veritas diuina ita tradita, ita ornatu tecta, plus mouet, plus delectat, plus honoratur, quàm si nuda absq; veste prostitueretur. Nempe animus noster, quamdiu mortali carcere clausus detinetur, nolit, velit, rebus fluxis, fragilibus quæ videri, tangi solent, nimium addictus est. Ad æterna & clara, quæ cerni, tactu sentiri nequeunt, cæcutit atque hebetatur, nisi igniculus ingenij hisce fomētis motus excitetur. Proinde Pont. æternus, id quod subobscurè de vinculo dixit, apud Ioannem apertè, apud Matthæum, Marcum, Lucā apertissimè explicat. *Pax vobis,* inquit, *sicut misit me pater, & ego vos mitto. Accipite spiritū sanctum, quibus remiseritis peccata, remittuntur: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Et vt concordiam assereret, & vnum se verum pastorem esse indicaret, vni dixit: *Siquidem amas me, pasce oues meas,* id est, *ite in mundum vniuersum, prædicate Euangeliū omni creaturæ:* atque, *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, ite ergo docete omnes gentes.* Hanc ob causam aperuit discipulis mentem cœlestis doctor, vt intelligerent scripturas, Mosen, prophetas, & psalmos. Iussitq; eos in nomine suo pœnitentiam & remissionem peccatorū prædicare apud omnes gentes, testesq; horum esse. Has ergo ob causas Hyldebrandus ambitione in præceps abiuit, cùm potestatem immortalis Dei, cuius nuncius duntaxat est, sibi vsurpauit. Ita mores, ita tempora, ita homines sunt. Malè consuluisset rebus humanis suprema illa Maiestas, si ita gladium in manum mortalis cuiusquam traderet. Quis concupiscentiæ humanæ finem statueret? aut quis moderaretur? Ne sapientissimus quidem æquo animo tantum onus tulerit. Non necesse habemus, vt quispiam nos doceat, quo nam pacto spiritali potestate, vel, vt verius dicam, dispensatione atque procuratione diuini peni (oraculorum enim cælestium promi atque condi duntaxat sumus) Petrus, eiusque collegæ vsi fuerint. Clarius luce in lib. quem de gestis Legatorū Christi Lucas Medicus scripsit, liquet, arma nostræ militiæ spiritus non ferrum, neque rapinæ, cædes, homicidia, periuria sunt. Nimirum lorica, thorax, galea, baltheus, ensis, scutū, sunt pax, amor, iusticia, spes salutis, veritas, sermo Dei, fides. Quæ munera diuina sæpius Imp. noster Christianissimus vltrò Hyldebrando obtulit: sed ipse accipere recusauit. Non inficias imus, homo est ille, peccare solet. Nam nemo vitiis sine nascitur. Optimus ille est, qui minimis vrgetur. Nulla tamen illi, nisi ex permisso voluptas Veneris, iuxtaque naturale desiderium vsus, quæ sicut iuuenta irritari, ita senectute mitigari solent. Iam id fateor, peccatum primum quidem magnum, at humanum tamen, fecere alij sæpe, item boni. Et profectò rectè æstimantibus principem nostrum, liquet bona natura eius esse, vitia, vel fortunæ, vel ætatis: ingentia animi bona, illa indoles in rebus moliendis, conficiendis velocitas, periculisq; subeundis fortitudo, vis incredibilis animi, laboris patientia, consilium par magnitudini animi, & quantam vix potest ætas eius capere, solertia. Rei militaris, iuris, ciuilium morum, diuinarum humanarumq; rerum peritia, fortitudo propemodum nimia, non modò inter reges excellens, sed inter illos quoque, quorum hæc sola virtus fuit. Iam perpetuum pacis, pietatis atque religionis studiū, in pauperes liberalitas, maiora tribuentis, quàm à Deo petuntur. Clementia in deuictos, benignitas in amicos, erga milites beneuolētia, in nullo vnquam Germano Romanóue tanta fuere principe. Quòd si flagitiosissimus is foret tyrannus, tamen ei obtemperandum, nequaquam resistendum esset: prohibent humanæ leges decretaq; patrum aduersarios, hostes, inimicos, accusatores, testes atque iudices esse. Augustus cum in Italia cum Hyldebrando pacem facit, paucorum scelere atq; perfidia Saxonia excidit: perfidus tyrannus, qui perfidiæ graues pœnas reddidit, sprēta religione iureiurandi, violata affinitate, necessitudine eam inuasit. Nemini priuato, nisi ante in integrū restitutus fuerit, dica scribi potest. Hæc vbi dixit, librum dat Pontificalem Weziloni archimystæ Mogōtino, recitariq; legem iubet, qua non licet spoliatum rebus suis respondere, accusari, nedum cōdemnari. Eundem codicem deinde Wernherus Mersburgensis Pontifex accipit, de fœminis idem quoque cautum legit, ne scilicet eæ prius in ius ambulare cogantur, quam familiarem rem domi composuerint. Posteaquam hæc ita dicta factaq; sunt, Gebhardus Salisburgensis Boiorum primarius Episcopus, ætate, eloquentia, scientia, egregiè præter cæteros Hyldebrandinos venerabilis, cui socij respondendi prouinciam demandarant, omnino obmutuit, ne hiscere quidem potuit. Alius conuentus in Maium, Mogontiacumq; edicitur: vbi lis ea componatur, paxque confirmetur vtriusque factionis consensu. Cæsariani peracto conuentu discedunt, Gregoriani manent, inter seque dissentire cœperunt. Tetrarchæ Saxoniæ, Theodericus maritus sororis Eckberti, huius gentilis Theodericus. Vto Hyldeshaimensis Episcopi frater eius Conradus, sectam Hyldebrandi velut impiam sceleratamque abiurant: quo magis pœnitentiam prioris sectæ approbant, ad Rom. Pontif. Imperatoremque se transferunt. Cæteri Episcopi numero quatuordecim, nimirum Gebhardus Salisburgensis, Harduicus Maydenburgensis, Adalbero Wirtzburgen-

D. Augustinus.

Matth.

Arma Christianorū & maximè sacerdotumque.

Wernherus Mersburg Episcopus.

Gebhardus Episcopus Salisburg.

burgen-

burgensis, Alemannus Bathauensis, Bernhardus Mersburgensis, Guntherus Ciriensis, Benno Moesianus, Albertus Vangionus, Burckhardus Halberstatensis, Hermannus Mediomatricus: & hi quatuor deuoti supposititiique Pontif. per studia partium facti, Reginardus Mindensis, Wigoldus Augustanus, Gebhardus Constantiensis, Heinricus Bambergensis, deserta Reipublicæ causa, ad priorem factionem redeunt: Concilij indicti tempus antè capere festinant. Quintelburgij cum Hermanno rege Saxonum, Eckberto Brunonici vici præfecto, cum Heinrico Crasso, & Contrado à Beuchlingen, filiis Ottonis, qui Boiariæ ducatu motus fuerat, cum Ottone monacho Cluniacensi legato Hyldebrandino, mense Aprili conueniunt, ad prætextum mutatæ voluntatis, dictum Wezilonis Mogontini archimystæ calumniantur, hæreseos condemnant: quasi qui spoliatum rebus suis, legibus diuinis non oportere parere iactasset: se denique Ecclesiam sacram esse causati, Ottonem superiorem deuotum à Segiuino, VVeziloneque archimystis, sibi imponunt Vrbanum, quasi ab vrbe Roma. penetrali religionis domicilio Imperij electus sit, appellant: licet extorris Roma, deuotusque & profugus sine lare, sine grege diutius errauerit. Extat de hac re hoc distichon:

Diceris Vrbanus cum sis proiectus ab vrbe:
Vel muta nomen, vel regrediatū in vrbem.

Mense itaque Maio, vbi constitutum fuerat, Imperator, proceres, duces frequentes coeunt. Item Petrus Portuensis episcopus, duo flamines Romani, legati Clementis tertij Pontificis maximi archimystæ, hi atque minores Pontifices Galliæ, Germaniæ, Wezilo Mogontinus, Angelbertus Treuerensis, Segiuinus Agrippinensis, Luitmarus Bremensis Theodericus Virdunensis, Hainricus Leodiensis, Conradus Traiectensis, Vdalricus Aichstetensis, Meginardus Fruxinensis, Otto Reginoburgensis, Rupertus Bambergensis, Hermannus Spirensis, Otto Constātiensis, Burckhardus Losaniensis, Sigefridus Augustanus, Gebhardus Pragensis, Vto Hyldeshaimensis, Hainricus Badebornensis, Erpho monasterij Volckmarus Mindensis, Bibo Tullensis, Burckhardus Basiliensis, Otto Argentoratensis, conueniunt, adsunt legati aliorum Pontificum Galliæ, Italiæ, Germaniæ, communi omnium consensu Hyldebrandi secta pietati Christianæ repugnans, explosa, exibilata est. Ottonem, qui & Vrbanus, superiores patres, sacrilegi, irreligiositatis accusant, conuincunt, in numeroque impiorum computant. Superiores quoque quos nominaui, quatuordecim Episcopos albo Pontificum eradunt, senatu sacerdotum mouent: crimine perduellionis, periurij, perfidiæ, homicidij, parricidij eosdem condemnant. Hermannum regem, Eckbertum Saxonem, Welphonem Boium proscribunt, eadem censura deuouent, senatusconsultum proscribitur tale. *Deuota capita quæ numerauimus, velut contagio ab omnibus vitentur Christianis: quandoquidem a nobis secessionem fecerunt, non nos ab illis ad concionem sacram quemadmodum promisere, venire detrectant, pietatem Christianam polluunt, concordiam contaminant quibus desertis ad hostes Reipublicæ profugiunt, ad bella, incendia, homicidia, parricidia, latrocinia, animus non solum cohortātur, verum etiam duces sunt. Crebrò benignè vocati, reuerti noluerunt. versutos, obscuros, veteratores, vafros se esse factis produnt, & nos experimentis sentimus. Egregij sanè pastores, quibus gregem tuum crederes. Nemo oues persequitur, nullo viso lupo tamen fugiunt. Quid non designassent, si eos fortuna ad tempora Domitiani Deciique seruasset?* In eodem concilio Pragensis diœcesis ab Imperatore Ottone secundo, Benedicto octauo Pont. Max. consensu D. Wolfgangi Reginoburgensis Episcopi instituta fuerat, certis limitibus describitur, in quibus Cracouiam quoque comprehendi reperio. Clemens atque Augustus diploma dederunt. Vratislaus quoq; Boiemiæ atq; Poloniæ Rex constitutus est. Ipsum cum vxore Suataua Pragæ decimo septimo Kalendas Iulij, Angelbertus archimysta Treuerorum iussu Cæsaris inaugurauit, acclamante senatu, equitatu, populoque Boiemo, Vratislao pacifico Boiemiæ atque Poloniæ regi, à Deo coronato, vita, laus, victoria. inter hæc Imperator desertis gregibus pastores dat, Bathauiæ Hermannum, filium Luitholfi ducis Chariorum, Iuuauensibus Berchtoldum Mosburgensem principem, Meginardum literis & facundia insignem Wurtzburgio præfecit. Mediomatricibus Brunonem filium Alberti Sueui imponit, sed mox eundem ob sæuitiam abdicat. Posthæc cum exercitu atque Archiepiscopis & minoribus Pontificibus in Saxoniam transitū facit. Hermannus Rex cum coniuratis, sacratis, prophanis trans Albim fugam capessit. Cæteri Saxones deditionem faciunt, iureiurando fidem Imp. donat. Augustus Hardouicum Herueldensium præsulē, sacrarum literarum perquàm peritum, sapientē bonumq; archimystam Maydenburgensem designat. Is tertio Idus Iulij à Wezilone Mogontino, Segiuino Agrippinensi Pontifice, & aliis plerisque Episcopis consecratur, Imperatorq; dimisso exercitu Saxoniam perlustrat. Tum Saxones ab Episcopis deuotis concitati, absque cunctatione deficiunt, arma resumunt, Augustū cedere finibus suis compellunt. Hermannus Rex hostium, Eckobertus cognatus Imp., Ottonis Boiaria moti duo filij adolescentuli Hainricus & Conradus, cū sæ farinæ Episcopis proxime Herueldenses castra faciunt. Erat loco infestus Hartouicus Maydenburgio extorris, quòd suam dignitatem Herueldensis antistes possideret.

Hyldebrandi secta explosa.

Otto, qui & Vrbanus impietatis damnatur.

Episcopi 14. dignitate moti.

Hermanni fuga.

Harduicus Herueldēsis abbas.

Saxones ab Episcop. deficiunt.

Impera-

Imperator per Franciam in Boiariam peruenit, Reginoburgij copias cogit, in Saxoniam intento infestoque contendit exercitu: Herdueldenses liberat obsidione, Turogorum, Saxonumq; fines percurrit, cunctos imperata facere cogit. Rursus induciæ fiunt, pacis conditiones ab vtriusque partis amicis dicuntur. Hainricus pacata Saxonia, in Franciam ob Quadragesimæ solennem abstinentiam redit. Episcopi odio excæcati, pacem rursus interturbant, copias cogunt, extra fines Turogorum, Saxonum perducunt, domi lacessere armis Imperatorem statuunt, Wurtzburgium obsident. Augustus obsessis auxilio venit. Dumque vtrinque prælio commisso armis dimicant, nonulla pars equitum, qui lateri regis hærebant, corrupti pecunia ab hostibus, arma in Cęsarem vertunt, excitatoque tumultu, conclamant, Cæsarem, qui ictus, munimento armorum incolumis euasit, interfectum esse, reliquus equitatus illos quidem perfidos particulatim concidit: verùm cum conclamatum esset, Cæsarem periisse, terga vertunt, pedites qui sibi consulere fuga nequibant, maxima clade affecti sunt, quatuor millia desiderata fuisse reperio. Capta est vrbs tertio Idus Augusti: Adalbero Episcopus restitutus, firmumq; præsidium vrbi impositum. Meginardus Episcopus aufugit. Reginerus sacrificulus Wetzilonis Mogontini Pontificis captus est, quem increpatum acriter, quòd deserta Hyldebranda secta (cui sub Sigefrido sacramento rogatus astrictus fuisset) ad Imperatoré defecisset, Hartuicus quondam Maydenburgensis archiflamen circúducit, hostilia cadauera passim humi strata ostendit. Viden' inquit, penes victores iusticiam esse? exitus probat. Imp. autem collectis rursus viribus, Wurtzburgium petit, præsidium, hostesque continuò in Saxoniam elabuntur. Adalberoà suis desertus obsidetur, vrbs expugnatur. Capitur Adalbero, nec precibus, nec minis, neque à principibus, neque Episcopis persuaderi potuit, vt vel ad conspectum Cęsaris, vel colloquium veniret, mori se posse respondit, at vt Hainricum videat, cogi non posse. Augustus æquo animo contumeliam hanc tulit. Hostes Reipublicæ proscriptos atque deuotos, non solum impunitos dimisit, verum Adalberonem etiam incolumé Weinspergium deduxit. Recepta itaque vrbe, restituto Meginardo, in Saxoniam castra mouet. Hermannus nescio quam ob causam à Saxonibus exigitur, abiectoque regio nomine, ab Hainrico domum redire permittitur. Is Turogorum, Saxonum fines peragrat, cuncta terrarum subigit, statiua apud Herueldiam habet. Saxones atq; Turogi non ausi fuere copiam pugnandi facere. Eckbertus limitis Brunonis vici præfectus, cognatus Cæsaris, cum suppliciis in castra venit, in verba Imperatoris iurat, fidem dat, se atque populares suos imperata, deditionem, mandata facturos, si ille exercitum reducat. Quartus postulatis annuit. Eckbertus ad Saxonas reuertitur, ab Hartuico, Burckhardo, deuotis Episcopis, spe regni lactatur, fidem frangit, noua molitur, rebellionem facit: Imperatori nunciari iubet, se non posse deserere fidem, quam popularibus suis dederit, aut deniq; seruare, quæ pactus fuerit. Sed cum à cæteris Episcopis pax peteretur ab Cæsare, Eckbertoque regnum denegaretur, atque ipse ita repulsam pateretur, rursus à Saxonibus ad Augustum deficit. Hartuicus quoq;, qui fuerat Maydenburgij archimystes, veniam delicti impetrauit. Goslariæ tum seditio inter coniuratos orta est, plerisque omnibus pax placebat, Burckhardus Episcopus Halberstadio exactus, ferocius decernebat bellum concordiæ præferebat, ideò à cæteris cum compluribus, nonis Aprilibus, quarto ante Paschalia die trucidatus est. Bertha tum Augusta obiit, in Nemetum vrbe sepelitur. Imperator pacata rursus Saxonia, vxori more Cæsareo magnificè iusta facit. Brumales ferias Mogontiaci concelebrat, in Weizilonis Episcopi demortui locum Ruthardum sufficit. Inde Agrippinam petit, Adelhaidim vxorem ducit, auspice Hartuico superiore nuptias regio apparatu facit. Godefrido filio Eustachij Boloniensis, nepoti ex sorore Godefridi gibbosi, ducatum Lotharingiæ, Antorphensem Marchiam in tutelam committit. Inde aduersus Eckbertú principem atque ferocem adolescentem rursus rebellanté, Saxoniam petit, Quintelburgij sorore atque vxore relicta, Glicham oppidum Eckberti obsidione cingit. Eckbertus vt Cæsarem à Glicha abstrahat, mulieribus opem ferre cogat, Quintelburgium arma transfert. Hartuicus superior cum parte copiarum iussu Imperatoris ad liberandas Augustas proficiscitur. Homo tamé perfidus neutri parti fidus, certiorem Eckbertum facit, Imperatorem cum paucis in obsidione relictum, facile intercipi posse. Ipse diuerso itinere, ne Eckberto obuiam veniret, Quintelburgium peruenit. Eckbertus interim nono Kalendas Ianuarij dies Solis erat, de improuiso Imperatorem inuadit, copias eius in fugam vertit, ipsum retrò ferre pedem cogit. Burckhardus Losannæ Episcopus, qui eo die hastam sacram Cæsari prægesserat, occisus est. Hoc ideo euenisse Imperatori quidam in literas retulere, quòd hisce, quos concio sacra impietatis condemnarat, gratiam absque concilij decreto fecerit. Sub idem tempus in Italia, quarto post mortem Hyldebrandi anno, Machtylda & Nordmanni, authore Vrbano grassari incipiunt. Nam quos Imperator in præsidiis reliquerat, iam vita defuncti erant. Romani quoque tumultuari cœperunt. Augustus cum exercitu Italiam intrat, Nordmannos, Machtyldam atroci prælio superat, castella, oppida, vicos, Mantuam, Florentiam obsidet, expugnat, capit. Romanos supplices obuiam

Episcopi pacem interturbant.

Cæsar in Saxoniam castra mouet.

Eckbertus Cæsaris cognatus.

Burchardus Episcopus à Vrspergen. Buggo dictus occiditur.

Bertha Augusta moritur.

Ruthardus Episcop Mogontinus.

Adelhaidis quæ & Adoleda vxor Hainrici 4. altera.

Godefridus Lotharingiæ Dux.

uiam procedentes,datis acceptisque mandatis domum dimittit. Vrbanus in Hispaniam aufugit. Eodem anno interea dum Cæsar in Italia belligeratur, Welpho,cuius mentionem sæpius fecimus,quarto die ante Paschalia proditione Augustam Rhetiæ cepit,populus, sacerdotes prædæ fuere. Complures qui in templum Maximum confugerant, ab irato hoste ibidem contrucidati sunt. Sigefridus Episcopus ab ara retractus, in vincula cōiicitur. Wigoldus Hyldebrandinus author huiusce belli,ciuibus Episcopus imponitur. Postridie licet pollutus homicidio,sacrificat. Vix sacra perpetrarat, morbo corripitur, atque expirat. Circa eundem temporis tractum,vniuersi Episcopi,principes, faces & antesignani ciuilis belli,quo septemdecim annos Respublica attrita fuit,vno anno extincti sunt. Hermannus Rex Saxonum dum hostili habitu suorum vires ac constantiam periclitatur,ignoto cultu suum castellum oppugnat,à fœmina saxo in eius caput deiecto opprimitur. Eckbertus itidem regij nominis adfectator, simili fato raptus est. Ad Hyldeshaimenses Augusto fideles obsidendos,præmissis copiis cum paucis contendit, atq; de via publica diuertit,per colles syluestres pergenti, æstu sitique defatigato grauis somnus obrepit. Qui cum eo erant,molam fortè conspicati eundē excitant, ipseq; equo descendit,casam vilem subit,molarium in proximum vicum allatū potionem ablegat: illi forte fortuna Cæsariani obuiam veniunt,rogant,quonam ita anhelabūdus properet? Homo causam absque cunctatione aperit,hospitem nil mali suspicatus prodit. At hi calcaria equis subdunt,ad tugurium aduolant: Eckbertum cum suis inopinatum imparatumq; aggrediuntur,nec quicquam resistentem contrucidant. Saxones qui vrbem obsederant,audita ducis clade,diffugiunt,obsidionem soluunt. Luithulfus Charionū Dux, qui regnum ambiuerat,Berchtoldus Rudolphi regis filius, Nordmannorum principes,Hugo Alsaticus sæuitia in Cæsarianos insignis,eodem anno mortui sunt. Hainricus quoque ac Conradus filij Ottonis,quondam Boiariæ reguli miserè perierunt. Hi quoq; deuoti Episcopi Gebhardus Iuuauensis,Altmannus Bathauensis,Adalbero Wurtzburgensis, Hermannus Mediomatricus, Albertus Vangionum animam efflarunt. Conradus Medullorum in Boiaria princeps,Diethmarum, Altaichij inferioris monachum,præsulem monachorum Iuuauensium,cognatum suum, Salisburgio pastorem imponere conatur. Berchtoldus archimysta,frater Burckhardi Mosburgensis dynastæ,iuxta Saldorff in Norico,agroque Salisburgensi Diethmari copias fundit. Conradum Medulli tetrarcham,curatorem templi Iuuauensium,eius fratrem,cum compluribus occidit. Diethmarus qui & Thiemo captus à Starichando & Verigando fratribus,atque à Poppone Charionum præfectis in vincula coniicitur. Huiuscemodi sociorum fato territi Saxones, sublatis authoribus belli, sponte ab armis discedunt,pacemque inter se componunt. Welpho quoque in Italiam cum suppliciis ad Imperatorem proficiscitur, peccasse se fatetur,veniam petit & impetrat. Sigefridum Augustanum Episcopum dimittit,quod violatum est,officiis compensat: Fruxinensibus & Augustanis satisfacit. Eadem tempestate Alexius Comnenus Imperator Orientalis, qui Michaele Parapinaceo & Nicephoro Botaniata, auxilio Sueuorum, Teutonumque conducticio rebus deturbato,Constantinopolitanum inuaserat,atque tenebat Imperium,Romani Cæsaris,cæterorum Occidentalium principum,regum opem implorat aduersus Turcas,quorum tum arma in Asia inualuerant, Armenij atque Græci ciuili discordia se debilitabant. illi Turcarum à rege, Persarum auxiliares impetrauere copias. Turcæ superatis Græcis,in socios victoresque Armenios arma conuertunt: Asiam,Syriam inuadunt: pulsis, fugatis,trucidatis Armeniis,Græcis,Saracenis atque Ægyptiis, Hierosolyma,plerasque item alias vrbes vi oppugnant. Ex Germaniis igitur, cœlitus edita voce (ita prædicant) Deus vult,Galliis, Hispaniis,Britanniis, Italia, Sicilia, innumerabilis hominum vis,duces,præfecti,tetrarchæ,dynastæ,Episcopi, sacrificuli,monachi, fœminæ sacratæ, ciues,opifices,agricolæ,viri,mulierculæ cum cunis,pastores cum pecore,relictis regno,vrbibus,castellis,sacerdotiis,templo,contubernijs,vxoribus,liberis,prædiis,aratro, in Asiam gregatim migrant,sub specie religionis, (ita sunt humana) nefanda scelera impunè perpetrant,Anserem præferunt, spiritum sanctum esse, Carolum Magnum reuixisse prædicant. Petrus quidam monachus, quindecim millia hominum per Germaniam, Rhætias,Sueuiam,Boiariam,Pannoniam duxit. Pars in Danubio nauigiis vecti pars terrestri itinere pergunt. Emicho quoque dynasta,cum Rheni accolis, vnde oriundus erat ad Pannoniam processit. Iique omnes Iudæos sub iugum religionis nostræ mittere conantur, philosophiam nostram recipere recusantes compilant, bonis omnibus spoliant, extorreis vrbibus agunt, domibus eliminant, atque contrucidant. Duodecim tum millia Iudæorum in nostris regionibus cæsa fuisse in annales relatum est. Pars Iudæorum amore legis suæ, mutuis se vulneribus conciderunt: alij simulato Christianismo,rursus deserto Christo ad Mosen relapsi sunt. At illi qui in Asiam properabant, onusti præda Iudæorum,in angustiis Pannoniæ (pernegante Colmanno rege Vngariæ, inconditæ multitudini prædarum auidæ,transitum per regnum suum) ob penuriam commeatus interiere. Aliquot in fugam versi nemine persequente retro domum pedem retulere.

Cæsar Italiā intrat. Herceusia & Mantua capiuntur.

Cōiurati vno ferè anno male pereūt.

Diethmarus martyrio apud Turcas coronatus in terris. an. Domini 1101.

Imp. Constantinopolitani. Hominum stultitia.

Iudæorum strages.

tulere. Imperator eodem tempore pacata Italia, perdomitis Machtylda atque Nordmannis, septimo posteaquam in Italiam migrarat anno, relicto Conrado filio suo maiore natu in Italia, in Boiariam redit, Reginoburgij complures commoratur dies, Iudæis ritum priscæ religionis restituit: Diuo Luitpoldo Austriacum Boiariæ limitem, Welphoni summum Boiariæ principatum reddit, eius filios hæredes instituit. Inde in hyberna, ad conuentus agendos, pacem perpetuo edicto more Germanorum sanciendam, ad Rheni oram procedit. Argentorati Epiphaniorum feriis operatur. Cumque plures, quàm qui pace alerentur, ob bellum ciuile (quod per tres & viginti continenter annos orbem Romanum afflixit) armis, militiæ, prædæ, manubiis insueuissent, eos in Asiam militatum ire iubet: ipse quoque eò proficisci decreuit, atque pro concione renunciauit.

Principes qui in ea fuerunt.

Tum consensu Augusti, mandatoque ex inferiore Germania Gotfridus, cum fratribus Balduino & Eustachio, Rupertus Flandrensis, ex Boiaria Welpho Dux Boiorum, Otto & frater eius Eckhardus à Scheurn principes, Herrandus Antoburitus, Hainricus à Riettenburg, vrbis Reginoburgensis præfectus, Diethmarus, qui & Thiemo superior, Vta mater Diui Luitpoldi Austriaci, per Boiariam, Pannonias, Mæsias, Thraciam, Byzantium, in Asiam, Syriam penetrant: quarto demum anno, cùm domo emigrassent, Hierosolyma, cum plerisque vrbibus, victis, pulsis, superatis Turcis, Saracenis, Græcis expugnant, rebus Palæstinis Gotfridus impositus est. Alia quinquaginta millia per Noricum Charionumque fines, Imperatoris, Hainrici ducis Charionorum cõsensu, Vgris à tergo relictis, per Mæsiam, Thraciam & Hadrianopolim eodem penetrarunt.

Prouerbiũ in Rhætia vulgo tritũ.

Classicum tum, nunc nauticum celeusma est, carmenque solenne Germanis esse solet, dum soluentes sibi benè precantur. Braxea calciamenti genus, tessera fuit: vnde adhuc in prouerbio esse solet, dum plura intelligi quàm dicimus, significamus. Dum talia in Asia geruntur, in Germania Imperator Mogontiacum petit, eos qui Iudæorum opes compilarant, repetundarum postulat. Mogontinus quoque archimystes huiusce prædæ particeps erat. Ideo reorum patrocinium suscepit, conuictusque atrocitate cædis in gentem calamitosam commissæ, clam discedit ad Turingos, resque nouas moliri ansam nactus decreuit. Welpho quoque ac Hainricus Boiariæ duces, filij Welphonis rebellionem meditari nunciantur, sed beneficiis à Cæsare deuicti ab incœpto destitere. Augustus iam ad statum pristinæ maiestatis, vniuersis pacatis, Hyldebrando sublato, Vrbano profugo rediisse videbatur, & redierat, nisi filius suus Conradus, æmulus paternæ potentiæ, fax & turbo nouæ discordiæ fuisset.

Conradus filius Imp. cõtra patrem rebellat.

Is suasu Vrbani & Machtyldæ filiam Rogerij Nordmanni Siciliæ reguli: vxorem ducit, à patre desciscit, Italiæ regnum sibi vẽdicat, moxque ad eum omnes inimici Augusti prouolant. Augustus frustra crebrò ad filium legatos mittit, sibi insidiari non desinentem, ex professo sub magna superficie pietatis, exercitus, proceres, milites sollicitantem nequicquam orat, obsecrat, ne tam infandum scelus aduersus genitorem (qui eum hactenus consortem Imperij, successorem testari perseuerauerit) committat. Sed surdo cecinit Augustus.

Clemens 3. P. M. vrbe pellitur.

Clemens tertius vrbe à Conrado pellitur, Vrbanus restituitur: mox inuicem diras inferiasque dicunt. Vrbanus acta Hyldebrandi tueri, Clemens rescindere pergit. Imperator quoq; summa ope contra Vrbanum nititur. Moueri rursus ciuitas Christiana, & dissensio ciuilis, quasi permistio terræ erumpere cœpit: sciditurque populus Christianus, pauci reperti, qui veram pietatem iniustæ potentiæ anteponerent: partium studia, quæ extincta erant, gliscunt. Neque illis modestia, neque vllus est modus contentionis, vtrisq; cupiditas victoriæ haud satis moderata, multos mortales ea lues extinxit, remque Christianam pessumdedit. Dum alteri alteros quouis modo vincere volunt, Vrbanus criminando Imperatorem, plebem Christianam exagitat, occultè largiendo, indulgendo, pollicitando magis incendit, ita ipse clarus, potens factus, ex libidine sua victoria vtitur, plusque sibi ac successoribus spinarum ac potentiæ, quàm pietatis atq; amoris comparauit sub titulo Christi, pro sua magnitudine amplitudineque laborauit. Namque vti paucis verum absoluam, post illa tempora, quicunque concionem diuinam agitauere, honestis nominibus, quasi iura Ecclesiæ, libertatemque religionis defenderent, & quo Romani Episcopi authoritas maxima foret, bonum publicum simulantes, pro sua quisque potentia certauerunt. Imperator quidem contra hæc summa ope connisus fuit: vtraque pars miraculis se tutata est.

Pauli Beireutensis narratio.

Paulus Beireutensis narrat, Episcopum quendam, dum pro concione Hyldebrandum vituperat, fulmine tactum esse: dumque ageret animam, dixisse, ignea cathena constrictus trahor ad inferos: ite nunciate Cæsari, vt resipiscat, & flagitium in Deum, Diuum Petrum, eius vicarium commissum, officiis compenset, nisi me antecedentem ad æterna supplicia subsequi malit. Eodem quoque die, nempe Paschalibus quarto Kalendas Martij, vt idem Paulus recitat, Episcopus Spirensis, Septimo iniquus, ab eodem Kalendis Martij deuotus animam efflauit. Gregorio Salernum profugo intrante, ciuis quidam dixerat, author dissensionis, qui totum orbem terrarum armis & bellis inuoluit, huius vrbis quoque quietem conturbaturus aduenit. Mox ille, his dictis obmutescit; deductus ad Gregorium, errorem suum confitetur: ab eodem sanitati restituitur.

Bernried prope Vurmsehe

Bernried collegium est flaminum

minum Augustalium, superioris Vindeliciæ, propter Verrem lacum, supra Monachium quindecim millia passuum, ibi Herlucæ sacratæ fœminæ sepulchrum ostenditur. Ea illa tempestate vixit & nocturnis superûm, inferûm congressibus secretisq; ie colloquiis interesse consueta, narrare solita fuit, Execratos flammina omnium ardentissima excruciari. *Herluca monialis.* Contrà sacerdos expiranti similis triduo in Saxonia decubuit. Is vbi ad se rediit, apud inferos Hyldebrandum, Rudolphum, Hermannum tyrannos, æternis mactari suppliciis reuelauit. *NOTA.* Falsi tum prophetæ, falsi apostoli, falsi sacerdotes emersere, qui simulata religione populum deceperunt: magna signa atque prodigia ediderunt: & in templo Dei sedere atque extolli super omne id quod colitur, cœperunt. Dumque suam potentiam dominationemque stabilire conantur, charitatem, simplicitatem Christianam extinxerunt. *Sigebertus Iureconsultus.* Sigebertus horum temporum scriptor, vir alioquin etiam, vt quisquam illa tempestate esse poterat, omnis diuini humanique iuris consultissimus, Perniciosissima (inquit) seditio, & vt pace bonorum dixerim, hæresis omnium pestilentissima, populum Christianum percellit. Sacrificuli illius, qui se dixit, pueros effœminatos, fallos prophetas, tyrannos (qualis Imperator noster, princeps optimus, non est) populo ob scelera imponere, his à Deo datis, non solum non parendum esse, verum etiam fraude, vi, quouis modo tollendos, populum Christianum docere audent: periuria, homicidia, ciuilia bella, cædes, perfidiam, pietatem vocant: huiuscemodi Deo placere prædicant, sacramento rogatos, religione iurisiurandi Cæsari astrictos, exauthorant: fidem frangentes, fœdera dissoluentes, pactum præuaricantes, iuramentum violantes, perfidos atque periuros non esse, sibi credi postulant. Quin eos qui fideles sunt qui rebellionem, incendia facere, stupra, incestus committere, prædas agitare, proximos opprimere, occidere, compilare, sanguinem Christianum effundere summopere cauent, in numero sceleratorum atque impiorum computant: ceu verò non extet perpetuum immortalis prætoris edictum. Qui pactum soluit, non effugiet: & periuri regnum Dei non possidebunt. Pleriq; omnes boni, aperti, iusti, ingenui, simplices, tum imperiũ antichristi cœpisse, quod ea quæ Christus seruator noster tot annos antè nobis cantauit, euenisse eo tempore cernebant, memoriæ literarum prodidere. Orbis terrarum tum à cardine bellorum procellis iactatus est. Genus humanum vndique turbine armorum inuolutum est. Orientales atque Occidentales inter se armis concurrerunt. Mortales cuncti mutuis se vulneribus afflixerunt. Nordmanni, Galli, Germani, Saxones, Vgri, Itali, Britanni, Christiani Occidentales, domesticis dissidiis, ciuilibus armis attriti sunt. Græci & Armenij, Turcæ & Arabes, Hispani & Saraceni, Asiatici & Africani inter se infestis concurrere signis. Hierosolyma bis capta, bis expugnata est. Crebra prodigia, superstitiosius atque scrupulosius etiam quàm Christiano conuenit, notata atque obseruata, terruere mentes hominum: cœlum ardere frequenter visum: sol atque luna crebrò præter solitum defecere. *Prodigia varia visa.* Complures stellæ de cœlo in terram cadere visæ, faces ardentes, iacula ignita, ignis volans sæpius per aëra ferri, conspecta sunt. Noua astra visa, papilionum castra, ignei vermiculi, atque ignoti per cœlum volarunt, solis lumen in nubium morem abstulerunt: fulmine grandine, ventis, turbine templa, ædes, casæ, homines, pecora, agri afflicti, frumenta, legumina, poma, fruges attritæ. Ignes cœlestes multifariam orti. Igneæ acies, turmæ equitum, peditum cohortes, ciuitates, enses, gladii, arma cruenta in cœlo visa, inuicem conflixere. Diluuie, sterilitate, annonæ caritate, fame, pestilentia sæpius laboratum, ignotis morbis, igne, flamma, ardore inuisibili homines excruciati atque absque nota adustionis extincti, sanguinis riuos extitisse dicunt: sub ipsis flammis, cum panis clibano esset impositus, vt coqueretur, cum fortè panem quidam frangeret, manantis guttas sanguinis inuenit. Signum immortale subitò vestimentis hominum adhæsit. Fœmina biennio vterum ferens, marem loquentem enixa est. Monstrosi partus editi, pecudes, homines bicipites nati: domesticæ aues, pauones, gallinæ, anseres, ex vicis, pagis, vrbibus, ædibus in syluas migrarunt, ibi habitantes efferati sunt. Lupum triginta homines esitasse in Annales relatum est. Pleraque alia, huiuscemodi prudens prætereo, ad ordinem rerum gestarum, & Imperatorem Hainricum quartum Cæsarem Augustum, vnde abiui, redeo. Is vbi filium ad sanitatem reducere non potuit, in Agrippinensi Colonia hybernat, octauo Idus Ianuarij ad Aquas Graneas, ad conuentus procerum Imperij agendos concedit. Ibi habito eorum, quibus venire, sententiam dicere ius erat, consilio in Senatu ita verba fecit: ò fidissimi ciuium, pissimique amicorum Romani Imperat. proceres, Christianæque familiæ columen, id vos oro & per Deum immortalem, per maiestatem Imperij, per salutem & dignitatem vestram, per iurisiurandi religionem, qua nobis & Reipubl. astricti estis, obtestor, vt positis gratia atque odio, in commune consulatis, & Rempublicam capessatis: pietatem, pacem iam pridem, factione atque perfidia paucorum terris depulsam, vestro labore, vestraque industria reducem stabilite: sæuior tempestas rursus fluctibus obruit. *Oratio Imperatoris ad status Imperij.* Me in Imperio natum, educatumque, quem Deus summus rerum arbiter, & vos Imperatorem rebus humanis imposuistis, non inimicus, neque hostis, sed quod falsum esse, & neminem credere

percupiam: filius meus illecebris fœmineis captus, quem genui, participem regni feci, successorem declaraui, contra ius gentium, aduersus ius naturæ & sanguinis necessitudinem, contra diuinum edictum, immemor beneficiorum oblitus naturæ, non solum dignitate, sed & vita priuare conatur parentem: cui vitam, dignitatem, quicquid denique habet, acceptum referat necesse est, extinguere connititur. Dux facti fœmina est: diutius quàm filio placet, me Deus seruat. Vitam quam natura mihi donat, proles mea mihi inuidet. Expectare senis fata recusat. Quæ sanè nostræ sunt iniuriæ, nihil ad vos. Verùm nunc vestrum duce fœmina occupauit regnum, vi & armis tenet. Vos in mea iniuria despecti estis, vestra beneficia mihi erepta sunt, non me, sed vos contemnit. Vestra res agitur, audaciam hominum spectate. Non opus est malis geniis, homini ex homine plurima mala. Vni animalium homini ambitio honoris, auaritiæ immensa cupido: nulli rerum maior libido, nulli rabies acrior. Quid reliquum est, nisi vt cæteri omnes, ab hoc quasi in loco illustri constituto, exempla sibi sumant, parricidia passim impunè committant? Si vlla apud vos est memoria Conradi aui atque Hainrici parentis mei, maiorumque vestrorum, nolite pati, Imperium vestro sanguine atque sudore partum, per scelus, & parricidia tabescere, per amplitudinem, salutemque vestram, per immortalem maiorum gloriam obsecro, auferte procul in vltimas terras ex Germania victrice gentium flagitium hocce, hactenus inauditum. Defessum tot ciuilibus prælijs orbem Romanum asserite, à vitiis, scelere immanissimo Rempubl. Christianam vindicate, pœnas impietatis scelerati reddant, sentiant sacrilegi impostores, Germanicam virtutem nondum à maioribus degenerasse, vos maiorum vestigiis inniti decet, terrori pessimis quibusque, bonis patrocinio esse. Quod cum fiet, si vno consensu filium meum minorem natu, maiore ob scelera exhæredato atque proscripto Cæsarem declaraueritis. Hæc vbi Augustus dixit, pauci, quibus omnia alia, atque fides, & Respub. chariora erant, contrà nitebantur. Cæteri omnes indignitate facinoris commoti, æqua postulare Augustum censent, eiusque postulatis annuunt: ex consilij decreto, more maiorum Hainricum filium Augusti impuberem adhuc Cæsarem consalutant, isque se nunquam à patre defecturum solenni ritu iurat. Iam ciuile bellum, parricidialisque pugna parabatur. Consuluit suprema maiestas generi humano. Eodem quippe tempore Vrbanus secundus, Clemens tertius de Pontificatu armis disceptantes extinguuntur. Conradus filius Imperatoris, Rex Italiæ, & Romani Raginerum Pontif. Maxim. faciunt, Paschalem secundum nuncupant. In paucis pòst diebus Conradus fato concedit, Florentiæque regio cultu sepelitur. Paschalis cum cerneret bonis Imperatorem cordi esse, eiusque res repentina hostium morte stabiliri, nihil nouarum rerum molitus est. Quæcunque fiebant dissimulauit, nec legatos cum mandatis in Germaniam misit, donec filius Hainricus aduersus patrem rebellionem fecit. Illum primo partibus parentis fauisse quædam diplomata ostendunt, & sunt qui tradant. Iisdem diebus Conradus atque Hainricus Saxoniæ tetrarchæ, filij Ottonis Ducis Boiariæ, à popularibus insidiis contrucidantur, alter dum noctu iter facit, hic ad Oceanum Albi flumine fugitans, à nautis vulneratur atque præfocatur. Item alter Hainricus Saxonici limitis præfectus animam efflat. Cæsar igitur in Saxonum fines transitum facit. Vbi ciuitates honorificè appellando, principes maximis præmiis afficiendo, nulla noua onera imponendo, defessam tot aduersis Saxoniam, conditione parendi meliore facile posthac in pace continuit. Inde Boiariam petit, Reginoburgij concilium habet, ibi tum Rapoto & Vdalricus patrueles eius præfecti prætorio mortem obeunt. Inter hæc Hermannus Agrippinensis archimysta moritur. Imperator eò contendit, Fridericum Pontificem ciuibus designat. Inde Hainricum Limburgensem parere recusantem oppidis exuit, sed supplici non solùm ignoscit, sed & ampliorem Imperij honorem imponit, nempe Lotharingiæ ducatum eidem tribuit. Postea in Rupertum Flandrensem ex Palæstina reuersum, Cameracum vrbem liberam infestantem, arma mouet, castellis quibusdam expugnatis, asperitate hyemis redire cogitur Leodium. Ibi conuentu solenni celebrato, pacem ex veteri instituto Germanorum perpetuo edicto confirmat. Latrocinia, quæ per tot annos, vastata maiestate Imperij cladibus inualuerant, iure & vi prohibet, munimenta grassatorum solo æquat. Posthæc Mogontiacum petit, Romamque proficisci, vt cum Paschale Pontif. Maxim. (quem ipse pacis amatorem, à cæde & sanguine abhorrentem vocat) de summis Reipublicæ Christianæ rebus colloquatur, atque inde in Palæstinam transitum faciat, statuit. Hancque expeditionem meditans, in hyberna cum filio in Boiariam Reginoburgium concedit. Bambergensibus Diuum Ottonem à secretis & precationibus, Iuuauensibus Conradum sacrificulum suum ex principibus Abusinæ patriæ meç oriundum Episcopum designat. Aribo tum atque Botho fratres potentissimi Boiorum proceres obiere. Sigefridus Burckhusianus eorum patruelis, orta seditione inter Saxonas atque Boios, quamuis intercedente Cæsare, interemptus est: sex horis continenter sæuitum est, fores diuersorij effractæ. Sigefridus vi extractus, cæsus est. Augustus peractis hybernis, Romamq;, inde in Asiam profecturus Mogontiam petit, relicto filio in Boiaria. Is in-

Heinricus filius Cæsaris impuber Cæsar salutatur.
Ciuile bellũ paratur.
Raginerus qui & Reinerus P. Paschalis 2. dictus est.
Conradus filius Imp. moritur.
Conradus & Hainricus filij Ottonis occisi sunt, quos etiam supra miserè periisse scribit.

Is interim consilio Diethboldi Chamabensis limitis, Vogburgensisque præfecti, Berengarij à Sultzpach, Ottonis Ducis, Welphonis & Hainrici octaui regulorum Boiariæ, Hainrici Lotharingij suasu, Alberti magistri epistolarum, & sacrificuli instinctu à patre deficit. Si parens inimicus Pontificum Romanorum fato concederet, sibi ab alio præreptum iri Imperium metuebat. Specie igitur pietatis rebellionem facit. Primò se in potestate Romani Pontificis futurum dat fidem, eius se partes veluti communis orbis terrarum pastoris tutarum pollicetur, patrem deinde abiurat. Ad prætextum huiusce facinoris, honesto nomine, quo scilicet authoritas Pontifici maximi maxima in posterum existat, & Respublica Christiana, quæ tot annis ab Augusto vastata sit, stabiliatur, se aduersus vires Imperatoris operam nauaturum prædicat, moxque equites qui ob latrocinia atque crebra bella plures comites, quàm alere possent, habebant, adsunt. Atque illi qui egebant, bello, diuitiis aliorum collocupletabantur. Hi omnes miscere rursus omnia studebant, filij cœpta probabant, ad eumque confluebant. Cum hisce & aliis suæ factionis sociis Cæsar in Saxoniam contendit, ad veteres parentis inimicos, à quibus maximo honore reuerenter exceptus, Quintelburgij Paschalia concelebrat: ope Ruthardi Mogontini Episcopi (qui ob cædem & compilationem Iudæorum octo annos apud Turogos exularat) & Gebhardi Constantiensis Pontificis, tota Saxonia breui deditionem facit. Inde Northusij quarto Kalendas Iulij concilium cogitur. Ibi Cæsar, Saxones omnes, Pontif. Max. parteis, actaque Hyldebrandi tutanda decernunt, diem constituunt, ante quam ab Augusto nō desciuisse, fraudi foret. Tum hi Episcopi, Vto Hyldeshaimensis, Hainricus Badeburnensis, Fridericus Halberstatensis, suasu Ruthardi Mogontini Cæsaris pedib. accidūt, veniā precantur, in verba Pontificis Maxim. absentis iurant, cuius aduentui res integra reseruatur. Porrò Augustus vbi hæc accepit, Paschali Romano Episcopo scribit, Nicolai, Alexandri, Pontificum Maxim. sanctitatem, modestiam, erga se reuerentiam prędicat, Hyldebrandi Vrbanique superbiam atque odium in se proponit, quorum factione multum sanguinis Christiani effusum sit, complures corpore & anima perierint. Paschalem collaudat, studium pacis, alias virtutes eius commemorat, studiosissimum concordiæ appellat, de perfidia filij conqueritur: aperit tandem, se amicum cum mandatis legasse, cui ille fidem habeat, cum quo arcano sermone colloquatur, consiliumq; capiat, se denique certiorem faciat, quidnam sibi de eo sperare liceat. Postulat filius quoque Brunonem Treuerensem archimystam, Hainricum Maydenburgensem, Gebhardum Constantiensem, Eberhardum Aichstatensem, Ottonem Bambergensem Episcopum, Wichbertum dynastam, cum mandatis Romam legatos, qui Pontif. Max. in Germaniam deducant, proficisci iubet: iique per Boiariam transitum faciunt. Et dum Tridenti diuertunt, ab Alberto præside capiuntur, in vinculaque coniiciuntur. Solus Gebhardus per calles syluestres in Italiam euasit, ope Machtyldæ ad Paschalem peruenit. Nam & Wernherus Aquini præfectus in Italia Augusto adhuc fidem seruabat. Albertus, Ottonem, Brunonem, & Wichbertum ea lege liberos abire dimittit, vt ab Imperatore veniam petant, cum eo in gratiam redeant, in eius verba iurent atque renuncient, quid ille de sociis imperet. Vix illi abierant, Welpho Boiorum regulus partium filij cum exercitu Tridentum petit, Gebhardum à Cæsare Episcopum designatum Tridentinis, licet se nunquam illum recepturos coniurassent, imponit, Albertum captiuos reddere cogit. Qui spoliati omnibus rebus ad Cæsarem properant. Is tum Mersburgij Quinquagenalia concelebrat, Hainricum à Maydenburgio pulsum à fidelibus Augusti restituit. Inde collectis viribus Ruthardum Mogontiacum vi deducere conatur, vnde ob compilationem & cædem Iudæorum pulsus fuerat. In vrbe Augustus erat, extra mœnia filius castra facit. Vltrò, citrò internuncij mittuntur, bonorumque ope, qui parricidiale bellum & studia partium detestabantur, absque prælio discessum est. Cæsar Wurtzburgium petit, Erlongum Episcopum, quem pater Aynardo defuncto substituerat, vrbe, templo exigit. Ibi Rupertum à sacerdotibus atque populo communiter electum, à Ruthardo Mogontino Episcopo consecrari iubet: dimissisque Saxonibus, Norinbergam, paruum tum oppidum, nunc vrbem omnium Germaniæ amplissimam, cum viribus Boiorum frustra aliquot menses obsidet. Oppidani fortiter se tutati sunt, donec Augustus iussit, vt se filio traderent. Is tum Wurtzburgij, pulso Ruperto, Erlongo restituto, degebat. Cæsar Reginoburgium petit, vestigia filij absque cunctatione subsequitur Augustus, à ciuibus scelus filij aduersus parentē execrantibus, in vrbem admittitur: flagitium esse vociferabantur, Imperatori de Repub. omnibusque bonis bene merito portas claudere. Cæsar ab vrbe profugit. Augustus Vlricum ibi Episcopum designat. Chamabos, Vogburgenses, per Boiemiæ regulos deuastat. filio vires colligente, cumque copiis in altera ripa Regni fluminis, qui ibi Danubio miscetur, considente, aduersam ripam cum Borisboio Boiemorum regulo, atque D. Luitpoldo Austriaco, cuius soror Heliopyrga Boiemo nupta erat, occupat, ibi castra locat. Intercedebat flumen (quod non ponte lapideo, vti nunc, iunctum erat) quo minus parens ac filius committeretur, scelestas manus consererent, parricidiali certamine cognatas acies polluerent. In vado tamen

Albertus præsides legatos capit.

Welpho Tridentū petit.

Borisboius Boiemiæ regulus. D. Luitpold. Heliopyrga.

Hartvvicus occiditur.

men leuia atque parua, tumultuantium more, vbi Hartvvicus partium Augusti occubuit, prælia fiebant. Tandem exercitus vnius diei inducias pacti, familiariter colloquuntur, nefandum abominantur bellum. Filius maximis præmiis, pluribus pollicitationibus inductum regulum Boiemiæ, Luitpoldumque, huic Hagnam sororem suam pactus, domos redire persuasit.

Hagna quæ & Agnes filia Hainrici 4. Rom. Imp.

Augustus ab hisce & aliis desertus, fuga sibi consulit, per Hercynium iugum in Boiemiam penetrauit, ab duce Boiemiæ, qui cum ante paucos dies defecerat, maximo honore excipitur. Inde ab eo ad Wigbertum Mysnensis limitis præfectum, ab hoc & Saxonibus, qui odio in commiserationem conuerso, reuerenter eundem exceperant, ad Rheni oram, Confluentesque Mosellæ deducitur. Plerique cognita fuga Imperatoris, ab eo deficiunt, vt animi hominum se, quò fortuna, ferè inclinant. At filius Reginoburgium repetit, fideles Augusti, qui intus erant, sibi præmiis conciliat, ciuitatem in deditionem cogit. Pulso Vlrico, Hartvvicum filium Engelberti reguli Chariorum, fratrem Rapatonis primi Artobergensis dynastæ, & Engelberti Carnoburgensis limitis, & Histriæ præfecti, Episcopum vrbi designat. Inde Franciam petit, Wurtzburgium capit, Erlongum Pontificiatu motum inter sacrificulos suos esse iubet, Rupertum restituit. Posthæc Augustam Nemetum petit, Cæsarea gaza potitur. Iam Richardus Albanus Pontifex, Gebhardusque Constanciensis Episcopus Roma venerant, Pontificemque Romanum in Germaniam vltimo Decembri venturum renunciant.

Richardus à Cæsare exceptus.

Augustus Richardum coniunctum sibi familiaritatis necessitudine Mogontiaci honorificè excipit, benignè appellat. Inde Confluentiam petit, conuentusque solennes Mogontiacum ad octauum diem ante Calendas Ianuarias edicit. Cæsar Ruthardum Mogontiacum reducit, quo & Augustus venire quàm maximo potest apparatu meditatur.

Filius ad Cæsarè patrem Confluentiã se confert, & ab ipso veniam impetrat.

At filius horum suasu, qui potentiam Augusti metuebant (nam populus parenti fauebat, scelus filij execrabatur) habitu quàm maximo potest miserabili, Confluentiam ad genitorem se confert, pedibus eius accidit, errorem suum, scelusque confitetur, veniam petit, atque ab indulgentissimo patre impetrat, deinde iuramentum dicit, se in potestate fore Augusti promittit, modo is Pontifici Romano obtemperet. Pater & filius inuicem mutua gratulatione defunguntur, rem omnem ad consilium conuentumque deferunt. Et cum Deo propitio in gratiam redacti forent, Cæsar tantum apparatum armorum, tot copias frustra esse, sumptuosioraque fore, quàm quæ ciues atque populus frustra esse, sumptuosioraque fore, quàm quæ ciues atque populus ferre possit, admonet, cum paucis ad senatum veniendum censet, vbi armorum metu sublato, libera potestas decernendi sit, & potius iure quàm ferro disceptetur, resque omnis lege potius, quàm armis ad ocium deducatur. Facilè tam salubris consilij ratio recepta est. Augustus igitur dimissis, quas contraxerat tutelæ ergò, viribus, cum trecentis duntaxat equitibus, comite filio, è Confluente Mosellæ atque Rheni egreditur, ad conuentum agendum Mogontiacum procedit, quo interim hostium atque inimicorum Augusti magna vis vndique ingruit.

Cæsar Bingium venit.

Vbi Bingium sexto septimanæ die ante ferias brumales (quas celebres natali Seruatoris nostri habemus) peruentum est, nuncius ingentes copias Boiorum atque Sueuorum, item aliorum aduersariorum Augusti, Mogontiaci conuenisse renunciant. Item Ruthardum quoque archimystam, cæterosque Pontifices, & inimicos Imperatoris apud plebem proceresque concionantes deierasse, nolle se vllo pacto contagione pollui, eiusque cui sacrificiis interdictum sit, colloquio, aspectu, sermone, conuersatione contaminari, principibus narrat. Mox filius Augustum appellat, Pater pientissime (inquit) in hoc oppidum quod proximum est, paulisper tibi secedendum est, donec illos tibi placem, atq; vos in gratiam redigam, confestimque tertio fide data, operam parenti pollicetur, se eidem sedulò inimicos conciliaturum iurat. At vbi Augustus Bingium quartus intrauit, portæ vrbis clauduntur, cæteri Imperatoris fideles exclusi oppido, diffugiunt. Continuò custodes Augusto, acerbissimi eius inimici, ne fuga elabatur, adhibent. Filius quasi re bene gesta, triumphabundus Mogontiacum properat. Populus qui plus patri quàm filio fauebat, sæuire cœpit, indignissimum facinus clamitant, Augustum in vincula à filio coniectum, inauditum scelus, haud leui vniuersæ Reipublicæ malo expiandum esse vociferantur. Inter hæc legatus Rom. Pont. duo & quinquaginta Episcopi, principes, item alij

Filius Augusti uerò Cæsar appellatur.

proceres frequentes coëunt Mogontiaci, & referunt de Repub. sententias dicunt graues, vt quisque acerbissimè censuit, crudelissimè dixit, ita quam maximè ab inimicis Augusti laudatur, dixerat aliquis leuiorem sententiam, mox conuicio aliorum correptus exagitatur. Tandem perscribitur Senatusconsultum, & nemine obnunciante promulgant, hostes Augusti sacrificiis interdictum, e fastigio generis humani abdicant, vniuersa acta Hyldebrandi comprobant, infirmiores terrent, dubios confirmant. Filius Augusti iterum communi omnium suffragio Cæsar nuncupatur: eidem sacerdotes, proceres more maiorum sacramentum dicunt. Author fit flamen legatusq; Rom.

Wigbertus Dux legatus Cæsar filio insignia Imperij tradere cogitur, & in vitæ periculo summo constituitur.

Wigbertus Dux Mysnensis limitis, suscepta legatione iuit ad Augustum, ei voluntaté concilij proponit: siquidem saluus esse velit, sibi insignia Imperij, sacri penetralia regni reddere iubet. Augustus hisce

territus,

territus, nihil cunctatus paret, Crucem, hastam, sceptrum, globum atque orbem, quem Teutones malum vocant, ensem, diadema reddit, hæcq; mox ad filium deferuntur. Isq; vbi ea accepit exclusis amicis parentis, suis rebus studentium frequétia ad Ingelhaim procedit: eò ad se patrem deduci iubet, ibi in frequentissima corona, omnes Augustum circumsistunt, comminantur, necem intentant præsentem, nisi imperata confestim faciat, imperio sponte cedat, insignia ipse vltrò filio tradat, castella, munimenta, quæ præsidio teneat, reddat Augustus tanto rerum articulo constrictus, de vita cum illis, quo rationem salutis animæ in posterum habere queat, duntaxat paciscitur, orat, obsecrat. Cætera, quæ imperentur, cupidissimè se facturum pollicetur. Tum Richardus Romanus flamen respondet Augusto, nullam spem salutis penitus fore, vitam omnino in dubio esse, nisi publice in celeori conuentu confiteatur, Hyldebrandum iustum fuisse, seq; illũ iniustè Wigbertum supposuisse, atque Ecclesiam templumq; Dei, cathedrã Apostolicam, totius orbis primariam, iniuria affecisse, iniustè, crudeliter, vti sæuum hostem persecutum fuisse. Augustus vbi hæc audit, lachrymis obortis, pedibus sacerdotuli accidit, per Deum immortalem obtestatur, obsides illis quos petant, offert, comitia principum, quorum sentẽtia, si quid perperam fecisse comprobatum fuerit, satisfaciat, vbi libera potestas decernendi sit, & tantæ res componãtur, postulat. Omnibus his resistitur, opponitur decretum concilij, legatiq; Pont. Max. Rursus Augustus cũ nulla alia ratione eripi manibus hostium posset, sciscitatur, siquidem illa omnia confiteatur, an execratione expiatus sit? Suscipit legatus Romanus, sui hoc iuris non esse, Romam migrandum, præsentem Pont. Max. satisfacere oportere ait. Imperator ergo vt gladios ceruici impendentes euitaret, salutem seruaret, quæ inimici imperarunt, & dixit & fecit. Posthæc Cæsar relicto in Ingelhaim, vbi priuati more viueret, parente, Mogontiacum redit. Dimisso conuentu Burgundiam petit, superiores regiones Rheno contiguas perlustrat. Est oppidum Alsatiæ, Ruffas Aquas vocant, armis tum, atq; viris fortibus potens, ibi dum comites Cæsaris multa auarè superbeque in oppidanos committunt, ciues correptis armis, vim vi prohibere, ab iniuria se defendere conantur. Excitatoq; tumultu, Cæsar suis opem laturus, non cognita causa armatus aduolat. Sæuit ignobile vulgus: ciues suis dant signum tintinabulo: viri, puellæ, pueri, mulierculæ, famuli, liberi concurrunt, furor arma ministrat: hastas, iacula, ligna, lutum, lapides, puluerem in aduersarios iactant: perfidos, sacrilegos, impios, parricidas appellant. Cæsarem in fugam vertunt, mœnibusq; e cum copijs expellunt, insignia Imperij, Cæsaream que supellectilem diripiunt. Cæsar ea clade atq; contumelia accepta, ratus id fraude parentis factum esse, ad Ingelhaim vt eum capiat, contendit. Certior fit Augustus ab amicis qui secretò eius rebus studebant, fugam capessit, ad Agrippinensem Coloniam profugus peruenit. Ciues exulem libentissimis animis, maximo honore atque amore, non secus atque rerum dominum recipiunt: omnibus rebus iuuant, quæque imperarit cupidissimè se facturos pollicentur. Ab ipsis Imperator in extremos Germanici Imperij fines Leodium deducitur. Vbi reuerenter ab Otberto episcopo, & Hainrico duce Lotharingiæ excipitur: & ad omnes deinde Christianos principes, maximè ad Philippum primum occidentalis Franciæ regem, literas dat: tragœdiam suarum calamitatum explicat. Quemadmodum omni honore atque dignitate expoliatus sit, atque sibi ereptum Imperium, detegit. De acerbitate hostium, factione Romanorum pontificum queritur: Hyldebrandi Vrbaniq; e, omnium temporum iniurias inimicorum in se commemorat: à quibus filios suos inductos & deprauatos queritur: in se commissum esse, quod & apud hostes religionis nefandum habetur, refert. De obtrectatione, inuidia & conspiratione in se Hyldebrandi, cuius ipse & honori & dignitati adiutor fuerit, plura dicit, se seruasse, vt essent qui se perderent, aperit. Nouum exemplum è Republica tollendum, ne in perniciem populi Christiani latius serpat, docet. Se oppresso omnium capitibus insultaturos sacerdotes Romanos prædicit. Proinde hortatur vt reges rationem posteritatis habeant: maiestatem, Imperium, regnum, populum Christianum, suam existimationem & dignitatem à sæuissimis tyrannis vindicent, qui sub honesto Christi titulo publicam Christianorum libertatem, à Deo Opt. Max. sanguine emptam opprimere conentur, & vniuersos Christianos in seruitutem redigere durissimam, diu noctuque, manibus pedibusque connitantur: & facturos nisi reges caueant, neque cessaturos admonet, donec more Antichristi in templo Dei sedeant, atque ab omnibus, quasi Deus colantur & adorentur. In hanc sententiam complura, quæ in Bibliothecis leguntur, Imperator tum scripsit. Cuius filius vbi rescuit eum Leodij esse, eo Paschalia ibidem celebraturus properat: pœnas de episcopo atque duce, quod hostem recepissent, sumpturus, aut patrem in potestatem redacturus. Cumq; quarto die ante Paschalia in vrbe, quàm Aquas Graneas vocant, resideret, à parente legati veniunt, qui peterent, vt Cæsar alibi Paschalia hoc tempore perpetraret, sineretque parentem in extremo Imperij fine vitam degere: neque beneficia amicorum illi eriperet: malle Augustum, agricolam in alieno regno, quàm in suo ludibrio esse: atque denique alieno scelere, quàm filij perire. Filius vbi hæc mandata parentis accepit,

Cæsar filius Mogontiacum redit.

Ruffach.

Sæuitia vulgi.

Cæsar fugatus.

Cæsar filius ad capiendũ patrem properat.

Cæsar pater fugam capessit, & suam calamitatem multis exponit.

Tyrannidẽ Pont. Rom. cauendam prædicit. Hainricus quartus.

Filius Cæsar patrẽ Leodij esse audiens ipsum persequitur.

nihilominus in proposito perstat. Trecentos equites, qui pontem Mosæ occupent, præmittit. Augustus in Franciam occidentalem ad regem Philippum aufugere certabat: sed ab episcopo & Hainrico confirmatus, manet. Huius filius in crepidinibus ripæ equitatum in insidijs locat. Ipse cum paucis pontem transit. Antecursores Cæsaris, qui pontem occupare connitebantur, inuadit lacessitque, donec totum agmen Cæsareum adueniret. Posthæc simulata fuga per pontem aquæ citus fertur, hosteis ad insidias trahit. Nam Cæsariani omnes auidius fugientem insequuntur. Vbi pontem superarunt, ac post se paululum reliquerunt, hi qui latitabant, prosiliunt. Hainricus quoque dux Lotharingius cum nouis copijs aduolat: filius eius qui hactenus fugam simularat, restitit. Cæsariani circumuenti cæduntur, in fugam vertuntur, ad pontem properant, seque ibidem stipant. Ponte grauitate ponderis corruente, in Mosa submerguntur. Hacque clade Cæsar tertio die ante Paschalia accepta, Agrippinensem Coloniam petit. A ciuibus portis clausis, Friderico archimysta vrbe pulso, aditu prohibitus, Bonnæ Paschalia celebrat. Postridie inde mouet, superiorem Germaniam petit. Mogontiacum procerum conuentu vocato, Hainricum ducem proscribit, ducatuque mouendum decernit, expeditionem in Lotharingios edicit, copias Wurtzburgij Kal. Iulij conuenire iubet. Vbi hoc Hainricus dux Lotharingiæ, Agrippinenses & Leodienses accepere, quæ vtilia fore credunt, comparant, mœnia reficiunt vallo, fossa muniunt, totis se viribus ad resistẽdum parant. Mense Iunio Cæsar cum tribus legionibus Agrippinam inuadit, vrbem obsidere conatur. Sed fortiter erumpentibus, qui vrbem tutabantur, procul à mœnibus castra facere cogitur: ibique vnum & viginti dies frustra considet. Nam ciues sæpius erumpebant, commeatum ad castra conuehentes intercipiebant. Caltoburgij dynasta, Saxonum clarissimo genere ortus, intimus Cæsaris, occubuit, literis rebusque bellicis præclarus. Dum hæc fiunt, Augustus filio literas mittit, beneficia huic à se collata, eiusque item perfidiam commemorat, ad Deum Opt. Max. in ius vocat: paratum se esse, vt decretis pontificis Romani cæterorumque principum stet, affirmat. Iubet proinde eundem ab armis discedere. Scribit in eandem sententiam episcopis, principibus, populo, insuper acerbitatem hostium commemorat, quemadmodum secum fraude actum sit, inculcat. Orat, vti ius sibi iniuria affecto reddant, filiumque moneant, vt ab armis discedat. Non vi, sed iure gentium in cœtu principum secum agat. Filius in exercitu pro concione recitatis literis, ex consilio procerum, ducum, episcoporum, præfectorum Richuuinum & Albertum sacrificulos, quosdam proceres, cum mandatis ad Augustum legat, qui eum fide publica, priuata interposita, octauo die in castra ad concilium deducant, vbi armis, exercituque dimisso, coram episcopis, ducibus, militibus, equitibus, lege potius, quàm ferro disceptaret. Cæsar interea ab Agrippina Lotharingiam versus castra mouet, ad Aquas Graneas statiua habet. Richuuinus & Albertus Leodium perueniunt, ibi Augustum reperiunt, postulata filij, exercitusque renunciant. Hisce auditis, Augustus petit, vt qui filij mandata detulerint, sua quoque ad eum scriptis mandata deferant. Horum hæc summa erat: Iniquam esse conditionem postulare, vt ipse ab armis discederet, atq; se inimicis intra octauum diem, cum longius in priuato cuilibet negocio, leges concedant spacium, committeret. Se quidem paratum esse omnia perpeti Reipublicæ causa, modò domum armati proficiscantur, ab armis discedant, omnis metus tollatur, & libera comitia, atq; omnis Respublica Senatui populoque Germano permittatur. Tum fore, vti per colloquia, absque vi, omnes controuersiæ componantur, se placitis, consilioque principum obsecuturum esse. Rem tantam absque Mogontino, Treuero, Premensi archimystis: item sine his episcopis Curiensi, Fruxinensi, Augustensi, Basiliensi: atque his ducibus Magno Saxonum regulo, Theodericoque Boiemiæ præsule, præfecto Burgundiæ atque Flandrensi, alijsque, quibus ius dicendi, veniendi in senatum sit, pacari & tantulo temporis spacio non posse. Hæc vbi in castris Cæsaris recitata sunt, placuit rursus eosdem legatos ad Augustum proficisci, vti si is verè pacem amaret, propediem vbi iubeat ad Aquas Graneas ad filium veniat. Dumq; illi Leodium venere, Augustus morbo corripitur, vitaque excedit. Per eosdem filio annulum, ensem suum, extremum munus, & pignus patrij amoris, cum mandatis mittit. Obijt septimo Idus Augusti, anno vitæ sexto & quinquagesimo: potestatis totidem, minus duobus Christi domini deique nostri centesimo super sextum & millesimum. Regnum Boiariæ administrauit annos vndetriginta. Sub eo ducatum Boiorum procurauit annis decem Otto III. nobilissimis maioribus in Saxonia Northaimij ad Visurgim ortus. Deinde crimine læsæ Maiestatis in iudicio conuictus, proscribitur, in exilium Boiaria pellitur. Nec habeo plura quæ de eo narrem. Successere Welphones genere Sueui: sed hos in sextum differo librum.

Cæsariani cæsi & submersi in Mosa.

Mense Iulio forsasis legendum.

Caltoburgij d[y]nasta occubuit.

Literæ patris ad filium.

Sacrificulos filius ad patrem legatos mittit.

Augustus pater vicissim mandata defert filio.

Hainricus 4. moritur.

QVINTI LIBRI FINIS.

ANNALIVM BOIORVM IOANNIS AVENTINI LIBER SEXTVS.

In ſexto libro Annalium Boiorum hæc explicantur.

Sveuorum origo, & ſitus.
Welphonum (quos Itali Guelphos nuncupant) ſtirps, & genus.
Welpho primus regulus Boiorum.
Welpho ſecundus Boiariæ rector.
Hainricus octauus Boiorum dux.
Hainricus nonus, cognomẽto Superbus, Saxoniæ, Ethruriæ, Noricorum, Vindelicorũ, Nariſcorum, Rhetorum potentiſsimus princeps, gener Lotharij Imp. 2. Cæſaris Auguſti.
Leopoldus filius D. Leopoldi Boiariæ princeps: Auſtriæ, itidẽ Stiriæ ſitus, origo, Marchiones.
Hainricus decimus huius frater, Vindelicorum, Noricorum, Nariſcorum rector. primus dux Auſtriæ, atque Orientalis Boiariæ.
Diploma Friderici primi Imp. Cæſ. Aug.
Hainricus vndecimus, cognomento Leon.
Hainrici decimi priuignus, Saxonum atque Boiorum occidentalium rector.
Ducum Brunonis Vici origo.
Noricorum, Scalæ & Burckhuſij dynaſtarum genus.
Welpho tertius Hainrici noni frater, vndecimi patruus: Lycatium in Vindelicia, Ravenſpurgij in Rhetia tetrarches, princeps Sardiniæ, dux Spoleti, Marchio Tuſciæ.
Welpho quartus, huius filius.
Charionum ſitus, origo & principes Ortenburgenſes reguli.

AVTORES QVOS IN HOC LIBRO SEQVOR.

David Scotus, vir admodum eruditus, atq; bonus, ſocius diui Mariani, qui Reginoburgij ſepultus eſt in templo diui Petri extra mœnia: ille primo Ludimagiſter Wirtzeburgenſis fuit. Deinde ob eruditionem ac integritatem vitæ in aulam ab Imp. Hainrico quinto Cæſ. Aug. accitus, eius vitam tribus libris complexus eſt

Magnus Richobergenſis Noricus, flamen Auguſtinianus ſub Imp. Hainrico ſexto Cæſ. Auguſto Chronica ſcripſit, &c.

ANNALIVM BOIORVM Liber Sextus.

PROOEMIVM.

TANDEM ex ciuilium armorum procellis, ex parricidialis diſſenſionis fluctibus emerſimus, altoq; ad littus appulimus, iamque in portu nauigamus. Quàm illa bonis, ſimplicibus, apertis viris, non dicam Chriſtianis, qui ea tempeſtate vixerunt, doluerint, neſcio. Quid ego moleſtiæ, hiſce duntaxat cogitandis ac cõmemorandis ſenſerim, non facile verbis explicauero. Illud tacere non poſſum, me velut grandi onere leuatum, gaudium lætitiamq; iam nunc agitare, & quidẽ ſeriò. Inuenias tamen pleroſq; faſciculario, ſupplementarios, ſummularios, ſpecularios, atq; chronicarios (indigni ſunt vt nominentur) qui de huiuſcemodi diſſenſione multa prodant, multa mentiantur, cùm rationem, cauſam, originem huiuſce mali penitus ignorent. Homines temerarij, ac planè impij, qui de rebus ſibi incognitis arcaniſque, ſoli Deo notis, audacter pronunciare audent, indulgentiſsimo parenti perſonam ſæuiſsimi tyranni imponunt, quaſi ipſi dij ſint, & non errent, neque miſericordia Dei egeant. Cùm interim ipſi ſimulata religione animi ſint ſub vulpe latentes, vitia virtutes, cœlum inferos, cuncta venalia habeant, quorum Deus honor, pecunia, venter, & ea quæ ſub ventre ſunt. Ego ſuperioris diſſenſionis ac ſeditionis, vt breuiſsimè (verum hic quoque abſoluam) has cauſas fuiſſe reperio, quas ordine, quoniam res magna eſt, atq; memoranda, & ad ſubſequentium facit cognitionem, ſubtexo. Imperator Hainricus quartus Cæſar Auguſtus, ſeptimum nondum natus annum, patrem amiſit, ob ætatem obnoxius fraudi fuit. Principes proceresque tum omnia voluptate atq; vtilitate metiri cœperunt, laborem fugitare, ſudoris, pulueris im-

patientes esse, leuissimis rebus, gaudijs corporis vacare, venationi indulgere, curam Reipublicæ deserere, negocia in alios à se relegare, inopum querimonias neque audire, nedum cognoscere, viduas, pupillos, pauperes, ignobiles, obscuros, sacerdotes, populares, agricolas, ciues suos tineis, & soricibus direptui exponere insueuerunt, eosdem stellionibus, fumi venditoribus, aurisugis, prætoribus, scribis, lictoribus, leguleis seruire sinerunt. Latrocinijs quoque eadem tempestate ex consuetudine licentiaque bellorum ciuilium, proceres iure suo dediti fuerunt. Hainricus vbi ex ephebis excessit, ista quoad licuit, iure, edictis, vi, quouis modo prohibere conatus est, pleraque pessimi exempli correxit, quæ in perniciem publicam, aut etiam per pacem extiterunt. Grassitores dispositis per opportuna loca stationibus prohibuit. Pleraque retractauit, alia seuerius emendauit. De pace ex integro sanxit, pluribus factiones, quæ titulo collegij noui ad nullius non facinoris societatem coibant, aboleuit. Omnia collegia, præter antiqua & legitima dissoluit, legibus parere omnes nobiles, ignobiles coëgit. Hanc ob rem Saxones atque Turogi, qui in ordinem cogi recusabant, potissimum rebellionem faciunt. Nordmanni

Mach. quoque grassantur in Italia vltra Romam, citra Machtylda locupletissima fœmina dominatur. Hyldebrandus cum hisce omnibus etiam adhuc priuatus, societate atque amicitia inita, non solum absque voluntate, & sine consensu Cæsaris, quod hactenus non licuerat, Pontificatum Maximum occupauit, verùm Imperium etiam Romæ sibi ac successoribus asserere cœpit. Eius hoc consilium atq; ratio fuit, sicque animum induxit, probabilia hæc atque verisimilia, quæ iam subnectam, paulatim obtinere posse coniectatus est: quæ cum obtinuisset (vti tandem euenit) tum facilè, dictum, factum inueniri aliquam causam, quamobrem abdicaretur & deijceretur fastigio rerum, atq; in ordinem redigeretur, vel potentissimus Imperator: atque ratiunculæ tales fuerunt. Omnem potestatem à Deo Christo, à Christo Petro, eius successoribus Romanis episcopis datam, ijsdē religione iurisiurandi, cōditione parendi perpetua, cæteris verò principibus duntaxat temporario sacramento, quoad illis libeat, quemuis Christianum astrictum esse. Licere proinde primario sacerdoti Imperatorem precariò duntaxat regnantem, vbi Romano Pont. (qui Christi Domini Deiq; nostri vicem in terris gerit, eius religioni præsidendo perfungitur) non obtemperabit, abdicare, eidem, sicuti cuilibet Christiano diras atque inferias, more Pontificum dicere, Imperium enim beneficium Pont. Max. esse. Item tyrannum quouis modo è Repub. tollendum, neque liberis regum quempiam, nisi ab ipsis creatum, quamdiu illis placeat, receptum, dominari posse. Episcopum communem animorum parentem atque pastorem, nō ab Imperatore in curia, sed à sacerdotibus populoq; communiter in templo diligendum esse. Et sacerdotem qui vxorem habeat, diuinam rem non facere, eius sacrificia summopere à populo, ne contagione polluatur, euitanda. Neque illis vllo pacto decimas & huiuscemodi donatiua tribuenda esse. Hasq; vltimas tres rationes Hyldebrandus in vulgus edidit, reliquas sibi quidem perceptas. Nequaquam imperita multitudo omni vento doctrinæ (sicuti ait diuus Paulus) circumduci solita, tanti honoris specie atque vmbra & astu lactata, aures arrigebat. Hocq; furore tum concitati Germaniæ, Galliæ, Italiæ populi, ferrum in sua viscera conuerterunt, per triginta tres annos à Gregorio & Vrbano continenter sanguine ouium belligeratum est. Hic fretus Conradi filij Augusti amicitia, vterq; armis & pecunia Nordmannorum & Machtyldæ adiutus. Acriter

Mach. contra ab alijs repugnatum est, donec Augustum Paschalis per filium Hainricum è fastigio rerum, in priuatum statum deturbauit, pollicitus se in Germaniam ad conuentum solennem Augustam Rhætiæ venturum. Dumque eò contendit, certior fit de morte Augusti, ad Padum ergo substitit, atq; coacto suæ partis cœtu, acta Gregorij Vrbanique comprobat, Clementis tertij, cæterorum episcoporum atq; Augusti rescindit, pollui religionem, si quispiam sacrificus suffragio prophani cooptatus fuerit, fidemùe principi dederit, necesse esse cuiuis Christiano in Romani pontificis leges iurare, decernit. Quisquis posthac eius decretis non steterit, albo Christianorum eradit, nulliq; alij ius in Christianum senatum veniendi esse, rogationem perfert, legem promulgat. Antehac mystæ, monachi, sacerdotes, virgines, sacratæ fœminæ, episcopi, rebus diuinis, studio literarum, scribundis libris (delegata domus, penarium, agrorum, cura in prophanos) duntaxat operam dabāt, rerum fluxarum caducarumq; administratione contaminari, pollui se credebant. Pecuniæ igitur, prædiorumque, rei familiaris curam in procerum quempiam, qui vicinus aut author contubernij erat, à se relegabant. Illum Cæsar dabat, qui sacerdotibus victum & vestitum, pauperibus inde alimenta tribueret, huncq; Boetum, germanico atq; græco vo-

Vogt. cabulo, hoc est patronum curatoremq; vocabant. Primum tum immunitatem libertatemq; amoto huiuscemodi administratore, sacerdotes receperunt. Polliciti quotannis Romano pontifici nummum aureum (quem Byzantiū vocant diplomata) pensitare facile tum Paschale de alieno largiente, tributumq; accipiente, qui aliam quoque rationem in vulgus dissipauit. Communem pastorem communiter ab omnibus, grege, ouibus & arietibus, hoc est, sacerdotibus, plebe deligendum esse. Atque rursus per sexdecim continuos

nuos annos, pro hisce aucupijs, armis, non citra sanguinem decertatum: omnia diuina humanaque permixta sunt. Contrà Cæsar, & alij plerique episcopi & proceres summo opere nitebantur, nec animi tamen Romanorum pontificum frangebantur, sed admonebantur, quo maiores necessitudines compararent, quibus cogi possent Imperatores, reges, principes, episcopi, senatus, populus, nisi id probarent, quod ipsi constituissent. Nec per septies septem annos destitere, donec voti compotes facti sunt, tantumque bolum ex faucibus Imperatorum eripuere. Imperatorque comitijs pontificis, Republica Christiana non solum excidit, sed & comitia Cæsarea irrita esse, extortum, nisi pontifex Romanus author fiat. Cæsareque primùm excluso, mox populo, paucorum potentia creuit, Imperatoris maiestas, principum authoritas, res populi deminuta est. Nec diu hac licentia sacerdotes ac episcopi lætati sunt. Sacrificuli, mystæ, episcopi, omnes Max. Pont. & Romanensibus seruiunt, hisce tributarij, vectigales, stipédiarij sunt. Hi qui minus habent, quicquid corradunt, quicquid vnciatim defraudando genium miseri comparcunt, ditioribus addere coguntur, idq; illi vniuersum arripiunt, haud existimantes quanto labore partum sit. Cuncti episcopi pro sua inscitia in ordinem redacti sunt, vniuersis seruitus imposita est, in vnius cuncta potestaté redacta sunt. Quando verò eius tanta potestas est, cur non illa perpetuò, ne non nobis tot sint domini, vtitur? modò ait, modò negat, quasi pilam quolibet propellit, rursus vbi vsus venerit, arripit. Cum tanta messis, cur non metit? cur non amat? cur non pascit, quando tot oues fame pereunt? Cur ouili capros, hircos, lupos, libidinosos, adulteros, virginum, sacratarum fœminarum stupratores, cocos, muliones, latrones, argentarios, nummularios, fucos, pecuniarum aucupes, luxu perditos, perfidos, periuros, literarum omnium penitus rudes imponit? Non audita loquor, ea quæ hisce oculis video, narro. Cur lupis oues committit? Cur gregem suum simulatoribus religionis perniciosissimis, rem suam duntaxat agentibus seruire, cur pueros & effœminatos agnis suis dominari permittit? Xistus quartus Pontifex Maximus clarissimo Principi Alberto genitori ducum nostrorum, illiusq; popularibus vt absque precio, sextæ septimanæ, quoq; die, item alijs solennibus ieiunijs, ouis, caseo, lacte liberè vescantur præcipit, extat diploma, cur Reginoburgensium personatus vicarij contra edictum summi pontificis, non veritus eius fulmé, illa nos à se emere cogit, atq; nostra nobis vendit, hasq; nundinas demum ante triennium ab hinc instituit? Episcopi nostri quales sint pudet dicere. Pauperum alimentis, canes, equos, ne dicam scorta alunt, potant, amant, literas omnes velut contagionem vitant. Nullam curam inopum, quorum opibus incubant, agunt. Nihil in eisdem præsidij est pauperibus, superbia, luxu, armis, cum quouis, vel Persicis regibus, locupletissimo Imperatore decertant. Qui imperat, leges imponit, præscribit, iubet, vetat si tacet, satis laudat. Cur canis mutus est, & non latrat? Luposq; claua Herculis in malá crucem abigit? Imperatores, reges & principes nostri, tot cœlites, paupertatis Christianæ amatores & nullius præterquam pacis ac literarum studiosos nobis dedere? Nempe diuos Corbinianos, Lampertos, Hemeranos, Erhardos, Hyldulphos, Vergilios, Rupertos, Pilgramos, Columbanos, Gallos, Eberhardos, Hardouicos, Conrados, Ottones, Wolffgangos, Albertos, Marianos, Sympertos, Vdalricos, Gothardos. At si dijs placet, nunc venatores inauspicatissimum in sacris literis genus hominum, omnibus imponuntur, sanctissimis patribus ad hæc conniuentibus. Christus summus rerum Imperator, Deus, natus sempiternus, cui totius orbis imperium, hominum deûmque satis pater destinauit, cœleste solium, imperium æternum reliquit: homo factus, mortuus & sepultus est, vt nos collocupletaret. At illi obscurissimis crepundijs, atque egentissimi, sine tribu, sine nomine procreati, vt dicentur, vt opibus, potentia, imperio rerum, quæ Christus spinas vocat, potiantur, ferre parem, nedum superiorem non possunt, Christi sanguine redemptos in maximam seruitutem redigunt, in gregem eius crudelissimè sæuiunt. Ea est temporum infelicitas, non licet loqui, quæ sentis, nec sentire, quæ loqueris. Oues tondere, deglubere, occidere, vti libuerit, sub specie religionis longinqua est consuetudo. Si quis in legem Christi præuaricatus fuerit, si quis conuitium in maiestatem diuinam, in deiparam Virginem, in reliquos cœlites iactitarit, superos maledictis execratus fuerit, impunè abit. Nemo huic negocium facessit, aut diem dicit: at qui illos homines, non deos esse, errare posse docuerit, ad modestiam, paupertatem Christi cohortatus fuerit, humanæ imbecillitatis admonuerit, erro pestilentissimus iudicatur: sexcentas ei scribunt dicas. Sacrosanctam philosophiam diuinitùs à spiritu sancto editam, interpretando suis moribus aptam faciunt, ambitioni suæ seruire cogunt, scita decretaq; Christi non seruare, sed seruire sibi volunt. Legibus à Christo latis semetipsos soluunt, placita eius contemnunt, nedũ illis parere studeant. Multum refert in quæ quisq; tempora inciderit. Extat decretum in libris pontificalibus & Annalibus Europæ, præcipuè in Carolo Magno, vbi regibus, Imperatoribus sacerdotia omnia largiri, pontifices Max. minores capere licet, hos in illorum verba iurare, ius fasq; esse declaratur, contrà sentientibus diræ atq; inferiæ dicuntur, & id quod anteà religio atq; pietas fuit, nunc pagina (vt aiunt) versa, iniusticia atq; irreligiositas esse cœpit.

cœpit. Mali, auari, lasciui, parum studiosi, olim non esse sacerdotes censebantur, eorum sacra, ne quis contagione pollueretur, populus iussus fugitabat: nunc contrà est pietas vera, charitas mutua, libertas Christiana extincta est, superstitio, proteruitas, peruicacia, periurium, amor sui creuit, boni mores interiere. Crimina feruent, squalens legum sylua, lites, calumniæ adolescunt. Humanorum decretorum ergastula increuere, inuasere, mortalium commenta sacram philosophiam contaminant, sanctissima, leuia præcepta Christi extrudunt. Fastus, auaritia, luxus, ambitio, simulatio inualuere. Vnius auaritiam totus orbis explere nequit. Inuicem sæuiendo, mordendo, inuidendo, criminando, insidiando, rapiendo, fraudando, paciscendo, fallendo occidimus, atque perimus. Sic fit, sic homines sunt, regnare omnes concupiscunt, parere recusant. plures mali, quàm boni. Nusquam fides tuta, pietas, iustitia (sicuti in vulgato est prouerbio) terris exulat, in cœlum remigrauit, ibidem habitat. Hisce enim moribus iustitiam nemo dabit, nisi qui Christum mendacij insimulauerit, frustraque eundem vniuersis, viuis & mortuis, dijs & hominibus, genijs, laribus, superis, inferis, medioximis diem dixisse crediderit. Ipsa si cupiat salus, seruare nos prorsus non potest, imbecillitate aliorum, non nostra virtute valemus. Vnde tot vanæ leges, & proximæ quæque duriores. Quis igitur etiamsi maximè velit, Rempublicam plurium arbitrio temerè committat, ac non potius in retinenda perseueret? Equidem mundum ad antiquum morem, veterem disciplinam reuocare, aut ad pristinum splendorem mortales redigere nolim. Iampridem increbuit veritas rustica, atque acerba est, odium parit. Insanus sit necesse est, qui id quod vult, dicere pergit, & id quod non vult, confisus factione, non Deo, perperi detrectat, & testis, & beatus esse recusat. Non enim sapientiæ Christianæ (sicut est cœleste oraculum) sed pecuniæ omnia obediunt, quamobrem:

Quisquis habet nummos, secura nauiget aura,
Fortunamq; suo temperet arbitrio.
Magna loquor, quiduis nummis præsentibus opta,
Et veniet, clausum possidet arca Iouem.

Sed de hisce satis superque, nunc ad inceptum redeo, & de Sueuis, qui posthac Boiaria aliquot annos potiti sunt, pauca prius explananda, sunt.

SVeuos antiquissimos, latissimos, bellicosissimos, atque notissimos Germaniæ magnæ populos fuisse, interiora Germaniæ, partemq; maiorem intra Danubium, Albim, Vistulam amnes, Hercyniam syluam, sinum Codanum, vbi nunc Saxones partim, partim Venedi, Boiemi, Moraui, Bolij, Lusatij, Pomerij & aliæ Sclauorum nationes ferocissimæ consident, obtinuisse, proprijs nationibus, nominibus discretos, à Sueuo octauo rege Germaniæ cognominatos esse, apud illustres constat scriptores. Hylderico atque Ludouico Magno regibus Francorum in Germania, atque Gallia contra Ligerim & Albim imperantibus, auitas dereliquere sedes, ad fontes Rheni, Danubijq; in Germania, & in Gallia, atque Rhetia, Italiam tenus, pulsis Romanis domicilia cæperunt: vbi quondam habitasse Hermunduros, Heluetios, Rhetos, sobolem Ethruscorum inuenio. Et sicut Strabo Teutonicus suæ tempestatis doctissimus tradit. Sueuia triplex est, pars in Germania magna inter Rhenum Danubiumque amnes continetur, pars intra Hercyniam syluam, Lycum, Rhenum, Danubium ad Italiam pertinet. Cæteri in Gallia Celtica consident, nunc Suitones Heluetijq; adpellantur. Qui Germaniam incolunt, proprijs nominibus sunt Rhetij, Rhemi, Wirtenbergenses, Badenses ducatuum: hæc nomina ad vtramque Nigri amnis ripam. Qui Rhetias tenent Alpini, Hoegij, Engadini, Curienses, accolæ Vallis Venustæ, atque Oeni, superioris nuncupantur. Fuisse autem in Sueuia gentem ab Altdorff præcipuam & huius æmulam Bebelinam atque Gibelinam (vicus est vbi educatum Imperatorem Fridericum primum Cæsarem Augustum aiunt) authores habeo. Hinc Friderici, Hainrici, Conradi, illinc Welphones, qui & Wolthardi (quos Itali Guelphones nuncupant) procreati sunt. Hi Imperatoribus rebellare, illi obsequentissimi esse soliti. Quamobrem adhuc ab ipsis Italia fautores atque amicos Cæsaris Gibelinos, hostes Guelphos vocitat. Qui primus ab Altorff Welphonis cognomen tulit, ab auspicio rei militaris, bonoq; omine belli traxit. Canis enim, lupus atq; vulpes, quorum catulos Welphones Teutones vocant, Germaniæ genti bellicosæ animalia peculiaria, Martique dicata. Welphones autem ab Altdorff castello, Rauenspurgio oppido, familia vetere & honorata, atq; ex Principibus Sueuiæ orti, centum atque nouem annos potiti sunt Boiariæ ducatu: Lycatibus, pago superioris Boiariæ, trecentis amplius annis. Non ab re fuerit stemma proponere, imagines & elogia vniuersi generis exequi, longum est, familiæ breuiter attingam. Tempore Pipini regis Francorum, Varinum, eius filium Eisenobardum, in aula Caroli Magni clarum fuisse reperio. Familiam post hos illustrauit Welpho, cuius liberi Iuditha Augusta, vxor Imperatoris Ludouici Pij, mater Imp. Caroli Calui Cæs. Augusti, Rudolphus & Conradus: soboles horum Eticho progenuit Hainricum, Litogardam vxorem Ludouici secundi

Hyldericus & Ludouicus Magnus Francorum reges.

Sueuia triplex.

Heluetij. Suitones. Rhetij. Nigrum qui & Necarus.

Vuelphon. Vuulfinger.

Genealogia Caroli Magni.

ſecundi regis Boiorum, & Bardonem, qui à Cimbris necatus eſt aquis, Ludouicus ſecūdus rex Boiorum atque Francorum, filius Ludouici illuſtris, frater germanus Imp. Caroli tertij Augusti, & Carolomanni regis Boiorum & Italiæ, ſocero ad fimbus... ſuis Ambrones Lycatiosque primæ Boiariæ pagos, dono dedit. Etichonem apud Ambrones contubernium duodecim monachis (quos Hainricus filius deinceps ad Altonis monaſterium migrare iuſſerit) conſediſſe, ibidem ſepultum eſſe literis traditur. Eius nepos Hainricus ex Hatta de Hoheuuart, Dieſſen & Andechs caſtellis Boiariæ orta, atq; educata, diuum Conradum pontificem Conſtantiæ, Etichonem, authorem nobilitatis Rhetiæ Curienſis, dictæ de Schuuitz, Heſzel, Vſter & Rapoltzvueil, & Rudolphum tulit: Rudolpho Welpho ſecundus progenitus, hoc alter quoque Rudolphus; ille in Welphouen (quæ nunc villæ ſunt in ripa Geloni in Vindelicia ſuperiore) habitauit, vnde is locus ab eo cognomen traxit, Welphonis prætorium valet, ab Vnderſtorff monaſterio tria millia paſſuum abeſt. Huncque Welphonem primum, nimirum Lycatiorum atque Ambronum tetrarcham ſcriptores Boiariæ vocant. Rudolphus ſecundus huius filius vxorem habuit Itham Sueuam genere, haud longè à lacu Brigantino ortam, filiam Conradi Oeningenſis, neptem Imperatoris Ottonis magni ex filia Richolita, ſororem Chunegundæ coniugis Friderici in Dieſſen & Andechs principis. Ex qua liberos Welphonem ſecundum & Hainricum, atque Richolitam procreauit, quorum minimus natu Hainricus in venatione ab apro percuſſus perijt Loenijs, pagus eſt Noricorum, Atheſis præterfluit, inter Pifonium atque Meraniam vrbes. Richolita Adaloberoni comiti ab Eberſperg nupſit. Welpho matre adnitente Altonis monaſterium ab Vgris exciſum, direptum, inſtaurat, conſecraneis diui Benedicti reddit. Rudolphum magiſtrum, deinceps Erhardum, Hainricum præficit: Itham genitricem ibi ſepelit. Diuo Hainrico & Conrado ſecundis, Imperatoribus Romanis repugnare auſus, cum Brunone epiſcopo Auguſtenſi, fratre diui Hainrici bella gelsit. Eius coniunx fuit Irmengarda ſoror diuæ Chunigundæ Auguſtæ, tranſtulit ex Weingarten Sueuiæ templo ſacratas fœminas in Altonis monaſterium, ædem Boiariæ, hinc monachos illò commigrare iuſsit, in Boiaria humata eſt. Ab his ſunt Chunigunda mater Welphonis ducis Boiorum, & Welpho regulus Charionum, auunculus huius, qui abſque liberis ante matrem anno Chriſtianæ ſalutis milleſimo, quinquageſimo quinto obijt. Chunigunda in matrimonium data fuit à parentibus, Ætio (alijs eſt Azo) Atteſti præfecto, quem nunc ducem Ferrariæ eſſe quidam tradunt. Vnde ortus eſt Welpho dux Boiorum, qui adnitente matre atque auia, ab Imperatore Hainrico quarto hæres auunculi inſtitutus, & ab eodem ducatu Boiariæ præfectus eſt, anno ab orbe ſeruato M. L X X I. Sexto deinde anno, quòd Hyldebrandi Rodolphiq; rebus ſtuderet, ducatu motus atque proſcriptus, in vincula coniectus eſt. Vnde elapſus Rauenſpurgij ſe muniuit, Auguſtam Rhætiæ Fruxinum Vindelicorum de improuiſo cepit, diripuit. Segifridum epiſcopum Auguſtanum captiuum abduxit, biennio in diligenti cuſtodia Rauenſpurgij ſeruauit. Viginti annos exulauit, tandem deſerta Vrbani & Hyldebrandi ſecta, ab Imperatore reſtituitur, ducatum Boiariæ non ſolum ſibi, ſed & filijs ſuis Welphoni & Hainrico, quos ex Iuditha filia Baldouini Flandri tulit, impetrauit. Myſtis, & ciuibus Auguſtanis, & Fruxinenſib. certis prædijs, atque pecunia ſatisfecit, quod violatum erat, certis operis, atque officijs compenſauit. Raidenbuch nouum collegium Auguſtalibus flaminibus in ſuperiore Boiaria inſtituit. Poſtea in Paleſtinam KL. Aprilibus cum Herrando, Antoburito, Bernardo Charino, & Hainrico Reginoburgenſi præfecto, Ottone & Eckhardo, Schirorum regulis, Vlrico epiſcopo Bathauenſi, Friderico Comite à Bogen, cum Vta matre diui Lupoldi Auſtriaci, & Diethmaro archimyſta Boiorum, per Charionum fines à tergo relictis Vgris, militatum profectus eſt. In vrbibus Mæſiæ, atque Hadrianopoli hybernauit. Inde per Thraciam Conſtantinopolim peruenit, honorificè ab Alexio Imperatore excipitur, à quo nauibus per Boſphorum Thracium in Aſiam tranſuectus, per Bithyniam, atq; Nicomediam iter fecit, magna difficultate, Turcis vndique laceſſentibus, fame, inopia, peſte comitibus abſumptis, Hieroſolyma penetrauit, viam ferro ſibi aperuit. Tandem omnibus amiſsis, dum reuerti domum parat, in Cypro Paphi decedit, ibique humatur anno æræ noſtræ milleſimo, centeſimo ſuper primum. Bernardus, & Hainricus Fridericus Hieroſolymis periere. Vtha, & Diethmarus trucidati ſunt ab hoſtibus. Itinerarium huiuſce expeditionis, atq; hiſtoriam extare, ſunt qui prodant: ſed ego nondum legi, neque inueni. Welpho ſecundus dux Boiorum, Ambronum, & Lycatiorum quintus, ad Altdorff ſextus, huius cognominis dynaſta, Mathyldam, illam primariam Italiæ fœminā vxorem duxit. Ea fuit filia Bonifacij, neptis Diethboldi, proneptis Ottonis, templum ampliſsimum Padalironæ conſecraneis diui Benedicti in agro Mantuano, haud longè à Pado extruxit, vbi eius Mauſoleum extat, quod vidimus anno abhinc ſexto, dum ibi benignè excepti ſumus, cum Illuſtri principe Erneſto. Is tum amore literarum in Italiam Ticinum profectus, atq; arma Franciſci Galliarum occidentalium Regis (qui capto Maximiliano duce, profligatis Suitenſibus, militis Germani auxilio, Mediolanū occuparat) fugiens, ad Franciſcum

Hainricus ex Hatta.

Vuelphon. I.

Rudolphi ſecundi vxor Itha.

Otto Imp.

Richolita.

Irmengarda.

Chunigunda. Aetius qui & Azo Ferrariæ marchio.

Vuelpho dux Boiariæ in Cypro moritur.

Vuelpho ſecundus.

Math.

Erneſtus dux Boiariæ.

Vuernherus Iurisconsultus, alias Irnerius. circum Mantuanum regulum, amicissimum suum diuertit, illoque spectandi caussa profectus est. Wernherus quoque Iureconsultus, rogante atque iubente hac Mathylda, Welphonis secundi, ducis Boiorum vxore, leges Romani populi à Iustino Imperatore inuulgatas, hactenusque neglectas situ & carie obsoletas, cum tineis & blattis depugnantes, recognouit atque publicauit, continenti scriptura expositas, in libros, capitaque diuisit, sententiam paucis summatim praescripsit, legendo, commentando, interpretando, easdem etiam caeteris notas fecit, parum adhuc diuulgatas diligentius retractauit. *Aeneas Syluius.* Aeneas Syluius, qui est Pius secundus pont. Max. tradit hancce Mathyldam Romano episcopo testaměto legasse, id quod patrimonium Petri nominant, tumque vox coelitus audita (vti à grauissimis accepi Theologis) venenum melle litum foeminam propinasse Christianis. Sed ad secundum maritum mulieris redeo. Is Hainrico quinto Caesari aduersum Augustũ parentem fauit. Romam ad pont. Max. Paschalem cum mandatis missus, Caesaris legatos Tridenti captos, ductis eò copijs, liberat. *Gebhardus armis restitutus.* Gebhardum à Caesare Tridentinis episcopum designatum, à ciuibus, qui partium Augusti erant, exactum armis restituit. Per idem tempus Imperator *Hainricus dux Lutharia.* Hainricus quartus Caesar Augustus Leodij mortem obijt, finem parricidiali bello fecit. Filius eius Hainricus quintus, qui aduersus parentem, arma nefanda mouerat, composita Germania inferiore, caeteris omnibus, qui parenti adhaeserant, gratiam facit, solum Hainricum ducem Lutharicorum, ex consilij decreto dignitate abdicat, in vinculaque conijcit: Luthaream Godofrido Louaniensi tradit. Verùm Hainricus ex custodia sua industria elapsus, ducatum vi recipit, Aquas Graneas occupat. Godofridus subitò irrumpit, Hainricum terga vertere cogit. Eius vxorem fuga sibi consulere, ignominiosum, foeminam capere ratus, permisit. Caesar pacatis rebus, in Boiariam concedit Reginoburgium, inde *Paschalis Pōt. Max. Concilium episcoporum in Italia.* Augustam Rhetiae petit, frustra ibi diutius Paschalis Pont. Max. aduentũ expectat. Nam eò is se venturum promiserat. At vbi de morte Augusti certior factus est, ad Padum substitit, in Germaniam proficisci detrectat. In Italia XII. Kal. Octobris concilium episcoporum concelebrat. Hyldebrandi acta, opes factionis, absentiũ animos literis, praesentium verbis confirmat. Gebhardum Tridentinis, Conradum Iuuauensibus consecrat pontifices, collegia, contubernia immunitate donat, tributum annuum (sicut diplomata eius ostendunt) imponit. Ad se deficientibus absque cunctatione gratiam facit, obstinatis, nisi ante diem praescriptum resipiscant, sacrificijs interdicit. In scrinio sacri pectoris Romani episcopi, omnia iura contineri, iusta omnium condita esse, nec eundem religione mendacij astringi posse pronunciat. Proinde debere homines consideratius iam loqui cum illo, atque pro legibus habere, quae dicat. Quicquid aduersus Romanum Senatum, pontificalemue se extulerit, contundendum esse decernit. Conuentu peracto ad Caesarem legatos cum mandatis mittit, se in Germaniã venturum, vbi de summis vtriusque rebus colloquatur, promittit. Inde Romam ipse, at Caesar Reginoburgium ad hyemandum petit, *Cluniacum vrbs Galliae.* aduentum Paschalis praestolatur. Verùm is se in Gallias Cluniacum confert. Postea Augustobonae in Trecasiorum & Galliae Lugdunensis vrbe, conciliato sibi Galliae episcoporum fauore, ad captandam plebis auram, leges turbulentissimas rogat atque perfert. Caesarem de creandis pontificibus ad disquisitionem vocat: ipsum pontificalibus comitijs excludit: ea ad plebem transfert, nempe communẽ omnium pastorem, cõmuniter omnium suffragio capiẽdum esse statuit, pollui religionem, si quispiam sacris addictus coelestis atque immortalis Imperatoris caeremoniarum consors sit, terreno atque mortali regi se in clientelam atque seruitutem dicauerit. Sacerdotiorum administrationem ad Pont. Max. armorum ad Caesarem pertinere. A singulis igitur episcopis iusiurandum exactum, futuros *Quinti edictum.* in potestate Romani Pont. Quintus per edicta ita obnunciat: non licere Gallis curiosis, aliena, quae nihil ad eos attinent, curare, cuilibet facile esse de alieno largiri. Christiani orbis Imperium sibi à deo Opt. Max. impositum esse, proinde se de veteri more & ritu priscae religionis, sacris supremae maiestatis placitis non defuturum, daturumque iure suo operam, nequid Respublica detrimenti capiat, extare vetustissimam sanctissimorum patrum legem, tempore Caroli Magni perlatam, qua Paschalis, atque cũ eo sentientes, per omnium sacerdotum religiones deuouentur, atque proscribuntur. Nullo pacto fas iusque esse, fastuoso pontifici, leuissimis Gallis, magis superstitiosis, quàm religiosis, tot diuos, tot pientissimos, Pontifices maximos, minores, mystas, monachos, reges, Imperatores, superos atque coelites impietatis condemnare, se quoad vita suppetat, non passurum, vt instituta à maioribus accepta, per tot annos hactenus obseruata, fraude & astu paucorum, cum maxima Christianorum morum pernicie, obliterentur. pontifices, episcopos, mystas, monachos ab Imperatoribus, atque regibus collocupletatos esse. Vbi his pares opibus facti sunt, more perditorum, quo plura donata fuerint, plura concupiscere, illisque sordere prima quaeque, vbi maiora sperarint, titulo honesto libertatis ecclesiasticae fraudulentos homines grassari, illud conari, vt se excluso, paulatim etiam populum, sacerdotes, episcopos alios in ordinem atque seruitutem tandem redigant, atque arma in eos, quorum beneficia possident, ne haec aliquo pacto repeti queant, vertant. Pontifices Romanos orbis Imperium

animo cogitare, regnum Christiani populi adfectare, non quieturos, donec oppresso Cæsare, omnibus iugum seruitutis, quod ipsi excussere, imponant, Christi cruciamenta declarare, quæ nam sit rabies sacerdotum, aduersus immodicam concupiscentiam, cui se semel animus deuouerit, nullum stare terminum, se penè impuberem, imperitum omnium rerum ab illis egregijs pastoribus dolo circumuentum in patrem charissimum concitatum esse; arma q; ie horum consilio sumpsisse. Nunc genitore oppresso, aduersus se conspirasse, neque modum ambitioni ponere, nisi alios omnes dignitate, honore expolient, &, quo ipsis quicquid lubeat, liceat, ab singulis iuramentum, se futuros in eorum potestate, quicquid illi dicant, pro legibus habituros, atque tandem pro Deo adoraturos, exigant. In hanc sententiam multæ vltro citroque datæ sunt Epistolæ. Nouissimè Cæsar rescripsit: Quamuis veterem consuetudinem atque ritum, à tot sanctissimis patribus, per tot annos obseruatum, iure atque armis retinere possit, nihil tamen sua referre, si pontificalibus Comitijs excidat, modò episcopi, mystæ, monachi prædia stipendiaria, fiscos, neruos Reipublicæ, arces, ciuitates, vrbes, oppida, vicos regios, castella Reipublicæ atque Cæsari reddant, decimis contenti viuant, Dei & pauperum, populique caussam, philosophiam diuinam interpretando, vota illustrando, crucem Christi præferendo, agant, atque vniuersis Christianis paupertatem atque simplicitatem Seruatoris nostri, comitum eius æmulando, præluceant. Conuenit itaque inter pontificem Max. atque Cæsarem, vti sacerdotes, flamines, pontifices maximi, minores, medioximi, omissis huiuscemodi Reipublicæ (vt Christus magister noster appellat) spinis, victu parabili ac parco contenti, Christi præceptoris nostri, quo ad liceat, modestiam, paupertatem sectentur, studio literarum operam nauent. Atque ad hanc legem promulgandam iam Paschalis Romam ex Gallijs redierat. Et Cæsar quàm maximo potest adparatu Italicam expeditionem meditatur, conuentuq; Reginoburgij peracto, eam indicit. Mense Augusto ex Germania in Italiam cum copijs mouet, quosque, (inter quos præcipuus fuit Dauid Scotus harum rerum scriptor) diuini humanique iuris consultissimos, quorum arbitrio domesticus motus, perniciosa discordia, ciuilis seditio, qua per duodequinquaginta annos continenter Respublica attrita est, tolleretur atque penitus extingueretur, secum ducit. Pontificia potestas, specie quidem Ecclesiasticæ libertatis tuendæ, in cuius auxilium comparata est, re autem dominationem sibi acquirens, studium populi, sacrificulorum fauorem legibus popularibus, pontificalibus decretis, aucupabatur. Ipsa atque eandem occupantium, inexplebilis honorum & regni fames, omnium seditionum caussa fuit. Inerat omnibus species æquitatis. Quid enim tam iustum, quàm pastorem communem communiter omnium ouium suffragio deligi? Quid tam æquum, quàm vt nihil in Republica Christiana temerè, nihil auarè, nihil superbè fieret, sed cuncta, quasi præsente Deo, eius legato authore gererentur? Quid porrò tam rationi consentaneum, quàm sacris aris addictos immunes esse, ne fidem dextræ humano sanguine pollutæ, dare adigerentur? Quid denique tam populare & ad ius libertatis Christianæ æquandæ tam efficax, quàm vt liberis, nemo nisi iustus rex & ab ipsis creatus, & quàm diu bene beateque viuat atque illis libuerit, imponatur? Sed hæc re ipsa in perniciem erupere. Latuit anguis sub herba, & misera Respublica Christiana dilacerata est discordia parricidiali. Primam facem certaminum accendit Hyldebrandus, qui & Gregorius septimus. Hic pulsus Roma, extorris aris, focis Salernij interijt. Statim Victor & Vrbanus vindices legum Hyldebrandi, non minore motu incaluere, terrore atque tumultu omnia compleuere. Hic filios aduersus parentem Cæsarem Augustum arma sumere persuasit, ipsoque sublato, nihilominus Paschalis eadem via rem adgressus, acrius conflauit incendium, dum leges Hyldebrandinas asserere non destitit. Cæterùm pars exercitus (inde enim diuertit oratio) per iuga Tridentina, pars Cottias alpes in campos Italiæ penetrarunt. Cæsar Eporedia egressus, coniunctis copijs, Nouaria expugnata, combusta, in ditionem cis Padana Italia recepta, Padum transit, Placentiæ castra facit, statiuaq; habet. Parmæ Mathyldam vxorem Welphonis reguli Boiorum in fidem atq; clientelam accipit, quicquid resistere ausum fuit, perdomitat. Apennino superato Florentiæ substitit, ibiq; brumales ferias concelebrat. Inde Aretio vi ad obsequium subacto, ad aquam pendentem procedit, ibi legatos suos cum mandatis Romam missos, atque cum Romanis pontificis atque populi oratoribus reuersos offendit. Rursus alios in vrbem ad Pont. Max. proficisci iubet. Interim Sutrium progreditur, ibi amici Cæsaris atq; pontifices Romani conueniunt, Cæsari referunt, Paschalem postulare, vt Cæsar clientela episcoporum se abdicet, cæterùm ab sacerdotibus, & templis ducatus, præfecturas, tetrarchias, vectigalia, prætoria, tributa, prædia stipendiaria, agros, vicos regios, arces, vrbes, castella, ius cudendæ monetæ, Imperij, Cæsarisq; beneficia, regia munia, & huiuscemodi Imperij patrimonium, neruosq, Reipublicæ recipiat. Annuit postulatis Cæsar hac lege, vt id in conuentu procerũ, pontificum Imperij celebri fieret, diplomateq; ex consilij decreto confirmaretur. Vterq; hanc conditionem accepit. Pontifex obsidibus datis pactum confirmat, fidem dat sic fore. Cæsar acceptis obsidibus, Romam accedit, à pon-

Cæsaris rescriptum.

Dauid Scotus.

Eporedia.
Nouaria.
Mathylda & vxor Welphonis.
Aretium.

Cæsar Romã venit.

à pontifice, senatu populoque Romano eo honore, quo principem orbis atq; vrbis decuit, excipitur. Per portam argenteam ad templum D.Petri deducitur: ibi renouato fœdere, lectis epistolis vltrò citroq; missis, Maximo pontifice illud iure suo, ritu solenni confirmare conante, atq; id quod æquum bonumq; foret, iuxta promissa se comprobaturum adseuerante, episcopi pleriq;, maximè Conradus archimysta Iuuauensis, ex Abusinæ patriæ meæ regulis ortus, intercedunt, obnunciant, vociferantur, nullum ius spoliandorum, episcoporum, templorumq;, opes ecclesiasticas deo dicatas in prophanos transferendi, Paschali esse: se verò vectigalia, portoria, oppida, regiones, à maioribus sibi relicta, quæsitaque hactenus possessa, non tàm facilè amissuros. Hainricus Kauffringo Castello superioris Boiariæ ortus, stricto ense Conrado Boiorum primario episcopo, obstinatius refraganti, mortem, nisi principibus Romanis adsentiatur, comminatur. Atq; ille impauidus porrecto iugulo, Feri sanè si lubet (inquit) deuotum caput. Cæsar intercedit, ab imminente nece Conradum eripit, Hainrico, Apage, ait, nondum tempus est. Ita dies ille Solis, qui tum erat media Quadragesima, disceptationibus protractus est in noctem. Noctu Romani arma corripiũt, copias Cæsaris inuadunt. Cæsar suis auxilium fert, fortiter resistit, hostes in fugam vertit, in Tyberimq; agitat, ibiq; submergit: mœnibusq; vrbis dirutis, dispositis per regiones stationibus, perdomitis hostibus, vrbe egreditur, ante mœnia Romæ castra locat, secum pontificem, Romanos flamines abducit, atq; Vlrico, fratri Hainrici ab Eppenstain, reguli Charionum, monachorum Diui Galli in Sueuia, antistiti, patriarchæ Aquileiensi commendat: Paschales ferias in castris perpetrat, Ibi tum bonorum virorum opera, potissimum Welphonis Boiorum reguli, mariti Mathyldæ, controuersia composita est, hac lege atque omine, vt Cæsar posthac perpetuò, absque ambitu, sine precio pontifices, assumeret, sicuti hactenus semper more maiorum factitatum foret: sacerdotia, pontificatus sine pecunia daret, sicuti hactenus, quasi iure hæreditario consueuisset. Sacerdotes, episcopi, regia beneficia, Salica prædia, quæ possiderent, retinerent, Pontifexque Romanus harum conditionum author fieret. His itaque confectis, Cæsar octauo post Paschalia die, à Senatu populoque Romano magno gaudio in templum D. Petri deducitur, à Paschali consecratur, Augustusq; cognominatur. Posteaquam Euangelium recitatum est, Paschalis pro concione testes vniuersos esse iubens, veterem ritum assumendi pontificis Cæsari restituit, eidem iuxta patrum decreta addicit. Deinde lege hac atq; diplomate dato porrectaque sacra hostia, Domine (inquit) hic est dominus deusque noster ex Maria virgine natus, pro nobis in crucem actus, sicuti sacrosanctus Christianorum, cœtus credit, accipe pignus veræ amicitiæ, qua mutuo reconciliati sumus. Factum hoc Idibus Aprilibus indictione quarta, Anno ab restituta salute millesimo centesimo vndecimo. Mox contradicentibus Pont.Max.more maiorum, diras atq; inferias dicit. Nemo non tum læticiam agitabat, pacem tot annis desideratam, terrisq; depulsam, cœlo tum reducem gratulabantur. Ad pristinam maiestatem Imperium, Resq; publicas rediisse, concordia perpetua stabilitum videbatur. Paucis pòst diebus Imperator reditum parat, Paschali, flaminibus, pontificibus, maximis, minoribus, medioximis amplissima, supra quàm cuiquam credibile est, dona facit. Posthæc à pontifice, sacerdotibus, Senatu populoq; Romano abeunti bene precantibus, per aliquot spacia itineris deductus, Apenninum transit, in Germaniamque reuersus Spiræ iusta parenti magnificè facit. Albertum comitem à Sarbruck cancellarium suum, more maiorum pontificem Mogontinum declarat. Inde Boiariam petit, Reginoburgii atque Bathauiæ conuentus agit. Colomannus tum rex Vngariæ Almum fratrem suum regno pellit. Is profugus Bathauiam ad Imperatorem se confert, opem eius implorat. Augustus facile copias auxiliares pollicetur. Nam Colomannus quasdam vrbes, liberas atque maritimas Dalmatiæ occuparat. Infesto igitur exercitu in Vngariam Quintus contendit, Pisonium vrbem primam Vngariæ obsidione claudit. Colomannus rex ad colloquium Cæsaris venit, vrbes Dalmatiæ restituit. Augustus fratres in gratiam redigit. Inde Bolios, Boiemos, Flandros imperata detrectantes, pari facilitate ad obsequium cogit. Dumque in Boiaria Reginoburgii hyemat, diuus Otto Babobergensis episcopus contubernium monachis extra mœnia vrbis construxit, Prulling vel Priuening vocant. Abudiacum vicum, cœteraq; prædia, quæ diuus Hainricus Babobergensi templo condonarat, monachis tribuit. Eadem tempestate Hainricus, & filius eius Ernestus à Kirchberg comites & reguli, arcem suam Mallerstorff in inferiore Vindelicia propter Lauarum amnem sitam, in templum commutant. Hardouicus Reginoburgensis episcopus dicat, sacris diui Benedicti initiat, Burckhardum magistrum legit. Per idem quoque tempus Berchtoldus ab Andechs & Diessen dynasta in vertice Matronæ montis, qui in prima Vindelicia diuo Petro dicatus Oeno continuatur, ædem consecraneis diui Benedicti condit. Damasiæ quoque collegium cum filio Poppone auxit. Otto in Witelspach, Berchtoldus Lechomondi, id est, Lycostomatis regulus, ambo ex Schira oriundi, progenitores principum nostrorum, in ripa Geloni fluminis Eysenhouiæ in monte diui Petri ædem monachis dedicant. Et paucis pòst annis Bruno magister eius collegii cum symmystis,

Conradus archiepiscopus comes de Abensperg.

Hainricus Conradum iugulaturus à Cæsare prohibetur.

Hostes Cæsaris submerguntur.

Cæsar unctus creatur.

Cæsar Spiræ iusta parenti facit.

Colomãnus rex Vngariæ fratrẽ Almum regẽ regno pellit.

mystis, consilio Alberti Mogontini, & Conradi Iuuauensis archiepiscopi Schiram migrat. Nam id castellum in cunabula principum nostrorum. Beatrix vxor Arnulphi comitis à Dachau cum filijs Conrado & Ottone, Otto in Wittelspach habitans, cum patruelibus suis Ottone, Bernardo & Eckhardo in templum commutauere. Huiusque rei Hainricus quintus, & Paschalis authores facti sunt. Circa eundem temporis tractum diuus Nordobertus ex Santhone oppido inferioris Germaniæ, quod Traianam Romani vocant, ortus, collegium nouorum mystarum, quos Premonstratenses vocant, fecit. Eodem etiam tempore Hardouicus episcopus Reginoburgensis Valentiam templum diuo Georgio dicatum, pulsis monachis, tradit Augustalibus flaminibus, accito Hardouico magistro eius sectæ ex Norico de æde diui Floriani. Conradus itidem episcopus Reginoburgensis quinque post annos monachos rursus restituit, ipsisq; Fridericum præfecit. Monasterium id Danubio septum, quinq; millia passuum ab Abusina patria mea, Aquilonē spectat. Ibi cineres Artobrigæ (quæ teste Claudio Ptolemęo, diligētissimo Cosmographo caput olim Vindelicorum erat) monstrantur, sicuti in secundo & tertio volumine scripsi, Thessilonus primus illud condidit. Per idem tempus Dietpoldus Vogburgensis, Dietpoldus Chamaborum limitis præfecti, & Litogardæ filius cum vxore Adoleda Richopagum apud Nariscos in ripa Rhegi diuo Benedicto condidit. Idem quintodecimo deinceps anno Valdosassoniam, amplissimam Nariscorum ædem monachis Cistercientibus extruxit. Diuus Otto Babobergensis episcopus accepto à Cæsare commeatu, Pomeranis accolis sinus Codani, religionem Christi interpretatur. Diuum Marianum Scotum, conterraneos eius Isacium, qui centum & viginti vixit annos, Clementem, Muricherodachum, Ioannem, Candidum & Donatum, Imperatore Hainrico quarto imperante Reginoburgium in Boiariam venisse iuxta templum Diui Petri extra mœnia à ciuibus, præcipuè Bezelino quodam eis ædiculas conditas esse, suprà in quinto libro retuli. Hac fama moti plures Scoti de Hybernia aduentarunt, quibus septem illi præfuere, quorum vltimus Clemens fuit. Vbi angustius habitare cœperunt, Fridericus Phronthusius, Otto Ritoburgensis præfectus vrbis, frater eius Hainricus, cum vxore Bertha, quæ filia fuit Diui Leopoldi Austriaci, Litogarda vxor Friderici comitis de Bogen curatoris templi Reginoburgensis, Gundackerus & Wernherus de Labar, grande monasterium Diuo Iacobo, & Gertrudæ intra mœnia vrbis condunt. Comites de Labar, & Rietenburg prædia apud Nariscos tribuunt, illorum ibidem monumenta extant. Bertha ibidem sepulta, vineas in Austria donauit. Hartouicus episcopus Reginoburgensis templum dedicauit, Anno ab orbe seruato M C X X. primus præsul fuit Mauritius, authores fiunt Calistus pontifex maximus & Imperator Hainricus quintus Cæsar Augustus. Mauritio successit Christianus. Fabulæ igitur sunt, hoc monasterium à Carolo Magno conditum esse, qui ante trecentos annos ex hac vita migrarat. Conradus tum quoq; Salisburgensis archimystes apud Richenhal in Norico collegium mystis Augustinianis instituit, Zenonis vocant. Primus antistes fani eiusdem Lanzo. Sed ad Hainricum Quintum redeo. Is Reginaldum Barrensem dynastam in confinio vtriusque Franciæ imperata facere cogit, Barrio castello, nunc est Lucharorum reguli, expugnato, captiuum abducit. Moguntiaci Mechtyldam, filiam Hainrici regis Angliorum vxorem ducit, nuptias facit. Omnes principes potentia Cęsaris territi, metuque perculsi ob amicitiam, quam cum Pont. Romano inierat, apparuere. Lotharius Saxonum dux in celebri procerum corona nudis pedibus, & discinctus procumbens veniam petijt, & impetrauit. Verùm Alberto Mogontino pontifice authore, plerique proceres & sacerdotes, maximè Saxones, aduersus Imperatorē conspirant, domum iugum excussuri remeant. Augustus indicio ad se delato, Albertū Mogontinum in vincula conijcit. Vnde elapsus ad Saxones se confert. Fridericus quoq; Agrippinensis episcopus cum ciuibus rebellionem facit. Gotofridus atque Hainricus Lutharieæ inferioris duces imperata etiam detrectant. Pleraq; tum prodigia bellum ciuile portendisse in fastos relatum est, sanguine pluit, lauans caput cruore manus pollutas inuenit: terra intremuit, vrbes, domus euersæ. Dormitantes noctu cubilibus excussi sunt. Tonitrua, fulgura crebra, mortales attonitos fecerunt. Dira grando segetes, homines, pecora atterunt. Leodij subitò tranquillo aëre turbo coortus fulmine tres sacerdotes cōprecantes in templo, vesperi, pridie eius diei, qua Christus triumphabundus cœlos conscendit, extinxit, mœnia, ædes subuertit, fœtor pestilens subsequutus est. Nubes solutæ, flaminumque more effusæ, pecudes, casas, villas cum hominibus aquis operuere. Nubes sanguineæ, crux, homo candens in cœlo visus, exitium orbi terrarum aduentasse credebant. Rursus Germania in sua viscera ferrum conuertit. Solum Fridericus & Conradus, hic Franciæ, alter Sueuiæ regulus, & Godefridus præfectus prætorio Rheni Imp. tutabātur partes. Cæteri omnes iugum excutiunt, sæuiunt, cuncta incendijs, cæde complentur. Vrbes, oppida, vici, arces, castella diripiuntur, ad egestatem & solitudinem rediguntur, licentiaq; & consuetudine belli ciuilis, grassatores plurimi, passim villas, ciuitates, itinera obsident. Viatores, ciues, rusticos, sacerdotes sine discrimine spoliant, fana donis referta expilant.

Mauritius præsul.
Calistus P. Max.
Conradus archiepisc. Salisburg.
Mechtyldis.
Prodigia varia.

Caloioannes qui & Caloioannus. Legatorum orientalis oratio.

Dum hæc in Germania fiunt, legati Caloioannis, qui Alexio parenti successerat, Imp. Constantinopolitani Romam venere & honorificentissimè excepti sunt. Romani eisdem ad quintum lapidem officij gratia obuiam procedunt. Postridie Pont. Max. sacerdotes, Senatum, populum, acturos de communi omnium salute atq; libertate vrbis reginæ mundi, in templo Constantini coire iubet. Legati orientalis Imperatoris introducti, super omnes ad dextram Paschalis collocantur. Deinde paucissimis ita verba faciunt: Salutat vniuersos orbis terrarum Dominus Imperator orientalis, postulatq; te, vt relictis insanis, discordiosis, furibundis, & ebriosis Germanis, sæuissimis prædonibus, qui famem & egestatem suam latrocinijs explere coguntur, ad verum, antiquum & legitimum Imperatorem redeatis. Is non solum Ecclesiæ se propugnatorem præstabit, sed etiam viduas, pupillos, infimumq; quemque auro, argento ditabit. Hæc vbi dicta, acclamatum est more gentis, Perplacet, reddamus diadema legitimo & antiquo rerum Romanorum principi. Deficiamus à Teutonibus seditiosis & stolidis ad veterem Romani Imp. moderatorem, vetus Roma cum noua, Occidens cū Oriente rursus coniungatur. Posthæc Paschalis con-

Paschalis Imp. Hainricū & eius filium conuiciatur.

cionatur in Imp. Hainricum quartum, atque eius filium Quintum, crimina, iniurias, vitia commemorat. Petrus Leon præfectus vrbis, Ioannes Caietanus, Hugo Cluniacensis antistes, cæteri pacis studiosi, obnunciant, clamant, perstrepunt, vociferantur, Paschalē maximo Reipub. Italiæ Romæ, omnium deniq; incommodo, contra fas atq; æquum pacem exuere, fœdus dissoluere, pactum præuaricari, Christianam religionem discordiæ malis scindere atq; polluere. Fit tumultus conuentus dissoluitur. Postridie in eandem ædem

Tumultus.

episcopi partium Paschalis, vocato ad arma populo, frequentes obstinatique concurrunt, confluunt. At Paschalis excluso populo, accitis in curiam quibusdam flaminibus Italiæ, Siciliæ, Galliæ, Britanniæ episcopis, maximè Conrado Prenestino, Beluacensi, Rhemensi episcopis, legato Burgundiæ, quibus omnibus potentia Germani principis formidolosa erat: contrà nitentibus pacis studiosis, ac statum temporum, perniciem communem, clades futuras, ciuilia arma, Christianorum necem, dissensiones, seditiones deplorantibus in Imperatorem Hainricum Quintum concionatur, ingratum vocat, eundem à se patronum D. Petri nuncupatum, tamen cuncta cæde, incendijs, rapina, sacrilegio complesse, castella vi expugnasse commemorat. Alia conuicia, quæ ira suggessit, in Cæsarem iactat, sacrilegij, cædis, homicidij, latrocinij, tumultus concitati condemnat. Deinde Hyldebran-

Paschalis Hyldebrandum & Vrbanū laudibus effert

dum atq; Vrbanum amplissimis verbis collaudat, acta eorum comprobat. Imperatorem, prophanos quosq;, à rerum diuinarum cura, à sacerdotiorū procuratione, ab opum ecclesiasticarum, rerumq; ministratione, decreto submouet, comitijs pontificalibus arcet, excludit, omne ius interdicto Cæsari adimit, nullam eius rationem in illiusmodi habendam censet, pontificem max. mendacij religione obstringi non posse decernit inductoq; priore decreto, diploma priuilegiumq; sibi captiuo, vi atq; armis, in castris, sub papilionibus à tyranno extortum, vt sua Roma seruitute, atq; sæuitia immanissimorum latronum liberaretur. Priuilegium nuncupat, quod modò ratum erat, irritum facit, quod dictum indictum est, contrà sentientibus sacrificijs interdictum. Deinde Friderico Agrippinēsi, Conrado Iuuauensi archiepiscopis scriptum Imperatorem in numero impiorū computatum esse, è curia Christianorum submotum, & ad auxilium Ecclesiæ Romanæ inuitantur illi archimystæ. Extant epistolæ atq; huiusmodi, quæ ego breuiter perstringo, quemadmodum gesta sunt, seruantur in Bibliothecjs nostris, relata à quodam legato Augusti, qui interfuit, & quid quoque die à singulis dictum factumue fuerit, Imp. renunciauit. Dumque talia in Italia & Romæ fiunt, Conradus archimysta Boiorum ad Saxones deficit, Hugonem episcopum Cæsarianum Brixina mouet, Renoberthum monachorum Salisburgensium præsulem sufficit. Hainricum quoque Fruxinensem episcopum abdicare conatur, Vischopagum, alia templa, quæ is consecrarat, resecat, Fruxinum inde se confert. Hainricum Paschalis decreta refellentem dignitate moturus. Verùm mystæ eiusdem fani, qui tum doctissimi omnium sacerdotum Germaniæ censebantur, acta Paschalis velut sacris literis contraria rescindunt, Conradum vrbe exigunt. Qui à Salisburgensibus quoq; exclusus, in Saxoniam aufugit. Saxoniæ proceres, episcopi, archimystæ hi, Conradus Iuuauensis, Albertus Mogontinus, Fridericus Agrippinensis, Theodericus legatus Paschalis in Agrippinensi Colonia coëunt, Augustum, & episcopos ab eodem more & ritu priscæ religionis in senatum pontificalem allectos deuouent, Imperatori hisque pastoribus rebellantibus mandata detrectantibus, belligerantibus aduersus Cæsarem veniam scelerum condonant, cœlum aperiunt, cæteris claudunt. Fidem igitur seruantes oppugnantur, sub specie religionis, stupra, incestus, sacrilegia, passim committuntur, cædes, incendia impunè fiunt. Augustus se quoque tutaturus Agrippinam Coloniam petit, agris circà

Comites à Mansfeld.

vastatis, in Saxoniam tendit, cum Saxonibus contendit. Segifridus ac Horo Manouelstæ proceres Saxonum prælio succubuere, atque occisi sunt. Inter hæc Conradus in Francia, & ad Danubium, Fridericus in Sueuia, & iuxta Rhenum, sorore Imperatoris geniti fortiter acta auunculi tutantur. Emicho dynasta, partium Alberti Sarobrigæ, episcopi Mogontini,

tini, authoris huiusce belli ciuilis, à Friderico occiditur. Stephanus Colomanni regis Vngariæ filius, Lupoldus Austriacus cum duce Boiemiæ Ladislao subsequuntur vestigia Vngarorum ad Eysenostadium (quod ferreum oppidũ significat) progrediuntur. Agris circumcirca vastatis, incolumes reuertuntur. Iisdem diebus Welpho secundus Dux Boiorũ absq; liberis Caupheringij (vicus est Lycatiorũ) obiit anno potestatis duodeuicesimo, æræ Christianæ millesimo centesimo vndeuicesimo. Corpus ad Altorff deportatum est. Tum quoque vxor eius Machtylda in Italia vita defuncta est, Augustus cum vxore Italiam intrat, illius opes iure hæreditario (nam cognata fuerat) possidet. Eodem tempore Paschalis Romæ, ad quem Augustus cum mandatis legatos miserat, moritur. Priores Pontifices Romani ad diplomata, epistolas, libellos omnes hactenus Imperatoris annos addiderunt, primus Paschalis hisce tacitis, suæ potestatis numerum adscripsit, huncque primum immunitate donasse collegia, licet ab aliis extructa, reperio. Hocque vita defuncto, Romani certiorem faciunt Imperatorem, petunt vt Romam veniat, atque Comitia Pontificalia cum sacerdotibus, senatu, populoque more maiorum habeat. Inter hæc quidam Ioannem Caietanum magistrum Epistolarum, Pontificem designant, Gelasium adpellant. Is vbi aduentare ad Vrbem Imperatorem accepit, in Galliam aufugit, tertio ab Augusto & Romanis reuocatus, redire ad ouile noluit, Cluniaci obiit. Tum Quintus & Romani, veteri consuetudine Mauritium Burdinum Archiepiscopum Braccensem Hispanum Pontificem legunt, Gregorium Octauum adpellant. Profugi dissimulata huius consecratione, Vidonem Archiepiscopum Viennensem, Germanum Stephani Burgundionum tetrarchæ, auunculum Baldouini Flandri, consanguineum Imperatoris, Pontificatui Maximo imponunt, Calistum vocant. Is à sociis emendicatas pecunias, vbi Augustus ex Italia in Germaniam redit, Romanis distribuit, ad Vrbemque triumphabundus deductus est. Gregorius Sutrium aufugit, atque in vincula coniectus est. Quintus impar factioni Pontificum Romanorum, diffidens rebus suis, atque euentum causæ desperans, cum Calisto in gratiam rediit, ex summaque discordia principes Romani reconciliati sunt. Augustus Comitiis Pontificalibus, clientela Episcoporum destitutus, arbitrio cœtus ecclesiastici excidit, Pontificatus vniuersi, sacerdotiaque beneficia Romani Pontificis facta sunt. Nunc rursus ad Boios redeo. Hainricus octauus frater Welphonis secundi, primi filius, Wulphyldam Magni, Ducis Saxoniæ filiam coniugẽ habuit, ex ea septem liberos, tres mares, quatuor fœminas, Hainricũ, Welphonem, Conradum monachum: Iuditham, Sophiam, Machtyldam, Wulphyldam procreauit. Cum fratre vndeuiginti annos, post mortem illius quinque ducatum Boiariæ administrauit. Rauenspurgii decessit anno ab orbe seruato M. CXXV. Fatum mariti subsequitur vxor die deinceps sextodecimo. Amborum corpora ad Aldorff delata sunt. Eodem anno Diuus Otto, qui Pomerios vt religionem Christi reciperent, persuasit, Babobergomum rediit. Et Imperator Hainricus Quintus Cæsar Augustus Traiecti obiit, decimo Kalendas Augusti. Successit Lotharius secundus, Saxoniæ regulus. Atque hunc Hainricum octauum regulum Boiorum, primum omnium, priuatus auspicus, donationem fecisse, diploma dedisse, hoc sua imagine signasse, id quod antea Imperatores, Reges & Cæsares duntaxat factitarunt, reperio. Initium, finem, exemplum eius tabulæ subscribo. In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Hainricus diuina fauente clementia, DVX BAVVARIORVM consensu Wlfhyldæ vxoris, decimas in pago Ranneshofen de nemore Willebart tradit ad aram Diui Pancratij, & alia quædam prædia. Actum Ranneshofen anno Christi M. CXXV. præsente Ottone Palatino, Friderico de Regenesburc aduocato, Helperto de Geren, Heinricus Dei gratia Dux Bauariæ. Data Ranneshofen in palatio III. Kalendarum Augusti per manum Bernhardi notarij. Interregnum tum fuit. Liberos deinceps narrabo. Conradus ad Agrippinensem Coloniam, erudiendi gratia missus: vbi adoleuit, inde cum quibusdam condiscipulis ad Claram vallem, celebrem Diui Bernardi ædem migrauit: eiusdem cæremoniis initiatus Hierosolyma supplicandi gratia profectus, morbo corripitur, reuertitur, Barij municipio Appuliæ ante parentem obiit. Iuditha vxor fuit Friderici præsidis Sueuiæ, mater verò Imperatoris Friderici primi Cæsaris Augusti, quem Itali Barbarossam vocant. Sophia Berchtoldo Zaringio nupsit. Hoc mortuo ad secundas transit nuptias. Venit deinde in manum Lupoldi, Stirij limitis præfecti, peperit Odagrium, ille obiit post natum Christum anno millesimo, centesimo, vndetricesimo. Machtylda primo Diethboldo iuniori Voccioburgensi dynastæ nuptum collocatur, eo defuncto, Gebhardo comiti de Sultzbach in matrimonium datur. Wulphyldam Brigantinus Rhætorum tetrarchas vxorem duxit. Heinricus nonus, Superbus cognomento, patri Heinrico octauo in ducatu Boiariæ succedit. Iisdem diebus Lotharius Saxo, exhæredatis Friderico Sueuiæ, atque Conrado Franciæ regulo, fratribus Germanis, nepotibus Hainrici quarti astu fraudeque archimystarum Alberti Mogontini, & Conradi Salisburgensis, Cæsar declaratur. Nemo erat qui Imperium Friderico, sanguini Augustorum non destinabat. Verùm vt dixi Lotharius

Nota.

Ioannes Caietanus Pont. Max. Gelasius dictus.

Gregorius 8. S. Pont.

Hainricus 8. Boiorũ dux. Vulphylda vxor.

Hainricus Dux Boiorũ moritur 1125.

D. Otto.

Hainrici 5. Rom. Imp. mors.

Gebhardus comes de Sultzbach.

Heinricus 9. Superbus patri Heinrico 8. succedit.

astu Alberti atque Conradi opera rebus impositus, illius potissimum suasu Fridericum & Conradum, prolem Cæsaream, sobolem Augustorum opprimere, atque plus æquo in ordinem redigere conatur. Quamobrem illi sacra Cæsarea, & Imperij insignia, quæ morte auunculi ad eos redierant, Lothario tradere recusant, sed & armis sumptis, se atque suos

Conrad. Rex Mediolani. Gertruda Henrico rectori Boiorũ despõdetur.

tutari pergunt. Conradus ab Italis inuitatus, Mediolanum penetrauit, ibi ab incolis Rex Italiæ constituitur, ab Anthelmo vrbis Archiepiscopo inungitur. Lotharius Gertrudim vnicam filiam Heinrico rectori Boiorum despondet. Isque confestim equitatum cum primariis Boiariæ fœminis, qui sponsam ex Saxonia abducant, mittit. Inter hæc ipse more gentis auspicaturus bonis ominibus principatum, concilium Reginoburgij cogit, pacem publico edicto sancit: lites dirimit, ius dicit, proceres Boiorum ab armis discedere, concordiæ bona colere præcipit, latrocinia vetat, capitaliaque fore decernit. Prætorem, qui præsidendo iuridicundo intentus vicem suam fungeretur, Reginoburgio imponit. Peracto conuentu, sponsam Augustæ in confinio Rhætorum atque Vindelicorum excipit. In campo Lyci supra Augustam inter Fridbergam & Moring, qui locus Concio legionum vocari solet, nuptias octauo Quinquagenalium die facit. Frequentes Boiariæ atque Sueuiæ primores interfuerunt. Confectis nuptiis, nuptam Rauenspurgium migrare iubet, vbi tota æstate degit. Dux ad socerum in Saxoniam se confert. Marsoburgij in celebri conuentu, Gredingam, Noreiobergam, Episcoporum præsulum Boiariæ tutelam, ab eodem in fidem accepit. Operam suam aduersus Fridericum sororis suæ maritum, iureiurando pollicetur. Interim dum in Saxonia longius abest, Fridericus comes à Bogen, ædis Reginoburgensis curator consobrinus illius, coniunctis sibi quibusdam proceribus Boiorum, quibus pax odiosa erat, prætorem ducis, Reginoburgensibus datum, interficit: dolebat honorem atque commodum suum in vrbe deminutum iri, Henricique augescere. Cæsar & Boiariæ præses versus Boiariam arma ex Saxonia mouent. Lotharius comite Vlrico Boiemorum duce Noreiobergam obsidione claudit frustra. Ciues fortiter se defendunt, aduentantibus in auxilium obsessis Conrado Francorum, Friderico Sueuorum procuratore erumpunt, Cæsarem cedere cogunt. Isque Bambergam, inde VVurtzburgum se confert, hinc Rheni oram lustrat. Nemetas, qui rebus Conradi atque Friderici, tanquam cognatorum Cæsarum, qui apud eos sepulti erant, fauebant, circumsidet. In eiusdemque vrbis agro Limburgium castellum, & monachorum templum, quod Fridericus firmissimo præsidio tenebat, fame ad deditionem iam coëgerat, nisi Vlricus Horningensis Sueuus, socios ad deditionem faciundam consultantes, confirmasset, satis superque annonæ superare, nimirum satius esse dictitans, ventribus crassis monachis pasci, quàm castrum tam turpiter in manus hostium tradere. Quod vbi monachi accepere, abundè commeatum præsidio militari largiuntur. Interea Henricus in Boiaria Falckhenstain (à principibus nostris ante paucos annos Hieronymo à Stauff datum) vicum & arcem Boiariæ transdanubianæ munitissimam, Boiemiæ atque Hercyniæ saltui continuam, quæ tum Friderico comiti à Bogen parebat, obsidet, relictisque ibi octingentis equitibus, quibus sororem suam Sophiam, quæ, mortuo marito Lupoldo Stirio, ad fratrem concesserat, præficit, ipse ad socerum cum sexcentis equitibus contendit. Vltra Rhenum aduersus Friderici incursationes considet, Fridericum noctu irruentem, exploratis eius conatibus in fugam vertit, fugientem vsque Gruningiam persequitur.

Gruningen.

Nemetes Alberto Episcopo Moguntino arbitro, Cæsari se dedunt. Henricus ad Boios reuersus Falckhenstain expugnat, atque incendit. Posthæc Fridericum Sueuum, sororis suæ Iudithæ maritum, apud Zvvyfalten monasterium ad colloquium inuitatum, dolo capere nititur.

Zvvyfalten monasteriũ. Henricus Vlmã depopulatur.

Fridericus euasit, Memmingiam, Rauenspurgum, Altdorff, plerosque Sueuiæ vicos, qui sub ditione Henrici erant diripit, exurit. Par pari Henricus refert, fines Friderici cum copiis ingreditur à Tegendorff Danubiano vico, vsque ad Hohenstauff, Vlmam quoque depopulatur, cuncta cæde, incendiis complet. Moritur tum Conradus, qui & Chuno, Reginoburgensis Pontifex. Ciues, sacerdotes, authore Friderico procuratore mystarum, non expectato aduentu ducis, nulla eius ratione habita, citra eius consensum Henricum Comitem à

Comes à VVolffrathshausen.

VVolffrathshausen, patruum Ottonis reguli à VVolffrathshausen, Episcopum designant. Hoc vbi Henricus Boiorum rector resciuit, edita comitia irrita facturus ad Cæsarem festinat. VVolffrathusius Comes eius conatus anteuenit, consiliumque frustratur. Iuuauum properè se confert, à Conrado archimysta ritu solenni inauguratur. Angilofridum antistitem Diui Haimerani abdicat, monachos deuouet, hisque à capite ieiunij ad septimum Calendas Augusti sacris interdictum fuit. Censum à Paschale impositum reddere detrectabant. Episcopus igitur iussu Innocentij secundi, Pontificis maximi vi templum occupat, calices aureos cõminuit, bullas, diplomata, priuilegia comburit, plumbea monumenta reperta in sepulchro Berchtoldi præsulis liquefacit, fanum compilat. Dux prædia, vicos Episcopi deuastat, Stauff Danubianã arcẽ de improuiso inuadit, expugnat, præsidio-

que

que firmat. Quam rursus Episcopus obsidet, fameque obsessis, annona deficiente expugnare conatur. Dux vi obsidionem Episcopum soluere cogit, commeatum in arcem deportat. Inde superiorem Boiariam petit, quam cum paucis peragrat. Otto nepos ex fratre Episcopi, de improuiso de Wolffratshusio erumpit, hostili animo ad ducem adfectat viam, quippe eius equum agnoscebat. Quidam comitum rectoris Boiorum equo suo hunc imponit, ipse equum eius insedit, atque terga vertit, Otto hunc Henricum esse ratus, insequitur, deprehensumque multis vulneribus confossum trucidat. Interea Henricus elabitur, comparatis copiis agrum Wolffrathusianum Februario deuastat, intra, extra alpes Penninas cuncta depopulatur. Homerasium castellum obsidet, expugnat, igne concremat. A Wolffrathusio, quòd ieiunium Quadragesimæ solenne imminebat, abstinet, accito in commilitium fratre Welphone, Reginoburgium petit, præsidium à Stauff deducit, arcem incendit. Inde in Sueuiam se confert, fratri Welphoni Vtham filiam Godofridi ditissimi reguli à Kalb, paternis opibus instructam, dat in matrimonium Albertus patruelis Godofridi ratus sibi partem hæreditatis præreptam, arcem Kalb dolo capit, præsidioq; firmat. Deinde copias Welphonis apud Sindlfing noctu de improuiso adoritur, partim capit, partim in fugã conijcit, equis, armis, reb. potitur. Vicum succendit, prædam omnem in arcem suam Wirtenberg deportat. Henricus & Welpho absque cunctatione castello castra admouent, balista saxa in mœnia iaculantur, ariete muros diffindunt. Albertus opem Friderici, & Conradi, Ducum Sueuiæ atque Franciæ implorat. Dumque hi obsessis suppetias ferre festinant, Henricus & Welpho, qui oppugnationem non intermittebant, arce Wirtenberg potiuntur. Præda omni recepta, cunctis qui intus erant in vincula coniectis, atque captiuis abductis, castellum comburunt. Inter hæc Conradus Dux Zaringius, auunculus coniugis Welphonis Schonburgium, quod Welphoni parebat, circumsidet. Lotharius Cæsar cum exercitu adueniens Zaringium cedere cogit, Welpho inde Leonstain, quod sub ditione superioris Alberti erat, vi expugnat, ad Kalb castra mouet. Albertus vbi se imparem Welphoni esse videt, supplex abiectis armis in castra procedit, pedibus Welphonis accidit, veniam petit. Welpho eidem non gratiam solum facit, sed etiam omnia, quæ abstulerat, reddit Pacatis rebus in Sueuia, Henricus in Boiariam post Paschalia redit, Wolffrathusio castra mouet. Henricus Episcopus Reginoburgensis ex illo oppido ortus, proceres Boiorum, atque tetrarchas erat, ambit, atque auxilium nepoti laturus, aduersus superbiam & dominationem ducis, exercitum impetrat. Nempe Lupoldus Austriacus, Fridericus Comes à Bogen, Albertus eius gentilis, & cæteri Boiorum dynastæ, excepto Ottone à Wittelspach præfecto prætorio, pro genitore nostrorum principum, ducem Boiaria deturbaturi, propter Isaram amnem proxime Wolffrathusium castra locant. Cum acies instruerentur, Otto superior, consobrinus ducis, & Friderici comitis à Bogen, socer Ottonis obsessi, apparet, copias reguli explorat, vltrò, citrò commeat, vires summi Boiorum principis aduersariis commemorat, certam cladem ostendit, terrore.nque illis incutit, fama hostilium copiarum, eas amplificando perterritat, scrupulum inijcit. Friderico à Bogen consobrino sue (nam Adoleda mater Friderici, Richardæ matris Ottonis soror erat) persuadet, vt secum in castra veniret, pedibus ducis accideret, veniam oraret, quam & impetrauit. Idem Otto à Wolffrathshausen à socero persuasus facit, se atque castellum Henrico absque conditione permittit. Ipsum præses Boiorum in exilium Rauenspurgium agit, iurare eundem, ne in Boiariam, nisi à se restitutus redeat, cogit. Posthæc Wolffratshusium vicum atque arcem, primæ Vindeliciæ ad Confluentes Isaræ atque Libusæ conditam, diripit, atque igne concremat. Verùm Iusticiam, vxorem Ottonis, filiam Ottonis, præfecti prætorio, quæ in oppido cum marito obsessa fuerat, benignè adpellat, eam cum rebus suis ad parentem abire permittit. Ita proceres Boiorum perdomiti in gratiam cum duce redeunt. Episcopus Reginoburgensis Hochoburgio præfectura, Oëno contermina, pacem à regulo Boiorum mercatur. Pacata igitur Boiaria, eodem tempore Diuus Bernardus Lotharium Cæsaré, Fridericum & Conradum nepotes & hæredes, Augustorum veteres inimicos Bambergæ conciliat: eaque ciuilis discordia decem annos Germaniam adflixit. Fridericus mortua Iuditha Boia, Hagnam de Sarpruk, neptem Alberti Episcopi Mogontini ex Friderico fratre vxorem ducit, ex qua Conradum Palatinum Rheni & Claritiam vxorem Ludouici Turogi progenuit. Dum hæc in Germania fiunt, duo Romæ de Pontificatu maximo decertant, Anacletus & Innocentius: ille fretus opibus Rogerij Siciliæ, Apuliæ, Calabriæque reguli Innocentium vrbe pellit. Isque in Germaniam ad Lotharium aufugit, ab eodem Conrado Abusino, Iuuaueli Archiepiscopo deducente Leodij reuerenter excipitur, in Germaniaque ferè duos menses commoratur, donec eum Lotharius frustra clientelam pontificalé repetens per Boiariam, Tridentinaq; iuga Romá cum paucis (Italis eius paucitaté contemnentib.) deduxit. Vbi in æde Constantina à Pontifice reduce inauguratur. Nam templũ D.Petri Anacletus tenebat. Imp. accepto cognomine Augusti in Germaniam reuertitur, Danos, Bolios, Venedos, Boiemos perdomitat, Rugij, Pomerij, Vgri muneribus immensis eius amicitiam ambiunt.

Otto.

Cõradus dux de Zaringĩ. Schonburg.

Albertus à VVelphone veniã petit.

Otto Comes Palatinus à VVittelspach.

Confluentes Isaræ atque Libusæ.

Iusticia Comit.ssa.

D.Bernard.

Iuditha. Hagna.

Anacletus & Innocentius de pontificatu decertant.

Lotharius coronatur.

Halberstat. Vide Ilanã Crantzij lib. 5. cap. 13. biunt. Nicolaus Rex Cimbrorũ cum filio Magno Alberostadij in verba Lotharij iurauit, se suosque successores perpetuò fore in potestate Romanorum Imperatorum. Dum Lotharius Innocentium Romam deducit, Cimbri omnes Cæsarianos, qui in regno illorum versabantur, vno die contrucidarunt. Sub idem tempus sexdecim contubernia monachorum, collegia mystarum in Boiaria instituta sunt. Circum patriam meam Abusinam ad Septentrionẽ Schamhaubten Gertrudis vxor Berchtoldi cũ filia Litogarda. Abberto. Orientis ora Ror Magnus filius Ruperti, nepos Babonis, cum vxore Irmogarda, & filio Al-Et finitimi horum Conradus, Hẽricus, Gebhardus mysta Reginoburgensis, fratres Germani de Raning & Rotenburg reguli, cum matre Machtylda Paring, & Diuum Magnum ad confluentes Danubij atque Regni, in aduersa Reginoburgij ripa flaminibus Aurelianis de-*Monasteria vbi sita cũ suis fundatoribus.* dicant. Ab Occiduo verò sole, & Austro consecraneis Diui Benedicti Monacho monasterium, olim ab Vgris excisum, Henricus nonus regulus Boiorum, & Dietpoldus Vocciobergensis instaurarunt. Grimoldus verò, atque Aribo, Conradus, Henricus fratres Germani, filij Thimonis, & Wilbergæ Piburgium regiam suam in templum commutant. Diuus Eberhardus, filius Henrici & Berthæ, frater Vlrici præsul eligitur, posteri horum Vom Stain auff dem Nordgevv, cognominati sunt à ciuitate Nariscorum. In Boiaria Aquilonari Hẽricus de Lechsgmund & Graispach tetrarches, Litogarda vxor, filius Volcardus Cæsaream, Otto filius Henrici, nepos Ruperti, pronepos Babonis. Comes de Rietenburg, vrbis Reginoburgensis præfectus Walderbach condunt, cæremoniis Cistercienfibus initiant. Albertus comes à Bogen, filius Hartuici & Litogardæ, vxor Heduica, liberi Albertus, Berchtoldus, Hartuicus arcem Windenberg symmystis Diui Nordberti Archiepiscopi Maidenburgensis tradunt. Eius sacris Osterhofen quoque, in inferiore Vindelicia, pulsis popularibus mystis, procurante Diuo Ottone Episcopo Bambergensi, à summo Boiorum regulo traditur. Itidem in Boiaria secunda Geroldus atque Christina coniuges Aspach prætorium suum Benedictinis tradunt. Otto de Vittelspach ortus, præfectus prætorio Boiorum, author generis principum nostrorum, cum vxore Helica Ensdorff apud Nariscos Diuo Benedicto, in Meridionali Boiaria Vnderstorff, Augustinianis mystis dedicat. In superiore Vindelicia Beiharting, Iuditha, atque eius frater Meginogothus, Aurelianis flaminibus extruunt: Romanus Episcopus Gurcensis, iussu Conradi archimystę Boiorum templum consecrat. Nam Henricus Episcopus Fruxinensis, vir admodum eruditus, rebus Imperij studebat, Conradus factionem Pontificis Maximi sectabatur. Vinariam itidẽ superioris Boiariæ præfecturam Segibotho, Adolædo coniuges, cum liberis Segibothone, atque Gertrude Aurelianis sacris addicunt. In Norico Conradus Iuuauensis Pontifex, ex Abusina patria mea oriundus, Chiminum templum olim à Thessalono secundo, regulo Boiorum, Diuo Benedicto conditum, ab Vgris ad egestatem redactum, mystis Augustinianis, itidem eiusdem cæremoniis iuxta eundem tractum proxime Reichenhal, Diui Zenonis ædem tradit. Is quoque Iuuauenses sacerdotes, symmystas, vt cultum D. Aurelij Augustini reciperent, persuasit. A quo nostro æuo, opera Matthæi Langi, eiusdem fani Archiepiscopi & flaminis Romani Pontificis omnium clarissimi, soluti sunt. Per idem tempus, annum æræ nostræ M. CXXXV. feruentissimũ fuisse, amnes siccatos esse, syluas cum montibus arsisse, fomitem, & quicquid alendo igni aptum est, in terram ingestum, mox ignem concepisse, literis proditur. Reginoburgenses tum, atq; Dux Henricus, Danubio pontem lapideum imposuere, qui vrbem, cum suburbano municipio, tum demum condito, quod Amhoff vocant, iungeret, inter mirabilia Germaniæ o-*Pontis descriptio.* pera numeratur. Quippe strues saxorum triquetræ subinde lapidibus ex fundamento cumulatæ truncis arborum & stipitum cõpage, veluti quodam nexu continentur. Fronte recta fluctus excipiunt, amnem morantur, qui retentus, acrius quàm si libero cursu mearet, illiditur. Spumabundus perstrepit, ingenti sonitu sermonem astantium obtundit. Quindecim fornices ingentes saxo quadrato structæ, viginti pedum interuallo distantes, quæ ex fundamento, vt dixi, lapidum cumulis coniecto, surgunt vtrinque, atq; concameratæ sunt, opus sustinent, supra quas lapide quadrato solum stratum, saxorum moles, corruis ferreis, harpagonibusque continentur, plumbo obduratæ, atque oblitæ. Turres in capite meditullio, & calce erectæ, pyramidum altitudinem æquant. In Italia (ad histo-*Innoc. Pont. Max. prælio vincitur.* riam redeo) Innocentius Pont. Max. cum Rogerio Siculo confligit, atq; superatur. Rogerius redacto Pontifice in potestatem, regium nomen ab eo extorquet. Imperator Lotharius comparatis copiis, per Tridẽtinam vallem in Italiam arma mouet. Henricus Boiorum legatus gener eius cum omnib. Boiariæ proceribus in gratiam redit, eosdẽ socios militiæ adsciscit, mille atq; quingentos equites auxiliares socero ducit. Propter lacũ Bena-*Lacus Benacus. Garifer.* cum, quem nũc Gardam vocant, oppida in fidẽ ab Augusto accipit. Qui citeriorẽ Italiam omnem in ditionẽ cogit. Cremonam, deinde Ticinũ, vbi Otto comes à Wolfrathshusio sagitta percussus interiit, expugnat. Æmilia atq; Bononia genero fautore ad obsequiũ redacta, inde Thaurinorũ Augustam progreditur, cuncta terrarũ, citra Apenninum montem, sub radicibus alpium, à supero ad inferum mare, imperata facere adigit. Posthæc diuisis copiis,

copiis,ipse oram sinus Hadriatici lustrat. Ancona,Spoletum, vniuersæ vrbes obedienter mandata faciunt. Inde Troiam,vsque Barium,Pediculam,maritimam vrbem (quæ antè Iapyx à filio Dædali dicta est) penetrat. Henricus Boiorũ Dux gener eius per Tusciam profectus,eam ab Imperatore in fidem accepit. Romam peruenit,Põtificem Max. secum ducit.Albam expugnat, diripit, Beneuentum capit, Capuam, Salernum imperata facere cogit,Barij cum Pont.Max.Imperatori Lothario occurrit. Inde coniunctis copiis Rogerius tota Italia pellitur. Reginaldus parto regno imponitur. Imperator in Siciliã transfretaturus,principibus Germaniæ eam militiam detrectantibus, pacata Italia tota, redire in Germaniam cogitur. Tridenti morbo correptus,in sylua,quæ est inter Oënũ Lycumque amnes,octauo Idus Decembris, anno Christi seruatoris nostri millesimo, centesimo, tricesimo septimo expirat. Corpus per Augustam Rhetiæ à genero in Saxoniam deportatur,in Lutharia humatur. Res ab eo gestæ in æs incisæ,eodẽ conduntur. Eodem anno plerique alij principes interiere: Bruno,atque Hugo Agrippinenses archimystæ,Albertus Mogontinus Pontifex,Diuus Luitpoldus Austriaci Boiorum limitis Dux, Henricus Episcopus Fruxinensis septimo Idus Octobris. Sub idem tempus Gratianus ille ius Pontificale dilaniauit atque confudit. Etenim, vti est in nostris Bibliothecis syncerũ, duas continet partes: prima acta sunt vniuersorum Conciliorum,quæ quidem recepta esse constat: altera,Constitutiones,epistolas,rescripta Maximorum Pontificum complectitur, vt quæque gesta fuere,causæ,adsessores,testes,adductis locorum,temporumque momentis, commemorantur. Hisce quoque temporibus fuisse reperio Rucelinum Britannum, magistrũ Petri Abelardi,noui Lycæi conditorem. Qui primus scientiam vocum siue dictionum instituit,nouam philosophandi viam inuenit. Eo namque authore duo Aristotelicorum, Peripateticorum genera esse cœperunt, vnum illud vetus,locuples in rebus procreandis, quod scientiam rerum sibi vendicat,quamobrem Reales vocantur: alterum nouum,quod eam distrahit. Nominales ideo nũcupati, quòd auari rerum,prodigi nominum atque notionum verborum videntur esse adsertores. In hisce duobus generibus dissidium & bellum ciuile est, illius Thomas Aquinas Italus, & Ioannes Duns Scotus: huius Wilhelmus Occomensis Anglius (cuius sepulchrum marmoreum apud nos in Boiaria Monachij in templo Franciscanorum monstratur) Marsilius Haidelbergensis Academiæ, Ioannes Buridanus Viennensis Gymnasij institutor, Gregorius Ariminensis Viennæ humatus, antesignani sunt. Alios, & tot munitos Peripateticæ familiæ philosophos, & proximos quosque à prioribus dissentientes prætereo. Aliis subinde aliæ opiniones, alia placita sunt, ita fit, vt nulli duo concinant. Acutissimus censetur, qui maximè ab aliis discreparit. Eruditionem discordia metiuntur, se inuicem iugulant, se ipsos inuicem conficiunt atque consumunt. Nunquam concordes, nisi cùm conspirarint: sunt qui armati aduersus omnes omnium reprehensiones inter se colligant, eamque pestem Grammaticæ,Theologiæque inuexere, nimirum Scholasticæ atque Vmbraticæ. Nihil potest sine suo interitu sibi esse contrarium, illa interiit, hæc nunc in se victas conuertit manus. Singulæ sectæ iudicio multarum sectarum stulticiæ conuincuntur. Veterani scientiam, vtpote æmulam naturæ, de rebus siue in rebus existere (nempe notatio naturæ, & sensus animaduersio peperit artem) ea quæ confusa sunt notione mente, cogitatione duntaxat distinguuntur: diuersa quoq; esse contendunt, sicuti est numerus, & res quæ numeratæ sunt, magnitudo, & res magna, cæcus & cæcitas, atque huiuscemodi alia. Tyronum caterua hæc quæ solum intelligentia & cogitatione separantur, idem esse censent. Nec enim aliud numerum, quàm res numeratas, cæcitatem quàm cæcum esse, ipsis placet. Hi scientiam quoque, potissimùm de dictionibus, & nusquam nisi in animi notionibus atq; rationibus esse docent. Eam enim comparari, vbi verborũ explicatio, definitiones, communes animi sententiæ, postulata, ratiocinationes adhibentur perceptis, & ad omnia, de quibus disceptatur, vbi proloquiis, pronunciatis, argumentis, quasi rerum notis, ducibus, ad probandum & concludendum vtimur. Hæc vniuersa, haud dubie, orationes, ratione conclusæ sunt, quæ ex verbis & nominib. componuntur. De Ideis quoq;, quas Cicero formas atq; species, vulgus philosophorum vniuersalia, naturas communes, communicabiles ue nuncupant, sicuti & antiquissimi philosophi digladiantur. Socrates Sophronisci, Plato Aristonis filius Athenienses, Ideas seiunctas à materia & corpore, æternas in sensis visisq; Dei, id est, mentis esse existimant. Plato enim tres Principes in arce diuinitatis collocat τὸ ἀγαθὸν πρωτομήτορα, hoc est, ipsum bonũ, omnium primum, & νοῦν siue νῦν, id est mentem, originales rerum species continentem, spiritum atque animam mundi omnibus incubantem. de qua Lucanus:

Iuppiter est quodcunq; vides, quocunq; moueris.

Et Vergilius noster:

Principio cœlum, ac terras, camposq; liquentes,
Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus,
Mens agitat molem, toto se corpore miscet.

Hisce

Lotharij Imperat. mors. Zu Lauthern im Closter.

Gratianus. Ius Pontificale quid cõtineat.

Reales. Nominales siue moderni. Thomas Aquinas. VVilhelmus Ockham. Marsilius Io. Buridanus. Gregorius Ariminensis.

Socrates. Plato.

Chaos.

Hisce Plato insuper materiam subiectam (quàm Poetæ Chaos vocant, & Ouidius in præclaro opere describit) adiunxit quæ accipiendi atque quasi patiendi vim haberet, cui imagines Idearũ imprimerentur atque insererentur. Aristoteles filius Nicomachi Stagirites primus huiuscemodi species labefactauit. Theophrastus Lesbius eius discipulus, atque in Schola successor, vehementius etiam fregit. Nam quamuis has ille relinqueret (vt ait Plutarchus) attamen neutiquam à qualitatibus, singularibusque rebus disiunxit atque separauit. Stoici à Zenone originem duxere nullam talem Ideam in natura rerum, sed notiones in animo esse dixerunt, hoc est, cõformationem insignitam & impressam intelligentiæ. Antiqui Aristotelis opinionem, recentiores Stoicorum sectantur. Isthæc noua Aristotelicorum secta à veteribus penè explosa & exibilata, à Wilhelmo Occomensi rursus excitata, aucta, atque de integro instaurata est. Hanc ob caussam à suis, Venerabilis ille incœptor vocari solet. Vicitque manus Wilhelmi, adeò vt celeberrima Athenæa, Galliarum Lutecia, Germaniæ magnæ Erdfordia, Nariscorum Angilostadium, Noricorũ Vienna, in illius verba iurarint. Extat in Rucelinum superiorem Epigramma decastichon, quod non nitoris cultúsue, sed testimonij gratia subscribo.

Stoicorum origo.

IN RVCELINVM.

Quas Ruceline doces non vult Dialectica voces,
Iamq; dolens de se non vult in vocibus esse.
Res amat, in rebus cunctis vult esse diebus:
Voce retractetur, res sit, quod voce docetur.
Plorat Aristoteles, rugas docendo seniles,
Res sibi subtractas per voces intitulatas.
Porphyriusq; gemit, quia res sibi lector ademit.
Qui res abrodit, Ruceline Boethius odit.
Non argumentu, nulloq; sophismate sentit.
Res existentes, in vocibus esse manentes.

Hæc ex Platone, Aristotele, Cicerone, Plutarcho Cheronensi, Alexandro Aphrodiseo, Diuo Hieronymo, Seuerino Boethio, Ottone Fruxinensi Episcopo excepimus: atq; quamuis hæc nihil ad historiam attineant, tamen in hæc diuertisse non fuerit alienum, propter vulgatas in Scholis assiduè quęstiones de huiuscemodi rebus. Mortuo autem (vt redeam vnde euectus sum) Imperatore Lothario, bella intestina Europam attriuere. Francia Occidentalis Ludouici regis atque Diethboldi Blesensis: Anglia Machtylde Augustæ, filiæ Henrici regis Angliorum, & Stephani huius nepotis ex sorore, domestica seditione afflictæ sunt. De regno quoque Vgrorum Stephano rege mortuo, Bela cæcus filius Almi, & Borithius frater Stephani, filius Colomanni regis, armis contendunt. Borithius ducem Boloniæ in auxilium exciuit. At Bela Alberto Austriaco, marito sororis suæ, filio Diui Luitpoldi ad se recepto, obuiam Borithio processit. Is vbi ex sermonis sono Teutonas aduersus se venisse accepit, cum duce Boloniæ, amissis multis in fuga, terga vertit. Albertus paucis pòst diebus moritur. Inter hæc Principes Germaniarum ad Quinquagenales ferias comitia Cæsarea Mogontiacum indicunt. Henricus Boiorum regulus, gener Imperat. Lotharij Imperium affectat, insignia Imperij retinet: nam socer in eius ducatu obierat. Primores Imperij infensi Henrico, quòd eius potentia formidolosa erat, Comitia Cæsarea Mogontiacum indicta anteueniunt. In media Quadragesima (ieiunium solenne est Christianis, quod dies quadraginta ante Paschalia seruant) apud Confluentes Rheni atque Mosellæ frequentes coeunt, Conradum nepotem Augustorum, Franciæ ducem, Cæsarem consalutant, confestimque ad Aquas Graneas deducunt, vbi eundem Theodouinus Legatus Romanus inungit. Henricus & Boiorum & Saxonum regulus summa ope restitit, interpellat, refragatur, obnunciat, Comitia facta aduersus auspicia, leges, contra intercessiones, atque morem maiorum, pro irritis habere conatur, imperata, mandataq; detrectat, sacra Cæsarea reddere noluit. Hanc ob rem Boiis, & Saxonibus, & ipsi Bambergam ad quinquagenalia dies dicitur. Richissa Augusta atque Saxones apparent, se in potestate noui principis futuros pollicentur. Conradus, vbi Henricus cum Boiis præsto non fuit, ad tertium diem Kalendarum Iuliarum Reginoburgium ad conuentus agendos petit. Ottonem fratrem suum filium D. Luitpoldi Historiographum, Fruxinensem designat Episcopum. Henricus ibi quidem præstò fuit, atque imperialia signa reddidit: verùm à conspectu Cæsaris prohibitus est. Conradi Abulini Archiepiscopi Boiorum opera Augustæ in Rhetia aliud cogitur concilium. Eò Henricus cum amicis, atque magna Equitum vi venit, castra ante mœnia vrbis fecit. Cæsar in vrbe erat, frustrà vltrò citrò, conciliandæ pacis gratia amici commearunt. Conradus Ethruriam, oppida Italiæ, atque Noreiobergam, quæ Imperator Lotharius genero tradiderat, postulat. Dux Boiorum accepta à rerum domino, hactenusque bona fide possessa reddere noluit. Cæsar posteaquam cœnauit, abire se cubitum simulat, at cum paucis, nemine salutato, noctu vrbe egreditur,

Bela vi x Vngaria.

Henricus Boiorũ Rex imperium Lotharij affectat.

Concilium Augustæ.

dicur, Wirtzeburgium in Franciam se confert, ibi frequenti senatu Hainricus fit reus, atque læsæ maiestatis cōdemnatur. Et post hæc in Saxonia Goslariç ab administratione vtriusq; ducatus sententia Principum submouetur, edictoq; proscribitur. Saxoniam Conradus in fidem Alberto committit. Inde Noreiobergam, vbi insignia Imperij erant, obsidet, atque ad deditionem cogit. Tabulæ proscriptionis vbi in Boiariam delatæ sunt, nouus princeps, haud dubiè potentissimus, parque regibus, qui à mari inferno supernoq; ad oceanum Germanicum, sinumque Codanum longè lateq; dominabatur, leui momento perculsus, omnibus ab eo breui deficientibus, quatuor duntaxat comitibus profugus in Saxoniam elabitur, animiq; ægritudine inualescente decubuit, Gertrudin vxorem, infantem Hainricum, calamitatem ac statum suum deplorádo Saxonibus collachrymantibus cōmendat, eodemq; anno nempe à Christo nato millesimo centesimo vndequadragesimo, exul animam efflat, in mausoleo soceri sui conditur, potestatis anno quartodecimo.

Hainricus dux Boiorū proscribitur.

Hainrici mors, 1139.

Tum Luitpoldus filius D. Luitpoldi à Conrado Cæsare fratre suo Boiis Reginoburgij imponitur. In eius verba quidam sponte, pars metu coacti iurant. Primi Reginoburgenses mandata atque deditionem faciunt. Deinde nouus princeps, vti mos est, copias cogit, vniuersos Boiariæ fines vsque ad Lycum perlustrat, negocia cognoscit, ius dicit, totam Boiariam pacare contendit, iusiurandum exigit, ad Lycum castra facit. Solùm Otto atque Conradus comites de Valai rebellionem faciunt. Luitpoldus aduersus eos castra mouet, Valaiam arcem superioris Vindeliciæ, quam amnis Mangualt è lacu Tigurino effusus ambit, obsidione claudit, nunc Ahamsstain dicitur.

Otto & Conradus comites de Valai.

Welpho frater Hainrici reguli, Boiorum atque Saxoniæ, Boiariæ ducatum hæreditario iure ad se post fata fratris rediisse causatus, arma corripit, obsessis suppetias fert. Subitò Idibus Augusti Luitpoldum adgreditur, occiso sagitta Alberto Comite à Bogen, & Hainrico Comite de Raning cæso, aliis plerisque occisis, multis captis, illum in fugam vertit, obsidioneq; castellum liberat. Deinde Cæsarem lacessere ausus Weinspergum eius oppidum inuadit. Verùm à Cæsarianis fortiter exceptus, plerisque suorum cæsis, multis amissis, cum paucis vix euasit. Porrò Luitpoldus dimisso exercitu, Reginoburgium se confert. Dumque prætorio fungitur officio, excitato tumultu, ob Ottonis præfecti prætorio licentiam, à ciuibus alioqui Welphonis rebus studentibus, inuaditur. Irruente vndiq; populo, mox arma corripit, quasdam regiones vrbis incendit, ita incolumis cum suis extra mœnia, ciuibus tam armorum, quàm flammæ terrore sine ordine errantibus, euadit. Vastatis circà agris, discedit, collectoque exercitu proximè Reginoburgium castra locat. Reginoburgenses paucorum perfidiam, qui Welphoni fauerent, excusant, pacem emunt, auro arbitro, rursus deditionem faciunt.

Reginoburgenses pacē emunt.

Post hæc Luitpoldus cladem acceptam correcturus, arma in fines Lycatiorum promouet, aduersarios vbique expugnat. Perdomitis inimicis, ad officiumque compulsis, per Fruxinensem agrum Reginoburgium (vbi tum sedes atq; prætorium regulorum Boiariæ erat, sicuti adhuc ostenditur & nominatur) reuertitur: Vbi compositis rebus, morbo correptus orientalem Boiariam, mutato valetudinis ergò cœlo, petere parat. Cùm ad Alraichium inferius peruenisset, absque liberis decedit, duodecimo Cal. Nouembris, Anno æræ Christianæ millesimo centesimo quadragesimo primo. Corpus inde ad ædem Cistertiensem viginti millia passuum à Vienna Noricorum, quam parens sacrosanctæ Cruci dicarat, transfertur. Tres duntaxat annos potitus est Boiaria.

Luitpoldus mor. inr. 1141.

Conradus Cæsar posteaquam de Luitpoldi morte certior factus est, Boiariam intrat, Reginoburgij in celebri conuentu, Hainricum Austriacum Luitpoldi germanum, suum verò vterinum fratrem, summum Boiorum ducem adpellat. Deinde Saxoniam petit, Saxones clementia atque beneficiis sibi conciliat. Gertrudim filiam Imperatoris Lotharij, quæ Hainrico nono regulo Boiorum nupta fuerat, Hainrico decimo, Austria oriundo dat in matrimonium, illa altero anno absque liberis obiit. Austriam (quoniam eius tempus admonuit) esse partem Norici atque Germaniæ magnæ, ad vtramque Danubij ripam antea Hunniam, eandem & Auariam vocatam, demum pulsis Hunnis, excisisque Auaribus, à Carolo Magno Colonias deductas esse, à quibus Osterricha atque Osterlandia (id est, regnum atque terra orientalis, dicta sit, vnde Austriæ vocabulū, idem valens Romana incude formatur) præfectos à summis Boiorum Principibus datos esse, Austriamq; beneficium regum, Imperatorum, ducum Boiariæ fuisse, suprà abundè docuimus. Diplomata quoque Imperatoris Friderici primi, & aliorum Imperatorum fidem faciunt. Geroldus à Carolo Magno datus, primus eius limitis dux fuit, ab Hunnis occisus est. Excipiunt hunc Geroldus secundus, item Vuilhelmus & Engelscalcus fratres, qui sub Imperatore Ludouico Pio, eius filio Ludouico illustri, & nepotibus Ludouico & Carolomanno regibus Boiorum eandem portionem Boiarici regni administrarunt. Imperator Carolus tertius, deinde Aribonem: Imperator Arnulphus, filius eius Ludouicus, Boiariæ reges, Angilodiconem, qui filiam Arnulphi Augusti rapuit, & Luitpoldum, progenitorem Principum nostrorum eidem regioni præfecere. Hic prælio Vngarico propter Pisonium occidit. Post hos Rogerium atq; Tetricum, quorum Metellus Tigurinus in Lyricis meminit, Vgris oppositos reperio, cùm summum principatum Boiorum obtinerent Arnulphus & Berchtoldus fratres, filij Luitpoldi superioris.

Hainricus primus regulus Boiorum, diuo Rathoni Damasio: secundus Burckhardo in tutelam Austriam commisit, sicuti in Imperatoris Ottonis secundi diplomatibus legi. His succedit Luitpoldus secundus, filius Eberhardi, nepos Arnulphi reguli Boiorum, pronepos Luitpoldi primi. Huic filium Hainricum (sub quo diuus Colomannus necatus est) & nepotem Albertum, pronepotes Luitpoldum & Ernestum adsignant. Ab hoc bello Saxonico occisi sunt Luitpoldus quartus auus, diuus Luitpoldus quintus, parens Luitpoldi atque Hainrici regulorum Boiariæ vniuersæ, quos nunc narro. Crebra portenta hac tempestate in cœlo visa, armorumque ciuilium strepitus insonuit. Falsi Prophetæ ficticiis miraculis populo imposuere, Iudæos trucidare conati sunt. Diuus Bernhardus eosdem seruauit, ab ipsis manus abstinendum esse cœlesti oraculo admonuit, ne scilicet Deum mendacij arguamus, qui se reliquias eorum seruaturū pollicetur. Carnibus pluit, cometæ & cœlū arsit: lupus triginta homines deuorauit. In Asia Græci, Armenij, Turcæ tumultuati sunt. Edessa secundum Stephanum atque Ptolomæum, primaria vrbs Mesopotamiæ citra Carras, Romani exercitus, Crassique cæde nobilis, atque Abraamo authore insignes, nostris ablata est, Christiani omnes cum episcopo contrucidati sunt. Ibidem diuum Thomam sepultum quidam tradunt. At Sophronius, diui Hieronymi discipulus, Calaminæ, quæ sit vrbs Indiæ, conditum refert. In Gallia Diethboldus dynasta & Ludouicus rex, armis disceptant. In Italia Rom. populus contra Pont. Max. conspirat, consilium viribus parat, senatorum ordinem instaurat, patres legit. Iordanum filium Petri Leontis dictatorem dicit. Pont. Romanum more maiorum, omissis rerum prophanorum turbellis, Reipublicæ solicitudine repudiata, Christum æmulari, Euangelio operam dare, decimis contentum esse iubet. Episcopus vrbe Viterbium cedit. Arnoldus tum Brixia oppido Italiæ ortus, sacras literas professus, discipulus Petri Abelardi, in auaritiam fastumque sacerdotum pro concione crebrò perorauit, tandem captus, in crucemque à sacrificulis actus, pœnas temerarij cœpti luit. Veronenses & Patauini, Veneti & Rauennates, Vicentini & Senenses, Mediolanenses & Ticinenses, cæteræque ciuitates domesticis armis inuicem se adterunt. Neque Germania quieta fuit. In Bolonia tres fratres de principatu contendunt. Geizo filius Belæ cæci rex Vgrorum, cum Borithio filio Colomanni regis, fratre Stephani secundi ferro decertat. Boiaria quoque incendiis & cæde crudeliter adflicta est. In Stiria quoque in solitudinem penè redacta, Boij, Sclaui, Vgri debacchati sunt. Conradus Abusinus archiepiscopus Salisburgensis cum Chunone Reginoburgensi, Eckberto Monasteriensi, Hippolyto Gurtzensi aduersus Vgros proficiscitur. Petanionem, Richoburgium, Hunnoburgium munit, legatos ad Vgros Bregetionem, quæ & Grana & Strigonium, mittit, ope Feliciani vrbis archiepiscopi cum Vgris pacem facit. Fridericus quoque adolescens, qui postea rerum potitus, bellum Hainrico comiti à Wolffratshausen indicit, de improuiso in Boiariam cum equitatu contendit. Boiorum proceres, militari tyrocinio Wolffratshusij intentos, inuadit, in arcem cogit: Conradum comitem à Dachau, qui postea Croatiæ, Dalmatiæ regulus appellatus est, captiuum abducit, liberumque rursus dimittit. Cæsar conuentum Principum Imperij in Boiaria Reginoburgij agit, cum Manuele Imperatore Constantinopolitano, qui eò legatos miserat, de veteri more societatem init. Eidem in vxorem dat Bertham sororem Gertrudis coniugis suæ, filiam Gebhardi comitis à Sultzbach & Boiorum dynastæ. Embricho Vvirtzburgensis episcopus sponsam auro onustam in Græciam deduxit. Nuptiis celebratis reuertitur. Illa à Græcis Irena, hoc est Teutonicè Frideruna, dicta est, quod Romanè pacem valet. Eandem post mortem mariti in Germaniam rediisse, in castello apud Nariscos sepultam esse, sunt qui tradant. Borithius quoque Reginoburgij à Labeslao regulo Boiemorum, ad quem confugerat, ad Cæsarem deducitur, cuius opem implorat aduersus Daciæ Pannoniæque regem. Rogerius Siculus, cui formidolosa erat potentia Conradi, metuebat, ne itidem ab illo vt à Lothario acciperetur, suspectum habebat fœdus, quod princeps Romanus cum Orientis rectore inierat. Vt autem ille in Germania armis detineretur, Vvelphonem pondo auri quingentis sibi conciliat, quotannis tantundem pollicetur, si auitum, paternumque Boiariæ ducatum à Conrado armis repetat. Geizo quoque rex Vgrorum accitum in Vngariam Vvelphonem auro explet, stipendia annua, copias, arma vltrò promittit, speique plenum in Boiariam redire, vt Conradum bello lacesseret, ad sua tutanda domi retineret, ab alienis impetendis abstinere cogeret, mandat. Mandata gnauiter Vvelpho exequi pergit (nam sacerdotes, episcopi eius rebus studebant) contractis copiis Boiariam ingreditur. Sub conspectu Cæsaris atque Hainrici decimi reguli Boiorum, qui dimisso exercitu Reginoburgij ciuilibus rebus vacabant, cæde, incendiis cuncta complet, incolumisque domum repetit. Decimus copias cogit, fautores Vvelphonis adterit, prædia sacerdotum, opes diripit, castella, vicos, agros vastat. Fruxinensis vrbis muros, munimentaque destruit, quippe ciues ac mystæ, vti rumor erat, Vvelphoniani erant. Deinde episcopum Reginoburgensem itidem mulctat, Odagrium Stirium amitinum Vvelphonis perdomitat. Vvelpho collecto exercitu, cum Hainrico confligere statuit. Verùm vbi Conradum Cæsarem cum auxiliari manu Hainrico suppetias laturum, aduen-

Hic Hainricus huius nominis primus & marchio 2. Austriæ ab aliis dicitur.

Arnoldus Brixinensis in sacerdotes inuectus suspenditur.

Vicentini & Senenses nunquam inuicem pugnauunt: error est.

Boiaria afflicta.

Irena.

Vvelpho Boiariam ingreditur.

àduentare per exploratores cognouit, ratus potestatem maiorem temerè lacessendam non esse, fortunæ cedit. Cæsar, & Boiorum procurator coniunctis viribus Dachunum, superioris Boiariæ arcem vicumque obsidione cingunt: Conradum ducem Dalmatiæ atque Meraniæ, qui solus partium Welphonis adhuc erat, vastatis circum circa omnibus ad deditionem cogunt, arcem exurunt. Vvelpho impar viribus in tutis delitescit locis, modò in Boiaria, modò Sueuia, nunc ad Rhenum, nunc Danubium eruptione facta. Cæsarem lacessit, in Germaniaque ad sua tutanda detinet. At Hainricus Boiorum regulus Vngariæ fines intrat, depopulatur, bis propter Litham flumen cum Geyzone rege conseruit certamen. Rathboldus dux copiarum eius Posonium de improuiso adgressus, quibusdam Vgrorum captis, nonnullis occisis, aliis fuga elapsis, capit. Geyzo Posonium obsidet cum Vgris, cuius iussu id teneant, Boios rogat, an Cæsaris, an Hainrici Boiorum reguli, sciscitatur. Illi neutri, sed Borichio se militare aiunt. Pacti ergo deinceps tria millia librarum, oppidum reddunt: Geyzo ratus id factum dolo ducis Boiorum, coacta maiori manu, auxiliaribus quoque copiis contractis, Litham transit, orientalis Boiariæ fines inuadit, propter Litham castra facit. Hainricus Boius rector, qui ad Phiscum amnem consederat, obuiam Vgris terram vastantibus procedit, hostibus irruentibus fortiter resistit, auxilium primùm, deinde Vgrorum principia perrumpit, in fugamque vertit. Iam res ad triarios redierat. Rex Vgrus, Bela auunculus eius ex subsidiis prodeunt, integri fessos adoriuntur, victoribus triumphum excutiunt, Boios magna clade adficiunt, septem millia occisa referuntur. Ratholdus & Otto proceres capti sunt, reliqui cum duce terga vertunt, Fauiumque semidirutum tum oppidum, quam nunc Viennam vocamus, fugam intendunt. Hisce diebus crebris legationibus Græci, Syri, Cæsaris, orientalium occidentaliumq; Francorum opem implorant, statum Reipublicæ Asiaticæ deplorant, perituram ibidem esse religionem, nisi maturè suppetiæ ferantur, denunciant. Diuus Bernhardus cum mandatis Eugenij pontificis maximi in Germaniam proficiscitur, Calendis Februarij Francofordiæ res Germanicas pacat, Vvelphonem Cæsari reconciliat. Inde expeditio Asiatica vna omnium Principum sententia ad futuram æstatem decernitur. In Boiaria tum hæ ædes sacræ dedicantur. Hainricus dux Boius, Otto frater eius episcopus Fruxinensis in superiore Boiaria quatuor templa sacrarunt, de integro ædificant, extra mœnia Fruxinensis oppidi, præmonstratis Neostephotam, Silurnum, Schlechdorff, Scaphulariam olim ante annos amplius trecentos conditam, sub Thessalono tertio diui Benedicti sacris initiatam, ab Vgris euersam, reficiunt: mystis popularibus Augustinianis, Nordobertinis dicant. Diebus his quoque Vvelpho apud Lycatios Staingaden construit, vbi eius Mausoleum ostenditur. In inferiore Boiaria Allerspach in valle Vilsina, Cistercensibus monachis continente diuo Bernhardo. Haud inde procul propter Danubium Osterhofen, diui Ottonis opera, Nordberti sacris, submotis vtroque popularibus mystis, initiantur. In Norico quoque in agro Burghusiano Rotenhaslach, quod Iuuauus alluit, ab Vvolframo & Hemma coniugibus, filiis eorum Vvolframo, atque Hainrico de Tegernvvang, diui Bernhardi consecraneis conditur, ab Conrado Abusino archiepiscopo Iuuauensi consecratur, Gerion Augius magister designatur. Hybernia insula est, quæ vltra Britanniam in Oceano Septentrionali cubat, cuius Plinius, Ptolomæus mentionem faciunt, Rheba caput gentis fuit. Cautorum, Mænapiorum, Brigantium ibi nationes considere, refert Ptolomæus, Romana prouincia fuit. Mansuetus eò à diuo Petro missus, religionem Christi illis tradidit. Is quoque Illyricos, Cisalpinam Galliam, Belgas Christo subegit, Tulli Leucorum vrbe sepultus est. Vt verò Ruffinus narrat Bachutius, rex gentis, Palæstini limitis dux; sub Imperatore Constantino maximo eosdem philosophia Christiana imbuit. Ea, de qua dico, Hybernia apud maiores nostros fœcunda religiosissimorum, doctissimorumque vatum fuit. Inde Columbanus, Chilianus & plerique alij in Germaniam migrarunt, Scotos nunc nuncupant. Diuus hinc Marianus cum sex condiscipulis Reginoburgium deuenit, in templo extra mœnia vrbis habitauit. Magnus eò gentilium eius numerus beneficentia Boiorum prouocati breui confluxere, intra mœnia, vt dixi, templum amplissimum bonorum ope extruunt. Vbi difficilioris religionis obsequio, castimoniarum abstinentia satis arduæ, scribendo, docendo, maximam sibi gloriam conquirunt. spectatum satis magnum exemplum pietatis, non solùm Boiis, sed & finitimis erant. Omnibus placebant, vno ore omnes omnia bona de ipsis dicebant, famaque hac impulsus Hainricus dux Boiorum Fauium veterem Romanorum Coloniam, quam nunc Viennam vocant, instaurat, Scotis templum dicat. Sanctinum cum quatuor & viginti sociis Reginoburgio Viennam emigrare iubet. Vvaldobrunus de Rauchshouen Aichstadij suburbanum templum, rotundumque extruit, Gerardo cum condiscipulis Reginoburgio euocato tradit. Emericus quoque Vvirtzeburgensis episcopus Macarium adprimè doctum, abstemiumque è Boiaria accersit, eidem atque conphilosophis templum in vrbe condit. Gregorius & Carus primarius D. Petri Reginoburgensis antistes, Conrado Cæsari, Gertrudi vxori eius à sacris fuere, ab hisque Norenbergæ templum D. Egidij accepere. Vbi post eos Declanus sacrificulus

Superioris Boiariæ arx.

Pischiub amnis.

Monasteria ædificata.

Vvolframus & Hemma.

Vienna instauratur.

Emericus Vvirtzburgensis episc. Gregorius & Carus.

Imperatoris Friderici primi à fundamento Scotis, popularibus suis monasterium extruxit. Nostro æuo ob inscitiam atque scelera vbique pulsi sunt, Reginoburgij vix subsistunt. Sub idem tempus Conradus Abusinus archimysta Boiorum ex hac vita migrat. Succedit diuus Eberhardus, antistes Piburgensis, ad secundum à patria mea lapidem, ortus ex clarissimis de Hipolstain Principibus. Iisdem diebus Conradus Cæsar, Ludouicus occidentalium Francorum rector, Asiaticam expeditionem exequi statuunt, per Boiariam, Vngariam, Mæsiam primò, Conradus, Hainricus regulus Boiorum, Fridericus dux Sueuus, qui pòst imperauit, Welpho tetrarches Lycatiorum, Hainricus pontifex Reginoburgensis, Boleslaus Boiemorum regulus. Post hos eadem via Ludouicus Franciæ rex, Lotharingij, Stephanus Mediomatricum, Hainricus Leucorum episcopus, Otto Fruxinensis pontifex frater Cæsaris & Hainrici Boiorum reguli. Bernhardus frater Hainrici, & Engelbertus Charionum dynasta, Odagrius Stirius Bizantium peruenere, septuagies centena millia fuisse in literas relatum est, quæ nullo memorabili facinore edito, ad internecionem penè deleta sunt, fraude Græcorum, qui gypsum farinæ miscuerè, crebris incursationibus hostium, siti, inedia, fame, pestilentia, aquarum eluuie, intestina discordia afflicta. Quanquam vaticinia ex libris Sibyllinis vsque repetita, orbis Imperium vniuersi, Herculis atq; Cyri ritu pollicerentur regi Galliarum. Quæ nationes (sicuti est apud illustres scriptores, & nos nostro æuo cernimus) gentilicia superstitione leuissimæ sunt, & Imperij auidissimæ, facileque ea, more humano, quæ volunt, credunt. Longè tamen aliter euenit, peregrinique Dei (ita vocabant) spiritus ille Germanis ac Gallis imposuit, equorum carnes, pelles ouium consas coxere, cadaueribus aduersus frigus, & sagittas hostium vsi sunt. Octo grana fabæ nummo argenteo, panis quo vnus pascebatur homo, centum quadraginta venibat. Lycaonia apud Romanos tetrarchia fuit Cappadociæ, in Asiaticam tamen iurisdictionem versa in ea Iconium, qua parte Galatiæ contermina est, ciuitatibus quatuordecim quondam celeberrimum, vbi diuus Paulus & Barnabas aliquot dies commorati, religionis nostræ mysteria Iudæis, atque falsorum deorum cultoribus interpretati sunt, tandem discessere, cùm hostes religionis concitato tumultu eos lapidibus obruere conarentur. Est & Ciliciæ Iconium, illud prætorium Turcarum Rectoris tum fuit. Quod Conradus per Asiam minorem, ducentibus Græcis frustra petit. hostes facultatem pugnandi non dabant, à fronte, à tergo, dextra læuaque. diu, noctu nostros incursationibus fatigabant. Conradus alioqui tot malis, quæ commemorauimus, oppressus; omnibus ferè amissis, ingens spacium, scilicet totam Asiam minorem remensus, cum paucis Byzantium, qua venerat, rediit, ibique hyemat. Fridericus Reginoburgensium mystarum curator obiit, Hierosolymis sepelitur. Welpho morbo correptus, desperata salute domum redit, nauibus mari ad occidentem vehitur, in Sicilia appulit, à Rogerio honorificè excipitur: Donatus amplissimis muneribus, & vt Conrado bellum inferret, coëmptus, in Boiariam reuertit. Ludouico regi Franco, dolo atque vi vxor ablata est. Bernhardus Charionum dynasta occubuit. Otto Fruxinensis episcopus nudis pedibus, scissis tunicis, omnibus rebus amissis, vix euasit. Cæsar primo vere in Palæstinam, quo & Ludouicus venerat, nauigat, eam omnino vacuam bello reperit. Ne tanti conatus frustra forent, Damascum caput Syriæ placuit obsidere. Cæsar pomerium ciuitatis irrumpit, proximè mœnia castra facit. Hierosolymitani accepto ingenti auri pondere, cum obsessis pacem ineunt, in sententiam clanculum Franco rege tracto, obsidionem insalutato Cæsare soluunt, eundem solum in castris relinquunt. Qui vbi secum dolis actum videt, Constantinopolim redit, Theodoram neptem Manuelis Imperatoris ex fratre Isacio, Hainrico regulo Boiorum dat in matrimonium, nuptiisq; confectis, nauibus ad occidentem mari vehitur. In Histria Polæ, quæ tum imperio & tetrarchis Damasia oriundis parebat, adplicat. Inde Aquileiam petit, Iuuauiæ (quæ metropolis, vt ait Otto, est Boiariæ) Quinquagenalia celebrat. Dein Reginoburgij conuentus agit. Vixque Germaniam attigerat, Vvelpho quòd induciæ exierant, Flochberg Conradi castellum obsidet, atque oppugnat. Cæsariani eius copias inuadunt, & in fugam vertunt. Vvelpho plurimis sociorum captis, fuga sibi consuluit. Tandem Fridericus Sueuiæ dux, Cæsaris ex fratre, Vvelphonis ex sorore nepos, auunculum patruo reconciliat. Cæsar omnes captiuos reddit Vvelphoni: Merdingam vicum (quem postea Imperator Heinricus sextus episcopo Bathauensi reddidit) alia prædia stipendiaria tribuit. Deinde Ottonem de Vvittelspach cum vxore & liberis (quod prædia sacerdotum, à quibus curatione templorum motus erat, diriperet) apud Kelhaim (ciuitas & regia est inferioris Boiariæ, prima ad confluentes Danubij & Alemani sita) circumsidet, ad deditionem cogit: Ottonem filium maximum natu obsidem dare, tutela sacratum ædium se abdicare cogit. In paucis pòst diebus Bambergæ Italicam expeditionem parans moritur X V. Kal. Martij, ab orbe seruato Anno M. C. L I I. Quo anno Reginoburgium cum sex templis conflagrauit, duodeuicesimo Kalendas Maij. Imperator Fridericus primus tum patruo successit. Hainricus Leon, filius Hainrici Superbi, iam pubertatem attigerat, ad Imperatorem amitinum suum se confert, eius fidem, leges implorat, per vinculum sanguinis, per æquitatem

Expeditio in Syriam.

Gallorum leuitas notatur.

Lycaonia.

Ludouicus rex Francus amittit vxorem.

Comites à Diessen domini Histriæ

Merding.

Conradus Rom. Imp. moritur. 1152.

Fridericus I. Rom. Imp.

tatem obrestatur, Boiariæ principatum patri, se puero, iniustè præreptum, repetit, ius sibi reddi postulat. Vitricum suum Henricum decimum in ius trahit, sententiæ Imperatoris amitini sui, decreto principum se staturum promittit. Itaque duo Hainrici, decimus atque vndecimus, vitricus atque priuignus de summo ducatu Boiorum disceptant, ille patruus, alter amitinus Cæsaris erat. Qui maximam operam nauat, quo illos in gratiam redigeret, hancque controuersiam componeret, ne eorum discordia Reipublicæ, sibi Italicam expeditionem meditanti officeret. Reginoburgium igitur petit. Vgrorum regi bellum indicit. Verùm principibus Imperij muneribus à Geyzone corruptis, & promissis inescatis, hoc bellum abrogantibus legatos Apuliæ, opem aduersus Rogerium petentes audit atque absoluit. Heinricus vtrisque Wirtzeburgum diem dicit, alteri Boiariam reddendam, alteri nomen tamen ducis retinendum censet. Interim inducias inter eos, dum Roma redeat, facit. Posthæc Romam transitum facit ab Hadriano quarto pontifice in templo diui Petri, inuitis Romanis inauguratur, iussuque Dei regnare declaratur. Vvelphoni auunculo suo Spoletum, Ethruriam atque Sardiniam, quicquid Mathylda vxor patrui eius possedit, quod nunc patrimonium diui Petri vocitant, in fidem atque tutelam committit. Itqueciuitates, vicos, oppida adit, proceres obsides dare, sacramenta sibi dicere iubet. Vniuersi mandata obedienter faciunt, honorariis principem suum excipiunt. Cæterùm Fridericus Imperator atque Cæsar appellatus, in Apuliam aduersus Rogerium Siculum arma mouere appetebat. Sed principibus hancce militiam detrectantibus, ex Italia in Germaniam, atq; Boiariam ad componendam de eo ducatu controuersiam, proficiscitur. Vbi ad Athesim claustraque, vt adpellant, Veronensia peruenit, Veronæ quidam ciues fauces armati insederant, firmo præsidio tenebant, transitum Augusto intercludebant. Eius iussu Otto de Vvitelspach Boiaria ortus (vnde paternam originem reguli nostri trahunt) signifer cum ducentis militibus atque Aquila non sine magna difficultate, aduersa parte rupem conscendit, ad claustra peruenit, his potitur, quingentos qui intus erant, capit, in crucemque agit. Cæsar deinde per Tridentinos fines, Pisonium (quæ est vrbs, vt ait Otto noster in confinio Italiæ atque Boiariæ) petit, postea vlteriora Boiariæ, Vindeliciamque percurrit. Apud Kelhaim prope Danubium atque Alemanum amnes, in arce Ottonis signiferi sui Quinquagenalia perpetrat. Reginoburgij in conuentu celebri Hainricos de ducatu Boiorum disceptantes audit, caussamque diligenter cognoscit. Interfuere cum aliis compluribus, proceres, dynastæ, tetrarchæ, episcopi Boiorum, Nariscorum, Vindelicorum, Noricorum, quos nominatim ex diplomate Imperatoris recenseo. Eberhardus Bambergensis, Conradus Aichstetensis, Conradus Bathauinus, Hartuicus Reginoburgensis, Otto episcopus Fruxinensis, Piligrinus patriarcha Aquileiæ, Eberhardus archimysta Boiorum, Hartmannus Brixinensis, Albertus Tridentinus pontifex. Item hi Boiorum tetrarchæ & dynastæ: Vvelpho Hetruriæ atque Spoleti, Sardiniæque & Lycatiorum in Boiaria regulus, Engelbertus Histriæ atque Carnoburgij Marchio. Odagrius Stiriæ, Berchtoldus Damasiæ princeps, Hainricus dux Charionum, Diethboldus Vogburgensis, Chamaborum præfectus. Otto de Vvitelspach præfectus prætorio Boiariæ, cum fratre Friderico. Engelbertus Halliorum dynasta, Gebhardus comes de Sultzbach. Gebhardus Burckhusianus, Fridericus filius regis Conradi, Conradus frater Imperatoris, Hermannus Palatinus à Rheno. Lisque inter Henricum decimum, atque Henricum vndecimum, vitricum atque priuignum, consilio illorum hoc pacto composita est. Vitricus Boiariæ ducatu, priuignus Austria (cuius limitis præfectos beneficiarios Ducum Boiariæ fuisse constat, & Imperator Fridericus in diplomate refert) vterque iuri suo perpetuò cedit. Decimus septem signis summum Boiariæ ducatum, vndecimus verò Austriam, tresque præfecturas tribus vexillis Augusto reddit. Deinde sententia superiorum Principum ea portiuncula Norici atque Boiariæ, quæ ab ostiis Oeni, ad ostia Anasi, Orientis ad oram, cum Danubio sexaginta millia passuum extenditur: totidem verò lapides inde rectà ad Taurum montem, Matichæ amnis fontes pertinet, & supra Anassum regio cognominari solet, diuulsa occidentali Boiaria, orientali coniungitur: Boiariaque in duos ducatus diuisa, sub duobus legatis Cæsaris constituta est, alter Austriacus, hoc est, orientalis: alter occidentalis simpliciter, Boiarici exercitus dictus est ductor. Maiores nostri vnumquodque regnum, quo interiora eius tutiora forent, iuxta cardines cœli, in limites, quibus præfectos cum præsidiis militum, equitum imposuere, diuiserunt: illos marchas, hos marchigraphos appellarunt. Ita Boiaria apud veteres ab Euro Austroque Austriam, Stiriam, Histriam: ab Austro & occidente Andechysiam, quæ nunc Tyrolis, à Septentrione Chamaborum, siue Vogburgensem, limitaneas habuit præfecturas. Hæque tetrarchiæ beneficia fuere summi Boiorum ducis, eidemque illarum dynastæ seruierunt. Paulatim tamen huiuscemodi Tetrarchæ, excusso reguli Boiariæ iugo, Cæsaris procuratores facti sunt. Vniuersæ Boiariæ Reginoburgium caput sedesq; regum & ducum Boiorum (sicuti & Otto Fruxinensis prodit) fuit. Austriacus ergo ducatus ex decreto consilij Hainrico decimo vitrico, eius vxori Theodoræ, patruo Augusti: occidentalis Henrico vndecimo, priuigno amitino Imperatoris in tutelam committitur. Hancque senten-

Claustra Veronensia. Berner Klausen. Otto de Vvitelspach signifer.

Nota.

Hainricus vndecimus dux Boiariæ.

tiam Ladislaus, cui Gertrudis soror decimi nupta erat, renunciauit, qui & ipse rex Boiemiæ ab Imperatore, ob egregia facinora, & fidem salutatus est. Ea tamen lege, ne ea dignitas ad posteros transiret, sed ei honori successor exhæres foret. Atque isthæc Reginoburgij cum facta sunt, vti diploma, vnde hæc excepimus, Imp. Friderici primi ostendit. Cuius calcem & caput ad verbum testimonij gratia subnecto. *IN NOMINE SANCTAE & indiuiduæ Trinitatis, Fridericus diuina fauente clementia Romanorum Imperator Augustus, &c.*

In fine:

Signum domini Friderici Imperatoris inuictissimi. Ego Rainaldus cancellarius, vice Arnoldi Mogontinensis archiepiscopi & archicancellarij, recognoui, regnante domino Friderico Romanorum Imperatore in Christo. Datum Ratisbonæ XV. KL. Octobris. Indictione IIII. Anno Dominicæ incarnationis M.CLVI. Feliciter, Amen, Anno regni eius quinto, Imperij secundo. Posthæc Hainricus vndecimus Saxoniæ atq; Boiariç rector, ciues, proceres, sacramenta sibi dicere iubet, ab Reginoburgensibus obsides, quos imperauit, accipit. Deinde more solenni Carphæmis conuentus agit. Interfuere Berchtoldus Comes à Bogen, Berchtoldus Comes ab Andechs, Gebhardus Comes ab Hall, Hainricus vrbis Reginoburgensis præfectus, & frater eius Otto: Aliique Principes & episcopi Boiariæ. Pax firmata, leges, prærogatiuæ, priuilegia recognita sunt. Porrò Imperator Adilam vxorem, filiam Theobaldi marchionis de Vogburg, repudiat. Egram, Neuenmarckt oppida Nariscorum, dotis nomine sibi data, retinet. Beatricem filiam Reginaldi Matisconensis Burgundionum reguli, neptem Symonis ducis Lotharingiæ vxorem ducit, Vesontione nuptias facit. Galliæ Narbonensis dynastę, Syluius Arelatensis, Stephanus Viennensis, Heraclius Lugdunensis, Godofridus Auinionensis, Odo, Valentinus archiepiscopi cum collegis in verba Augusti iurant. Formidolosaque Imperatoris potentia regi Celtarum, atque Aquitaniæ esse cœpit. Legati tum pontificis Romani, cùm Tridento Augustam Rhætiæ properant, in Valle Athesina ab Henrico & Friderico dynastis capti sunt. Hainricus Noricorum occidentalium, atque Vindelicorum, Saxoniæque rector eosdem liberat: Hainricum & Fridericum ad deditionem & satisfactionem cogit. Sub idem tempus Imperator Mediolanensibus, & cæteris Longobardis mandata detrectantibus bellum indicit. Ottonem de Vuittelspach (vnde genus ducibus Boiis) præfectum prætorio Boiariæ, atque signiferum suum cum copiis in Italiam præmittit. De illo ita Guntherus eius tempestatis Poeta scribit:

Carphaim bey Scherding.

Adila.

Reginaldus Comes Bizontinus.

Guntherus poeta, lib. 2.

Signiferumq; suum, quem Norica misit Otonem
Terra, virum magnis spectatum sæpe periclis,
Præcursare iubet, &c.

Isque Græcos specie fallacis amicitiæ Anconam, Rauennam, Ariminum, finitimas ciuitates tentantes, Italia extrudit. Wilhelmum dynastam Rauennæ in vincula, quòd Græcos orientalis principis Oratores, quàm se legatum occidentalis Imperatoris, honorificentius tractaret, coniecit. Fridericus subsequitur, hostes mulctat, perdomitat. Mediolanenses vi coacti, accito Ottone superiore, cum cæteris principibus in consilium, absque omni pactionis conditione, deditionem faciunt. Primus pacata Italia in Germaniam redit. Interim Wilhelmus rex Siciliæ, dux Apuliæ, princeps Calabriæ, cui suspecta erat virtus Imperatoris, scilicet metuens, ne id mali nancisceretur, quod olim euenerat Rogerio patri suo, Hadriano episcopo Romano, clientelam sacerdotiorum, ob quæ cum Innocentio, Eugenio, atque cæteris Romanis pastoribus ipse, & maiores sui hactenus armis decertarant, concedit. Ambo deinde aduersus Imperatorem societatem ineunt. Hadrianus nodum in scirpo (vt aiunt) quærit. Imperium beneficium Romani sacerdotis, Augustum precario duntaxat regnare asserit. Extat eius ad Hillinum Treuerorum, Arnulphum Mogontinum, Fridericum Agrippinensem archimystam Epistola, ex qua verba ipsius Hadriani subtexere operæprecium esse duximus. *Romanum (inquit) imperium a Græcis translatum est ad Alemannos, vt rex Teutonicorum non antè quàm ab Apostolico coronaretur, Imperator vocaretur. Ante consecrationem rex, post Imperator. Vnde igitur habet Imperium, nisi à nobis? Ex electione principum suorum habet nomen regis, ex consecratione nostra habet nomē Imperatoris, & Augusti, & Cæsaris. Ergo per nos imperat. Recolite antiqua. Zacharias promouit Carolum, fecit ei nomen grande, vt esset Imperator: & vt posthac perpetuò rex Teutonicus esset Imperator, & aduocatus sedis Apostolicæ, vt Romano episcopo Apulia, per eum pacata esset subiecta, quæ nostra cum Vrbe Romana est, non Imperatoris Romæ nostra sedes est. Imperatoris est Aquis. in Arduenna quæ est sylua Galliæ. Imperator quod habet, totum habet à nobis. Sicut Zacharias transtulit Imperium a Græcis ad Teutonicos, ita nos possumus ab Alemannis transferre ad Græcos. Ecce in potestate nostra est, vt demus illud, cui volumus. Propterea constituti à Deo, super gentes & regna, vt destruamus, & euellamus, & ædificemus, & plantemus, &c.* Deinde Germanos imbelles vocat: *imbecillitatem illis obiicit, qui Rogerium Italia pellere, Danos, Frisios perdomitare nunquam valuerint.* Hæc itaq; in conuentu celebri legatos Hadriani referentes, Otto de Vuittelspach, de quo suprà sæpius diximus, stricto ense, quem ante Imperatorem progerebat, territat, & forsitan confodisset, nisi Imperator intercessisset, qui acriter respondit, quæ ego, vt ampliora

Vuilhelmus rex Siciliæ.

Hadrianus.

Hadriani papæ Epistola.

Zacharias imperium à Græcis ad Teutonicos transtulit.

Guntherus Poeta. Radeuicus Fruxinensis sacerdos.

pliora tenuitate ingenij mei, prætereo. Cæterùm ea Guntherus versu, Otto & Radeuicus mystæ Boiorum Fruxinenses prosa complexi sunt, & Conradus Adelmannus, vir iuxtà nobilis atque eruditus, Augustanus primarij templi sacerdos, propediem publicabit. Arnoldus Mogontinus, & D. Eberhardus Iuuauensis archiflamen, Romanos sacerdotes, cardinales, archiepiscopos, episcopos, presbyteros, diaconos (ita enim vocant) literis admonent, pertinaciam, fastum, superbiam coarguunt, auariciam, perfidiam, aliaque facinora, quibus pauperes compilent, & imperium conturbent, commemorant, obtestantur vltimo, vt Hadrianum ad pacem seruandam cohortentur, Imperatorem id quod bonum æquumque fuerit, facturum referunt. Hisque maximè Henrico Boiorum atque Saxonum duce, Ottone Fruxinensi episcopo authoribus, ea scintilla discordiæ tum extincta est. Ansa hinc arrepta, interim Mediolanenses, Longobardi plerique rursus rebellionem faciunt, præsidia Imperatoris partim expellunt, partim in vincula coniiciunt. Imperator intento infestoque exercitu in Italiam contendit. Eò Henricus dux Boiorum, atque Saxonum cum Augusta tria millia equitum, Welpho eius patruus trecentos equites, duo millia peditum adducunt, ad Benacum lacum castra faciunt, resistentes domitant, castella expugnant, diripiunt, incendunt, præclarè operam Imperatori nauant. Welpho eius auunculus, Henricus amitinus erat. Hunc Catoni Radeuicus Fruxinensis eius tempestatis scriptor, illum Iulio Cæsari comparat. Hi deinde cum Imperatore rege Boiemiæ, Henrico Austriaco, Berchtoldo duce de Zaringen, Conrado fratre Imperatoris, & cæteris principibus Mediolanensem agrum vastant, arbores succidunt, segetes proterunt, cum Mediolanensibus erumpentibus manus conserunt. Cecidere ibi ex Boiariæ dynastis Catulus, & Conradus dux Dalmatiæ, ex Dachau vico superioris Vindeliciæ ortus. Eckobertus Neoburgensis vltimus Schardingij oppidi secundæ Boiariæ, Pictauionis Noricorum præfectus. Henricus Histriæ regulus ex Damasia Vindelicorum arce oriundus. Huic Berchtoldus, Eckoberto Odagrius Stirius amitinus eius, cui nupta erat Chunegunda filia Diethboldi à Vogburg, partim Berchtoldus superior maritus sororis Eckoberti, succedunt. Conradus fratrem Arnulphum, filium Conradum superstites reliquit. Conradi corpus Schiram, Henrici Damasiam, Eckoberti Varnpachium translatum est. Monasteria hæc sunt Boiorum atque Vindeliciæ, illa in superiore sita Boiaria, hoc in secunda, proximum Oeno, haud procul Bathauia. At Otto Palatinus Boiorum, cum fratribus Friderico & Ottone minore natu, porta, quam ipsi obsidebant, erumpentes hostes oppressere. Per idem tempus Otto Fruxinensis episcopus historiographus, & patruus Augusti moritur. Hadrianus quoque pontifex Max. pridie Calendas Septembris fato rapitur. Duoq; Octauianus & Rulandus de Pontificatu maximo certant. hic Alexandrum, ille Victorem se adpellat, vtrisque tertio Idus Februarij ex decreto consilij more maiorum dies dicitur. Octauianus adparet, Rulandus fretus opibus Wilhelmi Siculi, neq; ipse venit, neq; legatos misit. Quamobrem Octauianus à concilio, Pilegrino patriarcha Aquileiensi, Renaldo Agrippinensi, Mogontino, Maidenburgensi archimysta, cæteris episcopis recipitur, consecratur, victor adpellatur. Germaniæ atq; Italiæ episcopi & proceres eius rebus studuerunt. Partes Alexandri solùm duo Boiorum episcopi Eberhardus Iuuauensis, & Hartmānus Sabonensis tutati sunt. Causabantur Celtas, Siculos, Anglios, Hispanos (quibus vires nostri Imperatoris in suspicionem venerant) maiorem nimirum Christianorum portionem eidem fauere. Nam Alexander ad Franciæ occidentalis, Angliorumque reges tum dissidentes secessit, pacem inter eos fecit, quam illi quotannis fregere, quotannis renouarunt. Plerique tamen, quorum maxima pars fuit, neutrum pontificem recipiebant, illud diui Pauli vsurpabant: *Omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Petrus, vna fides, vnus Deus & pater omnium.* Atque illud Christi in ore erat, Vnus magister vester est, vos autem omnes fratres. Gerochus Richenbergensis præsul de hoc dissidio complura scripsit, quibus titulum de Antichristo dedit. Mansit hæc seditio duodeuiginti annos in Christiano orbe, minusque quàm pro longinquitate temporis incommodi Reipublicæ iniunxit. Pastores mitia atque erudita ingenia sortiti, inuicem duntaxat sacrificiis interdixere, ouibus non molesti fuere, nec gregem contaminarunt. Legi in Bibliothecis Boiariæ vtriusque epistolas, quas Alexander ad Eberhardum Iuuauensem, Hartmannum Brixinensem Noricorum episcopum, alter ad Imperatorem, patriarchas, archiepiscopos, episcopos, duces, præsides, præfectos, sacrosancti Romani Imperij dedit. In illis reperio, Alexandrum Turonis in conuentu Angliorum Celtarum celebri hæc statuisse. *Sacris initiatus rebus prophanis abstineto. Leges, Physica non audito. Sacra venire, religionem, societates, inferias atque huiusmodi cæremonias precio dedisse, atque pecuniam pro hisce postulasse, decimas prophanis tribuere, inexpiabile flagitium esto. Si quispiam sacerdotia locarit, commutaritve, vti contra Christianam pietatem fecit, ita eius ciuitatis aris, focis, exterris esto. Agri oppignorati, si creditor redditus receperit, vltra sortem fœnus, licet lautissimum videatur, censeto. Fœneratorem Republicæ fure peiorem ciuem existimato.* Idem Alexander in omnibus epistolis, quas superioribus duobus episcopis scripsit, petit & multis suadet, vt Imperatorem placent, atque illum secum in gratiam redigant, pollicetur, vti

Henricus Boiorum dux, & Welpho Imperatori operam nauant.

Radeuicus Fruxinensis historiographus.

Principes qui cū Friderico primo cōtra Mediolanenses militarunt, & qui ex illis ceciderunt.

Scheurn, Varnpach, Diessen, monasteria. Otto palatinus Boioru cum fratribus hostes oppressit.

Otto Fruxinensis historicus moritur.

Octauianus & Rulādus.

Gerochus Richenberg de Antichristo.

Alexander Turonis statuta.

dignum fuerit tam potentisimo principe, honorando, ornando, tollendo nulli se secundum fore, sed modum superiorum pontificum excessurum. Ea tempestate Petrus Longobardus Lutetiæ Parisiorum creatur pontifex. Is quidem Theologumenon quatuor libros scripsit, sed sacrosanctæ Philosophiæ veritatem, fontemque purisimum, sicuti plus millies à Iacobo Fabro, Iodoco Clichtoueo præceptoribus meis accepi atque audiui, cœno quæstionum, riuulis opinionum conturbauit, id quod & vsus rerum magis (nisi cæci simus) satis superque docet. Sed ad ordinem rerum reuertor. Crema Pilogrino patriarchæ Aquileiensi, ac Henrico duci Boiariæ atq; Saxoniæ se dedidit. In cuius expugnatione Ottoni Palatino Boiorum palma datur. Idem Henricus rector Boiorum & Saxonum aliquot Mediolanenses cepit, Augusto reddidit, qui eos in crucem in conspectu municipum egit. Welpho Henrici patruus, Imperatoris auunculus, suæ ditionis prouinciam perlustrat, apud diuum Genesium conuentus agit, legatis responsa dedit, ius dicit, leges parendi præscribit, mandata dat, septem præfecturas cum signis, vti mos est, proceribus suis in fidem atque tutelam commendat. Oppida, castella, ciuitates, oratores mittunt, quibus Lycatiorum præfectus ius atque sua iura reddit, prædia stipendiaria, principalem seruitutem, quæ ciues atque nobilitas interceperant, repetit & vendicat. Conuentu peracto, pridie Paschalium se Pisam confert, vernas ferias maximo apparatu ibi perpetrat. Inde Lucam petit, de rebus omnibus cognoscit. Nemo omnium est, qui ius dicenti non obtemperaret. Quocunque ille pergit, strenuò suo imperio perfungitur, præsidia castellis imponit. Eius aduentus nullo non honoris genere adhibito vbique excipitur. Inde Spoletum arma mouet. Vbique compositis rebus, eam Italiæ partem sibi ab Imperatore auunculo in tutelam traditam Welphoni filio committit, per vallem Tridentinam ad Lycates suos in superiorem Boiariam redit. Filius eius pastoris boni munus exequi pergit, pecus tondere, non deglubere studet, suæ fidei commissos ab iniuria, rapinis militum, equitum (vti bello fieri necesse est) non citra offensionem Augusti tutatur atque defendit. Henricus huius patruelis Saxonum & Boiorum præses in Boiariam Reginoburgium reuersus, quòd videret Hartuicum vrbis episcopum, æs ecclesiasticum dilapidare, canes, equos, venatores alere, pauperum curam nullam habere, populum non docere, neque literis operam dare, adulteros, assentatores, propinquos ditare, Stauffium regiam atque vicum, pontificalem fiscum, titulo curatoris occupat (Friderici à Bogen soboles veteris eius templi procuratoris defecerat) Hartuicus homo imprudens furere, insanire cœpit, cuncta seditionibus atque incendiis complere studuit. Erat tum Reginoburgium omnium ciuitatum Germaniæ populosissima, prætoriumque regulorum Boiariæ. Ciues partim cum duce suo, partim pontifice sentiebant. Nam & proceres quosque potentisimos Boiariæ, ibidem ciues, senatores atque consules fuisse, in diplomatibus vetustis reperio, sicuti Argentorati, & apud Suitonas adhuc esse solet. Diuus Eberhardus archimysta Boiorum illò properat, connitentibus Friderico de Witelspach, præfecto prætorio Boiariæ, atque Conrado de Raning dynasta, ducem, episcopum, ciues in gratiam redigit. Inde orientalem Boiariam petit, inter Henricum Austriacum vitricum Henrici occidentalis, & Conradum fratrem Bathauensem episcopum pacem facit. Episcopi omnino immunes esse conantur, omnia munia in pauperes relegant, suis legibus fraudem faciunt, prædia, sacerdotia libertate ab Imperatoribus donata, censu, vectigalibus, extra ordinem onerant. Duces quæ à se condonata sunt, sibi seruire concupiscunt. Vnde pleraque bella ciuilia, seditiones intestinæ oriuntur. Eadem tempestate Iuuauia, Reginoburgium, Fruxinum igne conflagrant. Piligrinus patriarcha Aquileiensis naturæ concedit. Geyzo rex Vgrus moritur. Frater eius Ladislaus & filius Stephanus regnare, vterque patruus & nepos contendunt. Henricus dux Charionum in Ionio mari interiit. Quoniam de Charionum regione tempus admonuit, paucisimis situm, præsidesque gentis exponam. Charionum regio à Venedorum natione Germaniæ Magnæ, quam Ptolomæus Charionas, Plinius Charinos, Antoninus Charionos vocat, adpellata est: pars Norici est, ad fontes Draui fluminis, subiecta Ocræ, Taroque montibus, Histriæ, Stiriis, Carnis, Venetiæ, Dalmatiæ, Pannoniæ, Liburniæ confinis. Venedi transgressi Danubium Romanos, Theodorico rege Italiæ, exegere. Iulia Carnorum, siue Iulium Carnicum, Romanorum quondam colonia fuit. Plura in secundo atque tertio dixi libro. Peculiares Charini habuere principes vsque ad Dagobertum magnum regem Francorum, cuius iussu à Boiis subditi sunt, Boiorumque ibi tum coloniæ deduci cœptæ. Tempore Pipini regis Francorum Boij eosdem religioné Christi recipere coëgerunt. Nam Thessalonus tertius Boiorum regulus atque diuus Vergilius Salisburgensis pontifex eò sacrificulos proficisci iusserunt. Post Caroli Magni mortem, sicuti vetusta diplomata ostendunt, regibus, ducibusque Boiorum posthac paruit, Boiariaque oriundis præfectis obtemperauit. Imperator Otto tertius anno Christi noningentesimo, vndenonagesimo, mortuo Henrico duce Charionum, filio Berchtoldi ducis Boiorum, ambo apud Altaichium inferius sepulti sunt, eundem ducatum Conrado filio Ottonis ducis Francorum, Fratri Gregorij quinti Pontificis Maximi tradidit, qui potestatis anno tertio atque vicesimo,

relicto

Conuentus apud D. Genesium.

Reginoburgij ciuitas Germaniæ populosissima.

Argentoratenses, Heluetij.

D. Eberhardus.

Ciuitates quædam igne conflagrantur.

Geyza rex Vgrus moritur.

Charinthiæ descriptio.

Thessalonus tertius Boiorum regulus.

relicto filio impubere Conrado decessit. Imperator tum diuus Henricus secundus, quem Charionum quoque regulum vocari reperio, eam prouinciam Adalberoni, qui apud Geylenfeld in prima Vindelicia sepultus est, commendauit. Imperator Conradus secundus, Conradum filium superioris Conradi, patruelem suum, Charinis, pulso Adalberone præfecit. At Imperator Henricus tertius Cæsar Augustus rex Boiorum eam partem Norici Welphoni commisit, is obiit æræ Christianæ anno M. L V. Huic Liculphus, qui moritur ab orbe seruato anno M. X C. ab Imperatore Henrico quarto, rege Boiorum substituitur. Lithulpho succedit Henricus ab Eppenstain, is absque liberis obiit, adoptauit Henricum filium Engelberti, hæredemq; ducatus instituit. Huius stēma proponere decreuimus. Fridericus Comes de Spanhaim, fratrem habuit diuum Hartouicum Salisburgensem episcopum, genuit ex Richarda Engelbertum primum, Segifridum, Lauentinum: illo genitus Engelbertus secundus, Histriæ præfectus, bellum gessit aduersus Henricum ab Eppestain ducem Charionum. Lauenti templum Diuo Paulo construxit, monachos à Wilhelmo de Hirsau impetrauit, vbi vxor eius Heduuiga humata est, quę ex hac vita migrauit anno Christi M C. super secundum. Quinque procreauit liberos, Hartuicum archiepiscopum Maidenburgensem. Hainricum ducem Charionum, qui absque liberis obiit. Engelbertum, is fratri in ducatu successit, & in Boiaria apud Seos cum vxore Vta sepultus est. Segifriduin Libodunum, patrem Segifridi Libodunensis, Bernardum Struchinosinum. Engelberto orti Vlricus dux Charionum, Engelbertus Histrię, & Carnoburgij præfectus: Hartouicus episcopus Reginoburgensis & Rapato Artoburgensis dynasta. Vlricus Henricum & Hermannum procreauit, ille in Ionio mari, vt dixi, periit, anno Salutis M. C. L X I I I I. Successorem honoris fratrem Hermannum habuit. Vnde genitus Vlricus itidem dux Charionum. Sed ad Fridericum Barbarossam reuertor. Is exciso Mediolano, pacata Lōgobardia, in Germaniam redit. Tres magos, qui primi Christi incunabula adorarunt, quos Eustorgius archimystes Mediolanensis Constantinopoli ortus Mediolanū, consentiente Imperatore transtulerat, in Agrippinensi Colonia, vbi adhuc omnis honos, atq; memoria nominis habetur, condi iubet. Hi ex sinu Persico, Magorum cognomento, atque Arabia felici cōtinua regione Byzantium à Romanis Imperatoribus translati fuerant. Circa eundem temporis tractum Hugo Comes de Tubingen, Moringen Vvelphonis castellum capit, quos intus reperit, crucibus adfigit. Vvelpho pater filium ex Italia reuocat, ipse eò proficiscitur, patrimoniū matris ex asse filio tradit. Vvelpho iunior Hugoni cædem expiare aspernenti, satisfacere recusanti, bellum indicit, copias cogit. Auxilio ei veniunt tres episcopi, Nemetum, Vangionum, & Augustanus: & ex Sueuia hi proceres, Berchtoldus dux de Zaringen, Hermannus marchio Badensis, Rudolphus de Pfullendorff, de Kalb, Bergentesque reguli. Gotfridus & Rudolphus de Rumsperg. Hermannus Comes de Kirchberg, Henricus Comes de Vering, Conradus templi Cōstantiensis curator, Albertus Comes de Habspurg. Ex Boiaria Berchtoldus de Cham, & Vogburgensis. Hi coniunctis viribus cum bis mille, atque ducentis armatis castra non longè à Tubingen vesperi, ac sabbato, octauo scilicet Idus Septembris faciunt, diemque festum postridie ocio sacrare, more Christiano statuunt. Hugoni suppetias tulerant, Tubingæque erant, Fridericus dux Sueuiæ, filius Conradi Cæsaris, & de Zolern Dynastæ. Amici vltrò citrò commeant, inimicos reconciliare cōnantur. Intèr hæc Vvelphoniani quidam vesperi è castris, cæteris ignorantibus, clam prodeunt, quosdā qui ex arce progressi fuerant lacessunt, inuadunt, manus cōferunt. Quod vbi qui in castris erant conspicati, sociis suis auxiliatum certatim prouolant. Qui Tubingæ erant, erumpunt, suis laborantibus subuenire contendunt, æquum locum, ripam nempe editiorem, difficilem adītu, occupant, Henricus Comes de Veringen signifer Vvelphonis ad illos infesta signa confert, illi fortiter resistitur, duabus horis continenter pugnatur. Nemo retrò pedem tulit, aut loco cessit. Tandem Vvelphoniani, loci iniquitate defatigati, hostibus supernè acriter vrgentibus, in fugam vertuntur: Paucis admodum occisis: noningenti capiuntur: Tubingamque abacti cum præda sunt, reliqui beneficio noctis, atque syluarum, montium, vicinorum castellorum atq; oppidorum euasere. Vvelpho Achalmam cum tribus duntaxat comitibus vix elapsus est. Pater eius vbi filium malè pugnasse accepit, ex Italia in Germaniā properat. Hugo pactus vnius anni inducias, omnes captiuos dimittit. Henricus Boiorum dux nescio quam ob causam Constantiæ Clementiam vxorem, filiam Conradi ducis de Zaringen repudiat, cum Imperatore in Burgundiā proficiscitur. Nam Augustus in agro Vesontino prope Ararim amnem cōuentum egit, cui Ludouicus rex Galliæ interfuit, cum quo fœdus de more initum est, atq; ad Henricum regem Anglum Renaldus Agrippinensis archimysta, magister epistolarū Rotomagum missus, qui reges ad pacem seruādam cohortaretur, & filiam eius natu maximā Machtyldam Henrico duci Boiorū atq; Saxoniæ amitino Imperatoris despōderet. Annuit Anglus postulatis, atq; cum filia maximo apparatu, ingentiq; dote instructa oratores in Germaniam legat. Alexander Galliis excedit, in Siciliamque ad Vvilhelmum regem Siculum se confert. At Vvelpho finitis induciis, Kelmuntz, Vveilar, Hugonis castella expugnat, sexaginta qui intus erant Hugonis equites in vincula conicit.

Henricus 3. Imp. obiit. *Lithulphus successit.* *Henricus ab Eppenstain absq; liberis obiit.* *Hartouicus Comes de Spanheim & Artenburg, aliàs Lauentahal.* *Vlricus dux Charionum.* *Fridericus Barbarossa in Germaniam redit.* *Tres magi.* *Hugo Comes de Tubingen Vvelphonis castellum capit.* *Vvelpho iunior bellum indicit Hugoni.* *Henricus Comes de Veringen Vvelphonis signifer.* *Clementia vxor Henrici repudiata.* *Henricus rex Anglorum.* *Vvelpho Hugonis castella expugnat.*

Hugo

Hugo ad Friderici Sueuorum reguli, filij Conradi Cæsaris opem confugit. eius suasu Boiemi in auxilium acciti, Boiariam, Sueuiam, cuncta terrarum, ab Hercynio saltu, vsque ad lacum Brigantinum cæde, incendiis complent. Imperator ab armis vniuersos discedere iubet, Ianuario diem partibus Vlmam dicit, vbi causa cognita coram Henrico duce Saxonum atq; Boiariæ, Hugonem Vvelphoni tradit.

Vvelpho capitur.

Hugo Vvelphonis pedibus supplex accidit, veniam precatur, à Vvelphone in vincula coniicitur, in custodia atque captiuitate annum & sex menses, quoad Vvelpho iunior vixit, detinetur. Hisce confectis Augustus in Austriam mouet, receptis quadraginta vnciarum auri millibus à Stephano rege Vgrorum, eundem aduersus Ladislaum, patruum eiusdem regem declarat Vngariæ. Eidem Hagnam filiam Henrici Austriaci patruelem suam despondet.

Hagna filia Henrici Austriaci regi Vgrorũ Stephano desponsata.

Ottonem de Wittelspach Palatinum, siue Landographum Boiorum (sæpius eius mentionem fecimus) Henricum Austriacum, cum mandatis ad Constantinopolitanum Imperatorem proficisci iubet. Hique regio luxu magnificè condonati, reuertuntur. Cum ipsis Byzantium vsque profecti sunt, voti soluendi causa, Hierosolyma petituri. Welpho pater, Fridericus Ottonis de Wittelspach frater, Otto præfectus Reginoburgensis, Odagrius Stirius, hic in Vngaria in vrbe, quam Quinque templa vocant, obiit. Cæteri ferias vernales Hierosolymis celebrant. Sub idem tempus Henricus dux Saxonum atque Boiorum, iussu Imperatoris ad socerum in Galliam pergit, pacem inter eum atque regem Francum Ludouicum facturus. Eodem tempore anno Christi M. C L X V. in Boiaria decedit Burckhusij regulus Gebhardus.

Gebhardus regulus obit.

Eius opes dux Boius vendicat. Est autem Burckhusium ciuitas atque arx munitissima, claustrum Boiariæ in Norico sita, quam Iuuauus amnis præterfluit. Prætorium coniugum regulorum Boiariæ, fiscus hic principalis est atque conuentus iuridicus Noricorum. Nunc ducibus nostris paret, apud veteres suis regulis inclyta fuit, quos variè cognominatos reperio, à prætoriis nimirum suis. Vtrunque horum genus nobilissimum fuit. Paternum traxere ab Aribone quodam nobilissimo, simul vetustissimo Boiorum dynasta, qui in venatione, à Visonte percussus obiisse canitur, atque antiquis celebratur carminibus. Alij eum filium Babonis, illius Abusini fuisse suspicantur, pictura, monumentaque Abusinæ fidem faciunt. Eius soboles Hartuicus atque Sichardus Scala fratres, ille procreauit Aribonem & Bothonem posthumum ex Frideruna nobilissima fœmina, filia Rothingi, qui pronepos fuit Imindi, fratris Diuæ Machtyldæ Augustæ, genitricis Imperatoris Ottonis Magni & Heinrici primi Boiariæ rectoris, genus ducens à Witechundo Magno, qui triginta amplius annos cum Carolo Magno continenter belligeratus est. Quatuor procreauit liberos, diuam Machtyldam, Witechundum; Regnerum Danorum domitorem & Imindum.

Quæ alibi Frena dicitur, Auentino est Frideruna.

Ab hoc sunt Botho primus abauus, Rotingus primus proauus, Botho secundus auus Friderunæ. Huius filius Aribo in cunis amisit parentem, Chationum nobilissimus dynasta, præfectus prætorio Boiariæ, admodum senex obiit, anno Christianæ salutis M C I I. Botho posthumus, cognomento Fortis, altero deinceps anno Reginoburgij naturæ concedit, Tharisij quod dicarat sepultus est. Ambo fratres præter cæteros Boios, Germaniæque proceres literis, atque armis insignes fuere, proceraque corporis statura, antiquis comparati heroibus, quorum virtus maximè aduersus Vgros enituit. Aribo Hægitomosæ, Botho Botholtonis habitauit, vnde & cognomen, vti mos est, recepere.

Sighardus interiptus.

Sighardus qui & Syrus Scala, patruus horum Sighardum Rantherouiæ procuratorem progenuit. Is ab orbe adserto anno M. C. I I I I. Reginoburgij interemptus est, & ex Sophia, quæ prius nupta fuit Henrico duci Chariniano, Gebhardum Burckhusianum, Sighardum & Henricum Scalas tulit. Huius filij sunt Henricus, & Sighardus.

Itha Gebhardi vxor.

Gebhardi vxor Itha, filius Gebhardus, nurus Sophia. Atque hic Gebhardus absque liberis maribus obiit anno, vt dixi, M C L V. Burckhusium tum Henricus vndecimus Saxonum, atque Boiariæ regulus occupauit. Quanquam patrueles Gebhardi Henricus, & Sighardus Scalæ superstites forent, quos in Italia consedisse non est vana coniectura. Hos quidem Scalas Romano vocabulo, pro Scala Teutonico, ab imperitis dictos esse satis constat. Hæc ex diplomatibus Bathauiæ, Varnpachij, Rantzenhouiæ, Rotenhaslachij accepimus. Extat Rotenhaslachij diploma Latinum, vbi anno æræ nostræ M C L V I. Henricus Scala testis est. Interpres, qui illud in Teutonicam vertit linguam, Henricum à Laitera, hoc est Scala interpretatur. Item de Comitibus de Bogen, eadem tempestate factum literis proditur, quos Itali Romana interpretatione, de Arcu vocant. Sub idem tempus Sigefridus Libodunus, Lutholdus Plaiensis, generi Gebhardi Burckhusiani, proceres decedunt. Et Victor Pont. Max. Romæ moritur. Alexander à Vvilhelmo rege Siciliæ, Campaniæ, Apuliæ, Calabriæ principe, corruptis quibusdam Romanis in Vrbem deducitur. Saxones cum Henrico duci Boiariæ rebellant, imperata detrectant, dynastæ aduersus eundem conspirant. Mortuo igitur Victore, Alexandro Romam tenente, Imperator mense Maio, atque Quinquagenalibus apud Vvirtzburgum conuentum episcoporum, senatusque Imperij cogit, coeunt frequentes archimystæ, minores pontifices, prandes, duces, præfecti, Vidonem Pontif. Max. legant, Paschalemque vocant.

Conuentus Vvirtzeburgij.

Paschalis Pont. Max. Senatus consulto decretum, papam nuncium Christi & Petri successorem appellari & esse debere.

vocant. Fit senatusconsultum, nullum posthac fore pontificem Maxim. nisi qui more maiorum, consensu Imperatoris creetur, atque nuncius duntaxat Christi, successorque Petri, non etiam Cæsareæ potentiæ pertinax æmulus esse velit. A singulis exactum iuramentum, haud alium aut recepturos, aut passuros pontificem Maxim. perpetuò, etiam mortuo Imperatore. Sacramentumque primus dixit Christianus Mogontinus pontifex designatus (nam Conradus Boius frater Ottonis à Wittelspach, quòd iurare detrectaret, hostis iudicatus, atque proscriptus sacerdotio, & dignitate excidit, Mogontiacoque exactus est) deinde cæteri episcopi, postea Imperator, & principes iurant. Albertus Fruxinensis episcopus hoc pacto fidem suam astrinxit Paschali, quàm diu videlicet Imperium eius rebus studeret, aut ipse Cæsarea prædia, castella, vicos, oppida, beneficia stipendiaria possideret. Obierant per idem tempus Eberhardus Salisburgensis, Hartouicus Reginoburgensis, Hartmannus Brixinensis, Rupertus Bathauiæ episcopus. Eberhardo Conradus patruus Imperatoris, Hartouico Eberhardus, Ruperto Albanus, Hartmanno Otto succedunt. Vtque noui episcopi ab Christiano Mogontino archimysta inaugurentur, edicto præcipitur. Imperator in Italiam Rainoldum scribam suum, Agrippinensem pontificem, & Christianum Mogontinum præmittit. Ipse cum exercitu, & aliis principibus subsequitur, agrum Romanum cæde, ferro, flamma vastat, Romanos ausos conferre pedem ad internecionem delet, octo millia Romanorum cæsa, tria capta esse, in fastos relatum est. Vrbem deinceps Barbarossa capit, incendit. Alexandro fuga sibi consulente. Templum diui Petri, quod hostes munierant, præsidio firmarant, deinde inuadit, munimenta solo æquat, effractis portis ædem aperit, Paschalem vi introducit. Isque duodeuicesimo Calendas Septembris, quem diem celebrem Deiparæ virgini, quando superos petiuit, habemus, Beatricem consecrat, Augustamque adpellat.

Romam Barbarossa capit.

Posthæc pestilentiæ dira lues exercitum, vrbemque Romanam inuadit, extinxitque de nostris episcopos septem: Danielem Pragensem, Eberhardum Reginoburgensem, Conradum Augustanum, Gotfridum Spirensem, Rainaldum Agrippinensem, Hermannum Verdunensem, Gerionem Halberstatensem. Et hos proceres, cum pluribus aliis, Fridericum filium Conradi Cæsaris, Beringerum à Sultzbach Nariscorum regulum, Henricum comitem à Tubingen, Welphonem iuniorem, huius corpus ad Staingaden, superioris Boiariæ apud Lycatios templum translatum est.

Pestilentia Romæ. Episcopi Germani Romæ peste absumpti & proceres.

Vvelpho pater, vbi filio defuncto nullos amplius sperat liberos, ab re vxoria abhorret, Vtam coniugem ad Alpes migrare iubet. Ipse Memmingæ crebrò habitat, potat, obsonat, commessatur, amat, conuiuiis, nimio vestitu, venationibus, gaudiis corporis indulget, ocio ætatem transigit. Equites, milites obæratos, proscriptos ad se confugientes, benignè adpellat, hos sodales sibi adsciscit, cum illis libenter viuebat, & libenter victitabat. His equos, vestes, sumptus suggerit. Cumque necesse foret his moribus pecuniam redditusque dilapidari, æs grande alienum conflauit. Cumq; sufficere hisce sumptibus nequiret, Hetruriam, Sardiniam, Spoletum Imperatori Friderico nepoti suo ex sorore: patrimonium verò in Sueuia atque Boiaria Henrico duci Boiorum, nepoti ex fratre vendit. Imperator auro, argento, gemmis auunculum explet. Dux Boius precium dolo differt, rebatur propediem ad se gratuito reditura cuncta, quando legitimus senis capularis hæres esset. Vbi hæc patruus sensit, omnia Cæsari exhæredato Henrico venundat.

Vvelpho pater Vtam coniugem ad alpes mittit, sua dilapidat.

Tandem obsaturatus voluptatibus, luminibusque captus, reuocata ab alpibus vxore, pleraque pauperibus elargitus dedit, voluptati bellum indixit, in summa pietate vitam finiuit, anno Christi millesimo centesimo nonagesimo primo. Eius & filij Mausoleum apud Staingaden Lycatiorum templum ostenditur.

Vvelpho pater luminibus orbatus vxore reuocata, & delictorũ suorum pœnitet.

Eodem tempore Paschalis obiit, In templo diui Petri sepelitur. Romani sacerdotes, Senatus, populusque Ioannem Albanum episcopum, Pontificem Maximum eligunt, Calistum tertium nuncupant.

Paschalis mors & sepultura.

Porrò Fridericus pulsus peste in Germaniam, Conradum Salisburgensem patruum suum, frustra Henrico Austriæ duce fratre eius cæteris principibus cohortantibus, vt obtemperaret, quòd decreto consilij parere recusaret, oues pascere, decimis viuere iubet. Lupha Boiorum est oppidum in Norico inter Burckhusium atque Iuuauiam medio ferè itinere, eò quarto Calendas Aprilis Imperator venit, conuentus agit, sententia principum, vicos, prædia, castella, vrbes Iuuauenses proceribus committit. Henricus Palæstinam supplicandi gratia proficiscitur, relicta Machtylda vxore grauida Brunonis vici. Comites eius fuere, Conradus episcopus Lubecensis, Henricus abbas Brunonis vici, Berchtoldus abbas Luneburgensis, Probislaus Mechaloburgensis princeps, alij proceres ex Boiaria. Henricus comes de Sultzbach & Stirius marchio, Vvormatiæ quoque pontifex missus ab Imperatore Neoromam, pro connubiis liberûm. Calendas Februarij opertus octauo Idus inde egreditur, à vitrico magnificè excipitur, Viennam ducitur, ei matris sepulchrum ostenditur, nauibus condonatur à vitrico. Ab eo Granam vsque Danubio deducitur, & vsque Vngariam, cuius regina soror vitrici. Strigonij exceptus ab Vngaro vsque ad confluentes Saui & Danubij maximo honore deducitur ab Vngaris. Eandem ob causam (vt reuertar ad Imperatorem) Bathauenses Albanum episcopum, quod ab Vlrico patriarcha Aquileiensi, non à Christiano Mogontino, iuxta decretum consilij initiatus foret, vrbe

Albanus episcop. vrbe exactus.

Cōradus Iuuauensis obiit.

vrbe exigunt, Henricusque legitur. Inter hæc Conradus Iuuauensis diem obit, ipsi Albertus ex sorore nepos, filius Ladislai regis Boiemiæ succedit. Hic quoque ab Vlrico Aquileiensi patriarcha, contempto Mogontino, consecratus fuit. Idcirco Augustus Ladislaum regem Boiemiæ regno mouet, Sobeslaum patruelem eius Boiemis imponit. Albertum filium eius pontificatu abire, administratione prædiorum cedere iubet. Deinde Bambergam petit, Ladislaum cum filio Alberto qui eò venerant, à conspectu prohibet. Posthæc Salisburgium pridie Nonas Augusti pergit, Iuuauensia castella in deditionem accipit. Boiemi, Austriaci, Carini mutuis vulneribus se adterunt. Henricus dux Boius supplicandi gratia Hierosolyma proficiscitur. Ab Illenspach Vindelicorum vico, diui Benedicti consecranei, ad templum D. Viti, proximè Neuemarckt, commigrant. Consentit Wolframus Dorobergensis, nepos Theodomari, qui monachos in Illenspach collocarat. Conradus primus Aichsterensis pontifex Rebdorff iuxta Aichstadium in ripa Alemani, in pago Boiariæ (verbis Friderici primi Augusti vtor) mystis Augustinianis extruit. Subsequenti anno Imperator rursus vndecimo Cal. Martij Salisburgium se confert. Alberto, qui eò vocatus erat, non apparente, Bathauiam pridie Cal. eiusdem mensis petit. Henrico à Mogontino consecrari renuenti, eius fratrem Dietpoldum substituit. Is ab Henrico præsule Gurcensi consecratur, quarto Idus Iunij Quinquegenalibus. Filius fuit Dietpoldi Sueui Bergensium dynastæ, Geysæque ab Andechs, frater eius Mangoldus Tigurinorum præsul. Augustus postea Reginoburgium ad conuentus agendos petit. Interfuere omnes principes regni, omnes antistites Iuuauenses. Omnium sententia Albertus pontificatu submouetur, Henricus Berchtolgadensis præsul Salisburgio præficitur. Eam sententiam Richerus Brixinensis episcopus renunciat. Imperator illi vrbes, oppida restituit. Albertus in Vngariam Scaurinum ad Vvaltherum Albanensem episcopum se confert, isq; frustra scribit Iuuauensibus, vt Albertum recipiant. Chuno quoque Reginoburgensium episcopus designatus, aut à Christiano Mogontino inaugurari, aut abire pontificatu iubetur. Inter hæc Mediolanenses iterum rebellant, Alexandriam vrbem in odium Imperatoris condunt, ab Alexandro hoste eius nomen indunt, ibi se munire statuunt. Cæsar sextò Italiam petit, Alexandriam obsidet, oppidum solo æquat. Henricus dux Boiorum atque Saxoniæ, qui ibi cum quinque millibus equitum erat, corruptus pecunia suasu Iordoni Truchias, ab Imperatore amitino suo deficit, cum omnibus copiis suis absque commeatu ex castris discedit in Rhætiam. Cum Zornensibus & Veringensibus, cæterisque societatem init, aduersus Augustum conspirat. Mediolanenses vbi abiisse equitatum Henrici accipiunt, Imperatorem inuadunt, ipsum cedere, obsidionem soluere cogunt. Ipse ægrè mutato cultu atque habitu, per Burgundiam in Germaniam euasit. Cæterùm Henricus in Boiariam reuersus in prima Vindelicia, in ripa Isaræ, vbi tum villa mystarum erat, in agro Schafftlarensis collegij nouum oppidum condit, Monachium adpellat, quæ nunc omnium vrbium, quæ Imperatoriæ non sunt, sed ducibus parent, clarissima habetur. Richallij Boiariæ ciuitas in Norico, sub radicibus alpium Noricarum, quas Curuancas Ptolomæus vocat, cubat, vbi sal partim fit, partim gignitur. Puteus ibi salis est, aqua salsa à dulci arte separatur, in fornaces æneas deducitur atque largius coquitur, fitque sal omnium salsissimus, siccissimus, atq; candidissimus, maximæ apud Germanos authoritatis. Quamobrem Richum Salem, hoc est, diuitem vocant. Maximum inde ad fiscum principalem vectigal redit. Via salaria ad Isaram in superiorem Boiariam tendit, illa in Rhætiam, Sueuos, Francos, ad Galliam, Suitonas, Rhenum & cæteras Germanias portari consueuit. Veringiorum vicus infra Monachium ad quintum lapidem, tum municipium Fruxinensis pontificis. Vbi emporium, mercatus salis atque pons erat: Henricus dux Boiorum, noctu de improuiso Veringios occupat, diripit, pontem demolitur, ædificia igne concremat, Salinas, salinarios omnes, pontem, portorium, in Monachium nouum oppidum transfert, illà posthac salem deuehi iubet. Albertus episcopus Fruxinensis ad Imperatorem, qui ex Italia redierat, se confert, iniuriam sibi illatam à duce Boiorum commemorat, opem Cæsaris implorat. Augustus sæpius Henrico diem dicit, minatur, præcipit, imperat. Is sæpius aspernatur, floccifacit. Cæsar rebellem tandem Gemundiæ, quæ vrbs est Sueuiæ in Germania Magna, proscribit. In tempore tum ad Imperatorem Cluniacensium, Cistercensiumque monachorum magistri veniunt, horum atque Eberhardi, episcopi Bambergensis, maximè Calisti, qui sponte pontificatu maximo abiit, authoritate & opera, concilium Mogontiacum Iulio mense nono Calendas Augusti edicitur. Ibi omnium rerum obliuione decreta, Imperator & Alexander reconciliati sunt, veteresq; inimici ex Republica, quam summa discordia hactenus gesserant, amicissimi facti sunt. Albertus quoque Boiemus archimysta Boiorum, qui solus Alexandri partes in Germania sectatus fuerat, quòd in Vngaria suppositicio legato, qui quæstus gratia se ab Alexandro missum commentus erat, insigne archimystæ acceperat, classe episcoporum submotus est, Conradusque de Vvittelspach in prima Vindelicia oppido natus, frater Ottonis, ducis postea Boiorum, vir doctus, cognatus Imperatoris, Iuuauensibus episcopus declaratur, primarius flamen Boiis designatur, iussuq; Imperatoris, ac mandato Alexandri à Salisburgensibus

Ladislaus regno motus.

Conuentus Reginoburgi.

Lyranus.

Puteus salis.

Veringen infra Monachium, ab Henrico occupatur.

Imp. & Alexander reconciliati.

Conradus de Vvittelspach Iuuauensib. episcop. declaratur.

sibus recipitur. Alexander conuentum Ecclesiasticum Venetiis Augusto cogit. Posthæc Imperator Fridericus primus Cæsar Augustus (quod Heinricus Boiorum atque Saxonum rector mandata facere detrectaret) tertio Calendas Iulij anni Christianæ æræ millesimi centesimi super octogesimum in Boiariam Reginoburgium, quæ vrbs tum Boiorum caput & prætorium regulorum erat, cum principibus se confert, Henrico diem dicit. Ille nec apparet, nec legatos mittit. Tum Imperator Saphodomum Mantuanum episcopum, item alios tres flamines pontificis Max legatos, Conradum archimystam Boiorum, Diethboldum Bathauensem, Albertum Fruxinensem, Chunonem Reginoburgensem, Agilulphũ, Aichstatensem, Richardum Sabonensem Boiorum episcopos. Præterea hos Boiorum dynastas tetrarchasque, Odagrium Stiriæ limitaneum ducem, Henricum Reginoburgensium, Conradum Norinburgensium vrbis præfectos: Berchtoldum de Vogburg & Cham, Berchtoldum ab Andechs Histriæ præsidem: Sigefridum & Henricum Scalas, Sigibothum comitem de Weyarn Chunonis episcopi fratrem, Hartouicum comitem à Bogen, Henricum ab Altdorff, Demardum de Holenstain, Fridericum & Albertum monachos, Amalobertum de Lochausen, Henricum Pabonæmum, Burckhardum, Azonem, Rugilam Camerarios, Rudulphum de Waldeck, Henricum Seligochindum, Atholdum Doropagum, Angilomanum & Henricum fratres ab Achdorff, vbi nunc est Landeshuta condita: Berchtoldum abs Richershausen, Segibothonem & Voliphorum Holethusios. Insuper Saxoniæ mystas atque dynastas, Romarium Halberstatensem antistitem, Vichomannum, Maidenburgensem, Theodoricum Landoburgensis limitis præfectum, Symonem Rechburgensem. Præterea omnes vndiq; optimates, præfectos, duces, præsides, omnes Senatorij ordinis, quib. ius dicendi sententiam in Senatu Cæsareo esse solet, accersit. Dumq; illi frequentes conuenissent, atque vti mos est, consedissent, Imperator Henrici facinora commemorat, eundem fidem sibi datam fregisse, religionem sacramenti violasse, contra necessitudinem sanguinis atque sacrosancti Imperij & Reipublicæ Christianæ maiestatem, vitæ Cæsaris insidiari proponit. Accusator quoque conscius fuisse, cum soceroque Anglo consensisse in necem Thomæ Cantuariensis. Albertus etiam Fruxinensis episcopus illum iniuriæ suo templo illatæ postulat. Idem Saxones faciunt. Illius fraude Saxoniam ciuili bello laborare, templa prophanata à Venedis, Saxoniam totam vastatam esse queruntur. Hæc vbi dicta sunt, Augustus sacramenti admonet, deinde sententias rogat. Tum vno ore omnes Hainricum maiestatis læsæ condemnant, vtroque ducatu submouendum decernunt. Itaque ex consilij decreto tertio Idus Iulij Cæsar ducatum Boiariæ in fidem tradit Ottoni signifero suo, cuius crebrò mentionem fecimus. Mox omnes proceres Boiorum, oppida in eius verba iurare iubet. Otto itaque regulus Boiorum declaratus cum fratribus suis Conrado archiepiscopo Iuuauensi, Friderico & Ottone iuniore, Boiariam peragrat, ciues, agricolas, præsides, præfectos in fidem accipit. Subsequenti anno cum Conrado Mosburgensi, & cæteris Boiis, cum Imperatore in Saxoniam arma mouet. Ibi Bernhardo de Anhalt filio Alberti gentis ducatus traditur. Henricusque potentissimus hauu dubiè omnium Europæ, secundum Cæsarem atque reges, princeps, vt qui à sinu penè Hadriatico, ad sinum Codanum, Oceanumque Germanicum, Boiis, Sueuis, Rhetis, Vindelicis, Noricis, Caucis dominabatur, vno anno tam leui momento, vigente eum parentis fato, omnibus vicis, castellis, ciuitatibus, oppidis quæ amplius centum possedit, genitali solo, patriis penatibus, exactus exul cum vxore Machtylda, liberis paruis, Ottone, Henrico & Vvilhelmo (qui Brunonis vici duces posteà dicti sunt) in Nordmanniam Galliç, ad Henricum Angliorum regem, socerum suum aufugit, ab eo exul, egens omnium rerum, sine lare, sine pane & sale pastus est, quotidie quinquaginta libras Andenses precario accepit. Nec tamen desperauit, quin soceri opibus atque potentia deperditas terras se recuperaturum confideret. Ita concupiscentia, cui semel nos deuouimus, præcipites imus, adeò vt ne ea quidem, quæ ante pedes sunt, videamus, nedum illa, quæ futura sunt, prospiciamus. Eadem etiam tempestate Stiria, quæ hactenus Boiariæ prouincia fuerat, à proconsule ducis Boiorum gubernata, præsidialis facta est. Duxque primus Stiriæ constitutus Odagrius, in Andechs quoque & Damaliæ, Tyroliique & Histriæ tetrarches. Berchtoldus dux Dalmatiæ atque Meraniæ adpellatus est. Amboque hi principes legibus regulorum Boiariæ soluti, posthac procuratores Cæsaris, legati Augusti fuerunt. Est autem Stiria pars Boiariæ (vnde & caput gentis adhuc Boiorum Græcia vocatur) sita in Norico, subiecta Tauro monti, & oriente Pannoniæ, meridie Charionibus, septentrione Austriacis continuatur. Drauus, Muraque amnes eam ambiunt, à Stiriis antiquissimis Boiorum populis cognomen accepit. Sunt qui Tauriscos Greca interpretatione nominis esse volunt. Id enim quod Tauriscus Græcis, Stirius Theutonicis valet. Odagrius autem primus Stiriorum dux absque liberis obiit parens eius Odagrius quartus, mater Kunegunda, filia Diethboldi comitis à Vogburg, ille moritur anno M C L X I I I. Auus ducis Lupoldus, qui decessit æræ nostræ M C X X I X. Auia Sophia soror Henrici noni Saxonum atque Boiariæ reguli; Lupoldi autem parentes, Odagrius tertius, Elisa filia Lupoldi Austriaci, soror D. Lupoldi: obiit ille anno Seruatoris nostri M C X I I.

Conuentus Ecclesiasticus Venetiis.
Henrico dies ab Imperatore dicitur.
Imperator Heinricum accusat.
Henricus criminis læsæ maiestatis condemnatur.
Bernhardus de Anhalt fit dux Saxoniæ.
Duces Brunsuicenses vnde.
Stiria præsidialis facta.
Bauaria distracta.
Stiria. Baurisch.

Partium Imperatoris fuit, aduersus Romanos & Iuuauenses pontifices, hæres Henrici ab Eppostain & Vualdorici. Tertiique parens Ozio, auus Odagrius secundus, proauus Odagrius primus. Circa eundem temporis tractum Reginoburgium, tum Germaniarum ciuitas potentissima (hactenus sedes ducum Boiariæ fuerat, vbi etiam nunc prætoria principis, episcoporum, procerum Boiorum, nominantur & ostenduntur) excusso reguli Boiariæ iugo, in libertatem se vendicauit, vrbsque libera & Imperialis facta est. Otto ille dux Boiorum declaratus, ex Sirorum clarissimis principibus oriundus, à Wittelspach oppido superioris Boiariæ ortus author est omnium principum & regulorum Boiariæ, qui in Vindelicia, Norico, apud Nariscos, in Germania magna, ad Danubii Rhenique confluenta, in Galliisque Celtica atque Belgica, longè lateque dominantur. Sed hæc diligentius in septimo libro explanabuntur.

FINIS SEXTI LIBRI.

ANNALIVM BOIORVM IOANNIS AVENTINI LIBER SEPTIMVS ET VLTIMVS.

HAEC IN SEPTIMO ET VLTIMO LIBRO Annalium Boiorum Ioan. Auentini continentur.

Dynastæ de Scheurn, eorum stemma atque genus.
Otto quartus, dux Boiorum.
Ludouicus primus dux Boiorum, & præfectus prætorio Rheni.
Ibidem, quo pacto duces Boiariæ prætorio Rheni præfecti sint.
Chamabiensis limitis atque Vogburgensis præfecti.
Otto quintus, dux Boiorum, & Rhenani palatij rector.
Dynastæ à Bogen, & curatores templi Reginoburgensis: Boiariæ inferioris, qua Boiemia continuatur, procuratores.
Ludouicus secundus, & Hainricus XII fratres. Boiariæ diuisio.
Neuburgenses, Falckensteinenses in Harmansperg, & Antorff dynastæ.
Otto Rex Vgrorum. Ludouicus III. Stephanus primus, fratres: horumq; filij: & nepotes.
Hainricus tertius decimus, Hainricus quartus decimus, Otto sextus, & Ioannes primus.
Imperator Ludouicus IV. Cæsar Augustus, & Rudolphus, fratres.
Diuisio altera Boiariæ.
Ludouicus quintus, Stephanus II. Ludouicus Romanus, Albertus, Wilhelmus.
Otto septimus, fratres, filij Ludouici Imp.
Diuisio Boiariæ tertia.
Soboles horum Menardus Tyrolensis, Albertus II. Wilhelmus, Bathaui.
Fridericus, Stephanus tertius, Ioannes tertius, fratres, nepotes Imp. Ludouici quarti.
Diuisio Boiariæ quarta.
Hainricus quintus decimus, Ludouicus septimus diues, Georgius diues Landshutensis.
Ludouicus Barbatus, Ludouicus Gibbosus Angilostadensis, Ernestus & Wilhelmus tertius, fratres.
Albertus Pius.
Albertus Sapiens, Frater eius Ioannes, Sigismundus, Christophorus, Wolfgangus, patrui clarissimorum principum nostrorum, Wilhelmi quarti, Ludouici decimi, & Ernesti secundi pontificis Bathauiæ designati, quorum auspiciis hi Annales conditi sunt. Item tetrarchæ Boiorum veteres ab Abensperg, ab Altmanstain, à Roteneck, à Randeck, à Ror, ab Essing, ab Andechs, à Damasia, ab Hohenwart, Tyrolenses, à Wolfratshausen, à Dachau, à Phalay, à Wittelspach, ab Rietenburg, à Stephaning, præfectura vrbis Reginoburgensis.
Piburgenses & Hipolstainenses, &c.

AVTO-

AVTORES, QVOS PRAETER VETVSTA Diplomata secuti sumus in hoc libro.

Commentaria autographa in membranis scripta Alberti Boiemi decurionis, atq; archidiaconi Laureacensis, à consiliis Ottonis quinti, Executoris (ita se nuncupat) sententiarum sedis Apostolicæ generalis, per totam Alemanniam, & iudicis delegati contra Imp. Fridericum II. hæreticum.

Conradus philosophus, monachus in Scheurn primarius, & edituus, homo diligentissimus, qui manibus suis plusquam quinquaginta, vt tum mos fuit monachorum, ingentia volumina scripsit in membranis: poetas, oratores, historicos, veteres theologos, quæ in Scheurn monstrantur, vbi & Chronicon eius Autographon seruatur. Imperatore Frideric II. Cæsare Augusto rerum potiente obiit.

Hainricus Stain Vtinensis præpositus, iureconsultus, Hainrici duodecimi reguli Boiorum res gestas temporibus suis literis commendauit.

ANNALIVM BOIORVM Liber Septimus.

PROOEMIVM.

HActenus iussu atque mandato vestro (Principum nobilissimi) in altum à littore profecti sumus, nunc vbi optatam metam contigimus, retrorsum vela damus, ad portum, duce & auspice Christo, redire contendimus. Nec imus inficias, multa esse, quæ nos præterierint. Vt enim verum fateamur, tædio aduersæ valetudinis & timore mortis, metuque diræ pestilentiæ, vbique ira Dei grassantis, ne scilicet hisce ante tempus interciperemur, citius quàm decuit, tantum opus absoluere coacti sumus: alioquin meticulosa hominum desideria diutius protrahere, ac frustrati periculosum fore visum est. Quamobrem ego planè meis adiici posse multa confiteor. Cuncta scire mihi quidem haud placet. Homo sum, neque tam insanus, vt vniuersa scire velim. Alius alio plura scire potest, nemo omnia, de alieno ingenio nolo malè iudicare. Nondum effœta est natura, posteris suum laborem reliqui. Proinde si quis plura addere velit, per me quidem licebit, modò mea vestigia secutus, publicam instrumentorum authoritatem, fabulis Chronicariorum præferat. Equidem mihi non tantum sumo, vt in historia satis fecisse me putem; vel breuitate, vel luce, vel suauitate, vel splendore, etiam sublimitate narrandi. Plura adhuc diplomata, ciues, monachi, equites, patresque retinent, quæ ego euoluere supersedi. Si quispiam nostra vestigia insecutus, vniuersa monumenta, tabulas atque instrumenta ciuium, nobilium, aulæ, sacerdotum, monachorum curiosius perscrutatus fuerit, & reliquas Boiorum regiones, Nariscos, Noricos, Iuuauenses, Austriacos, Tyrolios, Chaionas, sicuti ego Vindelicorum, portionemque Noricorum Oeno continuam perlustrauerit accuratius, non dubitamus, quin & ipse operæpretium facturus sit, & Reipublicæ rem vtilem, principibus obsequium gratissimum præstiturus. Etenim illi errant, mea quidem sententia, qui nescio quarum rerum exactam cognitionem à Principibus postulant. Satis est & sufficit, conflictantibus cum Reipublicæ procellis, Annales præcipuè suæ gentis, patrio etiam sermone atque vernacula lingua conditos, tum voluptatis, relaxandique animi, tum vtilitatis causa euoluere. Est enim Historia dux vitæ, magistra morum, exemplar affectuum, cos & calcar virtutis, fortunæ mortalium speculum, & rerum humanarum pictura, sortis humanæ volumina explicans, omni ætati atque conditioni, cognoscendi voluptate iucunda, exemplo necessaria, vsui esse solet ob ignorantiam, imperitiamque rerum gestarum, multa in publica commoda, in vtraque Republica sacra prophana passim, quotidie peccari temereque fieri ab alioquin sapientissimis quotidie experimentis cognosco. Suprema cœli maiestas, non quicquam aliud magis in sacrario vtroque cauit, adeò vt huc vniuersa eius mandata tendant, quàm vt ea quæ gererentur ad vtilitatem posteritatis, memoriæ commendarentur, atque æternitati literarum, delegata hac prouincia diuinis vatibus consecrarentur. Nec enim in alia vspiam re tam apertè, tam clarè, tanquam in speculo, si quis animum aduortat, supremæ illius maiestatis vis, sapientia atque bonitas, & iustitia patris indulgentissimi perspicitur. Quanta potestas, quanta dignitas, quanta maiestas, quantum denique numen sit (ait Plinius) historiæ cùm frequenter aliàs, tum pro-

ximè sensi. Quàm ridiculi, quàm inepti sint, quantum nostræ tempestatis nebulones arrogantissimi atque Sophistæ, ita enim verius dixerim, quàm vt audio, magistros, doctores & theologos, cum maximo Reipublicæ atq; religionis nostræ detrimento. Imperiti rerũ humanarum hallucinemur, maius est, quàm vt hìc explanare debeam, planissimè id sentit, quisquis talpa non est. Quippe versutia illorũ conuiciis, vel à vulgo imperito frequentatur. Cum ingenuis, apertis, simplicib. veritatis amatoribus & acri iudicio prædicis mihi res est. Alios, nẽpe ardeliones, vitilitigatores, obscuros, fallaces, versutos nihilmoror. His audiendi est, quę fecerint, pudor, nullus faciendi, quæ audire erubescant: illic vbi opus non verentur, hic vbi nihil opus est, ibi verentur. Sed malè ominatos missos faciamus, potius bene precari, cœlites omnes venerari atq; implorare debemus, vt principes optimos, quorũ beneficio tot mortui reuixere, defendant: quippe illi in excellissimo gentis Boiorum fastigio positi, vicem Dei Opt. Max. rebus humanis præsidendo perfunguntur Reipub. consulunt, aduersa tolerant. Multa cura tanto Imperio inest, multi ingentes labores, quos nequaquam abnuunt, & pacis opulentiam quærunt. Proinde tu Christe, liberator & seruator noster, qui Pontificis Max. sacerdotis perpetui dignitatem tenes, Imperatoris summi honorem & iudicis potestatem possides, præsens tuo numine atque auxilio illos tutare. Cuncta regno Boiorum, illisque feliciter fortunatim bene vertas, vt quocunque modo agant, ea res illis Reipublicæque prosperè veniat. At nunc reliqua propositi exequamur.

Schira gens præcipua Boiorum.
Plin. libr. 4. cap. 13.
Comites à Dachau.

MAiores Ottonis ducis Boiorum (quem iam scripturi sumus) ex Scheurn castello superioris Boiariæ, nunc verò templo orti sunt ex regulis Boiorũ. Schiram verò gentem præcipuam olim apud Boios fuisse multa declarant. Nam & Plinius cæterique illustres rerum authores illorum meminere, & oppida, vici, arces, pagi celeberrimi, ab hisce Schiri vocantur Et adhuc ostenditur templum magnificè extructũ, diuo Benedicto à Schiris principibus dedicatum, vbi Mausolea eorundem viluntur. Pleraq; nobilitas, honoratissimæ familiæ, veteresq; Boiorum Tetrarchæ ab illis genus trahunt. Comites à Dachau, à Phalay, Palatini à Wittelspach, Wattenberg, Comites ab Abensperg, Rietenburg, Greifenbach, à Bogen, & multi alij, quos enumerare lõgius ab incepto est. Vt autem altius repetam: Ottonis ducis tritauus Berchtoldus, præfectus prætorio Boiariæ, curator templi Fruxinorũ, filius Arnulphi primi Schirorũ dynastæ, qui author originis, & cognominis, nepos Arnulphi reguli summi Boiorum, Vindelicorũ, Nariscorum, Noricorum, Imp. Ottoni secundo rebellauit, aduersus eundem Hainricum secundum ducem Boiorum, amitinum suum, sicut suprà in quinto libro narrauimus, concitauit. Huius filius Babo, Babonem ab Abensperg patriæ meæ regulum, & Ottonem primum progenuit. Hic præfectus prætorio (sicut in diplomate Imperatoris Hainrici tertij legimus) fuit Boiariæ & Kelhaimorum. Ex Tuta vxore, Ottonem secundum, Eckhardum primum, Arnulphumque à Dachavv, comitem tulit, Fruxini sepultus est: secundus cũ vxore Haziga Vischpachau condidit, diui Benedicti sacris initiauit, vbi ambo conditi fuisse perhibentur, Schiram deinde translati sunt. Reliquere tres filios, Eckhardum secundũ, Bernhardum & Ottonẽ tertium. Is in Witelspach habitauit, vnde & soboles eius cognomen sortita est. Cum Vvelphone duce Boiorum Hierosolyma profectus, ibidem obiit mortem, cum fratre Eckhardo, anno Christi millesimo centesimo super primum. Vxor eius Richarda, filia Magni ducis Saxoniæ, soror Vvolhyldis, quæ Hainrico octauo duci Boiorum nupsit. Ex his nascuntur Vlricus, Ludouicus & Otto quartus, quem apud Nariscos Enstorff D. Benedicto, in Vindelicia Vnderstorff Haminibus Augustalibus condidisse constat. Ex Helica Ottonem ducem qui & maior, Fridericum Bardum, Cõradum archimystam Mogontinum atq; Iuuauensem & Ottonem minorem procreauit, reliqua quæ adhuc ad elogia generis attinent & desiderantur, apud Vnderstorff in vetustis diplomatibus (quæ mihi nescio quam ob causam, eiusdem fani antistes, per fidem atq; salutem principum obtestatus, exhibere noluit) quærenda sunt. Otto iunior ex Benedicta filia Mangoldi Verdunensis Ottonem vltimum tulit. Fridericus cœlebs vitam finiuit. Otto maior magni animi princeps, laboribus atque bellis asper, amicus bonorum, inimicus malorum, viribus corporis, ingeniiq; dotib. pollens, domi forisq; pręclarus, consilio atq; manu iuxtà valuit. A pugione atq; Aquila Imp. Friderico primo Barbarossę Cæsari Augusto fuit. Sæpius suscepta legatione in Italiam, Romam, in Græciam ad Imperatorem Orientalem, Constãtinopolim profectus est. Modestè Augusto parendo omnem suam operam Reipublicæ deuouit, omnes neruos disciplinæ militari intendit. Plurima in Italia præclara facinora fortiter edidit auspiciis Augustalibus. Complura de eo Guntherus vates Germanus, Otto Fruxinensis pontifex Richouinus, eiusdem fani mysta in annales retulerunt. Imperator equitibus, militibus, populo æquè charus fuit. Quamobrem in celebri Reginoburgij cõcilio, suffragio optimatium Imperij abdicato, crimineq; læsæ maiestatis condemnato Hainrico duodecimo, Boiariam valentissimum Imperij ducatum, vnde maiores sui ante annos ducentos atq; triginta vnum, ab Imperatore Ottone primo submoti fuerant, in fidẽ virtutis ergò ab Imp. Friderico primo accepit, tertio Idus Iulij, qui dies diuo Hainrico

Vischachau conditur.
Palatini à Vvittelspach.
Enstorff proximè Ambergam.
Vnderstorf non procul à Monachio.
Hainricus 12 pellitur, & Otto restituitur.

rico secundo Cæsari Augusto festus est, anno ab orbe seruato millesimo centesimo octogesimo. Ius sæpius in Asylo, porticibusque templorum, in frequenti populi corona, ciuibus, agricolis, sacerdotibus, & nobilitati dixit. Mortuo Conrado atque Arnulpho vltimo huius patruo consentiente, ab Vthylda Conradi ducis Dalmatiæ & Meraniæ, Dachau emit duodeuiginti pondo auri. Est autem Dachau vicus atque arx superioris Boiariæ, à Monachio occidentem Septentrionalem versus decem millia passuum abest, alluitur Ambrone fluuio. Arnulphus frater Ottonis secundi Schirensium reguli, primi filius, Dachau à fratre accepit, ibi soboles eius habitauit, Dachunensesque dicti sunt præfecti. Ex Arnulpho & Beatrice nascuntur Otto à Phalay & Conradus à Dachau. Huius vxor Wilpyrga, filij Conradus secundus dux Dalmatiæ, & Arnulphus à Dachau. ille Bergomi in expeditione Italica decessit, anno æræ nostræ M. C. L VIII. Ex Vthylda Conradum tulit, qui absque liberis obiit. Phalaia arx est primæ Vindeliciæ, inter Isaram & Oenum, sub radicibus alpium, qua Mangualda amnis præterfluit, Ahanstain nunc dicitur. Eius reguli à Dachau oriundi, quos infrà narrabo. Nunc ad Ottonem redeo, qui Raning quoque infiscauit. Raningij vestigium extat inter duos Lauaros amnes, ad decimum lapidem infra Abusinam patriam meam, eorum Rotenburgium fuisse aiunt. Paring diuum Magnum Reginoburgij, Raningij dynastæ Hainricus, Gebhardus, Conradus condidere. Machtylda mater eorum cum Gebhardo apud diuum Magnum condita est. Hainricus & Conradus apud Paring. Huius filia Benedicta, vxor Iuditha, soror Margaretha, filius Conradus fuit: hi absque liberis decessere. nec plura de comitibus de Raning comperi. Eorum opes ad Ottonem regulū Boiorum rediere. Qui Kelhamorum vrbem ad confluentem Alemanni, Danubiique, vbi in regia eiusdem cognominis tum munitissima natus fuit, extruxit. Landeshutam (galeam atque tutelam patriæ siue regionis valet) inferioris Vindeliciæ ciuitatem nobilissimam prętorium principum nostrorum, in ripa Isaræ, Iudæis quoque deductis eò colonis, auspicatus est: ita vetus diploma apud Schefftlarn ostēdit. Reginoburgium vrbs ea tempestate potentissima, hactenus domicilium ducibus atque regulis Boiorum fuerat. Ciues nacti occasionem ob toties mutatos Principes, excusso iugo regulorum Boiariæ se vindiciis redemptos in libertatem vindicant. Vectigalia tamen & portoria, seruitutemq; huiuscemodi sibi non asseruere: eadem adhuc nostri Principes partim possident, partim ciues ex pacto obtinent.

Dachau arx & vicus.

Comites à Dachau.

Otto 1 Comes à Phalay.

Raning diruinum castellum.

Paring monasteriolū.

Sub idem tempus Ottonis frater Conradus archimysta Boiorum cardinalis presbyter sancti Marcelli, Sabonensis episc. templi Iuuauensis, quod vti supra diximus, conflagrarat fundamenta iecit, hoc elogio: Quartodecimo Calendas Martij, imperante Friderico primo Augusto & Henrico eius filio Cæsare, Ottone de Vuittelspach inclyto Boiorum duce. Eadem tempestate Hainricus atque Otto fratres Reitenburgenses reguli Tisiam atque Alemanni monasterium, equitibus sacris, quos à templo Palæstino cognominant, dedicauere, quòd hisce excisis, Rhodiis, quos Ioannitas nuncupat, traditur. Albertus Fruxinensium pont. ope atque consensu Ottonis Boiariæ ducis, Ottonis à Vuitelspach dynastæ, Theoderici à Vvasserburg comitis, sacram ædem, quæ irato Vulcano perierat, reficit. Fames atque cupido honorum, & diuitiarum inexplebilis est. Vnde bella per omnia secula terris omnibus continuantur, plus hominum luxus, ferrum & arma, quàm naturalis fatorum conditio rapit. Ro. secundus Noricorum Gurtzensis episc. eodem moritur tempore. Mystæ atque populus Hermānum Ortenburgensem allegunt Pont. Conradus Salisburgensis archimystes illos sibi contra fas beneficium præripuisse causatus, Theodericum Iuuauensem prępositum Gurcensi ouili absq; consensu gregis imponit. Contractis copiis Hermannum Strasburgij apud Noricos obsidet. Petrus Bosius, legatus Alexandri pont. max. frustra in rem præsentem vadit, ab armisque vtrumque discedere, & Romæ potius iure disceptare iubet. Conradus mandata hæc floccifacit, obsidionem pertinaci animo continuat, obsessos fame expugnare pergit. Arbitris tandem Ottone à Vuittelspach minore, præfecto prætorio Boiariç, Odagrio Stirio, Hermannū Charionum regulo, Ottone Bambergensi episcopo, Hainrico pont. Brixinensi pax sancitur. Hermannus pontificatu se abdicat, arcem tradit Conrado, qui eam exussit. Cæterùm ob portorium, vectigalque salinarum Otto frater eius regulus Boiorum & Albertus Pont. Fruxinensium inuicem decertarunt. Hic sibi portorium mercatum, pontem, iuxta sententiam Imp. restitui postulat: ille seruare, quæ acceperat, decreuit. Sed vtrunq; dum adhuc sub iudice lis est, fata abstulere. Otto cū Boiariam annos tres diebus duob. minus administrasset, moritur, V. Idus Iulij, anno ab orbe asserto 1183. Sophiā & Machtyldā filias, Ludouicum filium impuberē ex Hagna filia Theoderici à Vvasserburg tetrarchæ reliquit. Ex testamento tutores fratres suos dedit puero. Cōradum archimystam Salisburgensem atq; Mogontinum, Fridericū Bardum, quondam præfectum prætorio Boiariæ. Corpus ad Scheurn delatum est, iustisq; interfuere hi dynastæ, Fridericus dux Sueuorū, frater eius Philippus, filij Imp. Friderici primi: Cōradus à Phalay, Hainricus à Dornberg, Conradus à Mosburg, Almannus & Eberhardus fratres ab Abentperg, Arnulphus à Dachau, Fridericus Bardus, Vvernherus de Labar, & pleriq; alij. Ludouico itaq; impubere, patrui eius Fridericus, Otto & Conradus archimystes, summa prudentia, auspicio tutorio

Otto dux Boiariæ moritur, eius funus.

Hagna quæ & Agnes comissa à Vvasserburg.

Comites à Sultzbach. Rietenburg deficiunt. 1185.

Boiariam administrarunt. Istoc tempore dynastę Nariscorum à Sultzpach atq; Rietenburg defecere. Horum enim progenies in Gebhardo atq; Hainrico extincta est, anno ab orbe seruato millesimo, centesimo, super quintum & octogesimum. Opes eorum atque prædia, castella, vici, arces, velut bona derelicta, hærede vacua, ad fiscum atq; ærarium reguli Boiorum lege redierunt. Sultzpach Nariscorum municipium est haud contemnendum, cuius tetrarchæ ab Ernesto Castellano duce, & Ottone de Ambergthal genus traxere. Proles illius Gebhardus Sultzpach condidit, nepos Berengarius castellum in templum commutauit, D. Benedicti consecraneis dedicauit: Berchtoldsgaden apud Noricos flaminū Augustalium collegium instituit. Eius soboles Fridericus, Otto & Hermannus Habusobergentes. Berengarius secundus à Sultzbach, cuius filiæ Gertrudis & Bertha, eadem & Irena, Augustæ, hæc Manuelis Imp. Orientalis, illa Conradi Occidentalis coniunx. Parens horum in obsidione vrbis Romanæ periit, anno æræ Christianæ M. C. LXVII. Gebhardus vltimus absque liberis duodeuigesimo deinceps anno. Rietenburg arx & vicus est in Boiaria Septentrionali, Germaniaque Magna, supra Kelhaim occidentem Aquilonarem versus, ab hostiis Alemanni decem millia passuum abest. Eius dynastæ, præfecti vrbis Reginoburgensis fuere. Landgraphii à Stephaning, Lengenfeld & Kalmuntz nuncupati sunt. Author huius familiæ Babo Abusinus, patriæ meæ regulus, quem triginta filios procreasse, suprà in lib. 5 retulimus, quorū vnus Rupertus duos mares ex Wildruda tulit, Magnum comitem de Ror, & Hainricum comitem de Rietenburg. Hic anno Christi & liberatoris nostri millesimo, centesimo super primum Hierosolymæ obiit: filius eius Otto, nurus Sophia, vxor Richarda fuit. Otto Allerspach condidit Cisterciensium monachorum templum, Reginoburgii in vestibulo ædis diui Haimerami sepultus est. Ab hoc sunt Otto Landgrafius à Stephaning, & Hainricus Burgrafius, ita Boia lingua vocati sunt, Rom. sermone præfectum limitis atque vrbis valet. Hainricus ex Bertha filia D Luitpoldi, sorore Luitpoldi & Hainrici summorum Boiariæ regulorum, Otto ex Adelhaide sorore Ottonis à Witelspach tres liberos, vterque cognomines progenuerunt Fridericos, Hainricos, Ottones. Hique omnes absque liberis decessere. Berthæ sepulchrum Reginoburgii in templo Scotorum ostenditur. Castella, arces horum, ducibus Boiis parent. Subsequenti anno, qui est æræ nostræ millesimus, centesimus octogesimus sextus, Odagrius Stirius cùm liberis careret, Anasi in monte D. Georgio dicato, testamento Stiriam, Neuburgium, Varnpach, Lambach, Soharding, Luitpoldo Austriaco legat. Hæc quatuor ad Odagrium patrem illius, morte Eckberti, Pictauionum dynastæ lege redierant. Testes qui more Noricorum atq; Boiorum auriculas apposuere, hi sunt. Henricus & Sighardus Schalę, Albertus & Adelramus Chamabi. Sitridus & Otto de Libmau. Luitpoldus & Hainricus Plaienses, Conradus Dornbergensis, Bernhardus Hagiodunus, Bernhardus Schoneburgensis, Conradus de Pilenstain, Eckbertus Beronecho, Wichardus Carolobergensis, Wernherus de Griespach. Angelbertus Plancoburgēsis. Neuburgium autem & Varnpach atque Scherding Boiorum sunt, arx, templum D. Benedicti, ciuitas Oeno contermina, ab hostiis eiusdem supra Bathauiam decem millia passuum distant, Neuburgium & Scherding, Vvarnpach medio ferè itinere ab vtroque abest. Scherding in ripa Noricorum, Neuburgium verò atq; Varnpach in Vindelicorum parte cubant. Hæc tum ex testamento Luitpoldus Austriacus regulus possedit, apud Scherding regiam consentiente Ludouico occidentali Boiorum rectore, construxit, sæpiusque ob istos vicos Austriacis, occidentalibusq; præsidibus bellum fuit, quæ suo loco referentur. Eadem tempestate rex Ægypti Palæstinam inuadit, triginta amplius millia Christianorum contrucidat. Imperator Fridericus I Reginoburgium in hyberna concedit, conuentus agit, expeditionem Asiaticā indicit, declarato Hainrico filio suo Cæsare, arma in Asiam mouet. Pleraq; Boiariæ nobilitas cum Augusto profecta est. Theobaldus genere Sueuus, Bathauensis episcopus, filius Theobaldi Bergensis & Gisalæ ab Andechs, frater verò Vlrici Bergēsis dynastæ, Ottonis 3. episc. Fruxinensis, Hainrici Würtzburgensis Pont. Manegoldus in Chrebsmunster atq; Tegernsee præsul, qui successor fratris Theobaldi in pontificatu fuit, item horum amitinus Berchtoldus dux Dalmatiæ siue Maranię comites Imp. fuere. Theobaldi iussu eius decurio Tageno expeditionem hanc æternitati literarum consecrauit, quam ego Reichenspergii inueni, eamq; Conrado Adelmanno mystæ Augustensi, vt illam publicandam curaret, superiore anno misi, quamobrem is tam diu rem differat, nescio. Fridericus victricibus armis Thracia, Asia, Cappadocia, Armenia, Cilicia peragrata, Acone regia Turcarum primo impetu expugnata, Seleuciæ in Syria repentina morte obiit. Tum plerique omnes prope Antiochiam dira lue absumpti sunt, & quasi capite Imperii extincto, cætera quoque membra triginta millia fuisse referuntur, contabuerunt. Inter hæc Hainricus Cęsar Mediolani nuptias cum Constantia filia regis Siculi facit, Campaniam in ditionem redigit. Neapolim obsidet, inde Romam proficiscitur, Paschalium altero die, septimo decimo Cal. Maii consecratur à Cœlestino 3. Pont. Max. qui pridie inauguratus fuerat. Sub idem tempus Vvelpho dux Ethruriæ atque Spoleti, Lycatiorum tetrarches moritur, eius mausoleum & monumentum extat in superiore Boiaria apud Staingaden. Imp. in Germaniam

Bertha quæ & Irene Augusta.

Gebhardus vltimus comes de Sultzbach.

Rietenburg comitatus.

Fridericus I. it. etiam expeditionem parat.

niam proficiſcitur, in celebri apud Vangionas concilio, Sueuiam Conrado fratri Philippo itidem germano ſuo Ethruriam Spoletumq; tradit. Hainrico vndecimo, Saxonia atq; Boiaria cum liberis atq; vxore, ab Auguſto patre pulſo, ad Anglosque relegato gratiam facit, filium natu maiorem obſidem capit. Brunonis vicum, Luneburgum, vrbes Saxoniæ reddit. Clementiam patruelem ſuam filiam Conradi præfecti pretorio Rheni, Hainrico filio illius dat in matrimonium, huicque principatum Rhenanum in tutelam committit. Illiq; progenuere duas filias Irmingardim, Hartmanni Badenſis vxorem & Hagnam coniugem Ottonis 5. reguli Boiorum. In eodem concilio Ludouicus dux Boius, more maiorum virilem togam ſumpſit. Principes nimirum atq; propinqui enſe, ſcuto, framea iuuenem ornarunt, moxq; Reipub. pars eſſe cœpit, qui antea domus duntaxat videbatur. Nec enim cuiquam arma ſumere tum anteà licebat, quàm Cæſar ſuffecturum probaſſet.

Mos notandus.

Cæterùm dum ea res agitur, Boiaria interior incendio, præda, cæde, inteſtino tumultu affligitur. Albertus à Bogen, Rapoto, atq; Henricus fratres Artenbergenſes, ob limites, atq; venationem, clientelam Altaichij interioris diſcordant inter ſe, ad armaque concurrunt. Rapoto Vilshofen vicum mœnibus cingit, eò coloniá deducit, iure ciuitatis donat. Vnde Altaichio inferiori, Diethmaroq; antiſtiti damna, ad ducentas libras iniunxit. Albertus curator templi, cui nupta erat Laodamia Boiema, Ottocarum Boiemiæ regulum, cui affinitate & confinio proximus erat, ſocium ad ſe aſſciſcit, Boiariæ fines intrat, igne, ferro impunè graſſatur.

Laodamia Boiema.

Ludouicus hęc prohibiturus obuiam armatus pergit. Verùm ab Alberto in fugam datur. Multi tum mortalium viri, fœminæ, pueri, puellæ in Boiemiam captiui abducti ſunt, vici, caſæ, ædes ſacrę, prophanæ, direptæ, incenſæ, Altaichij inferioris, finitimorum templorum opes grauiter attritæ ſunt. Altera parte Danubij, Calendis Octobribus Luitpoldus Orientalis dux, Berchtoldus ab Andechs Dalmatiæ regulus, quam Meraniam vocant, cæteri Boiariæ, Stiriæ, Charionum proceres aduerſus Rapotonem, atque Hainricum fratres Artenbergenſes dynaſtas, pacis violatores arma ſumunt.

Luitpoldus Auſtriæ dux.

In confinio Norici, atque Vindelici, quatenus Oeno atque Danubio continuantur, vniuerſa deuaſtant, nec ſexui, nec ætati parcunt. Artenbergium obſident, Oſterhofiæ pleraque damna inferunt, nullam rationem nec ſacri, nec prophani habent. Rapoto de Stain, Eckhardus de Dornberg, Auſtriaco fauentes Paumburgium, quod ſub tutela Artenbergenſium erat, compilant. Ludouicus Occidentalis dux Carnoburgium arcem & vicum tetrarchiam Boiorum, atque Noricorum inter Vrinum, & Waſſerburgium, quam Angelbertus patruus Artenbergenſium tenuerat, obſidet, vindicat, in ditionem cogit.

Artenbergenſes marchiones à Crainburg dicti.

Imperator Reginoburgium in Hyberna concedit, Boios vniuerſos, Nariſcos, Vindelicos, Noricos, Auſtriacos occidentales, ab armis diſcedere iubet. Octauo Idus Octobris Albertum à Bogen, authorem huiuſce belli contra Rempub. feciſſe declarat, proſcribit, in Apuliamque relegat. Ottocarum Boiemum, qui illi auxilium tulerat, ducatu ſubmouet, Boiemiam Bizetiſlao, ſiue Hainrico pontifici Pragenſi committit. Ludouicus occidentalis dux, Godfridum de Stain apud Nariſcos dynaſtam, Piburgio proximè patriam meam oriundum, quòd cum hoſtibus clam ſenſerat, crimine læſæ maieſtatis ſententia principum condemnat, ſecurique percuti iubet. Hiſce confectis, Luitpoldus Stirius, atque Auſtriacus domum reuerſus fit certior à Wernhero Charionum rectore, patruele Artenbergenſium, Viennæ habitu ſeruili latitare Richardum regem Anglum.

Wernherus Charionum dux.

Is in obſidione Ptolomaidis inſigni contumelia Auſtriacum, ſigno eius refixo, in lutum abiecto, pedibusque conculcato affecerat. Præterea Cypri rectorem, cui matertera Luitpoldi vxor erat, capite deminuerat, vrbes eius occuparat: cumque deinde domum redire parat, naufragium facit, omnibus penè amiſsis in littus Hiſtriæ eiectus eſt. Inde Aquileienſium, Charionum, Stiriorum agro cum paucis perreptato, Viennam Auſtriæ peruenit. Vbi agnitus in vincula à Luitpoldo conijcitur, duodecimo Calendas Ianuarij, & confeſtim ſeptimo deinceps die Reginoburgium ad Imperatorem Heinricum Cæſarem Auguſtum deducitur.

Richardus Angliæ rex cur à Luitpoldo Auſtria captus.

Philippus rex Francus vbi iſthæc accepit, Nordmannium, Rothomagum, & cætera quæ in Gallia Anglus poſsidebat, in ditionem ſuam redigere conatur. Anglus quinquaginta marcarum, hoc eſt, quatuor centena millia vnciarum (Marca enim octo ſunt vnciæ) tribuit Auſtriaco, ſicuti hic Alberto dynaſtę Boiorum, & is ad Cæleſtinum Pont. Max. retulit.

Marca quid.

Vnde Anaſſus, Hunnoburgium, Neoſtadium, vrbes inſtauratæ, Viennæ mœnia ampliata, pleraque alia caſtella refecta ſunt. Auguſtus ab Richardo mille marcas auri tricies extorſit. Sunt auri, vnciæ mille ducenties quadragies, faciunt auri tinas, vt noſtri appellant, vndeuiginti ſuper viginti millia drachmarum auri. Tina autem eſt nummum aureum centum millia:

Tina quid.

Drachma verò octaua pars vnciæ, nimirum aureus nummus, quem Rhenanum vocant. Ita auro Anglus emunctus, domú redit, aduerſus Gallum regé bellum continuat. At Imperator acceptam pecuniá ab Anglo militib. diſtribuit, copias in Aſiam præmittit, quibus præficit, duceſq; dedit Henricum Saxonum, Hermãnum Turogorum rectores, Conradum archimyſtam Mogũtinum magiſtrum Epiſtolarũ, Heinricum Palatinum à Rheno, filium Hainrici vndecimi, Boiariæ quondam, ac Saxoniæ reguli, Fridericum Auſtriacum, filium Luitpoldi ſuperioris, Conradũ Lęcholingonem epiſcopũ Reginoburgẽſem, Gotfridum Brabanticinũ,

Principũ nomina & epiſcoporũ qui cum Imp. in Syriam adnauigarunt.

Hh 4 Henri-

Henricum Calatinum, Albertum à Bogen, Wolfgerũ ab Ellenbrechtskirchen episcopum Bathauensem. Ipse è Boiaria in Italiã migrat, Apuliam petit, Irenam Gręcã Philippo fratri suo nuptum collocat, eiq; ducatum Sueuię, mortuo fratre Conrado tradit. Vbi anno eodem Augusta filium peperit, cui aui Friderici nomen parentes dixere. Albertus à Bogen, qui in Apulia exulabat, posteaquam hoc accepit, ad Imp. ob recens natum hæredem lætabundum cum suppliciis se confert, veniam non solùm sibi impetrat, sed & dignitaté, ac honorem & sibi & Ottocaro Boiemo recuperat. Ambo edicto restituuntur. Philippus cum sponsa sua in Germaniã migrat, Augustæ in Rhætia regio cultu magnificè nuptias facit. Conuênere frequentes principes Imperij, filium Augusti in cunis adhuc vagientem Cæsarem declarãt, eidem fidẽ tabulis signatis astringunt. Eadem tempestate pleriq; Principes finem viuẽdi faciunt. Hainricus Brunsuicensis nepos Imperatoris Lotharij, Saxonia atq; Boiaria pulsus. Fridericus Bardus patruus Ludouici Boiorum ducis, apud Nariscos in Ensdorff sepultus.

Philippus dux Sueuię.
Fridericus filius Henrici ex Constantia quinquagenaria nascitur.

Hainricus ex Machtylda Anglia tres mares tulit, Hainricum, Ottonem, & Vvilhelmũ authorem regulorum Brunonis vici. Haud ita longo pòst tempore Imperator in Sicilia mortem obiit, relicto filio impubere. Confestim parricidiali discordia orbis Christianus affligitur, duo pro Imperio authore & antesignano primario sacerdote decertant, Philippus frater Imperatoris, tutor nepotis impuberis, à Ludouico Boio, sociis eius Sueuis, Noricis, Vindelicis Cæsar salutatur. At Saxones, Boiemi, instigante Innocentio tertio Romano episcopo, qui eos sacramento, quo Friderico infanti authorati erant, soluit. Pręterea Richardi regis Angli pollicitis inescati, amitinum eius Ottonem filiũ Hainrici vndecimi, Saxonia atq; Boiaria exacti, nepotem Hainrici noni, itidem Boiariæ atq; Saxoniæ regno deturbati, pronepotem ex filia Imperatoris Lotharij, rebus imponũt. Eum Angli pecunia adiuuant. Philippo rex Occidentalis Francię fautor adest. Ita Germania ciuilibus armis, Pont. Max. classicũ canente, attrita est. Argentoratum, Erdfordia, Aquæ Graneæ, Agrippinensis Colonia, itẽ aliæ vrbes obsessæ sunt. Philippus, vt sibi Boios cõiungeret, filiã suam Chunegundam Ottoni præfecto prętorio Boiorum, patrueli Ludouici ducis Boiariæ, despondet.

Papa discordiam serit, & duo Imperatores creantur.
Origo ducũ Brunsuicensium.
Hainricus 6. moritur.

Nostri qui in Asia erãt, audita morte Imperatoris, ciuiliumq; armorũ tumultu, nulla re memorabili gesta, non sine periculo Reip. Christianæ maximo, domum remigrant. Fridericus Austriacus ibi periit. Wolfgerus Bathauẽsis episcopus, Albertus à Bogen in Boiariã reuersi, bellum Rapatoni, & Hainrico Artenburgensib. indicunt, castella eorum expugnant, vicos incendunt, ædes diripiunt. Oberndorff arcem, & vicum Oeno conterminũ in ripa Noricorum episcopus constituit, atq; munit. Albertus archimysta Boiorũ à suis nobilibus, equitib. in vincula conlicitur. Albertus à Bogen fato concedit, treis filios superstites reliquit, Luitpoldum sacerdoté, Berchtoldum, Albertũ. Pleraq; tum prodigia in Annales relata reperio. Augustæ apud Rhetos hostia in carnem cruentam conuersa est: terræ tremor quarto Nonas Maij orbem terrarũ afflixit, vrbes, casas, ædes, tẽpla subuertit, apud Lõgionas, pagũ Boiarię, qua cum Hercynio iugo ad Boiemiã pertinet, annum & sex menses continuatus est. Incolę relictis ædificiis sub dio, atq; Ioue frigido manere coacti sunt. Otto Frisingensis episcopus Ottenburgiũ superioris Boiariæ arcẽ condit, præsidio firmat: ob salinarium portorium, vectigalq; Boiorum regulo, Monacensibusq; bellum indicit: salem deuehẽntes, Veringen vicum, atq; Ottoburgiũ petere cogit: cætera itinera pręcludit atq; obsidet. Hactenus episcopi, sacerdotes, monachi, sacratæ fœminę ocio literario addicti, scribundis libris, vti adparet, in Bibliothecis operam nauarant. Prophani, qui sacerdotes collocupletarunt, prædia sacerdotalia administrarant, eos Conradus quoq; Reginoburgensis episcopus ex Asia reuersus, à curatione Ecclesiasticarum opum, Deo dicatarum, deuotarumq; superis, amouere vi connititur. Eberhardus archimysta Boiorum ob clientelam & parochiam Vtinensem cum duce Boiorum digladians, socia arma collegis suis iungit, atq; de improuiso cõiunctis copiis, nemine resistente, fines Boiarię inuadunt, castella expugnant, omnia cæde, incendiis complent, templa expilant, nec ab aris atq; sacris manus sacrilegas, egregij sanè pastores, abstinent: oues quas pascere deberent, more luporum sub magna superficie pietatis deuorant. Et ne omnino res diuinas floccifacere videantur, magno religionis supercilio Chunegundam Augustam albo Superũm adscribunt. Mox verus, & æternus pastor gregem suum vlciscitur. Fruxinum atq; Iuuauia cum templis conflagrant. Conradus Reginoburgi eodem anno animam efflat.

Albertus à Bogen moritur.
Prodigia varia.
Terræmotus ingens.
Ottenburg ædificatum.
Sacerdotum & religiosorum mos statim commutatus.

Ludouicus Teispach inferioris Boiariæ regiam: quæ episcopo Reginoburgensi parebat, obsidet, oppugnat, insidiis capit, mœnia solo ęquat: fossam explet. Philippus episcopos ab armis discedere iubet. Conradum filium Conradi Phronthusij, atq; Medulli oppidorum Boiariæ dynastæ Pontificem Reginoburgensem, Eckbertum ab Andechs adhuc impuberem, fratrem Hainrici Histriæ, atque Carnorum præfecti, episcopum Bambergensem legit: deinde aduersus Ottonem pugnat. Spectante itaq; atq; concitante Rom. sacerdote, Philippus & Otto cognatas acies committunt, frater aduersus fratrem, filius aduersus parentem confligere cogitur, atq; inuicem sanguine se polluunt. Argentoratum, Aquæ Graneæ, Agrippinensis Colonia, Erdfurdia; pleraque alia oppida obsessa, cuncta luctu, cæde completa sunt. Quis aliam tantæ discordiæ inter Christianos causam attulerit, nisi

Ludouicus Teispach.
Impp. fratres inter se confligunt Papa concitante.

Romani

Romani episcopi spectaculum, quasi paria componentis? Populus Christianus mutuis se vulneribus, cohortantibus flaminibus Romanensibus contrucidauit. Dum hæc in Germania fiunt, ad Septentrionem in Asiatica Sarmatia Tartarorum primùm audita sunt arma. In Thracia Germani Saxones, Flandri, Halberstatensis episcopus expugnato Byzantio, rebus Orientalibus Baldouinum Flandrum imponunt. Inter hęc Philippus Hainricum Histriæ, Carnorumque rectorem cum Ottone sentientem dignitate submouet: Carnos & Histros Ludouico Boiariæ duci in tutelam tradit: Eundem cum episcopis Boiariæ in gratiam redigit: Monacenses quotannis è portorio septem & quinquaginta drachmas auri Fruxinensibus pensitare iubet. Conradus Reginoburgensium episcopus, quòd cognatis & hæredibus priuatus erat, Fontenhausen, Werd, Künigsvverd, Teispach, Buros Vindelicorũ, atque Noricorum castella Ludouico regulo Boiorum vendit. Xenodochium Reginoburgij in altera ripa ad ceruicem pontis lapidei, in suburbano Ludouici oppido condit. Eberhardus archimysta Iuuauensis tres Pontificatus instituit: In Boiorum lacu maximo apud Noricos Chimensem, in confinio Norici, atque Pannoniæ Seccouiam, atque Lauentinum, hisque præficit Rogerium Radechonem, Carolum Frisiacum, & Vlricum. Ludouicus pacis atque iusticiæ studiosissimus, plurimum dignitatem atque opes Vindelicorum, quæ multum Imperator Fridericus separato inde Norico diminuerat, auxit, magnificè pleraq; condidit. Boiariam nouis coloniis impleuit. In inferiore Vindelicia, in ripa Danubij Strubingam, clarissimum municipium extruxit, atque Abudiacum olim excisum, arcem in agro Pruuenensium monachorũ refecit, monachis aliis prædiis satisfecit, nempe Chynigobisen regium beneficium ipsis reddidit. Arbitri fuere Antistites hi, Hainricus Tigurinus, Conradus Schirensis, Gotfridus præpositus Reginoburgensis: atque hi dynastæ, Albertus à Bogen, Conradus à Mosburg, Diethpoldus Dolechensis, Menardus ab Abensperg, qui & à Roteneck. Atque idem Ludouicus in ripa Isaræ Landau ædificauit, Dingelfing auxit, arcem Landshutæ erexit, Monachij xenodochium, ædemque vbi pauperes alerentur, publica annona pascerentur, instituit. Iuxta Oenum in ora Noricorum Scherdingij eius consensu à Luitpoldo Austriaco regia extruitur. Ipse Braunau, quod hactenus suos regulos habuerat, mœnibus cingit, ciuitate donat, eoque à Rantherouta prætorium, portoriumque transfert. Vtini collegium condidit, in quod duodecim populares mystas cum Antistite cooptauit. Toparchias Boiorum Cham, Frontenhausen, Dachau, Andechs, Wittelspach, Vogburg, Rietenburg, Stephaning, Lengfeid, Sultzpach, Krayburg, mortuis absque liberis tetrarchis vendicauit: palatium quoque Rheni in Boiariam transtulit. Imperatoribus ex Sueuia oriundis ob paterna beneficia acceptus, eisdem virtutis ergò perquàm charus fuit, præcipuè Friderico, Philippo, & Hainrico. Eodem tum anno Pilgrinus patriarches Aquileiæ, cui Wolffgerus Bathauensis episcopus relicta Popponi Bathauia, suffectus est, & Bertholdus dux Dalmatiæ atque Croatiæ legatus, ex Damasia atque Andechs castellis superioris Boiariæ oriundus, animam efflarunt. Berchtoldi liberi, Gertrudis regina Vgrorum, vxor Andreæ, & ij parentes diuæ Elisabethæ, Otto dux Meraniæ, præfectus prætorio Burgundiæ, Hainricus præfectus Histriæ atque Carnorum, Berchtoldus & Eckbertus pontifices. Sub idem tempus Ludouicus Boiorum regulus Laodamiam fœminam cordatam, atque pulchram in Boiemia ortam ducit, ipsa prius Alberto à Bogen nupta fuerat. Ottocarus Boiemus hac affinitate delinitus, suasu Ludouici ab Ottone ad Philippum deficit, isque Ottocarum, successoresque eius perpetuò sententia principum, reges appellat. Ottonem à Vvittelspach ob homicidium generum abdicat, Chunigundam filiam, quam illi desponderat, Vvenzeslao filio Ottocari dat in matrimonium. Post hæc Otto & Philippus, vbi satis debacchati sunt, sanguineq; cognato polluti, pacem sanciunt. Otto filiam Philippi, magnæ amitæ suæ proneptem, vxorem ducit. Philippus Bambergensi Eckberto, purganti se, quòd coniurasse cum rege Vgrorum suspectus erat, gratiam facit. Hisceq; ex sententia confectis, cùm eum satietas hominum atque negotiorum odium cœpisset, vt requiesceret atque illam expueret misertam ex animo, Bambergam secedit, venas secat, profluuio sanguinis morbidum corpus exonerat. Otto à Vvittelspach assumptis secum ministris Eckberti episcopi atque fratris huius Hainrici Histria exacti, quasi quippiam secreto cum Cæsare, quod ad salutem eius spectaret, collocuturus, aulam petit, facileque ad conclaue Philippi admittitur. Nemo tum præter sacri scrinij magistrum atque Hainricum Druchsasium à Vvaldburg Sueuiæ oppido oriundum, præstò erat. Otto vbi solitudinem animaduertit, ense iugulum Philippi nihil mali suspicantis de improuiso petit, lethaliter, licet leuiter, sauciat. Vociferanti Truchlassio pessulum ostio obdere conanti, malam eodem ense attigit, plagamque facit. Ita ad ministros erumpit, quorum ope elabitur. Philippus paulo pòst fato concedit, X. Cal. Iulij, anno ab orbe seruato, millesimo, ducentesimo, super octauum. Confestim Otto à Vvittelspach, Eckbertus episcopus, Hainricus frater eius proscribuntur, crimine læsæ maiestatis condemnantur. Eckbertus in Vngariam ad sororis maritum, Hainricus in Palæstinam elabitur. Otto in Boiaria palabundus oberrat. Rapoto ab Artenberg prætorio Boiariæ præficitur, qui vices Cæsaris absentis, præsidendo tribu-

Byzantium expugnatur.

Nota.

Strubinga ædificato.

Ludouici Boiorum ducis ædificia facta.

Qui fato cesserint.

Laodamia Boiema.

Ottocarus rex Boemiæ primum creatur.

Otto Palatinus Cæsaris iugulum petit.

Otto reus Maiestatis

tribunali perfungatur. Ludouicus dux Boiorum, Otto à Phalay, Hainricus Calatinus Andechs arcem Hainrici inuadunt, diripiunt, solo æquant, prædam inter se diuidunt, sacra Wolffratshusium, inde ad Matronam mõtem in templum diuo Petro dicatum, Oeno conterminum, furtim sublata, ibique condita sunt. Iidem Glaneck, Buchosos simili clade afficiunt. Ludouicus præterea dux Boiorum Wittelspach quoque, patruelis sui regiam, incunabula maiorum suorum diruit, solo æquat, templum ibi Deiparæ Virgini condit, sacratis Teutonum equitibus tradit, lapides haud procul inde Aicham deuehit, in ripa Barij amnis nouam coloniam deducit. Ita mihi Ioannes Hælius ciuis eius vrbis, harum rerum studiosissimus retulit. Porrò Otto à Ludouico, aliis nutantibus ad Aquas Graneas deducitur, ibiq; inungitur. Deinde ab omnibus recipitur. Subsequenti deinceps anno Romam proficiscitur, Augustusque appellatur, moxque Campaniam Imperatoribus dolo Romanorum flaminum præreptam inuadit, subigit, Capuæque hybernat. Inter hæc in Boiaria Hainricus Calatinus apud Oberndorff proximè Abudiacum, haud longè à Reginoburgio, in ripa

Otto à Calatino occiditur.

Danubij Ottonem à Wittelspach profugum deprehendit, vulneribus confossum occidit, caput eidem amputat, in Danubiumque proiicit, Cæsari sanguine percussoris atque parricidæ parentat. Reliquum corpus Ottonis ad Vnderstorff ædem flaminum Augustalium, quas auus eius condiderat, & vbi parens eius sepultus est, deportatur, nono demum anno indulgente Pont. Max. more Christiano humatur. Liberos ne habuerit, nondum comperi. Hermannus æditus Franciscanus religione, ait eius sobolem Boiaria exactam, in confinio Teutonici atque Celtici Imperij, in Arduenna sylua diutius exulasse. Vvaldgraños,

Vvittelspach in Vvirtenberg.

hoc est, syluestres præfectos dictos esse, alij in Sueuia & Germania magna Peitelspach condidisse magis suspicantur, quàm sciunt. Ego fidem meam non astringo. Sub iisdem diebus octauo Calendas Ianuarij, æræ nostræ anno M CC X. Berchtoldus Chamaborum,

Vogburg.

Vogburgij, Oegræ atque Neomarti dynasta absque liberis obiit. Vogburgium arx oppidumque est superioris Vindeliciæ, Danubio imminens: cætera oppida Nariscorum, qua ab orientis ora Boiaria Hercynios saltus atq; Boiemos spectat, hac lege ad Ludouicum ducem Boiorum redierunt. Author atque parens huius familiæ Berchtoldus dux Boiorum, frater Arnulphi Boiorum itidem reguli, quem suprà in libri quarti fine retuli. Berchtoldus Hainrico, ortus Hainrico Berchtoldus, huic Arnulphus successit. Hunc Hainricus atque deinceps Theobaldus primus excipit. Hic ex vxore Luitgarda Castellana Theobaldum sibi cognominem genuit, cui per manus Chamaborum præfecturam tradidit. Theobaldus secundus cum Adelhaide vxore Reichenpach, & Vvaldsaxoniam condidit, obiit anno Christi M. C. X L V I. sexto Idus Aprilis: sex liberos, duos mares, quatuor fœminas progenuit. Adelhaidim Augustam, coniugem Friderici primi, Chunegundam Stiriam, Iudithatn vxorem Friderici à Bogen, curatoris Reginoburgensiũ sacerdotum, Sophiam à Lachsgmund, Theobaldum tertiũ & Berchtoldum, qui absq; liberis obierunt. Ea tempestate Pont. Max. Imperatori Ottoni quarto sacrificiis interdicit. Quamobrem Ludouicus dux Boius, Ottocarus rex Boiemiæ, Luitpoldus Austriacus, Otto ab Andechs Dal-

Fridericus 2. Rom. Imp.

matiæ præses, & Ludouicus Comes prouincialis in Turingen, Fridericum Siculum, cui adhuc in cunis vagienti sacramento authorati fuerant, Cæsarem declarant. Hainricum à Neiff, Anshelmum de Iusting, magistrum Equitum, in Italiam, Siciliamq; legant, qui Fridericum in Germaniam deducant. Fridericus postulatis annuit, Romam, inde Ticinum peruenit. Per Rhetias alpes in Germaniã & Aquas Graneas contendit. Otto vbi hæc comperit, ex Campania properat, per iuga Tridentina, Alpesque Noricas in Saxoniam, frustra Friderici conatus prohibiturus, imò ab eodem in fugam versus rediit, ibique se continet. Fridericus apud Aquas Graneas inungitur. Inde Francofordiam petit, ibi hybernat, & omnes principes in eius verba iurant. In Boiaria Mangoldus Bathauiæ episcopus, Albertus à Bogen, contractis atque coniunctis viribus, Rapothoni Artenbergensi bellum indicunt. Inferiorem Boiariam deuastant, templa, casas, monasteria diripiunt, Aspach monasterium diuo Benedicto consecratũ, quod incolæ, qui eò tutelæ causa confugerant, res suas atq; supellectilem detulerant, treis Alberti comites à Bogen, templum oppugnantes, vim vi repulsuri, occiderant, irati exurunt. Almanus ab Helingersperg arcem suam testamento Altaichij inferioris monachis legat, qui eam, ne ab aliquo occuparetur, solo æquare conantur: sed ab Alberto à Bogen prohibiti, donec Poppo Altaichij antistes eundem pecunia data in suam sententiam traxit, atque pedibus (vt aiunt) itare perpulit. Sub idem tempus Fridericus Cæsar ex hybernis Francofordia egreditur, Boiariam petit, Reginoburgij celebrem Imperij conuentum agit. Frequentes principes coëunt, denuò in verba noui

Ludouicus dux Boiariæ palatinatũ in tutelam accipit. Palas.

principis iurant. Ludouicus Boiariæ rector ab eo Rhenanum ducatum, quem Palas vocant, officij ac singularis obsequij ergò impetrauit, atque in fidem accepit. Quippe pietate omni Cæsari satisfecit, & ob merita, obsequia, parenti, auo Friderici præstita, tantum commeruit principatum. Dumque eò proficiscitur, atque incautius oppida, castra, vrbes, vendicat & accipit, ab incolis cum omnibus comitibus capitur, maximo pecuniæ numero, quam viritim Boij tribuêre, se redemit. Schirenses monachi centum libras Boiaricas penditarunt.

Posthæc

Posthæc omnium rerum obliuio decreta est. Ludouicus à Rhenanis recipitur, Agnetem *Ludouicus*
filiam Hainrici præfecti Rhenani fratris Imperatoris Ottonis Augusti, cùm ille tum absque *dux Boiorũ*
liberis maribus in tempore obiisset, filio suo Ottoni despondet. Id factum esse anno Salutis *capitur.*
restitutæ M. C C. X V. diploma Friderici Cæsaris indicat: *Vbi dilectus consanguineus, & fidelis*
(inquit) *noster illustris Ludouicus Palatinus Comes Rheni, & dux Boiariorum, &c.* Atq; ab eodẽ tem-
pore hactenus Boiaria oriundi Rheno potiuntur. Ludouicus cum Carnos atque Histros
reddidit, hos Berchtoldo ab Andechs restituit Cæsar, & fratrem illius Eckbertum excusa-
tum habuit, atque Bambergam redire concessit. Hisce confectis rebus X I. Cal. Februarij
Norinbergam ad solenne concilium Imperij celebrandum se confert. Præstò tum fuisse
reperio principes, Ludouicum Vindelicorum, Luitpoldũ Noricorum, Bernhardum Cha-
rionum, Ottonem Dalmatiæ regulum, Sigefridum Mogontinum archimystam, Eckber-
tum Bambergensem, Sigefridum Augustanum, Hainricum Basiliensem, Conradum Me-
diomatricum atque Nemetum pontificem, Anshelmum à Iusting magistrum Equitum,
Waltherum pincernam, Theodonem camerarium, Waltherum à Danberg, atque Vlri-
cum episcopum Bathauensem, qui in monte diuo Georgio dicato, arcem, vbi in posterum
eius vrbis episcopi habitare consueuerunt, ædificauit. Tum in Gallia Belgica Otto Impe- *Otto Imp.*
rator, Ioannes rex Angliæ, Bernhardus Flãdrus, Rengoldus Bononiæ dynasta à Philippo *profligatur*
Occidentalis Franciæ, qui Friderici rebus studebat, superantur: Flandrus, & Bononien-
sis capti, Anglus & Augustus, amissa Aquila, profligatis copiis, fuga sibi cum paucis con-
suluere, vixque euasere. In Vngaria Petrus Bancobonus Varadinus, quem nostri Prenga-
rium nominant, Gertrudam matrem D. Elisabethæ sub papilione ferro confodit. Eadem
tempestate duas religionis Christianæ factiones emersisse, authore Bernhardo quodam re-
perio: Pauperes Lugdunenses, & Italos humiles. Hi cum populo agebant, publice concio-
nabantur, interpretandarum sacrarum literarum prouinciam citra authoritatem pontifi-
cum sibi sumebant: illi in diem victitabant, nihil possidebant, hostiatim stipem emendi-
cabant, legatos Christi se æmulari iactabant. Ambo genera in sacerdotum luxum, auari-
tiam, superbiam, libidinem, cæteraque vitia, ingeniosa atque diserta erant. Innocentius
tertius Pontif. Max. illos contra philosophiam Christianam facere decernit, à sacris veluti
errones arcet. His successere alia duo genera, diuis Francisco, & Dominico authoribus. *Francis ani,*
Quæ cum grauatim (ita refert Martinus à sacro auriculario & piaculari Rom. episcopi) In- *Dominicani.*
nocentius tertius reciperet, obiit, & successor huius Honorius tertius continuo author fa- *Innocentius*
ctus est. Iisdem diebus Cæsar Augustæ in confinio Rhetiæ & Vindeliciæ conuentus egit. *tertius obiit.*
Inde Aquas Graneas petit, perlustrata Germania atque Saxonia, Wuitzburgium Franciæ *Cæsar conuentus egit.*
caput se confert. Inter hæc pontifices Romani ex sacra historia, nempe libro, quam Ioan-
nis diuinationem appellant, fatum exitij Saracenis, Turcis, Machometicæ superstitioni
aduentasse interpretantur, classicum clangunt, ad arma ingeminant. Machometum anti-
christum fuisse sibi persuaserant, sicuti & patrum memoria Ioannes Annius in commen- *Io. Annius.*
tariis, quos in eundem librum edidit, sentit, & nostro sæculo eam superstitionem deli-
turam, Christum iuxta Chiliastarum opinionem aduentaturum, in terrisque regnaturum *Chiliastarũ*
arbitratur, quæ mendacissima esse exitus probauit. Nihilominus Andreas, rex Vgrorum, *de Christo*
vxoris eius fratres Otto Dalmatiæ dux, Eckbertus Bambergensis episcopus, Luitpoldus *opinio.*
Austriacus, Ludouicus dux occidentalis Boiorum, Vlricus Bathauensis episcopus, Alber- *Andreas Vgrorum rex.*
tus & Berchtoldus a Bogen, Luitpoldus a Plaien, Eberhardus archimystes Boiorum, Al- *Principum*
bertus præpositus Salisburgensis, Fridericus præpositus Berchtoldgadensis, in Palæsti- *expeditio in*
nam, atque Ægyptum arma mouent. Cum Damiata vrbe Ægypti Nilo contigua, sex die- *Palæstinam.*
rum itinere ab Alexandria, expugnata, consultationibus tempus trahunt, locum Coloniæ *Damiata.*
deducendæ capiunt, reges Ægypti riuo, qui in Nilum cadebat, obstructo, aquis deinde
obrutos, subito circumueniunt. Periere tum plerique Boiorum: Vlricus Bathauensis
episcopus, Luitpoldus à Plaien, Berchtoldus a Bogen, Albertus, & Fridericus Iuuauen-
ses mystæ, cæteri pasti vitam cum maximo incommodo domum redeunt. Vlrico episco-
po successit Gebhardus, frater Luitpoldi à Plaien. Puerorum quoque chorus, qui vndi- *Pueri Palæ-*
que sturnatim confluebant, Palæstinam, liberaturi eandem, petunt. Cum ad mare pro- *stinam pe-*
cessissent, nusquam postea comparuere. Interim Imperator Otto naturæ concedit, testa- *tunt*
mento insignia Imperij Friderico reddit. Qui conuentu Norinbergæ peracto, Romam *Otto Imp. moritur.*
contendit, ab Honorio Pont. Max. consecratur, Augustusque appellatur, astante Ludouico *Hainricus*
duce Boiorum, Hainricum deinde filium Cæsarem declarat, ei tutores dat Angelbertum *filius Frid. 2.*
Agrippinensem archimystam, & Ludouicum præfectum prætorio Rheni, regulumque *Imp. Cæs.*
Boiorum: eidem insuper Margaretham filiam Luitpoldi Austriaci despondet. Ludouicus
tector Boiorum nouum principem secum in Germaniam deducit, Norinbergæ nuptiæ
Cæsareæ fiunt. Rursus Conradus Portuensis episcopus, flamen Romanus, filius Egonis
Vri Suitonum dynastæ, & Ioannes quidam consecraneus Diui Dominici Germanos ad ar-
ma concitant, ad Asiaticam, Africanamq; militiam cohortantur, & vt facilius toties lõginæ
quæ militiæ pœnas dantes, precium ob itultitiam ferentes, inducerent, multa noua hacte-
nus

Superstitio ingens à falsis Christianis inuenta. nus inaudita dogmata inculcant. Quemcunque sceleri obnoxium, parricidio, incesto, sacrilegio pollutum, continuò, vbi cruciculam vesti assuisset, solutum esse, & crimine & pœna declamitabant. Quippe hisce aliter ab auditoribus (vt fit) acceptis, maximam fenestram ad nequitiam patefecerunt. Pleriq; ansa hinc arrepta, inimicos prius suos tollebant, hinc in militiam sacram nomina dabant. Angelbertus archiepiscopus Agrippinensis Coloniæ, curator Cæsaris istoc tumultu rerum, specie religionis occisus est à Friderico cognato suo in Boiaria. Albertus à Bogen, Rapotho Artenbergensis discordant, prædia, templa, ædes inuicem diripiunt, incendunt. Rapotho Landouerdunum oppidum proximè Altaichium inferius subitò extruxit. Albertus à Bogen solo æquat, atque igne concremat. Flinsobergomum arcem in secunda Boiaria ædificat. Monachium cum xenodochio conflagrat. Pisonium vrbs Noricorum, in confinio Italiæ, atq; Boiariæ, ad confluentes Isaci ac Athesis, de cœlo tacta est, vndecimo Calendas Iulij: populus, qui vndique spectatum ludos *Prodigium.* equestres confluxerat, fulmine atque grandine affectus: trecentos homines periisse memoriæ literarum traditum est. Reginoburgij mortuo Conrado episcopo, pauci mystarum vniuerso cum populo, iure suo Gotfridum præpositum legunt pontificem, plerique mystarum aduersantur, Sigefridum Sueuum magistrum Epistolarum Imperatoris, ouili Reginoburgensi imponunt. Res Romam delata est. Sigefridus consecratur, aduersariis sacris interdicitur. Prophani edicto perpetuo in posterum à Comitiis pontificalibus arcentur. Sigefridus ille Reginoburgensis pontifex templum diui Blasij consecraneis Diui Dominici, Seruatoris ædem Franciscanis tradidit. Dynastæ Boiorum Truchlassij, Eccomyli, Albertus à Bogen, eius mater Laodamia, vxor Ludouici Boij, suo sumptu ædes construxerunt. Hisce diebus Ludouicus Boius nuptias Strubingæ parat: Ottonem filium emancipat, eum armis more Germano ornat, eidem Agnetem Rhenanam connubio iungit, cœnam exquisitissimè nuptialem dat principibus, & episcopis Boiorum. Hosque conuiuas *Nuptiis qui interfuerint.* fuisse reperio: Eberhardum archimystam Iuuauensem, Hermannum Vvürtzburgensem, Eckbertum Bambergensem, Gebhardum Bathauensem, Sigefridum Reginoburgensem, Sibothonem Augustanum, Hainricum Aichstetensem, Hainricum Sabonensem: Rogerium Chiemensem, Carolum Seccouensem, Vlricum Lauentinum, qui ibidem inunctus est: Item Hainricum Cæsarem, filium Friderici secundi Augusti, Luitpoldum Austriacum, Bernhardum Charionum, Ottonem Meraniæ regulum vocatos interfuisse traditur. Huius frater Hainricus in gratiam receptus, in Boiariamque redire permissus, Crassæ in Noricorum pago Chimino lacu, continuò moritur eodem anno, quo & Gerardus Hirspergensis, Bernhardus Libodunensis finem viuendi faciunt. Dumque hæc in Boiaria fiunt, Augustus *Asiatica expeditio.* Asiaticam expeditionem indicit, præmittit illuc Ludouicum Turogum, Sigefridum à Rechberg episcopum Augustanum, qui Brundusij interiere. Imperator posthæc ob partum exanimata Augusta, ad Cyprum cum copiis nauigat, XVII. Calendas Decembris Ioppe appulit eamque munit, certo ibi dies commoratus fame laborare cœpit. Nam commeatus à Ptolemaide vehiculis, clitellis, equis terrestri itinere, ob hostes vbique passim debacchantes conuehi nequibant, & nauibus ventus contrarius erat. Supplicatione igitur decreta, placato cœlesti numine, lachrymis tandemque mari pacato, annona, arma, cæteraque huic bello necessaria, Ioppen vicissim nauigio, impunè sursum, deorsum deportan-*Scharaphus.* tur. Rex Ægypti, frater eius Scharaphus Gazaræ præfectus, & nepos horum Damasci regulus, cum maximis copiis vnius duntaxat diei itinere ab Augusto, quisque separatim cum suo exercitu consident, & castra locant. Deinde vltrò citrò commeant legati, pax sancitur, Saraceni atque Christiani decem annorum inducias paciscuntur. Saraceni omnes captiuos reddunt. Hierosolyma cum omni circa regione vsque Ioppen, quo tutò Christianis pateat aditus, restituuntur, Saracenis concessum extra vrbem diuerti absque armis in templo, quod ipsis sacrosanctum esset adorate: insuper Bethleem, Nazareth, quicquid inter Ptolomaida atque Hierosolyma longè lateque interiacet, cum Tyro & Sydone, & finitimis regionibus redditum est Friderico. Eodem fœdere comprehensum licere principi Romano mœnia, castella, arces reficere atque munire, nihil horum Soldano atque Saracenis in Syria, atque Palæstina permissum. Atque hæc omnia religione iurisiurandi, more vtriusque gentis confirmata sunt. Hisque XII. Calendas Martij, qui tum dies Solis Christo triumphanti festus est, renunciatis, Fridericus Hierosolyma tendit. Sabbato, qui dies sextusde-*Fridericus diadema Cæsareum gestat.* cimus ante Calendas Aprilis, eò peruenit. Postridie diadema ob honorem Christi Cæsareum gestans, cultu Imperatorio, loca quæque nobis sacrosanctæ venerabundus adit. facta sunt hæc anno Christi domini, Deique nostri millesimo, ducentesimo, vndetricesimo, indictione secunda. Hæc ex Epistola Friderici excepimus, quæ Bathauiæ in tablino pontificali seruatur. Dum hæc in Asia geruntur, Gregorius nonus Pont. Max. qui Honorio tertio successerat, suspectã habens potentiam, prudentiam felicitatemq; Friderici (sicuti in quadã *Pontifex vrbe pulsus. Mos papisticus.* epistola refert) aduersus Augustum, cum Italis, ac Longobardis conspirat, Imperatorem deuouet. Romani indignitate rei cõmoti, pontificem vrbe pellunt, qui triplice agmine fines Campaniæ hostili animo inuadit. Nec hoc contentus, Hainricum Cæsarem missis legatis,

aduersus

Brumales ferias Hainricus celebrat.

aduersus patrem conspirationis valentissimæ principem facit. Hainricus sub idem tempus Haganoiæ brumales ferias celebrabat Ludouicum Boiorum ducem, Rhenanumque præfectum (inuidia semper comes virtutum est) quòd eloquentia, & prudẽtia, pietateque in Augustum nulli secundus foret, hactenus omnium consiliorum, secretorumque participem, curatoremque à patre sibi quasi ad regendum puerum datum, curia atque senatu amouet. Is vbi animum Cæsaris abs se alienatum esse & iniqua agi, parricidialiaque iniri consilia sentit, cum Ottone filio clàm secedit, in Boiariamq; migrat. Subsequitur Cæsar, Boiariam ferro, igne depopulatur, Ludouico nequaquam, ne minimo quidem digitulo contra nitente.

Boiaria vastata.

Fridericus 2. Imp. Syriam 15. annis tenuit.

Interim Augustus pacata Syria, atque Palæstina, quas quindecim annis possedit, in Apuliam redit, vbi fines regni ab episcopo Romano armis occupatos, seq; per omnium flaminum religiones deuotum offendit. Quamobrem literis per vniuersum orbem Christianum missis, acriter in Romanum pont. inuehitur, fraudes, astutiam, acerbitates, iniuriam, tyrannidem eius commemorat, iniustitiæ, impietatis eundem accusat. Germaniæ, maximè Boiorum, & Noricorum principes, atque episcopi, Berchtoldus patriarcha Aquileiæ ex Boiaria ab Andechs, & Damasia oriundus, frater eius Otto Dalmatiæ, atq; Histriæ regulus, Eberhardus archimysta Boiorum, Sigefridus Reginoburgensis pontifex, Bernhardus Charionum, Luitpoldus Austriacorum, atque Stiriorum rector, Venetias, inde Romam proficiscuntur, sacerdotem primarium appellant, modestiæ Christianæ, bonique pastoris officij commonefaciunt, eundem, & Augustũ in gratiam redigunt. Pontifex Augustum cœna Saliari, dapibusq; pontificalibus excipit. Luitpoldus Austriacus ibi moritur.

Pontifex & Imp. in gratiam redeunt.

Luitpoldus Austriacus Romæ moritur.

Cæteri pace terris reddita, coniuratione, vt existimabant, perniciosa Reipub. extincta, læti Germaniam repetunt. Proximo deinceps anno Ludouicus regulus Boiorum Kelhaimij, dum post cœnam in ponte deambulat, à Stichio morione, quem per ludum incessebat, cultello, læthali vulnere sauciatur, moxque in conspectu omnium aulicorum exanimatus, corruit XVI. Calendas Octobris, anno ab orbe vindicato millesimo, ducentesimo, tricesimo, primo Extat Kelhaimij ædicula, stipesque sacratus, huiusce rei monumentum.

Ludouicus dux Boiorũ & Palatinus Rheni interficitur à Morione.

Sunt qui tradant, fraude Hainrici Cæsaris cæsum esse à quodam ignoto, qui quasi cultu nuncij Augustalis literas exhibuerit, legentemque easdem de inprouiso confoderit. Aliam quoque fabulam vulgo narrari audio, eundem scilicet ob illatum stuprum vxori alienæ, à duobus feris pueris, quos maritus violatæ coniugis auidus vindictæ, solitos pecudes, & quicquid digito monstrasset, laniare, educarit, dilaceratum indicante domino esse Quod neque verisimile est, neque verum arbitror. Administrauit Boiariam annos duodequinquaginta, menses duos, dies sex: corpus Schiram delatum, magnificè regio luxu sepelitur. Manes placuere Eberhardus archiepiscopus Boiorum, cum collegis suis Chiemensi, Seccouiensi, Fruxinensi, Augustano episcopis, Laodamia vxor Ludouici, Agnes nurus eius, & ij proceres, Otto à Phalay, Conradus à Plaien, Conradus à Wasserburg, Conradus & Hainricus fratres Mosburgenses. Pauperibus vna & quadraginta libræ, numeratæ pecuniæ, distributæ sunt. quinque & viginti, annuum vectigal monachis, perpetuo condonatæ.

Ludmilla, ab Auentino Laodamia. fundatrix monasterij Salung.

Laodamia suburbanum Landshutæ contubernium sacratis fœminis construit, cæremonijs Cisterciensibus initiat, dotem suam donat, ibi eius Mausoleũ, Landshutensiumque principum ostenditur. Eodem anno Rapotho præfectus prætorio Boiariæ, cum Wilhylda vxore obijt. Per idem quoque tempus Machtyldam Hennenbergensem, filiam Florẽtij Bthauini, sororem Wilhelmi Cæsaris, mille quingentos quatuordecim simul genuisse, in malluuio ab Ottone Traiectensi episcopo sacra aqua lustratos esse, inter ostenta à nonnullis narratur. Quod equidem magis, ne prætermitterem retuli, quam quia verum, aut verisimile putem.

Machtylda comitissa ab Hennenberg 1514. pueros simul genuit.

Eadem tempestate Imperator, qui Rauennæ hyemabat, audita nece Ludouici reguli Boiorum, Ottoni filio eius consolatorias literas, quæ extant, scribit. Isque viuente adhuc patre, vtrumque ducatum Rheni, atque Boiorum ab Augusto impetrauit, in fidemque acceperat. Vbi igitur iusta parenti fecit, inferiasque retulit, concilium Boiorum procerum episcoporum, vt auspicato honorem iniret principatus, feliciterque munia obiret, pacis artes, concordiæ bona firmaret, leges gubernandi more maiorum præscriberet, imperium suum stabiliret, incolæ in eius verba iurarent, Reginoburgium ad Idus Ianuarias indicit. At Hainricus Cæsar filius Augusti edicto id vetat, & ciuibus præcipit, ne Ottonem vrbe accipiant. Boiorumq; dynastæ atq; pontifices, Eberhardus Salisburgensis, cum suis collegis, Chiemensi, Lauentino, Seccouiensi episcopis, Conradus Fruxinẽsis, Sigefridus Reginoburgensis, Hainricus Aichstatensis, Gebhardus Bathauiæ, Sigefridus Augustanus, Sabonẽsis, Eckbertus Bambergensis Landshutæ frequentes conueniunt: bona Reipub. se procuraturos pollicentur. fœdus, concordiam, fidem iurisiurandi religione, sacramẽto sanciunt. Gebhardus, quod Eberhardum vitia eius carpentem, necarat, pontificatu tribuq; sacerdotum mouetur, Bathauiæ Rogerius Chiemensis præficitur. Eberhardus Salisburgensis pastor cum Ottone Augustam ꝓficiscitur, frustra sibi operam sumit, vt illum atq;

Otto Cæsari obsidem filiũ dat.

Cæsarem in gratiam redigeret. Cæsar clandestinum fœdus cum pontifice Romano fecerat, Germaniam, Teutonicumq; regnũ sibi vendicare nitebatur. Otto præfectus prætorio Rheni, Regulusq; Boiorum, primarius Germaniarum princeps, ab Augusto patre Cæsaris deficere nefas ducebat, in Boiariamq; se protinus contulit. Cæsar collecto magno exercitu, Boiariæ fines hostili animo intrat, nemine omnino resistente, templa, vicos, agros incendit, castra ante mœnia vrbis Reginoburgensis collocat, ferro, præda impunè cuncta atterit. Hisce coactus Otto, arbitro Eberhardo archiepiscopo Salisburgensi, filium Ludouicum quadrimum Cæsari obsidem dat. Augustus, vbi hæc in Italia resciuit, legatos in Boiariam mittit, Cæsarem ab armis discedere, obsidem Ottoni reddere iubet. Plerique Boiorum equites clàm armati, copias eius subsequuntur, prædæ intentos inuadunt, occidunt, magna clade discedentes afficiunt. Otto tum Reginoburgij conuentum rursus cogit, præsto fuere Boiorum dynastæ atque omnes Boiariæ pontifices, quos suprà enumeraui: quæ Landshutæ constituta fuerant, redintegrantur. Inter hæc Fridericus Austriacus magni animi, quietis atque otij impatiens, laudis auidus, finitimos armis vltrò lacessere cœpit. Omnibus vicinis suis, Boijs, Boiemis, Vgris, Charionibus bellum indicit. Agnetem vxorem filiam Ottonis Dalmatiæ præsidis, ab Andechs in Boiaria dynastæ, quasi cognatam repudiat. Vlricum Charionum ducem, quòd Pantheram Stiriæ ducatus sui insigne vsurparet, capit, eundem posthac Austriacum scutum, tribus leonibus, à dextra distinguere iubet, atque his pro insigni Charionum vti præcipit. Agnetem à se repudiatam, huic nubere permittit. Morauiam inde, atque Vngariam duplici agmine inuadit. Eius præses Muringerus Vesenus Schardingij præfectus latrocinijs infamis, in confinio vtriusque regni Varnpach monachis pulsis occupat, præsidioque firmat, inde Occidentalis Boios vastat, omnem oram Oeni, Noricique depopulatur. Neukirchen, & Weihard Noricorum syluam, atque pagum, vbi tum nundinæ, celebresque feriæ erant, & populus frequens coiuerat, sexto Idus Septembris inuadit, templum exurit, opes, merces diripit, ciues ditiores, mercatoresque captiuos amplius quadraginta abducit. Regulus Boiorum ex Vindelicia egreditur, Noricum petit, ad confluentes Trani, atque Alzæ nouam coloniam deducit, arcem, atque oppidum extruxit, munit, præsidio firmat, Trostperg à fidendo appellat. Inde Vtini, conuentus agit, Austriaco misso caduceatore, bellum indicit, amicitiam ei more maiorum renunciat, copijsque contractis, orientalis Boiariæ fines ingreditur, Lampach exurit, vsque Tranum amnem, Valentiamque vrbem, vniuersa incendijs, cæde complet: Schardingium capit, in ditionem redigit, præsidio atque muro firmat. Varnpach expugnat, templum monachis reddit, vnde quinquaginta, quos ibi ceperat, partim in crucem agi partim securi percuti iubet, de omnibus supplicium sumpsit. Ad Straubingam postea vrbem, inde Monachium ad conuentus agendos proficiscitur. Interim & episcopi Boiariæ, atque proceres, fœdus factum aduersus Austriacum, discordiæ, litesq; Boiorum diremptæ, & compositæ sunt. Eberhardus Salisburgensis archimysta, & Eckbertus Bambergensis pontifex profecti ad Fridericum, vt facerent in vincula conijciuntur, totaque Quadragesima captiui detinentur. Augustus posteaquam, quæ in Norico, atque Germania fiebant, accepit, quartodecimo demum anno in Germaniam cum Conrado filio, quem regem Palæstinæ, Syriæque nuncuparat, redit. Otto Boiorum regulus eundem quàm maximo potuit honore, proximè Burckhusium excipit, Landshutam deducit, filiam suam Conrado Hierosolymorum regi despondet, quæ tamen in paucis pòst diebus fato concessit. Imperator posthæc Reginoburgium Boiorum caput petit, Hainricum filium Cæsarem, atque successorem iam pridem à se declaratum, parricidij accusat, sententia septuaginta principum condemnat, in vincula conijcit, in Siciliam, vbi non longo pòst tempore obijt, remotis Germanis relegat. Moguntiaci deinde XI. Calendas Septembris Conradum Palæstinæ regem, Cæsarem atque successorem designat. Postea Calendis Maij diuam Elisabetham Superûm albo adscribendam curat. Inde Augustã Rhetiæ petit, Fridericũ Austriacũ obedire atq; parẽ detrectantem proscribit, hostem Reipub. iudicat. Eius iussu Wentzeslaus rex Boiemiæ Austriam trãsdanubianam in Germania Magna, suo regno confinem, inuadit. Altera parte Otto dux Vindelicorũ & Nariscorũ, Rudigerus episcopus Bathauensis Lintzium obsidet. Fridericus Austriacus accito in auxiliũ Alberto à Bogen, tetrarcha Boiorũ potētissimo, fratre Ottonis reguli Boiorum, obsessis suppetias fert, episcopum capit, in vincula cõijcit, captiuum abducit, ducem cedere cogit. Inde vim belli in Boiemos conuertit, eosdem finibus suis deturbat, mandata, minas Augusti floccifacit. Quocirca Rom princeps, copiis collectis, accitis principib. cum Wentzeslao rege Boiemiæ, Ottone Boiariæ, Bernhardo Charionum, Hainrico Turogorum regulo, item cum hisce episcopis Berchtoldo ab Andechs patriarcha Aquileiensi, Eberhardo archimysta Boiorum, Theoderico Treuerorum Sigefrido Reginoburgensi, Eckberto Bambergensi, Rudigero Bathauensi, Conrado Fruxinensi episcopo, cum Boiorum dynastis, Bernhardo Leobergensi, Sigefrido

Fridericus Austriacus princeps inquietus.

Trostperg.

Hainricus Cæsar à patre relegatur, qui in exilio moritur.

Conradus à patre Cæsar designatur.

Vventzeslaus rex Boiemiæ Austriã inuadit.

gefrido Fromesel, Hainrico Artenburgensi, Rapothone præfecto prætorio Boiariæ Austriam atque Stiriam portiones quondam Boiariæ inuadit, cuncta ad obsequium redigit, Viennæ hyemat. Fridericus Austriacus Neostadij in confinio Stiriæ atque Austriæ se continet atque communit. Imperator Viennam atque Austriam Eckberto Bambergensi episcopo, viro bellicoso atque magni animi ex Boiaria superiore oriundo, fratri Berchtoldi patriarchæ Aquileiensis & Ottonis Moraniæ legati: Item Rudigero à Radeck episcopo Bathauensi atque Conrado Tollusio episcopo Fruxinensi committit. Ipse Reginoburgium Boiariæ caput petit, vernas ibi perlitat ferias. Ibidem cum Hainricus ab Artenberg templum sacratis fœminis condidit, quod sanctam crucem vocitant. Posthac Fridericus Imperator compositis rebus Germaniæ, relicto in Cisalpino imperio filio Conrado, in Italiam remigrat, Taurisium in hyberna concedit, neque posthac ex Italia in Germaniam redit. Gregorius tum nonus pont. Max. libros pontificales, quos Decretales nominant, per Remundum Dominicanum edidit. Eadem tempestate prodigia pleraque futuras calamitates portenderunt. Magna pestis in homines, pecudesque iuxtà debacchata est. Vniuersa flumina gelu constiterunt acuto, vernoque demum calore soluta casas, horrea, pontes, mœnia, arbores subuerterunt. In finibus Charionum in oppido Stain, dum Volbertus mysta sacrificat, victima sacrosancta in carnem atque sanguinem commutata est. Berchtoldus patriarcha Aquileiensis, Albertus Goritiæ regulus spectatum perrexêre. In Rathstadio oppido in Alpibus Noricis, quas Taurum incola vocat, infans cornutus natus est, vagitus atque ploratus eius quatuordecim ante dies, quàm ederetur, auditus. In agro Fruxinensium meridiem versus murium agrestium ingens vis, examen subitò natum, messes populatur, segetes, herbas, fœnum radicitus depascitur: inde fugatis accolis, execratum locum mutare, auitos lares deserere agricolæ coàcti sunt. Mirum est, vnde vis tanta, salis gustatu fieri prægnantes, generationem eorum lambendò constare, non coitu, ex vna gigni viginti. prouentus eorum siccitatibus tradunt Aristoteles, & alij naturæ interpretes quibus talia consectari curæ fuit. Illud adhuc latet, quo nam modo illa magnitudo repentè occidat. Nam nec exanimes reperiuntur, neque extat, qui murem hyeme in agro offenderit. Terra tremuit in Burgundia, mons aliò de improuisò migrauit, quinque millia hominum obruit. Tertio Nonas Iulij Sol interuentu Lunæ duas horas continenter occultatus est, Luna sexangulis versus Orientem protensis visa est. Pridie quoque Nonas Octobris rursus solis radios Luna interpositu suo auferente terræ, meridie stellæ, quasi noctu, colluxêre. Quippe nam factum est, Lunam obiectu terræ occultari: solem Lunæ. Pleraque alia huiuscemodi prodigia in annales, fastosque relata sunt, quæ scrupulosius persequi, superstitiosum duxi. Rursus crimina, factiones, fraudes, scelera, cædes, bella ciuilia (quibus omnia diuina humana commixta, Respublica Christiana discordiæ malis confusa, prædæ paucorum libidini facta est) commemorare cogor. Quòd quam molestum, quam arduum mihi sit, quisque veritatis amator, Christianæque simplicitatis cultor, rerumque humanarum peritus, suo ingenio metiatur. Equidem nullius obtrectator, aut adulator sum, sicut lex historiæ postulat, libero ore loquor. Id quod non fecisse L. Sisennam, primus Romana Crispus in historia carpit. In libera ciuitate, inquibat Imp. Tiberius, licet mortalium tristissimus, linguam mentes liberas esse debere. Hoc profectò magis in historia, quæ veritatis scrinium atque interpres est, exigitur. Haud vnquam mihi credibile fuisset, tantam væcordiam cuiquam hominum inesse, nisi autographa nactus forem, pudet explicare verbis, quæ illos non puduit facere. Quàm paucissimis potero, & quatenus ad Boiariam (in qua hæc primum scintilla Landshutæ exarsit) attinet, summis duntaxat (vt aiunt) digitulis rem attigero. Imperatorem Fridericum secundum Cæsarem Augustum, haud dubiè secundum Carolum Magnum, potentissimum vtilissimumque Reipub. Christianæ, atque sine controuersia sapientissimum principem fuisse, Nicolaus Cusa, episcopus Brixinensis flamen Romanus, vir vndicunque doctissimus, testis est, atque Egidius Romanus, Bituricensis in Gallia pontifex, philosophus atque Peripateticus insignis, qui in libris, quos scripsit de Institutione regia & Franciæ occidentales Imperatores, hosce ad illius exemplar properare cohortatur. Idem Fridericus libros Aristotelis omnes, pleraq; alia in sacris, prophanis literis, vniuersam supellectilem philosophiæ (quam vt ait Albertus Magnus, inopia linguæ Latinæ à diuitijs aliarum linguarum emendicare cogitur) ex Græco atq; Arabico sermone, per interpretes doctissimos vertendam curauit, Atheneis legendam exhibuit. Quibus rebus se à teneris vnguiculis oblectatum fuisse profitetur. Leuonijs, Aestijs, Pintzijs, Sennogallijs, adcolis, Venedi atq; Codani, In Germania atq; Sarmatia Europea sinus, quòd exploso falsorum deorũ cultu, pietatem Christianam receperint, priuilegia, immunitates, ciuitatemq; Romanam donat. Eius potentia, vires, prudẽtia, magnitudo animi, rerum bellicarum peritia, vicinitas (nam in Italia contra morẽ veterum Imperatorum habitabat, Germaniam per filium administrabat, bis duntaxat ex

Gregorius 9. P. libros decretales publicat.

Prodigia

Fridericus secundus qualis.

Flamines Romanenses. Fridericũ regno deturbãdum cogitãt. Paparum artes.

Italia in Germaniã egressus)formidolosa atq; suspecta fuere Romano sacerdotũ senatui. Quod Gregorius nonus pont.Max.non it inficias,sed ingenuè fatetur. Visum est flaminib.Romanensib.Imperiũ Germanum magis florere,quàm ipsis vtile foret. Placuit id contundere,atq; discordia nõ solùm debilitare, sed in cineres quoq; atq; fauillas redigere,& Fridericum huncce à fastigio rerũ humanarũ deturbare. Quod haud temerè per pontifices Germaniæ tum longè Reip.literarumq; studiosiores, ꝓinde prudentiores,fieri licebat.Etenim eadẽ adhuc tẽpestate episcopi,atq; in vniuersum sacerdotes,amãtiores artium,atq; boni publici,ac nõdum seruituti obnoxij erãt,nõ ita(vt nunc)fugitãtes laborum,socordiæ,inertiæ,ocio atq; voluptatib.deuoti erãt,sapientiæ operã dabant,libris incumbẽdo,Christum amãdo,oues sedulò pascẽdo,Remp.ꝓcurabãt, Christianæ cõcioni cõsultabant. Ipsi sacra cuncta atq; munia obeuntes,populum docebant. Atq; huiuscemodi sacerdotia atq; pontificatus fuisse primùm beneficia Cæsarum atque Imperatorum & principum nostrorum:deinde ab Imperatoris Hainrici quinti tempore, comitijs calatis atq; curiatis viritim suffragijs latis,lectos esse cõmuniter à populo, sacerdotibusq; vniuersis,cõmunes animorum pastores: demum Friderici huius ætate, excluso populo cæterisq; sacrificulis,duntaxat mystis imponi põtifices cœptum esse,suprà explanauimus.

Episcoporum quæ olim tituli.

Eas ob causas illius tẽpestatis episcopi in titulis, initijs epistolarũ, atq; decretorum,nõ,vti nunc fit,asscribũt. Apostolicæ sedis gratia,nimirum fauore humano: sed more Pauli,clementiæ duntaxat diuinæ id munus atq; donum acceptum referunt. Ita enim cœpisse epistolas,senatusconsulta,placita,rescripta,exempli gratia, reperio: *Sigefridus sola miseratione diuina Reginoburgensis episcopus.* Non licebat tum Romano pontifici absque illorum,vtpote venerabilium fratrum suorum consilio, in cuiusquã ꝓuincia quicquã attentare,nẽpe illi melius sui gregis mores cognoscebãt,à Deoq; se,non ab hominib.destinatos existimabant. Si quippiam peccatum, aut temerè actum fuerat, quod coarguendum foret, id primum ad suum gregis pastorem referebatur, isq; primũ cognoscebat, Romanus duntaxat admonebat, cuncta iure,lege,bonorum virorum ex ꝓuincia arbitratu & more maiorum,ex cõmunis cõsilij popularium,sacerdotum decreto agebantur.Nihil tumultu,armis,vi,dolo malo,potẽtia,seditione,vnius,paucorumve, pessimorum etiã temeritate atq; libidine gerebatur. Hoc institutũ tollere & antiquare, episcoporum authoritatẽ labefactare,ad vnius cuncta potestatem redigere cõplacitum est,nec enim aliter Fridericus opprimi poterat,quẽ illi suum charissimum atq; pientissimum principẽ pro palàm prædicãtes, nequaquam saluo rerum statu deserturi videbãtur. Primus enim Imperatorum, sicuti & in libris pontificalibus legimus, & diplomata ostendunt,Fridericus ille secundus tanta immunitate sacerdotum genus condonauit, qua mox aduersum eum abusi sunt Romanenses. Matthæo igitur Dominicano (vt nihil hoc genus hominum,sicuti vulgò dici solet,non audet)potissimum consultore,dum Imperator Germanis rebus intentus, deuicta Austria Taurisij hyemat, Romani flamines cum Iacobo Teupolo duce Venetiarum,quem dominum Croatiæ atq; Dalmatiæ, quartæ partis& dimidij totius Romani Imperij,in epistola cohortatoria ad eum data, nuncupant,cum Mediolanẽsib.Bononiẽsib.Brixiẽsib.ciuib.episcopis,itẽ cæteris Lõgobardis,quib.vtilius bellum,quã pax videbatur,dato his Gregorio à monte Longo duce, valentissimè cõspirant,occasionẽ rebellionis faciundæ præstolantur. Et ne Germania suppetias ferre posset,bona concordiæ pellere,discordiæ mala serere,in Germania, orbeq; Romano decernunt. Principes,eqtes auarissimum quemq; & maximè horum, pecuniæ studiosũm.decimis,ecclesiasticis opib.eisdẽ distributis,aduersus pontifices cõcitare constituunt.

Coniuratio Pontificia in Fridericũ s. Cæs.

Hocq; consilium magis Gregorium tentare voluisse, quàm quod æquum,aut iustum censeret,aut deniq; ex animi sententia,votoq; successurum speraret,eius epistolæ indicant.Quippe conquerente etiam nuncio suo,episcopos, quos hic deuouerat,ipse nihilo secius benignè datis ad eosdem literis, dissimulata deuotione fratres suos Venerabiles appellat.

Albertus Boham decanus Bathauensis.

Nec legatum tanto tempore efflagitantib. conscijs, virum grauem,aut senatorem quempiam mittere voluit: maxima ex parte ipse Sueuorum conatus frustratus est,complorãte id Alberto,institore huius negotij tragico modo.Posteaquam ergo Italiæ pleriq; ciues,episcopi,dynastę coniurarunt, Vulturij Romanenses(res antè cum filio Augusti tentata non processit) alia vi aggrediuntur. Fridericus Austriacus proscriptus ab Augusto,pulsus patria,exutus vrbibus vicis,castellis,Neostadij in cõfinio Austriæ,Stiriæ circumsidebatur. Is primus haud grauatim spe recuperandi perdita,socius accessit. Eadem tempestate Conradus Tullosius Fruxinensis episcopus ob limites,vti fit,cum Ottone regulo Boiorum,præfecto prætorio Rheni disceptabat,in suaque ditione omnes non suæ partis à sacris arcebat,clausisq; templis,nemine nisi suis admissis,rem diuinam fieri præcipiebat. Moguntinus quoq; archimystes itidem Ottoni ob præreptum sibi Laureacum,vetustissimum monachorum contubernium, diras atq; inferias dixerat.

Larihaim monasteriũ.

Pontifex Romanus inuitis hisce episcopis,Moguntino atq; Fruxinensi atq; inconsultis,Ottonem ad se prouocantem soluit,fama simul dissipat, Ludouicum patrem

patrem Ottonis principem in orbe Romano, pietate, sapientia, armis, eloquentia, opib. virtute nulli secundũ, crudeliter scelere Imperatoris Friderici, specie amicitiæ, corã familia comitatuq; nihil mali ne suspicantẽ quidẽ trucidatũ esse, idcirco eius filius Otto, q principatũ inter Germaniæ regulos obtinebat, credulus his & ob superiora beneficia operã suam pollicetur, plus etiã quàm petebatur, promittit. Vltrò arces, vrbes, castella, q̃ cõiurati tuto se reciperẽt, atq; ibi de summa rerũ consultarẽt, aperit. Wentzeslaum quoq; regem Boiemiæ cognatum suum in parteis trahit. Hiq; antesignani primas sibi parteis cõiurationis in Germania sumpsere, sociosq; Belum quartum regem Vgrorum affinitate, Hainricum ducem Poloniæ, filium diuæ Heduuigæ sanguine Ottoni coniunctum, adsciscunt. Mater huius ex Boiaria, ab Andechs oriunda erat, ille filiam suã Elisabethã Hainrico filio Ottonis desponderat: & Laodomiã mater Ottonis Boiema erat. Filium deinde Cimbrorum regis spe Imperij alliciunt. Ottocaro regis Boiemiæ filio, Friderici Austriaci, qui liberis careret, neptis despondetur, hocq; cõnubio viam sibi ad Austriã, Stiriamq; Boiemi aperiebant. Hi omnes inuicem sibi iureiurãdo, sacramentiq; religione fidem astringunt. Ipsis potentia Friderici Augusti atq; opes formidolosæ erant. Præterea pontificũ dignitatẽ atq; vires molestè ferebant animo, hoc nouo aucupio inescati, eorũ diuitijs inhiabãt. Vbi se pars virib. Imperatoris fore existimarũt, Budeuissij, oppidum est Boiemiæ, cõuenire, filiũ regis Danorum reb. imponere statuũt, à pontifice Romano postulant, vt eodem legatos fortes, graues, sapiẽtes mittat, qui hisce Comitijs Cæsareis intersint. Iisdẽ dieb. cum hæc ita fiunt, Imperator ex hybernis Taurisio discedit, & vt Campaniã posteà intraret, Ticini conuentus agit. Vbi Albertus & Rudolphus fratres Habspurgenses, authores generis Imp. Caroli Maximi (qui hisce dieb. dum hæc prode rem, in Vagionum vrbe celeberrimũ Imperij cõcilium cogebat) palmã equestri spectaculo consequuti sunt. Per idẽ tempus Pont. Rom. Augusto incõsultis Germaniæ episcopis, sacris Romæ interdicit. Confestim Italiæ coniurati magna pietatis superficie arma corripiũt, ab Imperatore deficiunt. Veneti Eberhardum archiepiscopũ Salisburgensem in agro Taurisiano intercipiunt, omnib. reb. gaza, supellectile spoliãt, nudum dimittũt. Porrò Rom. episcopus Ræneriũ, à S. Quintino, Trecassiorũ mystã, Philippũ Assilium & præcipuè Albertum Beham, Bathauensis templi decurionem, nobilẽ, factiosum, potentem, eruditum, vltrò operam suam pollicentem, in quatuor annos, huiusce cœpti institorem declarat, eundem remotis arbitris coram Ioanne cubiculario, contrectatis sacrosanctæ historiæ diuinis oraculis, sacramentum, mandatis bona fide pro virili perfuncturũ, dicere iubet. Hæc vbi ritè peracta sunt, tribus diplomatib. (hoc est, vt vocãt, bullis) nonus ille instruit, primũ dat ad vniuersos Christianos, bestiã Fridericũ appellat, parricidij, mendacij, crudelitatis, periurij, sacrilegij, impietatis, perfidiæ accusat: nihil prætermittit, quod ab hoste proficisci, & irato animo dici potest, vt Augusto inuidiam cõcitet: eundem male sentire de Christo domino Deoq; nostro, de mysterijs religionis nostræ, asseuerat: Sacramentorũ eidem consuetudinem obijcit: eiusdem triumphos, atq; victoriam calumniatur. Huc omnes versutissimũ neruos intendere asserit, vt Romano pontifice atq; flaminib. ad summã inopiã atq; egestatem redactis, & ita omninò oppressis, philosophiam Christianã penitus exibilet atq; explodat. Ideo indignum esse, cui Christianus pateat. Eundem more maiorum pro omnium sacerdotum religiones deuotũ, eidẽ sacris interdictum, vniuersos sacramento, quo ei astricti fuẽre, ex consilij decreto sententia sanctissimorum ecclesiæ magistrorũ exauthoratos esse declarat, donec ille resipiscat atq; secũ in gratiã redeat. In altero edicto Fridericũ cum fautorib. atq; cõsultorib. quibusuis e ciuitate Christianã proscriptũ, vicis, oppidis castellis, vbi versetur, sacrificijs publicis interdictum, omnes iurisiurandi religione solutos esse. Alberto aperit. Pontificib. deinde, maximis, minorib. sacrificulis vniuersis, mõnachis præcipit, vt hoc Senatuscõsultũ, hancce sententiã ritu solenni cæremonia celebri, publicè in tẽplis pro concione, adhibitis cæra & ære absq; cunctatione populo renuncient. Quod si ij parere recusarint, mãdat Alberto, vt eosdem fulmine ecclesiastico afflet, de cœloq; tangat. Tertia proscriptionis tabula, itidẽ Alberto data, in qua Gregorius Fridericũ hæreticum nuncupat, suoq; more nihil conuicij prætermittit: archiepiscopis, episcopis, sacerdotib. monachis, nobilibus, ignobilib. diuitib. pauperib. vulgo, senatorib. doctis, indoctis, vniuersis pariter Christianis, qui sibi deum propitium esse velint, imperat, ne verbo, facto, dicto, ne animo quidẽ Friderico fautores sint: quasi verò perinde animis, atq; linguis imperare posset. Postremò aduersarios ab Alberto execrari vult. Cum hisce mandatis Ranærius, Philippus, Albertus Roma in Germaniam abeunt, discordias vbiq; serunt, quoscunq; possunt, diuitijs, pollicitationibus, sacerdotijs, muneribus in partes trahunt, opesq; factionis confirmãt. Albertus in Boiariam venit, ab Ottone regulo Boiorum benignè hospitio Landshutæ recipitur. Confestim Hainricus Poppo, scriba ducis, secundo post pontificatum sacerdotio monasterij donatur (Præposituram vocant) Theodericus quoq; Orolinus artium, & philosophiæ palmã consecutus, à sacris reguli, atq; coniugis, eius riualis recipitur. Iiq; locuple-

Belus qui & Bela.
Hainricus Poloniæ dux.
Albertus & Rudolphus ab Habspurg.
Eberhardus archiepiscopus Salisb. spoliatur.
Diploma primũ contra Fridericum.
Alterum diploma.
Tertium diploma.
Albertus in Boiariam venit.

locupletiſſima Boiariæ ſacerdotia, in breui ſcripta (quorũ vnũ fuiſſe reperio Elſendorff, proximè patriam meam, atque penſitare quotannis quatuor & ſexaginta vncias argenti puri puti) inter ſe patiuntur, atq; cæteris cauponãtur, leuiq; de cauſſa cœnobia ſibi vectigalia faciũt. Nã cũ Sigefridus epiſcopus Reginoburgenſis Nitunum Narciſcorũ ſacerdotium Putruglerio Norinbergenſi tribuiſſet, iſq; cũ ducẽtis equitib. vſucapturus aduenisſet, Albertus illud Hainrico ſuperiori vice Romani epiſcopi tradit, cumque trecentis equitibus eò veniens vindicauit. Burbach quoq; Theoderico largitus, quod Rudigerus pontifex Bathauenſis alij iam cõtulerat, Philippus exacto à myſtis, & monachis annuo censũ, qui primũ à Paſchali immunitatis, libertatisve nomine impoſitus, longoq; tempore tributus nõ fuerat, Romam redijt. Albertus in magno negotio habuit æs alienum ſoluere, Boiariæ, Sueuiæ dynaſtas obligare, nobiles adiuuare, qui ſibi pepigiſſent, partium fore pontificis, atq; ſuas propugnaturos, eius pacti non dubitauit iuſiurandũ, atque ſyngrapha exigere: Friderico à Stauff, Hainrico de Hag, Friderico à Fronhouen, Conrado à Waſſerburg, Hartuico Laureacenſi, intimis Ottonis ducis, templorum, cõtuberniorũ, collegiorum decimas præcario conceſſit, refragrantib. mulcta atq; dies dictus eſt Landshutam. A Laureacenſi antiſtite, q. aduerſus rectorẽ Boiorũ, atq; Rheni, Mogũtini reb. ſtuduerat, duodecim millia vnciarũ argẽti puri puti corraſit. Hainricum à Neyffen, Sueuum, itẽ Berchtoldũ atq; Rudolphum de Vri Suitonas atq; fratres ob illata damna à Conſtãtinis myſtis execratos malis precationib. huiuſcemodi piaculo ſoluit: ſacerdotes iniuria affectos ad ſe in Boiariam Landshutã in ius ambulare præcipit. Eoſdem, qui detrimẽto affecti erãt, ſuperiorib. procerib. iniuriã fecerãt, ſatisfacere imperat. Epiſcopũ deinde Fruxinenſem, cũ Ottone (vti ſuprà cõmemoraui) diſſentientẽ, primum omnium aggreſſus eſt, atq; deuouit cũ omnib. ſacerdotib. & monachis Landshutæ in tẽplo diui Martini, præſente populo, ſacerdotib': idem ꝓpoſitum diui Andreæ præfectum ærario Fruxini, prẽſules Piburgii monaſterij proximè patriã meam Wogburgij atq; Abudiaci factitare iubet: vt ſc. auſpicio Rom. pontificis, cuius legatus ſit, epiſcopum, myſtas ſacerdotes, ſacratas fœminas, monachos cũ antiſtitib. exceptis Schirenſib. deuotos renunciẽt. Et nominatim collegia, execratasque ædes recenſeãt Tegernſche, Aetl, Rhod, Altonis monaſterium, Iſm, Wehienſtefan D. Vitum, Mosburgenſes, Schlechdorff, Raitenbuch Weyern, Pinarcios Burnbergenſes, Diethrãchzel, Neuſtifft, Vicepach, Beirberg, Bernried, Eperſperg, Vnderſtorff. His adiungit equites Boios, epiſcopi purpuratos, Eyſenricum de Waldeck, Berchtoldum, atq; filium eius Vlricum à Camer, Hainricum, Vagonem, Engelmannum, atq; Sigefridum, Stahel in Staheleck, Conradum Schenck, Linradum Caſtum, Eberhardum de Holtzhauſen, Pilgrinũ Moshaimer, Beronem Maurum, Eberhardũ Spiſocaſtum, Eberhardum Oexel. Hi Ottoni Boiorum præſidi refragabantur, reb. epiſcopi ſtudebant. Vtrinq; multa data, acceptaq; damna, Conrado Waſſerburgenſi dynaſtæ, Ottoni regulo Vindelicorum monaſteria collegiaq; deuota attribuũtur, vt amotis antiſtitib. ipſi prædia, opes adminiſtrent, ꝓcurent, monachis victum atq; veſtitum tribuant. Prætori inſuper ducis Valcobergenſi, omnium penè templorum decimæ, quæ Fruxinenſib. pendebanẽ, redditæ ſunt.

Sigefridus episcopus. Nitunum.

Antichristus donat diuitias.

Moguntinus archiepiscop. excommunicatur.

Moguntino in Mallerſdorff atq; Thierhaupten Boiariæ præſules iuſſũ Biberti, ſacrificijs interdicunt. Porrò Ranerius inter hæc aduerſus Cæſarem diplomata Sigefrido epiſcopo Reginoburgenſi Imperatoriæ aulæ, cancellario mittit, præcipit vt renunciet. Ille ſurda aure tranſit. Mox Ranerius D. Haimerami, Pruueniæ atq; Prulæ, quæ in agro Reginoburgenſi cubant, imperat, vt epiſcopum cum ſymmyſtis deuotum ꝓnuncient, & hi parere recuſant. Omnes impudentiam hominis irrident, & quid omnino leuiſſimo & ſuperſtitioſiſſimo Gallo in Germania negotij ſit, aut etiam Romano Pont. incõſultis collegis ſuis epiſcopis Germaniæ, rogãt, ſtomachantur, iraſcũtur, tantas turbas cõcitari, diſcordias ſeri, vociferantur. libertatem Chriſtianã opprimi, gregem ſanguine dei redemtum in ſeruitutẽ à falſis paſtorib. redigi. Ranerius vltrò citrò miſſis nuncijs, ſumtus fecerat, mutuò pecuniam à mercatoribus Senenſib. iuſſu pontificis acceperat, æs alienum cõflauerat. Sigefridũ ſuperiorẽ, eius myſtas, ad vrbem Trecaſsiorum in Galliam, haud longè à Lutecia Pariſiorum edicto euocat. Atq; vbi præſto non fuere condemnat, & æs alienum à ſe contractum, Ranerio, Orlando, Bartholo, Leoni ciuibus atq; negotiatoribus Senenſibus diſſoluant, pronunciat. Quod cum facere ſuperſederent, à prẽpoſito Aichſtetenſi, & Rebdorffenſi, iuſſu Ottonis reguli Boiorum, inſtigante Alberto deuouentur Cal. Nouembrib. Inter hæc Imperator circa Mediolanum cum hoſtibus confligit, eoſdem magna clade afficit, vineas excindit, agros vaſtat, ſegetes exurit, legatos in Germaniam mittit, qui concilium Imperij cogant, defectionem Longobardorum atq; Rom. pontificis acerbitatem commemorent. Conradus Cæſar, Moguntinus pontifex, atq; cẽteri Principes Miſnenſes, Rapſo Turogus, Brandenburgij, Saxones, Geroldus Arioſtonus, Brabantini reguli orator Egræ (ciuitas eſt Nariſcorum continua Boiemiæ) cõueniunt, omnes Auguſto ſuppetias ferendũ decernunt. Solus rex Boiemus atque Boiorũ regulus, præfectus prẽtorio Rheni intercedunt.

dunt. Helenobogij maioribus copiis subsistunt, tempus contentionibus protrahunt. Egram venire recusant. Legati quoq; Austriaci cum Boijs, atque Boiemis adsunt, ab ijs auxilia postulant. Maiore itaq; discordia discessere inuicem Principes. Iam iacta erat alea, conspiratio detecta, quod intriuerant, exedendum erat. Otto totis remis incumbẽdum esse arbitrabatur, Austriaco auxiliares copias, cum Alberto à Bogen fratre suo mittit. Hisce diebus Eckbertus Bambergensis episcopus, vir bellicarum rerum peritissimus fato concesserat, Viennæ in aditu Scotorum humatus est: huic Austriam ob militarem prudentiam Augustus commiserat. Eo sublato, Fridericus dux accepto ad se Alberto à Bogen, eruptione Neostadio facta, cum reliquis Imperatoris copijs confligit. Rudigerum Bathauensem, Conradum episcopum Fruxinensem capit, cæteros in fugam vertit: breuique elabentibus Cæsarianis Austriam atque Stiriam, ope Boiorum, atque regis Boiemiæ recuperat. At Albertus nusquam tutus, Landshutæ se continet. Plures enim inimicos, sicut ipse in quadam ad Hainricum Lerchenuelder conqueritur Epistola, nullum amicum habebat. Euocatus dolo in Boiemiam, vt præsens episcopo Pragensi Bullam (ita vocant) pontificalem exhiberet, vix euasit, ex trium dierum itinere vnius diei iter confecit, quicquid treis dies peragrarat, vno die remensus est. Deinde Landshutam reuersus, nusquam egreditur. Classes profugorum monachorum ex Boiemia, maximè Cistercienlium, atque Dominicanorum, qui mandata perferrent, instituit, vt si primi intercepti forent, cæteri ad destinatos locos incolumes peruenirent. Hisq; ita instructis, omnes regiones tonitru concutit, Boios Sueuis, Boiemos Misnensibus, Austriacos Morauis, Saxones Turogis, vniuersos inter se quoq; vicissim cõmittit. Diplomata omnib. episcopis Germaniæ mittit: nemo episcoporum paret. Iubet monachorum patribus, vt episcopos deuoueant. Nec illi dicto audientes sunt. Imperat, vt mystæ alios episcopos, monachi alios præsules, ex se, suoq; consilio, nisi hi obtemperarent, legãt. Nemo non miratur nouitate exempli, nunquam ante hac tentati, nedum facti. Nusquã benignè audita est legatio. Cuncti fremere, indignari stomachari cœperunt: hominis temeritatem, cuius vitam, ac mores probè nossent, detestabantur. Omnia tumultu in Germania cõplentur: indignissimũ facinus præter fas atq; æquum, clamitant, Romanum incœptare episcopum. Conradum Fruxinensis episcopus ad Imperatorem prouocat, nullum ius Romano flamini absque consensu pontificum Germaniæ esse in Germania pro palam docet. suos inquit Romanensis sacerdos pascat Italos, nos à deo cõstituti canes, à nostris ouibus lupos ouina pelle tectos arcebimus. Quid alijs facturus sit, hanc discite, si nos fratres suos & collegas, ille personatus vicarius, ita accipiat. Sigefridus Reginoburgensis episcopus, mystæ quoq;, vel coram Ottone regulo Boiorum, pro concione professi sunt, se quotannis sexcentos equites alituros Imperatori Friderico Christianissimo, pientissimo, atq; optimo Principi. Ciues quoque atq; Rapotho præfectus prætorio Boiariæ, fœdus iniere, bellumque Alberto host. Reipub. Christianæ, pacis conturbatori, hypocritæ pessimo, falsoque prophetæ indixerunt. Rudigerus Bathauensis episcopus, exhibenti mandata in templo, dum ipse sacerdotes initiaret, pugnum in caput impegit, illumq; in vincula conijci iussit. Eberhardus archimysta Boiorum, non solum diplomata recipere detrectauit sed ad Fridericum quoq; Austriacum proficiscitur, eundem in gratiam cum Augusto redigit. Austriacus continuò Boiemum generum abdicat, Morauium, regnum Boiemiæ vastat, regem Boiemum in fugã vertit, nec prece, nec minis, nec spe regni ab Imperatoris amicitia abstrahi potuit, affinitateq; detrectanti pontifex Romanus diras inferiasq; dicit At Eberhardus archiepiscopus Salisburgensis bene precatur, atque Ottoni Boiorum regulo in eam scribit sententiam: Primo sibi, quæ de pace Strubingæ iureiurando sancita sint, non seruari, queritur: deinde docet rebus Austriacis occupatum non potuisse interesse cõcilio, quod dux Boius Monachij habuerit: tamen vbi domum in Boiariam venerit, se sedulò operam daturum, vti ea, quæ ibi decreta sint, rata fiant omnia: pollicetur modò, vt æquum fasq; est, Albertum pestilentissimum nebulonem, bipedum nequissimum, Boiariæ perniciem, Christianæ pietatis conturbatorem, finibus exigat, nihil gratius deo immortali Christo Seruatori nostro, acceptius Imperatori fieri posse, in sinu serpentem in bulga murem non esse nutriendũ. Hainricus Bambergensis episcopus Iuliaci apud Charionas, nuncios Alberti intercepit, atq; spoliauit. Brixinensis episcopus omnes angustias, aditus, fauces alpium interclusit, ne quis internuncius à duce Boiorum, Albertóve Romam cursitare, atque vltrò citroque commeare posset. Fridericus Boiobergius, Aichstetensis sacerdos, cognatus Alberti, tamen cum vicis, castellis, oppidis recipere noluit. Nec præsules monachorum in re tam nefanda (vt ipsi appellant) Alberto, hosti religionis fucato obtemperare in animum induxere: quin hominem veluti Reip. Christianæ euersorem, motum bonorũ perniciem insectabantur. Boiemiæ: quidem præsul eundem inuitatum in vincula coniecit, nec dimisit, ante quam bene precaretur, atque syngrapham daret. Diethmarus Altaichij inferioris antistes aduersus Alberto fuit: huic Albertus, quod pro Imper. Friderico deum

Conspiratio detecta

Tumultus in Germania

Rudigerus, Albertus B. baim capitur.

Austriam sæpius inferiorem Boiariam vocat.

Nuntij Alberti intercepti.

apprecaretur,& Diethmarũ nepotẽ Angilostadensem parochũ cooptâsset,sacris interdixerat. Cumq; postea in id monasteriũ diuertisset,eius scriba Bernhardo,item nepote Bernhardo interfectis,incertum an dolò Diethmari,ipse nudus,amissis omnib.reb. vix euasit. Episcopi nõ solũ eius mãdata in dubiũ reuocarunt,sed ipsum etiam,veluti olerẽ Christianæ cõcordiæ,hæresiarcham perniciosissimum,p omniũ sacerdotum,monachorum religiones deuouerunt, deteriorẽ Turcis,Iudæis,Saracenis,Tartaris prædicabant: ea fieri auspicio Ro.pontificis apud Christianos præter fas & æquũ, contra leges, cõtra intercessiones,aduersus auspicia,ius gentium,doctrinã Christi,quæ ne apud immanissimos Tartaros cõmitterentur,vociferabantur. Reginoburgensis atq; Bathauensis,episcopus,cruce signatas copias aduersus Albertum ducebãt. Solùm Hainricus Lericoueldã mysta Reginoburgensis, proximus Alberto, Fridericus Libonizius Iuuauensis,spe pontificatus, clàm rebus Alberti studebant,& Hainricus monachus Altaichij inferioris.

Forsan Lerchenfelder.

Imperator quoq; hoc exemplo Ottoni Boiorum regulo epistolam mittit. *Certior factus sum literis Eberhardi archiepiscopi Iuuauensis,atq; Friderici ducis Austriæ, Albertum quendam sacerdotulum,authoritate Gregorij,qui dicitur Papa,in nos conuitia iactare,eumq; in vicis,oppidis,castellis tuis habitare. Quàm id impium sit,tute existimare potes. Morte moriatur, qui maledicit Principi suo. Te atq; tuum auum ex infimo loco,ego & auus meus ad fastigium summum eueximus,huiuscemodi criminis læsæ Maiestatis obnoxius, exigatur. Data in obsidione Fauentiæ,quarto Nonas Octobris,*

Catharina Begutta, puto Senensem illam esse.

Bathauensib.quoq; mystis scriptum, vt sacerdotium Alberto adimant,atq; eum ex albo mystarum eradant. Ipsi obedienter imperata fecerunt. Hæc omnia Albertus per Catharinam auum sanctũlam, Beguttam vocant, & Hainricum puerum (nihil minus,quàm suspectos huiuscemodi rerum nuncios esse) Romanis flaminib.aperit, & significat. Argentoratensi episcopo, qui verbis amicitiam Alberti præse ferebat,factis verò negabat, datur negotium, vt in Fruxinensem,Moguntinumq; episcopum,alioqui homicidij,falsarij crimine reos,inquirat. Argentoratensis caussatus se in meditullio Imperij habitare, hanc rem odiosam à se ad Hainricum Schirensem præsulem in Boiariam relegat. Albertus superstitione quoq;,qua nihil efficacius ad humanas mentes continendas esse solet,rebus suis consuluit. Erat Otto vxorius,eius coniunx Agnes religiosula. Hanc per Hainricum scribam ducis,præpositum Monasteriensem,Theodericum Otolinum domesticum sacerdotem,qui eruditionis palmã ex schola detulerat, circumuenit. Hi ad seuerant,se prid.Cal.Maij noctu,quàm peruigilio legatis & auditorib.Christi D.Iacobo,& Philippo celebrâssent,cũ concoxissent,bis per quietem atq; somnium vidisse,ensem Alberto cœlitus demissum, Deiparam Virginem, reliquos comites Christi eburneos,qui inscripti aureis literis,omnia acta Alberti probarent, confirmarent, authorésque fierent omnium,quæcunq; is incœptaret,aut molliretur.

Ensis Alberto cœlitus demissus.

Hocq. somnio ducem atq; vxorem suos arbitrabatur. Posthæc rursus episcopo Augustano, vt Vlmam,Augustam, Werdeam,Laugingen,Nordlingam,Moering Vindeliciæ: Aichstatensi verò; vt Noribergam, Weissenburgium, Greding, Würtzburgenses,Gemundiam,Dinckelspüel,Halam,quòd milites Friderico in Italiam miserint,deuoueat, præcipit. Nemo obtemperat. Deinde omnes episcopos,sacerdotes,monachos ad se Landshutam euocat: ne vnus quidem apparet. Pontifex Romanus,consilio tamen Alberti,scribit mystis, monachis, vt alios cooptent antistites,nisi hi Alberto dicto sint audientes. Cum ne hac via successisset,ternos mystas Augustanos Iuuauenses: quaternos Brixniæ, Vangionum,Constãtiæ,Nemetum: quinos Bathauenses,Fruxinenses, Würtzburgenses,Moguntinos,Bãbergenses,Aichstatenses, præterea Sigefridum Reginoburgensem episcopum; duos ministros,totidem ciues,treis mystas,quos omnes Albertus nominatim indicauit, Romam proprijs sumptibus in ius ire imperat.

Comitia Cæsarea.

Augusti litera ad principes.

Hæc vbi frustra tentata sunt, Imperatorique Friderico renunciata, iam pleriq; coniuratorum, vt condictum erat, apud Budelin Comitio Cæsarea habebant. Augustus vbi hæc rescíuit, Principibus cunctis, maximè Ottoni Boiorum regulo,præfectoq; prætorio Rheni,literas mittit. Illarum literarũ hæc sententia fuit: Pleraque crimina sibi obiecta à Roman.Pontifice negando diluit, alia in illum retorquendo confutat. Pontifices Roman. auctos diuitijs & dignitate, à se atque cæteris Imperatoribus, æmulos esse pertinacissimos omnium regum atque Principum, neque parem vltrà ferre posse. Manibus, pedibusque, noctes diesque id eos conari, vt nõ tam se, quàm sacrosancto Romano Imperio, tanquam capite oppresso, facilè cæteris membris omnibus seruitutem imponant: affectare eos dominationem, atque diuinitatem, nempe vt ab omnibus haud aliter, imò magis, quàm deus timeatur. Nam multos Antichristos inesse Romanensibus illis, nec vllos alios, quemadmodum opera ostendunt, exitio Christianæ religioni esse. Se quidem optimè sentire de Christo, atque eius religione prædicat, nihilque magis cupere, quàm vt suo tempore Respublica Christiana pristinam maiestatem, simplicitatem, & pacem recuperet. Quod fieri nequaquam potest, nisi spinæ eradicentur, hoc est ambitio, superbia, fastus, luxus sacerdotum Romanorum, subtractis opibus, atque diuitijs extir-

extirpentur radicitus. Copia rerum sapientissimos quosq; corrũpere solet: in rebus diuinis non solùm Ro. episcopum, sed vnumquemq; sacerdotem sibi patrem fore, modò rebus prophanis sibi cõmissis abstineat, ꝓponit. Imperium Christianum, cuius ipse caput constitutus sit à deo, non armis, noui opprimi posse: sed luxuria, cupiditate, quæ radix omnium malorum est, eneruari, adulterari, corrumpi. Quod ne fiat, se obuiam iturum, se summopere pro cõmisso sibi à deo negotio, potestateꝗ́ensꝗ; diuinitus tradito cõtra enisurũ: vt ouili pastorem, populo pontificẽ, mundo parentẽ, detracta persona lupi, Tyránni, atq; domini restituat, vt eundẽ abdicata regnorum, humanarũ litium cura, prophanorũ negotiorum administratione, quibus illi interdictum sit, ad æmulanda pauperis Christi, cuius vicarium se iactitat, vestigia cogat: se amplius neq; passurum, vt Christianæ plebi lupus ouina pelle tectus, diutius imponat. Opus vel maximum pietatis esse atq; charitatis, grauissimum immortali deo, opes, & aurum, irritamenta malorum sacerdotibus auferre. Namq; hæc (inquit) perniciem esse religionis, adeò vt homo ille, qui dicitur Papa, diuitijs nimium auctus, maximo pietatis Christianæ detrimento, omnia sibi licere, more Tyrannorum pessimorum putet, rationem actuum, nemini quasi sit deus, reddere velit: Id quod soli deo conuenit, vsurpet, se errare, vllâve mendacij religione astringi nõ posse, credi sibi impudentissimè, simulq; imperiosè postulat. Fraudes, dolos, cõmenta, fucum taceri, sibi vt vicino, eum intus & incute notum esse. Proinde quicũq; rem Christianã saluã esse velint, faueant, adsint, & causam Christi Seruatoris nostri omnium deniq; Christianorũ agenti, beneprecetur. Datũ in obsidione Aesculi Iulij duodeuicesimo die, indictione tertiadecima. Cũ hac quoq; Epistola legatos, cõuentu in Boiaria indicto, ad Wentzeslaum regẽ ꝓficisci iubet, qui illum officij admoneant, beneficia à maiorib. Imp. in gentem Boiemiæ collata, cõmemorent: Duces Boiemiæ ab auo patruoq; Imp. regio diademate donatos esse, quorũ tertius sit Wentzeslaus, spectãdã esse audaciã Romanorũ flaminũ, ne horum fallacia seductus, se atq; Remp. discordiæ malis perditũ eat: Pontificem Romanũ ... nationi orbis reginæ. Ideo dare illum operam, vt eius valẽtissimas gentes Boiemos, Teutonas, Venedos, Sclauos, Danos, Cimbros, Vgros cõmittere quouis queat modo. Ciues aduersus ciues, monachos aduersus mystas, hos in episcopos ab eodem cõcitari. Præsules pontificib. diuendito illis cultu, mitra, pedo, lituoq; pontificio æquari, prophanos, auarissimum quemq;, atq; pecuniæ maximè studiosum, decimis distributis, cõtra sacerdotes bene sentiẽtes sollicitari. Qui sint Romanẽses illi, opera eorum ostendere. Christum mundo pacẽ dedisse, illos bella ciuilia ꝓpinare, duces, regulos, tetrarchas, eisdẽ fallis Christis cohortantib. inuicẽ sæuire, & velut membra Augusto capiti suo repugnare, atq; diuinæ maiestati resistere, Gregoriũ nonũ, captũ Imperij cõsuetudine, vt solet regnet, omnia perturbare, atq; cõmiscere, cuncta tumultu cõplere, vt sursum deorsum vniuersa ferantur. Iam pridẽ eos qui Babyloniæ, hoc est Romæ, templo dei incubent, diuinitatem affectare, & astutè id dissimulare, solasque Germanicas vires ab his timeri, quas vt spectaculum sibi paria componant. Vulpeculas illas conari, vt Germania illa victrix terrarum, eius bellicosissimi populi, Venedi, Sclaui, Vgri, Dani, Teutones suis viribus, mutuis vulneribus corruant, summopere illos studere. Ita exangues, atq; defessos, prædę effœminatis illis, libidini, atq; seruituti primarij sacerdotis procul dubio obnoxios fore. Aliter non orbem terrarum, neq; cunctas gentes cõglobatas, robustissimis Germaniæ gentibus quicquam efficere posse. Omnes homines natura procliues ad mala, omnia mala exempla ex bonis initijs orta esse: vbi semel Romanus sacerdos gladium nactus eduxerit, neminem licentiæ eius, atque furori finem aut modum statuere ausurum, neq; illum cessaturum, donec omnes, iuxtà bonos, ac malos in seruitutem redigat. Ac nos tandem sero euentu rerum, malisq; nostris edocti sapere cogamur. Hæc vbi dicta sunt à legatis, rex Boiemus commutato animo, alioqui pontificis Max. conatus, quòd legatum petentibus non miserat, suspectos habens, cœpta improbat, se in potestate Augusti, atque Cæsaris fore respondet, atque fœdus nouis sacramentis, datis obsidibus, Egræ consilio habito, redintegrandum decernit: idem cæteri Principes censent. Ottonem Boium, qui aberat, huius discordiæ authorem, contra Rempub. fecisse, crimine perfidiæ, proditæ maiestatis, populi Christiani accersendum esse statuunt. Otto vbi hæc resciuit, atque vxor eius, metu anxij, pauoreque exanimantur, ipsa febre laborare cœpit. Otto per Albertum omnia Romano episcopo aperit, periculum imminens ostendit, auxilium, atque consilium eius implorat, se imparem viribus aduersarijs esse, in dubioque rem, vitam, salutem, coniugis atque liberûm versari docet. Postea quã maximis potest itineribus ad Wentzeslaum cõsanguineũ suũ in Boiemiã, vnde genus maternum ducebat, contendit, suadet, hortatur, obtestatur, minatur, ne se atq; partes Boiemus desereret. Cumq; parum proficeret, hoc tandem impetrat, vti fœdus, cui se quoque accessurum simulabat, differretur: aliudq; concilium apud Helenobogios cogeretur. Inter hæc Conradus Cæsar Landshutam noctu absente duce venit, illius vxori denunciat, ni virum à proposito reuocet, atque in fide contineat, haud dubiè pœnas ingratum hominem daturum, auum, atque eius parentem, ab auo atque

Nota.

Augustus legatos ad VVenceslaum regem mittit.

Rex Boiorũ Cæsari Augusto obsides dat.

Otto Boius cum vxore in periculo versatur.

Conradus Landshutam venit.

paréte suo ex obscuris Wittelspachij crepúdijs ad ducatum Boiariæ, atq; Rheni Palatiú euectú esse, rursusq; si ita ingratus tot beneficijs pergat, ad Wittelspach redigendú esse. Coniunx vt meticulosa erat, viro, vbi reuersus est, hæc renunciat. Isq; rursus Nono Romá scribit, Gregorius Ottoni, atq; regi Boiemiæ rescribit, ad alios quoq;, quos idoneos credebat, dat literas. Hortatur ne ecclesiam dei deserát, ingentia pollicetur munera cœlú, atq; diuinitaté condonat. Erat Wentzellao soror Franciscana, eius consilio frater nitebatur. Principes Senatorú omnium erant Bochuzlaus filius Zelauconis, atque Budislaus, Iarozelai filius, hos pollicitis, atq; donis pontifex sibi cóciliat, illis cœlum aperiendo inferos claudendo efficit, vt regem in fide continerent, rursusq; is ab Imperatore desciscerent. Rursusq; Wentzeslaus, & Otto, atq; Hainricus Polonus, Belus Vgrus statuunt tertio Calendas Iulij Libussæ in confinio Poloniæ cóuenire, filium regis Danorú Cæsarem aduersus Fridericum declarare, atq; rebus imponere: Gregoriumq; certiorem faciunt per Burckardú, atq; Vlricú, & postulant, vt legatum sapienté, atq; magnæ authoritatis per Vngariá mittat: quem rex Boiemus, atq; præses Poloniæ honorificè excepturi, Libussamq; maximo apparatu deducturi sint. Iisdem dieb. archiepiscopus quoq; Agrippinensis Coloniæ ad Nonú deficit, Brabantino, qui partiú Imperatoris erat, bellú indicit. Verú amissis omnib. copijs, captus atq; in vincula cóiectus est. Turogi, atq; Catti ob insignem regni, nempe Leonem decertant. In tanto rerú tumultu (vti fieri solet) licétia armorum, partim metu, partim audacia, partim tépore, atq; tædio, paulatim labente disciplina, monachi, mystæ, fœminæ sacratæ, quorú opera Pótifices præsules in scribédis emédatissimè codicib. vtebantur (sicut in Bibliothecis videre licet) dissoluto seuerioris castimoniç iugo popularit er viuere cœperút, mystç adeò, vt nihil illis vitio verti possit: longinqua cósuetudo, virtutis nomé occupauit. Apud omnes monachorú ædes contubernia sacratarú fœminarú in Boiaria quidé fuisse reperio. Ea, hoc motu, templis ad egestaté redactis, interiere. Monachorú examina, apud quos tú literarú exercitia publica erát, huiuscemodi seditionibus, studio atq; ludo sublato, ocio torpescere, luxu diffluere cœperút, demú parétú memoria, genitoris, atq; aui nostrorú Principú, & Nicolai Cusæ opera, rursus subiugú disciplinç, cui addicti, missi sunt. Principes posteà certatim in suis oppidis, perpetuis solarijs ex ærario publicè datis, gymnasia literaria aperuerút, periclitantiq; Reip. literarú opé tulêre. Sapiétiores pleriq; pertinaciá vtriusq; partis códénabát malebátq; Imperiú ex Germania rursus in Italiá trásferri, modò liceret Germanis pacé à Christo datá agitare, atq; auaritiæ, & libidinis Romanorú flaminú immunib. esse, illos vicini Imperatoris virib. in ordiné redactos iri augurabátur. Quæ tú Boiaria ꝑpessa sit, Epistolæ, diplomata, tabulæ, quæ in templis, atq; collegijs extát, aperiút. Res opportuna nobilitati, atq; grassatorib. fuit. Pars Imperatori, pars pontifici verbis qdé. verú factis omnes sibi seruiebát. Conradus Wasserburgésis regulus, vicina sibi cœnobia, Rhod. Aetl, quæ Imperatoria esse dictitabat, diripit. Albertus & Conradus Mosburgenses, curatores Bariorum collegij Augustiniani iuxta patriá meá, Rorá viciná eiusdé religionis ædé spoliát, frumenta, reditus, prædia intercipiunt. Huius fani ꝓpugnator Alemannus Abusinæ patriæ meæ dynasta, Piburgij ꝓximi cótubernij Benedictini prata Apso contigua aufert. Vlricus Stain, cuius parentes hoc templú dicarát, in Italia apud Imperatoré, vbi & interijt, eques merebat. Albertus à Bogen neutri fidus, cunctos vicinos hostes ducebat. Rapotho Artébergensis præfectus prætorio Boiariæ, quo vtilitas inuitabat animum inclinabat. In superiore Boiaria alpibus subdita Sigebotho Neuburgésis (arx modò semi diruta est haud longè à Vinaria) præses Ottonis ab Andechs Dalmatiæ reguli, Histriæ, & prætorio Burgúdiç prçfecti, bello lacessere ausus est vires Ottonis ducis Boiorú. Huius equites monachos, & templa Tigurinos, Vinariá, Beurn, reliquos mystas in superiore Boiaria, qui in clientela Ottonis ab Andechs erant, crebrò quasi reb. Imperatoris studentes, deprædabantur. Boiorum quoq; regulus Wolfratzhausen obsidet. Beurn atq; Tegernsche affligit, cuncta ferro, flamma deuastantur. Agricolæ relictis agris aufugiút. Quingenta templa, in quæ incolæ res suas congesserant, vi effracta, atq; compilata sunt. Sigebotho captus, in vincula cóiectus Burckhusium deducitur. Partes etiá pontificales inter se dissentiebát. Rex Boiemus, quasi suis viribus niteretur, cæteros floccifacit. Si aduersarij impares fore timebantur, rursus ad eos, quo pares fierét, ij, quibus bellú vtilius erat, quá pax, deficiebát. Inuicem pro principatu conscij cótendebát. Quisq. suprema occupare auebát, fratres, parétes, liberi, diuersas sectabantur factiones. Cum nouus qspiam accesserat, illi, qui duces multitudinis erant, suú cómodú, honoré, dignitaté sociorú accessione deminui sentiétes, ad inimicos desciscebant. Vbi Moguntinus, Cattus, atque Turogus ab Imperatore, Boiemus atq; Boius rursus ad illú defecerunt. Nemo constantior duce Austriæ fuit, nullis minis, precib. donis, pollicitis cómotus, Imperatoris, quoad vixit, constátissimè tutatus est partes, modò Boiemú, modò Vgrú bello cótinenter lacessens. Albertus quoq; quos publicè deuouebat, clàm acceptis munerib. data syngrapha soluebat. Romani quoq; flamines, denegato suis legato, socijs nó omninò fidebant.

Gregorij ad Ottonem & ad alios literæ scriptæ.

Franciscana Vuentzeslai soror.

Turogi & Catti ob insignia litigant.

500. templa effracta.

Ducis Austriaci constantia.

bant, aut eos ſalutos eſſe volebant, Cōſiliū eorū erat, vt Germania ſuis virib. rueret, diſcordiaq; tunderetur, quo vires Eccleſiaſticæ, opesq; Romanenſium creſcerent. Dum ita armis ciuilibus orbis Romanus flagrat, Ochodarius, Zingiſæ primi Tartarorum Imperatoris filius (Ioannem Capinum Franciſcanum, qui in Sarmatiam atq; Scythiam à Romano ſacerdote miſſus, diutiusq; ibi verſatus de gentis moribus origine, ſitu, re bellica, religione librū ſcripſit, ſequor) Bathum cognatum ſuū Sarmatiam Europeam, Germaniam inuadere, per trigintaq; continenter annos deuaſtare, donec aut eas omnes gentes excindat, aut in ſeruitutē redigat, imperat, antè domum redijſſe, capitale foret. Bathus igitur cum ducib. Cadano, Bugotho, Orodario Roxolanos, Bodolios, Muldauos, Walachos, Polonos, Boruſcos depopulatur: nobiles, principes, equites, pedites, ſacros prophanos, pueros, puellas, viros, fœminas, ſacerdotes, monachos, pontifices occidit, interficit, necat, cōburit, vniuerſos inultos more pecudū mactat, ædificia, villas, ciuitates, tēpla cū hominib. exurit, agros, ſegetes incendit, pars in ſyluas, & ad paludes aufugiunt, Cracouia, Vratislauia, ingentes vrbes, vacuæ cultorib. inuentæ, illa ad Viſtulæ, hæc ad Sueui amnis fluenta condita, ambæ direptæ, igne ab irato Scytha cōcrematæ ſunt. Iuxtà Vratislauiā Hainricus Poloniæ atq; Sileſię regulus, filius D. Heduuigis, cum Tartaris cōflixit, & omnib. copijs amiſsis, ꝓfligatis ꝑerib. ipſe captus, ſecuriq; ꝑcuſſus eſt. Nouem culeos auriculis cæſorū oppleuit hoſtis. Qui Morauiā inde, regnūq; Boiemiæ, nullo reſiſtente, Wenceslao ſe in munitiſsimis natura arcib. cōtinente, crudeliter affligit, & ad ſolitudinē penè redigit. A Iulio monte, qui caput eſt Morauiæ, Vngariam petit, Belam quartū regē Vgrorū, fratrē eius Colmānū, obuiam ꝓcedere auſos fundit, in fugā vertit, caſtris exuit, ciues indigenas, aduenas, epiſcopos, monachos, ſacerdotes cōtrucidat, vtrāq; Vngariā cis & vltra Danubiū, Pānoniā, Mœſiā, Boſnā, Bulgariam, Seruiam, ſimili clade afficit: cōplures fame perijſſe traditur. Trib. annis hiſce incubuere regionibus Tartari, nulla quies ab armis, cæde illis fuit. Regnū Vngariæ, quod ſub Imp. Arnulpho cœperat, & per trecentos atq; quinquaginta annos ſteterat, grauiter attritū, atq; cōcuſſum eſt. Bela Vgrorū rex Polam Hiſtriæ vrbē, ad Ottonē ducē Dalmatiæ amicitiam ſuū aufugit: oratores ad Fridericum Imp. poſtulatū auxilium proficiſci iubet. Romani flamines, Friderico authore, eiusq; milite ductore, erupiſſe in has regiones hoſtem tam crudelem rumore diſsipāt. Albertus Boiemus Volomb. qui vltrò nomina dederant, nota cœleſti ſe ſignarant, hoſtes aggredi meditabantur, vt domi ſe contineant, imperat, donec à Pont. Max. aduerſus Imperatorē Fridericum euocentur. Extat hæc Epiſtola, & quidem autographa. Auguſtus audita legatione Vgrorum, mandat regi Boiemiæ, atq; Ottoni Boio, Gregorio ſuadeant, vti ſecum in gratiam redeat, quo communibus copijs, viribus coniunctis, Tartaros ab orbe Romano exigant. Rex Boiemus atq; Otto publicè quidem pontificem ad pacem amplectendam ex cōpoſito hortātur. Verū occultè ſigno Alberti ſcriptis literis, vt bellum aduerſus Imperatorem perſequatur, conſulunt. Quòd ſi vtriq; ad pacem (quemadmodum fama iactitatur) pronior ſit, ſe certiores fieri poſtulant. Verùm malorum hominum technis, pacis conditiones ab Auguſto oblatæ ſpretæ ſunt. Imperator poſt hæc Vgro ſcribit, ſe ab Romano phariſæo armis premi, oblatam vltrò à ſe pacem ſpernere eundem, neq; ſe audere domo pedem vſquam gentium tollere: dolere admodum, quòd illi quemadmodum optet, ſuppetias ferre nequeat. Conrado Cæſari filio ſuo, atq; Teutonibus & Venedis præcepiſſe, vt dent operam, ne quid detrimenti Reſpublica vltra alpes capiat. Eadem tempeſtate in prima Vindelica apud Lycatios Berchtoldus, Adelhaidis vxor à Greiffenpach, Burckhaimij ædem D. Georgio dicant, virgines ſanctas ibi collocant. Sed quod minus idoneus locus erat pietati ſolitudinem amantium, Sibothonis Seeueltæ Auguſtani, epiſcopi commeatu, precibus Conradi Cæſaris, conſentiente Berchtoldo atq; Adelhaide, ſacerdotiſſæ atq; flaminicæ illæ Ciſtercienſes ad Schœnenfeld (quod ſpecioſum campū, ſi quis interpretetur, valet) haud longè ab hoſtijs Lyci migrant. Factum id anno ære noſtræ M.CC.XLI. Adhuc ibi degunt. Circa eundem temporis tractum, coniuratorum quidam nihiloſecius Libuſſæ conuenire, comitia Cæſarea habere meditantur, de nouo principe creando conſilia ineunt. At plerosq; regni Boiemiæ, Poloniæ, Vngariæ deuaſtatio atq; caſus à propoſito deterruit. Rex quoque Danorum filium ſuum cœpto retraxit. Ita omne conſilium cōſciorum fruſtra fuit. Nam & Nonus iiſdem diebus animam efflauit. Auguſtus igitur atq; Cæſar, capite conſpirationis ſublato, partibusque grauiter à Scythis afflictis, metu liberati, copias cogunt, arma cōparant, expeditionem in Tartaros parant. Quod vbi illi per exploratores cognouere, cū alioqui Ochodariū regem ſuum interijſſe audirent, Vngaria excedunt: recta Danubij ripa ad Tauricā peninſulam, quam nunc Pręcouiam dicūt, atq; Meotida paludem, & Thanaim amnem in Sarmatiam Aſiaticam, Cimbrorum quondā domicilium, reuertuntur. Sub idē tempus Eberhardus archiepiſcopus, Iuuauenſis, atq; Rudigerus Bathauenſis Conradū Fruxinenſem epiſcopū, atq; Ottonē regulum Boiorū in gratiā redigunt, Burgfortheni epiſcopo tribuūtur. Aegrè tulit hanc concordiā Albertus, ſe peti ratus, Romanis flaminibus rem, atq; concordiā ipſis pernicioſam ape-

Ochodarius Zingiſa

Bathus

Cracouia. Vratislauia concrematæ

Bela, qui & ab alijs Belus.

Thraucia peninſula Pracouia.

rit, petit, obsecrat, vt hanc iure suo interturbent: Ottonem quoq; nonnihil negligentiæ accusat, suspectumq; habere cœpit. Hæ literæ interceptæ sunt, & ad archimystam Iuuauensen delatæ. Quamobrem ille & omnes episcopi Boiariæ Reginoburgij conueniũt. Ipse Eberhardus Iuuauiæ, Hainricus Bambergæ, Fridericus Aichstadij, Rudigerus Bathauiæ, Conradus Fruxini, Sigefridus Reginoburgensiũ, Brixinæq; pontifex. Hirspergensis quoq; regulus coeunt. Deinde Sigefridus Reginoburgensis episcopus, Eberhardus Abusinus, eiusdem fani præpositus, Conradus decanus, Semannus archidiaconus Landshutam ad regulum Boiorum, præfectumque prætorio Rheni se conferunt, postulant ab eo, vt Reginoburgium proficiscatur, vbi de Republica, summisque rebus agant, in communeque consulant. Annuit Otto postulatis. Vbi Reginoburgium ventum est, & proceres consedere, literæ Alberti, quibus Ottonem Boiorũ ducem de fide suspectũ Romano episcopo facit, recitantur. Deinde huiuscemodi orationem archimystam habuisse reperio: Christus seruator, dominus & deus noster, relicto æthereo solio, atque (vt ita loquar) immortalitate, mortalis pauperq; effectus est, vt nos immortales atque diuites efficeret. Cumque deuictis inferis triumphabundus rursus in cœlum rediturus esset, pacem suam nobis dedit, pacem suam nobis reliquit, concordiam atque mutuum amorem tanquam notam, atq; tesseram, qua ciues sui à militibus inferi Iouis discernerentur, assignauit. Summo opere quoque admonuit, vti falsos Christos, falsos prophetas vitaremus, qui tecti pelle ouina, nimirum Christiano nomine, atque pontificio titulo, nobis dominari, atque illudere cuperent. Quos ex spinis, atque operibus, nempe auaritia, luxu, contentione, odio, inuidia, bellis, discordiæ malis, libidine dominandi, ambitione, cognosci oportere docuit. Quid nam apertius hisce verbis, quàm Babylonis pharisæos atque scribas, cœlestis Imperator indicauit? Sub pontificis Max. titulo pastoris pelle, lupum sæuissimum, nisi cæci sumus, sentimus. Romani flamines arma in omnes habent Christianos, audendo, fallendo, & bella ex bellis serendo magni factiq oues trucidant, occidunt, pacem, concordiam, terris depellunt, intestina bella, domesticas seditiones ab inferis eliciunt, indies magis atque magis omnium vires debilitant, vt omnium capitibus insultent, omnes deuorent, vniuersas in seruitutem redigant. Non pontificis more gregi cõsulunt, sed potius immanitate tyranni licentia debacchantur: iustitia rarescit, impietas, auaritia, cupiditas honorum, pecuniæ studium, libido crebrescit. Inopes & boni prædæ sunt sceleratis, ac diuexantur vndique ab iniustis, soli autem mali opulenti sunt. Christus inimicos odio habere vetat, eosdem amari præcipit, de hisce promereri, fidem hostibus seruare, beneficijs maleficia expiare docet. Romanenses contrà, sancta violare, fœdere dei nomine sacrato ad fallendos homines abuti, benemeritis ingratos esse, malefactis beneficia compensare, bellare, litigare defraudare, prodere, decipere, sub magna pietatis superficie iubent: diuinæ maiestati, cœlesti prouidentiæ, naturæ repugnare, supremæ maiestati à Deo Opt. Max. constitutæ, resistere nos volunt. Hyldebrandus ante annos centum atque septuaginta primus specie religionis antichristi imperij fundamenta iecit. Hoc bellum nefandum primus auspicatus est, quod per successores huc vsque continuatur. Primo illi Imperatorem à Comitijs pontificalibus extrusêre, ea ad populum & sacerdotes transtulêre. Deinde & eis ludibrio habitis atque explosis, nunc & nos in ordinem redigere atque seruitute conantur, vt soli regnent. Capti iam Imperij consuetudine, penticatis suis & aduersariorum viribus, occasione rapiendæ dominationis & opprimendæ libertatis Christianæ, specioso ecclesiasticæ constituendæ libertatis fuco vtentur. Credite experto, non cessabunt, donec Imperatore in ordinem redacto, Romani Imperij honore soluto, pastoribus veris, qui pascant, oppressis, canibus qui latrare queant, sublatis, per hunc modum omnia extinguant, aut occidant. Ideo omnia turbare atque permiscere volunt. Sed dominari vel ingratis contendunt. Paulus armarium Philosophiæ diuinæ præcipit: subiecti inuicem in timore Christi estote. Hoc interesse inter Christianorum, prophanorũm principes, cœlestis doctor & præceptor noster, summusque atq; immortalis pontifex docet, quòd ij dominantur subditis, illi seruiunt. Formam serui suprema maiestas suscepit, vt discipulis suis seruiret, eorumq; pedes lauaret. Flamines illi Babyloniæ soli regnare cupiunt, ferre parem non possunt, non desistent, donec omnia pedibus suis conculcauerint, atque in templo Dei sedeant, extollanturque supra omne id, quod colitur: fames opum, sitis honorum inexplebilis est: quo plura auido concesseris, eo plura appetit: porrige digitum, & manum concupiscet. Licentia omnes sumus deteriores. Qui seruus seruorum est, dominus dominorum perinde ac si deus foret, esse cupit. Sacros cœtus atque concilia fratrum, imò dominorum suorum aspernantur. Timet, ne earũ, quæ aduersus auspicia, leges, intercessiones indies magis atq; magis gerit, rationem reddere cogatur. Ingentia loquitur, quasi verò deus esset. Noua consilia sub pectore voluitat, vt proprium sibi constituat imperium: leges commutat, suas sancit, contaminat, diripit, spoliat, fraudat, occidit, perditus homo ille, (quem antichristũ vocare solent) in cor[illegible]

Eberhardus comes de Abensperg.

Oratio archimystæ.

Hyldebrandus.

Imperium antichristi quando cœpit.

[illegible]

contumeliæ nomen ſcriptum eſt, Deus ſum, errare nõ poſſum, in templo dei ſedet longè, lateque dominatur. *Papa antichristus.* Sed ſicut in arcanis ſanctarum literarum, Qui legit, intelligat: docti intelligent, omnes impij impiè agent, neq; intelligent. Quemadmodum longo ante tempore. Sybillæ apertè, Hydaſpes rex antiquiſſimus, ſub interpretatione vaticinantis pueri ad memoriam poſteris tradidit, nomen Romanum multo antè præfatus, quàm illa Troiano gens conderetur. Conciones Prophetarum ſub ambage aliorũ nominum, ne quis facilè intelligat, denunciarunt. Romani maieſtas populi, qua olim orbis regebatur, ſublata eſt de terris, & Imp. in Aſiam reuerſum eſt: rurſus Oriens dominabitur, ſeruiet Occidens. Regnum multiplicatum, ſumma rerũ poteſtas per plures diſſipata, conciſa, minuta, ne dicam dilacerata, diſcordiæ ciuiles in perpetuum ſerũtur, nec vllam requiem bellis exitialibus eſſe ſentimus. Imperator vana appellatio & ſola vmbra eſt. Reges 10. pariter exiſtunt, qui orbem terræ, Romanum quondam Imperiũ, non ad regendum, ſed ad conſumendum, partiti ſunt. Decem cornua, id quod D. Aurelio Auguſtino incredibile viſum eſt, Turcæ, Græci, Ægyptij, Afri, Hiſpani, Galli, Anglij, Germani, Siculi, Itali Romanas prouincias poſſident Romanoſq; in his excidere colonos. Cornuq; paruulum ſub his ſuccreuit, quod oculos habet, & os loquens grandia, tria potiſſimum Siciliæ, Italiæ, Germaniæ regna in ordinem redigit, ſibiq; ſeruire cogit, inſuſtentabili dominatione populũ Chriſti, ſanctoſq; dei vexat, diuina humana miſcet, infanda, execrabilia molitur. Quid hac Prophetia apertius? Omnia portenta atq; prodigia, quæ cœleſtis ille magiſter noſter cantauit nobis (euoluite annales) iam pridem fiunt. Audacia & vis omnia poſſident, boni in omnibus contumelijs atque in egeſtate iactantur, confunditur omne ius & leges pereunt. Non fides in hominib. nõn pax, non humanitas, non pudor, non veritas, atq; ita neq; ſecuritas neq; regimen, neque requies à malis vlla eſt. Omnis terra tumultuatur, fremunt vndiq; bella, omnes gentes in armis ſunt, & ſe inuicem oppugnant. Ciuitates finitimæ inter ſe præliantur, eruuntur regna. Ciuitates funditus intereunt, non modò ferro atq; igne, verùm etiam terræmotibus aſſiduis & eluuie aquarum & morbis frequentib. & fame. Fiunt vbiq; prodigia miranda per omnia elementa mundi aër vitiatur & corruptus & peſtilens eſt, modo importunis imbrib. modò inutili ſiccitate, nunc frigoribus nunc æſtib. nimijs nec terra hominũ dat fructum, nec ſeges quicquam, non arbor, non vitis ferunt. Cum in flore ſpem maximam dant, in fruge decipiunt: deficiunt in terra quadrupedes, in aere volucres, in mari piſces. Crines cometarum, ſolis tenebræ, color lunæ, cadentium ſyderum lapſus ſubitò, & non vſitato modo, ſanguine obfuſcum cœlum mentes hominum maximo terrore confundunt. Per iram Dei aduerſus homines ſæuit ferrum, ignis, fames, morbus. Impij tamen iuſtitiam dei non àgnoſcunt, imò magis inſtigantur, vt oculos habeant, & non videãt. Niſi hoc incendium extinguatur, vniuerſum orbem terrarum comburet. Decet eum, qui primus hoc excitauit, ruina monſtri nulla virtute redempti, quòd huc vſq; Landshutæ, in oppido Boiariæ, maximo Chriſtianorum periculo delitescit, extinguere. Quid prodeſt extrema populariũ pernicie ſerpentem orbi terrarũ educare? Illorum ſerui ſumus, quibus ſi viri eſſemus, atq; maiorũm veſtigia æmularemur, timori eſſemus, fortuna illorum noſtris vitijs incolumis exiſtit. Date operam, Patres conſulti, vt à Germania, gente Chriſtianiſſima cædes, diſcordiæ mala, incendia, crudelia facinora in ciues, in patriã patrata, pellantur, pax ciuilibus armis exacta, concordiæ bonis reuocetur. Quod tum fiet, ſi Imperatori Friderico ſecundo Cæſari Auguſto, principum Chriſtianiſſimo, à Deo conſtituto obtemperabimus, & peſtem illam atq; ſerpentem è Boiaria eliminauerimus.

Poſteaquàm Eberhardus finem dicendi fecit atq; aſſedit, ſenatus decretum fit, ſicut ille cenſuerat. *Senatus decretũ de Alberto Boiemo.* Albertus Boiemus oppidis, vicis, ædibus, caſtellis Boiariæ edicto exigitur. Inſuper omnibus rebus, ſupellectile, ſacerdotijs, gratia gaza, gentilicijs hæreditatibus, item ſocij eius mulctantur. Otto poſthæc Egram ad Cæſarem Conradum proficiſcitur, filiam ſuam Eliſabetham eidem deſpondet, nuptiæq; Vogburgij fiunt. Albertus denuò proſcribitur, *Albertus proſcribitur.* atq; hoſtis Reip. iudicatur, & per omniũ ſacerdotum religiones, ſicuti falſus Chriſtianus deuouetur. Inter hæc Innocentius quartus oƀili Romano imponitur, ditiſſimus omnium pontificum Romanorum, ſicuti Martinus refert, amiciſſimuſq; ante pontificatum Imperatori Friderico. Extat Auguſti gratulatoria epiſtola, quam Beneuenti ad Ottonem ducem Boiorum dedit, vbi ſignificat, virum bonum, amicum pacis, amatorem Reip. Imperijq; Chriſtiani ſtudioſum, Max. pontificem lectum eſſe à patribus Imperatorem tamen longè ſua fefellit opinio. Nam Innocentius acerrimus eius hoſtis extitit, in Galliamq; Lugdunum migrauit, Gallorum conſilio, quibus Imperatoris potentia, vireſq; Germanorum formidoloſæ erant aduerſus eundem conſpirauit, atque è faſtigio rerum humanarum, quemadmodum Gregorius deſtinarat, deturbandum decreuit. *Innocentius acerrimus hoſtis imperatorum.* Albertus autem Boiaria exactus, ad Bernſtain ad Wilhelmum cognatum ſuum aufugit, ab eoq; trecentis libris Boiaricis venditur. Verùm elapſus Tirobergomum, inde ignoto habitu in Gallias Senonas atq; Luteciam Pariſiorum peruenit. Ibi vix ma-

Fridericus Austriacus Bathauiam venit.

nus inimicorum euasit. inde se Lugdunũ ad Innocentiũ contulit. Sub idem tẽpus principes atq; sacerdotes Boiariæ conciliũ Bathauiam indicunt, vti Boiemũ atq; Austriacũ conciliarent. Fridericus Austriacus cum quatuor millib. equitum Bathauiá venit. Otto Vindelicus in Boiemiá profectus Wentzeslaum regem Boiemiæ, cognatum suum Bathauiá deducit, paxq; inter principes, episcopos, regulos Boiemiæ, Boiariæ, Noricos atque Vindelicos, non solùm iurisiurandi religione, sed etiá datis obsidib. firmatur. Rex Boiemiæ mox Mogontino, qui ab Augusto ad Romanenses defecerat, bellum indicit. Eodem tempore Belus 4. ab Ottone duce Dalmatiæ, & Hainrico genero suo filio Ottonis Vindelici, domũ reducitur. Fridericus Austriacus ab Vgris prælio occiditur, & absq; liberis decedit. Eius neptem ex fratre Gertrudi Hermánus Badensis, Irmingarda, sorore Agnetis, vxoris Ottonis reguli Boiorũ ꝓgenitus vxoré ducit: Austrię atq; Stirię ducatũ, ope Boiorũ affinium suorum sibi vendicat. Hoc quoq; anno ex hac vita migrant, Sigefridus Reginoburgensis episcopus, Eberhardus Salisburgensis archimysta quem viginti annis ab sepultura arcent Romani pontifices. Pontifex Romanus huic Burckhardus de Zigenhagen, illi Albertum Pitogeum substituit. Verùm Iuuauẽses spreto Burckhardo, Philippum ducis Charionum filium pontificem legunt atq; recipiunt. In paucis pòst diebus Otto ab Andechs dux Meraniæ fato concedit. Innocentius in Germania seditiones concitat, quòd superiores atq; Danubiani Imperatori fidem seruabant, inferiores aggreditur, fama dispergit, Ludouicum Cattum maritum D. Elisabethæ scelere Friderici perijsse: quare eius filius Hainricus Augusto rebellat, & à Sigefrido Mogontino, Arnoldo Treuerensi, Conrado Agrippinensi, Geroldo Bremensi archimystis, Petro Capucio legato Romanensi, regulo Brabantino Cęsar salutatur. Verùm eodem anno equo lapsus, exanimatus est, eiusque successor Wilhelmus Bathauus itidem à Frisijs occisus est. Dum autem partes Pontificiæ, atq; Imperatoriæ inuicem belligerantur & Aquæ Graneæ obsidentur, Christiani inter se tumultuantur, Saraceni Palæstinam totam inuadũt, expugnant, in ditionem redigunt, omnia templa euertunt, quinquaginta millia Christianorum contrucidant, Hierosolyma subigunt, præter turrim Dauid, quàm fortissimè milites Imperatoris Friderici tutati sunt. Qui licet ad concilium Lugdunensem oratores misisset, atque eò se venturum, in potestate concilij futurum promisisset, tamen indicta causa absensque condemnatus est, conciliumque, ante quàm veniret, solutum. Ita ipse quidem in epistolis, quas ad principes Christianos dedit, refert. Iisdem diebus Alberto Boiemo instigante, Rudigerus Bathauensis episcopus ab Innocentio tribu pontificum mouetur, Conradus Polonus, nepos regis Boiemiæ substituitur. Verùm quòd à vendicatione arcebatur, diuenditis Alberto castellis, in Boiemiam redit, vxoremque ducit. Conradus Cæsar, Otto dux Boiorum atque præfectus prætorio Rheni, Rudigeri rebus studebant. Berchtoldus frater Alberti Reginoburgensis episcopi, viuo adhuc Rudigero, Pontificatum Bathauensem, suasu Alberti, a Romanis flaminibus, facilè de alieno largientibus, in fidem accipit. Ipse & frater eius Albertus in Boiemiam se conferunt, ab episcopo Pragensi & Iulio Montano consecrantur, corruptis pecunia magistratibus, Bathauiæ vrbem occupant, arcem Rudigerus tenebat, Otto dux in Obernberg Albertum Boiemum obsidet sex mensibus. Interim Albertus Reginoburgensis episcopus, frater eius Berchtoldus Bathauiæ designatus pontifex, Weilhardi iuxtà Braunauu pagum & syluam Boiariæ in Norico inuadunt, vastant, depopulantur, agricolas spoliant, mille & quinquaginta pecora abigunt. Ottonem suis suppetias laturum, obsidionem soluere cogunt, Obernberg, quod iam obsidione liberatum erat, deducere conantur. Adelramus ab Vtendorff, Orthulfus de Wald, Hainricus de Ror, alijque proceres Boiorum, qui in Norico habitant, vexillo templi in Neukirch, quod diuo Vlrico dicatum est, rapto, priores ad Obernberg perueniunt, seque condunt. Episcopos cum præda accedentes, seq; iam in portu nauigare, credentes, cum iam arcem intraturi forent, de improuiso adoriũtur, statimq; eos in fugam conijciunt, fugientes vsque Marchiæ Luppiam persequuntur, prædam omnem recuperant. Episcopi fuga elapsi sunt, frater eorum Sigmarus, duo fratres Merspeckij, Wilhelmus Prampeck capti, in vincula coniecti, Burckhusium deducuntur. Interea Bathauia, quò Albertus Boiemus confugerat, Vlrico Furtario prodente, & Rudigero ex arce erumpente, ab Ottone duce Boiorum recipitur. Albertus vix euasit, & ad Conradum Wasserburgensem auunculum ducis elapsus est. Dux Boius Wasserburgensi auunculo suo, nisi Albertum reddat, bellum indicit: quod cum ille detrectaret, Wasserburgium obsidet, centum vnde viginti dies, tandem expugnat, Conradum omnibus vicis, castellis exuit, ipsum cum Alberto Boiariæ finibus extrudit. Ludouicus verò filius Ottonis Teispach castellum Reginoburgensis episcopi obsidet, capit, diruit, solo æquat, fossam complet. Lapides ad Dingelfing deducit, superiorem vrbem extruit. Albertus rursus Bathauiam intrat: Otto eò copias mouet, vrgente itaque Rudigero ex arce foris duce, plerisque ciuium, atque sacerdotum cum his sentientibus, perpaucis

Hermannus Marchio à Baden.

Hainricus Cattus Cæsar eligitur. Wilhelmus Bathauus.

Otto dux in Obernberg.

Bathauiam Otto Boius recipit.

Albertus viuus excoriatur.

Boiemo fauentibus, ciuitas ab Ottone & Rudigero accipitur. Albertus comprehensus periurij, sacrilegij, perfidiæ, impietatis condemnatur, viuo cutis detrahitur, ita quidam in Annales retulere.

Insigne Bathauensis lupus excoriatus.

Nam & dictum in Bathauenses vsurpatur, ideo lupum cruentum pelle exutum eorum insigne esse, quod episcopum viuum deglubuerint: monstraturque lapis, vbi hoc factum sit, qui sanguinarius inde cognominetur. Mihi quidem non fit verisimile, nec verum arbitror.

Prouerb.

Non tamen negauerim, Albertum huncadmodum crudeles pœnas violatæ pacis, temeratæ fidei dedisse, vnde & prouerbium ortum crediderim, quo cutem eius nominamus, quem citò ob facinora supplicia soluturũ ominamur. Eadem tempestate noui episcopi, Philippus Iuuauensis cum collegis suis Seccouiensi atq; Chiemensi, Albertus Reginoburgensis, Conradus Fruxinensis concilium iussu Innocentij cogunt, ac Myldorffij coeunt. Postulabat ab illis pontifex Romanus, vt Ottoni, nisi ab Imperatore Friderico, Conrado Cæsare desisceret, ritu sacrificijs solenni interdicerent. Episcopi Ottonem ad se missis oratoribus accersunt, eidem mandata Pont. Max. aperiunt. Hisce auditis, regulus Boiorum, Quid vultis? (inquit) vos mihi priores bellum indixistis, ego coactus ad Ro. episcopum ꝓuocaui, iussuq; Gregorij Pont. Max. armis mea tutatus sum. Hoc mortuo, Romanum episcopum Antichristum esse prædicastis: egoq; deserta primarij sacerdotis secta, ad Imperatorem defeci, vos suasistis, vobiscum pacem inij. Nunc rursus bellum vobis placet: magis varij, atque mutabiles estis homine triuiali. Cur sic inepti ludificamini Christianum populum vestra puerili sententia? Aequum iniquum est. Quod modò fas erat, modò nefas est. Nolo, volo, quod dictum, indictum est, quod modò ratum erat, modò irritum est, mendacio creditis, iniquitati consentitis. Verito fortunæ circumferimini, aut nunc, aut antea errastis. Pacem inire cum optimis principibus suasistis, parui libenter, vestris consilijs pacem atq; fidem seruabo. Repugnantia nunc docetis, atq; more magis versutorũ, atq; argutorũ hominũ, quàm ex æquo atq; bono potestati resistere. His à quib. beneficijs collocupletati sumus, ingratissimos esse iubetis: decernite vos, quid nam æquum sit. Hominibus ne discordiarum fallacibus fabris, an Christo concordiæ authori obtemperabo? Qui gladium acceperit, gladio pereat. Qui sitis, opera vestra ostendunt: opes, potentiam, diuitias, honorem, voluptates, munera concupiscitis, appetitis, adamatis, pro hisce victi cupiditate, peius Turcis, Saracenis armis decertatis. Discordia creuistis, oues non pascitis, gregem discissum deuoratis: non licet Christianis per vos seruare pacem. Ego superis fauentibus obdurabo animum, mente obstinata Thyesteas vestras preces, dirasque detestationes nauci faciam. Ad Christum seruatorem nostrum prouoco, qui tales pharisæos nobis vitandos prædixit: & vestris inominatis verbis se bene precaturum pollicetur. Quemadmodum deus immortalis, nec cõparandus quidẽ ad mortales est: ita dũ à vobis cõdẽnamur, à Christo domino, deoq; nostro, qui vobis vestros mores ꝓbè cantauit, absoluimur. A quo sacrilegũ hoc genus hominũ manus sceleratas, impias abstinebunt, qui ne Christo quidẽ authori nostro pepercerunt? Et quis est ille, qui sacricolas huiuscemodi viuos cũ liberis & vxorib. cõbussit? atque illo egregio facinore, ea summa pietate Deo Opt. Max. perlitauit, adeò vt regnũ Palęstinę non solum sibi, sed & posteris suis ꝓmeruerit? Hæc vbi Otto dixit, discedit, atq; cũ Conrado Cæsare Dornbergium obsidet: sacerdotes qui Myldorphij erant, rati illũ vera dixisse, cum eo in gratiam redeunt: execratione pontificali eundem expiant, induciæ ad Cal. Maij fiunt.

Hermannus Austria & Stiria dux moritur.

Moritur eodem tempore Hermãnus Austriæ, Stiriæq; regulus, quarto Nonas Decemb. Neoburgij sepelitur, duos liberos reliquit, Fridericũ & Agnetẽ. Otto Boiorũ filiũ suum Ludouicum cum exercitu fines Austriæ, olim ab Boiariæ occidentali auulsæ, intrare, sub ditionem redigere, Noricos Vindelicis rursus coniugere iubet. Linczium, Anassus, finitima oppida Ludouicum accepere. Verum Ottocarus filius Wentzeslai regis Boiemiæ ducta Margaretha Friderici Austriaci sorore, Austriam iure affinitatis occupat. Pro Stiria cum Bela Vgrorũ rege disceptauit: is Petauionem & finitima oppida receperat.

Berchtoldus Franciscanus

Berchtoldus tum Franciscanus, Reginoburgio ortus, clarus integritate vitæ, atq; Christianæ eloquentiæ orator insignis fuit, sexaginta amplius millia hominum eius conciones frequentasse literis ꝓditur, eius sepulchrum adhuc non solùm incolis, sed & Vgris venerabile, Reginoburgij in templo Franciscanorũ ostenditur.

Conradus Telczner.

Dum autem talia fiunt, Conradus Telczner episcopus Fruxinensis, magistratibꝰ ducis iniuria, atq; damno (vti fit) affectus, diram detestationẽ inuitis ac aduersantib. mystis in regulum Cal. Maij redintegrat, sacra fieri publicè, humari mortuos, aqua lustrari in ꝓuincia Fruxinensi vetat.

Albertus episcopus Reginoburg.

Albertus quoq; Reginoburgensis pontifex ciues vrbis locupletes quinq; & quadraginta, quòd rebus Imperatoris studere non desisterent, fraude cepit, cathenaq; vinctos ad Stauff deduxit. Conradus Cæsar & Otto regulus Boiorũ, atq; Rheni moderator, Alberti, atq; ministrorũ eius prædia vastant, diripiunt: Albertum captiuos reddere, imperata facere cogunt. Eius socios strage malè mulctant, Reginoburgiũ cum copijs intrant. Cæsar more maiorum in æde D. Haimerami hospitio receptus est. Atq; dum quinto Cal. Ian. cubitũ isset, nocte in-

Conradus ab Hohenfels.

tempesta, Albertus qui se episcopum faciebat, Conradus ab Hohenfels, clam in cubiculū admissi, cum antè explorassent, non plures quā tres in eodem conclaui Cæsareo quiescere, stertentes, vino somnoq; obrutos, tenebris adoriūtur, duobus occisis, trib⁹ in vincula coniectis, arbitrantes Conradū cæsum esse, abeūt, Wilpeckium Sueuum sextū casu obuium, interficiunt. At Cæsar sub scamnum prorepserat, ibiq; delitescens euasit. Deinde episcopum, percussores, Vlricum monachorum præsulem, socios, hostes Reip. iudicat, parricidij condemnat, proscribit: opes, prædia, D. Haimerami publicat. Verùm monachi, qui huiusce conscij non erant, pacem à Cæsare centum libris, ab aulicis quinquaginta mercantur. Conradusque accepta mulcta, edictum & tabulam proscriptionis rescindit, & vt aliquo piaculo cædes innocentium manifesta expiaretur, iubet ædificium dirui, ne cruore suorum parietes aspersi appareant, ædiculam ibi à fundamentis extrui, Deiparæ virgini, D. Nicolao dedicare præcipit. Vbi quotidiè sacerdos monachus perlitaret, atq; manes ob pietatem pro principe crudeliter cæsorum placaret. Omnia polliciti sunt monachi, testesq; in re præsenti fuēre, Otto dux Boius, Palatij Rhenani procurator, Ludouicus filius eius, Otto Hochburgensis limitis, Hainricus Burgionū præfect⁹, Ludouicus maior, Comes ab Otingen, Gotfridus Comes ab Hohenloe, ciues Reginoburgenses, factum anno Christianæ salutis M C C L I. mense Ianuario. Extat Conradi diploma, quod ob clementiæ exemplum D. Maximilianus septimo abhinc, dum hæc proderem, anno, secum detulit Oenobrigam, aliud nouum exemplar, ex veteri ad verbum exceptum, suo diplomate signatum monachis reddidit. Cæsi in medio templo D. Haimerami humati ostenduntur. Vlricus dignitate mouetur. Albertus capite deminuto in monachorum ordinem redigitur. Conradus princeps coniurationis fulmine de cœlo tactus sub dio equitans, interijt. Reliqui conscij in Boiemiam aufugere. Cuius rex propter Schiftenhofen vrbem, atque Tetrarchiam Boiemiæ, quæ mortuo Alberto à Bogen absq; liberis, lege ad Ottonem redierat, Boiariæ Aquilonaris, qua Boiemiæ continuatur, fines inuadit, adeò concordia rara est sanguinis, Chamaborum agros depopulatur, casas, villas rusticas exurit, pecora abigit, ferro, flamma in agricolas sæuit. Conradus Cæsar, & Otto Chamabos petunt, Boiemi per Hercynios saltus retrò domum cedunt. Interea dum hæc fiūnt, mors Imperatoris Friderici secundi diuulgatur. Conrad⁹ Septembri Cāpaniā, Apuliā relicta vxore grauida Landshutæ (quæ subsequenti anno VIII. Cal. Aprilis filiū Conradū, quē Itali Conradinū vocant, peperit) petit auitū paternūq; regnum, in potestatē redigit, ibiq; decessit, relicto filio impubere, qui annos natus duos, menses sex à matre Elisabetha Landshutæ apud auunculos educatus atq; institutus est. Cæterū Otto reiecta pecunia veteri Reginoburgensiū, sexaginta nūmi drachmā auri valebāt, nouū numisma Lādshutæ ferit, eosq; nūmos, nec alios in Boiaria recipi edicto iubet. Ad eundē hisce diebus Stiriæ proceres de Liechtēstain, Erenfels, Ofenberg, Diethmarus, & N. de Weisseneck cū mandatis legant, postulāt, vt Hainricum filiū cum exercitu in Stiriā ꝓficisci iubeat, Stirios in eius potestate fore. Hainricus annuit postulatis, se rē ad Belā quartū rege Vgrorū socerū suū delaturū, eius cōsilio omnia acturū respōdet. Otto itaq; congregato exercitu Vtini more maiorū filios armis ornat. Inde Austriā, Stiriā aditurus, in Vngariā ad Belā profecturus petit. Verū Ottocaro omnes adit⁹ intercludente, transitūq; pernegāte, Francomarti XV. Cal. Octob. substitit, aliquot ibi dies cōmoratur. Diuisoq; exercitu, filiū in Vngariam proficisci iubet. Is quòd Ottocarus vias intercluserat, duce Diethmaro superiore, & Menhardo Goriciæ regulo, filio Alberti Tyrolij, atq; ope Attilæ Taurisiani Venetiæq; legato, per vallem Tridentinam, alpes Noricas, in Vngariā ad socerū penetrauit: ab eo apud Albā Regiā perquā humaniter excipitur, socerū de Stiriæ principatu consulit. Bela sibimet proximus, munerib⁹ sibi Stirios cōciliat, cōplures pollicitis allicit, illiq; ita inescati socerū genero præferunt, in verbaq; Bela iurant. Ottocarus tamen eandem regionē à Bela iure affinitatis, & vi & armis repetere nō cessauit, donec inter vtrumq; ex æquo diuisa est. Porrò Otto dimisso filio in Vngariā, cū altero filio Ludouico Landshutam repetit, ibiq; secundo pòst mense, tertio Cal. Decembr. expirauit, anno Christi M. C C L I I I. potestatis verò altero & vicesimo. Liberos quatuor reliquit, Ludouicū, Hainricū, Elisabethā, Sophiam. Corpus eius Schiram funere indicto portatum. Ante sex quā expiraret annos, ab Innocentio Pont. Max. execratus fuit, quòd illius partes, perindè ac Gregorij tutari, ac defendere recusaret, nec vllo cōpelli posset modo, vt affinitatē Friderici Augusti, atq; Conradi Cæsaris repudiaret. Albertus quoq; Reginoburgensis, atq; Conradus Teltzner Fruxinensis episcopus, ille ob Teispach à Ludouico filio excisum, hic propter libertatē ecclesiasticā, æs curatoriū, venationes, seruitia, eidē diras dixere, inuitis tamen mystis. Multa data, acceptaque inuicem per duodecim annos damna, sæpius in cōcordiā redierunt, sæpius fœdus fractū est. Ipse tamen Otto ducatum Boiariæ nō parum auxit, & collocupletauit. Tetrarchias comitum à Bogen, Windberg, Andechs, Damasiæ, Hohēuuart, Phalay, item Crainburg, Pleinting, Libanaw, Wasserburgium, Belaunos infiscauit, cum reguli absq; liberis decessissent;

Capella S. Mariæ, & D. Nicolao consecrata.

M C C L I. D. Maximilianus.

Noua moneta cusa.

Otto filios armis ornat.

Bela muneribus Stirios sibi conciliat. Ottocarus partem Stiriæ occupat.

cessissent: quorum originem, sobolem, castella, regias, explicare pro suscepti operis instituto necesse est: Bogij sunt pagus, oppidum, arces, montes, flumina duo orientale atq; occidentale Boiariæ septentrionalis, qua Boiemiæ contermina in Hercynio saltu. Vnde ea regio Boiorum cognomen sortitur. Nam figuratè communi vocabulo Valda, hoc est, sylua, nempe Hercynia nuncupatur. Horum regulorum fuisse, quicquid ab hostijs Regni fluminis atque Reginoburgio ad hostia Ilisi, Bathauiamque, inter Danubium Boiemiamque interiacet, reperio: Falckenstain, Mitternfels, VVindberg, Weilenstain, Flinsperg, Naternberg, Bledling. Item in Boiemia Schittenhofen, in altera Danubij ripa Isenhofen arcem, atque vicum ad hostia Isaræ possederunt. Primum Harduicum (filium Babonis Abulini numerosa sobole præter solitum, inclyti, cuius sæpius mentionem feci) fuisse constat. Imperator Hainricus tertius Cæsar Augustus exoratus ab Agnete Augusta coniuge sua, contulit Harduico in Tetrarchia Hainrici pago Nariscorum bina prædia VVolframsdorff, Linderonæ, Ratomariti.

Comitatus à Bogen.

Vvald.

VVolfframsdorff.

Signum Dn. Hainrici regis inuictissimi Romanorum Imp. Aug.

Guntherus Cancellarius vice Luitholdi archicancellarij, & archicapellani recognouit.

Guntherus cancellarius.

ΕΙΔΑΙΑ ΓΙΝΘΕΡΙΟΥ ΚΑΝΚΕΛΛΑΡΙΟΥ.

Datum XVIII. Kal. Maij, Anno Christi M. LIV.

Hainrici tertij Designationis XXVIII. regni XV. Imp. VIII.

Actum Ebilezdorff.

Harduico duos filios assignant, Fridericum, vt Germani, & Græci vocant Boethum Reginoburgensem, & Asouinum à Bogen. Fridericus ab Imper. Hainrico III. Cæsare Aug. impetrauit hos vicos ob deuotissimum obsequium, in limite Chamabo, Grabatum Furt, Mazelimum, Tichenobergomum, Trasonodoryphos, Bochobergomum, Sichouiam.

Signum Dn. Hainrici IV. Rom. Imp. Aug.

Hermannus Cancellarius vice Bezelini recognouit.

Datum V. Idus Aprilis, anno Christi M. LX.

Regni Hainrici XXXII. Imperij III.

Actum Reginoburgij.

Idem Fridericus ex Adelhaide tulit Vlricum sacerdotem, & Fridericũ minorem, fato concessit anno ab orbe seruato M. CIV. Fridericus iunior, cuius vxor Iuditha Theobaldi Vogburgensis filia, absque liberis defunctus in Palestina, cum eo profectus esset cũ Conrado Cæsare anno Salutis M. C. XLIX. Hierosolymis sepultus est. Atouinus verò vir bellicosus, Boiemorumq; terror, eosdem in Boiariam incursitantes (vti adhuc factitant) tribus prælijs fudit, ibi Abietem in modum trophæi excoluit, cruceq; securi incisa dedicauit, quæ vulgo Asouini postea Abies cognominata est. Filius eius Harduicus secundus, nurus Luitgarda, nepotes Berchtoldus, & Albertus primi. Hic Heduuigã filiã dynastarũ Pictauiæ, atq; Celeiæ Charionum, Neoburgij Vindelicorũ, Schardingij Noricorũ vxorem duxit: Altaichium superius à progenitoribus conditum, cum Friderico consanguineo suo immunitate donat, monachis cooptandi magistrum potestatẽ facit, anno Christi M. C. XXV. primo Lotharij regis Saxonici III. Idus Dec. Testes per aurem more Noricorum tracti Fridericus aduocatus Reginoburgensis, Albertus Venedobergomum arcem inferioris Boiariæ in templum cõmutauit, diui Nordperti sacris dedicauit, obijt anno Christi domini deiq; nostri M. C. XLVII. Maiores eius in Altaichio superiore, ipse cum sobole Venedobergomi humatus est. Tres filios Heduuiga eidẽ peperit, Harduicum tertium, Albertum secũdum, Berchtoldum itidem secundũ. Harduicus atra bile percitus vitam finiuit. Albertus ante fata parentis in obsidione Phalaiæ ab orbe vindicato anno 1140. sagitta percussus interijt. Berchtoldus admodum diues, pacisque studiosus à patre Alberto principatum per manus accepit, ex Luitgarda Albertum tertium procreauit: is ab restituta salute natus est anno 1165. ex Laodamia Boiema vxore suscepit tres filios, Luitpoldum sacerdotem, Berchtoldum tertium, & Albertũ quartum, cum vixisset annos tres atq; triginta, obijt, superstites filios reliquit. Berchtoldus in Ægypto aquis obrutus est. Albertus vir inquietissimus crebris bellis finitimos omnes lacessiuit, fugientibus incolis ob bella, regionem penè ad solitudinem redegit. Vxor eius Richissa, absq; liberis tamen decessit 18. Kal. Februarij, anno Christianæ æræ 1242. Opes eius ad Ottonem regulum Boiorum, fratrem eius vterinum redierunt. Hæc ex diplomatibus Altaichij superioris & inferioris, Venedobergomiq; excepi. Horũ sobolem esse regulos, qui ad lacum Benacum in confinio Germaniæ atque Italiæ habitãt, atq; de Arcu ab Italis appellantur, vulgus credit. Vltimus Albertus profecturus militatum in Asiam atque Africam bonorum Luitpoldi sacerdotis fratris, & vectigalium, quæ oppidum Bogiorum pensitabat, monachos Altaichij superioris hæredes ex quadrante instituit. Testes, Gebhardus maior aulæ de Memna, Harduicus ab Egia, Albertus He-

Fridericus iunior.

Abies Asouini.

Harduicus.

Ludmilla à lys dicta.

Richissa Alberti vxor.

Albertus vltimus Comes de Bogẽ.

giopagus, Rapotho Mehnius, actum Naterberglj octauo Calendas Aprilis, Anno Christi millesimo ducentesimo vigesimo primo, regnante Friderico Imp. feliciter. Damasia (cuius Strabo meminit) arx, ciuitasq; quondam Lycatiorum, nunc templum, atq; oppidum in superiore Boiaria, propter lacum Ambronem Vindelicorum, Occidentem, Meridiemq; spectat. Ex aduerso Andechs, quæ item alia quondam arx, ædes sacræ nunc sunt, flaminum Augustalium, & monachorum. In eodem tractu, Wolffrazhausen arx, & vicus ad confluentes Libosæ, atq; Isaræ, supra Monachiũ quindecim millia passuum cubat. Hohenuuart quoq; vicus, atq; arx quondam altissima, nunc fanum sacratarũ virginum, Bario amne ad decimum ab Ingolstadio lapidem alluitur. Tetrarchæ hi Boiorũ locupletissimi fuêre. Possedere in Boiaria veteri, & libera contermina Franciæ in Germania magna Voethos, vbi in agro Bambergensi apud Longiochamos eorum Museolea ostenduntur. In superiore Boiaria, atq; Vindelicia obtinuere subiecta alpibus peninis, Matronam diuo Petro dedicatum montem, Tigurinos, Schiratium saltum vbi fontes Isaræ sunt, Beurn, Wolffratzhausen, Andechs, Damasiam, Hohenuuart, Angustias Alpium Noricarũ, Tridentina iuga, Oeni vt appellant, vtráq; vallem, & finitima loca, qui nunc sunt Tyrolij. In Norico iuxtà Chiminum lacum Boiorum maximum Burgili, Sei, Grassij dicto audientes fuere. Eosdem præfectos prætorio Burgundiæ, Histriæ limitis duces, Croatiæ, Dalmatię (quem ducatum Meraniæ ab vrbe maritima nuncupât) pręsides fuisse cõstat. Gens Andechisia authorem generis sui nuncupat Ratholdum filiũ Imperatoris Arnulphi Cæsaris Augusti, illius filius Rathbotho, hunc soboles excipit diuus Ratho, & Hatta mater D. Conradi Constantiæ episcopi, atq; Fridericus primus, qui in Palæstina obijt. Ratho cuius adhuc memoria, atq; nomen sacrosanctum est Boijs in Ambronis ripa sepultus est, in templo quod ipse ab orbe seruato anno 954. cõdidit. Aribo deinde regnat, Seum fanum D. Benedicto, haud longè à lacu Chiminino extruxit. Is Gebhardum primũ episcopum Reginoburgensem, Aribonem Archiepiscopum Mogontinum, Rathbodum, atq; Fridericum secundũ procreauit. Gebhard‧s & Rathbotho Tierhauptem Lycatiorũ templũ monachis dicauere. Rapothonis, & He‧mmę fil‧j Orthulfus, & Willetruda Hohenuuart in ædem sacrã cõmutauere, fœminarũ sacratarũ ibi collegiũ instituere. Fridericus secundus ex Ghunegunda Luitpoldum tulit. Luitpoldo Arnulphus amicissimus Imp. Hainrici 4, atq; Fridericus 3. cognamẽto Rocho orti sunt. Ille Aetl templũ in ripa Oeni proximè Wasserburgiũ cõdidit, D. Benedicti sacris initiauit. Ibi cũ vxore Gisala sepultus est. Frater eius in Hercyniæ saltu, quem veteres Heluetiorũ, nunc Nigrum vocamus, in æde D. Blasij humatus est. Arnulphi filij Poppo Berchtoldus primus, Otto Wolffrathusius, & Gebhardus. Hi Damasiam in templum vertere. Item aliud fanum Benedictinis in Matronæ montis vertice consecrarunt. Otto Wolffrathusius ex Adelhaide Hainricum episcopum Reginoburgensem. Ottonem secundũ progenuit. Ab hoc, & vxore eius Laurita sunt Otto (cuius vxor iustitia adhuc religiosè colitur) Luitpoldus, & Hainricus, hic absq; liberis obijt anno Christi 1158. Wolffratzhausen ad Andechs redijt. Berchtoldus primus Sophiam ab Ambergthal duxit, Berchtoldum secundum hæredem reliquit. Is deinde ex Agnete Neoburgensi Berchtoldũ tertium Histriæ Marggrafium, Ottonem episcopum Bambergensem, diuam Machtyldam virginum sanctarũ maximam, atq; Euphemiam, Gisalam Diethboldi Bergensis reguli coniugem, Vlrici Theobaldi Bathauensis, Ottonis tertij Fruxinensis episcopi matrem procreat. Berchtoldus tertius anno Christi 1188. Otto verò octauo deinceps anno decessit. Ab illo, & Heduuiga nascuntur Berchtoldus quartus, dux Dalmatiæ, Poppo episcopus successor patrui Ottonis, Machtylda Goricia. Quartus cum Imp Friderico I. arma in Asiã mouit, obijt æræ nostræ an 1244. Ex Agnete Austriaca filia Hainrici sex liberos, quatuor mares, duos pontifices, & duas fœminas progenuit: Berchtoldũ patriarcham Aquileiæ. Eckbertũ pontificẽ Bambergensem, Ottonem I. Burgundiæ Palatinũ, Gertrudin Andreæ regis Vgrorũ vxorem, matrem D. Elisabethæ, diuam Heduuigam Polonã, Hainricum Histriæ præfectum. Is reus parricidij, quòd Philippus Cæsar eius consilio cæsus est, viginti annos exulauit, reuersus domũ Grassę proximè lacũ Chiminum obijt, anno 1228. Eckbertus decimo deinde anno, Otto sexto ex hac vita migrauit. Ipse & vxor eius Lanckhaim contubernium condidere, vbi sepulti. Ab his sunt Otto vltimus. Agnes vxor Friderici Austriaci, illeq; annó ab humana gente liberata 1248. absq; liberis pe‧ijt Plassenburgij, arx est Boiethorum subdita Norinbergensi præfecto. Quidã toxico sublatum, alij ferro ab Hagere, cuius vxorem cõstuprarit, necatum tradunt: verum ne id sit, an ad leniendam tam crudelis cædis inuidiam cõfictum, tùm quoq; cùm magis liquere posset, incertum fuit. Berchtoldus Aquileiæ patriarches ægrimonia contabuit, quatuor duntaxat annos nepoti pientissimo superstes fuit. Opesq; horum principum à finitimis velut præda, atq; manubiæ direptæ sunt, Otto Boiorum regulus in Vindelicorum planicie, subdita Alpibus, in Norico Grassios, Burgilos, Seos, Mænardus Goricius, cuius auia ab Andechs erat, intra Alpes vallem Oeni superiorem inferiorẽ, Athesinos, Tyrolios occu-

Wolffratzhausen.

Langkam Monasteriũ Cisterciensis instituti.

Stirps comitum ab Andex vnde Hohenuuart monasterium.

Aetl Monasterium.

Schöuuartzvvald. Dieffen Monasterium. Amberana vallis.

Berchtold. 4. Comes ab Andechs.

Otto & vxor eius Beatrix.

Plassenburg.

occupauit, Boethos in Germania magna, in Septentrionali Boiara quatenus continuatur Franciæ antiquæ, Hercinoq; iugo, quod Turogos, vnde cognomen habet, à vetustis *Turinger Vr ald.* Boiis, & Francis disterminat, partim præfectus vrbis Norinbergensis, partim pontifices Bambergenses, atq; Wurtzbergensiũ vendicarunt. Dalmatiã Croatiã, ducatũ Meraniæ vocabant. Histriam Veneti intercepere. Bela tamẽ quartus Vngrorum rex, ex gente Andechisia maternam ducens originem, eius proles atq; successores pro Dalmatia, atque *Bela 4. vngrorum rex.* Croatia cum Venetis armis disceptarunt, vi decertarunt, titulotenus adhuc eas regiones possident. Burgundiam præripuere Franci occidentales. Phalaia castellum superioris Boiariæ, quod præterfluit Mangualda flumen, nunc Achamstain vocatur ab equitibus Boijs, qui illam nunc obtinent. *Comites à Phalay.* Phalaienses soboles sunt, Schirenium, atque Dachuni Tetrarcharum. Nam Otto filius Arnulphi primi Dachunensis reguli, fratri Conrado Dachunum reliquit, ipse Phalaiæ habitauit. *Dachau Schiern.* Bernried in Vindelicia, in alpib⁹ verò Noricis Gryssam, collegia mystis Arelianis instituit. *Bernried. Gries bey Botzen.* Progenuit ex Adelhaide Conradum, atq; Gebhardum, hic ferro perijt: ab altero sunt Conradus & Otto, qui occisus est. Conrado & Machtylda ortus Otto qui anno æræ nostræ 1173. natus est, eodem die, quo patruus eius cognominis interijt, absq; liberis sexagenarius obijt. Bona eius relicta ad duces Boiorum redierunt. Hala oppidum Noricorum in valle Oeni inferiore, quinq; millia passuum infra Oenobrigam: Wasserburgium verò, quæ & Hocnodunum vrbs Vindelicorum in ora Oeni, habuere suos dynastas, qui vnde genus ducant, non [illegible] compertum habeo. Primum quem ego quidem reperio, Variomundus est. *Variomũdus Viarmund.* Is Vogtherreit templo D. Haimerani Reginoburgensi dono dedit. Ibidem eius Museoleum extat in porticu. Obijt ab orbe seruato anno millesimo super decimum. Ei successere filius, nepos, pronepos cognomines Angelbert dicti. Aedem D. Benedicti sacris dicatam, à principibus Damasianis conditam, à Friderico Rochone ad egestatem redactam, adeò, vt duntaxat tres monachi ægrè alerentur, refecit, collocupletauit. Lindburgium prætorium suum quod proxime cubabat, solo æquauit, quod ocio, & solitariæ disciplinę strepitus ciuiles officerent. Wasserburgium cum omni famulitio migrauit, de cætero ibidem habitauit. Vxor Machtylda, quæ cũ filio Gebhardo adolescẽtulo, duab filiab anno 1169. Reicherspergii spreta populari vita sub iugum religionis D. Aurelij Augustini missa est. *Machtylda Comitissa.* Theodericus filius eius ex Helica Hedurgam, Machtyldam, Agnetem vxorẽ Ottonis de Wittelspach 4. ducis Boiorum, Gonradũ atq; Theodericũ tulit. Hic absq; liberis obiit. Ille cũ Chunegunda vxore, quod sterili frueretur matrimonio, Ottonem sororis nepotem hæredem instituit. Verum ab eodẽ quod Imp. [illegible] 2. dicto audiens non esset, Boiari e finibus pulsus est, anno Christi 1247. exulem in Vngaria vitam finijsse aiunt. Liebmau arx est Boiorum, atq; Noricorum in ora Iuuaui supra Burckusiam, suos habuit regulos, gentiles veterum Charionum Tetrarcharum. Nam Sigefridus Carnoburgensis, & Rapothonis Artenbergensis ex Hizila Sigefridum secundum progenuit. *Sigefridus.* Huius vxor Adelhaidis, filius Hainricus episcopus, Sigefridus tertius & Otto. Horum coniuges Chunegunda, & Euphemia, tertij filius Bernhardus, qui anno Christi 1229. obijt absque liberis. Libodunum Boiariæ principes occupant. Illi omnes apud Seos sepulti sunt. *Artenberg Pleinting.* Artenbergium arx est inferioris Vindeliciæ, inter confluentes Oeni, & Danubij sita. Pleinting verò ciuitas haud procul in ripa Histri in vicum abijt, translata ad tertium ferme lapidem Viltzhofium. Illic quondam Quintanorum colonia Romana insignis, villæ nunc sunt nomen seruantes. Carnoburgium arx, oppidum in ora Noricorum Oeno alluitur, inter Medullum, atque Wasserburgium, olim Hochodunum, atque Carnodunum ciuitates Vindelicorum cubat. *Carnoburgium.* Horum castellorum, vrbium reguli ab Angelberto nobilissimo Charionũ legato nascuntur. Is & eius vxor Vta apud Seon Boiorũ Monasteriũ in Norico humati sunt. Horũ filij Vlricus dux Charinorũ, Angelbertus Carnoburgẽsis limitis præfectus, Rapotho Artenbergẽsis. Angelbertus absq; liberis obijt, cũ vxore Machtylda in cõditorio parẽtũ sepultus est. Rapotho fratri Angelberto successit, ex Elisabetha vxore procreauit Rapothonem secundum Carnoburgẽsem, & Hainricum Artenbergensem: obijt æræ Christianæ anno 1190. vxor eius quintodecimo deinceps anno: ambo humati sunt Bainburgij, quæ arx olim in Boiaria Noricorum ad radices Caruancæ montis, & cõfluentes Azali, atq; Trani sita est, nunc in collegium mystarũ Augustinianorũ cõmutata est. Hainricus is dei gratia Comes Artenbergensis, fratrib. diuæ Margaritæ Osterhofen donat vectigal apud Vilshofen ciuitatẽ, an. Christi 1236. *Osterhofen. Vilshofen.* Datũ Vilshofen XV. Kal. Octob. Eius posteri adhuc vetus cognomen seruant, & in Boiaria omnium Boiorum nobilissimi secundum regulũ censentur. Rapotho secundus Machtyldam sororem Ludouici ducis Boiorum vxorem duxit. *Rapotho secundus.* Atq; anno Christi 1209. occiso Ottoni à Wittelspach, prætorio Boiariæ, suffragijs Boiorum præfectus est. Qui tum summus honor secundum præsidem erat, dignitate cæteros antecedebat, Vicariam operam, & curam prædiorum Cæsarianorum, fiscique procuratorem præstans Imperatori. Præfectura tamen huiuscemodi, & sicut vocabant Landgraphos, ac Palatijgraphos,

Fanenlehen et Fanolehen. Kunigsteur.

tijgraphos, omnis sublata est, Maiestate tum Imperatoria domesticis seditionib. in ordinem redacta, priuati quiq; peculatores, ꝓxima sibi prędia regia, atq; ærarij publici vectigalia, æs militare, quod Fanenlehen nuncupant, occuparũt. Census quoq;, quem viritim vniuersi quotannis pensitabant, & Kunigsteuram vocabãt antiquatus, atq; obliuione obrutus est, adeò, vt ne obulus quidẽ nunc ad Imperatorem iure ordinario redeat, nisi immunes, & vt autumant, liberos extra ordinem tributo onerare velit. Sed ad Rapothonẽ secundũ redeo Is eodẽ año, quo dux Ludouicus occisus est, fato concessit, relictis duobus filijs, Rapothone tertio, & Hartmanno Carnoburgensi. Tertius præfecturam Boiorũ Palatinam administrauit, Messing, Pleinting, Dachsperg, Reichenberg, Rotenburg, Giespach, Marquardstain, quædã castella in Austria possedit. Coniunx eius Adelhaidis. Ipse obijt anno ab orbe vindicato 1241, Painpergij sepultus est, Reliquit vnicam filiam Elisabetham, quæ in matrimonium data est Hermanno Veridobergensi. Is, cum soceri castella quo minus vindicaret, per fratrem soceri Hartmannum staret, cuncta in vtraq; Boiaria, Austriaca, occidentali vendidit Ottoni Boiorum regulo, soceri sui amicitio: eaq; ille tum lege contractus, tum iure sanguinis, & affinitatis vendicauit. Hartmannus nono post fratris mortem anno absq; liberis obijt, situs est cum vxore Elisabetha, fratre, parentibus Painbergij. Trostbergium Otto cum filio Ludouico recepit à Painpergensibus.

Ludouicus 2. dux Boiorum nascitur. Hainricus dux Boiariæ.

Ludouicus secundus, Idibus Aprilis ab orbe seruato 1219. quo Hierosolyma ab Imperatore Friderico secundo capta est. Hainrico verò frater eius tertio decimo Calendas Decembris, sexto deinceps anno, Ludouicus defuncto parente, absenteque fratre in Vngaria, & adhuc apud socerum commorante, Hainrico Bambergensi episcopo authore, cum cæteris Boiariæ episcopis Alberto Reginoburgensi, Ottone Bathauensi, Philippo Iuuauensi in gratiam redijt, omnium rerum obliuio decreta, resque diuina rursus publicè procurata, quæ hactenus clausis templis fiebat. Nam hi episcopi ob seruitia seruitutemque templorum, & æs curatorium, & vt appellant pro immunitate ecclesiastica cum Ottone regulo disceptarant. Nulli prædia, casas, villas, vectigalia mystarum, monachorum, collegiorum, monasteriorum seruire volebant. Porrò Hainricus Philippi archimystæ Boiorum ductu, ex Pannonia redit, ducit secum Conradum episcopum, cum quo authore Philippo in gratiam redijt. Eundem mystæ sui expulerant, quòd pacem turbaret Boiariæ, atque contra concilij decretum in Fruxinensi diæcesi sacrificia pro palàm fieri vetuerat. Vetus quoque moneta Reginoburgensium recepta, noua abrogata est.

Conradus rex Siciliæ moritur. Mænardus

Inter hæc Conradus Campania, Apulia, Calabria, Sicilia in obsequium redacta, auito, paternoque regno perdomito, ibidem moritur, filio cognomine impubere bimo super sex menses relicto, qui in Boiaria Landshutæ educabatur. Mænardus patruus eius tutorio titulo Campaniam, Apuliaim, Calabriam, Siciliam in fide pupilli continet, atque gubernat.

Innocentius 4. P. M. moritur. Berchtoldus episcopus, Vuenzeslaus rex moriuntur.

Eodem quoque anno, cæteris principibus, atque episcopis, qui Christiani collegij concordiam, ob opes, potentiam, honorem, res sanè leuiculas dederant, diuinitus (sicut in annales relatum reperio) dies dicitur ab immortali prætore. Nam Innocentius quartus Pont. Max. dum infantis patrimonio inhiat, arma in Campaniam, atque Siciliam vertit subitò expirat. Berchtoldus Bathauiæ pontifex, Wentzeslaus rex Boiemiæ eodem fato rapti, in ius ambulare coguntur. Hisce enim potissimum authoribus bona concordiæ ex Germania, Boiariaque pulsa sunt, armisq; ciuilibus tumultuatum.

Diuisio Boiariæ inter fratres Ludouicum & Hainricum.

At Ludouicus & Hainricus fratres, post fata parentis anno altero, mense quarto, Aprili, atq; Paschalibus Landshutæ coeunt, principatus inter se diuidunt. Ludouicus palatium Rhenanum, atque superiorem Boiariam (cuius vrbes primariæ sunt Monachium, Wasserburgiũ, Angilostadium) finitima his loca, præfecturam Reginoburgensium, hoc est Rietenburgiũ, Stephaning, Lengenfeld, Rengstauff, Kalmũnt, obtinuit. Cætera, Nariscos, Freystat, Ambergam, Sulzpachium, Dietfurt, Kelhaim, Cham, Monachiũ Hercyniæ, Pfreimbt, Phloson, Parckstain, Weiden, Altdorff, Waldsaxen, & huiusmodi oppida Boiariæ Septentrionalis, quæ est in Germania magna, Boiemiæ contermina: Insuper in Vindelicia Reginoburgium, Straubingam, Viltzhofium, Landau, Dingolfing, Landshutam, Aerding: In Norico Burckhusium, Halam, Traunstain, Vtinu, Branauu, Scharding, Hainricus possedit. Ludouicus Mariam sororem Hainrici Brabantni vxorem ducit, nouãq; nuptam cum Elisabetha sorore regina Palæstinæ Werdeæ Sueuiæ habitare iubet, ipse ad Rhenum contendit. Nam hanc vrbem, item Laugingen, Hochsteten, Scongauu, Peutigau, Murnau, Ambergano, finitimaq; loca in confinio Vindelicorum, atque Rhetorum Conradus Cæsar Ottoni socero suo oppigneraũit. Et plerique tum, vti in tantò rerum tumultu fieri solet, licentiâ ciuilium armorum (dum res Germaniæ sub multitudine tanta principum Friderici, Hainrici Cæsaris filij Augusti, Conradi, Hainrici Catti, Wilhelmi Bathaui, & factione Romanorum sacerdotum distrahitur) ad omnem audaciam processerant. Qui viribus pollebat, alium opprimebat. Equites rapto viuebant, impunè latrocinia exercebant, vias obsidebant, vltrò citrò commeantibus

bus insidiabantur: cæteri quoque rapiebant, spoliabant, occidebant mercatores, sacerdotes, ciues, agricolas, vbicunque spes prædæ foret. Nonnulli dynastæ vectigalia noua commenti erant, tributoq; graui alios opprimebant. Plerique excusso iugo noui principis, noua moliebantur, Frisij, Flandri imperata facere recusabant. Nemo erat, qui nutantem, ac propè afflictam Rempub. stabiliret: Nec hactenus inuentus est, nisi quid opis in Carolo Maximo sit, actum est de illa, ac planè perijt. Sed & regiones, ciuitates liberę, nec non & regna quædam inter se tumultuosius agebant. Has ob causas sexaginta ferè, Rheno continuæ vrbes Nouesium, Aquæ Graneæ, Agrippinensis Colonia, Bonno, Mogontiacum, Vangiones, Nemetes, Argentoratum, Basilea, Schletstadium, Argentuaria, Turici, Freiburg, Breysach, Weissenburg, Neostadium, Wimpffen, Haydelberga, Lüzelburgium, Francofordia, Oppenhaim, Fridperg, Selingstat, Bingium, Liuerspurg, Mylhausen, Gelnhausen fœdus ineunt. Ludouicus ciuibus societate coniungitur, copias simul vnà cum ipsis cogit, atque noua vectigalia abrumpit, prædonum castella expugnat, solo æquat, latrones excindit, hostes in ditionem cogit, quosdam finibus exigit. Prosperè cunctis vbique succedentibus, vicinos principes, quorum hæc fuisse nomina reperio, ad fœdus cogit: Gebhardum Moguntinum, Conradum Agrippinensem, Arnulphum Treuerorum archimystam, Richardum Vangionum, Hainricum Argentoratensem, Berchtoldum Basiliensem, Iacobum Mediomatricum pontificem: hosque Tetrarchas, Conradum, Emichonem Waldgraphos, Theodoricum Elenbogium Cattum, Fridericum & Vthyldam Linios, Berchtoldum Zigenhagium, Popponem, & Sophiam Turogos, Vlricum Ferettrium, Gerlochum Luneburgensem, aliosque quos enumerare curiosius nihil est operepretium. Dumque hæc apud Rhenum fiunt, Maria vxor Ludouici, quæ vt dixi, Elisabetha regina Siciliæ Werdeæ habitabat, binas literas, vno quidem annulo, diuersa tamen cæra, atra, rubra obsignatas, illas marito, alteras Hainrico Ruchoni decurioni Equestri, secreta quæpiam continentes mittit. Atque is, qui epistolas detulit, errore seductus rubra cæra complicatas, Ludouico tradit. Qui lectis literis amatoria agi suspicatus, confestim paucis comitatus, dissimulata re, relicto apud Rhenum exercitu, nemine salutato, quàm maximis potest itineribus ad vxorem diu noctuque contendit, subitò ac insperatò adest. Mox iracundia percitus, nec prece, nec lachrymis sororis reginæ mouetur, absque cunctatione coniugem indicta causa adulterij condemnat, securi percuti iubet. Posteà veluti conscius Helicam virginem Prennebergensem cultello confodit, fœminam admodum nobilem, cuius nomen non traditur, quam Gynecio præfecerat, de turri præcipitari imperat. Proditorem, qui istæc ad se detulit, primum ferro necauit, facta hæc cædes in Sueuia Werdeæ in arce XV. Calendas Februarij, anno Christi millesimo ducentesimo quinquagesimosexto. Rucho vbi hoc accepit, finibus excedit, literis, atque tabulis vbique suam, atque Mariæ innocentiam prædicat, delatorum scelera, atque flagitia commemorat. Extat epigramma tum satis nitens, nunc verò nihil incultius. Ludouicus vt coniugis manes rite conderet, Furstenfeldium extruxit, Cistercienfibus sacris dedicauit, vbi ipse cum filijs, & vxoribus situs est. Monachos ex Allerspach euocauit. Eadem tempestate Hainricus frater Ludouici, tertio in Vngariam ad socerum Belam, cum quo non benè Boiemis conueniebat, profectus fuerat. Erat Ottocarus rex Boiemiæ, Austriæ atque Stiriæ præfectus, consanguineus ducum Boiariæ, sed ob Schittenhofen, vrbem Boiemiæ, Neoburgium Vindeliciæ, Scharding, atque Ried Noricorum oppida disceptabat cum Hainrico, alioqui ipsi iniquus, quòd cum Vgris hostibus Boiemiæ se inconsulto affinitatem fecerat. Eo igitur in Vngaria commorante, Ottocarus duplici agmine fines Boiariæ vastat. Bucho Rosenbergensis procurator, supra Anassum cum Boiemis finitima sibi loca Weilhardum pagum Noricum inuadit, vsque Burckhusium vniuersa cæde, flamma complet, ingentem vim pecorum abigit, templa, Ranshofen monasterium incendit: altera manus Boiemorum Chamabos, Narciscorum Tetrarchiam simile afficit. Rector Boios, vbi isthæc in Vngaria accepit, domum redit, Stain arcem in ora Oeni proximè Richerspergium Noricorum ædem solo æquauit, Boiemæ, Austriæque fines inuadere meditatur: amicis operam nauantibus induciæ fiunt. Iisdem diebus. Wilhelmus Cæsar à Flandris, Frisijsque insidijs circumuentis, aquisque obrutus, cum omnibus copijs deletus est. Idcirco comitia Cæsarea in octauum diem ante Idus Ianuarias Francofordiam indicuntur. Coeunt frequentes vniuersi principes, atque pontifices. Eò Calendis Ianuarijs Ludouicus, atq; Hainricus magnis se copijs conferũt. Duo licitabantur de Imperio, maximisq; muneribus, maiorib. pollicitis vterq; sibi animos principum concitabant. Boiariæ, atq; Rheni præsides Mogontinus, atque Agrippinensis archimystæ, Richardum Anglium, spe donatiui, atque stipendij, quod elargituros Anglios sperabant (nam his cum rege Galliæ res erat) summo honori imponũt. Hisq; demũ redeuntib. Treuerũ, pōtifex authoritate regis Boiemiæ, ducis Saxoniæ, reguliq; Brandenburgij, aliorum principum, qui auro corrupti à Gallo erant & aduersus

Anglum

Carolus V. Rom. Imp.

Ciuitates colligatæ.

Elisabetha regina.

Maria vxor Ludouici decollatur.

Helica virgo confossa.

Furstenfeld in Boiaria fundatur.

Hainricus Ludouici frater.

Hainricus 13. dux Boiorum.

Ranshofen monasteriũ.

Wilhelmus Cæsar interficitur.

Richardus frater regis Angliæ, Cæsar creatur.

Alphonsus rex Hispaniæ fit Cæsar.

Anglum tabulis absentes suffragia ferebant, Alphonsum Hispaniæ regem declarabant. Isq; cósilio amicorum conditionem acceptauit. Verùm in Germaniam nó venit. Quippe Ludouicus, & Hainricus Boij contractis quàm maximis poterant virib⁹, ad inferiorē Germaniam transitū faciunt, Richardū Anglum, qui cum quatuor millib electissimorū equitum eò peruenerat, ad Aquas Graneas perducunt, in solioq; regio octo pontificibus bene precantib⁹ collocant celeberrimo die, quo Christus terrarum deus atq; Dominus de inferis, atq; morte triumphans, in capitolium cæleste arcemq; diuinitatis redijt. His ritè confectis, Hainricus in Boiariam domum reuertitur: Ludouicus in Gallia, & Rheno finitimis locis substitit. Ottocarus Boiemus legatos ad Hainricum mittit, illi petūt, vt Valentiam Noricorum oppidum, vbi de communibus vtriusque rebus colloquantur, potius iure, quàm armis disceptent, amicorumque consilio lis componatur, veniat. Annuit postulatis Boius: dumque eò proficisci parat, Boiemus clam copijs contractis, Idib. Augusti Bathauiam intrat. Inde Hainrico præter spem bello indicto, Villi vallem, pagum Quintanorum inuadit, vicos, agros, casas, templa diripit, incendit, Landshutam vsque hostili animo progreditur. Prope Frunouium castra locat. Ludouicus antè quinto die certior factus, & ipse insperato adest cum electissimo equitatu, & militum haud contemnenda manu, quos, vti fit in tali periculo, vndiq; publico edicto ad communem patriam, ad vxores, liberos, ad focos, aras, sacra tutanda, aduersus perfidum latronem exciuerat. Frater ergo copijs sibi coniunctis proximè regem castra facit. Legatos ad Ottocarum proficisci iubet: toties ius sanguinis spretum, toties pacem violatam exprobrat, hostiq; nunciat, vt marte aperto secum congrediatur, adfore haud dubiè Boijs præsenti numine deum perfidiæ vltorem. Ottocarus repentino Ludouici aduentu perturbatus, spatium deliberandi vnum diem (is erat dies Veneris, & nonus ante Calendas Septembris, diuo Bartholomæo festus) petit, inducias impetrat. Vbi sol occidit, intempestá nocte Rex cum paucis fugam capessit, per Myldorff municipium Salisburgēsium pontificum in Vindelicia, atq; Oeno conterminū, inde per Lauffen in Austriam elabit. Exercitus eius vbi se desertum videt, regis vestigia insequitur. Hærent fugitátium tergo Boij. Pons Myldorphij cedentium multitudinem ferre non valens, corruit, tria amplius millia hostium Oeno submerguntur, natando salutem quærentes, hastis, contis, sagittis Boiorum, qui se ad ripam constiparant, à litore arcentur. Qui adhuc citra Oenum erant in ora Vindelicorum, pars in turres suburbanas euadunt, ibiq; se muniunt, atq; tutari conantur. Hi cum equis, atque armis, subiecto igne turribus, iussu Ludouici concremati sunt: cæteri in oppido obsidione clausi, quartodecimo obsidionis die absque vlla pactione se dedunt. Sexdecim Boiemorum, septem Austriæ dynastæ, præter comites capti sunt. Ipsorum hæc fuère nomina: Bocho, & Zemilo, ac Huro Rosenbergenses, Zemilo Leuchtenburgensis, Wilhelmus Grodebratus, Wichardus Thironacus, Schatzla de Fridlam, Ibis Scherichinus, Beneis à Falckenstain, Bochuzolaus Boritius, Burckardus Clingenburgensis, Vlricus pincerna Elenobogius, Ienezo Burgiographus Græciç, Stilochomilo Nabezodenus, Stiborius Capito, Vlricus Rosotales, Alberto & Hainricus Chunringij, Vlricus de Lobenstain, Vlricus de Capella, Ludouicus & Albertus Zelochingij, Sighardus Piber. Hiq; omnes legati in Boiemiam de pace à rege extorquēda missi, dato iureiurando, vt si non impetrarent, ita demum Landshutam Kal. Februarij redirent: horumque ope, atque consilio, Mense Octobri fit pax in vrbe Chamaborum, quo ad Ludouicum. Interim Hainricus Strubingæ atque Mitterfelsij substitit. Ottocarus Schardingio, atq; Neoburgio excidit. Ried vicum Noricorum limitaneum in confinio vtriusque Boiariæ atq; Shittenhofen restituit Hainrico. Qui in Boiemiam ad regē pergit, fœdus & amicitiam diplomatibus, & iureiurando confirmat. Inter reuertendum hortatu Boiemi Egram inuadit, Boiemiæq; regno in clientelam dicat, cuius adhuc clientes Egrani sunt. Hisce confectis, Gebhardo Hirspergensi, qui fortiter aduersus Boiemos fecerat, virtutis ergò Sophiam singularis sapientiæ atque pulchritudinis virginem sororem suam, Ludouicus, atque Hainricus dant in matrimonium, splendidissimè eandem dotant, atq; instruunt. Ipsa templum Dominicanis Aichstadij extruxit, vbi cum filijs duobus Gebhardo atq; Gerhardo condita est. Sub idem tempus Alexander quartus Pont. Max. pacis atq; morum, quàm armorum, atque belli studiosior, literas archimystæ Iuuauensi, cæterisq; Boiariæ episcopis mittit, quæ adhuc extant. In hisce sacerdotes ambitionis, stupri, incestus, negligentiæ, inscitiæ, auaritiæ, luxus accusat, obtestatur, precatur, minatur, conqueritur, deplorat statum temporum. Vos (inquit) sacerdotes corruptela, atq; communis pernicies Christianæ religionis estis, populus vestri non dissimilis flagitia vestra æmulatur, licentia deteriores facti estis, copia rerum vos corrumpit. Publicè in conspectu omnium, maximo gregis Christiani detrimento scorta alitis, nihilo secius tamen perfricata fronte sacrificare audetis. Huiuscemodi autem factis deus, cuncti superi ad iracundiam prouocantur, mysteria dei prophanantur, fames, pestilentia animorum perglíscit. Per vos igitur nomē dei malè audit, deuoratis enim pauperes, exeditis,

Richardus Anglus Aquisgranum venit.

VVelss.

Ottocarus clam aufugit.

VVilhelmus de Gordebrat.

Legati ad Boiemum de pace.

Egra in clientela regis Boiemiæ.

diris, occiditis. Vestro scelere pietas rarescit, flagitia crebrescunt, sacra polluũtur, populus decipitur. Deus igitur, qui homines ꝓ liberis habet, vos sicuti corruptos, & vitiosos, delicatè, atq; luxuriosè patitur viuere, quia non putat emendatione sua dignos, neq; vos perinde ac bonos, quos diligit, castigat vltrà, & assiduis laborib. ad vsum virtutis exercet. Vos caducis, atq; mortalib. bonis corrumpi, atq; deprauari sinit. Vobis si quippiam boni facere videamini, hic mercedem tribuit. Ex quo intelligimus, vos deo nequaquam curæ esse: quoniam cum peccatis non irascitur, & corruptelam vestram patitur longius procedere, nec plagis, atq; verberib. emendat: opes, regna, potentiam, honorem, splendorem vobis largitur, vt rerum prospera felicitate corrupti in luxuriam labamini, dei præcepta contemnatis, terrenis, atq; fragilib. his bonis eneruati abs disciplina legis, veritatisq; cursu aberretis, philosophi prophani, à religione nostra alieni, nec cœlesti lumine illustrati, melius quam vos sentiunt, atq; præcipiunt. Iustus ac sapiens (aiunt illi) sua bona diuina iudicat, nec quicquam concupiscit, ne quem contrarius humanitatis lædat omnino. Nec vllam potentiam honorémve desiderat, ne cui iniuriam faciat. Scit enim cunctos ab eodem deo, & eadem cõditione generatus, iure fraternitatis esse coniunctos, se & suo contentus, & paruo, quia frugalitatis suæ memor, non amplius quærit, quã vnde vitam sustentet. Et ex ipso quod habet, impartitur etiam non habenti, quia pius est: pietas enim summa virtus, & accidit ex eo quòd voluptates caducas, vitiosasque contemnit, quarũ opes causa appetũtur, quoniam continẽs, & libidinum victor est. Nihil tumoris, nihil insolentiæ gerens, non extollit se altius, nec erigit superbũ caput, sed placidus, cõcors, comis, nulli iniuriam facit, nec sua quoq;, cum sibi vi auferuntur defendit. Illatam iniuriam moderatè ferre solet. Faxit Deus Opt. Max. vt nobis tales sint sacerdotes, quales hi imperiti sapientiæ diuinæ, sapientes describunt. Vbi illiusmodi multa Alexander perorauit, vetat, ne quispiam huiuscemodi sacrificulorum sacrificijs intersit. Data Idus Februarij pontificatus anno quarto. Idem Alexander quartus eadem tempestate Albertum Pitogeum Reginoburgensem episcopum, armorum magis, quàm morũ studiosum, cum Boiemis sentientem, discordiæ mala inter consanguineos, inter Boios, atq; Boiemos serentem, albo pontificũ eradit, dignitate mouet, atq; in ordinem monachorum redigit, præfecit eidem fano Albertum illum Magnum, Germanum Varronẽ aut si veritas apertè dicenda, longe Varrone doctiorem. Ortus est in Sueuia clarissimis crepundijs in agro Laugingensi ex regulis Bolstadensib⁹, nihil eũ penitus fugit, omnia perfectè nouit: naturæ secũdum Aristotelẽ verissimus interpres. Legi eius Dialectica, Mathematica, Physica, Metaphysica, Ethica, Theologumera: Et, si fas est dicere Magica adeò exacta, atq; exquisita, haud aliter, quàm si vni duntaxat operam nauasset, cætera ne attigisset quidem, adeò singula in suo genere absoluta sunt. Non minus Platonis, Epicuri, Pythagoræ, aliorũq. Philosophorum dogmata calluit, quàm Aristotelica. Primus Latinorum, quicquid in Græcis, Latinis, Arabibus, Hebræis, Ægyptijs philosophis egregium fuit, perscrutatus est. Primus apud Latinos in omnes Aristotelis, Euclidis, Petri Lombardi, aliorum huiusmodi authorum commentaria scripsit. Eloquentia summa suo seculo, eruditione etiam nostro præditus. Eiusdem commentaria autographa in Lucæ Euangelium, quæ in arce Stauff scripsit, adhuc Reginoburgij ostenduntur. Vbi annum Pontificatu functus est, tædio occupationum vltrò cedit, ad philosophiam, & literas redit. Libet quædam diplomata ab eo data subscribere.

Templũ Dominicanorum Aichstadij. Alexãder 4 P. M.

Albertus Pitogeius episcopatu deponitur.

Albertus Magnus, Vir vndequaq; doctissimus.

I. *Meten.* Frater Albertus miseratione diuina Ecclesiæ Ratisbonẽsis episcopus refert de visitatione monachorum Metæ, vt Hermannus inferioris Altaichij fecit. Ratisbonæ 1261. octauo Kal. Martij.

II. Frater Albertus miseratione diuina Ratisbonẽsis ecclesię episcop⁹, parochis, decanis, vicarijs decimarum, quæ noualia pendunt, tertiam partẽ Hermãno Altaichij inferioris Antistiti ob officia hospitalitatis tribuit. Datum Ratisbonæ pontificatus primo.

Aliud eiusdem.

III. Frater Albertus episcopus quondã Ratisponensis, Apostolicæ sedis authoritate, crucis prædicator per Alemanniã, & Boiemiam, pro subsidio terræ sanctæ: Vniuersis Christi fidelib. in Domino salutem XL. dies indulgentiarum donat Polligensi templo in festo die exaltationis S. Crucis, & Innocentium atq; dedicatione. Datum Pollingen Año Christi 1263. tertio Nonas Maij. Obijt anno vitæ octogesimo, 1280. in Colonia Agrippinensi, vbi cõditum ferunt. Sed historiam prosequar. Idem Alexander Philippum Salisburgẽsem designatũ pontificẽ, quòd sacris initari, sacrificia facere, pontificalia munera obire recusaret, dignitate abdicat. Iuuauẽsiũ in collegiũ pontificẽ cooptat Vlricũ Seccouiensem episcopum, Philippo, nisi cedat, castella, oppida Vlrico reddat, Iuuauensibusq;, si hunc non receperint, sacris intercidit. Hancq; sententiam Haintico Dominicano, quẽ Philippus Chiemensi templo antè præfecerat iussu Alexandri, renunciante, grauiter ædes Iuuauensis attrita est, hic armis, Romæ fœnore. Nam Philippus auxiliares copias ab Ottocaro Boiemo, Austriacoque, accepit, Salisburgium, cætera castella, arces cõmuniuit,

Albertus Magnus moritur.

Philip. Pontifex Salisburgensis dignitate abdicatur.

muniuit, præsidijsq; firmauit, aduersarios in exilium agit. Nam armorum, quàm literarum peritior erat. Minas pontificis Max. floccifacit, anilia terriculamenta esse censet. Chiemensia quoq; prædia exacto Hainrico, perfidiæq; condemnato occupat. Vgri atq; Boij Vlrici rebus, Austriaci, atq; Boiemi Philippi studebant. Eodem anno caritas, atque sterilitas Boiariam afflixit, fruges, & quicquid floret, læsum est. Decem modij Monachij tritici quinque libris, auenæ tribus venierunt. Coloni, vulgus promiscuum, relictis auitis sedibus, patrijsq; laribus, in Vngariam frequentes migrant, famem vbertate regionis leuaturi. Agricolæ maximè mystarum, atque monachorum aufugiunt.

Elisabetha Conradi Cæs. vidua ad secundas nuptias transit.

Sub idem tempus Elisabetha uxor Conradi Cæsaris ad secundas transit nuptias, Mænardoq; Goricensi, atque Tyrolio Monachij desponderur: moxq; armis ornatura à Conrado Fruxinensi episcopo & Gebhardo Hirspergensi, cui soror Elisabethæ nupserat. Nuptiæ deinde in eadem vrbe magnificè regio luxu, pridie Nonas Octobris fiunt. Agnes mater nõ interfuit. Interea apud Sophiam Hirspergensem alteram filiam, quæ filium Garionardum pridie scilicet, quàm nuptiæ celebrarẽtur, pepererat, degebat. Elisabetham mulierem magni animi fuisse diplomata ostendunt, in quibus nihilosecius, licet prædicto comiti minoris sortis viro collocata fuerit, tamẽ se reginam appellat: in monasterio Polling seruatur priuilegiũ, vbi mystas eiusdem fani portorij, Passeri, Stiracij, Oenobrigæ immunes esset iubet.

Monasteriũ Polling.

Caput illius hoc est, Nos Elisabeth dei gratia regina, & Comitissa Goricẽsis, atq; Tyrolensis. Aera verò hæc 1261. quarto Cal. Octob. Per idem tempus Ludouicus etiam frater Elisabethæ, gratificaturus Boiemo, Annam Polonam, filiam Conradi vxorem ducit, & ad domitandos Reginoburgenses (qui paucis ante annis aui, atq; parentis regulorũ Boiariæ iugum excusserãt, in libertatem se vendicarãt) in Geirsberg, (quod Vlturũ valet montẽ) è regione pontis lapidei ad læuam in ripa Germaniæ arcẽ munitissimã extruxit, Landocoronãq; vocitauit: verũ accepta à ciuib. pecunia, eam solo æquari permisit.

Landskron.

Inter hæc Ottocarus, accitis in cõmilitiũ Ottone Brandenburgio, Vlrico Charionũ regulo, Philippo Iuuauensi archimysta fratre huius, cum Vgris pugnauit. Belam Stephanumq; reges, Alberonam Cumanum præsulẽ in fugam vertit, copias eorum profligat, vtrinq; maxima clades accepta est. Hainricus dux Boiorũ, Vgris affinitate, & amicitia coniunctus victoris, conata timens, & vt sunt humana, triumphũ suspectum habens, Braunauu clarissimam ciuitatem Oeno cõterminam, in Ora Noricorũ reficit, auget, vallo, fossa de integro, authore Hainrico Rorario intra nouem dies cõmunit, turres extruit, prætoriũ nouum iuxtà vetus templũ ædificat, Oenum Ponte, atq; Vindeliciam cum Norico coniungit. Ditiores àgricolas relicto rure, atq; agris, in vrbem atq; nouam coloniam transmigrare iubet. Sanguinaria pœnitentia tum Perusiæ in Tuscia orta, homines suo cruore non alieno litabant. Nobiles atq; mercatores primum frequentes coibant, deinde vulgus promiscuum, ciues, coloni, pueri, sacerdotes, attoniti, fanatici prouolant. Templatim atq; oppidatim bini more sacricolarũ ꝓcedebãt. Vbi in cõspectu templum oppidũmve erat: præeunte duce multitudinis, diuina carmina cõcinebãt, hymnos cantabant, cælites placabant, vestibusq; se exeuntes, supernè vmbilico tenus nudi, cętera linteo talari tecti, capiteq; ne agnoscerẽtur operto, scutica nodosa humeros, atq; pectus secabant, & crudeliter se verberabãt, vt Gesilos, hoc est, Verberones Germani vocant.

Die Geisler.

Inter verbera hi tres versus Teutonum lingua resonabant:

Jr Schlacht euch serè
In Christus ehre:
Durch Gott / so lat die sünd mere.

Quibus se adhortabantur, vt posthac resipiscerent, pietatem colerent, qui se tàm duriter pietatis ergò cæderent, Modò procumbebant, modò palmas ad sydera tendebant, & pectora pugnis contundebant. Nec vlla iniuria cæli, viæq; præpediuit, quò minus hæc sacra cruenta ritè perpetrarent, atque cœptum carperent iter. Itaque imperia dira in seipsos, ne somno quidem quieto irrogando, quisque per tres & triginta dies, atque semissem perdurabant. Tum se expiatos sceleribus, deoq; reconciliatos existimabant, atque demum domos abibant. Plerique bonos, alij, maximè Monachi, pessimos prædicabãt, hæreseos notam inurebant, superstitionem flagitiosam, immodicam, dira sacra interpretabantur. Alpes iàm superarant, superioremq; Boiariam lustrarant, atque Fruxinum vsque penetrarant. Ludouicus vltrà in suo regno progredi prohibuit. Hainricus verò veluti prophanos (ne suos omninò fines ingrederentur) publico edicto coercuit. Inter hæc Vlricus Iuuauensibus archimysta à Rom. pontifice impositus, in Pannoniam venit ad Belam, ac Vgris deducentibus Iuuauiam contendit. Verùm Rathstadij in alpibus Noricis, quas Taurum vocant, obuiam armata manu Philippus venit, profligatisq; hostium copijs, datis acceptisq; multis vulneribus Vlricum tandem in fugam vertit. Is fuga cla-

ga cla-

ga elapsus in valle Oeni proximè Aguntum ab Austriacis capitur, ad Ottocarumq; deducitur. Sed ab hoc dimissus in Boiariam se ad Hainricum confert, qui vi Vlricum Iuuauiam deducere conatus, Philippi partes oppugnat, octoq; castella sibi finitima in ditionem redigit: cætera Philippo possidente, ac fortiter defendente. Vlricus igitur Iuuauia exclusus, cum æs alienum, quod hac turba contraxerat, dissoluere, & vnciarum argẽti puri puti quatuor & sexaginta millia, quibus pontificatum cauponatus fuerat Romanensibus reddere nequiret, deuouetur. Actus diris Romam petit. Hac lege rursus deducente eundem legato Romano redire permittitur, vti si intra dies constitutos pollicitis non satis faceret, rursus inferis deuotus foret. Interea Hainricus inferioris Boiariæ, atque Narciscorum rector, precibus Ottocari fatigatus in Vngariam nauigio ad Belam socerum, quarto proficiscitur. Vgros, atq; Boiemos in gratiam redigit, his sanguine, illis affinitate coniunctus erat: Viennam reuertitur, ibi cum Ottocaro Paschalia celebrat, inde in Boiariam reuertitur. Eiusdemq; anni duodeuicesimo Calendas Ianuarij Bathauiæ cum Ottone episcopo fædus init. Nam ob limites sæpius inter se armis disceptarant. Ouerobergomum, duæ ædes in nouo oppido episcopo traduntur, ipseq; sacerdos Begensi, Artenbergensi tetrarchijs, præfectura prætoriana Boiariæ cedit. Monetam vtriusq; recipiendam decretum, arbitri fuere Fridericus vrbis Norinbergensis præfectus, Albertus Hallusius, Hainricus Roruueck, Otto Fraunbergensis, Hainricus Pholius, Grimoldus Prisingius, Hainricus Rorarius, Vinomarus Esulo, Hartolmius Vinozeron, Richerus ab Aham, Hainricus, Harthoecius, Otto Trauner. Eodem tempore Ludouicus frater Hainrici, superioris Vindeliciæ, atque Rhenanæ oræ procurator, arma aduersus Marescalcos à Bappenhaim mouet, Wissenburgium vrbem Narciscorum capit, diripit, exurit. Moritur tum Alexander Pont. Max. imperio pontificio Vrbanus quartus Gallus genere imponitur. Is popularibus suis quàm Germanis, atque Sueuis amicior, Carolo Andium regulo, quem Imperator Fridericus secundus Narbonensi Galliæ præfecerat, fratri D. Ludouici occidentalis Franciæ regis, Campaniam, Apuliam, Calabriam, Siciliæq; regnum facilè de alieno largitur, eiq; Mariam filiam Stephani quinti Vngariæ regis, neptem Belæ quarti, quo opes eius firmaret despondet. Illa regna Manfredus filius Friderici secundi tutorijs auspicijs administrabat. Cometa tum per aliquot menses visus: Ventus præter solitum vehemens, syluas, casas, domos, arbores euertit, mortalibus vniuersis, & pecoribus maxima detrimenta iniunxit. Otto quoq; Bathauensis Episcop. de Lensdorff castello haud longe à patria mea ortus, animam exhalauit. Ottocarus repudiata Margaritha Austriaca, Chunegundam Ratislai Massagetæ (alij Moschos, pars Roxolanos, vulgus Teutonũ Albos Russos vocat) filiam cõnubio sibi iungit auspice Wernero archimysta Mogontino. Porrò Vlricus Salisburgensis Pontifex Roma cum Episcopo Squillatensi in Boiariam ad Hainricum reuertit. Dux cõtractis copijs Witpeckio Iuuauensi equite ductore, illos Iuuauiam vi ducere conatur. Resistente Philippo vrbem citra flumen irrumpit, præsente Vlrico, atq; Romanensi vulturo, vniuersa diripit, incendit. Deinde finitima castella inuadit Halliolam vastat, inde castra trans amnem transfert, vrbem vallo, atq; obsidione claudit. Sed sereno cœlo tactis fulmine castris, obsidionem soluit. Iuuauenses D. Rupertum, tutelare Boiorum numen atq; nuncium cælestem fuisse interpretantur. Vlricus ergo rursus spe sua destitutus, cum non haberet vnde auaritiam Romanensium expleret, protinus à legato, quem secum Roma deduxerat, deuotus est. Quamobrem ab omnib. desertus, egestateq; coactus, sponte dignitate cedit: vocatusq; à Philippo cum Hainrico duce Boiorum, Iuuauiam proficiscitur, seque Pontificatu abdicat. Ita dum Salisburgio inhiat, Seccouiam quoq; perdidit. Inter hæc Clemẽs quartus, Vrbano defuncto, regnum Ecclesiasticum obtinet. Vladislao Polono Wissegradensi præposito, domestico suo sacerdoti, consanguineo vxoris Ludouici Boiorum reguli, Iuuauiam, eius præceptori Petro Vratislauiensi Bathauiam in fidem committit. Rursusq; vt est in actis episcoporum Salisburgẽsium, aurisugis ecclesiasticis millia vnciarum, argenti puri sexdecim depensa sunt. Ita grauius fœneratores pontificales Iuuauiam attriuere, quam bellum ciuile, quod per annos quatuordecim continenter gestum est. Philippus Aquileiæ patriarches salutatus, arma deposuit, Vladislaoq; cessit. Hisce diebus Carolus cum Manfredo Siculo confligit: Manfredus à suis, qui ad Carolum defecerant & transierant, proditus atque desertus, cum se cum paucis relictum videt, hos cohortatus ne inulti perirent, fretus viribus corporis, fortiter hostibus congressus, edita maxima aduersariorum strage, haud inultus succubuit. Eius nepos ex fratre Conradus, quem Itali Conradinum vocant, in Boiaria, atque Sueuia apud auunculum degebat. Extat apud Reitenpuech in Boiaria eius diploma, cui hoc est initium: *Conradus secundus dei fauente clementia Hierusalem, & Siciliæ rex, dux Sueuiæ, Conradum eiusdem fani antistitem in gregem sacricolarum recipit. Datum Reitenpuech, XI. Kalend. May, Anno Christi MCCLXIII.*

Vrbanus 4. P. Max.

Carolus Andegauensis ab Vrbano 4. P. Max. præficitur Neapolit. regno. eius vxor. Maria filia Stephani regis Vngariæ. Manfredus Friderici 2. filius. Ratislaus Massagetarũ rex.

Clemens 4. S. P.

Vladislaus dux. Polon. Petrus episcopus Bathauiensis.

Manfredus vincitur à Carolo.

Conradus qui & Conradinus.

Aliud eiusdem.

Conradus dei gratia Hierusalem & Siciliæ rex, dux Sueuiæ, castrum. ciuitatem Verdunum in Sueuia, Laugingen, Hochstadium, Morinos, Pittengam, Schongiam, Schwabeck, Ambrones, Fauces, quæ Ottoni regulo Boiorum, auo suo materno, Conradus genitor millibus vnciarum auri sexdecim, quod est nostratu pecuniæ, aureolis mille centies duodetricies, oppigneraras, Ludouico Boio auunculo suo vendit. Hancq; tabulam venditoriam signarunt Eberhardus Constantiæ pontifex, Berchtold' D. Galli antistes, Hainricus dux Boius, Præfectus prætorio Rheni auunculus Conradi, Fridericus Comes de Truheding, Fridericus vrbis Norinbergensis præfectus, Hainricus Burgonium præses, Fridericus Zolrrēsis. Testes verò fuere, Fridericus dux Austriæ, & Stiriæ, Hartmānus Badensis regulus, Menradus Coriciæ & Tyrolis tetrarches, Berchtoldus à Greiffenpach, Berchtoldus de Eschenlech, Berchtoldus à Fraunhofen, Arnulphus à Messenhaussen, Grimoldus, Hainricus, Conradus à Preisingen, Hainricus, Winardus Rorpeckhij, Vlricus Camerobergensis, Otto à Faunberg, Hainricus de Eysoltzried. Datum nono Cal. Nouembris, Anno Christi MCCLXVI. Hoc quoque anno Ludouicus Fridbergium oppidum in confinio Rhetorum atque Vindelicorum, aduersus ciues Augustanos extruxit. In Francia antiqua Hermannus Hennenbergensis, adiuncto sibi Hainrico comite in Castell, episcopus Eringus, & Würtzbergenses ciuili prælio se conficiunt. Monachorum patres atque Pontifices ob cultum, mitras, atq; pedum inter se discordant. Clemens quartus litem dirimit. Monachos holoserico atque argento, episcopos auro & gemmis vti præcipit. Ottocarus quoque inita societate cum ciuibus Bathauensibus, Reginoburgensibus atq; Iuuauensib. spreto vinculo fœderis atq; sanguinis, ducibus Boiorum bellum indicit. Ipse Boioriam Boemiæ continuam, confestim cum sexaginta millibus hominum inuadit. Chamabos. Theckendorff vastat, Rengstauff. Nitenauu, vbi sexaginta amplius homines igne concremauit, excidit: alia quoque castella Reginoburgium vsq; depopulatus est. Vniuersa cæde, incendijs compleuit, imbre sagittarum omnia obruit. Maximus Boiorum numerus, nemine resistente, ferro, igne, iaculis perijt. Vastatis cunctis Kal. Augusti Reginoburgium se recipit, ibi biduo duntaxat commoratur, coactusque annonæ penuria Egram in Boiemiam redit. Dux eius Bernardus Priscus Aelius cum octingentis equitib. Bathauiæ impositus, Vindeliciam, quam Oenus, Vilissus, Rhodanus ambiunt, à Vilshouia vrbe ad Braunauu vsque ferro flamma affligit: Aspach Monachorum contubernium, item cætera templa diripit, spoliat. Cæterùm Ottocarus ex Boiemia traiecto Histro, mense Septembri in Noricum reuersus, Ried arcem, & oppidum expugnat, Ranshofen templum à Boiemis exustum est. Hainricus dux Boius Albertum ab Hils cum copijs vltra Hillem, qui Boiariam Occidentalem atque Austriam Aquilonari Histri ripa determinat, mittit. Isque eam regionem igne depopulatur, Veldam ciuitatem expugnat, diripit, incendit. Alius Boiorum exercitus Neuenmarckt Nariscorum vrbem, quæ tum Boiemo parebat, in potestatem, exustis quibusdam ædibus, redigit, atque instaurat. Ipse dux Bathauios, qui tum murum noui oppidi, qua Oeno alluitur, octoginta diebus extruxere, sibi destinat, obsidereque parat, tertioque Calendas Nouembris à quibusdam ciuibus porta clauibus adulterinis reserata, noctu introducitur. Fit tumultus, tenebris Boius nouum oppidum, Apothecam vinariam, ædes complures occupat: totaque veteri vrbe potitus fuisset, nisi Boij prædæ auidius intenti, palabundique solutis ordinibus, diuersi per tenebras oberrantes, cum duce copiarum Suitgero Vorstero, insidijs ciuium ex notis locis atque latebris pugnantium, cum præda ad agmen reuocari non possent, cōtrucidati essent. Hainricus igitur signo receptui dato, cum reliquijs Nouo oppido, Apotheca vinaria, pluribus ædibus direptis atque incensis, plerisque ciuibus excisis vrbe egreditur. Inter hæc Hermannus inferioris Altaichij antistes, liberum Hainrici lustricus pater, Historiographus Flinsberg Kurnberg castrum, Mosam turrim solo æquat. Subsequenti anno Vido flamen Romanus, Ioannes Pragensis, Petrus Patauinus, Bruno Brixinensis, Conradus Fruxinensis, Leo Reginoburgensis, Amalricus Lauentinus, Viennæ in Austria conueniunt, optimas quidem leges, quas tamen nemo eorum obseruauit, ferunt. Sexto Idus Maij. Monachos luxus condemnant, à decimis prophanos arcent. Minores duodeuiginti annis ab aris, sacerdotijs, sacrisq; submouent. Pastorem non oues suas pascentem, neque gregem in re præsenti custodientem, impietatis accersunt. Terra tum contremuit, ædificiaque complura euertit. Boiemi atque Boij rursus in gratiam redeunt. Sub idem tempus Conradus nepos Imperatoris Friderici secundi, crebris legationibus ab Italiæ vrbibus, vt auitum, paternumque regnum recipiat, euocatus, consilio matris, comitibus Friderico filio Hermanni Austriæ, atque Stiriæ ducis, auunculo Ludouico Italiam petit, Veronæ atque Mantuæ maxima omnium gratulatione excipitur. Ibi Ludouicus specie comitiorum Augustalium in Germaniam iussu pontificis Max. reuertitur. Conradus comitantibus Longobardis, Sueuis, Tuscis Romam rectà (commorante tum Roman. episcopo Viterbij) peruenit, haud aliter, quàm Augustorum

Testes venditionis à Conradino factæ.

Prælium.

Ecclesiasticorum discordia, de rebus leuissimis.

Synodus Viennæ celebratur.

Terremotus.

Conradus ad Italiam proficiscitur.

ſtorum proles atq; Apuliæ, Campaniæ, Calabriæ, Siciliæ legitimus hæres à Senatu, populoq; Ro. atq; ab Hainrico Hiſpano, Caſtiliæ regis filio, principe Senatus excipitur. Confluentibus vndiq; Italiæ proceribus, cum Gerardo Piſano præfecto Campaniam intrat, cum Carolo manus conſerit. Isq; copijs ſuis a Conrado profligatis, cum paucis fugam ſimulat. Conradini pro victoribus ſe agunt, ad impedimenta diripienda, ad prędã ſolutis ordinib. conuertuntur, palabundi ſarcinas Gallorum diripiũt, ſpoliaq; legũt. Ipſe Conradus cum paucis relictus erat, & hi abiectis armis corpora curabant. Hoc vbi Carolus per exploratores cognouit, ſubitò de improuiſo irruit, paucis inermib9 obtrũcatis, cæteris qui diſperſi erant, ſerò aduolantibus, Conradum, Fridericum, Gerardum Piſanum, pleroſque proceres viuos capit, captiuosque Neapolim ducit, arctaque custodia obſeruari iubet. Deinde refert per literas, quoſdam principes conſulit, quidnam de his fieri placeat. Pontifex Max. in eos animaduertendum, Ottocarus metuens, ne ſi Auſtriaca proles, Cæſareaque ſoboles ſuperſtes foret, intercepta à ſe olim repeterentur, tollendos omnem ſtirpem radicitus excindendam cenſuit. At Rupertus Flandrus, gener Caroli, quo conſultore, atque fautore is victoriam nactus fuerat, memor rerum humanarum, pacem ineundam, atque adoleſcentulos optimæ indolis haud dubiè omniũ nobiliſſimos, Auguſtorum prolem affinitatis vinculo conciliandos eſſe Carolo ſuadebat, atque Conrado Caroli filiam, Friderico neptem ex ſorore deſtinabat. Dum his conſultationibus tempus trahitur, annus eſt, & Rupertus domum rediit & regius ſanguis capitali ſententia condemnatur. Quod vbi Flandrus accepit ex Germania, Neapolim, quo intercederet, quàm celerrimè contendit. Cæterum antequam eò peruenit, quarto Calendas Nouembris die Lunæ, Anno ſalutis millesimo ducenteſimo ſexageſimo octauo, ſolùm purpura ſternitur. Fridericus primo ſecuri percutitur. Cuius caput Conradus amplexus, atque oſculatus lachrymis obortis, innocentis adoleſcentuli, & amici (cui cauſa interitus fuerit) necem crudelem miſeratus deplorat. Deinde multa de acerbitate, atque perfidia inimicorum, qui ſe omnium innocentiſſimum, immeritiſſimumque, præter fas atque æquum hæreditate, quam atavi, aui, parentes ſuo ſanguine peperiſſent, priuaſſent, conquestus, cauſaq; ſua ſupremo prætori commiſſa, vltorem ſceleris, atq; parricidij deum inuocans ad Chriſtum Dominum, deumq; noſtrum prouocat, tribunal eius appellat. fidem implorat, manibus in cœlum abiectis illhæc regna Petro Arragonum regi, cognato ſuo (nam huius auia ſoror Imperatoris Friderici ſecundi fuerat) iure ſuo legat, atque deinde arrepta ceruicem carnifici porrigit, capiteque pœnas luit. Poſtremò vndecim proceres Sueuiæ, atque Italiæ eodem ſupplicio afficiuntur: inter quos fuère Gerardus Piſanus & Hieronymus Sueuus. Carnifex poſthæc & ipſe iuſſu Caroli ſanguine ſuo occiſis manibus parentare coactus. In paucis poſt annis Petrus Arragonum rex repetere Siciliam cœpit. Atque per ducentos, & quinquaginta annos continenter hactenus Galli occidentales cruore ſuo Conrado litarunt atque cum Hiſpanis pro regno Siciliæ decertarunt. Porro Germani comites Conradi, poſteaquam audiuere regem ſuum occubuiſſe, globo facto Stichonem, fabrum ferrariũ Würtzburgij ortum, reliquijs præficiunt, eoque duce per Italiæ fines penetrant, ferro ſibi viam aperiunt. Vbi fines Germaniæ attigere, Sticho clam ſe ab exercitu ſubducit, atque ad incudem redit. Eodem anno, atque eodem menſe, quo Conradus cæſus eſt, Clemens quoq; Pont. Max. viuendi finem facit. Ab hoc, decimas emungente à plebe Chriſtiana Ioannes Teutonicus præpoſitus Halberſtatenſis, primus Decretorum Pontificalium interpres, prouocat ad communem Chriſtianorum conuentum. Inter regnũ in templo dei, ob diſcordiam atq; ſeditionem hominum Romanorum aliquandiu continuatum eſt. Atque hæc ego ex Martino Boiemo Oppomenſi tranſtuli. is proximus horum temporum ſcriptor, piacularius Romanorum epiſcoporum fuit, vitas Pontificum & Imperatorum Romanorum res geſtas ad alterum Rudolphi Cæſaris annum deduxit. Eius æmuli Hermannus æditnus Franciſcanus, & noſtro ſeculo Platina. Per idem tempus ferijs brumalibus eluuie aquarum, qualem maiores haud temere ſenſerũt, ſiccitate demceps atque fame Boios afflictos eſſe: Vlricum Charionum regulum abſq; liberis, Vladislaum Salisburgij pontificem, Belam Vngariæ regem, Agnetem matrem regulorum Boiariæ, nurum huius, illius filiam Eliſabetham, fœminam pientiſſimam cum Agnete filia, item Annam Polonam coniugem Ludouici, tum fato conceſſiſſe, in faſtos actaque relatum reperio. Vgri atque Boiemi mutuis vulneribus ſe concidunt. Haintricus Boius ſuaſu Bernardi Schaunoburgenſis conſenſu præſulis D. Viti portoriũ, præturam ab Elſenbach tribu Vindeliciæ ſecundæ, inter Oenum & Iſarum, ripa Rhodani, haud inde procul Wolffsperg transfert, oppidulum ibi condit, atque Neomarckt vocari præcipit. Ottocarus cum Vgris pacem facit, deinde fœdus cum Hainrico Boiariæ duce aduerſus omnes mortales nemine penitus excepto icit, hocque ſic perpetuò fore, fidem inter ſe dant, atque iuſiurandum dicunt. Ottocarus Schardingo cedit, Ried reddit, Charionum ducatum, Carnos, Forum Iulij, Portum Naonis ex pacto, atque te-

Carolus fugatur.

Conradus capitur & Neapolim ducitur.

Rupertus Flandrus gener Caroli.

Fridericus decollatur.

Petrus rex Arragonum.

Clemens S.P. moritur.

Ioannes Teutonicus Decretalium interpres.

Martinus Boiemus historicus.

Hermannus æditnus Franciſcanus.

Principum mors.

Vgri & Boiemi inter ſe pugnant.

Fœdus Ottocari & Ducis Boiariæ eum reſtitutionem quam late patuit.

stamento Vlrici hæres constitutus, adit: & à sinu Hadriatico ad sinum Codanum longè lateq; rerum potitur, rursusq; rupto fœdere in Vgros arma mouet.

Hainricus Brabátinus. Aristotelem vertit in Lat. Ratisbonæ templum cóflagrat.

Eodem autem tempore, anno nimirum Christi 1271. Hainricus Brabátinus Dominicanus rogato D. Thomæ è Græco in linguam Latinam de verbo ad verbum transfert omnes libros Aristotelis: Albertus vsus est veteri translatione, quam Boethianam vocant. Quo anno 8. Cal. Decemb. Conradus episcopus Fruxinensis parrochiam diuisit à templo D. Petri. Eadem tempestate templum Augustum, prætorium pontificale Reginoburgij conflagrat, tintinabulaq; igne liquefacta diffinxere XV. Kal. Aprilis, dies Iouis erat, post solis diem, qui Misericordia dñi, à capite sacrificij vocari à scribis solet. Sub idem tempus Salingostadium oppidũ ad secundum à patria mea lapidé, ab eo loco, vbi nunc Heligostadiũ pag⁹ est, transfertur, ad tertiũ fermè lapidẽ Thræphunũ arcẽ, Neostadiũ nunc vocatur.

Gregorius 10 S.P. qui Imperiũ ad Germanos transtulit.

Isthoc anno qui fuit Christi 1273. Gregorius 10 cum interuallum pontificatus biennio continuò fuisset, ouili Romano potitur, quem septẽ viros (qui sibi deligendi Cæsaris potestaté sumunt) instituisse, atq; cóprobasse reperio. Is legatos in Germaniá mittit, mádat Germaniæ principib. vt dignum talib. viris regem creent, & eum qui optimus sit, qui summæ rerum præsit, in summo rerum humanarum fastigio imponant. Ná hoc anno Richardus Cæsar cócesserat fato, & Anglij summá dignitaté ambibát. Calendis igitur Nouembrib. Francofordiæ principes, pontifices frequétes coeunt, Comitia Cæsarea habent. Dumq; suffragium ineunt, variæ fuere voluntates. Nemo alteri cedere animum inducebat. Tádem ne, vt anteà discordiæ malis Respub. labefactaretur, placuit vni deligendi potestatem deferre. Proinde omniũ cósensu, Ludouico præfecto prætorio Rheni, regulo Boiorum, qui tum in principib. Imperij pręter cæteros magnoperè eminebat, summam deligendi noui principis potestaté offerunt, atq; permittunt, iubent atq; sciscũt, vti Cæsaré

Ludouico Palatino fit potestas Cæsaris appellandi.

nuncupet, principib. ita visum, qui deinde autores fient. Ludouicus ratus sibi arduum, ac planè periculosum fore, se vnũ de alienis virtutib. iudicare, vnum demereri, alios omnes quos præterit, offendere, item neminé vnum inueniri, qui omnib. placeat, nec citra inuidiá, iniuriám ve, atq; offensioné tot ac tales ꝓceres pręteriri posse, existimans primo huiuscemodi ꝓuinciam detrectare, excusare inuidiam, q̃ se maneat, si suo vnius arbitrio, vnus impetrare, cæteri omnes seruire cogátur, cœpit: Contrà verò arbitratus hoc munere nouum principé, memoré tanti beneficij, semper fore suũ, nó solumq; sibi, ac posteritati hoc facto multũ gloriæ, atq; dignitatis, sed & emolumenti accessurũ, quid nam ageret, incertus diu cunctabatur: Hærebat inter cupiditaté atq; metum. Cumq; ꝓceres Imperij peruicacius offerrent, cessit tandem oneri, & spacio deliberandi sumto, deinde vocata (nulla ratione Alphonsi Hispani habita) concione: Patres cósulti, & populares atque ciues fidelissimi (inqt) Imperiũ ꝑ quadraginta fermè annos ciuili bello continenter attritum, penè afflictum, ac collapsum est: pleraq; hi, qui viribus pollent, intercepere. Viro rei bellicæ peritissimo, qui Remp. stabilire virtute, & armis queat, opus esse censeo. Quámobrem quod bonum, fœlix faustumq; sit, Rudolphum Sueuum, filium Alberti Sapfenburgensis limitis ducis, nepotem Rudolphi Hauecoburgensis præfecti ab ineunte ætate, tenerisq; vnguiculis rerum gerendarum, atq; militaris disciplinæ exercitatissimum,

Rudolph. de Habspurg Cæsar declaratur.

Cæsarem, sicuti iussistis, designo, declaro, nuncupo. Hocq; dicto, omnes pedib. in eius sententiam eunt, Rudolphumq; faustis acclamationib. regem ingeminant, & salutatum superos pergunt, supplicatum frequens populus iuit. Omnib. perplacebat Rudolphus: duntaxat Ottocarus Boiemiæ rex, & Hainricus Boiariæ inferioris regulus huiuscemodi comitia aduersus auspicia, contra instituta maiorum habita, proinde pro irritis, atq; in auspicatis ducenda esse, sordibus infimę conditionis sacrosanctum Imperium violari, Remp. prophanari, maiestatem populi Germani pollui vociferabantur. Nec solũ Rudolphum non recipere, sed rebellioné quoq; aduersus eundem facere cóminabátur. Nihilosecius tamé Rudolphus accersitus, mox ad Aquas Graneas in templum deducitur. Pontifex Agrippinensis de eo deum consulit, id publicum, deinde ac ꝑpetuum sacerdotium honoris gratia Agrippinensib. episcopus fuit. Rudolphus rex declaratus, de téplo egreditur, Augustali cœna vniuersos accipit: Regnoq; potitus, inprimis tuendę pacis curá habuit, grassatores, latrocinia, licétiá equitum, & militũ cópescuit, populares tumultus grauissimè coercuit, ac ne orirentur, sedulò cauit. Armis, iustitia, legib. Imperium de

Machtylda filia Rudolphi Ludouico Palatino nupsit. Rudolphus filius Ludouici Palatini & Boiorũ ducis.

integro códere stupuit, statuitq;, vt posthac ob insciciam nobilitatis principum, & pontificum edicta, priuilegia. Teutonum lingua ederentur, quæ hactenus Romano sermone data sunt. Habebat domi quinq; virgines præstanti corpore, atq; forma, has ex Anna Burckhardi Haigerlochij filia susceperat, quarum quæ forma pulcherrima erat, Machtyldam Ludouici suffragatori suo dat in matrimonium, generiq; opib. adiutus, Sueuos, Badenses, Wirtenbergenses, cæteros grauatim imperata facientes, perdomitat. A Rheno ad Hercynium nemus, qua Boiemiam pro natiuo muro ambit, vniuersa ad obsequiũ redigit, præcepta recuperat. Machtylda eius filia sequenti deinceps anno enixa est Rudolphum, authoré omnium principum, qui ad Rheni ambas ripas, & in Germania, quæ

est

est in finib. Celtarum, atq; Belgarum, intra Heluetiū, Mosellāq; amnes, ac in Germania magna, Narciscis. i. Boijs Aquilonaribus longè latè dominantur. Eadem Machtylda tertio decimo deinde autumno peperit Imp. Ludouicū 4. Cæsarem Augustum, vnde originem paternam ducunt nostri reguli, qui ad vtráq; Danubij oram, Sudinos, h. e. Boios meridionales inferiores, superiores. Vindelicos, Noricos feliciter administrant. *Ludouicus quartus. Imp. Rom.* Circa eundem temporis tractum Gregorius decimus sacricolarū cōcilium Paschalib. Lugduni habet, vndecunq; pontifices certos acciuit, ex Alemania, Gallia, Anglia quaternos: Hispania duos, ex Sicilia regno ecclesiæ, Vngaria, Dacia, Boiemia, Polonia, Suionibus, Nordouicis & Scotis singulos, vocatáq; concione, ex libris sacræ historiæ, quos Machabeorum nominant, præfatus, curam studiumq; belli, vtriusq; Reip. administrationē ad episcopos, & Antistites attinere, multis verbis persuadet: collegis Palæstinam expeditionē, & ad Grecos subigendos Romano sacerdoti arma induenda censet. *Gregorius decimus S.P. Synodum celebrat Lugduni.* Deinde leges quib. vitia sacerdotum, monacharumq;, Antistitum castigentur, corrigātur, rogat Zopfnonnas genus fœminarum sacratarum abolet. *Zopfnonnæ.* Tum omnium rerum ecclesiasticarū decimas in sex annos monachis, mystis, maiorib. minorib pontificib imponit, partem octauo Cal. Iulij, alterā portionē octauo Cal Ian. numerare iubet. Postremò hæc decreta sciscit, ꝓmulgat, piacularij, atq; sacro auriculario præfecti dent operā, orent, instent, suadere non desistant, vt rei, sanctissimo ꝓposito pontificis Max. ære, pecunia, opib. faueāt: Quisq; Christianus, puer, vir, infans, puella, fœmina, sacerdos, prophanus capite census sit, quotānis nūmum tribuat. Deuotus est, quisquis ijs pensionib. aduersus iuerit. Pleraq; alia tum, vt alias, magis argutorum, hominū more, quàm ex æquo & bono commenta sunt. Romulei vultures, quibus defraudari, atque compilari populus solet, & quæ neutiquam deo immortali cordi fuisse exitus probauit, euentus docuit, pleriq; ad concilium coacti ire, eo luxu habitum est. Impendijs non suffecere aurum, argentum, gemmæ, vestes preciosæ artis, opes templorum venundatæ, pauperib qui soluendo non erant, diræ dictæ. Cistercienses monachi, quibus pontifex Ro. amicus erat, hasce suarum ædium decimationes redemere millibus vnciarum argenti puri sexcentis, atq; quadraginta. Furstenfeldenses duo pondo argenti Teutonica pensitarunt, sunt vnciæ duæ & triginta. A cæteris omnib. decimæ superbè atq. auarè exactæ: & licet Decimus eodem anno animā efflasset, nihilosecius tamen Romani flamines decimas per sex annos extorta per vim pecunia Germanis emunxerunt, rumore dissipabant, se suo periculo, atq; stipendio Palæstinam, Ægyptum, Asiam, Africam erepturos Turcis, Saracenis, Tartaris. *Gregorius 10. S.P. moritur.* Quamobrem & Rudolphus illa lege atq; omine primario sacerdoti Bononiam, præfecturas, ducatus, vrbes, regiones Italiæ hactenus Imperatorib. parentes (Romaniolam Martinus vocat) quæ quotannis millies drachmarū auri septingenties pensitarent, concessit. *Rudolphus 1. inconsulto Imperio bona maledistraxit Iulius 2. Pōt. Max.* Quemadmodum & Imp. Maximilianus anno abhinc decimo, principibus aperuit, edictoq; dato ex Oenoberga XIII. Cal. Augusti anno Christi 1511. conquestus est. Dum eodem anno ad Calend. Septemb. Pisam aduersus Iulium secundū Pont. Max. Senatum Christianū nouem Romani flamines, idem Maximilianus, atq; Ludouicus Franciæ occidentalis rex conuocarent, pro reformatione morum (vt eorum verbis vtar) vniuersalis Ecclesiæ, in capite & membris plurimùm collapsorum ac emendatione criminum grauissimorum, interiorum, continuorum, ac incorrigibilium, vniuersalem Ecclesiam eneruantiū. *Maximilianus Ro. Imp. Ludouic. 12. Galliæ rex.* Sed ego hæc missa faciam: extant huiusmodi diplomata, qui curiosus & ea legere velit, inquirat & ipse. Ego ad ordinem rerum redeo. Dum talia fiunt, Rudolphus Haganoæ æstate commoratur, iussu pontificis Max. Clementiam Carolo Gallo filio Caroli primi despondet, vt illius opes aduersus Hispanos firmaret. *Clementia filia Rudolphi Imp.* Inde Norinbergam ad cōuentus agendos in hyberna se confert. Ottocarus Boiemus & Hainricus Boius non comminationibus, non precibus, non blanditijs, non promissis impulsi sunt, vt vel legatos mitterent, tantum abfuit, vt ipsi præstò essent. Fridericus archimysta Boiorum, Philippus patriarcha Aquileiæ apparuere, in verba Rudolphi iurarunt. Quamobrem Ottocarus Iuuauensium, atq. Aquilensium agrum vastat, manubias quas lucrifecit mille vncias argenti trecenties ac vicies fuisse in actis pontificum Salisburgensium reperio. *Boiemus & Boius ad Comitia citati non comparent.* Hainricus quoque ac Ludouicus fratres germani inuicem sæuiunt, discordia ciuili Boiariam affligunt. Hainricus, quod se inconsulto Ludouicus non solum affinitatem cum hoste cōiunxisset, sed & eundem ceruicib⁹ suis imposuisset, amorem fraternum violatum vociferabat. Præterea ob titulum litem mouebat germano, quem Palatini Rhenani duntaxat vsurpare, se verò regulum Boiorū appellari volebat. Duos annos & sex menses hæc dissensio Boiariam atteriuit. Dies igitur à Cæsare Hainrico, & eius coniurato Ottocaro Wirtzburgium dicitur. Quibus venire detrectantib⁹, Augustam Rhetiæ tertio sub pœna læsę maiestatis, nisi obtemperassent, euocantur. Ottocarus Bernardum Seccouésem episcopum admodum sapientem, Hainricus Hainricum Vtinensem præpositum Iureperitum atq: historiographum eò proficisci iubent. Qui in conuentu principum Rudolphum sacrilegij, atq; impietatis accusant. Proinde indignum esse, qui tantam dignitatē pollue-

ret, arguunt. Sed hæc legatio à nemine benignè audita est. Ludouicus præfectus prætorio Rheni, regulus Boiorũ primò, deinde cæteri rogati sententiam, Ottocarũ, atq; Hainricum contra Remp. facere decernunt, hostesq; publicos declarant, eisdem bellum indicunt. Oratorib. Boiemorũ, atq; Boiorum ægre tutis redire licuit. Porrò Cæsar cóparato exercitu, cum Ludouico genero suo arma in Boiariam mouet: Campoduni in confinio superioris, inferiorisq; Vindeliciæ castra facit, fines Hainrici igne, ferro depopulatur. Hainricus vim Cæsaris vltra ferre non valens, cum fratre in gratiam redit. Deinde à Cæsare veniam petit, quàm per Ludouicum germanum impetrat, mutuoq; dat Rudolpho mille drachmas auri sexies, & quadragies.

Catharina filia Rudolphi Imp. nubit.

Rudolphus Catharinam filiam suã Ottoni filio Hainrici connubio iungit, regionemq; supra Anassum Hainrico oppignorat. Inde castra Reginoburgiũ transfert, à Leone vrbis episcopo, sacerdotib. populo, sacris excipitur.

Qui principes fuerint in expeditione Cæs. contra Ottocarum.

Inde tertijs castris sexto Calend. Octobr. potestatis anno tertio, qui est Christianæ æræ 1176. Bathauiam peruenit. In ijs castris tum fuisse, diplomata data ostendũt, Ludouicum atq; Hainricum fratres præfectos Rheni, regulosq; Boiorum, Hainricum Cottorum præsidem, Fridericum vrbis Norinbergæ præfectum. Albertum Hochburgẽsem, Hugonem Wirtenbergensem, Fridericum Linium, Ottonem, & Hainricũ Spanhaimenses. Inter hos pontifices Mogontinum, Salisburgensem, Wurtzburgium, Reginoburgensem, Chiemensem. Posthæc Cæsar contra Ottocarum bellum in Austriam conuertit: Oenum, Tranuum, Anassum flumina, Noricorumq; transit. Menardum Goriciæ atq; Tyrolij regulum, cui soror ducũ Boiariæ nupta erat, Stiriam, Chariones, Carnos, Liburnos, finitima loca à tergo inuadere iubet. Frãciscanos, atq; Dominicanos, qui vbiq; incolas, iussu pontificis R. sacramento soluant, Ottocaro diras dicant, præmittit: ipse comite Ludouico genero pedestri itinere Viennã contendit. Anassoburgium à Conrado Sumeruno absq; vi traditur. Itidem Ibissa, Tulna deditionem faciunt. Neoburgiũ ab antecessorib. Cæsaris vesperi apertis adhuc portis de improuiso occupatur: Boiemi qui in præsidio erant, trucidantur. Deinde Viennã nemine resistente peruẽtum est. Ottocarus in altera ripa cõsidebat, solutisq; pontib. aquarũ diluuie traijcere copias nequibat.

Vienna, obsidetur à Rudolpho primo.

Vrbs Vienna à Cæsare quinq; & triginta dies obsidetur. Rudolphus quoq; penuria cómeatus, & stipendij laborare cœpit, adeò vt Mogontinus archimysta clam fugam adornaret. Boiorum verò, Narciscorum, Vindelicorumque, atq; Noricorum episcopi Fridericus Salisburgensis, Hainricus Tridentinus, Berchtoldus Bambergensis. Leo Reginoburgensis, Petrus Bathauinus, Theodericus Guricorũ, Ioannes Chiemensis Leonardus Seccouensis, Conradus Fruxinensis, prædia omnia ecclesiastica, templorum, monasteriorum Austriæ, Stiriæ, Canorum, Charionum, Liburniæ censent, decimam [illegible] Cæsari tribuunt.

Gurcensis forsan.

Itaq; militibus stipendium solutũ, annona exercitui vndiq: coempta est. Viennenses, vt omnia sibi indies arctiora viderunt esse, & obsidionem aut non possent, aut non vellent amplius ferre, aliquot dierum inducias pacti, vt nisi intra eas auxilium Ottocarus ipse misisset, dederent vrbem. Posteaquàm nihil inde præsidij mittebatur, ad præstitutum diem permisere se Cæsari.

Vienna Cæsari datur.

Posthęc Ottocarus periculo suo sero sapit. Prouerbium est Germanum, quicquid summum est, cum non habeat, quo vltrò progrediatur, rursus ad ima (sicuti ludicrum fortunæ postulat) relabi necesse est. Hanc ob causam & Ottocarus, cum paulo antè in summo fastigio constitisset, descendendum sibi iam esse animaduertebat.

Ottocari litera ad Cæsarem.

Quod vt minimo detrimento fieret, & quiete Boiemiam, atq; Morauiam possideret, néue fortunam lacesseret, ultrò offerenda, quæ alioqui amiserat, ratus, Ludouico Duci Boiorum cognato suo, generoq; Rudolphi, communi vtriusq; amico, copiam transigendi facit: eius suasu, vt clientem decet, ita literas ad Cæsarem dat: *Serenissimo Domino suo Rudolpho regi Romanorum semper Augusto, Ottocarus dei, & illius gratia Rex Boiemiæ aperit, se potestatem pacisc̃endi Ludouico Palatino Rheni, duci Boiariæ consanguineo suo dedisse.* Hæ igitur pacis conditiones dictæ fuerunt. Captiui postliminii iure vtrinq; restituti. Obsides quos initio belli Ottocarus in Boiemiam abduxerat, Austriacas reddit. Austria, Stiria, Carni, Chariones, Liburni, Histri, Veneti Imperio atq; Rudolpho redditi. Vgris à Boiemis intercepta, ꝓmisso. Filia Cæsaris Wenceslao filio Ottocari desponsa.

Ottocarus cũ Cæsare in gratiam redit, & feudatarius fit.

Ottocarus traiecto Histro, cum plurib. regio luxu comitib. in castra extra Viennam processit: ibiq; auro, argento, gemmis prænitescens in corona purpuratorum, & populi, qui frequentes spectatum eò conuolarant, Rudolpho cærulea tunica (quam Teutones Camelon vocant) & in suggestu considenti, genu ponit, in verba eius iurat, ab eodem Boiemiam, atq; Morauos cũ 36. signis in fidẽ accipit. Hisq; omnibus ritu solenni perpetratis, Rudolphus Viennã, Ottocarus Boiemiã petit, à Chunegundaq; vxore nó ita benignè accipitur.

Chunigunda vxor Ottocari, eis insultat.

Magnanimum verò (inquit illa) regẽ, qui nondũ viso hoste, tot valentissimis, atque potentissimis nationib. & regnis, & noua sanè ac egregia affinitate, ab obsecro, ac ignobili quondam clientulo suo, seruitutem scilicet clementem cauponatus est, nempe vt prægustator ad cyathũ statueretur. Oh me virum esse oportuit, ego scissem vti armis, & regno. Iam pridem ille cæruleus, atq; sacrilegus mendicus haud dubiè sensisset, quid pericli foret, seruo atq; gregario militi aduersus dominũ rebellionem facere, & regem,

ac Imperatorem suum temerè armis lacessere. Idem alij assentatores aulici, perpetuū regum malū inculcabāt. Eandē Chunegundam imperiosiorem, Ottocarum vxoriū fuisse, diplomata ab illa data indicant, in qua nulla mētione viri habita, portoria, & immunitates donat. Vnum ad faciendā fidem subscribere satis est, in quo Osterhofen inferioris Boiariæ templum in tutelam recipit, mandat magistratibus, & publicanis, ne vectigalib. atterant. Caput huius: *Chunegunda dei gratia Boiemiæ regina, ducissa Austriæ, Stiriæ simul, & Charinthiæ, Marchionissa Morauiæ domina Carniolæ, Liburniæ, & Oegræ, ac portus Naonis. Datū apud Chrems 15. Cal. Nouemb.* Ottocarus igitur amore ægrotos, improbos quoq; nactus cōsultores magistros, animum ad deteriorem partē applicat, omnia quæ cum Cæsare egerat, rescindit, nurū abdicat, Vgris prærepta nō reddit. Ladislaum puerū esse, se eius tutorem fore prędicat. Collectoq; variarū gentium exercitu ingenti, Venedorū, Boiemię, Poloniæ, Pomeraniæ, Morauiæ, Saxon. accitis etiā auxiliarib. Boiorū copijs, ab Hainrico cognato suo, quem pecunia, blanditijs, pollicitis in suas partes traxerat, Austriam transdanubianam in Germania magna inuadit, pleraq; oppida vi expugnat, ad deditionem cogit. At Cæsar dum talia fiunt, dimisso exercitu, Viennæ commorabatur, Waldramumq; ciuem Viennensem locupletissimum (qui latrociniis, vastando Iuuauenses sacerdotes, opes conquisierat, ab illisq; deuotus, sed capto mysta rursus expiatus fuerat) cum plerisq; aliis aduersus se conspirantem, opprimit. Auditaque defectione Ottocari, Albertum, Hermannum, Rudolphum filios suos ad se properare cum copijs iubet. Ladislaum quoq; regem Vgrorum euocat. Postea superato Danubio, obuiam conatis Ottocari pergit, propter flumen Marum conueniunt ducum copiæ. Septimo Calend. Septembris fit prælium anceps, equus Rudolphi occisus, ipse prosiluit, pedesq; pugnā, donec à Berchtoldo Capella in alium equū sublatus, redintegrat, acrius deinde instat, vincitq; fortuna Cæsaris, Boiemi terga verterunt. Ottocarus occisus. Vgri cum magna præda domū reuertuntur. Cæsar Morauiam occupat, inde Boiemiam petit. Otto Brandenburgius nepos ex sorore Ottocari, Bruno Iuliomontanus episcopus obuiā cū supplicijs pergunt, veniam adolescenti Wenceslao, simul & sponsam impetrant. Cæsar victricia signa Viennæ intulit, ibiq; annum cōmoratus est. Filium Hartmannum domum redire, filiam se deduci imperat, quam in Boiemiam deducendam curauit. Inde Stiriam, Carnos, Charionas, Venetos, Liburnos lustrat. Vallemq; Anassi exin petit, Hainrico regulo Boiorum, quòd suppetias Boiemis tulerat, bellum indicit, fines eius ingreditur, obuiā armatus, pugnam cum Rudolpho cōserturus Hainricus pergit. Sed si imparem viribus esse vidēs, cedit, internūcio suo filio Ottone, & nuru Catharina, Ludouico fratre Machtylda eius vxore deprecatorib. veniam impetrat, auxilium aduersus Boiemos pollicetur, quos rursus rebelles animos sumpsisse rumor erat, regionem supra Anassum sibi oppigneratam, Valentiam, Linciū, Stiriam, alia huiuscemodi oppida sine sorte reddit. Cæsar Neoburgio, Schardingio, Freystadio, Ried, eaq; Tetrarchia, & finitimis vicis, castellis, quæ ad Lintzium vsq; pertinet, filiam Catharinam dotat, atq; instruit. posteà in Austriam reuertitur. Iisdem diebus Anna vxor Cæsaris fato cōcedit, filius quoq; Hartmānus in Rheno tertio decimo Calendas Ianuarij quatuordecim comitibus submergitur. Leo Reginoburgensis, Petrus Bathauensis episcopus, Conradus vltimus Mosburgensiū regulus moriuntur. Hainricus dux Boius huius opes occupat. Nix sextodecimo Calendas Augusti à Fruxino vsq; Langionas cecidit. Inter hæc Chunegūda vxor Ottocari ad secūdas nuptias transit, Zebiscoq; nubit, Boiemiæq; regnum sibi vendicat. Cæsar igitur accito ex Boiaria Ludouico genero suo, compositis rebus Austriacis, commissisque Alberto filio, cum in Orientali regno quatuor annos, sex menses commoratus fuisset, demum Austria egreditur, Boiemiamq; petit, tumultumq; ob nuptias reginæ concitatum compescit. Inde per Hercyniæ saltus Norinbergam Nariscorum vrbē ad conuentus agendos proficiscitur. Misnenses, Turogos pacat, Rudolphum Habspurgensem patruū suum, Egonem Friburgensem, Eberhardum Wirtenbergensem, qui interim solennem, atq; festam Germaniæ pacem violarant, proscribit, hostes Reip. renunciat, cum illis facinus, & temeritatem partim supplicijs, & precibus amicorum, partim muneribus, & pecunia expiantibus, facilè in gratiam redijt. In hunc contumacius agentem arma cum Ludouico Boiorum rectore mouet, Stutgardiam, Northingiam expugnat, mœnia solo æquat. Eodem fortunæ impetu, Bitolingios, Valthusium, Rhæmosæos inuoluit. Perdomito itaq; Wirtenbergensi, bellum in Burgundiam conuertit. Vesontionē, & Peligardi montem obsidet, Regis occidentalis Franciæ legatis, qui regem suum suppetias laturū Burgundis, nisi ipse hisce quib. excederet, nunciabāt, paucis respondit: Veniat (inquit) rex vester: nos eum hic expectabim⁹, atq; armis excipiem⁹, ipse fatebitur, & sentiet, nos nō saltitādi, restisq: ducēdæ gratia hic sedere. Quā facilè sit stricto leges imponere ferro; re ipsa experietur. Hæc vbi ad regem Celtarum relata sunt, Burgundis auxilium denegauit, eos imperata facere iussit: Burgundia ad obsequium redacta. Cæsar inferiorē Germaniam Rheno cōterminam adire parat. Dū per quinquaginta ferè continentes annos

Osterhofen.

Ottocarus rebellat.

Ladislaus Vngariæ Rex. Pugna apud Niderisbruck transdanubium.

Ottocarus occiditur.

Rudolphus Morauiam occupat.

Anna Augusta moritur.

Zebiscus Bohemus, reginam vxorem ducit.

Respublica discordiæ malis,à totq; subinde principibus conflictata nutat, Agrippinēsis archimysta peculatum fecerat, vectigalia Imperij occuparat, reddere hactenus detrectarat. Fridericus præterea Stuphius, manium eliciendorum gnarus, inferosq; cogendi peritus, vultu Imp. Fridericum 2. referens, se eundem esse prædicat, opes ingentes quas atrati spiritus subministrabant, veteranis ad se confluentibus largiter distribuit. Erat admodum faber ille fallaciarum, comis, atq; affabilis, quos pecunia nō poterat, blanditijs sibi conciliabat. Pleraq; secreta militibus, equitibus, qui sub Friderico meruerāt, geniorum disertorum instinctu memoriter recitabat. Iudæi atq; Christiani, nobiles Rhenani, vulgus promiscuum, ciues, agricolæ (vt sunt rerum nouarū auidi mortalium animi) cōuolant, ille populo cōgiarium, militib. donatiuū elargitur, diuitiæ ope Plutonis, atq; inferorū suppetebāt. Iamq; ille indies magis, atq; magis copijs auctus timeri poterat, & Imperatorum more cōuentus celebres agere primo Nouesij, deinde Agrippinæ cœpit. Cæsar cum exercitu Agrippinensem Coloniam petit: pontificē ad officiū cogit, vectigalia vindicat. Episcopo sibi iniuriam fieri vociferāti, Cedo quosuis (ait) arbitros, te in hac re peccare plura docebo. Interea Fridericus subdititius in Cattorū elabitur regionē, apud Wetzflar se munit. Rudolphus eò castra trāsfert, vrbi minatur excidiū, nisi veneficum dedāt, traditūq; ab oppidanis impietatis condemnat. deinde ad palum ligatum igne concremari iubet. Dum talia in Germania fiunt, Nicolaus tertius Pont. Max. Caieta ortus, cui formidolosa Gallorum potentia, & nimis vicina videbatur, Petrum Arragonū Imp. Friderici secūdi cognatū, Siciliam iure hæreditario armis repetere, Celtisq; auferre præcipit. Confestim omnes Siculi ad eum deficiunt, in Gallos citra omnē rationem ætatis, atq; sexus crudelissimè sæuiunt, hos ad vnum omnes contrucidat, ne fœminis quidē, ac infantib. parcunt. Genitalia viris excindunt, mulieres vterū ferentes exsecant. Hæc ex diplomate Martini quarti Turonensis, qui Nicolao successit, & Gallis amicus, Petrum Siculosq; deuouit, excepi. Petrus nihilominus exactis occidentalib. Frācis, Sicilia potitur. Iisdem diebus Marinus animam efflat, & regno Ecclesiæ Honorius quartus imponitur. Is Germanorum amantior Ioannem Episcopum Tusculanum, flaminem Romanum in Germaniam legatione suscepta proficisci iubet, postulatum, vt Cæsar cum exercitu Romam petat, Augusti cognomen suscipiat, & Campaniam, Apuliam, Calabriā, Siciliā pulsis Gallis, Hispanis, Imperio, atq; Germaniç asserat. Monachi, sacerdotes, fœminæ sacratæ, pontifices maiores, minores, militibus stipendia, nimirum quartas, quinquēnales omniū rerū suarū cōtribuāt. Has ob causas Cæsar, & sacrificus Romanus Wirtzburgij altero & vicesimo die quadragesimæ cœtum ecclesiasticū cogunt. Frequentes monachi, sacerdotes, archimystę, episcopi conuenerūt. Cumq; his in templo considentib. mandata primarij sacerdotis Tusculanus pluribus aperit, speciolis dictis, longis ambagib. psuadere conatur, Agrippinensis legatus surgit, collegis linguis & animo fauentib. intercedit, ad frequentē Christiani orbis Senatum puocat, ex libello iussa sua, licet interturbante atq; obstrepente flamine, recitare cœpit, legere pergēti Tusculan9 nequicquam diras dicit. Nā cæteri omnes monachi, sacerdotes prosiliunt, vno consensu deuouenti obganniunt, clamitant, vociferantur, pstrepitant, Romanensis vim, præsentemq; necem sibi imminere suspicatus, nec se manus horum crudelissimorum Germanumq; furorem euadere malè ominatus quiritatur, fidē, arma, opem Cæsaris implorat. Comites eius actū de domino suo rati, diffugiunt. Magister equitum, armato milite iussu Cæsaris (qui tumultum hunc iam audierat) in ædes sacras irrumpit, Ioannem trepidantē, metum exanimem ad diuersoriū deducit. Probus Franciscanus, episcopus Tullēsis Tubiorum oppido in Sueuia ortus, sacrarum literarum interpres, cuius tum clara facundia atq; pollēs erat, in labro lustrico consistens, huiuscemodi orationē fecit. Quousq; collegæ charissimi, Romulei illi vultures patiētia nostra, ne dicam stultitia abutentur? quousq; eorum flagitia, auaritiam, superbiam, luxum tolerabimus? Non cessabit hoc genus Archisynagogon pessimum, nisi omnes ad egestatem, & seruitutem durissimam redegerit. Discordia nostra hocce malū creuit, discordia nostra ille nebulones tuti sunt. Nec vnquā, quādiu illi salui fuerit, Christianis festā pacē seruare, ab armis feriari, pietatē inter se colere licebit. Nup Saxones, atq; Sueuos inter se cōmiserunt. Deinde diuū Fridericū secundum Reip. Christianæ vtilissimum, Conradū quartū, Sueuos, atq; optimos principes Imperio simul, atq; vita priuarunt. In Germania discordiæ mala, Sathanæ, & antichristi satrapæ seminarunt. Conradum posteà insontissimū, immeritissimum & optimæ indolis adolescentulū, prolem diuorum, iure gentium hæreditatem maiorū repetentē, fraude, dolo interceperūt, ac crudelissimè necarūt. Sueuos atq; Francos Vestriacos inter se armis veluti spectaculum sibi, ac pari componentes, cōmiserunt. Deinde aduersus hos Hispanos concitarunt. Nunc nos aduersus Galliæ, atque Hispaniæ proceres, cognatos nostros, ex Germania quondam profectos, concitare nituntur. In memoria habete, quid antè duodecim annos ille sanè egregius Decimus cum decimis egerit, idem Quartus cùm quartis aget, vt illas Gregorius vigilantissimus à nobis emungeret,

Wetzflar

Pseudofridericus igne concrematur.

Nicolaus 3. S. P.

Petrus Arragonæ rex.

Prouerbium, Sicula vespera. Nam in die Paschæ, ut vespere Galli trucidati sunt in Hispan. Marinus quartus S. P. moritur.

Honorius quartus S. P. fit.

Prob. Franciscanus. Tubingen.

Scythas,

Scythas, Arabes, Turcas in nos armauit. Mentiar nisi hosce (nempe maximũ vectigal) magis saluos, quam nos esse velint. Diui Bernhardi consecranei, quibus tamen, vt amicis illi consultum volebat, millibus aureum nummis sexcentis se redemerũt. Hinc licet existimare, quanti illa conciliabula constent, quantúmve auri corradatur. Fallacia fallaciam trudit, atq; placita huiusmodi argutorum hominum magis more, quam ex bono, atq; æquo, Sathanæ illi lucem simulantes, comminiscũtur, quibus populo tenebras offundunt. Quæ nequaquam Christo Domino deoque nostro cordi esse, exitus & opera, nisi plane cæci simus, probant, euentus docet, sacræ literę cantant. Proinde patres Christo deuotissimi expergiscimini, cõsulite, succurrite rebus perditis, resipiscite, atq; capessite Remp. Maiores nostri immunes Imperij, tamen Romanos armorũ studiosissimos, disciplinæ militaris peritissimos, gentium victores, rerum dominos, orbis terrarum domitores, humano generi, finitimis imperitare permolestè tulerunt, eorumq; Imperium armis soluerunt. Nos pueris, atq; effœminatis (ne quid grauius dicam) æquo animo seruimus. Qui sit ille Tusculanus, non sum nescius. Noui hominis mores, aurifuga est, venalisq; fœnerator, atq; perfidus, vile pecuniæ mancipium. Ego minas eius flocci fecero, Senatumque totius orbis Christiani appello. Hæc vbi Probus dixit, cæteri omnes sententiam eius collaudant, atq; sequuntur. In paucis diebus vniuersi, Tusculano vim formidante, neq; in publicum prodire audente, paulatim dilabuntur. Ita re infecta conciliũ solutum est. Legatus Furstenfeldensium quadraginta argenti vncias expensas retulit.

Sub idem tempus in Boiaria secunda Altaichij, quod inferius vocant, monachi, atq; eorũ magister Volckmarus lethali seditione, vti fit, tumultuantur. Monachi se die noctuque fame, siti, inedia excruciari, peruigilio enecari, cãtus, precularũ strepitu obtundi: Volckmarum verò immunem omnem vitam agitare, genio indulgere, voluptatibus frui, quęcunq; libitum fuerit, facere, atq; imperare causabantur. Horum cognati irrumpunt, apothecas vinarias, cellam penariam effringunt, penum omnem, atq; gazam diripiunt. Volckmarum Histrum traijcientem eminus sagitta interficiunt. Monachi posthæc qui cõscij fuere, ab Hainrico regulo Boiorum exiguntur, sex eorum cognati authores cædis cathenati Strubingam deportantur, biniq; ibidem supplicium luunt, execti, rotæ annexi, in crucem acti, securi percussi sunt. Eadem tempestate Catharina filia Cæsaris, nurus Hainrici Boiariæ secundæ rectoris fato absq; liberis concedit, Albertus frater eius, cui parens Austriam cõmiserat, bellum Boijs sibi finitimis indicit, cuius causam explicare, atq; rem altius repetere, ceu tempus postulat, necesse est. Tempore Imp. Friderici primi vitricus, atq; priuignus pro regno Boiorum disceptarunt, vt id ęqua lance diuideretur. Regio Noricorum, atq; Boiorum (quæ cubat inter Oenum, Anassum, Maticham amnes, quibus terminis Ried arcem, atq; vicum celebrẽ contineri cõstat) auulsa de Boiaria Occidentali, Austriacæ addicta est. Præterea Neoburgũ, Schardingiũ, Varnpach Oeno supra Bathauiam contermina, fuere quondam Pictauiæ regulorũ. Ea lege, atq; iure hæreditario ad Ottocarum Stirium, testamento vero, atq; legato inde ad Austriacos redierunt, tandem dos, & quicquid inde Lintzium protenditur, extitit Ottonis filij Hainrici. Mortua igitur, vt dixi, Catharina, Albertus germanus eius, incertum an iussu parentis, illa repetere cœpit, fretusq; affinitate Ludouici primę Boiarię rectoris, & Rheni, copias cõtrahit: Fridericũ archiepiscopũ Iuuauẽsem sociũ ascitcit, Valeriæq; coeũt, inde versus Ried hostili animo arma mouet. Hainricus Brunduni (vbi cũ Wichardus episcop⁹ Bathauẽsis tridui sumtib. ex fisco principali acceptis Rätzenhofen de integro 12. Cal. Oct. dedicabat) vires colligit, hostib. obuiã acie intenta ꝓgreditur, haud ꝓcul castris Alberti, vim vi ꝓpulsurus Cellæ cõsidet. Inter hæc Otto filius eius Neoburgiũ obsidione claudit, Schardingiũ pr̃sidio firmat, Austriacos vastat. Wichardus episcopus Bathauensis, & Hainric. Rotenecho ex principib. Abusinæ patriæ meæ ort⁹, episcop⁹ Reginoburgensis intercedunt, fœdus faciũt, rem integram ad Ludouicũ fratrẽ Hainrici, sororisq; Alberti maritũ reijciũt. Albertus aduersus Vgros Stiriæ, atq; Austriæ fines vastantes, retrò arma mouet. Fridericus domũ reuersus moritur. Rudolphus magister epistolarum Cæsaris in collegiũ pontificum Iuuauensium cooptatur. Is cum Hainrico Boio societatẽ init, eidem se atq; Iuuauenses sacerdotes ab illius maioribus conditos, atq; collocupletatos in clientelam dicat atq; cõmendat: inde Stiriam petit. Interea Muldorhum incertum causa ne, an fraude cõflagrat, constanti quidẽ fama dissipatur, id dolo Hainrici factum esse. Quamobrem Rudolphus ex Stiria Iuuauiam contendit, inde fines Hainrici inuadit, omnia incendijs complet. Contra Hainricus arma corripit, sua tutatur, episcopum finib⁹ cedere cogit, Muldorfium obsidet, inditionẽq; redigit. Ludouicus frater Hainrici inducias ad Cal. Februarias facit. Vtino tum Otta Thorius præsidebat: is, dum vesperi venatur, & vulpeculam, quam catuli ceperant, atque dilacerabant, seruaturus equo descendit, hocque recalcitrante in ensem vagina elapsum cadit, atque transfossus ventrem interijt, sexto Nonas Octobris, Anno æræ nostræ 1286. Dumque talia in secunda Boiaria geruntur, in prima Vindelicia Monachij anicula quædam infantulum Iudæis vendidit, quem illi deo immolant, punctim acubus cædunt necant, cruorem malluuio excipiunt,

Volckmarus Abbas in Nideraltaich

Catharina filia Cæsaris moritur.

Belli inter Austriacos & Boios causa.

Velß.

Otto filius Hainrici dux Boiorum.

Fridericus moritur. Rudolphus.

Muldorff.

Otto võ Thorpfleger von Otting.

Anus infantem Iudæis vendit. Vulgus in Iudæos sæuit.

quo perlitare credũtur. Eadem venifica alterum infantem subreptura, à patre deprehenditur, accusatur, in vincula conijcitur, quæstionibus admota, facinus cõfitetur, corpus interempti infanis indicat, moxq; pœnas luit. Vulgus viso corpore ita vulneribus cõfosso, sæuire cœpit, concurrit, insanit, non expectata iudicum sententia, Iudæis mortem intentant. Aulici atq; prætores ducis impetum compescere conantur, minas, verbera, frustra ingerunt, consulturiq; Iudæis eos in fanum lapideum, Synagogã nuncupant, cõmigrare iubent. Quò cum Hebræi confugissent, fit acrior tumultus. Populus conuolat ligna, ignem ædi submittunt, faces, sulphur, tædas, & huiuscemodi fomenta, quæ facilè ignem conciperent, subijciunt, die quem nos sextum vocamus, prophani Veneri dicauere, centum & octoginta Iudæos vnà cum templo igne concremant. Nemo prohibere, ne dux, nec aulici, atque prætores potuere, adeò sæuit ignobile vulgus, nulla tempestas tantos ciet fluctus. Templum nunc ibidem Christianorũ extat. Eodem anno Cæsar octauo Calendas Ianuarijs Augustam in confinio Rhetiæ, atq; Vindeliciæ conciliũ procerum conuocat. Albertum Hallusium in classem præfectorũ, quos Graphios, literatores Comites vocant, refert: Boijs, atq; Archimystæ eorum diem dicit. Ibi Hainricus, atq; Ludouicus fratres germani Boiorum legati cum liberis Austriam, Stiriam, Charios, easq; regiones sibi reddi postularunt, quæ quondam maioribus suis ablata fuissent, atq; illi, eadem loca, primum Romanis, deinde Hunnis pulsis atq; excisis, postremò Venedis atq; Vgris perdomitis, suo Marte, & sanguine peperissent, in Germaniã transtulissent, colonias ibi Boiorum, atq; popularium suorũ deduxissent. Cęsar Senatu Imperij cõuocato, refert qd fieri placeat de hisce, puincijs, quas interim precario filio cõmisisset. Tum ex Senatusconsulto, consilijq; decreto, Austriaci, Stirij Alberto, & Rudolpho filijs Cæsaris tradũtur. Chariones, Carni, Liburni, Histri Mænardo Tyrolio cõmittuntur: frustra Ludouico iuniore, filio Ludouici Boij intercedẽte, atq; insalutato Cæsare se domum proripiente. Ludouicus eius genitor, atq; Mænardus Tyrolius, Albertus Austriacus affines, tum fœdus ineunt. Elisabetha vxor Alberti, filia erat Mænardi, neptis ex sorore Ludouici. In eodẽ cõcilio pacis leges Rudolpho archimystæ Salisburgensi, Hainricoq; Boio dicuntur. Muldorffium Iuuauensi episcopo redditum, qui in paucis pòst dieb⁹ moritur. Iuuauenses sacricolæ Stephanum filium Hainrici pontificem legunt. Conradus episcopus Lauentinus, Hainricus Iureperitus à secretis, Romam, vti Pont. Max. author fiat, legantur. Verùm cum legati, quos exploratum vitam, ac mores Stephani in Boiariam proficisci iusserat, eundem paludamento militari amictum, sagittariorum spectaculo præsidentem se offendisse referrent, illum abdicat: Conrado Iuuauiam, Hainrico Lauentinos, nuncijs committit. Ipse Stephanus posteà vxorem duxit, liberos procreauit. Eius parentem Hainricum tum Sueuiam prætorium in confinio vtriusq; Vindeliciæ condidisse reperio. Eodem anno Conradus Nantouinus Romam voti reus profecturus, Wolffratshusium peruenit, ibi quod puerum constuprare nisus fuerit, accusatur. A Ganthero prætore Idus Augusti ad palum ligatus comburitur. Vulgus insontem credidit, Gantherum hominis pecuniæ insidias tetendisse prædicat, templum ibi condit, ꝓ martyre colit, frequens coit supplicatum populus, eundem adhuc accolæ venerantur. Diuum Antuinum vocitant. Cæsaris Rudolphi tũ præfectum prætorio fuisse Bernardũ à Peffenhausen genitum sorore Comitum de Roteneckh, qui tũ decessere. Huic Hainricus, atq; Otto duces Boiorum, venãdi ius (quod nostro æuo Wilhelmus eius gentilis abdicauit) condonarunt. Conradus frater Bernardi Aichstetensis fuit pontifex, plurimum eius templi opes auxit. Eadẽ tẽpestate Ludouicus filius Ludouici, qui Rheno, & Boiariæ præsidebat, Norinbergæ cũ Cratone ab Hohenloe equestri tyrocinio, atq; ludo se exercitans, tactus ab eodẽ hasta iugulo, decimo deinde die expirauit. Princeps miræ frugalitatis atq; continentiæ, parco ac parabili cibo contentus, sexto ac septimo die piscib. vino, cæteris gulæ irritamentis abstinebat. Abstemius sæpius inijt conuiuium, conuiuas operto poculo sibi aquam propinari iubens, fefellit. In templo deuotissimè supplicabat, Malo, inquit, conticere, quàm precularum murmure, quas nullus superũm, ne ego quidem intelligam, diuûm aures obtundere, ad iracundiamq; deum irritare. Vxor eius Lotharingia, mariti cõsuetudine duob. & viginti nõ amplius diebus vsa, tristis ad parentẽ reuertitur. Hainricus quoq; patruus Ludouici Burckusij tertio Nonas Februarij decidit, Landshutam transfertur, in Sælingthal sepelitur, tibi successores eius condi solent. Testamento cauit, ne filijs terras diuidere liceret. Stephanum, atq; Ludouicũ minores natu Ottoni dicto audientes esse statuit, proceresq; Boiorum, hoc ita futurum, fidem dare, sacramentum animam agenti dicere iussit. Post quinq; deinceps menses, diesq; vndecim Imp. Rudolphus, dum filium Albertum successorem declarare studet, re infecta naturæ concedit. In Boiaria tum prædas inuicem agunt agricolæ. In agro Constantiensi mulier leonem peperit. Albertus Austriacus, Adolphus Nassauię regulus Imperium ambiunt, vterque armis disceptare parati. Scythæ Vngariam transdanubianam, vbi quondam Gepidæ, Getæ, Daci consederunt, vsq, Pestum deuastant. Saraceni Ptolemaida, q̃ vrbem

280. Iudæi combusti.

Albertus Baro ab Halsß Comes creatur.

Elisabetha vxor Alberti.

Conradus Episcopus Aichstettensis eligitur anno 1297.

Princeps optimus ex equestri ludo moritur.

Hainricus dux Boiorũ moritur anno 1290.

Rudolph. Ro. Imp. moritur. Prodigium. Albertus dux Austriæ. Ptolomais capitur.

adhuc Christiani in Syria possidebant, obsidione claudunt. Ciues & accolæ frustra ad opem Romani pontificis, principum Europæ cõfugiunt. Nemo suppetias tulit, vrbs expugnata, maximus numerus Christianorum contrucidatus est, nomen Christianum in Syria, Palæstinaq; excisum. Conradus archimystes Salisburgensis, Otto, Ludouicus, & Stephanus fratres, Boiariæ secundæ procuratores, fœdus ineunt. Falckenstain arcem Austriaci in confinio vtriusq; regni, quòd Austriaci crebris incursationibus regionem infestam redderent, eoq; prædas agerent, expugnat. Ibanus quoq; qui & Ioannes, filius Hainrici, tetrarches Vgorum, fines Stiriæ, atq. Austriæ depopulatur. Solet in Germania, quàm diu orbata capite, præfectus prætorito Rheni, Duxq; Boiorum interrex esse, atque Imperij munia obire. *Interrex Imperij qui.* Ludouicus cum huiuscemodi dignitate defungens apud Rhenum diuersabatur, filius eius Rudolphus in Boiaria degebat, atq; vti Augustani, vicini sui, ciues, sacerdotes, episcopus se, atq; parentem suum tanquam interreges reciperent, atque imperata obedienter facerent, postulabat. Id Augustenses detrectant, Hainricum Burgionum præfectum, veterem Boiorum inimicum accersunt, eidem vrbem, templum aduersus Rudolphum commendant. Rudolphus hac iniuria, atq; contumelia lacessitus, proximè fauces, atque propter Lycum in Alpibus arcem ad perdomitandos Augustales extruxit, atq; cõmunit. Ciues erũpunt, munimentũ id obsident, in fuga datis, quos ibi Rudolphus collocarat, diruunt & solo æquant. Rudolphus militibus donatiuum distribuit, atq; Augustam inuadere meditatur. Verùm patrueles eius Otto, Stephanus, & Ludouicus, bellum ei, nisi contentus Palatini Rheni cognomine titulum Boiarię nomine suo adiungere posthac desistat, indicunt. Ille coactus, inducias cum episcopo vsque ad aduentum parentis paciscitur, parentem deinde certiorem facit. Qui vbi hæc accepit, in Boiariam se confert, cuius aduentu territi aduersarij sunt. Nepotibus respondet, principatuum, atq; regionum diuisionem, non tamen dignitatis factam esse. Ideo se vti hactenus illi. & ipse consuerit, vtrumq; honorem vsurpaturum. *Vvolfhardus episcopus Augustanus.* Deinde vltra contra nitentibus nepotibus suis, nam alioqui etiam superior (Alberto Austriaco, Mænardo Tyrolo fœdere iunctus) erat pacem cum Augustanis, atq; Wolfhardo episcopo vrbis confirmat. *Albertus dux Austriæ cognomento Contractus quatuor celebres Cœnobia Sueuorum in Austriam deduxit. Vide Cuspinianũ in Austria sua.* Captiui vtrinq; dimittuntur, ne noua arx iuxta fauces reficiatur, cauetur. Ludouicus interregis munus iure suo perfungi Augustæ permittitur. Otto autem nepoti eius, neq; cum patruo, neq; cum fratre coniugis suę conueniebat, vtriq;, Ludouico ob titulum Alberto propter dotem, quàm præripere conabatur, infestus erat. Verum Ludouico impar viribus, in Albertum, Vgrorum bello impeditum, a suisq; (quòd indigenas flocci faceret, Sueuos aduenas tolleret, hisq; ditissimas quasq; Stiriæ, Austriæ fœminas, posthabitis incolis connubio iungeret) desertum, impetum omnem belli conuertit. Nam & a plerisq; proceribus, nimirum Stubenbergensibus, Haunbergensibus, Phannenbergensibus euocatus, socia arma cum Conrado archiepiscopo Salisburgensi iungit. hique contractis copijs in Stiriam primo arma mouent, Clusam expugnant Hainricus Agunti antistes, Austriæ præses, scribaq; regionis fuga in arcẽ elabitur. Otto & episcopus templum occupant, reperta vini, & casei copia, quinq; ibi, & triginta dies commorantur. Vltrà procedere altitudo niuis (sicuti hisce locis Alpestribus tempestuiæ longiores, atque acriores hyemes esse solent) prohibuit. Albertus cum Andrea rege Vngariæ inducias facit, affinitatem contrahit. Agnetem filiam ei despondet, collectoq; exercitu ad Ottonem, & episcopum infesta acie properat. *Agnes filia Alberti regi Vngariæ nubit.* Sexcentos rusticos cum scopis, palis, cæteris ferramentis, qui viam sibi per niues aperiant, præmittit. Ita de improuiso Ottoni, & Conrado superuenit: illiq; multis amissis terga vertunt. Albertus castra hostium inuadit, atque diripit. *Insbruck igne flagrat.* Per Alpes Stiriæ, atque Noricorum Oenobrigam ad socerum penetrat, oppidumq; sabbatho Paschalium noctu, dubium fraude ne, an casu conflagrat. Albertus inde ad Machtyldam sororem suam Monachium diuertit: post Furstenfeldium, deinde Augustam progreditur. Ibique haud aliter quàm Cæsareæ Maiestatis destinatus successor excipitur, ita futurum plerique principum vltro polliciti fuerant. Inter hæc Otto Boius, Conradus pastor Iuuauensium inuitati à Charionibus, eò castra mouet, sanctum Vitum, geotis caput circumsident: acriter vrbem tutabantur Albertus, & Otto fratres, filij Mænardi Tyrolij, atque Goriciæ reguli. *Albertus & Otto fratres Comites Tyrolij.* Albertus tum perijt. Otto frater eius vrbe capta in vincula coniectus à pontifice Iuuauiam abducitur. Eadem tempestate Nicolaus quartus Pont. Max, Franciscanus, omnes archimystas Germaniæ, quemque cum suis collega in sua prouincia cõcilia habere iubet. *Nicolaus 4. S. P.* Ab hisce rursus consilium simul & auxilium petit, quo Palæstina armis recuperari possit. Primarius Boiorũ sacerdos Iuuauiam sexto Cal. Feb. monachos, atq; sacerdotes suos vocat, maiores, minores cogit ponticulos, mandata pontificis Max. aperit. Vbi illi Romanam auaritiã rursus ad decimas aspirare persentiscunt, paucis ex consilij decreto, rem magnam esse, & se tot extra ordinẽ tributis attritos, & exinanitos respondent, proinde amplius deliberandum, caput Reip. Christianæ prius dandum, Christianos principes in gratiam redigendos, sine horũ authoritate nihil decernendum censent. Eodem consilio Mænardo Tyrolio duas ob causas potissimũ sacris, iussu pontificis Max. interdictũ est. Tridentini episcopi castella oc-

Hainricus Episcopus Tridentinus. cuparat, viq; obtinebat: Hainricum ius pontificium ꝓfitentem episcopum Tridentinū continuis atteruit bellis, cedereq; cōpulit. Hoc mortuo, Nicolaus Pont. R. Fráciſcanus religione, Philippo Mantuano ſui ordinis viro, eundem pontificatum tradit, hocq; inſtigante Mænardus deuotus eſt. Qui ſibi iniuriam fieri à ſanctiſsimis illis patribus vociferatur, edicto publico obnunciat, crimina obiecta ita diluit: Equidé (ita me deus amet) bellū non infero, ſed propulſo, nihil vnquá mihi magis cordi fuit, quá pacem cū quouis hominum, maximè cum epiſcopis conſeruare. niſi boni patres, vt cæteri mortalium, copia rerū corrupti, nobis immeritiſsimis vltrò arma praua libidine dominandi intuliſſent, noſq; terris auitis ſpoliare conati fuiſſent. Arma ſumpſi, caſtella hoſtib. patriæ ademi, quo mihi, ac popularib. ocio frui abſq; armis liceat. Quòd ſi quiſpiam vas atq; præs fuerit, ne metuere perfidiá, & lupos habeam, néue de cætero huiuſcemodi nobis à faſtuoſis illis archiſynagogis (ná paſtorib. dicere religio eſt) cótingant, actutū omnia reddam: aliter nunquá cómittá, vt tá ſtultus videar, vt è manu manubrium mihi eripi patiar, aut memet vltro, atq; meos ludibrio effœminatis Antichriſtis, atq; ꝓdigioſis eunuchis eſſe ſiná. Nemo magis cócordiam Chriſtianam labefactat, non ſacris literis interpretandis, aut ediſcédis, ſed liberis dant operam, liberum amant, diuitias cógregát, regna, gloriá, dominationé auidiſsimè appetunt. Pro hiſce nobiſcum ſanguine ouium decertát, Chriſti paupertaté, comitum eius ſimplicitatem non ſolū non æmulantur, ſed irrident quoque, atq; antiquare conantur. Si Antichriſti nō ſunt, quid aliud obſecro ſunt? Eſt ne iſtud paſcere oues? amare gregem? regna, opes, aliena appetere, pro gloria, dignitate digladiari, ouiculas opprimere, occidere, belligerari, Chriſti præceptum inuertunt, donanti tunicam, & pallium vi auferunt. Quis tam ferreus vt verius dicam, tam ſtolidū pecus fuerit, vt ſuperbiá, faſtum, perfidiam, fraudem, flagitia, ſcelera, luxum, auaritiam nebulonum æquo animo ferat? Peiores Turcis, Sarcenis, Tartaris, Iudæis ſunt, plus his omnis Chriſtianæ ſimplicitati officiunt, libertaté Chriſti ſanguine partam excindere conantur, dominationem arripiunt. Cum noſtri ſerui ſint, ipſi dominari contra ius gentium, aduerſus leges, auſpicia, & oracula diuina, dominos ſibi ſeruire volunt. Scitum eſt vulgi prouerbium, ſacerdotes ſuperſtitionum præſtigijs caliginem oculis offundere mortaliū, & ceremonijs, carminibusq; caſsis, veluti mandragoræ ſoporiferæ poculo mentem mutare, & humanis animis, atq; ſenſib. ſtuporem ꝓpinare. Nunquid paſtor aut oues tódet, aut mulget, nónne nuncius rem domini, atq; eorum, ob quorū vtilitatem mittitur, agere debet? Proinde à ſæuo, & nobis iniquo pontifice, ad æquum paſtoré, pientiſsimūq; patré ꝓuoco. Inter hæc dum illa ad pontificem R. referuntur, ipſe animam efflat. Vrſini tum, atque Columnæ Pontificatum Max. ambiunt, biennio continuo interregnum in imperio eccleſiaſtico fuit. Sub idem tempus, anno Chriſti 1292. Calendis Maij Francofordiæ principes conueniunt, Comitia Cæſarea habét, interim Alberto in ora Rheni præſtolente euentum Comitiorum, Wentzeslaus rex Boiemiæ, Otto, Stephanus, Ludouicus fratres Boiariæ ſecundæ moderatores, Conradus archimyſta Iuuauéſis literis apud Senatum Albertum criminantur, vitia eius, auaritiam, leuitatem, iniquitatem, ſæuitiá etiá in ſuos cómemorant: obteſtantur, ne liberorū ceruicib. talem dominum, atq; bonis rebellandi neceſsitatem imponant. Romanenſes quoq; lupi, qui ouili Chriſtiano abſq; paſtore incubabant, non ſolùm pro lana pecudis, ſed viſceribus quoq; certantes, quod agerent, illic inuenerunt. Columnæ Adolphi, Alberti rebus Vrſi, quibus ille affinitate iūctus erat, ſtudebant. Principes omniū receptis literis, in cótraria ſtudia ambigui ſcindūtur, tandem ſuffragium ineunt. Gerhardus ab Eppenſtain Mogontinus pontifex, qui primas tum deligendi Cæſaris obtinebat, Adolphum cognatum ſuū ſummę rerū deſtinat, ſolo Ludouico Boio, qui Alberto ſuffragabatur, fruſtra refragante cæteri collegę cóſentiunt, in ſententiá Moguntini pedib. vt aiūt, eunt, ne vnus quidem intercedit. Ludouicus id quod neceſſe erat, tandem inuitus cedit, ſenatusq; conſulto ſubſcribit. Contra conatus nepotum ſuorū in Boiariam proficiſcitur. Eius quoq; affinis Albertus Auſtriacꝰ repulſam paſſus, domū reuerſus, Rathſtadium Iuuauenſe municipium duobus menſibus obſidet, oppidanis fortiter ſe tutantibus tum penuria annonæ, tum quòd Otto Boius in auxiliū Rathſtatenſib. properabat, obſidione ſoluta, domū in Auſtriá redit. Porrò Adolphus Cæſar renunciatur. Ipſe, & archiepiſcopus Mogontinus, cæteri collegæ, eodem nauigio Agrippinam Rheno deuehuntur. Cum Furſtenbergio, quòd Ludouico Boio parebat, allabuntur, incolæ nihil minus quàm Cæſarem hic eſſe rati, vt nauigantes appellant, portorium ſoluant, poſtulant. Illi remis incumbunt atq; prætereunt. Furſtébergenſes nauim ſagittis appetunt, quendam in latere Adolphi aſsidentem ſauciát, moxq; cum ingeminatum foret, Cæſarem hic vehi, pauidi iram principis deprecantur, errorem, atq; inſcitiam excuſant, veniam orant. Quam tantum abfuit, vt impetrarent, vt Mogontinus epiſcopus Ludouicum actum furijs coniugis cum fratre eius in necem Cęſaris cóſpiraſſe, mandaſſeq; ſuis, nempe Furſtenbergenſibus, vt eminus ſagittis Adolphum hac nauigantem interficerent, aſſeueraret: & Cæſar, comiteſq; ſuppliciū ſumendum, atq; in parti-

Margin notes: *Papa Antichristi iam antea vocati.* — *Prouerbium in Papas & eorum assectas.* — *Vrsiner vnde Columnenser.* — *Conuentus Principum Francofordia.* — *Gerlacus ab alijs dicitur.* — *Furstenberg arx Palatini.*

parricidam, more maiorum animaduertendum esse decernerent. Quod vbi Ludouicus noster rescìuit, Ottingensem atque Norinbergensem præfectos, purgatum errorem suorũ ad Agrippinensem Coloniam legat. Qui non solum non auditi sunt, sed tres etiam Archimystæ Germaniarum, quæ in Gallia sunt, Palaum Rheni, nimis sibi vicinum animis inuasere, atque inter se partiti sunt. Penes hos tum sacerdotes summa rerum fuit, nomen duntaxat potestatis inane Adolphus ferebat: quamobrem vulgo Rex sacrificulorum dicebatur. Certior de hisce omnibus factus Ludouicus, vrbes, castra in ora Rheni præsidiis firmat, amicos orat, ambit, innocentiam suam prædicat. Epistolas ab his commendaticias ad Cæsarem exorat, cum Alberto Austriaco, vxoris suæ fratre, & Episcopo Argentoratensi, plerisque aliis societatem init, fœdus icit. Hocque facto melius de se sentire, atque excusationem suam hac lege, vt ipse noxios, atque authores facinoris exauthoraret, Adolphum recipere coëgit. Cui deinde Augustæ in celebri Episcoporum, atque principũ conuentu, iurisiurandi religione, istud factum se inconsulto, atque penitus inscio designatum esse satisfacit, polliceturq; paci atque concordiæ sedulò operam nauaturũ. Hanc ob causam dum Cæsar Sueuiam perlustrat, & Kalendis Maij Norinbergæ conuentus agit, Ludouicus cum filio Rudolpho quinquagenalibus Lintzium se confert Principes cognatos, & affines suos Wentzeslaum regem Boiemiæ, Conradum Archiepiscopum Salisburgensem, Albertum Austriacum, Mænardum Tyrolium, Ottonem, Stephanum, Ludouicum nepotes suos, ne venire grauentur, vt de rebus communibus secum colloquantur, orat, atq; exorat. Die itaque constituto cum illi proceres Lintzium conuenissent, summa operam Ludouicus, vt eos in gratiam redigeret, nauat, ambit, orat, obsecrat, minatur, pollicetur, blanditur, irascitur, suadet sed surdis cantabat. Nemo alteri cedere in animum inducebat, ille sibi sua præreptum iri, hic se sua tutaturum vociferabatur. Boius ergo atque Rheni rector, vbi se frustra hoc negocium sumpsisse sentit, discedere parat. Sed per vinculũ sanguinis, quo omnibus deuinctus esset, ab Elisabetha vxore Alberti, nepte sua ex sorore, obsecratus, ne ante abeat, quàm discordes cognatos, & affinitate iunctos reconciliet. Facile exoratus, rursus principes conuocat, atque ita verba facit: vulgo dici solet, vbi pax & concordia sit, Deum habitare: ibi inferos & esse vbi bellum, inuidia, odium, seditio, ira, maledicta, cędes, incendia, pauperum compilationes grassantur. Ministri igitur Opt. Max. Dei, an Stygiæ furiæ esse, vultis? Si non patres patriæ & boni pastores, quid aliud obsecro quàm immanes Tyranni, crudelissimi latrones estis? Nihil aliud profectò regna absque concordiæ bonis sunt, quàm publica gentium latrocinia Ciues optimos, agricolas insontissimos, pauperes, viduas, pupillos miserrimos, propter quos tutandos à Deo Opt. Max. terris rectores dati estis, non solum contemnitis, & non auditis, atq; auaris, iniustis prætoribus, lictorum rapacitati, perfidiæ causidicorum, sacrificulorum auaræ superstitioni, prædæ esse sinitis, sed insuper quotidie nouis tributis bellis atteritis, compilatis. Ipsi interim ocio, voluptatibus, lasciuiæ dediti, luxuria dissoluti, genio, alieno periculo indulgetis. Vt vnus vestiatur, tot egeni spoliandi sunt: vt vnus nepotetur, tot pauperibus fame periclitandum est. Vetus dictum & adhuc in ore omnium crebrum:

Comes ab Oettingen Burckgrafius Norinbergens.

Adolphus der Pfaffen Kunig dictus est vulgo.

Conuentus Noribergæ.

Ludouici Palatini oratio ad principes insignis.

Quicquid delirant reges plectuntur Achiui.

Principes de alieno corio ludere atque periculo agricolarum pugnare solent. Quocirca verissimũ esse planè confirmamus, quod de nobis vulgo dici solet, Aulam nimirum inferos esse, virtutemque, atq; pietatem ab ædibus nostris longè exulare. Vnde Lucanus:

Exeat aula
Qui vult esse pius: Virtus & summa potestas
Non coeunt.

Aula principum quid.
Lucanus.

Cur insontes & inopes luunt vestra scelera? Cur vos non exeditis, quæ intriuistis? Si libet singulari certamine depugnare, quid in miseros istæc faba cuditur? Lictores, prætores, apparitores, & hi qui scriptum faciunt, veluti hirudines exugunt miseros, rapiunt, defraudant, auferunt. Et superat hæc omnia rapacitas sacerdotum, qui sub magna superficie pietatis diuites, inopes compilant, nec præsidij quicquam populo in principibus est. Quæ (malum) vos dementia, quis furor cepit? Sanguine, & affinitate coniunctissimi inuicē sæuitis, in vestra viscera ferrum conuertitis. Hinc prouerbium natum crediderim, potentes potenter tormenta passuros, & insolentem, atque rarissimũ esse ciuem in illa æterna & cælesti patria, qui cæteris dominetur. Ego quidem do fidem sic vobis (nisi caueritis) futurũ. Proinde si quid peccatum, vt homines sumus, si quid inuicem maleficij datum, acceptùmue est, inuicem condonate, atque in gratiam redite. Ego & Hainricus Episcopus Reginoburgensis verus animorum pastor, nulli sacerdotum Dei pietate, & sapientia secundus, arbitri sumus, vniuersis iuxtà æqui, sanguine, affinitate, amicitia cõiuratissimi sumus. Hæc vbi dixit, omnes commoti oratione istac, Ludouicum atque Hainricum Episcopum arbitros capiunt, fidem dant, se decretis illorum staturos. Mox captiui vtrinque dimittuntur, gratiæ superis aguntur, & honor Deo Opt. Max. habetur. Per idem tempus Burgionum limita-

limitaneus præfectus, superstites duobus filiis obiit, Hainricum nepotem ex filio adoptauit,
factus ex obscuro clarissimus. vniuersos finitimos affligendo, monachis amicus, cæteris
Ludouicus Palatinus ægrotare cœpit. inimicus fuit, rarò concors cum Ludouico Boiorum regulo. Istum à Cæsare ad Rhenum
accersitus, vt inter illum, & Albertum Austriacum pacem cōponeret, morbo (re duntaxat
inchoata, necdum confecta) corripitur, genitalia intumuere. Ipse pudore diu languorem
tegit. Deinde perfricata fronte, sero tamen, medicos consulit. Vbi desperauit salutem,
annulum pronubum vxori, quæ in Boiaria degebat, mittit, eam viuere atque valere, & cō-
iugij memoré esse iubet. Testamento cauet, ne hæredes extra ordinē tributis monachos,
mystas onerent. Migrauit ex hac vita Haydelbergæ, in eodem cubiculo, in quo natus,
Kalend. Februarij, Anno Christianæ salutis M. CCXCIV. vitæ quinto ac sexagesimo,
potestatis quadragesimo super menses duos. Corpus translatum Furstenfeldium, sepul-
Ludouici Palatini elogiū tum in conditorio Annæ coniugis, Ludouici filij, cæterorum liberorum. Pridie Idus Fe-
bruarij iusta funeri persoluere omnes Boiariæ præsules, & Episcopi, Hainricus Regino-
burgensis, Emicho Fruxinensis, Reynbotho Aichstetēsis. Duos filios Rudolphum viginti
natum annos, Ludouicum septem, & duas filias Machtyldam Lunenburgensem, Agnetē
Cattam reliquit. Eximia forma atque statura fuit, in adolescentia effusè liberalis, in sene-
ctute ad rem paulo auidior. Laudis auarus, pacis studiosus fuit. In templo exemplar pie-
tatis singularis extitit, in cibo modestiam Christianam præstitit, vbi ferè supra modū im-
modesti esse solemus. Auxit multum Boiorum opes. pleraq; Sueuiæ oppida Schongiam,
Laugingē, Hochster, & alia multa castella, atque plures vicos in Boiariam transtulit. Te-
trarchias quasdam Boiorum Roteneck, Weiarn, Falckenstain, Hartmersperg, Neoburgiū
ipse, Mosburgium frater eius Hainricus infiscauit. Hæcque nunc ordine explicare operæ
Roteneck. precium duximus. Roteneck adhuc castellum est, viginti millia passuum supra patriam
meam inter Ilmum, atque Apsum amnes in superiore Vindelicia cubat, Lamij possident.
Dynastæ paternam originem ab Abusinæ patriæ meæ tetrarchis ducunt. Raræ, cuius cu-
Die von Laiming. ratores fuerunt, humani sunt, quos hic prætereo, infrà dum patriæ meæ dynastas retulero,
Ror monasterium. illorum progeniem explicabo. Vltimus fuisse fertur Hainricus Episcopus Reginoburgē-
sis, is anno Christi 1227. vendit patrimonium Ludouico Duci Boiorum. Cantandi morē,
Hainricus à Roteneck episc. Ratisp. quo hactenus vsi sacrificuli Reginoburgenses, in artem redegit, accitis ex Hailbrunna eius
artis peritissimis monachis. Extat musica illi dedicata, atque scripta. Naturæ concessit
anno ab restituta salute 1292. Pontificatus vndeuicesimo. Neoburgium, Hartmersperg,
Falckenstain, Weiarn, Antorff, Harnstain, superioris Boiariæ castella, sub Alpibus Noricis,
atque Peninis, inter Oënum, Azalum, Isaram amnes, Antiburt in ora Noricorum cubat.
Weiarn in collegium mystarum D. Aurelij commutatum est: Magualda amne alluitur.
Haud inde procul Neoburgium semidirutum Meichslrani, Hartmersperg Pintzenaueri,
Falckenstain Hoferus possidet. Horum reguli pleraq; etiam in Austria, & præfecturā Ty-
rolensi possedere. Curatores Chimees, Iuuauensis templi, Vinariæ, & Ayblīng ac Aur-
dorff extitere. Vltimus fuit Sigbotho quintus, is pridie nonas Octobris anno ab orbe ser-
uato 1272. in balneo publico Neoburgij ab Ottone Brandēburgio ferro occiditur. Huius
vxor Irmingarda, pater Sigbotho quartus ab Ottone regulo Boiorum Burkhusium captí-
uus abductus. Patruus Chuno, auus Sigbotho tertius. Auia Hyltgardis, filia Chunonis
Medulli fuere. Tertij parentes Sigbotho secundus & Luitgardis, soror Friderun..., fratres
Rupertus præsul Tigurinus, Chuno secundus Episcop. Reginoburgensis. Hic obiit anno
Christi 1185. dignitatis vndeuicesimo, ille quinto anno. Horum amitam Gertrudim, pa-
truos magnos Hyldescalcum Tigurinum præsulem, Herrandum Antburitum, auum Sig-
bothonem primum, auiam Adelhaidim fuisse reperio. Herrandus relicto filio Sigbotho-
VVeiarn. ne Hierosolyma cum Welphone Duce Boiorū profectus est, Sigbotho primus Vinariam
collegium flaminibus Aurelianis instituit, anno ab orbe vindicato 1133. Proauum huius
Bathonem, auum Herrandum, patruum Wolfgerum, genitorem Rudolphum, genitricem
Mosburgēsis Comitatus. Gertrudim filiam Sigbothonis, neptem Geroldi esse in fastos Vinariæ relatum est. Mos-
burgium, vrbs est in confinio Vindeliciæ secundę ac primæ, medio itinere inter Landhu-
tum, & Fruxinum, distat ab vtraque vrbe ad decimum lapidem supra confluentes Am-
bronis, & Senonis, qui haud procul diuersis oris Isaræ confunduntur. Collegium ibi po-
D. Castulus. pularium mystarum extat: Diuo Castulo insigne, quem à Rhænobothone, atque Albino,
Ludouico nepote Caroli Magni rege Boiorum Roma translatum referunt. Vulgus anti-
quissimam Boiorum vrbem esse autumat: tetrarchas quibus paruit, enumerare haud alie-
num fuerit. Primus quem ego quidem inueni, Helmberthus fuit tempore Imper. Con-
Berchtoldus Episc. Salisburg circa annū Domini 1085. radi secundi, atque Hainrici tertij. Huius filij Berchtoldus archimysta Iuuauensis, Re-
nardus, & Burckhardus primus. Hic Burckhardum secundum, secundus ex Gertrude
Burckardum tertium atque Albertum progenuit. Tertio. & Benedicta Conradi de Rain
filia, Conradus primus, primo Conradus secundus, Hainricus, & Berchtoldus de Glain
orti. Conradus secundus ex Benedicta Albertum secundum, Conradum tertium susce-
pit. Ab hoc & Heduica est Conradus vltimus, qui absque liberis ex hac vita migrauit,

anno

anno ab humana gente liberata M. CCLXXXI. Possedere vineas in valle Athesina. Mosburgium Hainricus Boiariæ secundæ rector,& Nariscorum regulus infiscauit. Dumq; ie hic,& eius frater Boiariæ ducatum administraut, quatuordecim templa atque monasteria condita esse reperio. Ego hæc ordine recensebo. Reginoburgij Augustinianis mendicis in ponte Iudęorum ædes dedicata est. Sacrificulus ad ægrotum festinans eo in lutum sacram hostiam abiecerat. Conradus Hyldebrant, Vlricus Brunleitus architecti fuerunt, anno ab orbe seruato M. CCLV. Eiusdem vrbis Archidiaconus (siue vt alij aiunt Chorepiscopus) Semannus Semanshusium in inferiore Boiaria, in pago Rhodani, iisdem Augustinianis contubernium erexit. Quo tempore nempe anno Christi M. CC. LXXIII. XV. Kalend. Aprilis Augustum Reginoburgensium templum cum prætorio pontificali conflagrauit, adeò vt tintinabula soluta fuerint. Tertiodecimo deinceps anno fœminæ sacratæ, quæ Mariæ Magdalenæ fanum incolebant,& Bussariæ, hoc est resipiscentes vocabantur, suasu Franciscanorũ à Maria ad Claram defecerunt, à qua templum cognomentum nunc retinet. Hæc Reginoburgij tum facta lego. In superiore Boiaria Ludouicus Boiorum rector Andechisij ædem, quæ cum arce ante quinquaginta annos diruta erat, refecit. In ripa Ambronis, inter Augustam Rhetiarum, & Monachium templum Diui Bernardi consecraneis extruxit, Furstenfeld, hoc est principis campum nuncupant, Monachi acciti ab Allerspach ex secunda Vindelicia anno æræ nostræ M. CC. LXXV. quo anno & Angilostadium religionem mendicantem Franciscanorum recepit,& eosdem deinde post annum octauum Monachij quoque in eo templo, vbi nunc eius ritus Virgines sacricolæ habitant,& Anger vocatur, collocauit. Itidem Hainricus frater eius anno æræ nostræ M. CCLXXI. Dominicanos,& nono deinceps anno Franciscanos Landshutæ recepit. Hartuicus quoque à sacris Hainrico & Ottoni patri eius mysta Bathauensis,& Ludi literarij magister in inferiore Boiaria inter Oenum,& Vilsum amnes, Cellam sacris Cistercienſib. auspicatur anno ab humano genere ab inferis vindicato 1174. cumque impendiis non sufficeret, Hainricus Dux Boiorum perficit, atque bene ominato nomine Furstocellam, quod principis cellam valet, nuncupauit, confirmauitque sequenti anno Kalend. Februarij Burckhusij interfuere Vlricus Abulinus, Gebhardus Artenbergensis Bernhardus Leobergensis. Eodem in tractu deinceps Septembri Bernhardus, & Fridericus Barengarij templum seruatori, Saluator vocatur, condunt. D. Nordperti sacris initiarunt, mystas ex Osterhofen accersunt. Bernardus Grisopagus Episcopus Bathauensis fit author & dedicat. Pholia in secunda Boiaria adhuc prætoriolum est, in ora Germaniæ, inter montem Bogum, Danubio imminentem & Metenam riuum, atque templum D. Benedicti, huius dynastæ Hainricus & Machtylda coniuges, in Boiaria, quæ in Hercynio saltu, vbi ad Boiemiam pertinet, cubat, D. Bernardo ædem Droschlach condunt, sacrificulos ex Allerspach euocant, qui iubente duce Hainrico Rumasfeld arcem solo æquant, illaque diruta, lapides Droschlachium vecti, ædes inde constructa, Hainricus Episcopus Reginoburgensis dicat,& Gotscellam, id est, Dei cognominat, anno seruatoris 1286. Post annum octauum Otto, Ludouicus, Stephanus fratres reguli Boiorum authores facti sunt Rumasfeld vicum Allerspachensibus vendidere, ab his Michael antistes Gotscellæ demũ post annos ducentos, atque nouem emit. Gaicofium quoque eadem tempestate, nempe anno 1278. in inferiore Boiaria, inter Isaram, atque Oenum Bernardus Leoburgensis condonat sacratis Teutonum equitibus, vbi quinto deinceps anno obiit, atq; sepultus est cum duobus filiis Hainrico & Bernardo. Illius frater Berengarius infra Landshutam Vichpachium in monte Isaræ imminente, Venatorium tugurium in templum commutat, XII. Virginibus Augustalibus tradit. Augustinianis Reginoburgensibus dedicat. Ibi eius sepulchrum ostenditur, obiit tertio decimo post fratrem anno, Hainricus regulus Boiorum duodeuiginti addidit puellas. Porrò funerato Ludouico tertio regulo Boiorum, præfecto prætorio Rheni, Rudolphus filius terras cum matre (quæ tutelam fiduciariam Ludouici filij nondum regno maturi exclusis cæteris suscepit) diuidit: Lengfeld, Riettenburg, Neustat, Vogburg, Ingolstat, Neuburg, Aicha, Landsperg, Pal, Hochster, & Sueuiæ reliquæ vrbes, præter Werdeam traduntur Machtyldæ, reliqua Rudolphus possedit. Vbi itaque inter vtrunque superior Boiaria diuisa est, ambo in media Quadragesima cum pleraque nobilitate Vlmam ad Cæsarem euocati concessere. Actum de concordiæ bonis, atque pacis artibus confirmandis. Filia Adolphi Rudolpho despondetur, qui diutiuscule has nuptias cum matre (quod eas cordi non esse auunculo intelligebat, & sibi destinata filia reguli Brandeburgensis foret) aspernatus est. Amicis tamen pertinacius repudiare hanc vrgentibus, atque subinde obtundentibus, isthæc ob concordiam fieri licere, cessit, & annuit. Sponsalibusque ritè factis, Rudolphus & Machtylda domum reuertuntur: ille Monachium se contulit, hæc Angilostadium, vbi toto vere, totaque æstate, vsque Kalen. Octobris habitauit. Tum Norinbergam se cum filio confert. Vbi coniuge Cæsaris conniuente, nuptiæ magnificè regio luxu apparantur, Machtyldaque filia Adolphi connubio Rudolpho iungitur. In Italia eodem anno Petrus Moroneus ex consecraneis D. Benedicti

Furstenfeld.

Monachi Franciscanorum Ingolstadij.

Cella.

Furstozell.

Bernard. de Praunpach Episcopus Bathauens.

Donavverd.

Machtylda filia Adolphi Cæsaris nubit.

Petrus Moronius S.P. Celestinus 5. dictus est.

dicti tertio Nonas Iulias Pontif. Maxim. legitur, Celestinus quintus nuncupatur. Is Mænardum Tyrolium ab aliis deuotum resoluit. Dum inuitis Romanensibus asello vehitur, paupertatem Christi æmulari conatur, infestos sibi sentit flamines. Quamobrem lege lata, atque promulgata, qua liceret Pontifici Romano se abdicare, sexto mense relicto regno ecclesiastico, ad priuatam redit vitam, successit nono Calend. Ianuarij Bonifacius ille octauus. Qui inducto priore decreto, pontificatu maximo abire nefas esse statuit inexpiabile. In hunc conuicia, maledicta, probraque obscœna, crimina nefanda congessere Philippus Galliæ Rex, & mendicantes monachi, quibus Octauus aduersabatur. Ea referre, ne procacitatis, atque petulantiæ vitio obnoxius esse videar, mihi religio est.

Hermannus æditus Franciscanus.

Hermannus æditus Franciscanus proximus horum temporum scriptor, qui æmulus Martini, principes Romanos, Imperatores, Pontifices sub Imperatore Carolo quarto persecutus est, curiosius cuncta recitat, ad hunc relego curiosum. Atque Bonifacius ille primus Auream portam (vti vocant nostri) aperuit, seculares ludos fecit, auream ætatem reducem instituit.

Adolphus cum Rudolpho Misniã petit.

In Germania Adolphus cum genero Rudolpho Misniam petit, hisque superatis, atque ad obsequium redactis, Rudolphus accepto commeatu, cum genitrice in Austriam ad auunculum se confert, tertio Idus Martij, quæ erat media Quadragesima, Viennæque commoratur duos menses, ad quartum Idus Maij. Interea Cæsar acturus cum genero de dote, & pacis conditionibus Boiariam petit, Reginoburgij conuentus agit. Vbi ciues nouis, atque extimis mœnibus, veteribus adiunctis, vrbem cingere, propugnacula erigere parat, & sacrificulos, vt communem patriam communibus expensis communiant, cogit. Hainricus Episcopus ciues ad Cæsarem in ius ducit, ecclesiasticam libertatem violatam esse vociferatur, vt Imperatoris Friderici secundi lex, qua sacerdotes huiuscemodi seruitute immunes sunt, recitetur, postulat. Non abnuit Cæsar. Edictum Friderici Augusti non solum Hainricum Brixinensem Episcopum ciuibus legere præcipit, atque de integro comprobat, sed secundum sacerdotes quoque iudicat. Interfuere Otto, Ludouicus, Stephanus fratres. Rudolphus ad socerum vocatus, ab auunculo detentus, venire detrectauit.

Cæsar Misniam rursus petit. Nix insolita. Terræ motus Fames in Boiaria.

Quamobrem Cæsar genero iniquior, rursus Misniam petit. Hocque anno tertio nonas Aprilis, quo die tum Paschalia erant, nix alta terras operuit, grandines insolitæ attriuere fruges. Et deinde pridie nonas Septembris tellus intremuit. In alpibus Rheticis, quindecim castella, arces euersæ, fames Boios afflixit. Subsequenti anno qui ab orbe asserto 1296. è medio abierunt hi proceres: Ludouicus 4. Dux inferioris Boiariæ, frater Ottonis atq; Stephani, cœlebs, & absq; liberis decessit: Hainricus Reginoburgensis Episc. ex tetrarchis Abusinæ patriæ meæ oriundus: Mænardus Tyroliorũ, Charionumq; rector, sapientia singulari præditus, pacisq; studiosus, à Cælestino absolutus, à Bonifacio Ro. Pont. condẽnatus, Stamis sepultus est. At Adolphus subacta Misnia 8. Cal. Iulij concilium cogit, in quo Rudolphus regulus Boiorum apparet. Cæterùm Ludouicus, Otto, Hainricus fratres, Mænardi Athesinorũ, Charionum, Noricorũ rectoris filij, quòd ad conspectũ Cæsaris venire grauabantur, in eius verba more maiorũ iurare aspernabantur, deniq; sacris interdicti vltra annũ fuissent.

Ludouicus 4 moritur. Mænardus.

Quod præterea Rudolphũ Ratenburgium vrbem Boiorum in ora Norici Oëno conterminam (quam Ludouicus pater Rudolphi Mænardo parenti illorũ, millib. vnciarũ argenti quatuor, ac viginti oppignerarat) licet accepta pecunia, contra parentis testamentũ reddere recusabant, crimine læsæ maiestatis cõdẽnantur, exauthorantur, in ordinemq; rediguntur. Cæsar ad eos literas dat, quibus sententiam principũ renunciat, nobiles à Tyrolio appellat, nec ducis cognomen nominib. eorũ, vti mos est, ascribit.

Stams Monasterium Tyrollense.

Eius iussu gener Rudolphus, Boiorũ atq; Rheni præses, cæteris bellis cõpositis illis bellũ indicit. Duæ tum arces in Alpib. quas Cattenbergiũ, & Trastbergium vocant, extruuntur, & contuberniũ monachorũ, quod Damasianos dynastas, accito Merino ex Wellesprunna magistro, condidisse suprà in lib. 5. in monte Matrona, D. Petro dicatum, exciditur. monachi in exiliũ aguntur. Conradus ab Hornstain eiusdẽ religionis Bardus, sacra, librũ ritualem, quę adhuc mõstrantur, secũ abstulit. Dumq; Rudolphus Noricũ inuadere parat, induciæ, quas cũ Augustanis Rhetiæ fecerat, exeunt. Armorũ igitur curam à Noricis in Rhetos cõuertit.

Otto Crondorffer Rudolphi quæstor.

Erat apud Rudolphũ præter cæteros maximæ authoritatis Otto Crondorffer, is obscuris atq; humilib. crepũdiis natus, in aulamq; delatus, obsequiũ accuratè præstando, sedulò obtemperando, modestè parendo, mandata gnauiter exequendo, breui principib. charus factus est, per gradusq; paulatim dignitatis quosq; ascendendo, tandẽ ad vicariam operã, maximũ secundũ principem honorem euectus est. Fretus ergo authoritate, qua apud Rudolphum valebat, nimiũ sibi indulgere, petulantius de matre, filio loqui, discordię malũ inter eos serere cœpit.

Cœpit.

Hanc ob causam grauiter vtriusq; animũ cõmouit, vtriusq; irã sensit. vterq; in eum exempla edidit. Nẽpe captus à Rudolpho in vincula conijcitur, quęstionib. admouetur. Posteà apud Dichavv eidẽ 7. Cal. Maij oculi eruuntur, lingua nimis procax amputatur.

Wolfhardus nobilis Rod. Episcop. Aug.

Iisdẽ dieb. Wolfhardus Episc. Augustæ Rhetiæ castellũ in monte Kaltenberg à Rudolpho ante quatuor annos viuente adhuc patre extructũ, diruit, ac solo æquat, induciasq; petere à Rudolpho dedignatur. Conradus ab Haldẽberg iussu Rudolphi Mergethamiam

noctu

noctu clanculum adoritur, cuniculisq; ac via facta ferramentis à quodam huiusce rei perito per vepres ac fruticeta irrumpit, atq; occupat. Quod vbi Augustæ postridie fama diuulgatum est, ciues recuperaturi castellũ, prouolant: sed fortiter à Boiis, qui in præsidio erant, repulsi, re infecta domos abire coguntur. Rudolphus posteaquam ciues præter spem pacẽ exuisse, seq; armis lacessitũ certior factus est, copias vndiq; contrahit, eæq; dicto citius apud Dachavv conueniunt. Et cum Dux impensis non sufficeret, tẽpla, casas, ædes effringunt, agros deprædantur, ditiores spoliant, frumentũ, pabulum quicquid esui foret, amicis iuxtà atq; inimicis eripiunt. Idem qui in castello præsidebant, factitant. Cæsar vbi hoc accepit, partes ab armis discedere iubet, ad seq; in ius ambulare præcipit. Quo cum illi conuenissent, inducias ad Idus Nouẽb. indicit, Rudolphũ secũ Cattos abducit, vbi filij maiores natu parenti, quod is minores natu impare matrimonio prognatos, illis dignitate coæquare conaretur, rebellabant. Erat Hainricus maximus natu, sororẽ Rudolphi vxorem habebat. Quapropter opera Rudolphi tanquam affinis pax facta. Is vbi in Boiariam reuersus est, 7. Idus Octob. Mergethamiam, vnde sibi ac Boiis multũ maleficij, atq; detrimenti iniunctum erat, dirui iubet. Id Augustenses permolestè quidẽ ferunt, pactas inducias temerè violare tamen nefas ducũt. Quæ posteaquam finitæ sunt, Hainricus Burgionũ limitis præfectus, atq; illi de Zorn accitis in commilitium ciuibus, iussu Episc. qui senectute grauatus bellicis turbis, militaribusq; laborib. adesse nequibat, Oberthalam, quam Rudolph. nuper emerat, occultè intẽpesta nocte accedunt, copias occulunt, insidiasq; ponunt: Chimergerũ virum rerũ bellicarum peritissimũ (cui castellũ Boiorum dynasta cõmiserat) prima luce prodeũtem, nil mali suspicantẽ circumueniunt, capiũt, moxq; Oberthalam, ab illis qui intus sine capite erant, traditã euertunt, atq; solo æquant.

Oberthala solo æquatur.

Rudolpho vbi hæc nũciata sunt, vires vndecunq; cõparat, delectus agit, Boios conuocat, auxiliaq; ab Ottone, & Stephano patruelib. suis, qui secundę Boiarię principatũ obtinebãt, accersit. ipse Stephanus suppetias tulit. Inter hęc Augustani atq; illi de Zorn coniunctis virib. hostili animo Vindeliciæ fines intrant. Fridbergum proximũ oppidũ (quod ab Augusta Rhetiæ ad quintũ duntaxat lapidem in Vindelicorũ ripa abest) obsident. Et cum id expugnare non possent, omnib. iuxtà incẽdio completis, ingenti abacta pecorũ præda, Augustam reuertuntur. Boij quoq; in Sueuia, atq; ora Lyci quicquid ciuium, atq; Episc. erat, vastant, depopulantur. prędas itidẽ abigũt, villas exurunt, tẽpla diripiunt, sacerdotes spoliant. Auxiliares, dũ hæc fiunt, copiæ quoq; turmę, atq; cohortes Boiorũ coëunt, Decẽbriq; in Rhetos omnem impetũ belli cõuersuri Kussingã intẽto, infestoq; exercitu contendũt. At Cęsar vbi hęc audiuit, legatos cũ mandatis mittit, inducias ad Kal. Ianuarias edicit, se auxilio fore ciuib. nisi Boij ab armis discedant, ac mãdatis pareant, cõminatur. Rudolphus itaq; ac Stephanus Boiariæ procuratores territi potentia Adolphi, atq; maiestate, & nomine Cęsaris, hasce pacis cõditiones inuiti amplectũtur, domosq; abeunt: Stephan. Landshutam, Rodolph. Rheno conterminas regiones petit. Interea Ianuar. induciarũq; finis appetebat. Augustani nacti opportunitatẽ, absente regulo 16. Kal. Febr. Pyd oppidũ Conradi à Wildenrhod de improuiso inuadũt, diripiunt, exurũt.

Pyd.

Illi de Wildenrhod id dolo Rorbeckiorũ, veterum inimicorũ factum suspicati, par pari referre conantur, suppliciũ de Rorbeckiis sumere moliuntur. Indies magis atq; magis inter illos odiũ clandestinũ, simultasq; gliscit, & velut ignis cinere doloso tectus clam serpit, tãdẽ demũq; erupit. Quippe Cõradus ab Haldenberg, illorũ de Wildenrhod patruelis, cõmunicato cõsilio cum Engelscalco à Wildenrhod, Weinhardũ Rorbeckiũ Landspergæ, iuxta Conradũ à Wildenrhod, cęterosq; patres consultos (qui frequentes eò vt de bello Augustanis indicendo consultarent, conuenerant) consistentẽ de improuiso armatis comitib. adoritur, confossumq; multis vulnerib. contrucidat, & euadit.

Weinhard Rorbeck. confoditur.

Fratres occisi Hermann. & Engelscalcus, opẽ, atq; fidẽ Rudolphi ducis, qui iam ab Rheni ora, accepto tam atroci facto in Boiariã aduentarat, implorant, homicidij percussores postulant, lęsæ Maiestatis accersunt, sanguinolenta cęsi vestimenta ostendũt, alia pleraq; omnia aurib. Principũ, amicorumq; ad miserationẽ & inuidiam cædis accõmodata obtundunt. Dux tam crudeli facinore exacerbatus, licet illi de Wildenrhod peculiares amici erant, tamen vltorẽ se fore, vti æquitas postularet, pollicetur, illosq; Monachij causam dicere iubet. Huicq; cognitioni deditus atque intentus, accito Stephano patruele suo, & Emichione Episc. Fruxinẽse pręsedit. Rorbeckhij omnes cum gentilib. & omniũ amicorũ cohorte adsunt, cruentã occisi vestẽ exhibent iudicem in officium inuocant, vt in commune consultant, ne tantum scelus inultũ, atq; impunè abire sinant, neue cum malis ignoscant, bonos perditum eant, admonent, pro æquitate efflagitant. Mansuetudinem atq; misericordiam intempestiuam plerũq; in miseriam conuerti proponunt, pœnas à sæuissimis latronib. homicidij exigunt. Cõradus à Wildenrhod quamuis conscium facinoris se pernegaret, tamen multitudine Rorbeckhiorũ territus nõ apparet. Eius gentiles antea in Italiã aufugerant, Veronæ stipendia faciebant. Cum ergo nemo Wildenrodorũ aut qui eisdẽ patrociniũ exhiberet, pręsto esset, sententia principũ scribuntur, bona eorũ publicantur. Cõradus fretus innocẽtia (vt pręducabat) sua, in munitissimis arcib. se cõtinet, vimq; potius sustinere, quàm sæuitiæ inimicorũ, ludibrioq; obnoxius

esse parat. Amici eius Rudolphũ, purpuratos orant, ambiunt, concilium Boiorũ, vbi se de cæde ille purget, impetrant. Die cõstituto adest Conradus, causaq; à Boiis cognita, ære atq; exilio cędem innocentis luere iubetur.

Kaltenberg. Lechsperg.

Regulo Boiorũ Kantelbergiũ, duas atq; viginti libras annuũ vectigal, Lechsperg, quod pignoris titulo possidebat, sorte perdita, itidem duci reddit. Hocq; pactũ tabulis & vadibus, & prædib. sancitur. Hæc vbi transacta sunt, Córadus in exiliũ proficiscitur.

Conradus exul.

Nihilosecius tamen clientes eius, qui domi remanserant, à prætoribus, & magistratibus Boiorũ gratificaturis Rorbeckiis, grauiter opprimuntur, adeò, vt pars aufugere, pleriq; in vrbes cómigrare, ciuitaté emere coacti fuerint. Atq; Rorbeckij nódum expiato odio, Reichershofiũ duci tribuunt, ab eo Kaltenbergiũ recipiunt, ré dubiam, impeditam pro certa amplectuntur.

Reichershofen.

Ita lethali odio hallucinantur mortales pleriq;, nihil pensi habent, & cũ maximo incómodo cibũ ex flamma petunt, dũmodo animo moré gerant suo, & aliis incómodent magis, quàm sibi obsequantur, aut suis rebus consulant. Dum hæc in superiore Boiaria fiunt, eadẽ tempestate Otto, atq; Stephanus, secũdę Boiariæ rectores, Reginoburgiũ, quæ sedes quondá nostrorũ principũ fuit, repetunt. Ciues fame, penuariaq; penus ad deditioné cogere nitũtur, publica vetant edicte, ne quispiam annoná eò deuehat. Reginoburgenses defectu commeatus adacti, de improuiso erumpunt, Abudiacum proximũ vicum inuadunt, diripiunt, cóburunt. Principes copiis contractis vrbẽ obsidione claudere nituntur.

Conradus de Luppurg, Episc. Regin.

Conradus de Luppurg Pont. Reginoburgensiũ, quem prudentissimum, pacisq; amanté fuisse reperio, intercedit, pacé componit. Ciues libertatem, atq; fœdus pecunia à regulis redimunt. Cæterùm portoria, salis vectigal. ius gladij, iurisdictioné, seruituté, cætera beneficia (quæ demũ parens nostrorũ principũ, me puero, ciuib. pacto cócessit) item ciuitaté suburbanam duces Boij more maiorũ retinent. Et dum talia in Boiaria geruntur, & Adolphus Cæsar expeditioné in Franciam Occidentalé, ob Arelatense regnũ, aliaq; Ro. Imp. prærepta, meditatur (Flandros tũ Rex Gallus vastabat) Wentzeslaus

Praga.

Boiemiæ Rex Quinquagenalib. nuptias Pragæ (quæ quondá Marobodũ vocata, regia Marobodi, atq; caput Sueuorũ fuit) nuptias facit, cónubio sibi iungit, Gutham, sororé Alberti Austriaci.

Gerhardus Comes Syluester de Eppenstein Archiepiscopus Mogunt. Bulco Polonus.

Gerhardus ab Eppéstein archimystes Mogontin. ex veteri more auspex fuit, cóiugesq; inaugurauit, diademate capita eorũ circũdedit. Interfuere Bulco Polonus Alber. Austriac. rector Saxonię, Otto Brandenburgensis affinitate Boiemo astricti. Hiq; omnes res nouas moliuntur, aduersus Adolphũ conspirationé ineunt, rerũ summá Alberto destinant, dié & comitia Cęsarea Egram edicunt, vbi Adolphũ fastigio deturbare, Albertũ reb. imponere cóstituunt Author huiusce facinoris Mogontinus Pont. qui pollicitationibus, nempe mille Marcis argenti quinquies, hoc est vnciolarũ millib. quadraginta ab Alberto, qué antè spreuerat, inescatus, isthęc machinari cœpit. Quod vbi Cęsar resciuit, Mogontino bellũ

Alsatia portio Heluetia fuit.

indicit, eundẽ Cęsaris F. Rupertus obsidione claudit. At Adolphus in Alsatiam (quę quódam portio Heluetiorũ, sicut Cęsar, Strabo, Ptolomęus, Tacitus describunt, fuit) arma mouet. Vbi ob rapacitaté pręsidũ, quos incolis imposuerat, Argentoratensis Pont. alij pleriq; Alberto fauentes defecerant. Soli, Rudolphus, socero quàm auunculo amicior Otto, Alberto ob doté interceptam infestus, reguli Boiorum Cæsares tutabantur partes. Inter hęc Boiemus, atq; Austriacus, Cadi (vrbs est Boiemiæ) frustra conueniunt, quod Mogontinus caput coniurationis (vti dixi) obsidione clausus adesse nequibat, re infecta dilabuntur. Cæterùm Adolphus amicos Austriaci atterit, maximè Hægerlochũ auunculũ Alberti hostili animo inuadit, agros vastat, oppida excindit.

Reynbotho Episc. moritur. Conradus à Peffenhausen Episcop. eligitur an. 1297. Comites ab Haigerloch.

Hoc anno ex hac vita migrauit Reynbotho Aichstetensis Pontifex, succedit sapientiæ ergò Córadus à Peffenhausen mysta Reginoburgẽsis. Porrò insequentis annis anni vere Albertus Austriæ, hoc est Orientalium Noricorũ rector astutè cum Ottone secundæ Vindeliciæ pręside, cui nupta soror sua fuerat, pacem cóponit. Deinde ab amicis instigatus summam rerum affectat, copias contrahit, Episc. Constantiensem, Brandenburgij, Saxonumque regulos, Hęgerlochos cognatos, & affines suos, insuper Boiemos, atq; Vgros, quos gener, atq; maritus sororis miserant, ascitos ad se socios recipit, & ad Rhenum suis laborantibus suppetias laturus contendit. Legatos ad Ottonem mittit, vt sibi, atq; exercitui itineris faciundi copia per fines inferioris Boiariæ fiat, atq; ex pacto postulat. Hisce Otto se ante fidem Cæsari, quem deserere non posset, dedisse: se quidé cum Alberto, vt pacé inter se seruarent, non vt à principe suo, non sine maximo scelere desciscerer, inducias fecisse, respondet. Posteà tamen sexdecim millib. vnciarum argenti puri pacti victus, atq; expugnatus labascit. & cunctis bonis vitio vertentibus, potestatem transeundi concedit, hocq; facto secreta, interioraq; patriæ hosti inueterato produntur. Nec tantus exercitus, ex variis nationib. dissonis morib. & lingua, absq; maximo regionis. & incolarum detrimento, & si amicissimus, atq; abstinentissimus fuisset, transire potuit. Albertus igitur

Machtylda.

Valentia, inde Burckhusio, pòst Fruxino atq; Weichstephan iter facit. Hic Machtylda cũ filio Ludouico mater Rudolphi præfecti prætorio Rheni, & primæ Boiariæ rectoris, fratri officij, pietatisque ergò obuiam venit. Vterque consultat, quo nam pacto per fines Rudolphi (quem ob arctissimum affinitatis vinculum, quod illi cum Cæsare intercedebat, Albertus metuebat) tuto copiis iter pateret. Augustanorum quoque, qui armata manu

obuiam se ituros Alberto eundem vi ad vrbem deducturos polliciti fuerant, legati adsunt, ne perfidiæ nota inurantur, aduentum eius deprecantur, vti aliò ille diuertat intacto agro Augustensi, petunt. Austriacus tanta spe præter opinionẽ destitutus, retentis secum matre atq; fratre Rudolphi, tanquam pignoribus, atq; obsidibus, fines nepotis ingreditur. Vnius diei itinere cũ omnibus copijs à Fruxino Pesingiam proxime Monachium properat. Eo Rudolphus cum paucis, nihil hostile animo agitans, atq; præ se ferens, ad auunculum paci studens ... , in gratiam socerum cũ auunculo redigere conatur. Verùm frustra hanc operam (nam Albertus spe Imperij captus haud vllas conditiones pacis accipere dignabatur) sumit, sed & victus matris precibus, pollicitis auunculi, labascit, atque à Cæsare ad Austriacum defecisset, nisi Schluderus præses, & alij amici ab Adolpho pecunia redempti, id summopere dissuasissent, atque horum suasu, Alberto qualscunque pacis leges confutante, ad socerum Vlmam, vbi eum ille expectabat, pergit. Interea verò Albertus cœptum persequitur iter, militibus suis quacunque iter fuit, quicquid in villis erat, etiam sacras superûm ædes diripientibus, Furstenfeldium petit. Inde Landspergam diuertit, ibi Cæsarem, quem Lyci campos cum copijs insedere, seq; hostili animo operiri opinabatur, longius abesse cognouit. Tantoq; metu liberatus, ob id lætus fuit, atq; serio triumphauit. A Landsperga Mindelhaimium pergit, atque nemine prohibente, in fines suos incolumi exercitu tandem peruenit. Quod vbi nunciatum est Cæsari, cum Rudolpho genero suo, vt secum aperto marte congrediatur, armisq; discepter, Alberto mandat. Austriacus pugnam detrectat, se ad sua tutanda, non ad vicum quopiam decertandũ venisse ait, copiam ergo confligendi hosti denegat, fugamq; simulat. Adolphus auidus pugnæ subsequitur vestigia cedentis, Alberti tergo hæret. Vtrinque multa mala, acceptaq; vulnera, modò hi, modò illi victores, omnia infesta latrocinijs erant. Nusquam totis virib. dimicatũ Austriacus peditatu valebat, quòd priuatim egregia liberalitate, publicè maximis munerib. donatiua largiebatur, charus militibus erat. Eius exercitus indies magis ac magis augebatur. Hainricus quoq; dux Charionũ, præfectus Athesinorum à fratribus missus cum auxiliaribus copijs accessit. Cæsar tamen equitatu Albertum superabat, ob auaritiam (ita interpretabantur) militibus inuisus erat. Fines tamen Alberti in Gallia Celtica contermines Rheno, igne, ferro vastat, prædas abigit. Nemo citra maleficium, periculumue vltrò citròq; commeabat, aut abibat. Inter hæc Otto Boiorum regulus, dum suppetias laturus ad Cæsarem proficiscitur, Albertum Hægerlochum auunculum Austriaci transitum denegantem, atq; de improuiso longè maioribus copijs irruentem, hortatus paucis suos, vt fortiter pugnarent, in solo hostili, fugam periculosiorem pugna honestius esse mori in certamine, quàm inultos more pecudum inter fugitandum mactari, alacri animo excipit, inclamantemq; suos, ne victoriam è manibus dimittant, equo eius ense occiso, cum trecentis, atque quadraginta comitibus interemit, paucis fuga elapsis, potitusq; insperata victoria, eodem in loco vnum diem consider, supplicatione decreta, honorem Deo Opt. Max. habet. Inter spolia hostium multi funes, pluresq; nouaculæ repertæ sunt, Haigerlochus certus victoriæ Boios funibus duriter colligatos, tonsos, atq; cathenatos nepoti mittere destinarat. Sed vt vulgus nostrate ait, in foueam, quam alijs fecit, decidit author. Otto deuictis hostibus triumphabundus ad Cæsarem, qui tum Ruffas Aquas, Argentoratensis episcopi municipium obsidebat, peruenit, maximoque gaudio excipitur. At Albertus euitato Cæsare per Argentoratensem agrum Mogontiacum, vbi principes, aduersi Adolpho conuenerant, contendit. Inde Alze oppidum Rudolphi nepotis sui, quo eum à Cæsare abstrahat, atque excludat, obsidet. Ille verò hoc magis odio, atque ira in auunculum accensus, soceri rebus accuratius studere, atque operam nauare cœpit. Interea loci dum talia fiunt, Mogontinus pontifex, Saxoniæ, atq; Brandeburgij præsides, legati regis Boiemiæ, regulum Saxonum arbitrum honorarium (quippe Rudolphus præfectus prætorio Rheni, rectorq; Boiariæ, cuius munus est veluti de querimonijs aduersus Cæsarem delatis cognoscere, iusq; dicere, sententiam pronunciare, venire recusarat) capiunt, tribunali imponunt, Adolphum homicidij, stupra in virginem, socordiæ, negligentiæ, periurij, quòd à Francis occidentalibus intercepta non repeteret, accusant: Deinde Senatusconsulto eum in ordinem redigunt, à fastigio deturbant, Rempublicam orbam capite esse decernunt. Postremò ne Imperium sine capite, sicut corpus sine anima contabescat, Albertum suis suffragiis rebus imponunt, Cæsarem designant, nuncupant, nonas Calendas Iulias declarant. Adolphus certior de hisce omnibus factus, cum Boiorum rectoribus arma in Albertum, qui capta, atq; incensa vrbe Altze, in agro Vangionum consederat, intrepidus mouet, castra proxime hostem locat. Albertus quanquam tum equitatu Adolphum superaret, tamen milites vrbium Imperialium, atq; Boiomundi Treuerensis archimystæ, quos in auxilium Cæsaris postridie aduentare fama erat, metuens, noctu cum comitibus cedit, fugamq; simulat. Adolphus vbi hoc cognouit, prima luce, non expectatis peditum cohortibus, auxiliariq; manu, auidius ad quartum decimũ lapidem cũ paucis equitibus Albertũ fugitantem, vt ipse rebatur, insequitur. Quem cum ille conspexisset,

Schluderus præses.

Albertus Furstenfeldum petit.

Landsperg. Mindel. heim.

Albert. Comes ab Haigerloch occiditur.

Ruffach.

Albertus Altze oppidum Rodolphi obsidet.

Adolphus flagitiorum accusatur.

Albert. Cæsar designatur.

Adolphus arma capit contra Albertum.

copias in tria agmina diuidit: Adolphus equites, quos paucos habebat, bipartitur. In prima turma erant ambo Boiariæ rectores, Rudolphus & Otto cũ popularibus, secundam Belgarum, atque Rhenanorum Cæsar ducebat. Erant in ambabus Adolphi turmis quingenti haud amplius equites. Albertus mille atq; quingentos habebat. Nihilominus Boij pugnam cient, intrepidè primam Alberti aciem, vbi Austriaci, atq; Hainricus Tyrolius, atque Charinus consistebant, inuadunt, hisq; fortiter repugnantibus, nec pedem loco mouentibus, Adolphus Boijs subuenire, quàm celerrimè, vt aciem hostium facilius perrumpant, festinat, vrget calcaribus equũ, impetu vasto fertur, equo decidit, moxq; à comitibus rursus sublatus, reiecta galea, adoperto capite, solus concitatius quàm par est in turmam, vbi Albertus erat, inuehitur. Quod vbi hostes conspicati sunt, ordines laxant, impetui cedunt, furoriq; dant locum: Adolphũ circumueniunt, confosso prius equo, ipsum quoq; occidunt, moxq; armis, ac vestibus exuunt, continuoq; ingeminant, Adolphũ cecidisse. Id cum Cæsariani audirent, abiectis armis passim in fugam effunduntur. Albertus imperat suis, vti ferro, ciuibusq; parcant, nec quenquam occidant, sed aut viuos si fieri possit, capiant, aut effugere permittant. Otto tribus vulneribus acceptis, Rudolphusq; cũ paucis, qui nudi euaserant, in vrbem Vangionum fugam intendunt, atq; elabuntur. Cæteri capti viui Alberto exhibentur. Inter quos Rupertus filius Adolphi fuit: is Mogontino consanguineo suo traditus, ab eo in vincula conijcitur, castellis quibusdã se redimere coactus est. Vangiones qui ante Adolphi partium fuerant, secuti fortunam, atq; victoriam, rebus Alberti repente mutatis animis studere cœperunt. Boiosque ideos vti amicos confugerant, equis atque armis, vti gratiam ab Alberto inirent, spoliant. Duces nostri vbi hoc accepere, ne & ipsi eodem pacto, perinde ac sui populares acciperentur, ex vrbe aufugiunt. Haidelbergam, inde in Boiariam se conferunt. Pauci hominũ interfecti sunt, complures equi interierunt. Gestũ est hoc prælium sexto Nonas Iulij, anno à mundo ab inferis asserto M. CCLXXXXVIII. inter Roromonasterium D. Nordperti sacris dedicatum, vbi obscuriores humati sunt, atq; ad Rosothal virginum D. Bernardi templum, vbi Adolphus præsentibus Alberto, & episcopis Mogontino, atq; Argentoratensi, alijsq; comitibus sepelitur. Albertus corpus Augustam Nemetum ad Mausoleum Cæsarum deferri, regioq; cultu funerari prohibebat, abdicatum causabatur. Obseruatum autem, notatumque in primis est, neq; sua morte quempiam coniuratorum defunctum esse, neq; diutius supervixisse, pars aquis obruti, pars prælio, nonnulli atra bile perciti interierunt, alij ferro necati sunt. Cæterùm Albertus funerato Adolpho, sorore sua connitente, Rudolpho Boio nepoti suo gratiam facit. Deinde omnium rerum obliuione decreta, consilio prudentum Francofordiam proceres Imperij, & quibus est ius dicendi sententiã in Senatu Augustali, nono KL. Augusti conuocat, ceditq; imperio, illis summa potestate permissa, se abdicat, vltro de summo fastigio rerum descendit. Atque illi, ne tanto benefico victi viderentur, communibus suffragijs, ne vno quidem discrepãte, quinto Idus Augusti, Albertum denuò rebus imponunt. Deinde ad Aquas Graneas deducunt, nono KL. Septembris solio Caroli Magni collocant, ex veteri priscæ religionis ritu inungunt. Posthæc Cæsar Idus Nouembris ad conuentus agendos, more maiorum, Norimbergam se confert. Frequens eo conuenere Germaniæ principes, reges Cimbrorũ, Boiemiæ, Apuliæ, episcopi quinquaginta. Rudolphus noster cum fratre Ludouico, præsides, atque præfecti trecenti, Equitum quinque millia. Extra mœnia vrbis, septa, circus temporarius ex tabulis, subsellia, ac sedilia, vbi cæteri sedendo, turres, orchestra, prætoria lignea, vbi summi principes prandendo spectarent, extructa. In cauea, atque arena Tyrocinia equestria, munera militaria exhibita sunt. Solus Wichualdus Agrippinensis pontifex hæc spectacula contempsit. Mogontinus Cæsaris dextrum latus, quod sui officij esse dictitabat, texerat. Tumultũ quoque Vangionum, atque Aichstatensis episcopi concitarunt, pro consessu, atque ordine subselliorum litigabant. Hic arma Gebhardi Hirspergensis curatoris templi sui implorauit. In hoc concilio Elisabetha vxor Alberti Augusta appellata: Conradus Archiepiscopus Salisburgensis in amicorum numerum receptus. Rudolphus Cæsaris filius Austriæ regulus declaratur, eique Blanca filia Philippi Celtarum rectores desponsa. Ioannes episcopus Tullensis, Conradus Ottingensis terrarches Romam missi, qui Bonifacio octauo pontifici Romani sacerdotibus, ciuibusq; Albertum rebus impositum renunciarent. Verùm Octauus acta concilij rescindit, Albertum parricidij condemnat, tantũ abfuit vt author fieret. Albertus autem peracto conuentu, cum archimystis tribus Gerhardo Mogontino, Boiomundo Treuerorum, Weichualdo Agrippinensi Tullum Leucorum vrbẽ petit, atq; cum Philippo rege occidentalium Celtarum de summis vtriusq; Imperij rebus colloquitur. Illius filiam in Austriã deduci imperat. Vbi ipsa in paucis post diebus absq; liberis decesisset, Viennæ in templo Franciscanorum humata est. Per idem tempus Bathauentes cum episcopo suo Bernhardo discordant, in libertatẽ seruitute se à sacrificulorum, vti quondã Reginoburgenses excusso iugo principum fecisse cõmemorabant, vendicant. Senatum ad modum, splendoremq; vrbium Imperialiũ, atq; liberalium ciuitatum legunt, consulem creant,

Adolphus Cæsar occiditur.

Rupertus filius Adolphi capitur.

Rosenthal, alij habent Frauenfeld, Vide M. Albertum Argentinensem.

Albertus in regem Ro. eligitur secũda vice.

Tyrocynia equestria.

Elisabethã Augusta. Conradus Archiepisc. Salisb. Rudolphus dux Austriæ Blanca filia regis Gallorum ei nupta.

Hæc seditio contigit anno domini 1298.

creant, tintinabula in turri, quibus Senatus legitimus statis diebus cogeretur, suspendunt. Mystae ciuibus sacris interdicunt, ex vrbe trans Histrum in arcem commigrant, bellicis tormentis vrbem oppugnant. Albertus ab armis eos discedere iubet, placere sibi, vt iure potius ante se disceptent. Causam deinde cognoscit, sed ciuibus trecentarum librarum mulctam irrogat, moreq; maiorum episcopo parere praecipit, tintinabula eidem tradit, iubetq;, vt is ciues à diris soluat, atq; cum ipsis in gratiam redeat. Rumore tum dissipatur, à Iudaeis sacra nostra furto ablata, ludibrio, atq; in mortario pistillo contusa fuisse, cruorem emanasse. Quapropter quidem cognomine Rindflaisch, conditione agricola, se vt Iudaeos vbiq; gentium deleret, coelo dimissum, diuinitusq; delectum praedicat. Qui saluam Rempublicam Christianam esse velint, me sequantur, proclamat. Credit vulgus, centuriatim prouolat, ducem Rindflaisch sequitur, fit tumultus, nemine opem ferente frustra Iudaeis quiritantibus, Wirtzburgij, Mergethaimij, Norinbergae, in Neuenmarckt, Rotenburgij, Bambergae, Ambergae, in Panrchin, in Wildenstain, alijs oppidis antiquae Franciae, atq; Boiariae, Hebraei incolis fauentibus, concremantur, viri, atq; foeminae obstinatissimo animo, cum paruis liberis, cum rebus, & suppellectili omni, ne haec à Christianis occuparentur, illi sacris nostris lustrarentur, in medium se incendium mittunt. Iram diuinam fuisse necesse est. Quippe Caesar vindicandi cupidus, genti calamitosae auxilium praestare nequiuit, furori cedere, isthaec dissimulare coactus est. Persuasissimum vulgo, atque sacrificulis erat, haec Dei iussu fieri. Ciues Reginoburgenses aegrè suos ab imminente nece eripiunt, nec plebem in eos saeuire permisere, quoad diuinae voluntatis certiora signa, euidentioraque ederentur omnia. Caeterùm Albertus furore vulgi euanescente, grauiter de percussoribus Iudaeorum supplicium sumpsit, aliosq; in vrbibus, vnde excisi erant, collocauit. Pleriq; Adolphum desiderabant. In Boiaria prima Rudolphus consensu matris vectigali extra ordinem Boios onerat. Classes rusticorum praediorum apud Boios duae sunt. In prima tantum agri, quod quadrigis, in secunda quod bigis arari solet, hanc Hubam, atq; mansum, illam curtim, hofam prisci Boiorum iurisperiti vocant, illi à Rudolpho sexaginta asses, alteri triginta impositi sunt. Sed refragante nobilitate, pauperes duntaxat, atq; monachi aes indictum luerunt. Hoc anno Stephanus secundae Boiariae rector Iuditham Pulzkonis Poloniae ducis filiam vxorem duxit. Dumq; ea venatum ad Allerspach proficiscitur, atq; ad adytum, vt rei diuinae interesset, de improuiso cum coniuge, & virginibus intrat, mox monachi omnes, extinctis cereis, ex templo diffugiunt. Is quoq; qui ad aram astabat, atq; sacrificabat, vestibus sacris se exuit, moxq; se è fano proripit, illoq; die res diuina intermissa est. Cistercienses religionem pollui, si foemina aedem illorum intrarit, docent. Hugo fani antistes, qui tum fortè domi non erat, in tempore aduenit, iratum ducem, iratam coniugem, qui contumeliae id causa factum interpretabantur, placat, religionis instituta excusat. Subsequenti anno Gerhardus Mogontinus episcopus ab Alberto apud Rhenum pecuniam, quam is pollicitus adhuc debebat, repetit. Sed Albertus ne tum quidem soluendo erat. Ideo pontifex cornu venatorium collo dependens, ostentans, in hoc (inquit) complures gesto Caesares, eoq; dicto abijt, cum collegis Boiomundo Treuerensi, Wichualdo Agrippinensi aduersus principé conspirationem facit. Alios muneribus, illos pollicitis corrumpit, Hicq; vectigalia Rheni, quae adhuc in prouerbio (quod crebrò vulgo vsurpari solet) sunt, & tū Caesaris erant, abrumpere conantur. Rudolphum praefectum pretorio Rheni, superioris Vindeliciae accersunt: eidē honorario arbitro, cuius ea prouincia esse solet, Albertum criminantur, perfidiae, & parricidij accusant: à pontifice Max. quod optimū principem interfecerit, deuotum calumniantur: Indignū esse supremo rerum humanarum fastigio vociferantur. Decernunt postremò, atq; edicunt, nō placere ipsis, Albertum rerum potiri, huicq; edicto Rodolphus, nescio quam ob causam ab auunculo desciscens subscripsit. At Albertus vbi hoc accepit, Geldriae, atq; Iuliaci Tetrarchis, vti Agrippinensem, atq; Treuerensem pharisaeos, Augustanis caeterisq; liberis ciuitatibus, vt Rudolphum nepotem suum inuadant, atq; ab eo vrbes, & vicos, quos ipse, & pater eius per quadraginta annos partim pignoris, partim cliētelae titulo ab Imperatoribus in fidem acceperant, possederint, vi & armis repetant, imperat. Ipse sibi Mogontinum archisynagogum authorem scelerum deposcit, plurisq; cum castellis, vicis, oppidis mulctat. Itidem fit Treuerensi, atq; Agrippinensi sacerdotibus, inuiti, & suo malo coacti tandem Alberto subduntur. In Boiariae finibus Caesariani Neuenmarckt, Nariscorum oppidum obsident, oppugnant, capiunt. Laugingiacum, atque Werdea, Sueuiae vrbes coloniae Boiorum, continuò deditionem faciunt: praesidium Boiorum, quod Werdeae in arce erat, fortiter resistit, donec suffossa, atq; euersa moenium parte, Alberto se permittere coactum est. Dissidebant tum Boij principes nonnihil. Otto, & Stephanus fratres cum ducentis fermè ex equestri ordine insignibus, cum Alberto, & Adelramo de Hals Landshutae munera bellica edebant, spectaculis, voluptatiq; vacabant, patrueli aduersus Caesarem auxilium denegabant. Machtylda quoq; cū filio Ludouico, deserto Rudolpho, cum fratre sentiebat. Has ob causas proximo deinceps anno Augustani rursus, caeteraeq; Caesarianae ciuitates Schuuabeckhium

Rindflaisch Agricola.

Iudaei concremati.

Boii vectigalibus onerati.

Huba quid.

Stephanus Boiariae secundae rector, eius vxor Iuditha Pulzkonis fil. a.

Hugo abbas in Alderspach

Gerhardus episcopus Mogontinus.

Prouerb. Het ich den Zol am Rhein.

Duces Geldriae & de Iulich.

Caesariani Neuenmarckt oppidū obsident.

Schwabeck

beckhium obsidione claudunt, in ditionem Alberti redigunt. Qui intus erant latrocinijs operam dabant, cuncta incendijs complebant, prædas longè latè agitabāt, inter se discordabant: arcem igitur sine vi, pacta salutem, & vt incolumibus cum rebus abire liceret, tradunt. Coactus hisce Rudolphus matre eius connitente, quam tum Vogburgij habitasse inuenio, ærarius fit, & pecunia auunculo satisfacit, veniam supplex petit, & impetrat, capta recipit. Inde censum pecuarium, vt grande æs alienum, quod hoc bello conflarat, dissolueret, suasu matris indicit. Equum atq; bouem triginta, vaccam quindecim, pecora, suem, ouem, capram decem assibus censet. Verùm episcopi Boiariæ intercedunt, Rudolpho eiusq; amicis, nisi desistant, inferias, dirasq; dicunt. Hoc anno KL. Decembribus ventus vehemens ædificia, casas euertit, subsequitur maxima aeris tranquillitas, cæli serenitate, & calore insolito, adeò vt in Ianuario arbores frondescerent, postea aquarum eluuies ingens fuit. Conradus Luppurgensis Nariscorum dynasta absque hæredibus vita defungitur. Nepos eius ex fratre Conradus episcopus Reginoburgensis Luppoburgium ærario pontificali confiscat. Boiariam superiorem pernicior rursus tumultus concussit. Machtylda filio Rudolpho potentior visa, atque ob nimiam cum Conrado Oettlingero Mulhusij haud procul à patria mea dynasta, præside suo, familiaritatem, suspecta esse cœpit. Et sanè Machtyldam, sicut diplomata ostendunt, cordatam, atque imperiosam mulierem fuisse reperio. Vt fides fiat, capita tabularum, quæ Damaliæ, alijsque templis extant, subscribere idoneum visum est.

Machtylda Austria imperiosa.

Machtylda Dei gratia Comitissa Palatina Rheni, ducissa Boiariæ, Rudolphi quondam regis Romanorum, potentissimi Cæsaris filia, & soror Alberti regis Romanorū, &c. Damalianis, cæteris mystis, atq; monachis pleraq; largita est, diplomataq; dedit. Cæterum Rudolphus non solum illa resignat, atq; rescindit, verùm nono quoq; Calendas Iulij correptis armis hostili animo Schiltbergium, superioris Vindeliciæ arcem, vbi tum Machtylda cum Conrado præside suo, atq; Ludouico filio versabatur, inuadit, irrumpit. Conradum in vincula conijcit, matrem cum Germano, Conradumq; vinctum Monachium vi abducit, castellū ianuis effractis direptum à Schludero Rudolphi præside, illiusq; socijs, quorū suasu hæc gerebantur. Vrbs deinde vniuersas, cuncta castella, quę hactenus a morte mariti tutorio titulo Machtylda possederat, Rudolphus occupat, seq; tutorem fratris fore iactitat. Machtylda vt erat astuta, necessitatem in rationem vertit, dolorē, atq; angorem animi dissimulat, accito Emichone Fruxinensi episcopo, atque Ottone inferioris Boiariæ duce, oppidis cunctis vltrò cedit, vniuersa quæ possederat, filio tradit, mille dūtaxat libras assium Monachorum, quotannis paululum vini, casei quippiam, quibus victitet, supplex petit. Annuit postulatis Rudolphus, atque vt hæc Cæsareo diplomate confirmentur, ad Albertum ambo proficiscuntur. Machtylda vbi Hochstadium venit, atq; à filij potestate se emancipatam esse videt, pactis stare detrectat, nec se teneri fœdere vllo, quod vi, contra ius gentium, aduersus vinculum maternæ pietatis extortum sit, causatur, se fraude circumuentam, armisq; coactam vociferatur. Rudolphus vbi sibi matrem imposuisse sensit, iram omnem in Conradum, cuius suasu isthæc fieri dictitabat, vertit. Eidem consuetudinem maiorem, quàm quæ honestati aulæ conueniret, obiectat, eundem quarto Idus Iulij anno ab orbe seruato 1300. super tertium Monachij securi percutit. Huius Conradi filium Degenhartum reperio, qui Mulhusium, haud longè a patria mea possedit. Id Elisabetham vxorem Ioannis tertij Abusini fore aleatorio victricem lucrifecisse aiunt. Oetlingonum autem, vnde cognomen hisce equitibus, castellum est in ora Germaniæ, proxime Phering vicum Danubianum. vbi Epona quondam colonia Romanorum insignis fuit, vestigia adhuc visuntur. Oetlingeri sepulti sunt Roræ in templo mystarum Augustalium, quinq; millia passuum à patria mea. Sed ad ordinem historiæ reuertor. Machtylda tam insigni contumelia à filio affecta, fratris fidem implorat, communem generi suæ ignominiæ notam inustam, falsò ac præter pietatis iura, aduersus naturę leges conqueritur, tantas impietatis pœnas à filio impientissimo exposcit. Cæsar Nordlingam, quæ vrbs est Sueuiæ libera in Germania magna, petit, Rudolphum nepotem quàm primum ad se venire imperat. Paret Rudolphus, cum fratre Ludouico ad auunculum se confert, factum excusat, fictum purgat, innocentiam suam prædicat. Conradum inter se, atque matrem discordiæ mala seruisse, pœnas meritas dedisse commemorat. Cæsar odium, contumeliosumq; ratus diutius de hac re disceptare, omnium rerum obliuionem decernit, ablata sorori reddi iubet. Assentitur Ludouicus, & se nunquam intraturum Boiariam iurat, nisi omnia matri pientissimæ reddantur, atq; tam insignis contumeliæ macula sibi atq; genitrici indulgentissimæ illita eluatur. & beneficijs atque operis talis iniuria compensetur. Rudolphus ea quæ possidebat, reddere grauabatur. Machtylda Augustam migrat, ciues, atq; prætores iussi sunt matri aduersus filium fautores, atq; consultores adesse. Schluder præses, huiusce seditionum author amotus est dignitate. Qui cum ad Cæsarem se excusatum pergit, ab amicis Machtyldæ, atque Ludouici ferro occiditur. Conradus à Waldenrhod ab exilio reuocatur, aulæ Rudolphi ab Alberto præficitur, qui in paucis pòst diebus

Machtylda Austriaca, Palatina Rheni.

Schiltberg proxime Aicham.

Machtylda emancipata à potestate filij Rudolphi.

Ioannes Comes ab Abispberg.

Phering intra Ingolstadium.

Cæsar Rudolphū ad se vocat.

Rudolphus reddit quæ possidebat.

diebus mortem obijt. Cæsar iterum Vlmam ad se sororem, & Rudolphum, atq; Ludouicum nepotes suos vocat, quòd grandem pecuniam debebant, cuncta oppignerata erant, vetat aliquot annis in Boiariam illos progredi, secum in aula consistere eosdem iubet. Wigelmo, vt procuraret Boiariam, atq; ex redditibus æs alienum dissolueret, præcipit. Mechtyld a impatientis post diebus ægritudine animi moritur, decimo Calendas Ianuarij, anno Salutis 1304. conditurq; in Mausoleo vici apud Furstenfeldium. Eodem anno Danubius Reginob. agrij versus Aquilonem excisa fluctibus tellure cursum intendit, aggere ingentis molis ex lapidum cumulis, tignis, & arborum truncis congesto, ad pristinum alueum coactus est. Bonifacius Pont. Max. circa eundem temporis tractum cum Alberto in concordiam redit, eidem regnum Francorum occidentale, quod à Francis Germaniæ populis conditum fuit, facilè de alieno largitur, atq; auspicijs Pontificalibus recuperare iubet. Franci coacto Lutetiæ concilio, ad Senatum orbis Christiani prouocant: Bonifacium de multis atrocissimis criminibus accusant, quæ ab Hermanno Franciscano enarrantur. Sub idem tempus Andreas Vgrorum rex absq; liberis animam efflat. Carolus nepos ex sorore Cæsaris ab pontifice, & Alberto rex Vngariæ constituitur, & à quibusdam Vgris recipitur. Anna eius vxor Caroli primi Siciliæ regis Vngaria erat. Pleraque gentis nobilitas, atque episcopi, Wenzeslaum regem Boiemiæ accersunt. Is Vgris filium Wenzeslaum regem declarat, Vgri Ladislaum nuncupant, Budam, quæ & Sycambria, atq; Ofa, vi deducunt, atq; apud Albam regiam solenni ritu, celebri conuentu inaugurant. Sed vterque Carolus, & Boiemus titulotenus Vngaria potiebantur, potestas omnis penes proceres erat. Nicolaus Dominicanus à Cæsare atque Bonifacio missus, Budæ Boiemio fauentibus, frustra sacrificijs interdicit. Nam sacerdotes conuocato, & ipsi Budæ cœtu, cæreis extinctis pontifici Romano à Gallica Ecclesia deuoto inferias dicunt. Nicolaus Romam reuersus, mortuo Bonifacio regno Ecclesiæ præficitur, Benedictus vndecimus vocatur, potiturque pontificatu posteaquam interregnum duodecim menses continuos in pontificio Imperio fuit. Iisdem diebus Wenzeslaus rex Boiemiæ timens filio cum exercitu Pestum contendit, Wenzeslaum filium cum sacro Vngariæ diademate in Morauiam abducit, Ladislaum Budæ, atque Vngariæ præficit. Cæsar autem Boiemiæ regi bellum indicit, consensu Ottonis ducis Boiorum, fratrisque eius in Boiaria copias cogit, cum Ottone Boio, quem pollicitationibus sibi conciliarat, vadibusq; satis dederat, in Boiemiam arma mouet. Verùm tempestatibus redire compulsus, oram Rheni, Otto Boiariam petit. Is cum hoc bello sumptus fecisset, nec Albertus promissa verbis iam pridem re comprobaret, nec quod violatum erat, & damna illata inter ineundum beneficijs compensaret, prædas quoq; satisfacere detrectarent, ad regem Boiemiæ Wenzeslaum defecit. Eius suasu à quibusdam Vngariæ proceribus veluti regni legitimus hæres (nempe Belæ quarti ex filia nepos erat) rex salutatur, & vt hæreditatē auitam adeat, rogatur. Sub idem tempus Clemens quintus Pontifex Max. legitur, regnoq; Ecclesiastico imponitur. Is Roma in Galliam migrauit, vt regi Franco gratificaretur, religionem Templariorum, eorum opibus confiscatis, deleuit. Ad quem Albertus Hainricus Hugobilarum mystam Thomam Argentoratensem, Burckhardum Phelissum, qui imperium primario sacerdoti commendarent, legat. Grata legatio Clementi fuit, Cæsari rescribit, eundē cohortatur, primò ad expeditionem Palæstinam obeundam, quæ parenti eius Imperatori Rudolpho tantopere cordi fuerit: deinde mandat, vt pacem inter Viennæ, Galliæ Narbonensis legatum, quem Delphinum vocant, & Allobrogum, qui sunt Sabaudij, Tetrarcham componat. Inter hæc Wenzeslaus Boiemus animam efflat: Ottonem inferioris Boiariæ regulum, filio Wenzeslao curatorem atq; consultorem testamento nominat. Otto cum Alberto de Hals, Hartliebo de Puechberg præfecto aulæ, Brunoniam Morauiæ vrbem ad Wenzeslaum regem Boiemorum, sibi à patre eius ex testamento & fœdere commendatum, se transfert Idibus Septembris. Ab eodem receptis sacris, regni Vngarici insignibus à gentis optimatibus, qui eò conuenerant, inuitatus, Sycambriam (Vgrorum caput est) dissuadentibus amicis, & aduersantibus Alberto Cæsare, & filio eius Rudolpho Austriæ regulo, tertio Idus Nouembris deducitur. Deinde apud Albam regiā, octauo Idus Decem. solennibus cæremonijs à Benedicto Weissbrunnensi & Antonio Chonadensi episcopo, Ioanne, & Stephano Tetrarchis bene precantibus, in solio regio collocatur: Budamque perpetratis ritè sacris regni auspicijs reuertitur, superioresque Vngaria potitur. Atq; quo opes suas confirmaret, Ladislai vlterioris Vngariæ, Transsyluaniq; præsidis filiam sibi despondet. Seq; hac affinitate tutum fore inter alienos ratus, Albertum de Hals, Hartliebium à Puechberg, reliquos Boios, domum nono Cal. Maij remittit, hiq; per Charionū fines in Boiariam reuertuntur. Albertus Cæsar, qui nepotem suum Vgris imperitare ægre ferebat, Ottonem non solum insidijs, sed & vi oppugnare, Vgros auro sibi conciliare parat. Rudolphum filium, Wentzeslao ferro necato, in Boiemiam deducit, regemque Boiemorum constituit. Quo paucis pòst diebus defuncto, Hainricus Tyroliorum, & Charinorum Tetrarches, cui Anna soror Wenzeslai nupta erat, consilio Ottonis Vgrorū regis, Landshutę in Boiaria copias cogit, inde adiutus

Mechtylda moritur.

Wentzeslaus rex Boiemiæ.

Nicolaus Dominicanus.

P. creatur. Benedictus vndecimus dicitur.

Cæsar in Boiemiam exercitū ducit.

Clemens V. S. P.

Templarij delentur.

Hainric dux Carinthiæ & Comes Tyrolensis.

a Ste-

à Stephano fratre Ottonis, regis Vngariæ, auxiliaribus copijs cum illo Hercynios saltus, qua Boiariæ cõtinuantur, penetrat, Boiemiamq; regnum occupat. Stephanus Landshutam è Boiemia reuersus, repentè aduersa corripitur valetudine, lectoq; decumbit. Iisdem quoq; diebus Otto Vgrorum rex inuitatus à Ladislao socero suo in vincula conijcitur. Albertus vbi ista resciuit, ex Austria in occidentalem Boiariam arma mouet. Neoburgij ponte facto Oenum transire, ex Norico in Vindeliciam progredi contendit. Nobilitas Boiariæ secundæ raptim incolis terræ ad arma vocatis, Neoburgium obsident, Cæsarem aditu arcere conantur. Qui cum Boijs deesse caput, ipsos perinde negligentius agere, atque inter se discordare exploratum haberet, relictis quibusdam comitibus à tergo, qui quasi abundante multitudine Bathauiam se conferrent: ibique Oenum traijcerent, ipse prima luce pontem Neoburgij transire cœpit, Boios territos maiestate, atque fiducia Cæsarea in fugam vertit, obsidionemq; soluere cogit. Nemine prohibente, Vindeliciæ secundæ fines ferro, flãma atterit mense Nouembri. Inde ad superiorem Boiariam visum nepotes suos pergit: vnde Sueuos assumpto secum Ludouico petit. Interea Otto Vgrorum rex, ope ministri euadit, Russia, Polonia perreptata, Glogauiam peruenit, vbi à Conrado vrbis regulo agnitus, eius filiam vxorem ducit, ope soceri, atque Boiemorum in Boiariam cum noua nupta reuertitur, Strubingensium vrbe nuptias facit. Cæsar admiratus Ottonem incolumem ex Vngaria red jsse, Rheni tractus, Suitonumq; valles perlustrat, à Ioanne nepote ex fratre, quòd Sueuiam paternam hæreditatem repetenti reddere supersederet, KL. Maij interficitur, anno æræ Christianæ 1308. post annos centum, quàm Philippus Cæsar simili fato sublatus fuit. Clemens Pontif. Max. ad Rudolphum Boiariæ ducem dat literas, necem auunculi defler. Deinde mandat, vt Rudolphus operam nauet, quo idoneus, atq; rei bene gerendæ peritus summo rerum fastigio imponatur. Datum in Pictonum vrbe quartodecimo, KL. Iunij, pontificatus anno tertio. Hanc ob causam Germani Idibus Octobris comitia Cæsarea Francofordiæ habent, Hainricum Lutzelburgensem Cæsarem declarant. Isq; octauo Idus Ianuarias à Mogontino archimysta ad Aquas Graneas in solio Caroli Magni conditoris huius imperij collocatur, solenni cærimonia inungitur, armis Cæsareis, atque insignibus more maiorũ ornatur, cum Margaretha Brabantina coniuge inauguratur. Adolphum, atq; Albertum Cæsares Nemetum Augustam, ad Augustorum mausoleum transfert. Eberhardum Wirtenbergensem, Conradum Otingensem hostes Reipublicæ iudicat, in exiliumq; agit. Boiemis filium Ioannem regem pulso Hainrico Tyrolio, imponit, isq; in Boiemiam à Petro Mogontino episcopo, & Rudolpho præfecto Rheni, duce Boiorum deducitur. In inferiore Boiaria, dum Fridericus Alberti Cæsaris filius, Austriæ regulus apud Cæsarem longius abest, Austriaci quidam proceres, freti Ottonis Boij auxilio, ab illo deficiunt, conuentus agunt, noua moliuntur. Vlricus à Waldsehe Stiriæ procurator, capita factionis inuadit, coniurationem opprimit, ruina coniuratorum recens incendium restinguit. Inde Nouembri cũ trecentis equitibus per Iuuauensem agrũ, Conrado episcopo Salisburgensi annuente penetrat, apud Diethmoning (quod est municipium Iuuauensium supra Burckhusium, in ripa Iuuaui amnis) considet, agros inde Boiariæ, quæ in Norico cubat, vastat, casas villas omnes exurit. Gelu acutum, hyems aspera subsequitur, multos mortales extinxit, fame, atque frigore bis mille atque trecentos homines perijsse aiunt. Otto rex Vngariæ, atque Stephanus fratres Boiariæ secundæ rectores, Neoburgium iuxta Oenum, quòd Austriacis parebat, tertio Idus Ianuarij obsident, pontem erigunt, quatuor menses continuos castellum oppugnant, per metallarios tandem cuniculis ductis mœnia subruunt, adeò vt exercitui aditus pateret. Lambergensis, arcis præfectus, ac cæteri comites ignem ædificijs immittunt, ad Bernstain aufugiunt. Neoburgium in cineres, & fauillas redigitur. Mystarum Bathauensium, & Bernardi de Praumbach vrbis episcopi opera induciæ ad aduentum Friderici fiunt. Is vbi Neoburgium à Boijs excisum accepit, à Rheni tractibus, & Cæsare domum contendit. Contractis copijs per superiorem Boiariam, Iuuauensemq; agrum in Orientales penetrat fines. Accitis ad se in societatem, Vgris, Stirijs, Austriacis, Charinis, Conradum Iuuauensem archimystam socium ad receptum sibi ascilcit: octauo Calendas Augusti quindecim millibus virorum Boiariæ fines inuadit, Ried oppidum, atque arcem dies quatuordecim circumsedet. Tum qui in arce erant, eam tradunt. Oppidani verò, vbi vltra obsidionẽ ferre nequeunt, deploratis rebus suis, ignem tectis subijciunt, clamque fuga dilabuntur. Fridericus circum cuncta incendijs complet, agros vastat, prædas agit, Burckhusiũ tendit. Inde rectà Oeni ripa ad Schardingium conuertit, vrbem obsidione claudit duodeuicesimo Calendas Septembris. Otto àc Stephanus fratres, secundæ Boiariæ rectores, accitis à dynastis de Truheding, atq; Hohenlohe auxiliaribus copijs, suppetias obsessis ferunt, mille quingentos equites, peditum ex agris, atq; rure sexaginta (ita diuulgant) millia ducunt, in aduersa ripa considunt, aperto Marte confligere constituunt: sed Oenus coire exercitus prohibebat. Harthebij à Puechberg consilio pons erigitur repentè præter opinionem hostium, opereque confecto, media nocte copiæ traducuntur. Austriaci multitudine agricolarum territi, prima luce

tertio

Glogunensis ducatus in Silesia.

Albertus Cæsar interficitur.

Hainricus Lutzelburgensis Cæsar creatur. Ioannes rex Boiemiæ fit.

Neuburgiũ ad Oenum.

tertio Nonas Nouem. obsidionem soluunt, impedimenta atq; castra sua incendunt: Dux, episcopus, comites fugam capessunt. Vindelici ignem restinguunt, castris, equis, armis, commeatu, tormentis bellicis, accipitribus, vino, vestimentis, cæterisq; impedimentis, papilionibus, preciosæ artis potiuntur. Tabernaculum episcopi, quod centum sexaginta vnciolis argenti constitisse fama erat, quatuor libris Bathauensibus venundatur. Extat Epigramma de hac re. Otto & Stephanus victoria potiti, triumphabundi Landshutam redeunt, vbi eodem anno, qui fuit Christi 1311. vndecimo Calendas Ianuarias Stephanus naturæ concessit. Vixit annis quadraginta. Iuditham vxorem cũ duobus filijs Hainrico, & Ottone, cumq; tribus filiabus, Beatrice, Goricia, Elisabetha Austriaca, Agnete virgine sancta, superstites reliquit, hos fratri Ottoni commendauit. Posthæc anno sequenti Elisabetha regina, vxor Alberti Cæsaris cum filijs, Rudolphus, atq; Ludouicus fratres, Rheni, atq; primæ Vindeliciæ præsides, Cunradus Iuuauensis archimysta, Bernardus Bathauensis, Ioannes Brixinensis, Albertus Gurcensis episcopi, Hainricus dux Charinorum, Ottenburgenses, atq; Hunnoburgenses dynastæ, pleriq; alij Boiorum antistites, tetrarchæ octauo Calendas Aprilis Bathauiæ côueniunt, mensem paci operam nauant. Otto rex Vgrorum cum nepotibus Reginoburgium primò, deinde ad illos se confert. Reconciliantur duces, pax religione iurisiurandi sancitur, eosdẽ vtrisq; amicos, atq; hostes fore dant fidem. Captiui vtrinq; dimittuntur. Elisabetha filia Stephani, neptis Ottonis regis Vgrorum, Ottoni fratri in matrimonium datur. Vindelici Noticis Neoburgium reficere iussi sunt. Ijsdem diebus Hainricus Cæsar arma in Italiam (quò nemo principum nostrorum quinquaginta fermè annis venerat) mouet, commilitones sunt, Rudolphus Boius, Luitpoldus Austriacus. Mediolanum, Brixia, Taurisium vi ad obsequium redacta: Pisa, Genua, cæteræq; vrbes, vltrò suum principẽ accersunt, portas eidem sponte aperiunt. Inter hæc in Boiaria inferiore, Otto rex Vgrorum, præsente Ludouico fratre Rudolphi, quasi tutore Ottonis, & Hainrici filiorum Stephani, qui adhuc impuberes erant, septimo decimo Calend. Iulij Landshutæ conuentus agit, vt grandem pecuniam (quam ob crebra bella, & inauspicato, iratisq; superis tentatam Vngariam, debebat) dissolueret, quibusdam inferioris Boiariæ equitibus & ciuibus omnem iurisdictionem, vniuersas actiones, præterquam furti, homicidij, atq; latrocinij, atq; vt appellant, rerum capitalium, & ius gladij vendit. Ditiones, diœceseis, quas Hofmarcas vocant, tradit, de cunctis controuersijs cognoscere, iudicare, decernere, coercere, castigare, mulctam irrogare, censere, nobilitari, atq; equestri ordini permittit. Antehac nullum earum rerum ius cuipiam erat, omnis iurisdictio, potestas maxima, medoxima, iudicium, imperium summũ, infimum, sicuti ius gladij adhuc est penes principem, fuit. Illud tamen æs alienum inopes, atq; egeni agricolæ, coloni, liberi, serui, clientes, quibus nihil penitus emolumẽti accessit, luere coacti sunt. Ter octauas omnium rerum vilis etiam supellectilis pensitarunt, ter ipsorum equi, boues, porci, oues, capellæ, pecora, iumẽta censa sunt, vnde Klosteuram, id est, vngularum censum vocant. Numarij, Casearij, Gallinarij, Ouarij, & huiuscemodi redditus semel exacti. Vectigal quoq; frumentarium semel duntaxat editum est. Ad manubias sacerdotum manus etiam extensę sunt. Mensuram frumentariam, inferiores Boij Scapham vocant, ea in anno duobus hominibus satis esse solet, continet modios secundum computationem Plinianam, vnum & triginta, tantundem siliginis, octoginta, tritici sexaginta, hordei quadraginta, auenæ triginta sestertijs redemptum est. Sestertium autem nummũ Reginoburgensem voco, quem duobus assibus, atq; semisse permutari placuit. Sed rem paulo altius, quo magis in aperto sit, repetam. Vniuersæ possessiones in Boiaria, cuncta prædia, agri, prata, syluæ, villæ, quæ stipendiaria sunt, & seruiunt, triplicia esse constat: Pignoratitia, propria, atq; clientularia. Pignoratitia quæ sint, nomẽ indicat, vbi æs pignoratitium dissolutum est, quasi iure postliminij ad suum dominum redeunt. Propria duplicia censentur, quædam mancipi sunt, iure suo, non alieno beneficio possidebantur, & Vrbana, hoc est, prima, atq; præcipua vocantur, horum vsusfructus, atque proprietas domini est. Alia mobilia nuncupant, hæc vsurario annuum vectigal, proprietario nihil omnino pensitant, cuius cum is, cuius proprietas est, moritur, aut vsurarius morte venditione, aliove quouis modo immutatur. Tũ demum hîc, vicesimas summæ, qua annuũ tributum constat, paciscitur, nam vicesimam partem sortis cuiusq; leuissimam, atq; legitimã vsuram Germani existimant. Chẽtularia, quod tertium genus diximus, Boëtheiam Græco, atq; Teutonico vocabulo à patrocinãdo nominamus, quod quasi præmium annuum curatori, patronovẽ præbeant, vti procuret, defendat, asserat, vindicet, liberrima hæc conditio, minusq; obnoxia æstimatur. Item hominum, atq; colonorum duo genera numerantur, pars liberi sunt, cæteri Leibaigen, id est, serui dicuntur. Clementissima tamen isthæc seruitus, atq; longè alia, quàm quæ cæterarum sit gentium. Capite censi sunt, Leibsteuram, siue Leibcensum, hoc est, munia personalia quotannis, quinq;, viginti, trigintaue asses pensitant, partim nihil: sed quando huiuscemodi colonus ex vita migrauerit, iumentũ quod domino placuerit, tribuitur, viatori vestimentum. Coniuges nonnunquã diuersæ sunt conditionis, quandoq; diuersos habent domi-

Stephanus dux Boiariæ moritur.

Conuentus principum Bathauiæ.

Otto frater Friderici Elisabethã Boiã ducit. Hainricus Cæsar Italiã petit cũ exercitu.

Klosteur.

Schaff. Schaffel.

Regenspurger pfennig thut funff haller Schwartzer muntz.

Possessiones bonorum in Boiaria triplices.

Pignoratitia bõa quæ.

Propria bona duplicia.

Vrbar.

Clientularia bona.

Vogtgueter.

Leibaigen leudt.

Leibsteur.

Leib zins.

dominos, qui liberos inter se partiuntur, filij matrem, puellæ genitorē sequuntur. Quamobrem absque consensu domini matrimonia non contrahunt. Nunc nulla iuris solennitate obseruata, solo consensu domini passim, & facile manumitti solent. Apud maiores, princeps, atq; Cæsar excusso è manibus serui nummo, eundem libertina donabat conditione. Iureperiti, & nonnulli philosophi omnes homines natura liberos nasci tradunt, armis, atq; vi introductam esse seruitutem. Vnde seruos à seruando, qui alioqui iure belli occisi fuissent, dictos opinantur. Pleriq; etiam cum aut ære alieno, aut magnitudine tributorum, aut iniuria potentiorum premerentur, sese in seruitutem dicauere nobilibus. In sacræ tamen historiæ arcanis legimus, Reddite Cæsari, quæ sunt Cæsaris: cui tributū debetis, tributum: cui honorem, honorem. Omnis potestas à Deo est. qui resistit potestati, diuinæ maiestati aduersatur. Et profectò naturalem quondam seruitutem esse Aristoteles Stagirita, præceptor Alexandri Magni, regum omnium maximi, in libro primo de Republica argumentis, & disputationibus probat, & aliorum rationes confutat. Apud nos reperio religionis ergò sponte plerosq; se in seruitutem redegisse mystis, atq; monachis. Atq; vt tandem hæc missa faciam, & historiam prosequar: Antea Equestris ordo, tribusq; sacerdotum contenti stipendijs, vsuariā duntaxat ex superioribus prædijs cępere operam. Proprietas, maiestas, ius coercendi, castigandi, iudicandi, principi addictum fuit, oneris quippiam extra ordinem imponendi copia non fuit. Atq; illa omnia ex asse, quemadmodum dixi, Otto rex Vgrorum, secundæ Vindeliciæ, atq; Boiariæ rector, cum venū dedit. Attamen se atq; hæredes, successores, statutis, certisq; vectigalibus contentos fore, nunquā huiuscemodi onus extraordinarium, precibus vel vi, vel quouis alio modo tentaturos, diplomate cauit. Vbi illiusmodi nundinarum fit author, & vt pace ciuium meorum dicam, in isto, vt appellant, priuilegio, multa absurda cōprehenduntur, quę sunt seditionum domesticarum, bellorum ciuilium causæ & origo, seminaria discordiæ inter principem, ac populū, inter ciues, ac equites, inter sacratos, & prophanos. Hinc Taringiæ, Hircinæ, Leoninæ ab insignibus ita dictæ conspirationes. Et nuper anno abhinc septimo, secessio monachorum, sacrificulorum, ciuium, equitum, in perniciem Reipub. à principibus Hieronymo à Stauff, & Wolffgango Hagio potissimum authoribus & ducibus multitudinis. Sed hæc suo tempore explicabūtur. Illud diploma cuncta, priuata vtilitate, nihil publico bono metiri, duces in ordinem redigere, paucorū potentiam, optimatium (cæteris equitibus, ciuibus, sacerdotibus, monachis, colonis, agricolis, velut vulgo, sine gratia, sine authoritate posthabitis) partes, atq; sectam stabilire, crimen læsæ maiestatis in principē Romanum perfricta fronte committere videtur. Quamobrem nec Imperatori, nec pontifici Max. neq; episcopis Boiariæ, neq; Noricorum tetrarchis authoribus fieri placuit. Licet Otto se non destiturum, donec id impetraret, fidem dederit. Ipse quidem, & Ludouicus, Hainricus, & Otto impuberes, Agnes regina vxor Ottonis. Agnes soror Ottonis regis, Iuditha coniunx Stephani, genitrix Hainrici, & Ottonis subscripserunt, atq; huiuscemodi tabulam cæra, & suis imaginibus consignarunt. Episcopi Boiariæ refragati sunt, atq; obstinato animo repugnarunt. Ottoni sacris interdixere, diras & inferias dixerunt, sicuti tabulæ veteres ostendunt. Hanc ob causam eodem anno quarto Idus Augusti Otto rex, nepotes eius Hainricus & Otto, Agnes vxor, Iuditha fratris coniunx Reginoburgii conueniunt, atq; in gratiam cum Conrado episcopo, monachis, sacerdotibus, mystis redeuntur ea lege, vt sacerdotes, monachi, à quibus huiuscemodi tributi genus exactū sit, riuales in parte emptitiæ ditionis recipiantur, at qui isthoc priuilegio vti voluerit, nihil contribuat. Præterea principi Boiarię nequaquam fas esse aduersus ecclesiasticam libertatem sacerdotes, monachos illiusmodi in audito genere vectigalis onerare decretum. Otto cum gentilibus, inducto priore diplomate nouo, tribui sacerdotum satis dedit. Arbitri qui has fœderis leges tulere, fuerūt Fridericus de Truheding antistes in Teurstat proxime Bambergam, & Hainricus de Kirchberg mysta Reginoburgensis, Albertus comes ab Hals, Hainricus ab Ehrenfels, Ludouicus Grans, Fridericus Auer. Porrò nobiles, & oppidanos, qui tum emerunt pecunia aliena tantum, vt ipsi aiunt, priuilegium, recensere haud alienum fuerit, quos in tablino principū Monachij reperi. Eos Augustinus Kolner Neuenstatensis à secretis principum nostrorū mihi exhibuit. Septuaginta sunt secundæ Boiariæ gentes.

Manumittendi cæremonia.

Seruus vnde dicatur.

Ottoni sacris interdictū.

Albertus, Adelramus, Ioannes ab Hals.
Hainricus ab Artenberg.
Ioannes à Fraunberg de Brunn.
Bernardus, & Vlricus tertius Abusini.
Albertus Mæssenhauser, de Tæsing.
Arnulphus Mæssenhauser, Magister Equitum perpetuus Boiariæ.
Fridericus, & Seifridus Torringer.
Vlricus Leybelsinger, itidem disciphor. Boiariæ.
Hartuicus, & Eberuinus de Degenberg.
Fridericus Auer de Prenberg.
Vvernicus Auer.
Egilolphus Vvarter.
Fridericus Achdorfferus.
Albertus & Hartprechtus Closneri.
Petrus Eckher præses Strubingæ.
Albertus Staudacher præses pagi Boiorum propter Rhodamnem.

Sigfri-

Sigfridus, & Thomas à Fraunberg, in Fraunberg.
Sigefridus, & Ioannes Fraunbergij ab Hag.
Ioannes Frauenhofer.
Fridericus de Praiteneck.
Vlricus Remsperger.
Albertus Schonstainer.
Fridericus, & Albertus Mautner.
Hartlieb, Conradus, & Albertus Bockspergeri.
Hertuicus Abamer.
Conradus Portunitz, Vro Sattelboger.
Theodoricus filius eius Vvernherus Schenckhij de Anzaching.
Tartneid Tachinger.
Ludouicus. Hainricus, Hertl Gransij.
Suitgerus Tuschel.
Conradus Bisent.
Hainricus, & Ottones duo Leychtenbebkhij.
Hainricus Ebrau.
Otueid Tiratz.
Conradus Nusperger.
Eberuinus Falckenstainer.
Albertus Haydauer.
Havportus & Conradus de Tonestain.
Hyltebrandus, Conradus, Theodoricus Runtingeri.
Fridericus Vveichsar.
Conradus Kalbl.
Prouintz de Aigen.
Stephanus Tyrlinger.
Eberhardus Hohenuarter.
Albertus Harpeck.

Stephanus Hohenrieder.
Rugerus Gultlinger.
Otto Rainer.
Rudolphus, & Eberhardus Frainsperger.
Eberuinus Leitzrieder.
Hainricus, & Ortlieb Horenbergerij.
Eberuinus Fraß.
Vlricus Lamp.
Hermannus Freydorffer.
Hainricus Lengfelder.
Vlricus Vorster.
Caloch Vvintzerer.
Agilhulph Kolbek.
Hainricus ab Ottmaring.
Conradus Thanhuserus.
Berchtoldus Neubergerus.
Eberhardus Ergelpeck.
Christianus & Berchtoldus Pfaffingeri.
Vvernherus Seybolzdorffer.
Vvernhardus Singuuoldorffer.
Bericho Aindorffer.
Carolus, & Richerus Kargelij.
Ruegerus Morotlingerus.
Fridericus Hager.
Conrad Sigfrisdorffer.
Ioannes, & Vlricus Perger.
Berchtoldus Almhaimer.
Hainricus Eckher de Maßing.
Hainricus Murzacher.
Conradus Sultzberger.

Vndeuiginti quoque vrbes, atque oppida ab hisce nobilibus in societatem ascita sunt: Landshuta, Strubinga, Cham, Dingolfing, Landauu, Teckendorff, Chelham, Vilshofen, Arding, Otting, Burckhausen, Braunauu, Reichenhal, Traumstain, Mosburg, Dorffen, Piburg, Pfarkirchen, Ottenfelden. Dum autem hæc in secunda Boiaria fiunt, Hainricus septimus perlustrata, subiectaq; circumquaq; Italia, Romam proficiscitur, Rupertum, & Ioannem fratres, reges Campaniæ, Vrsinos bis secum congredi ausos, bis profligauit. Rudolpho Boio, Ludouico Ottingensi, quorum virtus ijs prælijs enituit, palmam tribuit. Deinde à Nicolao Hostiensi, Arnulpho Sabonensi episcopo, Frischone diacono, flaminibus Romanis, quos eo Clemens V. Pont. Max. miserat, cõsecratur: susceptoq; cognomine Augusti, rogantibus superioribus sacerdotibus, non solum indignum maiestate Augustali, verum etiam contra maiorum morem, libertatemq; religionis Christianæ esse, principem principum, orbisq; terrarũ dominum, Seruo seruorum sacramentum dicere, existimauit. Vnde Clemens odio incensus, ad Campaniæ, Apuliæq; principes, hostes Augusti deficit, Rupertum aduersus Cæsarem concitat. Augustus sæpius ab hisce venenis appetitus, Rupertum crimine lęsæ maiestatis ex consilij decreto condemnat, Romaq; in Tusciã migrat. In Boiaria eodem anno, qui est Christianæ ærę 1312. Otto rex Vngariæ, & Boiariæ secundæ rector, quinto Idus Septembris Landshutæ fato cõcedit. Vixit annos vnum, & quinquaginta. Hainricum Natternbergensem, ab arce, vbi educatus est, ita cognominatum, quem ex Agnete tulit, tredecim duntaxat dies natum, nepotes ex fratre Hainricum octauum, Ottonem quintum agentem annum reliquit. Cumq; sibi finem vitæ adesse animaduerteret, accitis ad se ciuibus Strubingensibus atq; Landshutensibus, Ludouicum superioris Boiariæ præsidem, qui pòst imperauit, tutorem nuncupat, ciues nequaquam alium recipiant, sibi fidem dare iubet, postea vita defungitur. Strubingenses, atq; Landshutenses Ludouico mandata Ottonis aperiunt, eumq; ad accipienda oppida inuitant. Verùm Albertus, & Adelramus fratres de Hals, Eberuinus de Degenberg tũ Boiariæ præses, Hartlieb Bocksperger Caloch Wintzerer, Albertus Schonestainer, pleriq; omnes secundæ Boiariæ Equites, quos suprà enumeraui, Hainricum, Fridericum, Luitpoldum, Ottonem sponsum Elisabethæ, sororis Hainrici, atq; Ottonis infantum, fratres, Orientalis Boiariæ Noricorumq; regulos, vt tutelam impuberum accipiant, cohortantur, ascitasq; ab eis auxiliares copias, quib. Vlricus de Waldsehe, eius gener Vlricus de Pfanberg, Luitpoldus de Haunberg dynasta præerant, in castellis suis recipiunt, ibiq; collocant. Ciues, præsules qui aduersabantur, & Ludouicum recipere conabantur, tutelam Austriacũ recusabant, spoliant,

Cæsar consecratur. Papa cur à Cæsare deficiat.

Hainricus 15 Boiorũ dux dictus de Natternberg.

Otto rex Vngariæ, & dux Boiorũ moritur anno 1312.

Otto rex Vngariæ, & dux Boiorũ moritur anno 1312.

illorum prædia occupant, colonos atterunt, nemini vltrò citrò commeare licuit. Inter hæc in Italia Imperator Hainricus septimus Cæsar Augustus duodeuicesimo Calendas

Bernardus Dominicanus quem alij Ioannē de monte Politiano fuisse dicunt.

Septembris celeberrimo Christianorum die festo, in sacra æde à Bernardo Dominicano, (qui auro malè ab inimicis Cæsaris conciliatus fuerat) cælesti victima toxico oblita, atque polline Adamantina (quam præsens venenum esse aiunt) sacræ optimi principis potioni indito, nouo, & inaudito exemplo extinguitur. Ita non solum in fastos, annales, acta relatum est, sed & Epigramma in eiusdem ceremoniæ consecraneos extat, & antiquis more maiorum celebratū est carminibus. Quamuis Romani flamines, ægritudine animi, quòd

Annus intoxicationis ex his verbis notatur.

homo vindictæ auidus de hostibus vt vellet, supplicium sumere non posset, animā ipsam efflasse credi sibi postulant. In paucis quoq; post diebus Quintus è medio tollitur. Hunc

Hainricus à monacho caditur.

aduersarium fuisse mendicanti religioni referunt. Hermannus, & Wilhelmus Occomensis Franciscani, hominem ambitus, libidinis extremæ, auaritiæ nota inurunt. Cuncta tum vitia, crimina, scelera, flagitia, quæ hactenus sub virtutis specie, pietatisq; nomine Romanam Ecclesiam incesserant, impudentissimè, aperteq; inualuisse commemorant.

1313. Clemens V. S. P. moritur.

Paupertatem Christianam opprobrium maximum, vitia virtutes, perfidiam iustitiam, fidem astutiam, simplicitatem impietatem, religionem stultitiam censeri, omnia deniq; Romæ venalia esse conqueruntur. Sub idem tempus mortui sunt Gotfridus Fruxinensis,

Vvilhelmus Occā & Hermannus.

Bernardus Bathauensis, Conradus Reginoburgensis pontifex, & Conradus archimysta Boiorum. Huic Wichardus Polemus eiusdem fani decurio, illi Nicolaus regis Boiemiæ

Episcopi mortui & alij eorū loco suffecti.

magister Epistolarum suffectus est. Ludouicus quoq; primæ Vindeliciæ procurator, flagitantibus ciuibus Boiariæ, Monachij copias cogit, atq; cū Berchtolde de Neyffen, Berchtoldo de Graispach, Weichnande de Trausnitz, Hainrico, & Wilhelmo marescalcis à Biberbach, viris bellicæ disciplinæ peritissimis, Mosburgium petit, inde Landshutam contendere in animo habet. Reguli de Hals, Boij, & Austriaci, quos enumeraui, & ipsi correptis armis aduersus Ludouicum infesto intentoq; exercitu obuiam procedunt, Ludouicum à Boiaria secunda arcere connituntur, quinq; millia passuum à Mosburgio, in pago Halerthauu in cōfinio vtriusq; Vindeliciæ apud Gamelsdorff castra locant. Quod vbi Ludouicus per exploratores cognouit, eò arma mouet, toto die à prima luce ad vesperā castra oppugnat, & tandem diripit, hostes in fugam vertit. Qui Volckmansdorff versus, vbi Ambro Isaræ miscetur, & pons, traiectusq; esse solet, fugam intendunt. Dum flumen transire

Ludouicus cū exercitu in inferiorē Boiariam transit.

conantur, ad pontem se constipant. Pons multitudinem subeuntium ferre non valens, corruit, multi mortales in Ambronis fluentis intereunt. Cæteri proceres Boiorum per nota latibula syluarū, quæ ibi crebræ sunt, elabuntur. Austriaci quibus ignota terra erat, quadringenti, quadragintaq; capti sunt, cæteri pars, occisi, pars submersi sunt. Effodiuntur quotidie adhuc ibidem arma, enses, calcaria ab agricolis, certa huiusce conflictus

Ludouicus victor.

monumenta. Parentum memoria cataphractus ferrea omnino specie, in patula fago, cætera præter ossa solutus, repertus est. Posthæc victor Ludouicus inferiorem Boiariam nemine prohibente in fidem titulo tutoris accepit. Hæcq; pugna depugnata est, quarto Idus Nouembris anno Christianæ libertatis 1313. Extant numeri de hoc conflictu. Fridericus Austriæ regulus, quòd summam rerum ambiret, & vt captiuos redimeret, primus de pace mentionem facit, ad Ludouicum amicinū suum mittit legatos, qui ab eo postularent, vt aliquem locū medium vtriusq; colloquio deligeret, velle se de Repub. & summis vtriusq; rebus cum eo agere. Annuit postulatis Ludouicus, captiuos dimittit, amboq; principes Iuuauiæ conueniunt, ibiq; fœdus ictum est. Interregnū tum in regno Ecclesiæ annos duos, menses sex: in Imperio menses quatuordecim fuit. Principes Germaniæ, veluti flamines Romani, in locatione nouorum honorū immoderatius licebantur, venale Imperium differebant, vt huic, qui pluris liceret, addicerent. Pars comitum, Germanorumq; qui apud Imperatorem in Italia stipendia fecerant, cum Baldouino fratre Augusti in Germaniā reuersi sunt. pars in Italia aduentū noui principis præstolantur, aduersus hostes continenter pugnant. Signum referunt, caput Conradi quondam innocenter ibidem (vt ait Edituus) cæsi. Fridericus quoq; Austriacus, filius Alberti Cæsaris, cui Imperium vulgus destinabat,

Vlricus de Vvaldsehe.

flagitantibus Longobardis, Vlricum, de Waldsee Striæ præsidem, cum Vlrico de Pfannberg, genero suo, & Vlrico filio illius cum exercitu in Italiam mittit, Patauij præsidia collocat. Rudolpho præfecto Palatino Rheni, duci Boiorum fratri Ludouici, ingentia dona largitur: Hainrici de Virnburg archimystæ Agrippinensis neptē ex fratre Ruperto, Hainrico fratri suo dat in matrimonium. Ita cautè ab hisce suffragia cauponatur. Elisabetham quoq; Arragonā vxorem ducit: Catharinam sororem filio Ruperti regis Campaniæ, Cala-

Hainricus de Virnburg Episcopus Colon.

briæ principi, nuptum locat. Cum Hainrico Tyrolio, auunculo suo duce Charionū, qui titulotenus regno Boiemiæ, atq; Poloniæ potiebatur, fœdus init. Carolus Vgrorum rex amicinus eius erat. Horumq; dynastarum, regum, principum maximorū Europæ, amicitia, affinitate, cognatione fretus ad summum rerum humanarum fastigium aspirabat. Donatiua largissimè vbiq; per Germaniam Equitibus, militibus distribuebat, auro, quæ maximè humanū ingenium preces efficaces sunt, eos quos idoneos rebatur, munerabatur.

Hasque

Hacque disciplina ad rerum summam affectabat viam. Cum itaq; anno Christianissimi 1314. in Octobri Comitia Cæsarea Francofordiæ haberentur, plenus spei eo cum exercitu, comitibus Hainrico Charionum, Tyrolijq; regulo, Hainricio Goricio, Mænardo Artenbergensi properat. Exclusus vrbe, trans Mœnum in altera ripa castra locat. Petrus autem Mogōtinus, Baldouinus Treuerorū archimystes, Ioannes rex Boiemiæ, Ioannes Saxonum procurator, Waldmarus Brandenburgensium rector, Fridericum ob immodicam largitionem ambitus incusant, affinitatem cum Ruperto hoste Reipub. ab Imp. Hainrico Cæsare Augusto proscripto, contra diui Augusti decretum initam vitio vertunt, deniq; eius fœdus cum Hainrico Tyrolio, qui se regem Boiemiæ, Poloniæq; nuncupabat, suspectum habentes, Ludouicum primæ Boiariæ ducem, ob literarum peritiam fortunam rerum bellicarum, propter animi, atq; corporis egregias dotes, quibus tum cæteris Germaniæ principibus præstabat, accersunt, moxq; in vrbem admittunt, receptumq; pietatis, atq; virtutis ergò refragantibus Hainrico Agrippinensi pontifice, & Rudolpho germano Ludouici, Cæsarem declarant, quintodecimo Calendas Nouembris. Deinde Aquas Graneas deducunt, ibi eum cum vxore Beatrice ex Poloniæ regulis oriunda, more maiorū in solio Caroli Magni collocant, ritu solenni inaugurant. Volckmarus tum obijt Furstefeldensium antistes, qui Ludouico secundo, Rudolpho, & Ludouico quinto, & Machtyldæ principibus nostris à consilio fuit, annalesq; Boiorū (qui autographi extant) ab irruptione eorum in prouincias Romanas, hoc est, ab anno Christi 508. ad annum 1314. quo obijt, deduxit, sua memoria res gestas, quibus etiam interfuit, accuratè perscripsit. Eodem anno Elisabetha regina, vxor Alberti Cæsaris, mater Friderici decessit. Sed de Ludouici moribus pauca prius explananda sunt, quàm initium narrādi Imperiū eius faciam. Imperator Ludouicus quartus Cæsar Augustus, patre Ludouico præfecto prætorio Rheni, duce Boiorū, matre Machtylda filia Rudolphi Cæsaris, nobilissimo Schirorum, & antiquissimo genere natus. Septem annos natus, patrē amisit, sub tutela matris diligentissimè educatus Viennæ in Austria, cum amitinis filijs Alberti Cæsaris literis institutus est. Adeoq; profecit, vt omnes suę tempestatis principes magna vi, & animi, & corporis, ingenio optimo superasse tradatur. Impudentissimo mendacio Chronicariorum, qui illum Romanas literas ignorasse, sicuti alia pleraq; vana, falsaque, comminiscuntur. Doctissimos quoq; Italos, Germanos, Anglos, Theologos, Iureperitos eius consultores fuisse reperio: fugitans tamen, impatiensq; laborum, ocijq; plus æquo appetentior fuisse narratur, a rerumq; scriptoribus negligentia eius instituendis, educandisq; filijs notatur. Monachi, Virgines sanctæ, Christianissimum, pientissimum, & supra quam cuiquam credibile est, modestum prædicant, cæloq; locant, id miraculis, & visis, diuinitus editis confirmant. Eius cultellos, mappas, cæterum huiusce modi supellectilem, vt sacra venerantur, seruant, monstrant. Pictus est in Vndenstorff in porticu, cultu priuato egenos, & nudos manibus suis vestiens. Non admodum locuples fuit superiorem duntaxat Boiariam, cuius primariæ vrbes sunt Wasserburgium, Monachium, Angilostadium, possedit. Publicam instrumentorum (quę in Bibliothecis Boiariæ extant) sequor fidem, fabulas imperitorum missas facio. Id vnde diuerti, exequar. Cęsar declaratus ab Aquis Graneis Agrippinā petit, ibi cultu Cęsareo clientibus Romani Imperij beneficia collocat. At Fridericus intereà cū Mænardo Goricio, Hainrico episcopo, atq; Rudolpho Boio, viginti duntaxat comitibus, Bonnam irrepit: ibi contra decus Imperij, in templo D. Cassij, Cæsar salutatur. Eius exercitus, atq; duces, Hainricus Charionum, itidem Hainricus Goriciæ regulus, desertis castris, atq; papilionibus, metu perculsi, cum vrbibus vbiq; excluderentur, fœdè dilabuntur, palabundi, atq; fugitantium in morem domum proreptant, famem rapis, quæ nondū collectæ erant, solantur, sub dio, & in agris, vbi nox eos comprehendebat, pernoctant. Fridericus quoq; in Austriam clam se confert. Soli Noricorum tetrarchæ Charinni, Tyrolij, sanguine iuncti, Iuuauenses, atq; Bathauenses rebus eius studebant. Cæteri omnes, præter quos hæreditatis titulo possidebat, ciues, dynastæ, principes, reguli, pontifices, antistites, Sueui, præter Vlmam, Franci, Rhenani, Boiemi, Saxones Ludouicum recipiunt. Qui ex Agrippinensi Colonia arma in Rudolphum fratrem (vnde paternam originem trahunt omnes Rhenani principes, quos Palatinos Rheni, & duces Boiorum vocitant) mouet, eundem ex Germania, Galliaq; in exilium ad Anglios agit, terras, vrbes, castella eius occupat. Vxor illius Machtylda, filia Adolphi Cæsaris, in Austriam ad Fridericum aufugit, ibiq; in exilio deploratis rebus suis obijt. Ludouicus in Boiariam se confert, Angilostadij, atq; Landshutæ, vti diplomata ostendunt. & Calendas vndeuicesimo Maij, sextodecimoq; Iulij conuentus agit. Luitpoldus frater Friderici bellum Suitonibus (qui excusso Austriacorum iugo, ob rapacitatem, atq; vim, & iniustitiam prætorum, in libertatem se vendicarant) indixit, & faucibus alpium temerè se committens, amissis plerisq; nobilibus inter quos quatuor Tockenburgij, optimo quoq;, ac maxime manibus prompto, cęso, ipse per calles syluestres, duce regionis perito, ægrè euasit. Fridericus eius frater, Carolo regi Vgrorum, vt sibi auxilio aduersus Ludouicum foret, Scythiam atq; Pisonium vrbes, quibus Andreas rex eius gentis ab Alberto

Carolus rex Vngariæ.

Fridericus ambitus accusatur.

Ludouicus dux Boiariæ Cæsar declaratur 4.

Beatrix vxor Ludouici.

Vollmarus historicus.

Ludouici 4. K. Imp. parentes.

Fridericus Austriacus Cæsar salutatur.

Fridericus in Austriā se confert.

Machtylda vxor Rudolphi Palatini exul moritur.

Luitpoldus contra Suitenses pugnat infeliciter.

berto patre Friderici filiam in matrimonium emerat, reddit, collectoq; exercitu per Charionum, Tyrolliorumq; fines in Sueuiā arma transfert, cum Kirchbergensi regulo Esslingam, partium Ludouici vrbē, obsidet, suburbanas ædes occupat, ibi castra locat, Nigrum deriuare ab alueo suo cōnititur. Verùm sagittis, iaculis, tormentis à ciuibus submouetur. Castra igitur ad Aquilonis oram in montem trāsfert, vrbemq; inde oppugnare nō destitit. Ludouicus obsessis auxilio venit, in ripa aduersa octo dies considet, quotidie tumultuaria, leuiaq; prælia eduntur. Stephanus à Gumppenberg Boiariæ inclytus eques, pernici equo prætergressus suos, Hainricum de Schuueinkenryst, à quo prior vulneratus erat, equo occiso, capit, ne ab amicis occideretur, eundem equo suo imponit, abireq; fide redeundi accepta permittit. Is vbi conualuit, cum equo, sagittarijs instrumentis, vti mos est Germanorum, vadimonium sistit. At copiæ ducum tandem vesperi, præcipuè qui aquatum vtrinq; ierant, in vado quodam fortè amnis conueniunt, & primum leuiter, vti fit, velitantur, mox vtroq; exercitu opem suis ferente, pugna gliscit. Cæsis mille, atq; septingentis equis, paucis mortalium (in quibus Kirchbergensis regulus partium Friderici fuit) interemptis, nonnullis captis, nox prælium diremit. Victoria nulli cessit, vtrinq; postea sine Marte, cunctis bella ciuilia detestantibus, discessum est, cognato sanguine manus polluere formidabant. Eodem tempore, nimirum anno Christi 1316. cum interuallum regni pontificalis duos annos, menses sex in Ecclesia Romana fuisset, Philippo sexto Celtarum rege connitente, Iacob. Baburcus rebus Ecclesiasticis imponitur, & Ioannes vicesimus secundus cognominatur. Isq; Conrado Gurcensi episcopo, ab Austriacis ad se misso, vt Ludouico in ordinem redacto, Friderici Imperiū ratum esse decerneret, petenti, Rudolphum atq; Albertum auum, parentem Friderici collaudanti, item Fridericum sobolem Augustam, indolem eius, atq; mentem nutritam, ac educatam, faustis penetralibus ortam fortes fortibus, atq; bonis procreari, & in iumentis, atq; equis esse patrum virtutem, nec imbellem columbā à feris aquilis progenerari, multis cōmemoranti, paucissimis respondet: Solomonem omnium mortaliū haud dubiè sapientissimum, filium tamen stolidissimum genuisse. Legatos deinde non admodum benignè auditos, re non impetrata, domos abire iubet. Atq; hunc Ioannem temerè, atq; malè de beatitudine, atq; felicitate humana sensisse reperio. Nullam penitus animam mortalium, donec ij reuiuiscerent, atq; immortalitate donati post excidium demum orbis forent, cœlestem in curiam recipi prædicauit. Legi ego Epistolam (quæ extat) Theologorū eiusdem tempestatis, maximè Parisiorum, qui illum hæreseos nota inurunt, atq; vt resipiscat, commonefaciunt. Idem inuitis mystis Episcopos imposuit, sicuti Fruxinensibus Ioannē Brixinensem, deinde & Bambergensem. Illi vt symmistas placarent, Parrochias ipsis tributarias fecere, hospitalitas tum abolita est. Quod in alimenta pauperum ante distributum, in ornamentum, cultum parietum, atq; pompam versum est. Tum priuata sacrificia, sacrificularios pontifices, sacrilegia, compilationes, peculatus (vt tum autumabant) templorum, ac sicuti nunc vocant, incorporationes, & absentias inualuisse reperio. Hic etiam alter & vicesimus omnium pontificum Roman. qui vnquam fuere, pecuniosissimus, paupertatem non solum à Christo seruatore nostro, eiusq; comitibus, & legatis, verùm à philosophis quoq;, poetis, oratoribus, historicis, alienis à religione nostra collaudatam, irrisit. Franciscanos in diem viuentes, hostiatim victum mendicando quærentes, suæ opinioni aduersantes, vt qui Christum, eius nuncios nihil possedisse docebant, impietatis, pestiferi erroris condemnauit, ex ciuitate Christiana exegit, fraterculos nuncupauit, plerosq; igne concremauit. Sacratas fœminas, quas Beginas nominamus, impietatis postulauit, nubere coegit. Quosdam qui in finibus Boiemiæ, atq; Austriæ, supremam illam maiestatem senis, adolescentis, columbæ imagine (vti adhuc fieri solet) pingebant, læsæ religionis accersiuit, Anthropomorphitas esse renunciat, quosdam ad ignem condemnauit. Septimum iuris pontificij librū, quem Clemens quintus, decessor eius, composuerat: sed quòd multa, quæ simplicitati Christianæ, libertati religionis imponerent, ibi continerentur, publicare supersederat, atq; animam agens aboleri iusserat, edidit: omnia quæ ibidem scripta erant, rata fore constituit: quæ à Benedicto, qui Ioanni successit, rursus antiquata sunt. Hæc à Wilhelmo Occomensi accepi. Dominicani Ioannis rebus studebant, quamobrē is illis gratificaturus, D. Thomam albo superûm inscribit, omnibus sacrarum literarum interpretibus præfert. Franciscani ab eo deuoti, principes aduersus eundem concitabant. Inter hæc Fridericus Nemetū Augustam Imperatorum, & regum nostrorum manibus, cineribusq; sacram, petit, proxime mœnia vrbis castra locat. Ludouicus cū exercitu vrbem propugnaturus, proxime castra hostium considet, atq; suis negligentius excubias agentibus, Austriacis de improuiso maximo impetu irruentibus in proximum Iudæorum conditorium, quod muro communitum erat, cedit. Deinde Fridericus arma Argentoratum vrbem Tribochiorum transfert. Ciues cum Ludouico, episcopus cum Friderico sentiebat, eum aduersus ciues in auxilium euocarat. Subsequitur Ludouicus, ex aduerso papilionis Friderici castra locat: Alsatium, qui eum sagitta interficere conabatur, securi percuti iubet. Dieq; posteà constituto, ambo prin-

Esslinga obsidetur. Stephanus à Gumppenberg. Hainricus de Schuueinckenryst.

Interregnū papatus anno 1316. Ioannes 22. P. M. antea Iacobus Caturcensis dictus est, & 23 numeratur.

Pontificis M. varum responsum.

Anthropomorphitæ.

Thomas Aquinas cur inter superos relatus.

principes acies dimicaturi ordinant, signaque canunt. Mox cælesti munere vniuersi cognato sanguine manus polluere abominantur, atque ordinibus solutis dilabuntur. Duces vtrinque affinitate amicitiam confirmant. Ioannes Rex Boiemiæ sororem suam Mariam Hainrico Tyrolio, quem Boiemia, atque Polonia exegerat, despondet. Verùm puellæ hæ nuptiæ cordi non fuere, se deuotam Christo esse, bellum matrimonio indixisse tum causata: Carolo pulchro regi Occidentalis Franciæ in manum posteà venit. Hainricus igitur Tyrolius Margaretham filiam suam Ioanni filio regis Boiemiæ connubio iungit. Vlricus Ottingensis Ludouico intimus Gutam sororem Austriacorum vxorem ducit. Otto frater Gutæ, & Friderici Elisabetham Boiam, filiam Stephani, sororem Hainrici duodecimi, atq; Ottonis inferioris Boiariæ ducum, iam pridem sibi desponsam, nuptiali thalamo sibi iungit. Horum familiares, ac aulici fuere Neithardus Fuchs, & Parochus de Calenberg, varia haud triuiali iocandi, ludendi voluptate ac comitate inclyti, maximè rusticis iculariter animi relaxandi causa imponendo insignes, eorum lusus & facetias adhuc canimus. Otto itaq; ille ob affinitatem cum Boiis initam, Albertus quòd æger pedibus esset, bello abstinebant. Horum fratres Fridericus, atque Luitpoldus, Italis opem eorum aduersus Welfos, hoc est hostes Reipublicę, atque sacrosancto Imperio rebelles postulantibus, Hainricū fratrem, Hainricum Tyrolium, Conradum ab Auenstain suppetias ferre iubent. Ipsi noua affinitate Boiorum, qui secundam Vindeliciam incolunt, freti, aduersum Ludouicum arma mouent. Muldorffij, quod est municipium Salisburgensis Episcopi, Oëno contterminū, in cōfinio vtriusq; Boiarię copias cogunt, in fines Ludouici hostili animo progredi conantur. Ludouicus accitis in societatem equitibus, atq; militib. secundæ Boiariæ, obuiam pergit. Castra Muldorffij locat: Austriacos à finibus suis arcere parat. Ibi tum Seyfrido à Pessenhausen filio Bernardi Gensbergum prope Angilostadium cum finitimis colonis tradit. Dumq; dimicare cū hostibus, aleam belli tentare, ferro decernere meditatur, inferioris Boiariæ proceres partim auro, & pollicitis corrupti, partim metu, & tædio ciuilium armorū, alij affinitatem cum Austriacis excusantes, in fugam se nemine persequente, conniciunt. Ludouicus Monachium cedere cogitur. Quod vbi Austriaci cernunt, fines Boiariæ inuadunt, ab Oëni ora vsq; Danubium, atq; Reginoburgiū impunè casas, villas cōburunt. Nullū quidem castellū, oppidūmue expugnant, incendiis cuncta, nemine prohibente cōplent, templa monachorum expilāt, mystarū collegia diripiunt. In quibus duo fuere, proxime patriam meam Pæring, atq; Ror. Hanc iniuriam Fridericus (sicut tabulę ostendunt) moriturus, pecunia testamento legato posteà cōpensauit. Cæterùm idem, tum Reginoburgēsibus portis clausis transitū denegantib. fines inferioris Boiariæ intrat. Bathauiam versus, cuius Episcopus Albertus, amita Friderici genitus, Austriacorū rebus studebat, contendit. Secundæ Vindeliciæ incolæ res suas ad Allerspach transferunt. Quas cum duo Bardi furto intercepissent, à cæteris consecraneis clam in vincula cōiecti, oculisq; priuati, mori coacti sunt. Cædisq; authores nihilominus rei diuinæ, quod eis per homicidium non licebat, intersunt. Tandem vbi id resciuere monachi, missa Romam legatione à Berengario Tusculano, à piacularis sacris vicesimo secundo ritu solenni resoluuntur. Hainricus quoque, atque Otto, & Hainricus secundæ Boiariæ rectores, in Vilshofen, distributo opere inter monasteria, mœnia, fossam, vallum, subitò reficiunt, oppidum, quod ligneum receperant, lapideum reddunt. Inter hæc Ludouicus recuperatis viribus Austriacos insequitur. Verùm præda onustis domum properantibus, Bathauiaque cedentibus, pugnandi copiam Ludouico tum dare non fuit consilium. Posteaquam Austriam attigere, merces negociatorum Reginoburgensium, qui Viennæ, & aliis oppidis rerum venalium tabernas aperire solebant: item Allerspachij, cæterorum Boiariæ mystarum, atque monachorum vina, quæ veterum principum Boiorum beneficio in Austria possident, diripiunt. Iisdem diebus Volckmarus Brandenburgensis regulus absque liberis decedit, & Rudolphus frater Ludouici in exilio obiit. Ludouicus Brandenburgij ducatum filio cognomini maiori natu in fidem, atque tutelam committit, eidem filiam regis Cimbrorum connubio iungit. Auditaque morte fratris sui, filios eius, nepotes suos Rupertum, Adolphum, Rudolphum in Boiaria Wolffratzusij natos accersit, eisdem gratiam facit, & decreta omnium rerum, quæ parens illorum commiserat, obliuione, Palatium Rheni quasdam vrbes Nariscorum, atque Boiariæ, quæ est in Francia, reddit. De Comitiis Cæsareis id cauit, vt proles sua, atque fratris, illis vicissim interessent, atque primas quidem Rudolphi, quippe maioris natu, secundas soboli suæ tribuit. Atque hoc pactum quamobrem nunc antiquatum sit, atque pro obsoleto, irritoque habeatur, nisi ignauiam nostram accusare velim, haud scio. Reginoburgio per idem tempus tumultuatum est. Monachi cum Episcopo primo, deinde mystæ etiam cum ciuibus decertarunt. Mortuo Hainrico Wintzerer Diui Haimerami pręsule, Nicolaus vrbis Pontifex, monachis patrem, atque magistrum iure suo imponere conatur, manibus pedibus recusantes vrbe pellit. Ipsi Abudiacum, atque Abusinam petunt, ad Bernardum, atque Vlricum tertium pa-

Ioannes Rex Boiemiæ.
Mariæ filia regis Boiemiæ.
Carolus Pulcher Rex Franciæ.
Margaretha filia ducis Carinthiæ & comitis Tyrolis.
VVelfi, qui & Gvvelfi.
Pæring, Ror monasteria.
Ludouicus Marchio Brandenburgēsis.
NOTA.
Nicolaus Episc. Ratisp. moritur.

triæ meæ regulos, atque propugnatores templi sui confugiunt, ibi Balduinum præsulem salutant. Is comite Alberto de Schmidmul Auinionem proficiscitur, immunitatem ab vicesimo secundo impetrat, atque emit, ibique ex hac vita migrat. Cui Albertus à Pontifice Max. sufficitur. Consuetudo tum erat Reginoburgij (sicut adhuc Viennæ in Norico est) panifices, qui contra legẽ panes coquendi, aut põderandi deliquerant, in aquam, lacunam, volutabrũmue aliquod de ponte deiicere. Huiuscemodi cum contumelia castigatus, ciuem, qui se prodeuntem denuò in cœnum obtruserat, in præsentia, quidem dissimulata ira, verùm posteà sacerdoti ad ægrotum cum sacra hostia properanti genua ponentem, nil mali suspicantem, obtruncat, cædeque perpetrata in prętorium pontificale elabitur, fit tumultus. Ciues indignitate facinoris commoti, arma corripiunt, in ædes Episcopi vi erumpunt, ex penetralibus homicidam corripiunt, moxq; indicta causa securi percutiunt. Nicolaus Episcopus Ecclesiasticam libertatẽ violatam vociferatur, vrbe excedit, nec posthac vnquam, quòd ciues se iure id fecisse dictitarent, proinde satisfacere recusarent, redit, exul Altaichij, quod superius vocãt, ibique eius sepulchrum ostenditur. Monachi ab Abulina patria mea rursus Reginoburgium migrant, atque libertatem à Pont. Max. datam, acriter hucusq; tutantur.

Margaretha regis Boiemiæ filius. Richarda Iuliacensis Beatrix. Boia.

Eadem tempestate inferioris Boiariæ duces Hainricus tertius decimus, atq; Otto sextus, qui pubertatem nacti, ex ephebis excesserant, alter 22. hic 15. agebat annũ, cum Hainrico quartodecimo patruele suo, octo annos, mẽses quinque, dies tres nato, Strubingæ quinto Kal. Februarij coëunt. Tertiusdecimus Margaritham filiam Ioannis regis Boiemiæ, Sextus Richardam Iuliacensem vxorem ducit, Beatricem sororem suam Hainrico regulo Goriciæ nuptum dant: Elisam anteà vt dixi, maritarant. Atque vt æs alienũ dissoluerent, seq; atque sorores dotarent, & splendidissimè instruerent, suasu equitum inferioris Boiariæ colonos, & clientes nobilium, ciuium, monachorũ, sacerdotum censu vngulario, quem nobilitas vi exercuit, extra ordinẽ onerant. Equum, atq; taurum vehiculariũ viginti, bouem quindecim, pecudes ouẽ, capram, suem quatuor sestertiis censent. Acta parentis, & Ottonis regis, atque priuilegium ab hoc datum, quod hactenus irritum, vanũ, necdum vsu captum fuerat, cõprobant: nouo deinde diplomate authores fiunt, dantque (nisi vniuersa quæ illo pacto cõprehenduntur, obseruentur) ciuibus, nobilibus, sacerdotibus aduersus se conspirandi potestatẽ. Cæterùm Episcopi Boiariæ secundæ Fridericus archimystes Salisburgensis, Nicolaus Reginoburgẽsis, Albertus Bathauensis, Vlricus Episcopus de Chiemsehe, Fruxinenses mystæ, qui tum Pontifice orbati erant, intercedunt, libertatẽ Ecclesiasticam pollutã vociferantur, nobilitati, ducibus Boiariæ inferioris sacris interdicunt, ne rem diuinam sacrificuli, monachi, publicè, priuatim faciant, edicto publico decernunt.

Fitrich in Kernten.

Quamobrẽ Ludouicus vtrisq; diem Reginoburgium Quinquagenalibus dicit. Ibi Boij, principes Hainrici, atq; Otto, huiuscemodi manubiarum genus perpetuò abiurant, diplomate, quod extat, ne id à posteris tenetur, satis dant: Ludouicus quoque Cæsar iure comprobat. Deinde illi à diris soluuntur. Hancq; expiationẽ Ioannes Pont. Max. per præsules Raytenhaslach Soin, atque Victoriaci mandatarios ea lege confirmat, vt vniuersi equestris ordinis Boij sacramentum dicant, se nunquam vllo pacto huiuscemodi ausuros, fidẽ dent. Hisce confectis, Ludouicus cum patruelibus suis Landshutam Iulio Mense petit, inde Augustum Monachij exegit. Dum hæc in Vindelicia fiunt, Fridericus, atq; Luitpoldus ferro decernere, finem bello facere, Ludouicum à tergo, à fronte vrgere, circumuenire, vincere, aut succumbere constituunt, bellum quàm maximo possunt apparatu instruunt. Luitpoldus dissimulato consilio, cum paucis per fines Iuuauensiũ, Tyroliorumq; ad principatus ab auo, patreq; relictos, quos in Rhetia, Sueuia, Rheno contermina, Gallia Celtica, possidebat, penetrat, vbi delectus agit, donatiua distribuit, equites, militesq; legit. Idem in Orientis ora Fridericus factitat, Hainricum fratrem (Ottone, atq; Alberto, vti retuli, ciuilia arma, quod amitini Ludouico essent, abhorrentibus) in partes trahit. Itidem Fridericum de Leibnutz, Albertum à Saxoniæ principibus oriundum, Bathauensem, Theodericum Lauentinum Episc. socios ad se receptos sibi asciscit.

Fridericus de Leibnutz Episc. Salisb. Emicho de Alsehe.

Emichonem de Alsehe ad Hainricum Charionum, Tyroliq; præsidem opem postulatum proficisci iubet. Auxilia viginti sex millia à Carolo rege Vgrorum amitino suo missa parat. Vgri, Scythæ, Daci, Getæ, Walachi, Pannonij, Mæsij Ratzij, Bulgari, Serui, & Barbari, Turcæ comani erãt. Hastatorum duo & viginti millia, sagittariorum quatuor. De regno suo equites mille, atque quingentos, peditum viginti quatuor millia armat. Hisce contractis fratri per nuncios mandat, vt à fronte nimirũ à Lyci ora Boios inuadat, se à tergo, nempe Oëno irruptionem facturum aperit.

Agmund monasterium.

Posthæc ex Austria Occidentalem Boiariam versus hostili animo arma mouet. Agunto Stiriæ transitum facit. Engelbertus eiusdem fani antistes, atque Bartholomeus cœli, atque syderum peritissimi, diras Friderico canunt, ipsum inauspicato arma cepisse, malis auibus proficisci, inuitis superis exercitum ductare, ad excidium præsens, necem imminentem, veluti victimam sorti suæ destinatam properare prædicant. Commonefaciunt, ne iram Dei Optimi Maximi procul dubio ceruici suæ impendentem, lacessere pergat, sed ineuitabile fatum est. Fridericus huiuscemodi vatum periti-

periti-

perstitionem, vanamque religionem contemnit, sese flumina siccaturum, vniuersas Boiorum regiones consumpturum multitudine rebatur, per Iuuauensem agrum, Muldorffenses Iuuauensium clientes petit, ibi Oenum traducit copias omnes, atque castra locat, prædas agit, cuncta incendiis complet, aduentum fratris Luitpoldi, qui haud ita multò minoribus copiis à Rheno conterminis regionibus infesto intentoque exercitu, per Rhetos ad Lycum contendebat. Porrò Ludouicus contra & ipse delectus agit, vires vndique comparat, auxilia accersit. Ad eum Ioannes Rex Boiemiæ, huius gener Hainricus tertiusdecimus secundæ Boiariæ rector cum auxiliaribus Balduini archimystæ Treuerorum copiis, item Fridericus vrbis Norinbergæ præfectus, Hennenbergensis antiquæ Franciæ regulus Monachij coëunt, cum equitibus mille, & quingentis, peditum verò duodeuiginti millibus. Ludouicus cum hisce, & aliis, quas ex suo regno collegerat viribus, hosti obuiam pergere constituit. Cæterum tanquam moriturus testamentum condit. Wilenrhod Furstenfeldensibus, vbi parentes sepulti sunt, & ipse condi decreuerat, legat. Inde duodecimo Kalendas Octobris Monachio egreditur, Muldorfium dein intenta acie procedit, vim vi prohibiturus. Proxime hostes iuxta vicum Ampfing, flumenque Isenisicum, sub monte Dornberg in campo, quem Vechvvisen Boij appellant, castrametatur, atque quinto Calendas Octobris in tumultuario prælio, primaque ferentariorum velitatione maximum numerum Vgrorum, atque inconditorum barbarorum à Boiis, Francis, Boiemis prostratam esse in annales, atque fastos relatum est. Eodem die Luitpoldus frater Friderici, Lyco superato in Vindeliciam ad Ambronem amnem, atque Furstenfeldium peruenerat. Damasiam vicum, atque Monasterium, inde Monachium petiturus, atque obsessurus, occupat, possidet. Conradum Dominicanum, Berchtoldum fratrem eius, qui Machtyldæ genetrici Ludouici amitæ Austriacorum à sacris, & ab ea Damasianis mystis præfecti fuerant, capit, in vincula conicit. Illicoque ad fratrem exploratum, quid nam rerum agatur, nuncium, qui à Ludouico interceptus est, mittit. Fridericus ergo impatiens moræ, incertus vbi nam gentium frater sit, auidus pugnæ, & finem bello faciendi, præceps in fata ruit, ne vnū quid diem, vt res fratris per speculatores explorarentur, præstolari voluit. Dissuadentibus magnopere, sed frustra hanc operam sumentibus, Theoderico de Pylichendorff magistro equitum, atque Vlrico & Hainrico, fratribus de Waldsehe, diem posterum prælio dicit, atque aperto Marte cum omnibus copiis ferro decernere cum Ludouico statuit. Atque vesperi eius diei, qui conflictui constitutus est, Fridericus archimystes Salisburgensis, virtutis ergò hosce equites, quos infrà enumerabo, vsu auri, atque orichalci donat, quos à numero comitum, atque equorum Tritteros, siue vt vulgò loquar Ritteros, ablata ob voluptatem aurium, vocalitatemque prima, vt fieri solet, litera, hoc est Tertianos nuncupamus, Romani Torquatos, ac Decuriones Equestres vocitant. Et quod numerus primum fuit, iam honor, atque dignitas, atque qui tum abs Episcopo ritu solenni, ense stricto, semel humeros verberati sunt, Norici, ac Vindelici hi tres, atque nonaginta fuere. Nicolaus, atque Eckhardus de Than, comes eorum Hainricus Oder.

Fridericus Burggrauius, comes Henenbergensis.

Ampfing. Ism. Dornberg. Die Vechvvisen.

Dorffen. Conradus Berchtoldus.

Theodericus de Pylichendorff.

Tritter. Ritter. Tertiani. Torquati. Decuriones.

Conrad Thumshirn.
Dietherus Velber.
Conradus Oberdorffer.
Orthulphus de Maß, comes eius Hainric. Pruninger.
Vlrici duo VVispeckhij.
Friderici itidem duo, parens ac filius Kæpffelmannē.
Hainricus, Gotfridus, Sigvvoldus Lampoltinger.
Sigvvoldus, & Albertus Noppinger.
Hainricus, & Gebhardus Trauner.
Nicolaus de Alben.
Conradus & Albertus Trenbeckij.
Iacobus Spær, comes eius.
Artholphus Schœnberger.
Nicolaus & Conradus dicti Aussaer.
Marchardus, & Rudolphus de Vandorff.
Ludouicus de VVelkirchen, comes eius.
VVernhardus, & Ludouicus Truchsasseri.
Eckhardus Geyer.
Ioannes Pfa'finger.
Zacharias Panthir.
Albertus Gebinger, eius comes.
Iacobus, Vlricus, item Iacobus de Turre.
Rugerus de Raidek.
Petrus Gansperger, eius comes.
Vlricus de VVens.
Vlricus, & Otto de Achdorff.
Ioannes Eckher, comes Othmarus Visler.
Rapoldus Albrechtshamer.
Luitpoldus comes de Panichenstain.
Taganus de Tegborn, comes eius.
Otto de Boibentz.
Fridericus Karlsperger.
Fridericus de VVolffsaw.
Otto de Steyr.
Rudolphus Heleneckher.
Luitpoldus Frey.
Hardneid Mansperger.
Orthulphus, Diethmarus.
Nicolaus die Püchser.
Fridericus de Lobnigk.
Hardneid Schlesperger.
Fridericus de Schratenberg.
Iacobus de Hohenstain.
Ludouicus de Belkirch.
Ioannes à Neydeck.
Albertus de Dachenavv.
Hermannus de Muendorff.
Ludouicus de Ror.

Hain-

Hainricus Silbelberger.
Vlricus, & VVittichus die Berger.
Conradus Statauer.
VVulfingerus Flachsperger.
Conradus de Steg.
Conradus de Sachsen.
Vlricus Hofer.
Fridericus Reichenburger.
Vlricus de Langavv.
Herman de Lenberg.
Hainrich de Laim.
Luitpoldus TVvarffer.
Conradus de Pettendorff, eius comes.
VVolfing Thor, comes eius Gotfridus Keltz.
Hainricus Massenberger.
Vlricus Nusdorffer.
Ioannes Haunsperger.
Petrus Sultzberger.
Nicolaus Reinhold.
Hainricus Oxel.
Vlricus Geldman.
VVolffhardus Aldenburger iunior.
Adelramus Stralenfelser.
Eckhardus, & VVolffhardus Offensteter, à patria mea ter mille passus orti.

At Fridericus, vbi rei diuinæ operam dedit, opemque Superûm implorauit, atque illuxit, Pontifices euentum belli Muldorffij expectare iubet, confestim copias è castris educit, ordines, cohortes, turmas instruit, in fronte fratrem suum Hainricum, Styrios, & Iuuauenses, cum Austriæ signo, quod Theodericus de Pilychendorff magister equitum ferebat, constituit. Vgros, Scythas barbarorum agmen Hainrico, atque Vlrico de Waldsche ortis permittit. Ipse cum Austriacis, & Noricis propter Aquilam assistit. Ex altera parte Seyfridus Schvveppermannus, homo militaris, atque senex, qui à teneris vnguiculis ætatem in rebus bellicis egerat, legatus Ludouici, exercitum pro loco, atque copiis instruit. Ioannem regem Boiemiæ cum genero Hainrico, atque popularibus in principiis, ob honorem Diui Wentzeslai Boiemiæ reguli, cui is dies festus erat, vt pugnam cieat, atque in primis prælium committat, collocat. Ludouicum commutata veste propter Aquilam in confertissimo Boiorum cuneo constituit. Albertum Rindmaull præsidem Neostadij, quod à patria mea quinque lapides abest, Conradum de Baybrun, disciplinæ militaris omnium Boiorum tum peritissimos, à læua, dextra procurare, atque vnum Fridericum petere, in vnum tela conijcere præcipit. Fridericum vrbis Norinbergæ præfectum cum quadringentis equitibus, veluti triarios, trans se nitscum in subsidio atque insidiis delitescere, & dato à se signo erumpere, à tergo hostibus instare mandat. Posthæc Boiemus paulatim incedit, idem hostes faciunt, infestis tum signis concurritur, fit prælium atrox, & diu anceps, à solis ortu vsque ad occasum fermè per decem continenter horas pugnatum est. Fridericus strenui militis, & boni Imperatoris officium simul exequitur. In prima acie cum expeditis versatur, laborantibus succurrit, hostes ferit, pugnat, omnia prouidet. Iam Boiemi loco pelluntur, pedem retro referunt. Rex caballo, cui insidebat, interfecto, in alium equum imponitur. Quingenti iam abiectis armis hostibus se dediderant. Seyfridus qui nó magis ducis, quàm militis munere fungebatur, cum Boiorum agmine laborantibus. Boiemis subuenit, vim hostium, donec Boiemi editum collem occuparent, sustinet. Ibi restituto prælio, redintegrata acie, virtuti dolum addit. Ventosus, atque serenus dies erat; aciem ita ad solem conuertit, ac componit, vt puluis in oculos, atque ora hostium ferretur, & ex splendore armorum ac repercussione quasi cælum ardere videretur, & lumina hostium perstringerentur. Deindeque iussu chvveppermanni Fridericus Norinbergensis præfectus, signa Austriaca habens erumpit, Iseniscum, qui vadosus est, transit, terga hostium, qui Luitpoldum fratrem Austriaci esse, atque sibi in auxilium properare rebantur, inuadit, animum Boiis reddit, trecentes atq; integri facilè fatigatos cædunt, fundunt, à fróte à tergo instant, vrgent, prosternunt. Quod vbi quingenti, qui se antè dediderant, conspicantur, mox correptis armis in Austriacos feruntur. Acies itaque Friderici turbatur, fit fuga, primò terga dedere Vgri, & barbari, atq; multi more pecudum mactantur. Hainricus frater Friderici, atque Theodericus signifer viuus in potestatem Boiemorum venit. Rindmaulius cum suis optimum decus, capto Friderico, expetens, in equitum agmen, vbi Fridericus erat, irrupit, cuneum hostium perfregit, Friderico instat. Idem pars diuersis locis facit: tum verò similis strages ruinæ fuit. Austriaci abiectis armis se dedunt. Tandem Fridericus, vbi se solis cum paucis relictum, copias fusas videt, deditionem Rindmaulio vrgente facit, à quo ad Ludouicum, quem à se interfectum arbitrabatur, deductus arcta custodia obseruari iubetur. Omnes Austriæ optimates (mille centum, atque sexaginta fuisse referuntur) viui in potestatem hostium deuenere. Episcopi audita clade suorum, fuga sibi in tempore consulunt. At Ludouicus profligato hostium exercitu, reliquisque captis, receptui canit, suos qui tota die conflixerant, corpora curare iubet. Cum nihil præter pauca oua, quibus famem restinguerent, epularum curam gerens, suppeteret diceret, præcipit vnicuique ouum, Schvveppermanno, cuius industria vicerat, duo dare. Id quod in prouerbium vulgò protritum cessit. Deinde aduersus Luitpoldum, quem Lycatiorum agros insedisse diximus, expeditos præmittit. At ille audita fratris captiuitate, tam aduersa pugna nunciata, suis metu, fama tantæ victoriæ percul-

Friderici maritio.

Henricus frater Friderici.

Rindmaulius.

Austriaci se dedunt.

perculsis,passim diffugentibus & dispersis,quacunque patebat ad fugam via erumpentibus,cedere cogitur. Conradus,atque Berchtoldus Damasiæ antistites liberati sunt. Posthæc præmia victoribus donantur, captiuique inter eos diuiduntur. Proceres Austriaci Friderico vrbis Norinbergæ addicuntur,qui seruati,& vita donati, domum liberi dimissi,sese in clientelam,seruitutemque perpetuo Normbergensi præsidi dicarunt, adeò vt etiam nunc,quoties fata patroni,clientis sue tulerint,sese viuere,ac quicquid habent,non iure suo,sed illius beneficio possidere agnoscant,in verbaque illius iurent. Hennenbergensis in senatum principum Imperij allectus est.

Hainricus Austriæ Dux regi Boiariæ traditur.

Hainricus Austriæ Dux regi Boiemiæ traditur,atque ab ipso in Boiemiam captiuus abducitur. Fridericus Cæsar primò ad Dornbergium,vbi Wolphingerus de Goldeck,filius Ottonis habitabat: deinde postero die Otingam deducitur. Hic coeunt proceres, tribuni,duces,horum consilio ille Reginoburgium in domum Gumperti, inde à Wichnando vicario ad Trausnitz (arx est Nariscorum,haud longe à Nabburgio) abducitur,vbi tres annos, menses sex captiuus detinetur. Cumque nomen arcis,quod Boia lingua,ne credideris,valet,audisset: vates, inquit, fuit veridicus,atque diuinus superûm interpres,qui hoc tibi nomen fatale indidit. Nec enim vnquam fore credidissem,vti tantus Rex,& in hac regione omnium opulentissimus, ita captiuus, atque vinctus ad te deducerer. Atque hoc prælium factum quarto Kalendas Octobris,anno ab orbe seruato millesimo, trecentesimo altero, & vicesimo.

Ampfing vicus.

Ampfing vicus antea ignobilis,vbi dimicatum fuit, hac clade emersit. Extat tinnulum decastichon de hoc conflictu. Eodem anno Saraceni Armeniam vastarunt,Christianos in seruitutem redegerunt. Porrò Ludouicus vbi ædiculam Deiparæ Virgini triumphalem,Satlariam vocant, extruxit,victricia signa prima Landshutæ intulit. Fridericum Archiepiscopum Salisburgensem proscribit,Diethmaning supra Burckhusium occupat,Wolfingero Goldeckher tradit.

Diethmaning.

Inde Angilostadium petiuit. Posteà tali inclytus triumpho fines Imperij lustrat,ciuitates, municipia,vicos,castella adit,vniuersi victori obuiam procedunt,ob res bene gestas congratulantur. Qui antè eidem aduersabantur,certatim deditionem faciunt, sacramentaque dicunt. Ita enim natura comparatum est,vt eò animus hominum,quo fortuna inclinet. Et sicuti lætis semper aduersa interpolantur.

Beatrix Augusta moritur.

Beatrix vxor Ludouici iisdem diebus è medio tollitur. Eius sepulchrum Monachij in templo Deiparæ Virginis iuxta marmoreum mariti Mausoleum monstratur. Strubinga quoque Vindeliciæ secundæ vrbs insignis decimo octauo Kalendas Iulij vesperi de cœlo tacta, media conflagrauit. Verùm Ludouicus vbi eluxit,ad secundas nuptias animum applicat. Margaretham Bathauam neptem Wilhelmi Cæsaris,filiam Wilhelmi tertij, sororem Wilhelmi quarti, sororem reginæ Angliorum,vxorem duxit,nuptias regio apparatu Agrippinæ facit. Auctus itaque viribus,& affinitate Angliorum, opibusque locupletissimæ vxoris,quæ Selandię,Phrysiæ,Hannoniæ,Hollandiæ hæres erat, visus est Ioanni Pont.Max. Ruperto regi Campaniæ,Carolo pulchro regi Occidentalis Galliæ potentior, quàm ipsis vtile forte esset.

Conspiratio quorundam potentum in Ludouicum Cæsarem.

Cæpit ergo ob virtutes,atque fortunam formidolosus,atq; suspectus haberi. Quamobrem illi non tam aduersus Ludouicum, quàm Germanam libertatem (qua salua,illi salui non essent) conspirationem faciunt: Imperij nomen, atque fauorem ex Italia, atque Roma excindere conantur, adeò vt nemo in Italia sit,qui Imperatoris rebus studeat. Trahunt facile in partes Luitpoldum captiui Friderici fratrem. Decimas huic,vt Ludouicum in Germania oppugnet,sacerdotes qui in eius regno forent, pẽsitare Vicesimus secundus imperat.

Poloniæ primus Rex, & cur.

Poloniæ quoque ducem, quo immunis Imperij, cui hactenus stipendiarij,ac obnoxij Poloni fuerant, agat,regem appellat. Sacratos Teutonũ equites,cum Lituanis alienis à religione nostra, hostibus Reipubl. Christianæ fœdus inire iubet,inducias inter inimicissimos biennio facit. Et Lituani eius iussu in Brandenburgẽses,filio Cæsaris parentes,crebrò atque impunè cõmeant. Vltrò,citrò arma mouent,cuncta cæde,incendiis complent,greges hominum captiuos abigunt,virgines,coniuges alienas stuprant, fana,ædes sacras compilant. Sub idem tempus primarius sacerdos Berchtrandum flaminem Rom. Philippum Valesium, qui Vestriaca Francia postea potitus est, cum copiis in Italiam mittit. Ciues,dynastas,oppida ab Imperio, ab Ludouico ad se deficere cogit,fidem seruantes deuouet.

Berchtrand. Cardinalis.

Eosdem per Berchtrandum Dominicanum impietatis quęstorẽ hęreseos nota inurit,armisq; inuadit. Petra Mala,& Mattheus ab Adolpho Cęsare pręses Italię datus,eius filij Lucinus,& Stephanus, Marcus,ac Galeacius eloquentissimi,ac grauissimi viri,cęteriq; vi,Pontificiaq; seruitute oppressi,Turianos,Welphonesq; partes Pontificis Mediolano pellunt,ad opem Cæsaris confugiunt, Maiestatẽ populi Germani implorant,Ludouici auxilium inuocant.

Philippus Comes de Valois.

Turriani Mediolano exacti.

Is Berchtoldũ de Neyffen,Fridericum de Truheding,Berchtoldũ,& filios eius Berchtoldũ,& Hainricum de Graylpach regulos,Boiarię,Francię,Sueuię virtutibus, & natalib. celebres: qui pro prudentia,atq; fatidica suorũ cognominũ diuinatione pacem,atq; concordiam inter Christianos confirmarent,ad Pont. Max. item ad legatum eius frustra proficisci iubet. Berchtrandus ille pacti turbator (id enim Berchtrandus Germana lingua valet) non solum legatos Cæsaris à Pontifice ad se reie-

reie-

Legati Lud. Cæs. ad Pôt. Maximum.

reiectos, non audiuit, sed & contumelia affectos, quasi hostes excedere Italia iussit. Moxque Mediolanensem agrum crudeliter depopulatur, stupris, cæde, incendiis vniuersa, vel bello fieri solet, complet. Ludouicus, quod sacramento rogatus, religione iurisiurandi adactus esset, se maiestati Imperij, Reipublicæque nunquam defuturum, inopibus contra fas, præter æquum armis afflictis, ad populi Germani libertatem confugientibus, quos sine maximo scelere deserere nô posset, superiores tetrachas, Cęsareis auspiciis suppetias ferre, vim vi repellere, iure gentium imperat. Atque hæc ex vtriusque principis Romani edictis, quæ in Boiarię publicis Bibliothecis seruantur, excepimus. Ea si Chronicariorum mendaciis discrepauerint, illorum negligentia, atq; temeritas (qui amore, atque odio cæcutientes, ac imperitia confisi fabulosa, omissa publica instrumentorum authoritate, sibi conquirere permittunt) accusetur, & vt possint illorum nugæ sperni, tamen fides nostra non debet. Quæcunque in diplomatibus reperi, incorrupta profero.

S. Pont contra Ludouicum bulla, veneno plena.

Igitur Vicesimus secundus hac bulla Cæsarem afflat. *Posteaquam (inquit) a decessoribus nostris, res Romana, à Græcis ad Germanos translata, Carolo Magno in fidem atque tutelam commissa est, summus ille honor, beneficium Pontificis Max. esse solet. Decretum siquidem est, vt cùm Germani principes regem iussissent id demum ratum esse, si Rom. Pontifex, vniuersi orbis Christiani pater, atque princeps author fieret, nec ante cuiquam Comitiis Cæsareis, suffragiis principum designato regi, neque administrandi, neque regij tituli vsurpandi ius est, quàm primarius sacerdos, Dei Opt. legatus, suo numine faueat, & aspiret. Præterea summa potestas, maximum Imperium, vbi orbum capite fuerit, penes Max. Pontificem, cuius beneficium illud est, existit. Itidem vbi septem suffragatores Comitiis Cæsareis discordes fuerint, neuter Rex est. Episcopus Romanus, sicut communis omnium mortalium parens, fasces Romanos ob dissensionem destitutos, Rempublicam derelictam, suo arbitrio temperat. Quemadmodum animus imperare, corpus illi, cuius beneficio viuit, seruire debet: ita optimè consultum esse rebus Christianis, nemo ambigit. Vbi fragilia æternis, prophana sacris, corporalia spiritalibus subdita sunt, atque obtemperant. Quod tum fiet, quando Pont. Max. dignitatem vtramque suo arbitratu moderatur. Ecclesia dominatur, eius lege atque imperio omnis potestas redigitur. Et Imp. religione sacramenti ei, qui terris præsidendo vicem cæl. stis Imperatoris perfungitur, addictus est. Hasce ob causas, cum post fata Imperatoris Hainrici septimi, duo Fridericus, atque Ludouicus reges cõsalutati fuerint, ambo vtpote contra auspicia creati, indigni sunt summo rerum humanarum fastigio. Respublica in medio derelicta, atque dilacerata, à nobis iure nostro administratur. Proinde Ludouicus maximo malo suo, non minore Ecclesiæ Romanæ detrimento, necdum à nobis dignus, qui imperet iudicatus, sua sponte regium nomen, rerum habenas temerè vsurpauit, atque vi in Italia, atque Germania occupat. Nam Brandenburgensem principatum contra l gis atque intercessionem filio suo tradidit. In Italia Galeacio, eius fratribus de crimine hæreseos condemnatis, atque renunciatis, suppetias tulit. Nos igitur iuxta munus cælitus nobis datum, Ludouico præcipimus, vt intra menses tres sese abdicet ab regio nomine, gubernatione, functionibus publicis, rebus gerendis penitus abstineat, à se hactenus acta rescindat, nec posthac nisi iussu, & mandato nostro dignitatem resumat. Quod si obtemperare detrectauerit, patriarchis Episcopis cunctis, sacerdotibus, principibus, ciuitatibus imperamus, vt eundem deserant, ac nobis parere cogant. Data, atque publicata Auinione, octauo Idus Octobris, anno dignitatis octauo, Christi verò 1321.* Hæc vbi in Germania comperta sunt, Ludouicus diuini, humanique iuris consultissimos quosque in Italia, Germaniis, Galliis, præcipuè Bononiæ, atque Luteciæ, iure vtroque, atque sacris literis peritos, consulit. Hi omnes rescripsere, acta, & dogmata Ioannis aduersus Cæsarem Christianæ simplicitati, & diuinæ philosophiæ repugnare. Extant huiuscemodi consilia Theologorũ in Bibliothecis, in membranis scripta, contra Vicesimum secundum, libros quoq; edunt. hi amici Ludouici, Marsilius Patauinus, Ioannes Gadunensis, Luitpoldus de Bebenburg, Andreas Laudensis mysta Fruxinensis, Augustæ magister Epistolarum, Vlricus Hangenor Augusta ortus, sacro Cæsaris scrinio præfectus,

Dantes Alligerius, à bonis literis celebratur.

Dantes Alligerius Florentinus, qui tum cultiorum literarum semina sparsit, quæ paulatim radices egerunt, in herbam exierunt, & nostro demum æuo maturescunt: tantæ molis fuit, exules literas, obstrepentibus vndique barbaris, atque Tyrannis reducere.

Docti qui à Papa ad Cæsarem defecerint.

Iisdem diebus Wilhelmum Occomensem, Franciscanum Theologum præstantissimum, atque Dialecticum suæ tempestatis acutissimũ, duos collegas eius, Bonam Gratiam Bergomensem, & Michaelem Cæsenatem Franciscanorum antistitem primarium, sacrarum literarum, vtriusque iuris professores, cum sacris Antonij Patauini Monachium ad Ludouicum venisse reperio. Wilhelmus is, Anglia ortus, sectam recẽtiorum peripateticorum, de quibus in sexto libro mentionem feci, ab omnibus Academiis ferè explosam, instaurauit. Ad Ludouicum dixisse ferunt, Tu nos pugnis, ense, ferro, armis à seruitute assere: nos te lingua, calamo, literis, stylo, libris, verbis vindicabimus. Atque illi omnes certatim diserti in Rom. Pôtificem inuecti sunt: ratiocinationes, captiones eiusdem confutant, argumenta diluunt, testimonio diuini, humaniq; ue iuris probant, Ioannem libidine dominandi insanire, in Christi plebem grassari, Pontificem Rom. vt infimũ Christianorum, si quidem id quod cupit esse vult, quemadmodum Christus, Petrus, atque Paulus fuere, Imperatori subiiciunt: tantum abfuit, vt eius bullas, actaque tuerentur. Qui seruus seruorum est, inquiunt, nemini dominari debet, recũbentibus ministret, amet, pascat,

cœlo

cœlo habitet, spretis honore, diuitiis, potentia Christum, cuius se vicarium mentitur, æmuletur: vestigia Pauli sequatur. Hi contumelias, paupertatem, beatitudinem, opes, imperia, spinas, atque scelera, & cultum deorum vocant. pleraque tum alia præcepta, legesque viuendi, superiores Cæsaris consultores libellis editi sacerdoti Romano dixere. Quæ Ioannes vbi accepit, illorum libros (pars tamen editi, atque seruati, in Bibliothecis cum blattis, & tineis colluctantur) dixarit. Ludouico diras dicit, sacra publice, priuatim fieri vetat. Ottonem Charionum antistitem D. Lamperti, Tolossanum, Dominicanorum Tolosæ primarium sacerdotem præmiis inductos in Germaniam proficisci, sententiam suam renunciari iubet. Ludouicus hisce turbis adactus Reginoburgium ad conuentus agendos proficiscitur, quinto Idus Augusti, sacra Augustalia, Imperij insignia, hastam, clauos, viuificæ Crucis magnam partem, quæ Christus seruator noster sanguine suo consecrarit, ensem, atque hastam D. Mauritij, diadema aureum, ensem Caroli Magni, & alia huiuscemodi penetralia, numero centū viginti, per sacrificulos ponte in vestibulo ædis D. Haimerami facto, populo monstrat. Adfuere principes, Episcopi Germaniæ, in quibus fuisse reperio Balduinum Treuerensem, Hainricum Agrippinensem, Mathiam Mogontinum archimystam, Ioannem regem Boiemiæ: fit senatusconsultum, vt Cæsar operam det, ne Germana libertas in seruitutem redigatur, & maiestas Imperij à faucibus tyranni eripiatur. Ex consilij itaque decreto vana, irritaque esse Vicesimi secundi acta declaratum, quicunque ea tueretur, hostem Reipublicæ bona eius publica esse placuit. Otto, atque Tolosanus Germania edicto extrusi sunt. Nicolaus Pontifex Reginoburgensis pacem a Ioanne emit, atque ære impetrauit, vt immunis Imperij Pontificalis foret, néue sententiam pontificiam in Cæsarem Ludouicum promulgaret. Rem gratissimam Ludouico fecit. Franciscani, aliique omnes sacerdotes, & monachi, Episcopi, Cæsaris, principumque decreto steterunt: soli Dominicani modò Cæsaris, modò Pontificis, quocunque vtilitas inuitabat, rebus studebant. Argentorati, quod diu publice rem diuinam fecissent, demum pecunia coempti detrectarent, vrbe pulsi sunt. Reginoburgij, atque Landshutæ è diuerso primo sacrificiis publicis aliquandiu supersedere, huiuscemodi cæremoniis abstinuere, mox pertæsi solitudinē, sponte templa aperuerunt, passimque, ne egestate perirent, sacra fecerunt. Nam Ludouicus clementissimus natura, atque princeps beneuolentissimus, neminem ad sacra publice adegit. Sed hoc edicto publicè ex consilij decreto obnunciauit. Cuius exemplum sicuti tempus postulat, subtexam.

> Otto Antistes. D. Lamberti Tolosanus Dominicanus.
>
> Insignia Imperij quæ.

CHRISTVS Seruator, Dominus, atque Deus noster, eius legati primarij Petrus, Paulus, Iacobus, Ioannes tempora periculosa, vbi ad cœlum migrarint, nobis imminere cantarunt, & in primis admonuerunt, vt summopere, atque anguium in morem astuti, decreta Pharisæorum, Pseudochristos, Pseudoprophetas, Pseudapostolos, a mendacio simulata religionis ita appellatos, vitaremus. Qui se mystas Christi ferūt, cum sint nuncij Antichristi. Eos inexplebilis honoris, potentiæ, pecuniæ sitis atque luxus auaritia fastus quæ in prouerbium venere, produnt. Non minus infitias, ingenuè fatemur, tempora nostra censuram non ferunt. Iam pridem corruptis moribus simplicitas Christiana sordet, longinqua consuetudo potentior veritate vincit, tamen indignatio silentium rumpit. In altissima humanarum specula cælitus positi tacere non possumus: ne canes muti, iuxta vatem sacrum, qui latrare non possunt, simus. Et si lupos pelle ouina tectos abigere ob infelicitatem temporum non valemus, resistere tamen huiuscemodiq́; prodere munus nostrum est. Quamuis tantundem, vt vellem non possumus, tamen nō assequutis voluisse, abunde pulchrum atque magnificum est. Et vt rem in pauca conferam, nec diutius ambagibus immorer, circuitioneq́; vtar remq́; apertè dicam, Ioannes ille qui se Papam vicesimum secundum nuncupat, qualis sit, ouiculis Christi nostro beneficio operæpretium est agnoscere, ne decepti a pelle ouina a sæuissimo lupo deuorentur. Nempe sanguinem Christianum sitit, discordia seditionum mala vbique gentium inter Christianos serit. In Germania, & Italia, literis, pollicitationibus, auro, principes, tetrarchas, Episcopos, sacerdotes, monachos, ciues corrumpere nititur, inducit, sollicitat, ad arma vocat. Aduersus diuinam prouidentiam, supremam cæli maiestatem, vnde omnis potestas existit contra charitatem Christianam pugnat, fratres in fratres armat, præcipit, vt Christiani mutuum affectum, & amorem, quem solum pater immortalis a nobis exigit, exuant, arma corripiant, atque in sua viscera vertant, fidem frangant, pacta dissoluant, inuicem fraudent, decipiant, imponant, à sacrosancto Imperio deficiant, rebellionem, conspirationem, cædes, incendia, stupra faciant. Nec licet per hunc Antichristum Christianis pacem a Deo datam seruare tanta est hominis, vel potius Sathanæ illius vecordia, publice pro concione scelera sua, quasi benefacta, prædicat. Cum Christiani (inquit) principes inter se discordant, tum verè Romanus sacerdos est. Pontifex Max. demum regnat, demum dominatur, vbi omnibus discordia, seditione, mutuo odio debilitatis formidolosa fit eius potestas, vniuersi eius nutui obsequuntur, & vel formidine obseruant seditio atque discordia Germanorum salus est Romanorum Pontificum. Proinde pro virili enitendum est Pontifici Max. si saluus esse velit, vt anguium serpentem hoc est, Alemannorum Imperium conterat, in cineres atq; fauillas redigat. Itidem taciturnitas sua opera affectum esse, vt nullus neque Romæ, neque in Italia vltra fiet, qui Imperij rebus vel faueat, vel studeat. Et profecto eius fraude duo rebus impositi sumus, quos vt vel vna quidem literula (cum tamen vndique aurisugæ, atque vultures sui circumuolitarent tēpla, fana, sacras ædes compilarent) in gratiam redigeres, aut vt iure potius, vel apud se, quam armis disceptare hortaretur: tantum abfuit, vt

> Ludouici 4. Ro. Imp. publicum edictū.

nos vltrò ad bellum ciuile concitaret. Nullam operam dedit, vt inter nos pacem componeret, imò magis discordiam aluit, modò mihi, modo Austriaco studebat: nunc Friderico, nunc Ludouico fauere se simulabat, vt quisque imbecillior erat, ita magis huic operam suam pollicebatur. Ad consecrationem vltro inuitabat, per fallaciam vtrique verba dedit, & pronos ad concordiam rursus arma sumere persuasit. Astu hæc omnia egit, vt interea dum domesticis armis, cognatisq́; bellis atterimur, Imperium pessundaret, labefactaret, vrbes, castella, populos, Rempublicam inuaderet, in cuius perniciem conspirauit, populumq́; Christi in seruitutem redigit, aduersus sanctos Dei pugnat. Sacerdotia maxima, infima sordidissimis quibusq́;, modò hostes Reipublicæ sint, committit. Neminem publici boni studiosum, aut pacis amantem in curiam sacerdotum allegat. De Pharisæorum supercilio nimium sibi assumit, nihil pensi habet, modò animo suo atque libidini per fas atq; nefas morem gerat. Diuina, humana decreta iuxta contemnit, atque conturbat. Ius gentium violat, leges naturæ prophanat, sacra polluit, indicta causa, necdum, reos condemnat. Sibi licere absque mora actutum, vel in nos indemnatos sententiam ferre iactitat. Cum capitalis sit inimicus, publicusq́; hostis, tamen in propria causa actor, testis & iudex est, id quod nec apud Turcas, neque Iudæos, neque Saracenos, neque Sarmatas fieri solet. Eos qui fidem Cæsari seruant, & Christo seruatori nostro præcipienti obtēperant, nec vllā aliam ob causam hæreseos nota inurit. Quicquid libet, licitum iudicat, metitur opibus licentiam. Quid igitur cum illo agam? neq; ius, neq; bonum, neque æquum exequi, scire studet. Nihil videt, nihil facit, nisi quod lubet. Sathanæ spiritum sibi sumit, se similem altissimo facit, se adorari (quod cælitum quidam sibi a Ioanne fieri prohibuit) pedes sibi osculari, more Diocletiani, atque Alexandri crudelissimorum tyrannorum permittit. Cum Christus manceps, diuinitatis dominus, & Deus noster pedes comitum suorum, piscatorumq́; lauerit, vt nunc hi sui vicissim illis, ad quos missi sunt, faciant. Vna maiestas, atque diuina prouidentia ipsa suis pollens opibus, nil indiga nostri, vbique præsens, vniuersis rebus incubat, rebus omnibus per se consulit. Nec in manu factis templis habitat. Nos Dei genus in eodem viuimus, mouemur, & sumus. Ipse cœli, & terræ rector est, nisi forsitan artifex, natura effœta, supremusq́; rerum parens senio, atque labore continuo fessus, Atlantis ritu (vt est in fabulis Poetarum) Herculis (qui respirantis interea loco cælum humeris sustineat) vicaria opera, atque sempiternus mortalis auxilio indigeat. Sed nihil fortuito, nihil humana temeritate, aut fit, aut regitur. Imperatores quoque terris, neque fortè, neque casu, neque a mortalibus, neque occulta fatorum potestate dantur, sed a supremo numine eliguntur, atque diuinitus constituuntur, rebusq́; humanis à patre indulgentissimo imponuntur. Porrò Romanus sacerdos, cuius conuersatio in cœlis esse debet, vrbes, castella, vicos, regiones, opes, potentiam, tantum splendorem, ius gladij, aduentitia non iure suo, sed alieno beneficio occupat, possidet, nempe beneuolentia, atque liberalitate, ne dicam socordia, atque ignauia rectorum Germaniæ. At mortalium ingratissimi de optimè meritis pessimè merentur. Ensem, cuius manubrium nostra munificentia tenent, in nostra viscera, quorum beneficiarij sunt, stringere non verentur. Obscuri, versuti, versipelles, Celtarum Occidentalium freti viribus atque amicitia, gentisq́; gentilitiæ infirmitate, hoc est, leuitate, atque superstitione confisi, libertati Germanæ plagas tendūt, simplicitati Christianæ captiosis aculeis sub magna superficie pietatis imponunt. Darios Crœsos, Epicuros æmulātur, paupertem, ignominiam, contumeliam, famem, sitim, æstum, frigus, mortes, vincula, carcerem, crucē pati (sicuti Paulus & Petrus & Christus, cui se operam vicariam præsidendo terræ dare gloriantur, fecerunt, & docuerunt) non solum non callent, sed & peius flagitio timent. Diuitias solas, imperia, regna, honorem spectant: anxius quàm vlli hominum ea conquirunt. Quæ tamen non tantum Christus, & eius legati contempserunt, verumetiam philosophi, poetæ, oratores, historici alieni à sacramento veræ religionis aspernanda esse viro sapienti, præcipuè sacris destinato constanter præcipiunt: vt quæ absque scelere, & aliorum damno comparari nequeant. Et ferè malos, nunquam bonos (vt est apud Germanos prouerbium) efficiant. Nec sine causa Christus sentes, & spinas: Paulus rete, atq; laqueos principis Stygij adpellauit. Et vt est dissociabile regnum, omnisq́; potestas impatiens consortis, iā egregij illi pastores, opibus, & splendore à maioribus nostris aucti ferre parē nequeunt Cæsarē Italia, Roma, Christum terris extrusere: illi cœlum quidem permittunt, inferos, atque terras sibi asseruere. Deniq́; terrarum, hominumq́; non solum dici, sed etiam credi volunt, quasi perinde animis atque linguis (quod ne Deus immortalis quidem tentat) imperare possint, atque diuisum cum Ioue habeant Imperium, repugnant, & maximè diuersa sunt Crucifixus, & summa potestas miles, & sacerdos: Imperator & pastor: regnum & patibulum: corporalia, & spiritualia: arma & sacra: bellum & pax: Cæsar, & nuncius: princeps & minister: Dominus & seruus. Qui vult esse Max. inter vos (ait supremus arbiter cœli legatis suis) infimus omnium, atque vester seruus sit. Cæteris recumbentibus quemadmodum ego feci, ad cyathum ministret. Vnus magister, & dominus vester in cœlis, vos autem fratres estis. Bellua multorum capitum, monstrum biceps est Augustus, & Pontifex Max. Id quidem fuisse Decium, atque Neronem, & huiusmodi Tyrannos, falsorum deorum cultores in nomismatis & epigrammatis legimus. Quod de animo, & corpore afferunt, nugæ sunt, & contorta conclusiuncula, ceu verò nesciamus carnem aduersus spiritum pugnare, & animam nisi e corpore euicuerit, interituram. Ludibrium naturæ abominabile, ira Dei, socordia, atque ignauia nostra est, principem principum, seruo seruire seruorū. Si seruus seruorū Dei est, cur non seruit? cur non amat? cur non ministrat? cur nō pascit? cur non docet? non nunciat? si id quod cupit esse velit, cur non Christi, Petri & Pauli vestigia in carceribus, & periculis variis æmulatur? Cur mentitur, tergiuersatur, fallit, regnat, dominantur? Auiditate potentiæ, pecunia ima summis miscet, omnia venalia, Deum, & inferos habet. Cur vitam Christi paruipendit? qui de hæreditate a fratribus captus, etiam arbiter iudicare voluit, sed competitores

ad

ad prætores Cæsar reijcit, & tribunal relegauit. Cum populus eidem regnũ Palæstinæ vltrò offerret, aufugit, suumque regnũ in hoc mundo non esse confitetur. Quamobrem Vicesimus secundus nõ sine maxima suæ atque Reip. pernicie, libidine dominandi impulsus, episcopus, abiectis aliena, quæ nihil ad eum attinent, curat, vsu pacis & hoc est religionẽ spiritualia mores, vitam, hominũ negligit. Imperium terrænum, mortalia, vetante Christo arripit. Præsides proconsules professus, crucem atque paupertatem in aliena ditione obtrudit. Vbi res ad interregnũ redit, penes se summã potestatẽ esse cõmiscitur. Munus præfecti prætorio Rheni, reguli Boiorũ intercipere, atque in se trãsferre conantur. Nec verũ est, nulli qui discordantib. inter se princip. reges cõsalutati fuerint, ius esse potestatis tantæ. Id ignarus Annaliũ & huc qui quidnam sit mentiri nesciant, persuadere conetur. Conradus, & Lotharius, Philippus, & Otto Richardus & Alphonsus Adolphus & Albertus & nuper ego & Fridericus licet a diuersis delecti principib. tamen reges vterque vocabamur & eramus. Nos quidẽ cæremonia solenni ex veteri prisca religionis instituto, Francofordiæ celebri loco, Comitiis Cæsaris, die præscripto habitis, frequenti senatu non solum a pluribus, sed a duabus classibus sacrorum & prophanorũ, superis ritè salutatis, atque consultis, creati, atque renũciati sumus. Atque inde in vrbe quam Aquas Graneas vocant, in penetralib. ac domicilio sacrosancti Imperij ritè sacra obiuimus, diadema, ensem insignia auspicatò accepimus. Austriacus post comitia dissoluta, contra decus Imperij, aduersus leges, auspicia, contra intercessionẽ, & institutum maiorũ, non stata die, nec tempore constituto, obscuro vico, duob. duntaxat pecunia & affinitate corruptis suffraganeib. demum irrepsit, vltroque se ingessit. Et nostram sanè causam immortalis cœli Imperator (à quo in summo rerũ fastigio constituti sumus, & ensem ad inopes, vi oppressos vindicandos & malos perterritandos accepimus) feliciter, faustis omnib. & victoria adprobauit. Idcirco rectè, benè ac sapienter, si, uti legib. cautum est, ex consilij decreto, more maiorum Brandẽburgensem ducatum (quem ille homo, qui vulgo papa dicitur, Madenburgensem falso vocant) filio nostro Ludouico in tutelam atque fidem cõmisimus. Et cum nostri ciues, amici, populares, socij pientissimi in Italia à flaminib. Rom. quòd Imperio, & nobis fidem seruarent, nec vllum aliud propter facinus, armis præter æquũ & bonũ atterrerentur, nobis eos deserere non fuit consiliũ. Quemadmodũ sacramento rogati, religione iusiurandi promisimus, regulos Germaniæ clarissimos de Greyspach, Neyffen, Trubedingen ad Vicesimum secundũ, inde ad legatum eius in Italiam, vti pacem cõponerent, fœdus icerent proficisci nostro iure iussimus. Nihilominus illis reiectis, aduersus Maiestatem Imperij, populique victoris gentiũ, legatus ille Ioannis, osor Christianæ charitatis, Mediolanum, Comum, Cremonam, Vercellas, Nouariam, Ticinũ, Laudem, Mutinam, Veronam, Vicentiam, Felsinam, Placentiam, Parmam, Brixiam, Alexandriam, Terdonam, Lucam, Pisas, Aretium, Cesenam, Genuæ exules, item alias vrbes Italiæ insuper Mathæum, Galeatium, Passerinũ, Petræ malæ montis Ferrati, Mutinæ, Saluciarũ limitum præfectos, ciues, præsides, proprætores Imperij, Christianissimos atque grauissimos viros, hostili animo cum copiis vastat, agros, vicos incendit, stupra, cædes, sacrilegia, impunè cõmittit. Illos quod bella ciuilia abhorrerent, a nobis, & Imperio deficere nollent, crimen læsæ Maiestatis, scelus perfidiæ admittere recusarent, hæreseos nota inussit. Romanus princeps à Deo ad arcenda huiuscemodi flagitia delectus, gladiumque ideo gestans, inopes insontes ciues, clientes Reipublicæ deuotissimos (quibus etiam à propinquis opem ferre instituimus) potentia, vi, armis malignorum oppressos, sine summa infamia, absque summo scelere deserere non potuit, opem tulit fidissimus, atque Christianissimus amicus. Accusetur illius perfidia qui prior læsit. Vim vi repellere licet. Pascat bonus pastor ouiculas Christi & amet, non armis oppugnet, vt opprimat. Argutas cauillationes missas faciat, veritatem, simplicitatem Christianam, Christumque, cui verba dare difficile est, amplectatur. Illius conuersatio sit in cœlis, spiritalibus deditus, corporalibus se non contaminet. Nos nostro iure, maiorum instituto, sicut ius gentium est, sacra oracula docent, res nostras, nimirum terrena, caduca, fluxa, fragilia agere sinat, & verbum inter nos non commutabimus. Et tandem desinat tam impudenter mentiri, nisi forsitan omnes Germanos (vt Romanenses autumant) stultos, caudices, asinos, stipites, plumbeos existimat. Me hæreticorum (vt eius verbis vtar) fautorem falso vocat. Christianus sum, at ipse Hæresiarcha est. Non enim discipulus est Christi, cuius vitam irridet, paupertatem floccifacit, pietatem aspernatur, religionem polluit, sacra prophanat, mores spernit, instituta condemnat, dogmata vilipendit. Nam Diuum Franciscum, veritatis diuinæ præconem, paupertatis Christianæ antesignanum, consectaneos eius vniuersos Auinione sexto Idus Decembris anno ab orbe seruato M. CCC. XXII. impietatis condemnauit: Audite obsecro quam ob causam. Homo pecuniosus, auidusque Imperij argentum Euangelio (vbi opes scelera vocantur) aurum Christi inopiæ præfert, Franciscanos fraterculos ignominioso apud se cognomine, item stolidas pecudes, perniciosas vulpeculas, quæ simulata religione mundo imponant, populum fallant, nuncupat. Illorum religionẽ extindere, quod Christum, comites eius nihil possedisse in terris, doceant, asserant, prædicent, conatur. Sed contra cœtus Franciscanorum Perusiæ celebris, vniuersis suffragantibus Theologis, probe eius facta depinxere, veritatemque sacris literis, testimonio diuino tutati sunt, quamuis magis carcere & vinculis, quàm disputationibus huiuscemodi genus hominum castigandum foret. Tamen eundem suis depinxere coloribus atque insatiabile auaritiæ barathrum & simulachrorum cultorem declararunt. Nam & auri pondus ingens, quod ab orbe Christiano, præcipue Alemannia, A elatensi regno, Italia, sub specie expeditionis Asiaticæ emunxit, Saracenis, vt Christianis Armeniæ, qui ab eo compilari, atque venire detrectarant, arma inferrent, distribuit. Vt Antichristus non sit, tamen eius antecursorem atque anteambulonem esse necesse est. A quo ad propugnandum templum Dei (vnius cura nobis cœlitus à Deo Opt. Max. data est) ad vniuersum totius orbis senatum Christianum prouocamus, &c. Atque hæc appellatio quibusdam nouo atque inaudito

Felsinia quæ & Felsina & Bononia.

D. Frãciscus

antea exemplo periculosa,& aduersa simplicitati Christianæ visa est, scrupulumq; iniecit. Wilhelmus Occomensis,collegæ eius,libris de hac re editis,nodum in scirpo quærentibus satisfecerunt. Dum talia in prima Boiaria fiunt, in secunda eodem anno, nempe Christi

Hainricus 13 Boiariæ Rex. Otto sextus Boiariæ dux. Hainricus 14 Boiorum Dux.

M. CCCXXIV. Landshutæ Kalendis Octobribus Hainricus tertiusdecimus,Otto sextus,Hainricus quartusdecimus impubis,tertium decimum nactus annū,conuentus agunt. Proceres & ciues Boiariæ,quòd principes inter se nondum diuisa regione discordarent,& multuarentur,grandem pecuniam, omnibus prouinciis Reipublicæ oppigneratis deberent,magnis sumptibus,luxu immodico,donatiuis superuacuis, intempestiuis largitionibus,omnium prodigiorum ingenia superarēt,veteres regulorum amicos, Fridericum magistrum Epistolarum,Conradum Camerauer pręsidem.Sigfridum Ratenburgensem, item alios dignitate atque curia submouent. Deinde suo arbitratu è corpore optimatum duodecim, penes quos administrandæ Reipublicæ imperandi potestas omnis foret, in

XII. Cōsules Boiariæ statuta faciūt.

senatum allegunt. Duodecim viri fuere. Adelramus de Hals, Hainricus de Attenberg, Hainricus de Preysing, Sigfridus Buchbergerus, Bernardus Grans, Ebranus de Lauterpach, decem millia passuum à patria mea, Conradus de Fraunberg, Adelhardus Fraunhofer, Arnulphus Massenhauser, Vlricus Loblfinger aulæ præfectus, Hainricus Ramsperger, Albertus Rustorffer. Posthæc diploma Ottonis regis Vgrorum, Boiariæ inferioris reguli, prolatum. Vti rescissum,id vt vetus,atque obsoletum quiritati sunt,has leges gubernandi principibus præscribunt. Ante biennium,atq; quatuor menses Boiaria secunda nō diuidator. Fœdera nulla,neque cum externis,neque ind.genis sunto. Absque duodecim virûm consilio,ducibus in gratiam redire,cōcordiam inire,in quempiam animaduertere, vel munificum esse,senatorem abrogare,vel allegere fas non esto. Præsides,prętores,se tutaturos acta Ottonis Vngariæ regis,eius diplomati staturos, sacramento dicunto. Præses tricenis libris, prætor denis, per quos hisce decretis fraus fiet, mulctator. Regulo qui ista tueri recusarit,nemo dicto obtemperato. Cuncti populares ciues, agricolæ, sacrificuli, equites exauthorati sunto,conspirationemq; faciunto. Hac rogatione promulgata,subscri-

Nomina statutis qui subscripserint.

psere Bernhardus de Abensperg,Diethelmus de Freyberg,Hartlieb Buechberger, Conrad Preysinger.Hainricus Sattelboger,Ortlieb Massenhauser,Adelramus Rotauer, Ioan. Warter, Vlricus Eckher, Albertus Neukircher, Berengarius, & Ludouicus Gransij, Hartuicus Degenberger, Eprechtus de Haydau, Wilhelmus Wintzerer, Seyfridus Fraunberger de Fraunberg.Hainricus Torringer,Suitgerus Tuschel. Item ciuitates primariæ Landshuta,Strubinga Vindelicorum,Cham Nariscorum in Hercynio saltu Boiemiæ contermini, Burckhusium Noricorū. Neq; tres Boiorum rectores resistere ausi,illa & alia talia sibi placere fatentur,authoresq; fiunt. Iisdem diebus Cęsar arma in Burgionas (tribus est Sueuiæ, Austriacis tamen parens) mouet,atq; caput pagi arctissima claudit obsidione, Burckhardus de Herspach qui cum duobus filiis,atq; trecentis equitibus præsidio ibi collocatus fuerat,fortiter limitem tutatur,donec Albertus, ac Luitpoldus fratres,Austriæ reguli, suppetias obsessis ferrent,atq; diem quo aperto marte cum Ludouico confligerent, dicerent. Intercepere pugnam Hainrici ambo, Tyrolius,atq; Goriciæ: Vlmæ cōuentu celebrato amicinos in gratiam redigunt,omnium rerum obliuionem decernunt. Fridericus liber dimissus,regium nomen abiurat. Vt Ludouico gratificaretur, & nō victus beneficio videretur, nunquam Austriacos, Boiis condidatis Imperij competitores fore dat fidem,tabulisq; cauet, quas Ludouicus barbatus Angilostadiensis Imperatori Friderico tertio, quo sibi fidē eius,aduersus Ludouicum Gibbosum,filium suum,sibi rebellantē, oppignoraret, resignasse,atque redidisse fertur. Gotfridus Carthusianus Maurpachij rem diuinam fecit,Ludouicus,atq; Fridericus vna hostia,pacis stabiliendæ ergò,perlitarunt. Luitpoldus Argentoratum reuersus, ibi atra bile percitus periit. Hainricus quoque frater eius à Boiemia postliminio domum redit,atq; absq; liberis fato concedit,dum Friderico fratri è Boiaria Austria-

Vide Cuspinianū in sua Austriam. Insbruck.

cos fines repetenti obuiam procedere parat. Fridericus nihilominus regem se nuncupat, pacta non seruat. Quamobrem Rex Boiemiæ iussu Ludouici, Austriæ fines depopulatur, rursusq; Duces OEnobrigæ coeunt,pacem de integro,atq; fœdus iurisiurādi religione sanciunt. Diethmaning Episcopo Iuuauensi redditur. Crebri quoque legati Italiæ ibidem fuerunt,Ludouicum in Italiam aduersus Ioannis Pontif. Max. tyrannidem euocant. Nam Galeatius. Castrucius,cæteri Italiæ præsides cum copiis auxiliaribus Ludouici,partes Pōtificias Florentinos,atq; Gallos profligarant. Ioannes accepta clade suorū,Ioannem Vrsinum Flaminem Romanum cum supplemento in Italiam è Galliis mittit. Isq; cum Ru-

Rupertus Neapolitanus Rex.

perto Campaniæ,siue Neapolitano rege,Cæsarianos persequi cœpit. Ideò Ludouicus ab illis frequenter efflagitatus,tandem Italicam expeditionem clanculum meditatur. Vbi iam se ad eam rem paratum arbitratur,Rudolpho nepoti ex fratre,præfecto prętorio Rheni Monachium,Boiariam primam,impuberes filios,res Germanicas committit. Ipse cum

Margaretha Bauana.

vxore sua Margaretha Bathaua, paucis comitantibus Tridentum petit, ibi aliquot dies vndiq; ad eum ex Germania,Italia,cohortibus turmisq; prouolantibus subsistit. Posthæc à Cane Scala,Galeatio Mediolanensi Castellano,Veneto,atq; Aretino Pontifice,columnis

Roma-

Romanis,cæteris Italiæ ciuitatibus,Veronam,Brixiam,posteà Mediolanum,nemine prohibente,atque aduersante (Pontificalibus partibus Florentiam cedentibus) festi pace deducitur. Ibi Quinquagenalibus ferreo diademate ex veteri instituto,à Vidone Mala Petra archimysta Mediolanēsi ornatur. Galeatium cū filio Accio,fratrib. Marco,Luca,Stephano, quod multa auarè,superbè in ciues commiserant, in vincula coniicit. Mediolanum libertati restituit,vrbi Hugonem Sueuum,regulum Montis fortis præficit. Composita atque pacata Gallia togata Italia omni citeriore in deditionem accepta,superato Apennino, in Ethruriam descendit. Lucæ cum maximo honore à Castrucio exceptus est: duos ibi penè menses commoratur, gratiam precatore Castrucio, Galeatio facit. Inde Pisas tendenti ciues portas claudunt. Nec mora vrbs arctissima obsidione circumsidetur,nec Pontificiæ partes auxilio esse queunt. Mense ergo Octobri Pisani Ludouico se permittunt,qui eosdē in fidē acceptos, peculiari beneuolentia posthac prosecutus est. Inde maritima ora lustrata,Gallis,qui reb. Pontificis studebant,domū redeuntib. Stephano Columna, Berchtoldo Vrsino, Ruperto Neapolitano rege,Roma in Cāpaniam cedentibus, summa trāquillitate,nemini molestus,nemine resistente,contradicente, repugnantéue Romam peruenit. A Flaminibus,Episcopis,sacerdotibus, Senatu populoq; Ro. Imperatorio apparatu,nullo honoris genere,more gentis prætermisso,confluentibus vndique Italiæ optimatibus,Pontificibus,ciuibus,Castrucio cum centum,atque quinquaginta equitibus cataphractis apparente,in vrbem deducitur. Celeberrimo Epiphaniorum festo, frequentissima populi corona,in templo Diui Petri nullo penitus refragante, crebris acclamationibus, more veterum,Imperator, Augustus,& pater patriæ: vxor eius Margaretha Augusta consalutatur: à Flaminib.& mystis,qui Romæ habitabant,inauguratur,anno ab restituta salute millesi. trecentesi.duodetricesimo. Posthæc Pontificū,procerū Italiæ,Germaniæ, omni die senatu coacto,Vicesimi secundi iniurias commemorat, aliorumque Episcoporum Romanorum fastum,ambitionem,Reipublicæ perniciosam,veritati Christianæ exitiosam docet. Sententiæ graues, multa liberè,audacter,fortiterque dicuntur. Tandem multis sermonibus vltrò citroque habitis,ex consilij decreto,Ioannes Pontificatu,atque dignitate abdicatur,aditu Reipub. Christianæ submouetur, aduersus religionem nostram fecisse pronunciatur. Petrus Corbarius Franciscanus admodum sapiens,ouili Ecclesiastico destinatur. Posthæc ad quartum Kalendas Maij perscribitur Senatusconsultum, quod vt inueni ex fide,pro necessitate suscepti operis,huc transferre debeo.

Castrucius.

Pisani se Ludouico dāt.

Petrus Corbarius S.P.

Senatusconsultum.

Imperator Ludouicus quartus,Cæsar Augustus gentis humanæ,orbis Christiani custos, à Deo electus, Germanis & veris Christianis Salutem: Cuius paranda atque constituenda gratia,relictis focis,aris,patria,genitali solo, pignoribus nondum adultis in Italiam transiui, ad caput mundi, Romam sacrosancti Imperij domicilium,sedem nostram,pacificè summa omnium quiete,atque fauore veni. ibiq; more maiorum,veteri instituto consecrati Imperatoris prænomen, Cæsaris Augusti cognomen ritè suscepimus, atque vrbi & orbi Dei ope & armis nostra potentia victrici & insuperabili dextra præsidemus, excisuri nostro iure diuinæ maiestati resistentes, pacis Christianæ violatores ense quem ob id à supremo Imperatore acceptum gestamus. Huiusmodi autem tumultus atque turbæ dissordiarum, perniciosissimaq; mala inter Christianos,à malignis Pontificatus Maximi occupatoribus alioqui fame & inedia morituris seri & exercitari solent. Dum alienis inhiant alia vsurpant, falcem proteruam in messem non suum temerè porrigunt,& quod ab altero postulant,in se recusant. Equidem hactenus, vt iusticia atque æquitate superarem, conniui. Et quemadmodum pientissimum Dauida (cum filius eius Adonias regnum ambiret, aduersus Solomonem sapientissimum fratrem suum à Deo electum conspiraret) fecitasse legimus,scelera patienter tulimus atque dissimulauimus. Verùm ne tenuis, & infirmi animi, ignoscendo malis,bonos omnes perditum eamus. lethalem ambitum, crimina perditissimorum (qui requiescere,donec animi libidinem expleant,non solent) ad viuum ferro, amore Reipublicæ, cuius cura nobis à cœlesti numine tradita est,resecabimus: lupo pellem ouinam iure nostro detrahemus, & vt paucis, missis ambagibus, rem aperiam,aures arrigite,fauete, omnium res agitur. Vniuersi vulgus sine authoritate, sine gratia, domi atque foris venales sumus: maiestas & authoritas religionis, libertas, Imperiumq; populi Christiani, leges,diuina,humana prodita sunt hosti acerrimo. Quies in seditionibus in pace turbæ sunt. Homines sceleratissimi,cruentis manib. immani auaritia,nocentissimi,& iidē superbissimi: iidē luxu effœminati,atq; ambitione perditi,quib. fides,decus,pietas: postremo vitia,virtutes,honesta,atq; inhonesta omnia quæstui sunt: arcem Reipublicæ Christianæ occupant,tumultum ex tumultu, bellum ex bello serunt. Caput factionis Iacobus ille de Baburco,qui se Papam nominat,ingentem vim pecuniæ,quam vndiq; à Christiana plebe fraudulenter corrasit,aduersus sanctos Dei, Imperio Christiano deuotos, pugnantibus suasu Ruperti reguli boni publici hostis atque Diui Hainrico septimo Cæsare Augusto proscripti,expendit. Sicuti Abiathar sacerdos,ense Cæsareo nobis à cœli numine commisso, abutitur, temporalibus huius seculi curis contra diuinum præceptum incubat, regno mundano inhiat, sicuti pastor est personatus, ita mysticus est antechristus,canis pellicula tectus, in gregem Christi lupina rabie grassatur: vendit scelera: inferos, superos,beneficia cœlestia cauponatur,cum Saracenis Armenios Christianos quinque annis continenter eius opem implorantes,infestantibus fœdus societatemq; iniit. Borussiorum primarium præsidem di-

Christiani à Lituanis trucidati.

ras, inferis usq; cōminatus cum Lituanis hostibus pietatis Christianæ acerrimis, atrocissimis latronibus induciás facere coegit, hosti regionem prodidit, fenestram inuadendi Brandenburgenses Christianos aperuit. Lituani conuenerat: Babari ulterius citrò impunè per fines Brandenburgensium commeārunt: Christianos ferro, cæde extinxerunt: vagientes in cunis, in sinu parentū crudelissimè contrucidati sunt. Templa, cœnobia, collegia sacerdotū, monachorū cōpilata, incensa, euersa: virgines sanctæ per vim stupratæ, hostia sacra (quod referens horresco) hasta transfixa, insultante hoste, hoc conuicio sublata. En hic est Deus Christianorū. Liberi à complexu parentum, vxores maritorū ad ludibrium hostium abstractæ, captiuorum greges velut pecudum abstracti sunt. Adhuc Brandenburgensis populus vulnus acceptum luget. Atque hæc omnia scelere Vicesimi secundi acta sunt. Qui etiam classem à Francia Occidentalis rege ad opem Christianis Armeniæ incolis aduersus Saracenos ferendam, comparatā astu intercepit. Eadem in Genuensium, qui deuotissimi sunt Christiano Imperio, cæde abusus est. Imp. maiestatem authoritatē Reipub. temerè contra placita Christi vsurpando labefactat, polluit. Monstrum biceps, mundanus & spiritalis esse cōtendit. Christus seruator noster, cui omnis potestas in cœlo atque terra data est, tamen Imperium atque regnum terrarum, à populo sibi oblatum suscipere detrectauit. Regnum meum, inquit, non est in hoc mundo. Atque satis constat inter omnis diuinæ philosophiæ, legum, & Pontificii iuris scientissimos, penes Pontificem Romanum nequaquam esse vtramq; dignitatem, sacram atque prophanam. Omnis potestas ab immortali, atque suprema est maiestate, cœleste beneficium, quod imperamus, non humanum est. Comitialis conuentus delecti, suffragiis principalibus comprobati, mortalis cuiuspiam astipulatione, aliúue hominis authoramento nullo pacto indigemus. Sacrosanctum Romanum Imperium, cui Christus, comites eius, obtemperarunt, & vectigales fuerunt, sacrificuli fastuosi beneficium esse pernegamus. Caput orbis terrarum a suprema cœl. maiestate constitutî, nulli mortalium, quatenus ad huius seculi Imperium attinet, rationem reddere debemus. Alia illius Iacobi pestilentissimi pessima facinora reticeo: sacrificulos, qui canes muti latrare non audent, pœnarum metu, ne veritatem dicant, perterritat. Crimen ambitus, sacrilegium nouum, q; aucupium, æs receptitium. & quod Auinione habitat, sæpius euocatus Romam migrare recusat. Quod omnibus bonis curae non sit, velut leuissima, missa facio: id quod ad nos spectat, agamus. Ius gladii diuinitus nobis traditum ad eradicanda scelera exerceamus, obuiam ire factionis potentiæ, vtilitatis Reipubl: & amor religionis atque pietas subigit.

Iacobus hæresiarches.

Iacobum igitur antea à sacratum literarum antistitibus hæresiarchen declaratum, ex consilij decreto more maiorum Pontificatu submotum, atque à Christo repudiatum renunciamus. Habemus bonorum exempla, quibus nobis licere id facere, quod illi fecerunt putamus. Otto primus cum populo Romano, sacerdotum eius tribu, Ioannem duodecimum ex albo Pontificum Romanorum ob scelera (quæ si ad flagitia Vicesimi secundi conparaueris, ludus est) erasit, alium pastorem vrbi & Orbi imposuit. Idem alios complures Imperatores, optimosq; principes fecisse, in Annales & fastos relatum est. Proinde Iacobum illum crimine veræ irreligiositatis nota hæreseos antea à Franciscanis cæterisq; Theologis inustum, contemptorem paupertatis Christianæ Imperat. antichristi authorem, iure nostro, consilio, sententia, consensu communi principum, pontificum, Germaniæ, Italiæ efflagitantibus sacerdotibus populoq; Rom. exauguratum abdicatum hæreseos condemnatum declaramus, proscribimus, acta eiusdem rescindimus, vniuersi Christiani eundem in numero impiorum atq; sceleratorum habeant: ab eo omnes decedant, aditum, sermonem defugiant. velut contagionem, ne quid

Ioan. 12. ep. Iusto mutuo.

incommodi accipiant, deuitent. Eidem nullus honor communicetur. & ab his quorum interest, opera detur vt deprehensus more maiorum puniatur. Quisquis aduersus hæc fecerit, hostis Reipub. esto. Nos confestim cum sacerdotum curia populoq; Romano, vrbi, atq; orbi pastorem, communi consilio atq; veterum instituto, iuxta sacræ historiæ leges allegemus. Hoc edictum ab Imperatore, item sacerdotum senatu populoq; Romano signatum est, publicatumq; in celeberrimo nobilium, populi Romani, regulorum, dynastarum, tetrarcharum, flaminum, Pontificum Maxim. minorum antistitum conuentu. Datum & factum extra templum Augustissimum, Diuis Petro atque Paulo legatis Christi dedicatum, octauo decimo die Aprilis, in vrbe Romana, cunctis sacrificiis, vniuerso populo Romano in regione pro concione publicè eius rei gratia coacto. Christianæ libertatis anno M. CCC. XXVIII. Inuictissimi Imperat. Ludouici quarti Cæsaris Augusti, principis optimi, regni decimo quarto Imperij verò primo. Posthæc à Flaminibus & sacerdotibus qui Romæ habitabant, Petrus Corberius ouili ecclesiastico præfectus renunciatur, Nicolaus quintus nuncupatur, à Castellano Pontifice, eius collegis consecratur.

Ludouicus Rom. Cæsaris filius.

Iisdem diebus Augusta Romæ enixa est filium, cui hancce ob causam Ludouico Romano parentes dixere nomen. Porrò Augustus ad vlteriorem quoque Italiam pacandam animum intendit, expeditionemq; in Campaniam aduersus Robertum meditatur. Verum cunctando disputationibus dies, tempus consultationibus extrahens, hosti interea sese confirmandæ locum fecit, rei gerendæ facultatem dimisit, rem cunctando perdidit. Qui si nulla interposita mora, fortunaq; vius, celeritate conatus atque consilia hostium occupasset, Campaniam, regnum Neapolitanum haud dubiè, si famæ creditur, subegisset. Interea dum hæc in Italia fiunt, in Germania Gebhardus à Grayspach Aichstetensis Pontifex decedit. Fridericus Leuchtenbergensis præsul Eboracensis a Vicesimo secundo templo præficitur: verum is neq; a Cæsaris, nec à militibus, nec à populo receptus est. Fridericus Normbergensis præfectus Aichstadium in fidem atque tutelam a Cæsare accepit. Eboracensi eodem anno defuncto, Henricus à Reicheneck Ammonis dignus, Ioannis serviens substituitur.

Cato-

Cæterùm Hainricus de Stain à Cæsare datus illum extrusit: Rabanus Truchsassius & Albertus de Hohenfels prædia iussu Imperatoris administrarunt. Idem Ioannes itidem in alijs templis tentauit, sed omnes eius conatus frustra fuere. Eadem tempestate Ioannes Boiemiæ rex, cui intima Germaniæ Ludouicus commendarat, Lituanis, qui dolo Vicesimi secundi Christianos vastabant, bellum intulit, eosdem profligauit, quendam celsissimum Lituanum viuum cepit, atq; spectatum circumduxit. Superiore anno, nempe æræ nostræ M. CCCXXVII. Monachium vrbs Vindelicorum maxima, populosissimaq; postridie Iduum Februarij, is dies sextus decimus ante Calendas Martias, Cæsare tum in Italia considente, casu an fraude, non traditur, intempesta nocte arsit: ignis iuxta Angeronem (sacratarum virginum ædes est) erupit, templum D. Petri cum adito Xenodochiũ, regio, quam Thalam vocant, regia principum, tertia pars vrbis igne concremata est.

Anger monasterium monialiũ. Zu Munchen im thal.

In Italia Imperator ab vrbe Romana, relicta ibi vxore, aduersus Rupertum Neapolitanum, à se & ante à diuo Hainrico hostem Reipub. iudicatur arma mouet, Tyburtes obsidet. Castrucius atque Galeatius Italiæ præsides ex hac vita migrant.

Castrucius & Galeacius moriuntur.

Sueui quoque ac Rhenani ciuili tumultu inter se ob prædam discordant. Augustus itaque militari seditione pulsatus, rationibusq; suis morte procuratorum conturbatus, mense Augusto cum omnibus copijs Romam redijt. Ibi ocij licentia, vti fieri solet, milites corrupti, iniuria atque contumelia Romanos ciues, alioquin Ludouico, quòd minus quàm sperarant in eo auxilij foret, indies magis atq; magis obtemperare detrectantes, afficiunt. Hasce ob causas Cæsar vtcunque compositis rebus Romanis, omissa cura belli Neapolitani, cum Nicolao V. Pont. Max. Viterbium, inde Pisas concedit, Pistorio, Luca, atque Castrucij patrimonio potitur. Ibi Quintus aliquot flammines creat, habito suæ sectæ concilio, Vicesimum secundum rursus diris deuouet, hæresiarchen renunciat, imaginemq; eius ligneam comburit. At Ludouicus pacata Tuscia, relicto Pisis Nicolao, Ethruriam Francisco cuidam committit, subinde Mediolanum petit atque obsidet. Circa idem tempus Fridericus Austriacus Idibus Ianuarij decedit: frater eius Otto, Ioannis primarij sacerdotis instigatione concitatus, Argentuariam Germaniæ, quæ est in Gallia Celtica oppidum, circumsidet. Imperator vbi hoc audiuit, Mediolano Accium filium Galeacij imponit: patruos illius Marcum, Luchinum, Stephanum, Canem Scalam. citeriorem Italiam, Patauiam, Veronam, item alias vrbes procurare imperat. Quarto demum anno cum triennio Italiæ pacandæ operam nauasset, in Germaniam reuertitur, obsessis auxilio venit. Ioannes rex Boiemiæ, ob profligatos, pulsosque Lituanos triumphabundus obuiam Augusto procedit: eundem cum Austriaco in gratiam redigit. Isque Augustæ Rhetorum concilio habito, in verba Ludouici iurauit. Interim in Italia Stephanus Columna, Berchtoldus Vrsinus, cæteri hostes Reipublicæ, partes Ruperti atque Ioannis, è latebris rursus prodeunt, coeunt, arma iungunt, Cæsarianos opprimunt, Pisani quoq; deficiunt. Quintus à Bonifacio Pisano in vincula conijcitur, cathenatus Auinionem ad Vicesimum secundum deducitur, vbi è medio sublatus est. Hæc vbi Ludouicus per nuncios cognouit, Ioannem regem Boiemiæ, filium eius Carolum Morauici limitis præfectum cum exercitu in Italiam proficisci præcipit. Isque Lucam liberat, Florentinos, qui eam obsederant, vastat. Brixiam, Bergomum, Parmam, Rhegium, Mutinam, item alias plerasq; vrbes in fide, collocato ibi præsidio, continet. Cæsariani ad eum confugiunt, obedienter imperata faciunt. Sunt qui tradant, eodem temporis tractu Imperatorem ducatum Francorum in Boiaria, cuius caput Ambergomum, ita Nariscos vocant, atque Palatium Rhenanum nepotibus ex fratre demum reddidisse. In Boiaria quidem inferiore ciuilia arma intonuisse constat. Nam Hainricus tertiusdecimus fratri suo Ottoni, & patrueli Hainrico quartodecimo bellum indicit. Iiq; reguli impares maximo natu, opem atq; fidem Cæsaris, communis cognati & parentis implorant. Ille duces ab armis discedere iubet, ipsis diem nono Calendas Septembris Reginoburgium, vbi iure disceptent, dicit. Eò & Ioannes Boiemus ex Italia, relicto ibi filio Carolo, Fridericus vrbis Norinbergensis præfectus, cũ Imperatore veniunt.

Iohannes Boiemus.

Cumque aliter principes reconciliari non possent, secunda Boiaria in tres partes diuisa est. Tertiodecimo genero Boiemi Landshuta, Strubinga, Schardingiũ, Pfarkirchen, & hisce conterminі vici: Ottoni Noricorum oppida finitima Iuuauensibus, Burckhusium, Braunauu, Ottinga, Traunstain, Reichenhal traduntur. Quartusdecimus Landauu, Dingolfing, Vilshofen Vindelicorum, Teckendorff, vbi habitauit, Cham, Bogen Nariscorũ possedit. Hacq; diuisione facta atq; promulgata, dynastæ omnes quisq; domum suam abeunt.

Boiaria inferior in tres diuiditur partes.

Ioannes iussu Augusti rursus cum exercitu in Italiam, vbi filium reliquerat, contendit, velut author pacis, non vindex belli inter partes inducias componere connititur, cum legato Ioannis pontificis Max. de summis vtriusque Imperij rebus colloquitur.

Iohannes in Italiam contendit.

In Boiaria inferiore sicuti antea, ita post diuisionem reguli in se ciuili bello sæuiunt, à Martio, capiteq; ieiunij per quatuor continenter menses à Cham vsque Iuuauiam, & à Bathauia ad Monachium igne, incendijs cuncta cõplentur, villæ, agri, casæ, vici concremantur. Hainricus minimus natu Vilshofen mœnibus lapideis de integro reficit, diuiso inter colonos præsu-

Henricus minimus natu Vilshofen reficit.

lum opere. Ideo à Conrado Allerspachij antistite diræ ei dicuntur. Sed ab Alberto Bathauensi pontifice maledictis soluitur. Inde in Adelramum de Hals authorem discordiæ arma mouet, eundem viginti castellis, atque vicis mulctat, sub ditionem vi & armis cogit. Inde cum patruele Ottone Augusti fidem auxiliumque inuocat. Is Hainrico maximo natu genero Boiemi fœderis violatori bellum indicit. Iulio Strubingam, quæ eidem parebat, circumsidet, ponte Danubium eo loco, qui Chagarus vocatur, iungit, vrbs duos menses obsessa est. Sub idem tempus Ioannis Boiemi colloquium cum pontificali legato

Rupertus ad Cæsarianos deficit.

Welphones suspectum habere cœperunt. Hanc ob rem Rupertus ad Cæsarianos deficit, deserta pontificis secta, Andream filium Caroli regis Vngariæ nepotem suum, successorem declarat. Rex igitur Boiemus pertæsus factiones Italorum cum filio ex Italia in Boiariam reuersus, Boios reconciliauit. Subsequenti anno, qui Christi seruatoris nostri M. CCCXXXIII. septimo Calendas Iulij continua fulgura atque coruscationes terruere mortalium mentes, multosque extinxere, sacris, atque victimis vici, vrbes lustratæ. Quidam equo vehens, reclinato capite in collum equi, fulmen euitauit. Eluuies quoque aquarum præter solitum agros inundauit. Eodem anno Hainricus quartusdecimus, filius Ottonis regis, dum Natterbergij saltitando se exercet, crus fregit, in paucis pòst diebus animam efflauit: cœlebs fuit, nec liberos reliquit. Sepultus est in Salingthal, in suburbano Landshutæ templo. Biennio pòst & Otto patruelis eius absque liberis obijt: inferior Boiaria rursus ad vnius potestatem redijt. Eadem tempestate Ioannes Boiemus, pacis studiosissimus, germana Augustorum soboles summos Reipublicæ Christianæ principes in gratiam redacturus ad Philippum Valesium, regē Galliæ Lutetiam, inde Auenionem petiturus, cum literis Ottonis atque Alberti regulorum Austriæ (qui itidem, vt reconciliarentur Pontifex Max. atque Imperator operam nauabant) proficiscitur. Verùm Ioannes vicesimus secundus fato cōcedit, ingentem pecuniarum modum, propè vt fidem excedat, reliquit, diuitijs præteritos vicit pontifices. Ipsi Benedictus duodecimus suffectus est. Is pleraque acta Ioannis rescindit, legatos Augusti Rupertum præfectum prætorio Rheni, nepotem ex fratre, Wilhelmum Iuliacensem benignè excipit, in gratiam cum illo redire parat. Inter hæc in Germania Hainricus Tyrolij, atque Charionum dynasta, qui titulotenus regnum Boiemiæ atq; Polomæ possedit, eius Mausoleum Tridenti monstratur, ex hac vita migrat, relicta vnica filia Margaretha, quæ Ioanni filio regis Boiemiæ nupta fuit. Imperator Ludouicus Ottoni atque Alberto Austriacis, amitinis suis sorore Hainrici progenitis Lintzij tertio Nonas Maij ducatum Carnorum, atque Charionum in fidem atque tutelam, ritu solenni iure suo commendat: Tyrolios quidem Ioanni, Margarethæque permittit. Porrò Hainricus Boiariæ secundæ regulus, gener regis Boiemiæ, cui soror Ioannis Tyrolij nupta erat, huius frater, Carolus Morauici limitis præfectus, ob

Bellū Austriatis indicitur.
Hainricus Imperium affectat.

præreptos sibi Carnos atque Charionas. bellum Austriacis indicunt. Imperatori amicitiam more maiorum renunciant. Landshutæ tum demum fulmen pontificium, vbi hactenus repudiatum fuerat, eripit. Quinetiam ipse Hainricus noua molitur: Imperium (nescio quo fretus dolo) affectat. Ludouicum vt gratificaretur Pontifici Maximo, vltrò à rerum humanarum fastigio descensurum, sibique summam terrarum potestatem, ope soceri, satisque se destinatam esse, rumore dissipat. Inde accitis auxiliaribus copijs a Boiemia, Morauiaque, cum mille, atque quingentis equitibus Neoburgium Austriacorum

Vlricus Ecker.

castellum, in ora Oeni, proxime Scharding, quinquagenis libus obsidet, Vlricum Ecker cum septingentis itidem equitibus Allerspachij subsidere iubet. Imperator in altera parte cum exercitu Boiariam secundam inuadit, in meditullio inferioris Vindeliciæ Landuni castra facit, auidus pugnæ, aduentum hostium operitur: his copiam confligendi dare detrectantibus, Bathauiam versus contendit, Neoburgij obsidionem soluere Hainricum, atq; cedere cogit. Commeatu exercitum recreat, annona vehicula onerat, rursus inferiorem Boiariā inuadit. Vniuersa inter Oenum, Isaramq;, depopulatur: incolumi milite Monachium reuertit. Quadringenti equites Weichenstefan suburbanum Frixini cœnobium diripiunt atq; exurunt. Inter hæc rex Boiemiæ ex Gallia domum reuersus, vbi filio suo intercepisse duos valentissimos Noricorū ducatus, Austriacos accepit, recepto in societatem Hainrico Boio, genero suo infesto intentoq; exercitu in fines Austriæ, Boiemiæ, atq; Morauiæ continuos contendit, præda, igne vniuersa corrumpit. Austriaci ad opem

Vlricus Vuirtēbergensis.
Vuilhelmus dux Iuliacensis.

Augusti confugiunt. Is collectis copijs, accito Vlrico Wirtenbergensi, Wilhelmo Iuliacensi, cui soror Augustæ nupta erat, Viennam nauigijs defertur. Ibi ex veteri instituto Iuliacensem in classem ducum transfert, inde cum Ottone, atq; Alberto Orientalis Boiariæ (quatenus cum Danubio infra Oenum extendit) regulis, obuiam Boiemis procedit, proxime hostes castra locat. Sed amicis vtriusq; partis bella ciuilia detestantibus atq; intercedentibus induciæ fiunt, ducesq; Linzij, deinde Neostadij Noricorū conueniunt, pacemq; hisce conditionibus cōfirmant. Sententia Romani episcopi rursus exploditur, iniuria facta Boiemis, dānaq; illata pecunia & auro luuntur. Ottoni Austriaco mortua Elisabetha, Boia Anna filia regis Boiemiæ nuptum datur. Ioanni filio Hainrici Boij, Elisabetha filia

Impe-

Imperatoris despondetur. Eadem deinde tempestate Augustus Boiariam peragrat, inter Kefering atque Gebolchhofen octo dies commoratur. Reginoburgium liberam tum vrbem, sedem principum Boiariæ veterem & auitam recuperare clanculum atque dolo, quod vi, & apertò non licebat, nititur.

Cæsar Reginoburgium recipere nititur.

Nam & ciues in hoc bello cum Hainrico sensetant, auxilia eidem misisse constabat, pontificias quoque partes, hoc est, Ecclesiæ, vt vocabant, demum hoc bello tueri cœperunt, & sicuti Landeshutenses sententiæ atque fulmini vicesimi secundi demum subscripserunt. Reginoburgensium quidam, præcipuè duo, Præpositus, & Haimeranus, qui paucorum, superbè atque auarè dominantium potentia oppresi, operam suam in hac re Cæsari pollicentur, in ædibus Boiariæ regulorum, quæ muro hærent, & nunc in templum D. Egidij commutatæ sunt, cuniculos, quibus Cæsariani irriperent, Boiemo artifice fodiunt. Quartodecimo Cal. Iunij deprehensi, in crucem acti sunt, à mœnibusq; pependerunt. Artifex Boiemus aufugit. Consiliū ac conatus Imperatoris frustra fuit. Adhuc saxum cum epigrammate huiusce facinoris monumentum ostenditur. Fuit is annus ab orbe seruato M.CCC.XXXVII. quo & cometes dirus per tres amplius menses Iunium, Iulium, Augustum apparuit. Et Iudæi hostes pietatis Christianæ peruicacissimi, ob lethalem simultatem, & plusquam ciuile bellum summorum principū Cæsaris atq; Pontificis religioni nostræ (quam alioqui vanam, falsam, confictam existimant) excidium adfore rati, in necem Christianorum per vniuersam Germaniam conspirant, illos veneno tollere parant, sacra nostro furto sublata, furnis ardentibus injiciunt, incude contundunt, alijsque ludibrijs afficiunt.

Iudæi aduersus Christianos conspirant.

Quæ vbi prodita sunt (sicut nulla scelera, præcipuè huiuscemodi, diu latere possunt, quippe sanguine pluisse traditur) Hartmannus de Degenberg, Teckendorffenses pridie Nonas Octobris Iudęos in vincula conjiciunt, contrucidant, igne incremant, eorum opes diripiunt.

Iudæi occiduntur.

Idem Strubingę, cæteris vrbibus Germaniæ atq; Boiariæ præterquam Viennæ atque Reginoburgij factitatum esse reperio, inuitis magistratibus, tamen ob furorem vulgi, tumultumque popularem opem ferre non audentibus. Irato Deo illis & nobis, qui neque sancta sanctè, neque secreta secretè tractemus, sed religionis nostræ sanctissima mysteria, quibus silentij fides debetur, inuulgando prophanemus, & vniones procerum pedibus subdamus. Locustarum tum ingens vis ab Orientis ora erupit, senas alas habebant, dentibus gemmarum in morem nitentibus armatæ erant. Nubium in morem solis conspectum auferebant, longitudine quinque ac triginta millia passuum, latitudine decem occupabant. Acie instructa aëra sulcabant, in terra castrametabantur. Antecursores itinere vnius diei locum aptum castris occupaturi legiones, attinebant, quæ in cohortes distributæ, cū ortu solis proficiscebantur. Nona demum super tellure sedebant, vbi annona deficiebat, aliò migrabant. Hyemis frigore coactæ, latebris, æstate rediturae, se condebant. Quarto demum anno Ciconiarum, Gracularum, Cornicum, Monedularum, & huiuscemodi volucrum agmina illas deuorarunt. Herbas, arborum frondes, segetes, fœnum per vniuersam, qua longè latè porrigitur, Germaniam tres æstates depastæ sunt: supplicationes nequicquam decretæ, frustra cœlum aëris crepitu, tintinabulis lacessitum, frustra sacris arua, vrbes lustratæ, pars fustibus ac flāma tollere conabantur. In Boiaria ouis gallinaceis redemptus, gallinarum copias in locustarum agmen educebat. Ijsdem diebus legati Cæsaris, quos suprà Auinionem ad pontificem max. pacis conciliandæ gratia missos cōmemorauimus, in Germaniam reuertuntur: propensum quidem sacerdotem primarium ad cōcordiam esse, verùm illum alieno viuere more, & intercedentibus flaminibus, maxima rege Galliæ, inductum atque deprauatum, sequere infecta abijsse queruntur, illis suspectam felicitatem, concordiam populi Germani esse, qui neminem secum dignitate exæquari, nedum superiorem ferre velint, referunt. Postremò prouerbium Romanensium proponunt, quibus maximè vtile sit, Germanos esse quàm stolidissimos. Hasce ob causas proceres vniuersæ Germaniæ, sacerdotes, dynastæ in agro Mogontino cōueniunt quarto Idus Iulij, hostem Reipub. atq; religionis Christianæ proditorem iudicant, quicunq; illa acta Vicesimi secundi tutatus fuerit.

Conuentus Germanorū procerum.

Sed præstat huiuscemodi Senatusconsultum sensibus suis omnino partim etiam verbis inserere. *Anno Christianæ libertatis M. CCC. XXXVIII. sexto die Iulij, hora VI. Benedicti XII. Pont. Max. anno IV. in pomario vici Rhenoset, in ripa Rheni amnis vbi fere septem viri Cæsariani electores conuenire, atq; de summis Imperij rebus colloqui solent, Hainricus Mogontinus, Valentinus Agrippinensis, Balduinus Treuerorum archimysta Rudolphus Ruperti duo & Stephanus præfecti prætorio Rheni, cum nondum decretum foret, quis nam eorum Comitijs Cæsareis suffragium ferret: Rudolphus dux Saxoniæ, Ludouicus Brandenburgensis limitis præfectus, item alij plerīq; omnes sacresancti Imperij clientes & optimates, sacrati prophaniq; concione vocata, sacramento prius rogati ritu solenni ex consilij decreto, accitis tribus libellionibus, qui in acta quæcunq; fierent, dicerenturúe, ex fide referrent, subscriberent, atq; in vulgus ederent: Hanc rogationem sciuerunt, iusserunt, decreuerunt, voluerunt promulgarunt perpetuò sanxerunt. Sacrosanctū Imperium, summa in terris potestas, cœleste donum est. Imperator enim primus ante omnes secundus post Deum est, & tam grande nomen a solo Deo traditur. Cui soli ille Reipub. administrandæ rationē reddendam habet. Qui a supremo duntaxat cœli numine in summo*

Septem virum conuētus, rogationē talem decreuerunt.

rerum

rerum humanarum fastigio collocatus est, & in terris neq; parem neq; superiorem habet. Per quem leges, iura, regna humanæ genti largitur æterna maiestas. Cæsari reddite, quæ Cæsaris sunt, præcipit Christus. Is & Comites eius omnes, vectigalia, honorem, officium, obsequium obedienter, ac reuerenter Imperatoribus præstiterunt. A curiatu igitur Heptarchis rebus impositus, continuo more maiorum atq; iure gentium rex est & vocatur. Ipsium contra maiestatem Reipub. decus Imperij, legatos ad sacerdotē Romanum, vt author fiat, copiam administrandi concedat, mittere eidem, iureiurando fidem astringere atq; petere ab eo vsum regij diadematis, religio est, nullum harum rerum ius omnino est pastori, qui seruus cuiusmest, & in consecrando domino, gregi seruit. Quippe iure suffragiorum beneficio electorum atq; popul. quisq; imperat. Hæc verissima esse conuenit inter omnes annaliū, rerum humanarū, diuinarumq; peritos, atq; tam sæpius vtriusq; iuris Cæsarei atq; pōtificij, cœlestis Thesauri testimonijs comprobatū est. Tamen quidā (vt sunt ebrij successu rerum nimio atq; impotentes sui mortalium animi, prosperis enim rebus ferocitas atq; superbia augescunt) impudentissime refragari non erubescunt. Et nonnulli sanctuli, qui sibi sacrarū literarum magisterium arrogantissime sumunt, per fallacias verba domini arguunt, simplicitati Christianæ imponunt, diuina sapientiæ viua oracula polluunt, contaminant: sacram historiam falso interpretando suæ causæ seruire cogunt, suis moribus atq; vitijs, nempe ambitioni superbiæ, auaritiæ accommodant, veritatem adulterant humanis nugis, cælestem philosophiam commentis deprauant, inuertunt, à germano sensu ad suum negocium, suas nundinas captiosis ratiocinatiunculis detorquent: non voluntatē legi sacræ, sed legem voluntati iungunt. More argutorum hominum magis quam ex æquo atq; bono disputant, præter fas, contra naturæ legem docere non erubescunt. Pastoris beneficiarium esse dominum, neq; ante principem principum esse, aut nominari oportere, quam ille seruus seruorum author fiat & dignum iudicarit qui regnet. Hæcq; cum maxima Reipub. Christianæ pernicie, intolerabili populi Christiani, Imperatoriæ maiestatis iactura, nec sine grauissimo tetrarcharum, dynastarum, clientium, Imperij detrimento, instigante Stygio principe, domino huius mundi commenta esse, euentus docet, exitus probat. Inde bella plusquam ciuilia, seditiones domesticæ, tumultus intestini concitantur, populus Christianus se mutuis vulneribus atterit, cognato sanguine manus polluit, stupra, periuria, adulteria, sacrilegia, peculatus, incestus, perfidia impune committuntur. Hæc vbi dogmata pestifera, his & pestilentibus erroribus classicum concinentibus cædes parricidia, homicidia, incendia passim eduntur, excidia regnorū, vrbium, regionum direptiones vbiq; fiunt. Ima summis miscentur, diuina, humana perturbantur, pietas refrigescit, lites, discordiæ, scelera, simulata religio, cæremoniæ cassæ feruent & gliscunt. iustitia, pax, concordia, simplicitas, libertas, depulsa terris exulant: diuitiæ atq; arma dominantur, fraus, dolus, ambitus ecclesiasticus corripiunt gradum, vt posthac huiuscemodi malis euitatis, augusta pace, tesſa quiete, populus Christianus fruatur ex optimij decreto, hoc q; plebiscito decernimus quæ supra ritu solenni, religione adacti censuimus, perpetuo sancimus edicto, nimirum ex solo electionis beneficio, omnem potestatem, imperiumq; proficisci: nec vllo pacto pontificis Romani in hac re sanctimonia, flaminio authoritate consensu opus esse. Quicunq; aliter docuerit senserit, factitarit, crimine læsæ maiestatis reus, hostis Reipub. atq; proscriptus esto, capite pœnas soluito, bona eius publica sunto, prædia infiscentur. Eodem téporis tractu in Occidentali Francia, mortuo Carolo Pulchro absq; liberis, duo de regno, iure atq; armis disceptant. Philippus Valesius patruelis Caroli & Eduardus rex Anglorum eius ex sorore nepos. Hic iisdem diebus in Germaniam venit, nam vxor eius soror Augustæ erat, & filia in gynæceo Augustali educabatur. Iure igitur affinitatis apud cōfluentes Rheni atq; Mosellæ ab Imp. excipitur. Inde Francofordiam ambo principes se cōferunt: vbi frequentes Italiæ, Germaniæ, Galliæ, Angliæ purpurati & pontifices coeunt. Philippus Valesius à popularibus occidentalis Galliæ rex declaratus per nuncios (sicuti & nostro æuo factitare Celtici rectores solent) Teutonum animos aduersus Anglos auro sibi conciliat, auxilia Germanorum emit, donatiua, congiaria largissima distribuit militaribus tribunis, fidem illorū perpetuis sibi oppignerat stipendijs. Carolus Morauici limitis præfectus iussus fide publica cum ducentis equitibus apparere, cū quingentis venit, ibi in verba Ludouici iurat se in eius potestate fore dat fidem. Atq; inde à Francis redemptus in Galliam Lugdunensem, Lutetiam ad Philippum Valesium se transfert. Cæterùm præsente Anglio senatusconsultū perscriptum est, lex lata est. Eum qui Imperatorē execratum dicat, aut sentiat, bullasq; huiusmodi pōtificias absq; cōsilij decreto recipiat contra Rempub fecisse videri. Eadem quoq; quæ Rhenosei à principibus constituta commemorarunt, rata esse summa vi atq; ope, iuratum ab omnibus. Anglius quoq; sententia procerum rex Franciæ, procuratorq; Imperij per Gallias, vt amplitudine nominis Germanos alliceret, consalutatus est. Iussi sunt equites, milites, tribuni, centuriones, duces, pro viribus eidem auxiliares esse. Interfuisse senatui reperio cū collegis, Wilhelmum Occomensem Franciscanorū primarium sacerdotem, acerrimum Dialecticum, Philosophum, Theologumq; acutiorē, quàm ea ætas ferebat. Ab illo recentiorū peripateticorum cohortes lectæ sunt. Eodem consilio acta vicesimi secundi, hoc diplomate Imperatorio, quod latinè extat, denuò rescissa sunt.

Philippus Valesius Galliæ rex declaratus.

Carolus Morauici limitis præfectus Ludouico fidem dat.

Rensus.

Diploma Imperatoris Ludouici 4. quo rescissa sunt acta vicesimi 2.

IMPERATOR LVDOVICVS 4. *diuino duntaxat munere Cæsar Augustus, vniuersis Christianis salutem. D Petrus atq; Paulus nunc æternæ maiestatis primarij, longo ante tempore prædixere, cecinerunt, sed & nobis denunciarunt, post sata sua vafros, versutos audaces falsos prophetas sacerdotes, legatos mendaces, futuros facta tam pridem illorum depinxere nobis. In templo Dei* (inquiunt) *hoc est,*

ecclesia

ecclesia, quasi sint Deus, sedebunt, & supra omne id quod vsquam gentium, aut colitur, aut cultum est, extollentur. Neq; dicendi neq; faciendi vllum, nisi qui libet, noscent modum, gloriam, regnum concupiscendi nec finem facient, nec terminum capient. Dominationem, potentiam, vrbis orbisq; terrarum, nec minus ipsis extrabilem, vexillum crucis Christi, arripient: conficta ad quæstum, lucrum, ambitionẽ, luxum sermonibus de populo Christiano, abusi crudelitate stolidi vulgi nundinabuntur. Quæ itaq; vates illi veridici, arcanorum Dei interpretes nobis antè cantarunt, verissima esse experimẽtis animaduertimus: & planè, nisi asini ad lyram simus, sentimus. Non imus inficias, est genus hominum superstitiosum, quam vt temporum infelicitas refragetur, ad fraudes & commenta superstitiosa, quibus vulgus imperitum facile lactari atq; capi solet, ingeniosissimum existit: ad tutandos mores impudentissimum, crudelitate stultorum, quorum infinitus est numerus, abutitur. Meum est huiuscemodi argutias atq; vaframenta, ne hisce simplicitati Christianæ imponatur, veritati diuinæ illudatur, detegere atq; confutare. A spinis non colliguntur vuæ. Propheta Dei non accipit munera. Qui vult maximus esse, sit infimus omnium, nunciys Christus præcipit. & reges quidem dominantur populo, vos autem serui gregis mei, nempe pastores, non domini estis. Nihilominus tamen, quanquam illa clarissima sint, tamen pessimi Pharisæi, perditissimi antichristi comitiys Cæsaris suffragiys principum, rebus impositum, aiunt, non esse Imperatorem, nisi primarius sacerdos qui dominus rerum & vtriusque potestatis manceps sit, author fiat. Id etsi prauum ineptum, falsum, perquam absurdum, alienum à vita sacerdotis crucifixi, diuino, humanoq; iuri sacris contrarium, nec rationi consentaneum fiet, tamen illi impostores in malicia pertinaciores, quam boni in pietate existunt. Quis obsecro non videt, nisi talpa plane perpetuo oculis a rerum summo opifice damnatus, terra tenebris incubet? Repugnantissima sunt, nec coire possunt, corporale & spiritale, terrenũ & cœleste, fluxum & æternum, caducum & immortale, ensis mysticus atq; ferreus, hic Cæsari à Deo datus est, vt malis & pacis atq; concordiæ disturbatoribus neci datis boni tranquilla, quiete perfruantur. Ille concionis Christianæ a seruatore commissus mortuos vitæ restituit, neminẽ occidit. Diuersa sunt sacrificulus & Augustus vterq; cœlesti dono constituitur, suis limitibus clausus atq; vt sunt humana atq; diuina, ille seruorum seruus, hic princeps principum habetur, & esse in bene constituta Repub. debet. Nos solius Dei beneficio curiatorũ Comitiorum iure, lege suffragiorũ authoritate senatus, maiestate atq; viribus populi principatum tenemus. Si quis ambigat, ad sacra historiæ penetralia, annales priscos recurrat, ita dubitare desinet. Quod si ignorare perrexerit, ignorabitur. Vt tamen sophistæ illi, monstra, & laruæ religionis Christianæ abominanda, claua Herculis repercutiantur, & sua ense iugulentur, veteres iuris pontificiy, cui vacat, euoluat codices, vbi non semel scriptum est, Pontificis, atq; Imperatoris omnino diuersas esse iurisdictiones, nec vices earũ commiscendas esse. Quocirca liquet, quam perperam, atq; temere Vicesimus ille secundus Imperiy habenas sibi vsurparit, præter fas, atq; æquum Italiam a regno Germaniæ separare conatus fuerit, aduersus leges, instituta, morem maiorum, contra auspicia, intercessionem, authoritatem senatus, maiestatem principũ, atq; populi Romani, Italici, Germanici. Non tam nobiscũ, quam cum ipsa Repub. Christiana bonus sane pastor vi, & armis, & manu, nõ iure disceptauit. Sanguinẽ Christianum lupus cruentus sitiuit, & hausit. Idem hostis, accusator, testis, & iudex, atq; inimicus noster publicus in propria causa tamen aduersus nos absentes, indemnatos, innocatos, iniudicatos, inauditos nec citatos, nec loco legitimo, nec die dicto, contra leges indicta causa, secundum se homo bellissimus pronunciauit. Sicuti in rebus inuisibilibus & diuinis sacerdoti cedimus: ita iure nostro in humanis, & his quæ conspici, tangique queunt, superiores eo, qui temporalia, dignitatem regũ nostro beneficio possidet, sumus. Oportet magis Christo, quam pontifici Max. obtemperare, ille Imperatori suos dicto audientes præcipit, hic vetat. Hasce ob causas bene, recte, atq; sapienter, ab hoste Reipub. Christianæ ad futurum totius Christianismi, cuius ille membrum (si tamen existit) non caput est, senatum prouocamus: Orbis, inquit Diuus Hieronymus, maior est, quam vrbis Ecclesia. Sententiam igitur illius alterius, & Vicesimi aduersus nos latam, vanam, irritam ex consiliy decreto censemus, declaramus hoc edicto, quod Francofordiæ in Augustiore templo ritu solenni subfixum, si quispiã pertinax fuerit, qui oblatrare, aut obstrepere ausit, tanquam veritatis osor, pacis conturbator, hostis Reipub. inimicus pietatis, satelles Antichristi, mancipiũ sathanæ, perduellionis, perfidiæ, periury reus, non philosophorum argumentis vel decretorũ, sed verbere, vinculis, carcere fatigatus, possessionibus, peculio mulctabitur, & vltimo supplicio, more maiorum parricidiũ luet. Datũ in oppido nostro Francofordiæ, die sexta Augusti. anno Christianæ libertatis M CCCXXXVIII. Domini Ludouici Imp. clementissimi, regni XXIIII. Imperiy XI.

Nono subinde die, peracto conuentu Francofordiæ, optimates Imperij rursus in Lonstain (oppidum est in agro Mogontino) frequentes coeunt, postridie in Pomario iuxta Rhenoseum vicum, in ripa Rheni, sacramenta inuicem, se maiestati Reipublicæ non defuturos, sed operam daturos, ne quid Imperiũ detrimenti capiat dicunt, desertorem periurij nota inurendum statuunt. At Imperator Francofordiæ hyemat. Vbi proximo deinceps anno Reinoldum filium Reinoldi Geldriæ præfectum albo ducum asscribit, & in gratiam cum Reginoburgensibus redit. Dominicani Flaminicas partes (nam Benedictus Pont. Max. amicus Cæsari erat) deserere, ad Imperatorem desciscere, nisi vrbe excedere maluissent, publicè rem diuinam facere, coacti sunt. Eodem anno Otto Austriacus relictis ex Elisabetha Boia duob. filijs Friderico, & Luitpoldo, ex hac vita migrat. Eius aulici fuere parochus Kalnbergensis, & Neithardus Fuchs, antiqua Francia ortus, cuius Mausoleum Viennæ, lusibus, quibus rusticis, imposuit, insculptum adhuc spectatur. Cæterùm in Boiaria

Conuentus optimatum Imperij in Lonstein.

Reinoldus Geldriæ dux creatur primus.

Dominicani Papæ deficiunt.

Otto dux Austriæ moritur.

Hainricus 13. dux Boiorum moritur 1339.

Boiaria secunda Hainricus tertiusdecimus, frater coniugis Ottonis Austriaci, dum Imperator Francofordiæ agit æstiua, moritur Calendis Septembribus, anno Seruatoris nostri millesimo trecentesimo, vndequadragesimo. Vxorem Margaretham, filiam Ioannis regis Boiemiæ, filium Ioannem, & ducatum testamento Imperatori Ludouico committit. Qui æstatem atq; autumnum Francofordiæ exegit, ibidem hyemauit. Primo vere ad Boios Landshutam concedit, testamentum Hainrici recitari iubet, tutelam adit, legatum imponit, hasq; leges, quas subtexam, administrandi præscribit: Præsides ab odio, & gratia, ab amicitia & ira vacui, publico bono consulcent, inopes ab iniuria potentiorum vindicent, sedulò causas popularium gratuito, absq; sumptu, xenijs, munere, accito scripturario, sapientum cōsilio cognoscant, prudentium suasu decernant, si qua maiora fuerint, ad nos deferantur. Prætores ipsi per se ius dicant, responsa reddant, ne iuris dicundi prouinciam à se (id quod nostro æuo fieri solet) in suppositiciū quenquam relegent. Patrocinia ne veneant, causidici salario contenti sint, nec clientes onerent. Infames quibus aduocare interdictum, nequaquam in iudicio atque foro appareant. Latrocinia communi ope ab omnibus communiter vindicentur: dent operam magistratus, ne fraus hisce legibus fiat. Nemo, si quis in publica commoda peccarit, impunè habeat. Culpa ferro rescindatur. Nullus tamen, cui iniuria facta est, si peccatum condonare, iniuriæ ignoscere velit, inuitus accusare cogitur.

Dominicani fallaciæ fabricatores.

Dominicani, qui Landshutæ habitabant, cum Imperator Hainrico bellum indixisset, demum templum suum claudere, rem diuinam in contumeliam Cæsaris, gratificari principi suo Hainrico, facere, supersedere: & ne inconstantiæ argui possent, vt qui omni vento doctrinæ circumferrentur, hactenus, cum etiam in gratiam principes redijssent, defuncto etiam Hainrico, in proposito perseuerabant. At vbi Imperator Landshutam venit, pertæsi solitudinem, vltrò amicitiam Cæsaris ambiunt, fallaciam, ne leuitate notarentur, concinnant, Satrapam de Deck clanculum orant, sibi conciliant, quid fieri ab eo velint, edocent. Is ex cōposito faculis postridie prima luce ardentibus, ad contubernium mendicantis religionis prouolat, nisi ædes actutum aperiatur, res diuina, vti prius fiat, sese igne fanum cum monachis concrematurum simulat, vociferatur, clamitat, altercatur, obedienter, atq; lubentissimè Dominicani huius fallaciæ fabri, sua voluntate coacti obtemperant. Aperto templo, nemine repulso, sacra palam quod antè recusarant, faciunt.

Fridericus de Seuneck comes Celeiæ creatur. Classis Gallica perit. Ioannes 1. dux Boiorum moritur. Fridericus & Luitpoldus Austriæ duces.

Posthæc Imperator Monachium reuertitur, Fridericum de Seuneck præfectura Celeiæ, in confinio Pannoniæ, Norici, Illyrici, Dalmatiæ donat. Interea Anglius rex affinis Augusti, fretus auxiliaribus Teutonum copijs, in Clusino Flandrorum portu classem regis Galliæ, quæ Fauonium spectat, inuadit, submergit: vndeuiginti millia Gallorum ferro partim necat, partim aquis obruit. Per idem tempus in Boiaria secunda Ioannes filius Hainrici absque liberis decedit, anno æræ Millesimo trecentesimo supra quadragesimum, vndecimo Calendas Ianuarias, quo die ante annos vndetriginta Stephanus eius auus ex hac vita migrarat. Confestim equites, ciues, antistites Landshutæ coeunt. Fridericus & Luitpoldus fratres Austriaci, Ottone superiore, & Elisabetha Boia, filia Stephani, amita Ioannis progeniti: item Adolphus filius Rudolphi fratris Augusti, præfectus prætorio Rheni, ducatū principibus orbum ambiunt. Illi materna quidem origine proximi erant. Nam Ioannem secunda cognatione amita eius procreati, contingebant: sed Imperator Adolpho vna stirpe prior erat: eius pater, auus Adolphi, proaui Ioannis germanus fuit. Senatus Boiorum Imperatorem tanquam legitimum hæredem alijs repulsis agnoscit, legatos ad eundem Monachium mittit, hæreditatem adeat, illum efflagitant. Annuit postulatis Augustus, pridie Idus Ianuarias Landshutam proficiscitur, sacramēta sibi equites dicere iubet, fidem dat, sese legi Ottonianæ, qua iudicia regulorum ad equestrem ordinem transferuntur, staturum. Inde Vilsouiam petit, ibi quartodecimo Calendas Februarij Margarethæ vxori Hainrici (quæ eiusdem anni quinto Idus Iulij obijt) Richardæ coniugi Ottonis sexti, dotem, paraphernam pensitaturū, æs alienum, quod Hainrici duo, atq; Otto contraxerant dissoluturum pollicetur, tabulis cauet. Præterea decreto sancit vt posthac prima atq; secunda Boiaria vnus ducatus rursus sint, quæ ante annos quinq; atq; octoginta primum in duos principatus dissectæ fuerint. Quòd si quis filiorū contra moliri tentarit, eundem exhæredem esse iubet. Insuper pacem vbiq; seruari, latrocinia cōmuni consilio atq; ope communiter vindicari mandat. Proprætores quoq; edicto submouit.

Margaretha Maultasch ...

Ijsdem diebus Margaretha Tyrolia Maultescha, ab oris magnitudine ita cognominata, nupta Ioanni filio regis Boiemiæ, Leopoldum de Schaumberg episcopum Fruxinensem (qui aduersus Ioannem Verdensem à pontifice Romano impositum, sed Annione exulantem, a mystis electus Fruxino potiebatur) accersit, se virginem adhuc integram esse, maritum liberis operam dare non posse, comprobat. Pontifex ergo velut arbiter honorarius matrimonium non esse, nunquam fuisse, nec vnquam esse posse pronunciat, dissidiumq;

Ioannis & Margarethæ diuortium.

iure suo facit. Quapropter Ioannes simul ab vxore, & principatu præter spem excidit, exactus q; finibus ad Berchtrandum patriarcham Aquileiensem, inde in Boiariam se confert. Cæterum Ludouicus Brandenburgensis, filius Augusti, cuius vxor regibus Cimbrorum oriunda,

oriunda, pridem defuncta erat, Maultescham, quamuis eorum aui germani fuissent, vxorem ducit: exacto Boiemo, eius coniuge & ducatu potitur. Se quoq; Charionum regulum, quem ducatum Austriaci (quibus eundē Imperator ablatum Boiemo in fidem dederat) possidebant, appellat, & dici imperat: occasionē eius regni arripiendi expectabat, & titulo huiuscemodi aucupabatur. Idcirco etiā Augustus male audiebat, & quasi haec eius techna atq; suasu fierent, vulgò castigabatur. In eiusdem anni Septembri apud Bethmes (vicus est Lycatium superioris Vindeliciae) coruorū pulli implumes in nido reperti sunt. Iique tum episcopi atq; reges è medio abierunt. In Boiaria secunda Nicolaus Reginoburgensis Altaichij, quod superius cognominant, decessit, ibiq; sepultus est. Albertus filius Alberti Saxoniae rectoris, consobrinus Imperatoris, amitinus Austriacorum, Bathauensis episcopus mortē obijt. Hainricus à Reicheneck Aichstadiensibus sacrificis à Pont. Max. impositus, verùm à mystis repulsam passus, exul Norinbergae fato functus est. Imperator quidē hunc sacra procuratore permisit, verùm castella, oppida, Caesarea beneficia, in Albertum de Hohenfels tulit, isq; administrauit. In Italia Rupertus rex Neapolitanus vita decessit, Andream filium Caroli regis Vngariae, nepotem suum ad se accitum, haeredem instituit. Eodem anno Carolus quoq; Vgrorū rex, parens Andreae, fato naturaeq; concessit. Auinione in Gallia Benedictus duodecimus vita defunctus est. Succedit in regno Ecclesiae Clemens sextus. Is secundos ludos seculares instituit, & quinquagesimo quoq; anno, sicuti octauus centesimo celebrandos, censuit. Reginoburgio Fridericum, Aichstadio Berchtoldum Teutonum sacratum equitem, germanos fratres Ioannis Norinbergensis praefecti imposuit. Verùm mystae illos recipere recusarūt, Reginoburgenses Hainricum de Stain, Aichstadienses Albertumde Hohenfels episcopum de corpore suo legunt. Hique, praedia, vrbes, arces, agros possederunt, & Augusto sese in clientelam dicarunt. Qui eadem tempestate Humbertum Viennae Allobrogum, & Ludouicum inferiorem in Otingen Sueuiae regulum, Vlricū Hangenhor magistrum epistolarū, ciuilia bella exosus, Auinionē legatos ad Clementem proficisci iubet: amore Reipublicae, iram ponit, in se praeter aequum & bonum commissa condonat, pacem expetit, omnia patienda statuit, quoad spes aliqua concordiae stabiliundę relinqueretur. Porrò flamines (vt est genus hominū peruicacissimum) rati ad quos legati mitterentur, ijs authoritatem attribui, timorem eorum, qui mitterent significari, orationum atque consultationum ambagibus tempus extrahunt. Sibi deuoti animis indulgent, nullum finem, nec modum nec cupiditati, nec irae, nisi vincant & voti compotes fiant, neq; ponunt, neq; norunt. Aliquo manifesto piaculo impietatem in pontifices maximos terrarum deos temerè perpetratam, luendam esse causantur. Philippus quoq; Valesius Romanae Franciae rector, vt animum Augusti ab Anglijs abstraheret, sibiq; conciliaret, sedulò operam nauauit, vt Romanos praesides, pastorem atq; Imperatorem in gratiam redigeret. Totum triennium hisce consultationibus extractum est. Sub idem tempus Vgrorum oratores Auinione in eodem luto haesitarunt. Ludouicus rex Vgrus Campaniam haereditatem Andreae fratris sui, verùm à primario sacerdote venalem, proscriptam, ne germanus excluderetur regno, licitatus est, atq; redemit millibus marcarum auri quatuor & quadraginta, sunt vnciarum millia trecenta, quinquaginta duo, id est nostratis pecuniae, super sexdecim millia aureûm nummûm octies & vicies centena millia. Haec ex Ioanne mysta Strigoniensi excepimus. Dum autem talia Auinione fiunt, Imperator in Germania ciues & equites concordiam inire, foedus icere, pacem (quam tam diuturnam atque stabilem nullo alio principe in Germania fuisse haud temerè inuenies) iurisiurandi religione more maiorum sancire praecipit. Proceres ad parsimoniam, frugalitatemq; hortatur, persuadetq;, vt leges vestiarias, sumptuarias, quibus luxuriae efferuescentis aestus conhiberetur, & ferrent, & exercerent. Quippe nobilium pleriq; (sicuti & mea aetate factitare solent) patrimonia amplissima helluati fuerant, supellectilem, familiā, pecuniam, praedia, agros, praeterea arces, castella proluerāt. Caeterùm in secunda Boiaria Altaichij superioris monachi Histrū, quòd nimium vicinus templo agros, prata excederet, ab antiquo meatu, qui locus adhuc vetus Danubius vocari solet, graui impendio aliò deriuant, nouum alueum decē continenter annis effodiunt, mille amplius libras Reginoburgenses expensas referunt. Quarto tum demum anno legati Caesaris Auinione reuertuntur, mandataq; scripta pontificis Max. ad Augustum perferunt, quorum haec summa fuit: *Caesar Vuilhelmum Occomensem Haeresiarcham, eius collegas, & socios Pontifici Maximo dederet. Decreta aduersus Vicesimum secundum vicarium Christi, retractaret, acta resci nderet, opprobria recantaret, edicto perpetuo publicè sanciret, Imperium beneficium esse primarij sacerdotis, nec ante Caesarem esse, aut vocari, quam ille author fieret.* Haec vbi ad Imperatorem relata sunt, Francofordiae proceres conuocat, mandata Sexti recitare iubet. Fit decretum, huiuscemodi postulata praua, inepta, antiquata, argutiora denique esse, quàm simplicitati Christianae, atque maiestati Reipublicae conueniret, irrita, vanaque declarata sunt, flaminesque Auinionenses secundis rebus oblitos humanae imbecillitatis, nullum modum neque dicendi, neque faciendi, nisi quem velint, noscere, promulgatum. Quicquid libeat, licitum putare, li-

Bethmess. Prodigia.

Primates qui obierint.

Clemens 6. S.P. sic Iubilaeum 50. quoque anno instituit.

Cardinalium ingenium.

Ludouicus rex Vgrorū Campaniā redemit.

Papa regnorum mercator.

Danubius vetus.

Mandatum Pōt. ad Caesarem.

centia ſanctitatem metiri, acclamatum. Ioannes rex Boiemus, filius eius Carolus denuò in verba Auguſti iurant. Inde in Franciam ad Philippum regem ſecedunt.

Imperator legatos ad Clementem remittit.

Imperator cum hiſce, eoſdem legatos ad Clementem redire iubet, vt æquis conditionibus concordia paciſcatur, & bene inter bonos agatur, poſtulat. Sed Sextus nullo pacto poſtulatis annuit, ſua dicta velut fulmen rata eſſe, atq; obſeruari voluit. Reges Boiemus atq; Francus fruſtra reconciliandorum principum ſumpſere operam. Conſulti iuſſu regum Theologi Luteciæ Pariſiorum, reſcripſere reſponſa Clementis non ſolùm iniqua, ſuperba, ſed & contraria æquitati Chriſtianæ eſſe. Idem Bononienſes fecerunt. Inter hęc Wilhelmus frater Auguſtæ eius nominis quartus, cuius vxor fuit Ioanna Ioannis tertij Brabantiæ ducis filia, abſq; liberis fato fungitur, anno Chriſti M. CCC. XLV. Bathauia, Hollandia, Caninefates, Selandi, Toxandri, Hannonij, Friſij lege ad Auguſtam redeunt. Quæ eò profecta cum duobus filijs Alberto, & Wilhelmo hæreditatem adit, principatu earum gentium potitur. Interea Monachij ſexto Calendas Iulij, qui dies erat Sabbathum poſt ferias, quæ Chriſto triumphanti inferos, arcemq; cœli aſcendenti celebres ſunt, Hainricus infans excruciatus crudeliter necatus eſt, corpus venis excisis ſexaginta vulneribus, cultellis confoſſum in agro extra mœnia repertum, in vrbem transfertur, funus omni apparatu atq; honore celebratur.

Andreas rex Apuliæ necatur. Ludouicus rex Vgrus in Campaniam exercitũ ducit.

Hoc etiam anno in Apulia Andreas rex noctu in cubili laqueo necatur. Clemens germano ſuo regnum tradit. Verùm Ludouicus rex Vgrus occiſi frater, cum infeſto exercitu in Campaniam contendit. Ioannam vxorem fratris, cum marito nouo, fratre Sexti, item alios cædis conſcios, authoresque Italia exigit, regno Neapolitano potitur. Literis per orbem Chriſtianum Ioannam, item pontificem Romanum, quatuor flamines parricidij incuſat. Ioanna cum coniuge fuga ſibi conſulit. Auinionem euaſit ad primarium ſacerdotem. Cuius auro, & pollicitationibus (ſicut amicus Auinionenſium Conradus de Maidenburg, quaſi benefactum iactitat) in Germania Baldouinus Treuerenſium archmyſta, Rudolphus Saxoniæ regulus corrupti, Gerlacus de Naſſauu Mogontini pontificatus (quem alter tamen huiuſcemodi conatus, ac perfidiam deteſtans tenebat) ſpe ineſcatus, in agro Treuerenſi coeunt, Carolum Morauici limitis præfectum, filium regis Boiemiæ Cæſarem deſignant, quarto Idus Iulij, anno Salutis M. CCC. XLVI. Carolus, qui tum in Gallijs cum patre Ioanne, Philippo regi aduerſus Anglios ſuppetias ferebat, ab flaminibus ſacramento, quo fidem Ludouico aſtrinxerat, ſolutus, annuit, noua molitur, totis viribus imperio inhiat. Auguſtus vbi hæc comperit, ad Rheni oram cum exercitu contendit. Auguſtæ Nemetum concilium cogit, concionem procerum aduocat, perfidiam paucorum, maximè Baldouini Treuerenſis (quo conſultore & authore vniuerſa hactenus à ſe geſta ſint) arguit. Pontificum Max. inſolentiam, faſtum, omnium temporum iniurias in ſe eorum cõmemorat, à quibus inductum, deprauatumq; Carolum, item alios, conqueritur, Caroliq; periurium proponit, ſenatus authoritatem, populi Chriſtiani libertatem, maieſtatem Imperij, fidem religionis proditam, pollutam docet, liberos eſſe Germanos aſſerit, rogat, ne ſe, cuius clementiam, benignitatem, fidem, conſtantiam, munificentiam iam pridem tot aduerſitatibus comprobatam ſenſerint, imperare, an Carolum, perfidum caput, parricidamque, qui auum optimum Imperatorem impietatis condemnet, regnare velint. Abſque cunctatione tota concio conclamat, Ludouicum rerum potiri, Ludouicum à Deo Imperatorem conſtitutum eſſe, ſeque in eius poteſtate futuros. Perfidiam deinde paucorum execrati, Caroloque inominatis verbis malè precati, denuò Ludouico ſacramenta certatim dicunt, dantq; fidem, operam daturos, ne huiuſmodi flagitia inulta ſint, & Germanicæ virtuti ab hoſtibus etiam laudatæ, tanta macula illinatur.

Wilhelmus Occomenſis aduerſus Carolũ & Clementem 6. ſcribit: hũc Antichriſtũ nominat.

Wilhelmus Occomenſis librum (qui extat) aduerſus Carolum, atq; Clementem ſcribit. Vbi hunc hæreſeos nota inurit, ipſum Antichriſtum, paupertatis Chriſtianæ oſorem, hoſtem Reipub. coniuratum Celticorum tyrannorum, Germanorum gentis Chriſtianiſsimę inimicum, ſectatorem Clementis quinti, Ioannis Viceſimi ſecundi, falſorum pontificum, & ſæuiſsimorum luporum appellat. Carolum periurij, læſæ maieſtatis, parricidij, impietatis in auum, & parentem poſtulat, quòd fidem iuriſiurandi, qua Ludouico aſtrictus ſit, frangat, quòd legibus Confluentiæ, Francofordiæ, in Lonſtain, ex conſilij decreto perlatis, perfidè fraudem faciat, obiectat. Mancipiũ Auinionenſium ſacrificulorum, à quibus Imperium emerit, appellat. Contra decus Imperij, maieſtatem populi Germani, in loco obſcuro & ignobili, contra morem, à perfidis electum, exprobrat. Inauſpicatiſsimum eius fore Chriſtiano orbi Imperium ominatur. Poſtremò indignum eſſe, qui in Germania, nationum regina, imperet, docet, maximè quando amicus ſit regi Francigenarum:

Gallorũ ope Chriſtiana libertas peryt.

qui perpetuò hoſtis ſit Alemannorum, & Reipublicæ Chriſtianæ tyrannus, diſturbator pacis, author diſcordiæ, & ſeditionum. Cuius leuitate, atque ſuperſtitione, & viribus freti pontifices Max. libertatem Chriſtianam oppreſſerint.

Wilhelmus Occomenſis ſententia de Papa.

Imperij maieſtatem labefactarint, Rempublicam antiquarint, Germanicam virtutem diſcordiæ malis debilitarint, attriuerint, populum Chriſtianum in ſeruitutem redegerint duriſsimam. Et cum alios (inquit & pergit Wilhelmus) Gallicus rector ad Imperium orbis terrarum iam pridem aſpirans,

aſpirans, faſtu, & gentilicia auiditate perdiderit, ſeipſum tamen non feſellit. Dum ſeſe, & pontificem Max. & Imperatorem in ſuo regno eſſe prædicat. Idem Wilhelmus cum collegis alium libellum edidit, in quo paſtorem Romanum, atq; rerum dominum diuerſa eſſe, argumentis probat. Hunc terræ dominari, illum diſpenſare ſpiritalia: illius munia, amare oues, paſcere gregem, crucem egeni, & mendici Christi ferre: huius imperare, ſtrictum enſem geſtare, belligerari aſſerit. Item docet Imperium nequaquam ſacerdotis, ſed Dei Opt. Max. beneficium, cuius populus ſit, eſſe. Cæſarem continuò eſſe, & vocari, poſteaquàm à ſeptem viris delectus ſit, ad Cæſarem regna, Imperia, diuitias, bella, huius ſeculi potentiam ſpectare, ſacerdotem Romanum nihil horum contingere, ac procurare debere, niſi Antichriſtus eſſe velit. Cæteri Theologi, item vtroque iure periti, in eandem ſententiam pleraque diſputarunt, in libellos redegerunt, quæ opera cum blattis in Bibliothecis colluctantur. Leopoldus epiſcopus Bambergenſis de hac re ſcripſit: eius opuſculum ante annos tredecim, Iacobus Wimpfelingius, ſacrarum literarum profeſſione, & diſciplina inclytus, excudendum curauit, Fridericoque Saxonum rectori, Muſarum patrono, & omnium eruditorum Mœcenati dedicauit. Alium quoque librum Wilhelmus Occomenſis, & eius collegæ publicarunt, cui Vindex pacis Chriſtianæ titulus eſt. Ibi ſacræ hiſtoriæ teſtimonijs arguunt Rom. Pontificē, niſi Antichriſti faſtum, quam Chriſti, & eius comitum paupertatem æmulari malit, infimi cuiuſque Chriſtiani, nedum ſupremæ poteſtatis ſeruum eſſe: tantum abeſſe, vt cum maxima Reipublicæ Chriſtianæ iactura, dominari, quicquid libitum fuerit, factitare, Deus non ſolum dici, ſed credi poſtulet. Atque Franciſcani illa, & Imperatoris partes conſtanter tutati ſunt. Dominicani modò pontificales, modò Cæſariani, quò commodum inuitabat, erant. Conradus Maidenburgenſis parochus, & multa Reginoburgenſium, ſeptimo demum poſt fata Wilhelmi anno, illi & Luitpoldo, multa ad Imperatorem Carolum quartum præfatus reſpondere conntitur. Wilhelmum Occomenſem authorem ſcelerum, cultorem tenebrarum, hæreſiarcham, deprauatorem philoſophiæ nuncupat, qui ſuis argutijs nobiliſsimæ ſimplicitati Imp. Ludouici principis alioqui optimi impoſuerit. Quicquid enim is in Romanam peccarit Eccleſiam, Wilhelmo acceptum fert, quo authore atque conſultore vniuerſa commiſſa ſunt. Et tandem homo ſuauis, modos ſignificandi, alia pleraque huiuſcemodi ſophiſtarū commenta nugasq; magaciſsimas ab eodem Wilhelmo Grammaticę pomerio exploſas, pluſquam tragicè conqueritur, atq; deplorat. Homo omnium rerum imperitiſsimus, qui tamen tacere non poſſet, & ne id quidem ſciret, quod neſciret. Chronica quoq; ſcripſit, vbi fabuloſiſsima quæq; conquiſiuit. Ea quæ de Carolo Magno, & Reginoburgio, diuo Bernardo eius vrbis epiſcopo, & Scotis vulgo protrita referuntur, primus confinxit, & inuenere ſimiles lactucas labra, adeò nullum tam impudens eſt mendacium, quod teſte careat. Sed ad Ludouicum Auguſtum reuertor, qui peracto conuentu Auguſta Nemetum egreſſus Francofordiam migrat, ibique habitat, & aduentum Auguſtæ operitur. Per idem tempus vita defungitur Vlricus Hangenohr ſcrinij Imperatorij præfectus, ſapientia inſignis, Auguſta ciuitate Rhetorum ortus, cuius opera, conſilio, domi, foris, in pace, ciuilibus rebus, ocio, negocio plurimum eſt vſus Imp. Ludouicus, teſtamento cauit, veritus talionem ab Auinionenſibus Antichriſtis (ita appellabant) & effoſsi corporis contumeliam, ne in Aſylo, ſed extra humaretur. Verum Hainricus à Schoneck Auguſtanus epiſcopus, cum fratre Vlrico deceſſore ſuo Auinionenſium hoſte, in templo eundem magnificè condidit. Dum hæc in Germania geruntur, in Belgica ſecunda, & Picardia inferiore prope Ambianos atque Abouillam Anglus Philippum regem Francigenarum atroci prælio vicit, copias eius profligauit, ſabbato ſexto Calendas Septembris, quo die ante annos octo & ſexaginta Odagrius rex Boiemiæ ab Imperatore Rudolpho pugna interemptus eſt. Cæſa triginta millia Gallorū referuntur, proceres auxiliares ij cecidere, Ioannes rex Boiemiæ, rex Balearicarum, frater regis Franciæ, regulus Lotharingiæ, Ludouicus Flandriæ præfectus, Roſenbergius Boiemus, quatuor epiſcopi, duodetriginta dynaſtæ. Hæcque Ioannes à Schonfeld Boius, ex Brugis Morinorum oppido (qui partium Anglij prælio interfuit, & vulnus aduerſum in mala dextra, item aliud ſagitta percuſſus in capite accepit) Gotfrido à Weiſſeneck Bathauenſi epiſcopo ſcribit. Rex Philippus, Carolus filius regis Boiemiæ, noctu Ambianos aufugiunt, inde Luteciam petunt Sextus amicior Gallis, quam Anglijs, Eduardo diras inferiasq; dicit. Ille à perſonato vicario, tyrannoq; eccleſiaſtico ad iuſtum Chriſtiani populi paſtorem prouocat. Porro Carolus in Germaniam, vt Lucilloburgium, Boiemiam auitos paternosq; ducatus adeat, redit, ad Aquas Graneas non admiſſus, a Leodienſi epiſcopo recipitur. Verùm ciues epiſcopum vrbe pellunt, auxiliaribus Angliorum copijs adiuti illum cum Gallis. Boiemis vrbem obſidentem maxima clade afficiunt, duodetriginta mortalium millia contrucidant, ciuitatem obſidione liberant. Carolus accepto iſthoc vulnere, Bonnam ad Baldouinum Treuerorum patruum ſuum magnum & Baldouinum Agrippinenſem, Gerlacum tituloténus archimyſtam Mogontinum ſeptimo Calendas Decembris contendit. Iiſdem diebus Auguſta Francofordiam ad maritum

Leopoldus nobil. hero ab Eglofſtain, epiſcopus Bambergenſis.

Vindex pacis Chriſtianæ, liber actus.

Conradus Maidenburgenſis parochus, contra Wilhelmum Occomenſem.

Vlricus Hangenohr moritur.

Hainricus a Schoneck [illegible]

Strage Gallorum [illegible]

relicto Wilhelmo filio in ducatibus paternis, reuertitur. Ambo subinde coniuges in Boiariam migrant. Carolus ob perfidiam omnibus inuisus, nusquam receptus, pollicitus se concordiam seruaturum, publica fide per Francorum fines in Boiemiam deducitur. Nec viuo Ludouico aut Gallijs, aut Hercyniæ latebris prodire, nec habenas rerum vsurpare ausus est. Clanculum & dolo populares eius Hatzigltain Nariscorum prope Cham castello potiuntur. Arcis præfectus Conradus à Camerauu securi ab Augusto percussus, seu perfidiæ, seu socordiæ pœnas capite dedit. Monachij cum ex hac vita migrauit Wilhelmus ille Occomensis Anglia ortus, quarto Idus Aprilis, anno ab orbe seruato millesimo trecentesimo quadragesimo septimo, in adyto templi Franciscanorum ad læuam aræ sepelitur, vbi eius ossa marmoreo saxo, cui superius epigramma incisum, conteguntur. Itidem duorum collegarum, & cōsecraneorum Bonægratiæ Bergomensis, & Michaelis Cæsenatis, ibidē monumenta ostenduntur. Eodem anno dum Imperator Ludouicus, quòd senectus ipsa, quemadmodum vulgò dici solet, morbus sit, valetudini suasu medicorum, venatibus indulgendo, consulit, ac inter Monachium, & Augustam Rhetiæ proxime Furstenfeldium, & vicum Puech, vbi D. Edigna (quam accolæ furcis præficiunt) humata colitur, & ouilia sunt in prato, venationi operam dat, & quòd Augusta puerum enixa foret, lætatur, quinto Idus Octobris circiter meridiem, de equo lapsus repentino, atque inopinato fine (Apoplexiam vocant) naturæ concedit: vixit annos tres & sexaginta, imperauit tres atque triginta, minus diebus sex. Locus vbi mortuus est, Cæsaris pratum inde vocatur. Corpus à monachis Furstenfeldium translatum, vt cum parentibus conderetur. Tertio deinde die Monachium à ciuibus deportatur, vbi in templo Deiparæ Virginis eius Mausoleum marmoreum magnificè regio apparatu extructum, cum dignitatis insignibus monstratur. Omnes Ludouico corporis animiq; virtutes, & quantas nemini cuiquam principum contigisse, quippe quod ne inimici quidem negent, satis constat. Maiestatem corporis, staturam eminentem, eximiam, venustissimamque formam, fortitudinem egregiam, perpetuam in prosperis modestiam, in aduersis constantiam, æquam vtraque sorte mentem, literarum peritiam (vt captus est principum) non vulgarem pacis conciliandæ, amoris popularium, ciuiumque promerendi, latrocinij extirpandi, concordiæ stabiliendæ, Germaniæ pacandæ (licet circumstreperent acerrimorum hostium turbæ) mirum, atq; efficax studium. Tranquillissimo ocio, quiete augustissima, quanta alias non temerè Germania hoc rectore perfruita est. Hostes maximi, potentes, dites, factiosi, fortunati, nobiles, ipse pauper, vt qui primam duntaxat Boiariam, cuius vrbes primariæ sunt Monachium, atque Angilostadium, possedit. Tamen curauit vnum hoc quidem, vt sibi esset fides. Auinionenses bullæ vndique insurgescebant, varia ad conturbandam Germaniam discordiæ mala serere tentabant, nihil immotum, nihil denique in eodem statu relinquere connitebantur: Comitia pontificia, Cæsarea in se transferebant, sed industria Ludouici, atq; optimorum sanè, & eruditissimorum amicorum consilio obtemperantis, contra omnia quieta, omnia tranquilla fuerunt, benignitate superûm tanti principis prudentia, conatus atque consilia Auinionensium pseudochristorum (ita vulgo nuncupabantur) frustra fuere. Animi sub vulpe latentes, nec ciues, nec equites, nec sacerdotes, neque monachos fallere potuerunt, tantum valuit virtus, cura atque vigilantia boni pastoris. & vt principem salubrem Reipublicæ ex hisce notis (quæ adhuc in animis & memoriæ hominum nostri æui notissimæ inhærent) agnoscas, atque planè sciat, Albertum regulorum nostrorum principem, quem eloquentissimum sapientissimumque nostra ætas (sicuti etiam Itali fatentur & æternitati literarum commendarunt) vidit principem, quamsimilimum corpore, ingenio, vultu, moribus atauí fuisse, & eius virtutes, quasi traditas, atque ingenitas retulisse reperio. Quemadmodum annalium scriptores & picturæ indicant. Procuratorum rapacissimum quemque ad ampliora officia ex industria promouisse à monachis quibusdam traditur: sunt tamen qui contrà opinentur. Ad hoc, ad pacem retinendam, necessitate Reipublicæ tenuitate fisci, inopia ærarij compulsum. Primus enim Imperatorum priuatis opibus peculio atque ære proprio, accensu suo Rempublicam administrauit. Frequens domi habitauit, ne prouinciales oneraret, quibus etiam temperatissimi principis familia grauis esse solet. Et semel duntaxat, quod equidem sciam, tot annorum spacio, tot hostibus, tot aduersis petitus, Boius vngulario ære extra ordinem onerauit. Equus sex atque triginta, bos viginti, pecora ouis, capra, sues octo assibus censa sunt. Angilostadij, Monachij, Norinbergæ ferè concilia celebrauit, quamobrem illæ vrbes diuitijs & mœnibus auctæ in eam amplitudinem, eumque splendorem, sicut modò enitent, præter vicinas vrbes, creuere. Idem veteres leges Boiorum correxit, nouas tulit. Instituta gentis in libellos retulit, quibus adhuc Boij vti solent & secundum eas, codice proposito, ius dicunt. Plurimum ciuitatibus tribuit, eas legibus, rogationibus peculiaribus donauit: Boiariæ regnum, quod lacerum, egenum accepit, locupletissimum reliquit: adeò vt eius cura adhuc sentiatur, opera adhuc appareat. Accessione & fortuna tetrarchiarum quarundam, quas referre operæpretium est, ditatum fuisse reperio.

Ludouici 4. Rom. Imp. mors.

Kaisermissen.

Auinionēses bullæ.

Die alte lādsordnūg.

reperio. Massenhausen vicus est inferioris Boiariæ, Rhodano amni conterminus, eius dynasta Arnolphus zelotypus vxorem suam, filiam Ottonis de Greyffenberg, cum ministro a quo fastro suspicabatur adamari, illam in Cronsperg combussit. Mulieris innocentis, imprecantisque viro matrimonia infœcunda, vota superi audiuere. Eius progenies defecit, opes mulctatæ sunt. Sepultura horum Landshutæ in templo Dominicanorum est. Hirspergium verò arx est Alemannorum, qui pagus est Boiariæ veteris, atque Nariscorum, eius regulos locupletissimos curatores Aichstadiensiū mystarum fuisse comperio, ex quib. oriundus fuit Victor secundus Pont. Max. Planckstetten diuo Benedicto condiderunt. Nam Parching, Berngries Alemanni oppida atq; vicos possederunt. Vltimi fuere Gebhardus maritus Sophiæ amitæ Imperatoris Ludouici quarti, & filij illorum Gerhardus & Gebhardus: hi ante genitorem ex hac vita migrarunt, cum matre Aichstadij in templo Dominicanorum, quod condidere, humati sunt. Cæterùm parens omnium suorum superstes orbus vxore & liberis decessit anno Christianę salutis millesimo trecētesimo super quintum. IIII. Nonas Martij. Rebdorffij in suburbano Aichstadiensium cœnobio conditus est. Oppida, vicos, prædia, castella episcopo Aichstadiensi legauit, at iurisdictionem, vbi pleraque Nariscorum nobilitas assistens iudices sunt, Imperatori Ludouico quarto Boiariæ primæ regulo testamento addixit, quam adhuc principes nostri exercent, & bello Boiarico antiquatam instaurarunt, industria & cura Leonardi ab Eckh: qui, vt de P. Crasso Mutiano à Sempronio Asellione dictum est Romanæ historiæ scriptore, Boiorum ditissimus, nobilissimus, eloquentissimus iurisconsultissimus est. Grayspach arx Boiariæ primæ, tetrarchia ad hostia Lyci, vnde Lechsgmund hoc est, Lycostoma quoque, & Burckhamensis vocata est. Eius dynastæ à præfectis Schirorum, atque Babone Abusino originem ducunt, sicuti monumenta Imperatoris Hainrici quarti, quæ Schiræ extant, indicant. Isenhofiam, quæ postea Schiram translata est, condiderunt. Primus quem reperio est Berchtoldus, huius filius (sicuti Mathæus Marscalcus à Fibropago, & Calatino Iureconsultus, & harum rerum peritissimus, mysta Augustanus, mihi hæc & alia huiuscemodi tradidit) Hainricus cum vxore Luitgarda, filijs Hainrico II. & Wolgerado Cæsaream D. Bernardo adhuc viuenti contubernium monachorū ditissimum dedicauit, anno Christi M. C. X X X I. Soboles Wolgeradi Theobaldus, atq; Hainricus tertius: Theobaldus filius Berchtoldus secundus, is cum vxore Adelhaide Schonenfeld sacratis fœminis construxit, Christianæ æræ anno 1241. His Hainricus quartus, atq; Gerdruda Abusina, vxor Vlrici primi, illo Berchtoldus tertius progenitus, qui Gebhardum episcopum Aichstadiensem, Berchtoldumq; quartum procreauit. Ab hoc sunt Berchtoldus, & Hainricus vltimi, qui absque liberis decesserunt, opes ad Imperatorem Ludouicum quartum redierunt. Hæc partim ab Mathæo Marscalco harum rerum diligentissimo, partim ex diplomatibus Schiræ, atque Schonfeldarum excepimus. Lungiones tribus est Charinorum in Norico vltra Taurum montem. Dornbergium Vindelicorum quondam arx, nunc templum D. Vlrico dedicatum monstratur in monte, qui Isenisco imminet, ad quintum lapidem ab Otinga. Leobergomum itidem Vindeliciæ secundæ arx proximo bello Boiarico exusta, prope Landauu, atq; Dingelfing in ora Isaræ cubat. Theodomarus filius Babonis Abusini quadragenaria prole inclyti. Elsenpach monachis proxime Neuenmarckt, quod Rhodanus præterfluit, condidit. Eius nepos Wolframus Dornbergensis ad montem diuo Vito dedicatum transtulit. Huius filius Eberhardus Dornbergensis. nepos Berengarius Leobergensis primus, is genuit Bernardum Gaykofij, & Berengarium Vichpachij, vbi eorum ostenduntur conditores. Illius filij Bernardus, atque Hainricus cum parente Gaikofij humati traduntur. Huius proles Hainricus, & Bernardus apud Neuenmarckt sepulti, absq; sobole decesserunt. Imperator Ludouicus quartus successit. Iuliopagus item arx inferioris Boiarię iuxta Braunauu suos tetrarchas habuit, à quibus oriundi reguli Noricorum ditissimi, quos Schaumburgēses vocamus. Nam Eberhardum Iuliopagum, & Hainricum Schaumbergensem fratres fuisse, & auunculos Eberhardi Dornbergensis reperio. In superiore Boiaria sub radicibus alpium peninarum ad Ambronis arua Belaunorum quoq; tetrarchæ defecerunt. Et haud inde procul in faucibus Ostenlochij præfecti absq; liberis decesserunt. Parthanum, Wernfelsium episcopo Fruxinensi parent: Ostenlochium, & Murnau, Staphulensem lacū atq; Belaunos nostri principes possident. Porrò isthæc templa Imperator Ludouicus condidit. Monachij Angeronæ Virgines collocat, Franciscanos ad aliud templum à se extructū migrare iussit. Augustinianus quoq; mendicis ædem ibidem construxit: Et Emicho Episcopus Fruxinensis vno die ambo templa Franciscanorum, & Aurelianorum præsentibus Ludouico, & fratre eius Rudolpho inaugurauit. Idem Ludouicus Angilostadij Xenodochiū, sicut Ludouicus Barbatus pronepos eius recitat, condidit. Pettendorffium haud longè à Reginoburgio inter hostia Regni, & Nabi Nariscorum, sanctarumq; Virginum contubernium dedicauit. Haypachium mystarum collegium à Seoueltis attributum vindicauit, Viechpach auxit. Roma reuersus in celsissimo alpium peninarum iugo, vbi fontes Ambronis, Etalam Diui Benedicti consecrans

Emicho episcopus Frisin. Monasteria Franciscanorum & Augustinianorum quando consecrata.

Xenodochiū Ingolstadij.

Ludouicus Barbatus.

Pettēdorff monialium monasterium.

craneis à fundamento construxit, quatuordecim sacerdotes, quatuordecim decuriones equestres cum vxoribus ibidem habitare, rebus diuinis operam dare iussit, templum fornicatum vna pila sustinetur. In Boiaria Aquilonari contermina Boiemiæ in Hercynio saltu Schoffolochij proxime Brenburgium, Roimari arcis dynastæ consensu atque ope Mariæcellam auspicatus est. Gotfridus Puecher cum Gotfrido Strubingensi, & Alberto à Stauff, Fridericus Auer perfecit. Monachi ab Altaichio superiore acciti: Nicolaus, & Fridericus episcopi Reginoburgenses authores facti. Iustis corpori defuncti Imperatoris solutis, filij eius (quos sex reliquerat) Ludouicus Brandenburgius, Stephanus, & Ludouicus Romanus KL. Nouembribus Landshutæ conuentus agunt, sacramenta Boios sibi dicere iubent. Ipsi vicissim (sicuti fieri solet) in Ottonianam rogationem iurant: censum extraordinarium omnem perpetuò abiurát, item indigenas tantùm ad officia euectum iri dant fidem. Nisi hæc vt rata sint, operam nauauerint, aduersus se conspirandi Boijs potestatem faciunt. Alij duo filij Augusti Wilhelmus, & Albertus in Bathauia, atque Hannonia principatum obtinebát. Albertusq; certior factus de morte parentis, relicto fratre Wilhelmo, cui Machtylda Anglia nupsit, in Germania, atque Gallia Belgica inferiore in Boiariam se confert. Otto postremò natus, & adhuc impubes Monachij ab Augusta educabatur. Subsequenti deinceps anno octauo Calendas Februarij in Norico, qua Pannoniæ, Illyrico, Dalmatiæ, Carnis, Histriæque continuatur, maximus terræmotus, vespertinusque fuit, durabat, nec ante dies quadraginta sistebatur, varieque terra quatiebatur, miraque edebantur opera. Morauia, Boiaria superior sensit, sex atque viginti vrbes, & castella prostrata esse, in acta eius anni relatum est. Homines cum pecoribus interierunt, mœnia, templa, ædes subuersa sunt, totæ vrbes corruerunt, montes abrupti cladem insuper eá pressere. Nam duo montes concurrerunt, vrbibus deuoratis, agrorumque tractu hausto, villæ elisæ, animalia permulta, quæ intra fuerant, exanimata sunt. Hiatus subsecutus partim remansit, partim cuncta sorbuit, ita inducto solo vt nulla vestigia extent. Quinquaginta amplius homines, villicas mulgentes, cum vaccis extinctas diriguisse, & corpora à spiritu terreno in salarias statuas redactas apud Charinos, hæcq; simulachra sibi, & Cancellario Austriaco conspecta esse, refert. Conradus de Meidenberg, eius tempestatis insignis philosophus, & Mathematicus. Sæuissima mox in vniuersum orbem terrarum grassatur pestilentia: pleriq; mortalium extincti sunt, quarta pars vix superstes fuit, & subitò lue raptati, subito dicto citius interibant, pueri, puellæ, læti, mira referentes, animam efflabant. Cœleste auxilium frustra quæsitum, à pontifice Max. sacrificium peculiare aduersus hanc pestem institutum, pagi, vici ad solitudiné redacti sunt. Quidam iræ cœlesti hæc tribuebant, vulgus à Iudæis fontes in perniciem populi Christiani intoxicatos credidit, quamobrem in plerisq; vicis, oppidis, Iudæi igne concremati sunt. Duodecim millia Iudæorum pœnas crudeliter dedisse in regionibus nostris horum temporum scriptores referunt. Buessarij tum hominum genus dirum, superstitiosum subitò apparuere. Quingenti nonnũquam, aliquando mille viri, mulieres conuolabant: oppidatim bini procedebant, nudi superiora vsque ad vmbilicum se verberibus duriter cædebát tot dies, quot quisque annos natus erat. Hinc quasi expiatus omni crimine domum redibat. Sanguine quoque pluit, & riui cruenti manarunt: sacra ibi recondita esse vulgus credidit. Sacrificuli spe quæstus affirmarunt decem millia passuum à patria mea, iuxta hostia Alemanni, apud Kelhaim in ripa Danubij torrens sanguinolentus (qui iuxta conscios secretorũ naturę nil aliud est quam vapor vuidus, qui confusus halitu terreno igneoque rubescit) erupit. Ciues signum à Deo lecti loci credentes, confestim ædiculam ligneam ibi condunt. Nunc ibi extat templũ lapideum, cui est à sacro sanguine cognomen. Veteres religionis nostræ assertores efficaciæ desertorum spirituum illa quoq; vt hominibus stolidis imponant, attribuunt. Dum autem talia post mortem Imperatoris Ludouici fiunt, Clemens Sextus Pontif. Max. Carolo diploma dat, postulatque, vt Germani Carolum Ecclesiæ fidum recipiant, & nullum posthac prius fore Cæsarem, quàm primarius orbis Christiani sacerdos, Vicarius Christi author fiat, iurent. Insuper abrogationem pontificis Max. ad Imperatorem attinere, hæresin omnium perniciosissimam esse profiteantur. At Germani partim tergiuersantur, partim aperte detrectant, atque proclamant, vsq; adeò ne seruus ille seruorum fastu, libidineq; dominandi furit, insanit, atq; in præceps abit, vt omnium sæuissimorum tyrannorum, quos vnquam fuisse legimus, crimina, superbiam vincere propalam perfricata fronte contendat? Cæterùm Carolus nunciata sibi morte Ludouici, Reginoburgium concessit. Ciues vbi eius conatus, atq; postulata Romani pont. intellexere, armis correptis, ianuis obseruatis, vicis cathenis ferreis conclusis, eundem Satzenhofero consule, Hainrico Zanthone vrbis prætore, & Gumperto principe senatus deducentibus atque tutantibus, ne à plebe insultante, circumfremente, conuicia coniectante, vis in eum fieret, vrbe eijciunt. Ipse inde Norinbergam petit, honorificè à patribus exceptus est. Populus verò concitato tumultu illos ciuitate exturbat: Ludouicum Brandenburgensem filium Ludouici Imperatoris amicissimi Norinbergensibus recipit. Posthæc principes coeunt, dignitatem Carolo abro-

Schofflech monasteriũ. hodie Mariazel dicitur.

Ludouicus Marchio Brãdẽburg. Stephanus Ludouicus Romanus. Vuilhelmus. Albertus.

Otto filius Ludo. 4.

Terræmotus maximus anno 1348.

Conradus de Meidenberg.

Zum heiligẽ blut bey Kelhaim.

Diploma Carolo à Clemente pontifice datum.

Conradus Satzenhoffer. Hainricus Zanth. Leopoldus Gũtprecht cameres zu Regẽspurg.

abrogant, Eduardum regem Angliæ affinem Ludouici quarti rebus imponunt. Is quidem gratias ingentes, quòd se potissimum supremo humani generis fastigio dignum censuissent, Germanis agit: verùm causatus se grauissimo Francorum bello premi, tantam molem subire detrectauit. Hainricus deinceps Misnensis limitis præfectus, cui Machtylda filia Ludouici Augusti nupta erat, Cæsar salutatur. Sed ocij appetentior, & detestatus bella ciuilia acceptis à Carolo sexdecim millibus drachmarum auri, vltrò dignitati cedit. Sub idem tempus Albertus secundus Austriæ regulus, cuius filius Albertus tertius gener Caroli erat, accitis ad se Gerlaco filio Gerlaci à Nassavv. Pontifice titulotenus Mogontino, Bambergensi & Wirtzburgensi Episcopis, cum Ortholpho, atque Gotfrido fratribus Baronibus de Weisseneck: Hic Bathauiæ Pontifex, ille Boiorum archimysta erat, cum legatis regis Vngariæ, cuius fratri, filia quarti in matrimonium data erat, Bathauiæ conuentus agit, paci operam nauat. Apparuit & Ernestus Archiepiscopus Pragæ, orator Caroli: filij quoque Augusti cum maximis præsto fuere copiis: ob pertinaciam partium re infecta discessum est. Conradus Hædechius iussu Caroli Norinbergensibus bellum indicit, ciues capit, in crucem suffigit. In Brandenburgensi regno pistor quidam se Waldemarum Ludouici decessorem, cui quàm simillimus erat, simulat: ope, & armis Caroli adiutus, quasdam vrbes capit. Eò Ludouicus filius Augusti cum Ruperto præfecto prætorio Rheni patruele suo infesto exercitu contendit, aduersus Pseudovvaldemarum pugnat. Saxones, Boiemi iussu Caroli suppetias impostori ferunt, Rupertum capiunt, Ludouicum regno cedere cogunt. Is se Franceofordiam confert, ibi Hainricus Mogontinus archimysta, Rudolphus præfectus prætorio Rheni, Ludouicus Brandenburgensis, reguli Boiorum. Dux Saxoniæ Comitia Cæsarea habent, Guntherum Schvvartzenburgium (quo nemo tum melior in Germania existimabatur, vnde & optimi cognomen meruit) Cæsarem constituunt. Is Franceofordiam venit, vrbe, finitimisque ciuitatibus menses fermè duos potitur, subinde aduersa valetudine corripitur. Carolus adest, & vt prudens, atque eloquens erat, Boiorum vires, sine quorum ope se rerum potiri non posse animaduertebat, sibi coniungere parat. Ludouicum Brandenburgensem ad colloquium de summis vtriusque rebus euocat, benignè appellat, primus de pace mentionem facit, amicitiam Pontif. Maxim. pollicetur, filiam Rudolphi præfecti prætorio Rheni sibi despondet. Itidem Margaretham Polonam Ludouici Brigensis filiam, neptem suam Alberto Boio filio quarti dat in matrimonium: Ludouico Brandenburgensi, huius fratri Tyrolios, vnde is fratrem Caroli Ioannem ducta eius vxore exegerat, in fidem cōmittit: Brandenburgensem ducatum proscripto Pseudovvaldemaro reddit, Rupertum redimit. Quamobrem ipsi in Hercynio saltu Boiariæ, quæ Boiemiæ continuatur, pleraque castella dotis atque pignoris titulo tribuuntur, Lauff, Herspruk, Sultzpach, Reichenfeld, Hirsavv, Bernavv, Rosenberg, Weiden. Hisce inescatus Ludouicus sedulo paci operam nauat, persuadet Gunthero alioqui valetudinario, atque regnum fatis vrgentibus properè relicturo, vt acceptis duodequinquaginta millibus vnciarum argenti, Carolo cedat. Paret Guntherus, in paucisque pòst diebus ex hac vita migrat. Carolus itaque posthæc ab omnibus receptus in Boiemiam cum Alberto Boio proficiscitur, neptem illi suam connubio iungit. Cum qua Albertus in Boiariam redit Monachium. Vbi iisdem diebus Paulus Gurcensis, Fruxinensisque Pontifex mandato Clementis Pont. Maxim. primarium sacerdotem cum Boiis in gratiam rediisse, inter Boiemum, atque Margaretham Tyrolliam nunquam matrimonium intercessisse, triduanumq; dissidium inter eandem, atque Ludouicum Boium promulgat. Quarto deinceps die rursus auspiciis sacerdotis Romani, hi ritu solenni cùm iam septem annis coniuges fuissent, simul rem habuissent, nuptias maximo apparatu faciunt. Ludouicus deinde Brandenburgius Norinbergæ Carolo insignia Imperij reddit, ciues & eum in gratiam redigit, cum eodem ad Aquas Graneas proficiscitur. Vbi cum Iuliacensi regulo disceptat. Iuliacensis in cuius clientela Aquæ Graneæ sunt, nouo principi sceptrum pręferre conabatur: Ludouicus resistebat, id sui muneris esse dictitabat. Carolus litem diremit, Brandenburgensem quidem cum Cæsar inauguratur, cæterum Iuliacensem vbi princeps erga clientes munificus fiet, sceptrum pręgerere imperat. Posteà in Boiemiam redit, ipsum comitantur Rupertus præfectus prætorio Rheni, qui pòst imperauit, & Ludouicus Brandenburgius, principatū hic, quem penè perdiderat, recuperat. Waldemarus impostor ad pistrinum relicto regno redit. Per idem tempus sextus ludos Seculares secundos (quos centesimo quoq; anno celebrandos Bonifacium octauum instituisse retulimus) aperuit, quinquagesimo quoque anno in posterum agendos censuit, festum quoque diem insignibus Imperij quotannis in Germania habere iussit. Mystæ Reginoburgenses astutiam Cæsaris timentes, suspectam amicitiam eius, atq; filiorū Ludouici Augusti habendo, quod aduersus Ioannis vicesimi secundi, Clementis quoq; scita, Imperatorē Ludouicum pro execrato nunquam habuerint. Ioannis mystæ Diui Ioannis cōsilio vltro veniam petunt, à Vidone Ceciliano flamine, atq;

Eduardus Rex Angliæ.

Hainricus march. e Misnensis, qui à Cuspiniano Fridericus dicitur.

Pistor quidam impostor simulat se Brandeburgicū regem.

Rupertus capitur.

Guntherus Schvvartzenburgius Cæsar constituitur.

Carolus Boios sibi coniungit.

Carolus 4. ducit vxorē filiam Rudolphi Palatini.

Margaretha filia nubit Alberto Boiariæ duci.

Albertus filius Ludo. 4.

Guntherus designatus Cæsar moritur.

Ludo. Brandenburgius Carolo insignia Imperij reddit.

Iubileus an. ad quinquagesimū institutus.

Vido Cecilianus Cardin.

Petrus Abbas in Nidern Altaich

Petro præsule inferioris Altaichij expiantur, hoc pacto. Primum octo dies sacris abstinere iussi, deinde iurarunt neminem posthac pro principe habituros, nisi quem primarius sacerdos iusserit, tertio Reipublicæ Christianæ curam gerere, concilium Christiani senatus cogere, dignitatem Pontifici Maximo ex consilij decreto abrogare, isthæc Imperatori adserere, hæresin omnium perniciosissimam esse subscripsere. Porrò Ludouicus Brandenburgensis regno ad obsequium coacto, in Boiariam redit, ipse & fratres eius Reginoburgij pridie Idus Augusti conueniunt: Rudolphum præfectum prætorio Rheni patruelem suum, Ioannem vrbis Norinbergæ præfectum accersunt, principatus bifariam diuidunt.

Boiariæ diuisio.

Ludouicus Brandenburgius, Ludouicus Romanus, & Otto primam Boiariam, Tyrolios, Brandenburgios possident: Hannonij, Frisi, Hollandi, Selandi, Boiaria inferior Stephano, Wilhelmo Alberto tribuuntur. Atque hi rursus Landshutæ Nouembri coeunt, pacem more gentis publicè iuramento sanciunt, prædonibus, incendiariis, homicidis, latronibus asyla præcludunt. Quisquis hosce hospitio receperit, siue conniuerit, hostem Reipublicæ iudicant. Latrocinia communi consilio, ope, coercenda decernunt. hocque fœdere, Richardam vxorem Ottonis sexti, & Margaretham Augustam comprehendunt, inde hæreditatem partiuntur. Augusta cum filio Wilhelmo Toxandros. Bathauos, Canine fates, Frisiosque obtinet. Albertus, & Stephanus Boiariam secundam diuidunt, ille Nariscorum oppida Diethfurt, Kelhaim, Cham. Tekendorff, Vindelicorum Strubingam. Vilshofen, Dingelfing, Landavv, Noricorum Scharding accepit. Vindeliciæ vrbes, & vici Mosburgium, Ardingium, Rosenhaim, Landshuta, Ortenfelden. Piburg, Pfarkirchen: Noricorum Burckhausen. Otinga, Braunavv, Traunstain, Hall, Trostberg Stephano contigêre. Ludouicus suffragium in comitiis Cæsareis, atque cubicularij, ærariique dignitatem, Tyrolios, Boiariam primã retinet: Brandenburgium Ludouico Romano, Ottonique fratribus reddit. Hocque anno octauo Idus Aprilis Conradus regulus de Teck, intimus Ludouico Brandenburgio Monachij in ædibus suis, quæ turri Putrichiorum, & vico Sentlingiaco coniunctæ sunt, à Suigero de Gundelfing ferro necatur, quam ob causam nondum reperi, nec inueni, qui sciret. Percussor sexto deinde anno obiit, Scaphulariæ sepultus est. Per idem tempus Imperator Carolus quartus Cæsar Augustus Roma reuertitur Reginoburgium, Stauff arcem, & vicum Danubianum à Friderico Pontifice, ex vrbis Norinbergæ præfectis oriundo, ignorantibus Mystis emit, regno Boiemiæ infiscat. quinque millia aureûm nummûm illi mutuò dederat, oppigneratum verò vndecim millibus drachmarum auri, atque octingentis triginta sex aureolis à Friderico Auer de Brenberg redemit, alia castella in Boiemia se redditurum pollicetur. Proximo deinceps anno, qui fuit Christi seruatoris nostri M. CCCLVI. Margaretha Augusta è medio obiit. Wilhelmus filius in Gallia Belgica, atque Germania secunda succedit. Carolus cum Norinbergam ad conuentus agendos proficiscitur. Ludouicus Romanus magnificè instructus apparet, in verbaque Augusti iurat, ab eo Brandenburgium in fidem, atque tutelam accipit. Interea terra tremuit, Basilea corruit: Anglique capto Ioanne rege Occidentalis Franciæ, genero Imperatoris, Elsatiam Heluetiorum quondam, Galliæ Celticæ fines depopulantur, cum ingentique præda incolumes in Galliam Occidentalem reuertuntur.

Ioannes Rex Franciæ capitur. Terræmotu Basilea corruit.

In Boiaria Petrum Eckher Naterbergij (arx est Vindelicorum ad confluentes Isaræ & Danubij) Albertus & Stephanus perfidia suspectum obsident, eius socordia, seu proditione Boiemiæ latrunculi Boiariæ agros (vti adhuc solent) vastarant. Quippe etiam nunc Boij, atque Boiemi in Orcinio nemore mutuo metu separantur, vt quæque gens inualescit, aliam inuadit, agros vrit, villas incendit, prædas agit, pecora abigit, viuaria expiscatur, prata secat. Imperator Carolus ex Boiemia egreditur, apud Stauff Danubium transit, ad Naterbergium contendit, duces & Eckherum in gratiam redigit. Posthæc Augustus domum redit. Albertus Hilgersbergium latronum receptaculum inter Teckendorff, & Vilshofen expugnat. Porrò Ludouicus Tyrolius Menrado filio suo filiam Alberti secundi Austriaci despondet, sponsaliaque regio apparatu Bathauiæ celebrantur. Quibus confectis, vndetricesimo postea die Albertus parens sponsæ ex hac vita migrauit.

Albertus Austriacus moritur.

Per idem tempus Stephanus Boius cum filiis suis Stephano, Friderico, Ioanne, quos ex Elisabetha Sicula progenuit, quinto nonas Maij conuentus, censumque extra ordinem Landshutæ agit. Posthæc priuilegio Ottomano de cætero se staturum, dicta mulcta prætoribus in istud peccantibus, nunquã nec vi, nec precio, nec quouis alio modo tributo Boios oneraturum, indigenas secundæ Boiariæ tantum ad officia promoturum pollicetur. Circa idem tempus Albertus Strubingensium vrbem regiam à fundamento extruxit. Reginoburgij turris prætoria conflagrauit. Rudigerus Reich ciuis admodum locuples Conradum de Braunavv philosophum, & mystam præsidentem ludicro Pontifici, quinto Kalen. Ianuarias ferro occidit. Quotannis noui mystæ & recenter in album adscripti ludum personati Episcopi, puerorũ scholasticorum delectu, prisco more edebant.

Moxque

Moxque cædem superiorem grauiter, atq; inuidiose in curia questis, huiuscemodi spectacula edendi finis factus. Eadem tempestate Ludouicus Romanus absque liberis anno ab orbe seruato 1359. biennio posteà alter quoq; Ludouicus Tyrolius præfectus Cubiculariorum Cæsaris quartodecimo Calendas Octobris fato, naturæque concedit Zorngoltingij. Monachij relicto filio impubere Menardo, moxq; ob tutelam tumultus ciuilis in Boiaria excitatur. Otto quidem frater Ludouicorum vtriq; fratri in parte succedit, Brandenburgium, Romani principatum vniuersum: Tyrolij verò dignitatem, suffragium nempe in Comitijs Cæsareis, titulum præfecti ærarij Imperatorij fisci, Reipublicæ procurationem vsurpat. At Vlricus tertius Abusinus, Hadmarus de Labar, Hylepoldus de Stain, accito in societatem Friderico duce filio Stephani, in quorum potestate, vt amicorum parentis Menardus erat, suo arbitrio Rempublicam, posthabitis patruis pueri, administrabant, se testamento tutores datos à Ludouico iactitabant. Contrà Rupertus præfectus prætorio Rheni, Stephani duo, pater & filius reguli Boiorum, Albertus tertius Austriacus, cuius soror desponsa Menardo erat, adire tutelam, & in potestatem Menardum redigere conni- *Menardus.* tebantur. Quædam ciuitates hisce, aliæ superioribus studebant. Stephani copias cogunt, Monachium petunt, Menardum cum Vlrico Abusino fugam Norinbergam versus capessentem insequuntur, eos in Kotinguuerd, quod in ripa Ilmi super Geiselfeld cubat, obsidere parant. *Kotinguuerdum est proximè Geyseni.id. Aichstad.* Verùm Menardus ope Friderici simulantis cum patre atque fratre inducias, elabitur, ambo Vogburgij pontem transeunt, Aichstadiumque se conferunt. Eius vrbis episcopus Berchtoldus ex vrbis Norinbergæ præfectis oriundus, clanculum Menardum cum paucis per Boiariam ad fines Athesinos deducere conatur: sed Vogburgij agniti, atq; ab agricolis capti Angilostadium deportantur. Menardus in potestatem patrui redactus, iussus est sub tutela eius Monachij adolescere. Ijsdem diebus monachi in Allerspach (vt est genus hominum religiosum) tum demum post mortem Imperatoris Ludouici quartodecimo anno, nuncio Romam misso, quod Imperatorem Ludouicum quartum Cæsarem Augustum aduersus sententiam Romanorum pontificum Christianissimum censuerint, à Francisco Innocentij sexti Pontificis Maximi piaculario, Diui Marci flamine veniam petunt, atq; impetrant. Altero deinceps anno Menardus occultè Monachio dilapsus, ad Athesinam vallem peruenit, ibique Tyrolij quartumdecimum agens annum, absque liberis decedit, anno Christi Seruatoris nostri 1363. *Menardus Tyrolius moritur. 1363.* Vbi eius mors diuulgata est, primo eius anni vere Boij superiores Fruxini conueniunt, Stephanum Landshuta adsciscunt, eidem se in clientulos commendant, in fidemque dant. Ipse vicissim legem Ottonianam approbat, incolis duntaxat primę Boiariæ se delegaturum officia promittit, iudicia ad equites transfert, alia pleraque statuit, quæ scrupulosius referre tædio plenum existimo. Deinde Landshutæ pridie Kalendas Decembris immunitatis à Ludouico Augusto parente datæ sacerdotibus author fit: Friderico filio gratiam facit. Mater Menardi Maultescha Rudolpho Austriaco nubit, cum nuru ex Austria oriunda, Tyrolios ad Austriacos transfert. *Comitatus Tyrolensis ad Austriacos deuenit.* Boij Occidentales ob præreptum sibi principatum, bellum Orientalibus indicunt. Piligrinus de Buechham Salisburgensis archimysta coniuratus Austriacorum Norici fines Oëno conterminos hostili animo de improuiso inuadit, agros vastat, plerosque incautos capit. *Piligrinus episc. Salisb.* Imparati erant equites, regulique. Quamobrem Episcopus incolumis abacta præda domum redit. Porrò Boij correptis armis vltimo Iunio Muldorffium municipium Iuuauense obsident. Rudolphus, Albertus, Luitpoldus fratres Austriaci, atque Orientalis Norici reguli cum exercitu Norici Occidentalis fines ingrediuntur. Riedtum *Ried.* vicum in vtriusque Norici, atque Boiariæ confinio circumsident. Stephanus & Albertus reguli Boiorum cum auxiliaribus copiis præfecti prętorio Rhenano, & Norinbergæ Burggrafij à Nassavv, Orlamund, & Schvvartzenburgensium dynastarum, manus cum hoste côserturi, intento, infestoque exercitu ad Austriacos contendunt. Qui soluta obsidione, cum Muldorffium, propter quod arma sumpserant, obsidione liberassent, domos abeunt: Rudolphusque ex hac vita migrat. *Rudolphus Dux Austriæ moritur.* At Vindelici Noricum alpibus, Oëno, Athesique amnibus cinctum, Veronæ, atque Como & lacui Benaco conterminum inuadunt, Kopffstain, Kitzpuehel, Ratenburgium ad obsequium redigunt, per iuga Pyrenea Stiracios vsque cum copiis penetrant, præda magna potiuntur, certatim incolis aduolantibus, atq; deditionem facientibus. Castella quædam vi in deditionem cogunt, diem quo cum hoste aperto Marte totis viribus côfligant, constituunt. Cumq; is appeteret, Rex Cimbrorû intercedit. Imp. quoque, qui tum in Italia Mediolanum obsidebat, duces ab armis discedere, apud se potius iure disceptare iubet. *Imp. Mediolanû obsidet.* Vindeliciæ Boij, atq; Narisci sibi Tyrolios quondâ à maiorib. suis côditos, sicuti & Austriacos, Stirios, Charionas, iniusteq; sibi vi ac dolo præreptos, reddi postulant, vnum quondam ducatum, vnumque regnum Vindelicorum, atque Noricorum fuisse, Boiosque ex his prouinciis Romanos armis exegisse, vi occupasse, colonias deduxisse, Boiariamque communi vocabulo, sicut vetusta diplomata ostendunt, cognominasse. Contrà Austriaci, ante Boiariæ regnum Archiduces Austriæ fuisse asserunt, prolatis Iulij, atque Neronis edictis id côprobare nituntur. Verùm ea diplomata

Exstat edictum & diploma Iulij Cæsaris productum ... [illegible]

mata tanquam ficta ac falsa Franciscus Petrarcha iussu Imperatoris confutauit. Piligrinus deinde archimysta Boiorum, & Rupertus præfectus prætorio Rheni mandato Caroli Augusti pacē hisce conditionibus sanciunt. Tyrolios Austriaci possident, millia drachmarum auri centum Stephano Boiorum regulo soluunt, qui & Kitzpuehel, Koffstain, Ratenburgium retinet. Incolæque vtriusque ducatus perpetuō fœdus ineunt, ne aduersus se vel ducibus discordantibus suppetias ferant. Ioannes filius Stephani, cui Catharina Goricia nupta erat, præfecturam eam, licet hæres, abiurat, exhæredem Goriciæ se fore tabula cauet.

NOTA. Circa eundem temporis tractum Landshutæ Parochia, vti vocant D. Iudoci Instituta, primus eius fani pastor Hainricus Pilamus. Reginoburgij Augusta ædes ampliata, templum D. Ioannis nimis vicinum solo æquatum, ipse fano excedere, ad sacellum tabularium migrare coactus est.

Carmelitæ Ratispona Strubingam migrant. Carmelitæ quoque ex æde D. Osvvaldi à Conrado Henneburgio Episcopo, quōd eundem viua, & vera Dei templa construere in concionibus cohortarentur, pulsi Strubingam migrarunt, ibi templa condunt, vbi adhuc habitant. Albertus regulus ibidem Nouembri censu exacto, Ottonianam legem se tutaturum promittit, inde Boiariam egreditur. Hannoniam petit. Cuius primariæ vrbes, quas ego quidem perlustraui, Bergij, Valentinianæ, Hallij Deipara virgine insignes, quo frequens supplicandi gratia coiit populus, multa ibi opulenta regum & populorum visuntur munera, & donatiua, quæ magnificentia sui reddentium vota gratam voluntatem, Dei opem, responsaque manifestant. Alemannus præsul Altaichij inferioris eō tum profectus Hodœporicon, hoc est, itinerarium scripsit. Eadem tempestate Stephanus filius Stephani Thadæam Bernabouis Mediolanensis filiam vxorem ducit, dos fuit aureûm nummûm, quos ducates vocant, centum millia. Augustum deinde quōd ciues Fridericum Fribergensem prætorem occiderant, Boij obsident. Augustus ex Italia rediens discordes in gratiam redegit. Brandenburgium ab Ottone Boio aureolorum millibus ducentis emit, Ottoque curiati principis dignitatem, prærogatiuamque suffragij retinet, in Boiariamque migrat. Quinque millia passuum infra Landshutam in Wolffstain (arx est Isaræ imminens) habitat, genio indulget, pecuniam ab Augusto acceptam prodigit, Gretulam pistoris vxorem adamat, quippe mola aquaria castello subdita etiam nunc Gretularia inde cognominari solet. Hanc ob causam idem Otto Finnius, id est ignauus vulgō cognominatus est. Eius statua Landshutæ pro hostio sacelli, quod ad dextram in Asylo templi D. Martini conditum est, extat. Stephanus fratris socordiæ iratus, sexto atque vicesimo post vxoris fata, anno, qui est Seruatoris nostri M. CCCLXXV. sexto Idus Maij Monachij moritur. Hoc anno & Liutpoldus de Hals vltimus regulus mortem obiit. Ioannes Leuchtenbergensis præses inferioris Boiariæ Alberti, succedit: is nouam Coloniam in secunda Vindelicia in vico Podiorum deduxit, fossa & lacu muniuit, Osterhofiam à proximo mystarum contubernio cognominauit. Otto quoque superior vnum annum duntaxat fratri superstes fuit, in Salmgthal humatus est. Proximo deinceps anno Wilhelmus frater eius in Bathauia, quæ nunc Hollandia, è medio sublatus, & in Boiaria secunda Hainricus Tuschell cum filio Suitgero duodecim mystarum collegium in Vilshofen instituit, atque mox sequenti anno duodecimo Kalendas Octobris decessit. Albertus secundus filius Alberti primi nepos Imperat. Ludouici quarti, ex Hollandia ad Boios migrat, paternam hæreditatem adit, atque possidet, Strubingæ habitat. Porrō tres filij Stephani quos ex Elisabetha Siciliæ regina tulit, Stephanus, Fridericus, Ioannes, septemdecim annos summa concordia absque herciscundæ familiæ actione Boiariam administrant, cuique dos sua fuit.

Ioann. Dux Boiorũ, filius Stephani. Ioannes venatibus aucupioque deditus, simplicitate, quæ æuo rarissima nostro: Stephanus disciplina militari, Fridericus rerum ciuilium prudentia inclytus fuit, sicuti adhuc prouerbium in vsu est: hic pecuniæ studiosus, viribus montes Landshutæ conseuit: ille laudis auidus extitit.

Vrbanus 6. S. P. Clemens 7. S. P. In Italia Romæ Vrbanus sextus, in Gallia Auinione Clemens septimus à patribus Pontifex Maxim. legitur: huic Galliæ, Francia paruit. Hæcque Christiani orbis discessio demum in concilio Constantiensi anno quadragesimo sopita est. Nam tres pro vno tandem erupere personati pastores, & tot annos gregem Christianum dilacerarunt. Eodem temporis tractu anno Christi Domini Deiq; nostri M. CCCLXXVIII.

Caroli 4 Ro. Imp mors. Kalendas Decembris Imperator Carolus quartus Cæsar Augustus eruditus, sapiens, astutus, eloquens, multarum literarum peritus, ex hac vita migrauit: reliquit tres filios. Wenceslaum Cæsarem designatum, & regem Boiemiæ, Sigismundum Brandenburgensem, regem. Vngariæ, & Ioannem Gorlitz. Legem de Comitijs Cæsareis habendis, quam rogationem Carolinam, & auream bullam nuncupant, tulit, promulgauit. Et vt annalium

Aurea bulla [illegible] 4 & seq. scriptores passim notāt, & adhuc malè audit, sacerdotum furorem alioqui intolerabilem, illis interuiendo magis instigauit, illorũ licentiæ immodicæ non solum aperuit viam, sed etiam strauit. Libertatem Germanam, maiestatem Imperij Romani, populi victoris gentium fortunam, Christianam simplicitatem hostibus Reipublicę prodidit. Ea lege Romæ consecratus est, vt continuō Italia excederet, nec eam absq; mandato Rom. Pontificis adiret.

Delphinat. Galliam Narbonensem, quam Viennæ principatum, Delphinatum, regnũ Arelatense vocamus,

vocamus, ab Imperio abalienauit. Ioanni sororis suæ marito, eiusque filio Carolo quinto regibus occidentalis Franciæ tribuit. Sigismundus filius eius, qui pòst rerum potitus est, approbauit. Diploma in Bibliotheca Parisiorum amplissima, quæ in templo suburbano diuo Victori dedicata extat, legi, anno abhinc duodeuicesimo, dum Luteciæ philosophiæ operam nauabam. Sed ad Carolum redeo. Idem Septemuiris complura pollicitus est, & cùm soluendo non esset, vectigalia Imperij, neruos Reipublicæ illis distribuit. Imperium alioquin in ruinam pronum pessum dedit. Gerlaco episcopo Mogontino, cuius suffragio aduersus Ludouicum rebus impositus est, egregiam sanè gratiam retulit. Pontificem Pragensem archimystam creauit, regemq; Boiemiæ inaugurari ab eo constituit, quod munus hactenus archimystæ Mogontini fuerat. Contra auspicia, & intercessiones, aduersus leges auitas, & patrias, contra morem maiorum, nouo, inaudito, & pessimo exemplo imperium sibi primùm, deinde filio Wenceslao mercatus est. Quæ omnia quam cordi fuerint Deo immortali, hodiernus probat exitus: Boiemiam genitale solum, quod tollere voluit, perdidit, templa euersa, monasteria incensa, monachi, mystæ, sacerdotes contrucidati, sacratæ fœminæ exactæ sunt. Regio Germaniæ opulentissima, in meditullio eius sita, dissensionibus intestinis adhuc laborat, & atteritur. Incolæ diuersi religione sunt, pars Teutonas, pars Hussios, alij Iudæos, illi Pictonas sectantur. Nobiles, ciues inuicem sæuiunt, discordia domestica, mutuis vulneribus sese debilitant: aliena ope egent, externo sustentantur auxilio, adeò vt vltrà è corpore suo, atq; indigenam regẽ creare nec valeant, nec audeant. Id quod & cæteris Germanis, nisi cauerint (vanus sim precor augur) eueniet.

Carolus Imperium contra morẽ maiorũ sibi & filio emit.

Per idem æui spacium in Italia Franciscus Petrarcha, & Ioannes Bocatius cultiorum literarum semina sparserunt. In Germania interiore, in latebrisque Hercyniæ syluæ Athenea, & cœtus iuuenum studia æmulantium Erdfordiæ, & Pragæ instructi sunt. Marsilius Bathauus, Ioannes Buridanus discipuli Wilhelmi Occomensis, recentiorisque sectæ Peripateticorum assertores, Lutecia pulsi ad Germanos migrarunt, ille Haidelbergę, vbi sepultus est, hic Viennæ in Norico ludum literarium publico salario aperuit, vbi eius autographa commentaria in Ptolomæi Astronomica ostenduntur. Berchtoldum quoque nouitate inuenti à se operis nobilem, eadem ætate fuisse non ignoremus. Teuto is fuit genere, religione Franciscanus, professione philosophus, & magiæ, & metallariæ, artium fallacissimarum (si modò artes, & non vniuscuiusque vanissimi, ludibria dicenda sunt) consultus, inuenit tormenta ærea, quibus iaculamur globos ferreos, & lapideos, & homines, pecudes, mœnia, muros, arces, vrbes, castra solo quasi fulmine, atque tonitru (vnde Bombardis nomen est) prosternimus.

Franciscus Petrarcha, & Ioan. Bocatius semina bonarum literarum sparserunt. Studia erecta. Viri docti qui hac ætate emerserunt.

In Britannia, quam Angliam dicimus, æmuli Wilhelmi Occomensis Thomas Longastrius, Ioannes Vigilephus, Oxoniensis theologus, Parochus Cantuariensis in vitia sacerdotum diserti fuere, grauiter atque inuidiose Romanorum Pontificum, quòd duo Vrbanus sextus, Clemens septimus ouili incubarent, ambitionem perniciosam, fastum lethalem questi sunt, atque caninam (vt aiunt) exercuere facundiam. Sextus namque, ac septimus inter se gregem committebant: ille Angliis ac Vgris, alter Gallis fauebat. Septimus regnum Neapolitanũ Ludouico Andium regulo, sextus Carolo paruo Vgris oriundo tradit. In Hybernia Richardus insulæ eius Patriarches, primarius Hermicanorum flamen, aduersus mendicantem religionem librum edidit: Innocentio sexto Pontifici Max. dedicauit: vbi testimoniis sacrarij cœlestis comprobat religionem mendicantem, velut cultorum falsorum deorum propriam, aduersam esse veritati, & pietati Christianæ, Christumque & eius comites non solùm non emendicasse stipem ostiatim, victumque emendicando quæsisse, sed ne cuipiam quidem vel Christianorum licere sua sponte profiteri mendicitatem. Sed de hisce satis superque delicatis stomachis prochotyrannorum, ad ordinem historiæ redeo.

Richardus Britanniæ patriarcha, aduersus mẽdicantes scribit.

Imperatori Carolo quarto sagacissimo, atq; cordatissimo principi, dispar filius Wentzeslaus, ineptus, probrosus, sæuitia, & ignauia infamis succelsit, in latebris Hercyniæ veluti serpens delituit, nec vnquam cæteros Germaniæ, Imperiique fines adire sibi permisit. Canem ferocissimum, atque carnificem, quem lustricum patrem vocabat, comites eius semper fuisse, & quemcunque ille indice denotasset, absque cunctatione inuasisse, atque eundem dum deambulantem præcederet, obuium quemque corripere, ac distento sago impositum, in sublime iactare solitum, narrat Ioannes archimysta Mogontinus in oratione, quam aduersus illum in celebri conuentu fecit. Complura de eo alia scelera referuntur, quæ ego falsa, atque conficta (ita sunt ingenia hominum) ab inimicis esse reor. Monasterium tum Diui Haimerani Reginoburgij, cubicularium conclaue socordia Wolfhardi Berchtoldsdorferi, Iuuauense quoque templum conflagrauit. Crebrò cœlum tota nocte ardere visum, sidusque crinitum clades futuras portendit. Quippe continuò, vbi Imperator Carolus ex hac vita migrauit, Boij duces, præfectus prætorio Rheni, tres fratres Stephanus, Fridericus, Ioannes, & horum patruelis Albertus Bathauus Cæsari bellum indixere, vrbes, arces, castella Boiariæ Aquilonaris (quæ Boiemiæ cõtinuatur, & in Hercyniæ saltu cubat) ab Augusto parente Wentzeslai titulo dotis, atq; pignoris oc-

ris occupata, vi & armis repetunt. Iisdem diebus Fridericus Magdalenam Bernabouis Mediolanensis filiam, sororem coniugis Stephani fratris sui vxorem ducit, dos itidem aureûm nummûm Italiae centena fuere millia. Theodericus Reginoburgensis Pontifex, ex Abusinae patriae meae regulis oriundus, filius Vlrici tertij, Stauff, Sultzpach Nariscorum, Eglofshaim Vindelicorum castella à Boiemis hactenus possessa, asseruit, & sub eodem anno moritur. Stauff ciuibus Reginoburgensibus oppigneratur, Qui fossam vtrinque muro communiunt, quatuor mensibus opus properè extructum. Vrbanus sextus vrbi Ioannem filium Stephani Pontificem praefecit. Eadem tempestate vrbes Caesareae Reginoburgium Boiorum, Rhetorum, atque Sueuiae Augusta, item reliquae Rheno côterminae, iussu Wenceslai foedus aduersus Boios ineunt, Rhenanum vocant. Ducesque eius societatis à Caesare declarantur Vlricus ab Helffenstain dynasta, & Pilgrinus de Puechham archimysta Iuuauensis. Coactisque copiis, fines Palatini Rhenani ingrediuntur, agros vastant, villas succendunt. Rupertus correptis armis hostem in Nemetum agro adoritur, ducentos occidit, trecentos capit, caeteros in fugam vertit, in Augustamque Nemetum cedere cogit. Quadraginta grassatores, qui latrociniis, & flâma longè latè fines suos clam attriuerât, in laterariam candentem proiicit, Vos in me (inquit) clanculum noctu igne saeuiistis, at ego vos propalam, alto die atque meridie comburam. Dum haec apud Rhenum geruntur, in Vindelicia Rupertus minimus natu, qui postea rerum potitus est, cum patruelibus suis Alberto Bathauo, & tribus fratribus Stephano, Friderico, Ioanne castra in monte, quê ciuium cognominant, proxime Reginoburgium facit, pecora vrbana abigit. Ciues de improuiso ex porta Diui Iacobi erumpunt, triginta caesis, viginti captis, in ciuitatemque deductis praedam recuperant. Tumultus quoque in castris concitatus, duces cedere coëgit. Hac victoria elati ciues, archimystaque Iuuauensis, intento infestoque exercitu in Boiariam côtendunt, in Aquilonari Danubij ripa ab hostibus Lyci, vsque Reginoburgium nemine prohibente, hostiliter incendiis omnia complent. Marching, caetera castella equitum expugnant, diripiunt, comburunt, solo aequant. Reginoburgij Histrum traiiciunt, ab Abudiaco Augustam vsque Rhetorum simili clade Boios afficiunt. In meridionali ora, nobilitatis aedes Rorpachium aliasque solo aequant. In Campania legionum, qua Lycus Rhetos atque Vindelicos separat, nonnihil incommodi à Stephano duce Boiorum ex insidiis prodeunte acceperunt. Fridericus quoque Piligrinum Archiepiscopum in Norico cepit, captiuum Burckhusium duxit. Vlricus ab Helffenstain alter foederatorum Dux simili fato functus, ab Eberhardo Comite Wirtenbergensi capitur. Quem cum socij sex millib. aureûm nummûm redimere pararent, in carcere necatur. Ciues Caesariani necem vlturi, hostili animo Wirtenbergensem agrum inuadunt, cuncta caede, incendiis côplent. Wirtenbergensis regulus accitis auxiliaribus copiis à Boiis ingenti strage ciues afficit, castris exuit, in fugam vertit. Stephanus in Boiaria nono Kalendas Februarij Peyssenbergium apud Lycatios castellum Wilhelmi à Seefeld, qui partibus ciuium pronior erat, Belaunos vicinos obsidere iubet: praesidium quod intus erat, quinto obsidionis die deditionem facit, arx igni concrematur, diruitur. Ioannes Zenger eques Boius suburbanum Reginoburgensium oppidum, Neoburgiumque Danubio conterminum pigneris titulo possidebat, drachmarum auri millibus quatuordecim oppignerata erant, & Zengerus coniuratus ciuium erat, Stephanus tribunos militares, Petrum Ecker, Wilhelmum de Puechberg, Ioannem Warter Neoburgium castra transferre iubet, vrbsq; duodecimo Kalendas Martij, qui tum erat quartus Quadragesimae dies circumsideri coepta, septima die à Weilhardo Zenger traditur. Posthaec Stephanus cum filio Ludouico, Fridericus, Ioannes eius filius Ernestus, Albertus Bathauus, Rupertusque Rhenanus vires iungunt, suburbanum Reginoburgensium oppidum capiunt, diripiunt. Mense Septembri castra ad Stauff arcê Danubianam, quae firmo praesidio ciuium tenebatur, mouent, oppidum vi cum templo expugnant, vuas colligunt, vites excindunt, vineas extirpant. Erat in castris Georgius Oberhaimer, eques Boius, haud longè è Braunavv Norici vrbe habitabat, huius comes Andreas cum duobus sociis in altera ripa templum Sultzpachij intrant, sacrarium vi effringunt, sacra, hostiamque (thecam auream rati) sacrilegis manibus suffurantur, proxime arcem, vbi nunc templum extat, quod accolae eius rei gratia venerantur, condunt. Holosericam crumenulam, qua victima seruari solita, septem assibus scorto diobolari vendunt: sed sacrilegij poenas mox eodem die pendunt. Andreas subitò furiis actus, miserè in castris quiritando, omnibusque ad huiuscemodi spectaculum conuolantibus expirauit. Alter sceleris socius, dum aquatum equitat, ab equo excussus, aquis obruitur. Tertius ferro caesus occubuit. Sub idem tempus Albertus Austriacus Boiemis, atque Boiis affinitate coniunctus, pacem inter eas gentes componit. Sophia filia Ioannis Boij, virgo vt pulchra, ita prudens Wenceslao Caesari despondetur, vrbibus mulcta irrogatur. Augusta Rhetorum mille aureolos sexies tribuit. Reginoburgenses Neoburgium, atque suburbanum oppidum redimunt ducibus, atque Ioanni Zenger satisfaciunt. Dum haec in Boiaria geruntur, in intima Germania Iagello Lituanus spe regni Poloniae inescatus, fit Christia-

Rupertus Palatinus hostes vicit.

Rupertus filius eius.

nus,

nus, Vladislaus nuncupatur. Wilhelmus Austriacus regno pellitur, Heduuiga coniunx eius Iagello cum regno traditur. In Bathauia Albertus filius Imperatoris Ludouici quarti obijt, tres filios Wilhelmum, Albertum, Ioannem, tres quoque filias Ioannem Alberti quarti Austriaci, Margaretham, Ioannis Burgundi, Catharinam Eduardi Geldubensis coniugem reliquit, quas ex Margaretha Polona, filia Ludouici Brigensis tulit. Idem secundam vxorem duxit Margaritham Adolphi ducis Cliuiæ filiam, ex qua nullam prolem suscepit. In Vngaria mortuo Ludouico rege, Sigismundus (Vvenceslai frater) eius filiâ sibi connubio iuncta, regnare cœpit. Verùm a Carolo Campaniæ rege nepote ex fratre Andrea Ludouici exactus, illoque eodem anno à Reginis matre, atque filia interfecto, Vngaria potitur. In Italia Ioannes Galeatius à Vvenceslao dux Mediolanensis appellatus, Bernabouem patruum, socerum, Boiorum capit, regnoque potitur. In Gallijs Anglij debacchantur, & Luitpoldus Austriacus à Suitensibus cæsus est. Posthæc Franciscus Cararia Patauij præses, ad Stephanum virtute bellica clarissimum in Boiariam cum Florentini populi oratoribus concedit, eundem aduersus Galeatium auri montes pollicendo, concitant. Stephanus cum fratre Friderico arma in Italiam mouet, proximè Mediolanum Galeatio in arce se continente, castra locat. A Florentinis stipendijs promissis defraudatus, cum Galeatio nouam affinitatem contrahit, Elisabetham neptem illius Ernesto nepoti suo despondet. Cumque vltrò citrò sermo protraheretur, atque mentio de popularium fide forte incidisset, admirantibus Galeatio, atque purpuratis eius Stephanus asseuerat, nullum Boium esse, cui non audeat vitam suam credere, atque in eius sinu solus & inermis dormitare. Hisce confectis à Carolo sexto Galliarum rege aduersus Anglos euocatus in Gallias proficiscitur. Auxiliaribus igitur copijs Anglijs profligatis, Franci Boiorum (qui tum in Germania potentissimi, maximeque censebantur) opem & affinitatem necessariam, atque vtilem sibi aduersus acerrimum hostem rati, fœdus cum hisce ineunt, connubiaque faciunt regi suo Elisabetham filiam Stephani despondent. Ioannes patruelis regis, filius Philippi Burgundi Margaretham Vvilhelmi patruelis Stephani sororem, vnde Philippum Burgundum, Flandrumque, & Antonium Brabantinum, patrem Ioannis Brabantini, maritum Iacobæ filiæ Vvilhelmi, progenuit. Itidem Vvilhelmus Margaretham, sororem Ioannis sibi connubio iungit. Hæc Iacobam, de qua iam dixi, & complura dicturus sum, peperit. Nuptiæ magnificè regio luxu Cameraci fiunt. Nostri principes ex Gallijs domum reuersi Andechusij sacra, quæ ibi cõdita diutius sub terra latuere (inde locus Hayligenberg, id est sacer mons appellatur) à Iacobo Dachauer Franciscano reperta septimo Calend. Iulij quarto idus Octobris Monachiũ transferunt, anno ab orbe seruato 1388. Qua item tempestate morte defunctis Clemente septimo, Vrbanoq. sexto, rursus duo regno Ecclesiæ imponuntur. Romæ Bonifacius nonus, in Gallijs Auinione Benedictus tertius decimus. Ille vt Boiorum animos sibi conciliaret, tribus fratribus Stephano, Friderico, Ioanni nepotibus Imp. Ludouici quarti, secularem omnium criminum, scelerum, suppliciorum veniam condonat. Quicunque Monachium voti reus proficiscatur, septem ibidem dies commoratus, quatuor templa, Deiparę virginis, D. Petri, sacratarum fœminarum, Xenodochium supplicandi gratia intret, quotidiè dona faciat, ab vniuersis inferis ereptus, cœlo asseritur. Quadraginta piacularij constituti sunt. Erat res tùm noua, atque inaudita in Germania. Quamobrem ex Boiemia, vniuersa Germania, frequens populus quotidiè coibat, sexaginta millia hominum quotidiè confluxisse in acta relatum est. Durarunt hæ nundinæ Ecclesiasticæ à Martio per quinque continenter menses, inuenta sacra ter septimana monstrabantur. Eo anno Ioannes Calendis Octobris (mortua superiore anno Catharina vxore, liberalitate in pauperes insigni) egestate coactus, quòd ob probitatem exclusus gubernaculis sperneretur, & omnis honos, atque vtilitas penes Stephanum, atque Fridericum foret, regiam Monachij, fauentibus sibi ciuibus aduersus fratres occupat. Moxque concilium Boiorum Monachium conuocatur. Ibi de diuisione consultatum, quæ tandem eo pacto ex sententia Friderici, qui astutior erat, facta est. Inferior Boiaria vniuersa (præter eam quæ Bathauis addicta fuit regionem) longè fertilior, atque populosior prima, Noricorũ Reichenthal, Traunstain, Burckhusium, Braunauu, Otinga, Trostbergium, Ried, Vindeliciæ primæ Rosenhaim, secundæ Landshuta, Mosburgium, Arding, Ottenfeldé, Pfarkirchen, Piburg, Dorffen, Neomarckt, Rotenburgium, cum finitimis vicis Friderico traduntur. Ipse se quotannis fratribus, octona aureolorum millia pensitaturum pollicitus est. Deinde Boiorum proceres primam Boiariam bifariam reliquis duobus fratrib. partiuntur: Stephanus Noricorũ vrbes Ratenburgium, Kitzpihel, Kopffstain: Vindelicorũ Wasserburgium, Schuuaben vicum, Burckhaim, Neoburgium, Rain, Fridberg, Aicha, Schrobenhausen, Sueuiæ Laugingen, Hochstadium, Vverd, Narciscorum Angilostadiũ (vbi habitauit, & vnde cognomen cum prole sortitus est) Stain, Freystat, Gaymershaim Weiden, Ioannes Tunicatum Vogburgium, Neostadium, item Pfaffenhofen, Monachium,

Sigismundus rex Vngariæ.

Ioannes Galeatius dux Mediolanensis appellatur.

Luitpoldus dux Austriæ cæsus ab Heluetijs.

Franciscus Cararia.

chium, Geysenfeld, Mainburgium, Brennorum Aiblinga, & Tullusium, Lycatiorum Belaunos, Landsperga, Schongia, Murnau: in Aquilonari Boiaria Rietenburgium, Hemmau, Lengfeld, Sultzpach, Suuandorff, Kalmuntz Veldorff accepit. Hæcque diuisio facta est vndecimo Calendas Decembris ab orbe seruato Anno 1392. Landshutæ Fridericus, & posteri eius, Angilostadijs Stephanus, Monachij Ioannes abauus nostrorum principum, habitarunt, ab illisque ædibus cognomina accepere: Ioannis quarta iam soboles Boiaria potitur, cæterum progenies defecit, Stephanus quarto post diuisionem die Monachio egreditur, Angilostadium se confert. Monacenses verò præsente Friderico in verba Ioannis iurant, vectigal vini perpetuò, quod tamen adhuc penditur, abrogant. Ciues, equitesque Boiorum se priuilegia à maioribus data tutaturos, authoribus Ioanne secundo, Albertoque Abusinæ patriæ meæ dynastis, conspirant. Fridericus, & Ioannes clanculum excluso Stephano paciscuntur, tabulisque cauent, defuncti absque liberis maribus superstitem ex alte fore hæredem. Deinde Ioannes ferijs Brumalibus ad se ciues, equites, sacerdotes Monachium accersit, eosdem in verba Ernesti, atque Wilhelmi filiorum suorum iurare iubet, nulli externo officium delegaturum, censu extraordinario, vectigalique Boios nunquam oneraturum, sine consilio illorum nemini bellum indicturum promittit, facit illis ibidem vltrò coeundi copiam.

Strubinga cō flagrat. Strubingensium hoc anno vrbs duodeuicesimo Calendas Iulij de cœlo tacta conflagrauit. *Sophia Boia Cæsaris vxor.* Iisdem diebus Fridericus Boiemiam intrat, Sophiam neptem suam filiam Ioannis eò deducit, Cæsariq; dat in manum. Confectisq; nuptijs domum reuersus, pridie Nonas Decembris Landshutæ moritur, relicto filio impubere Hainrico cum matre Magdalena Mediolanensi, anno Christi 1393. *Fridericus dux Boiorū moritur.* Proximo deinceps Februario, sacerdotes, ciues, equestris ordo Landshutæ concilium celebrant, sacramenta Hainrico puero dicūt, fœdus quoq; ab ipsis ictum est, diplomata à principib. data, instituta maiorum, libertatē à patribus acceptam, tutandam esse tabulis cautum. Hainricus & tutores eius, atq; patrui Stephanus & Ioannes authores facti sunt. Posthæc Ioannes amicitiam atq; societatē facit, inconsulto fratre suo cū Austriacis, Berchtoldo cancellario eorum episcopo Fruxinensi, quem Bonifacius Salisburgensi pontificatui præfecerat: verùm mystæ Eberhardū de Neuhausen elegerant, isq; Iuuauia potius, Benedicti tertij decimi Gallorum pontificis Max. rebus studuit, Ludouicumq; Angilostadiensem Gallis affinitate coniunctum arctissimo amoris vinculo sibi cōciliauit. Cæterùm Ioānes eodem temporis tractu Ernesto filio suo dat in matrimoniū Elisabetham Bernabouis Mediolanēsis filiam, quinq; & septuaginta ducatorū millia dos fuit. Stephanus quoque cum Elisabetha filia sua, & Ioanne filio episcopo Reginoburgensi in Gallias proficiscitur, illam Carolo sexto regi Celtarum nuptum collocat. Interea filius eius Ludouicus Angilostadiensis copias cogit, Fruxinumque, quòd eius episcopus hostis Iuuauensis amici sui erat, atque se Salisburgensem nominaret pontificem, occupare conatur. Erat ibi prætor Wimmannus, is ministro vno conscio, vrbem non adeò munitam, octauo Calendas Ianuarij noctu, quam natalem Christo seruatori habemus, & priuilegio celebramus, dum populus frequens in templo sacrificat, tradere parat. Verùm indicio ad Berchtoldum episcopum delato, Ioannes dux Boiorum ex pacto Fruxinum præsidio firmat. Wimmannus in vincula coniectus capitaliter punitur, comes eius membratim dissectus, more patriæ proditorum punitur. Ludouicus igitur spe potiundi Fruxini frustratus, iram, atq; arma in Ioannem conuertit, eius oppidum Neostadium quinq; millia passuum à patria mea, octauo Idus Ianuarias vesperi deimprouiso aggreditur, sagittariorum multitudine mœnia defensoribus nudat, oppidum ciuibus compluribus occisis expugnat, diripit: Friderici Kolneri locupletissimi, item aliorum pecunias, non numero, sed galeis metitur, atque inter suos diuidit. Ingenti præda, quam carrucis imposuit, potitus Angilostadiū reuertitur. Ioannes & Ernestus, posteaquam hoc accepere, cum exercitu Aichiam petunt, vrbem bis oppugnant, bis repulsi sunt, exustis ibi molis, Fridbergam castra mouent, vrbe potiuntur. Sueuiam vicum prope Monachium diripiunt, igne concremant, arcemque obsidione claudunt. Eodem temporis tractu Basaites Turcarum rex Mœsias Vngarici regni fines vastat, pater huius Amurathes primus Turcarum in Europam vocatus à dissidentibus Græcis, traiecit, Grecorum seditionem aluit, debilitatos discordia oppressit: Thraciæ pleraque oppida pulsis Græcis in ditionem redegit. Inde huius filius reges Vngariæ primus armis lacessere ausus est. Sigismundus rex Vgrorum furori Turcarum principio obstaturus opem Gallorum, Germanorum omnium implorat Ioannes filius Philippi Burgundi cum Francorum manu, atque cum Stephano Angilostadensi in Boiariam contendit, Monacenses, atque Angilostadenses regulos in gratiam redigit. Inde Strubingam petit, vbi ab Alberto coniugis suæ fratre septimo Calendas Decembris magnificè, regio apparatu excipitur. Multi proceres Boiorum nomina dant, ad Orientemque militatum proficiscuntur. Rupertus quoque, qui & Pipinus, dux Boiorum, filius Ruperti præfecti prætorio Rheni eodem arma mouet, ijq; coniunctis

iunctis viribus in Strubingenſium ciuitate, in Pannonias Danubio nauigantes ad Sigiſmundum deuehuntur, atq; cum eo in Mæſia Nicopoli (quam noſtri Schiltauu vocát) copias exponunt. Verùm à Turcis ingenti clade affecti ſunt. Sigiſmundus nauim nactus Bizantium aufugit. Ioannes Burgundus captus eſt, magnaq; pecunia redemptus, domum redire permiſſus. Pipinus impedimentis, ac pluribus amiſsis cum paucis fuga ſibi conſulentibus euaſit, egenus in Boiariam redijt, Ambergæ in paucis diebus animam exhalat, anno ab orbe ſeruato M. C C C. X C V. Cæteri omnes cæſi ſunt, pars aquis obruta, pars ſecuri percuſſi, pars prælio interijt. Ioannes Schiltbergerus tum puer, Monachio oppido Boiariæ ortus, captus, ob elegantiam formæ, ab filio Baſaitis ſeruatus, in aula Turcarumq; educatus, & victo Baſaite à Tamerlano rege Perſarum, arma victoris ſequutus eſt, & tandem mortuo Tamerlano in patriam poſtliminio reuerſus, à cubiculo Alberto æuo principum noſtrorum fuit. Iſtud prælium, & alia a ſe in Aſia viſa & geſta literarum memoriæ mandauit.

Ioannes Schiltberger, poſtliminio in patriã redit, Tamerlãi & Turcæ prælium ſcripſit.

Circa idem tempus Ioannes regulus Boiorum Monachij vita functus eſt, ſexto Idus Auguſti, anno Seruatoris noſtri milleſimo trecenteſimo nonageſimo ſeptimo, duos filios Erneſtum, atque Wilhelmum reliquit, qui ſimul maxima concordia Boiariæ quintam regionem adminiſtrarunt, nonnihil aduerſitatis à Ludouico Angiloſtadienſi perpeſſi ſunt. Quippe cum iuſſu huius, atque Stephani parentis eius proceres Boiorum, quique anno ſubſequenti Auguſto Monachij conueniſſent, in verba illorum iuraſſent, illiq; more gentis viciſſim ſe priuilegijs, decretis, legib. maiorum ſtaturos tabula cauiſſent: eodem tamen anno patricij Monachii à Ludouico Angiloſtadenſi, veluti maiore natu, ac legitimo hærede precibus, auro, pollicitis mercati, Wilhelmum, & Erneſtum cum vxore, atq; liberis concitato tumultu eijciunt, moxq; in vrbem Ludouicum accipiunt. Is ærario, tablinoq; vi effracto, inſtrumentis, gaza, ſupellectile, vrbe potitur. Deinde Pfaffenhofium ad obſequium cogit. Exules Landshutam ad Hainricum, & Magdalenam matrem eius, quæ ſoror erat vxoris Erneſti, ſe conferunt, vbi eos tres annos exulaſſe reperio. Eadem tempeſtate Albertus Barhauus cœlebs, & abſque liberis, Chelami fato concedit, tertiodecimo Calendas Februarij. Poſt natum Chriſtum anno 1399. Corpus Strubingam deportatur, vbi in templo Carmelitarum, in adytu eius mauſoleum marmoreum monſtratur.

Albertus Barhauus cœlebs vita excedit.

Atque iſtius anni Septembri, Ioannes fratri eius Leodienſium deſignatus pótifex, a fratre Wilhelmo, legatus in Boiariam venit. Kal. Octobribus, conuentus, cenſumque Strubingenſium vrbe agit: Boios ſuæ ditionis, ad vtramq; Danubij ripam adcolas, ſacramenta dicere iubet, legem Otonianam comprobat, Hainricum Nothafftum eius æui ſapientia, in pace, bello, fortitudine clariſſimum, præſidem imponit, cum Ludouico Angiloſtadienſi in Gallias Leodium reuertitur. Ludouicus ad ſororem reginam Franciæ, cum antea à Monacenſibus vectigal emulſiſſet proficiſcitur. Vbi a rege Franciæ, Conſtantiarum Celticæ Galliæ præfectura (quam Mortaniæ, ſiue moritonij, in Nordomannia Comitatum vocant) donatus eſt: Annam Borbonianı vxorem ducit, vnde Ludouicum Gibboſum genuit. Ea mortua Catharinam Alaſonam, ſororem Carolæ reginæ Cypri, connubio ſibi iungit. Ambas in Gallia amiſit, Luteciæque in templo Dominicanorum cum liberis condidit, ſolum Ludouicum ſecum in Germaniam abduxit.

Comitatus Mortaniæ. Ludouicus Annã Borboniam vxorẽ ducit.

Eiuſdem æui ſpacio, Anno orbe ab inferis liberato, 1400. Tres archimyſtæ Germaniæ, qui in Gallia habitant, dignitatem Wenceslao abrogant, Rupertum præfectum prætorio Rheni, Boiorum legatum, pronepotẽ ex fratre Imp. Ludouici quarti Cæſaris Auguſti, rebus imponunt. Iſque Septembri in Boiariam Reginoburgium ſe contulit. Vbi expeditionem Italicam meditatur, delectus agit, copias cogit: poſteaquàm paratum ſe ad eam rem videt, arma in Italiam mouet, cum eo Stephanus Angiloſtadienſis, Erneſtus Auſtriacus, abauus Imp. Caroli Maximi Auguſti, & Ferdinandi Auſtriæ reguli (qui de eo die, quo hæc ſcripſi, Angiloſtadium Auſtriam petiturus, venit) proficiſcuntur. Sed à Ioanne Galeacio Mediolanenſi, & à cæteris, qui nondum à Wenceslao defecerant, profligati, domum cum ignominia redire coguntur.

Vuenceslaus Imperio abdicatur. Rupertus Boius Imperator ſalutatus.

Sub idem tempus Landshutæ templum diui Iudoci cum ſacris conflagrauit. Monachij Anger templum Virginum V. Idus Octobris, hora ſecunda corruit, refectum eſt quadriennio, mille libræ ſignatæ pecuniæ duodecies expenſæ ſunt. Hainricus tum Landshutenſis, Erneſtus atque Vuilhelmus fratres infeſto exercitu coactis vndique ex Boiaria ſecunda copijs Monachium contendunt, caſtra in loco quam Gaſteig vocant, faciunt. Deinde vrbem obſidione claudunt, plebes correptis armis, effractis portis, parte mœnium iuxta portam Schiueram, vbi Leo adhuc pictus eſt, (vt morte Hieronicarum introirent duces) diſiecta, principes in vrbem cum exercitu recipiunt. Nondum enim foſſa, pomerióve munita erat.

Templum D. Iudoci conflagrauit. Anger virginũ templũ corruit. Monachium recipitur à ducibus Boiorum.

Senatus, authores defectionis diffugiunt, pars fimo tecti, pars ſacerdotalibus veſtibus euaſere. Cæteri capti, in vincula coniecti ſunt. Hainricus Dryner, Conradus Stromair, Vlricus Implar, & Fridericus Haidfog, capitali ſupplicio affecti, alijs clementia principum ignouit. Ad luendum tamen parricidium, collo funem inſertum, per annum ferre iuſſi ſunt, Neoſtadium Hainrico, quòd copijs pe-

Magdalena mater Henrici moritur. Bonifacius obijt.

Innocentius VII. P. M. Gregorius XII. P.

cunia iuuisset fratres, traditur. Moritur per idem tempus Magdalena Mediolanensis mater Hainrici, sextodecimo Calendas Augusti, Anno Christi 1404. Quo anno Bonifacius nonus Romæ obijt, sufficitur illi Innocentius septimus. Is pulsus Roma, à Ladislao rege Campaniæ Viterbium commigrat, inde Romam reuocatus, altero Pontificatus anno decedit. Gregorius quartus decimus regno ecclesiæ, ea lege imponitur, vt rursus vltro cedat, si Benedictus tertiusdecimus se abdicarit.

Ladislaus Romam occupat.

Cumque duo pontifices Maximi conuenissent, nec vt polliciti fuerant, magistratu abirent, sed gregi Christiano illuderent, flamines ab ipsis deficiunt, Pisæ coeunt. Inter hæc Ladislaus rex Apuliæ reuersus, Romam occupat. Dum autem talia in Italia fiunt, in Boiaria ciuilis tumultus Landshutæ oritur. Hainricus impubis vtrumque parentem amiserat, ætasque adhuc immatura Imperio à Caspare Fraunhofer, Erasmo Preysinger, Ioanne Closner, Sigismundo Assentaler, & Georgio Ahamer gubernatur. Dux Stephanus Angilostadiensis titulotenus primarius tutor nuncupabatur. Omnes magistratus & præfecturæ oppigneratæ erant: Nemo populo, atque Reipublicæ, omnes sibi consulebant: penes paucos opes, imperia, pecunia erant, ærarium compilabatur, fisci peculatus fiebat. Hainricus ad egestatem redigebatur. Cum ære alieno premeretur, suadentibus purpuratis, quos commemoraui, onerare tributo ciues decreuit. Ciues contumacius, fi eti institutis, & legibus maiorum, libertateque auita, à Friderico quoque parente Hainrici seruata, reluctantur, purpuratorum credulitatem obijciunt, auaritiam prætorum exprobrant, ætatem Hainrici miserantur, non tam ab eo, quam à consultoribus eius, ad Cæsarem denique prouocant.

Tumultus ciuilis Landshutæ oritur.

Iuuenis huiuscemodi suorum (vt nobilitas interpretabatur) rebellione irritatus, quatuor ex senatoribus, ciuium, Fridericum Pelchinger, Martinum ab Asch; Leonardum Ketner, Ioannem Mosburger, qui duces multitudinis videbantur, proscribit, in exilium agit, bona eorum infiscat. Cæteri quidem impiaten tiarum metu pœnarum territi, acquiescunt, iram & dolorem dissimulant. Verum clanculum coeunt, & consultant, & vindictam de proceribus, qui pueritia principis abutebantur, sumere statuunt: ad exules nuncios mittunt, redire occultè ad domum, ad liberos, ad coniuges iubent, operam suam offerunt.

Theodoricus Rackel.

Dieque constituto, noctu illi ad portam veniunt, Theodorici Rackhel auxilio, cuius ædes mœnibus hærebant, per vallum, murumq; euadunt: In vrbem, domumqua Rackelinam penetrant. Confestim Senatus intempesta nocte ibi frequens coit, eos qui omnia sua vtilitate metiebantur, & principi dominabantur, peculatum committebant, in vincula conijcere, vt rationem reddant, alios tutores, fidos bono publico, ciuium studiosos dare deliberant. Sed in omni re fortuna plurimũ momenti habet,

Vlricus Ebran.

vxorem Rackelij, Vlricus Ebran eques Boius adamabat, isque eadem penitus hora forte fortuna (vti suus mos erat) ad amicam viam adtectabat. Mulier prius silentij fide exacta amatori rem pandit, ad cœnaculum, vbi ciues consistebant eundem deducit. Is absque cunctatione ad regiam properat, facinus indignum se comperisse clamitans, Georgio Ahamero præfecto aulæ, Sigismundo Allentalero, quæ viderit atque audierit, nunciat: illi quoque continuò rem exaggerantes, ad Hainricum deferunt, periculum imminens aperiunt. Ciues in necem principis conspirasse, exules in vrbem admisisse, omnes ni occupenter, in armis fore, grande periculum esse docent.

Tumultus

Aulici mox excitantur, arma sumunt, de improuiso in ciues impetum faciunt. Miserandus oritur tumultus, multi per mœnia euadunt, complures latebris se condunt, pars capti, luminibus orbati, pars cum vxoribus & liberis in exilium acti sunt, bona omnia infiscata, Leurgebium, aliosque more maiorum pœnas dedisse, adhuc memoriæ mandatum est: tertio die antè Paschalia factum esse, eiusque rei postea Hainricum semper, cum gemitu meminisse, fama iactitari solet. Benè & sapienter Alexander ille Magnus apud Quintum Curtium, Regum clementia (inquit) non in ipsorum modò, sed etiam illorũ, qui parent, ingenijs sita est, obsequio mitigantur imperia: vbi verò reuerentia excessit animis, & summa imis confundimus, vi opus est, vt vim repellamus. Id verissimum esse, docet quod eodem anno Leodiensibus quoque euenit, Qui Ioannem Boium pontificem suum designatum, quòd sacra facere, rem diuinam procurare detrectaret, Traiecti Mosæ obsidione claudunt. Wilhelmus frater Ioannis, & sororis eius maritus Ioannes Burgundus copias iungunt, obsesso auxilio veniunt, sexdecim amplius millibus Leodiensium occisis. Idibus Septembris Anno Christi 1408. Vrbem atque Ioannem obsidione liberant.

Ioannes Leodiensium episcopus obsidetur.

Nuncio huius victoriæ in Franciam delato, Carolus sextus Galliæ rector insolentiam Burgundi metuens, Lutecia, quæ rebus illius studebat, cum vxore Elisabetha Angilostadio oppido Boiariæ orta, & liberis excedit, Turonos se confert. Nec fefellit. Sextum opinio, Ioannes victorem exercitum in Gallias ducere nitebatur. Wilhelmus vtrique affinitate coniunctissimus, intercedit, Wilhelmi soror Ioanni, huius soror vtraque Margarita dicta, Wilhelmo, & Iacoba vnica filia Wilhelmi, Ioanni filio regis Galliarum nupta erat. Quin etiam regina, Stephani, patruelis Wilhelmi, filia erat. Proneptis autem Imp. Ludouici quarti Cæsaris Augusti fuit. Wilhelmus igitur

vltrò,citroque missis oratoribus,ducem atque regem in gratiam redigit, principesque in vrbe Carnuntum,quæ regio totius Galliæ media habetur,conueniunt,de summis rebus colloquuntur,pacem iurisiurandi religione fœciale, atque patre patrato Wilhelmo Boio sanciunt,fœdus feriunt. Per idem tempus duo pontificatui maximo incubabant. Cum crearentur vterque ad omnia se descendere paratum,atque omnia pati Reipublicæ Christianæ causa,promiserat,iureque iurando cauerant vt coirent, atque per colloquium controuersia huiuscemodi componeretur. Verùm auidissimi honoris tergiuersantur,populo Christiano illudunt. Flamines igitur ab vtrisque deficiunt,Pisæ conuentus agunt,vtrique diras,inferiasque dicunt,atq; dignitatem abrogant,Alexandrum quintum ouili Romano imponunt. Is Ludouici Andium regulo, aduersus Ladislaum Vgrum,multorum periculo,regnum Neapolitanum tradit. Præterea Rupertus Cæsar, qui rebus Gregorij duodecimum verum pastorem decernit esse Christiani gregis,Alexandrum veluti suppositicium reijcit. Rursus tumultum in Germania maximum,fastus atque ambitio huiuscemodi pastorum excitat.

Tumultus in Germania.

Rupertus & filij eius Gregoriani erant,Mogontinus archimystes,Albertus à Stauff Reginoburgensis pontifex,Alexandro studebant,Ioannes Chattus partium duodecimi,iussu Cęsaris,& filiorum eius Ambergæ apud Nariscos,& finitimis oppidis,sacrificia publica, priuata procurat,posthabito episcopo Reginoburgensi,sacerdotes sufficit. Idem fit in Mogontina diœcesi. Iisdemq; diebus cum latius flamma discordiæ perniciosæ proserperet,Alexander atque Rupertus Cæsar naturæ concedunt,Anno ab orbe seruato millesimo quadringentesimo decimo. Curiati principes Francofordiæ Cæsarea comitia habent,Mogontinus atque Agrippinensis archimystæ Iudocum Brandoburgensis, atq; Morauici limitis præfectum,filium Ioannis: Teuerorum verò pontifex,& Ludouicus præfectus prætorio Rheni filius Ruperti Cæsaris,Sigismundum regem Vgrorum, rebus imponunt, fuere itaque ea tempestate tres Cæsares Wenceslaus rex Boiemiæ,frater eius Sigismundus rex Vngariæ, & horum patruelis Iudocus. Omnes pronepotes D. N. Imperatoris Hainrici septimi Cæsaris Augusti. Item tres pontificatu maximo lethali ambitu disceptabant.

Cæsares III. Papæ III.

In tantoque rerum omnium tumultu,in Boiemia Ioannes Huss (id est Anser) Theologus, cum Hieronymo,alijsque collegis,hinc occasione licentiæ arrepta, fretus familiaritate, & opibus Sophiæ reginæ ex Boiariæ regulis oriundæ,cui à sacro piaculario erat,in auaritiam,fastum,libidinem,communia mala sacerdotum, quæ in prouerbium vulgò venerant,& adhuc sunt,grauiter inuidioseque publicè concionatur, vicia carpit, scelera arguit: nec à pontificibus Maximis linguam proteruam, petulantemque abstinet, maledicta in eos congerit,Antichristos nuncupat. Eosdemque Cæsari sicut cæteros Christianos,ac episcopos subijcit: Rerum fluxarum, atque caducarum curam sacerdotibus omninò adimit: Omnem administrationem ad Prophanos relegat,pleraque huiuscemodi fauente regina,equestrique ordine licenter, siue vt ipse putauit, liberè disseruit.

Ioannes Huss. Hieronymus Pragensis.

Circa idem tempus Iudocus dum Francofordiam petere parat, absque liberis moritur, Brunnæ in templo Augustinianorum sepelitur, Brandoburgium ad Sigismundum, Morauia ad Wenceslaum redit.

Iudocus moritur.

Et Francofordiæ rursus Septemuiri coeunt, Sigismundum denuò Cæsarem consalutant. Romæ Alexandro defuncto Ioannes tertius ac vicesimus sufficitur. Arma in Ladislaum Campaniæ regem mouet,copias eius profligat. Ladislaus recuperatis viribus Romam infesto exercitu contendit, vrbe potitur, primarius sacerdos fuga sibi consulit,Florentiam commigrat.

Ioannes 23. P. M.

Eodem temporis tractu Hainricus quintusdecimus Landshutensis tetrarches Boiorum, ex intima Germania reuertitur,vbi octo annos apud sacratos Teutonum equites stipendia fecit, aduersusque Lituanos,Polonos,contra Ladislaum Poloniæ,eius patruelem Vitoldum Lituanorum rectorem in Sarmatia (vbi millia hominum centum,atque vndesexaginta cæsa fuisse Idibus Iulij in fastos relatum reperio) continenter tot annis meruit. Quippe grandem pecuniam debebat,impubis parentes amiserat,omnes præfecturæ se puero à tutoribus abalienatæ fuerant. Vbi igitur ex ephebis excessit,purpuratorum gregem exauthorat: egestate,ac penuria coactus ad sinum Codanum, Venedumque, militatum longissimè proficiscitur. Administrationem in sacerdotem quendam, cuius nomen excidit, parcum rei familiaris diligentissimum relegat. Isque interea dum abest Hainricus, obligata,oppignerata redemit,æs alienum dissoluit, vectigalia annua, item impendia in libellos,qui adhuc monstrantur,redegit. Hainricus autem nono anno domum reuersus,Margaritham Austriacam filiam Alberti quarti, &quinti, qui Imperatoris Sigismundi gener fuit,& rerum potitus est,sororem vxorem duxit, rei familiaris studiosissimus esse cœpit: diuitias ingentes comparauit, diuitis cognomen quod ad posteros transmisit consecutus est.

Hainricus 15. dux Boiorum.

Ciuilitate summa, atque popularitate alios principes superauit. Primum principalium eius operum fuit, supplices audire, popularium quorumlibet causas accuratè cognoscere,celeriterq; responsa reddere,& ius dicere. Quemlibet cui quidpiam rei in aula esse suspicabatur,vltrò rogabat,vltrò ad communionem

Hainricus dux diues dictus, cum dotes, & ingenium.

ſermonis prouocabat, & de quo vellet diceret, vltrò adhortabatur, pecuniam, quam candidati (vti fieri ſolet) cum ſuffragatoribus ſuis pepigerant, ipſe huiuſcemodi prudentia, atque opera intercipiebat. Nimium ad rem attentus fuiſſe, ceruorum greges periculo incolarum, ſepibus exciſis, adempto inſuper canum præſidio, pauiſſe notatur, pacis tamen ſtudioſiſſimus fuit. Omnes regionis ſuæ angulos à latrocinij metu ſeruauit immunes. Ne lupis quidem (ita equites Germani cauillabantur) impunè graſſari licuit, quin mox laqueo ſuſpenderentur. Negotiatores vbi eius terram (quam Roſogardam, hoc eſt Roſarum hortum nuncupabant) adtigerant, ſe in vado eſſe, atque portu nauigare dictitabant. In Gallia eodem tempore Anglij vbique debacchantur, maximam Franciæ occidentalis partem obtinebant. Carolus ſextus rex Francus nonnunquam mentis alienatæ valetudine laborabat. Quamobrem duæ ſectæ rem Gallicanam dilacerabant, Aureliana atque Burgundiana: huius caput Ioannes Burgundionum, illi Carolus Aurelianorum regulus, vterque regis patruelis erat. Rex & Regina, frater eius Ludouicus Angiloſtadienſis, qui tum, vt dixi, in Gallijs habitabat, atque adeò omnes purpurati, item Delphinus, ita ſucceſſorem & hæredem regiæ maieſtatis nuncupant, Aurelianis rebus ſtudebant. Lutetia Pariſiorum caput regni ad partes Burgundionum pronior erat. Petrus Eſarus Pariſiorum prætor, in ſocietatem Lanijs Pariſianis, quòd ſanguinarij eſſent ſoli arma ferrent, accitis, authore Burgundo ciues Aureliano fauentes, locupletiſſimum quemque in vincula conijcit. Deinde bonis eorum publicatis, in exilium agit. Carolus Aurelianus vltum ſuos pergit, Ioannes quoque Burgundus aduolat, vterque cum infeſto intentoque exercitu Lutetiam contendit, Burgundus in vrbem recipitur: iſque Carolum regem cum vxore, liberis Delphino, & Ludouico Angiloſtadienſi & cætero famulitio aulico in poteſtatem, redigit, legesque dat regi. Lanij quoque eo authore, diſſimulante tamen, concitato tumultu in aulam irrumpunt, purpuratos omnes, quorum quidem nomina ſcripta habebant, in quibus & Ludouicus Boius, frater reginæ erat, capiunt, ad ſupplicia depoſcunt, in vincula conijciunt. Delphinus fidem atque opem Burgundi implorat. Atque hic quoſdam, quemadmodum libuit Lanijs, ad ſe receptos in ſuas ædes deducit. Poſthæc Delphino clanculum euocante, Aurelianus atque dux Borbonius ſocer Ludouici Angiloſtadienſis in vrbem cum exercitu admittuntur. Burgundus domum in Germaniam inferiorem cedit. Lanij omnes in caſtella, quæ Burgundo parebant, diffugiunt, Eſarus ſuperior ſecuri percutitur. Ludouicus Boius, item alij ab imminente nece eripiuntur, factum id Anno Chriſti milleſimo quartocenteſimo decimotertio, die Lunæ antè Vrbani feſtum. Carolus ſubinde rex arma in Burgundum mouet, Attrebatium ciuitatem Metacum, in Pictonum regione finitimam Ambianorum Samarobrigæ, Tornacenſibus, Cameracenſibus obſidet. Wilhelmus dux Boius Bathauiæ, Hannoniæ regulus, vtrique ſicuti dixi ſanguine, & affinitate iunctus, Margarita coniunx eius ſoror Burgundi, caduceatores intercedunt, diſſidentes in gratiam redigunt, rex ſoluta obſidione Lutetiam Pariſiorum redit. Eodem anno Stephanus Angiloſtadienſis, pater reginæ profectus in Boiemiam, proceres, regem, vrbes reconciliat, in Boiariam reuerſus, Schonenfeldij apud Lycatios moritur, ibidem ſepelitur die Lunæ antè Michaëlis feſtum. Ludouicus nuncio de morte patris accepto, in Boiariam redire parat, ſoror eius Francorum regina filium maximum natu, inſtructum gaza regia, & ſupellectile, comite Duce Aureliano cum fratre, in Germaniam clanculum dimittere decreuit. Burgundus vbi id reſciuit, Delphinum intercepit, atque reduxit. Ludouicus potitus opibus regijs, domum reuertitur, ſigna ſacra, ſimulacra diuorum, precioſæ artis, aurea, gemmata, Deiparam virginem, Dionyſios, Catharinam, Georgium, Quinque cruces, Ioannem Baptiſtam, Ioannem Euangeliſtam, Michaelem, Barbaram, Philippum, Petrum, Carolum Magnum. item pleraque alia, quæ Germania clenodia vocat, vulgus Boiorum duodecim nuncios, præterea diademata, vaſa, gutturnia, cantharos, malluuia, pateras, lances, patinas, circulos, pocula, coclearia aurea & huiuſcemodi: inſuper, torques annullos, vniones, adamantas, ſaphiros, ſmaragdos, carbunculos, alias gemmas, Gallici luxus oſtentationem, ſecum attulit Angiloſtadium: vbi adhuc atque Oringæ pars tanquam ſacra ſeruantur, atque monſtrantur, partem tamen maximam, præfectus prætorio Rheni bello Boiarico, quod cum parente principum noſtrorum geſſit, occupauit. Commentarius in membranis ſcriptus Angiloſtadij, extat, vbi huiuſcemodi ſigna, aurum, gemmæ, pecunia ſignata. Illorum numeri, pondera precium recenſentur, quæ hic ſcrupuloſius referre alienum eſſe duxi. Ipſe Ludouicus fatetur ingenuè, partim ſcelere parta, fraude, dolo, vi intercepta, partim ſibi à Carolo ſexto rege Francorum, regina Eliſabetha ſorore ſua, donata eſſe, ſe quoque auarè multa feciſſe fatetur. Circa idem tempus biceps puella in Boiaria Aquilonari inter Danubium, atque Alemannum amnes in Sanderſdorff nono Calendas Aprilis nata eſt, in mola pagi, quæ & quaterna brachia, totidem manus, pedes habuit. Viennæ tum atque Norinbergæ Scoti exacti, templa indigenis tradita. In Boiaria Noricorum,

Ioannes

Boiaria Roſengart dicta.

Angli in Gallia debacchantur.

Petrus Eſar.

Ludouicus ...

Eſarus decollatur.

Carolus arma in Burgundum mouet.

Clenodia in ...

Puella biceps, monſtroſe naſcitur.

Ioannes Kuchler cum vxore Catharina Matichouiæ, vbi quondam regum Boiariæ prætorium fuisse vetusta indicant diplomata, collegium mystis Augustinianis instituit. At in ora Oeni, Romsauu mendicantibus Aurelianis, Georgius de Fraunberg ędem dedicauit. Sub idem tempus, Veneti in Italia ad Imperatorias vrbeis auaras manus extendunt, Veronam, Vicentiam, aliasque ciuitates occupant, Brunorium, Frignandum, Paulum, Bartholomæum, Nicodemum fratres, Scalas, illarum vrbium patronos à Cæsaribus impositos, Italiæ finibus exigunt. Ipsi in Boiariam migrant, vbi eorum posteri adhuc habitant: Eorum monumentum Reginoburgij in veteri æde extat. Nicodemus mortuo Hermanno Artobergensi, Fruxinensi episcopo, à pontifice Romano & Hainrico Landshutensi, episcopus imponitur, Fruxinoque Ioanne Grunuualder Theologo, notho Ioannis Monacensis reguli Boiorum, quem mystæ legerant, cædente, potitur. Beatricem sororem nuptum dat Wilhelmo Sueuo Otingensium dynastæ. Deiparæ virginis simulachrum Græco epigrammate inscriptum, suo templo donauit. Porro Imperator Sigismundus eadem tempestate, Venetis, Mediolanensibusque bellum indicit, cum Vgrorum duntaxat manu fines illorum inuadit, pleraque castella in ditionē redigit. Teutonum principes, edicto socia arma secum aduersus hosteis Reipublicæ iungere imperat. Ne vnus quidem paruit. Quamobrem Cæsar omisso tumultu bellico, ad pacis studium animum adplicat. Ioannem pontificem maximum adpellat, vt multorum capitum bellua è templo dei tollatur, Constantiam Rhetiarum quondam, nunc verò Sueuiæ vrbem, totius orbis Christiani optimateis literis euocat. Ibidem igitur Calendas Nouembribus Anno Christianæ libertatis 1414. Ecclesiæ latinæ frequentissimus senatus vndique coit, populus Christianus in quinque curias diuisus est, Italicam, Hispaniam, Germaniam, Gallicanam, Anglicam. Ex quaque tribu sex suffragijs delecti, penes quos foret arbitrium decernendi atq; cognoscendi curialium consilia, causasq;, & ad collegas referendi potestas. Ioannes tertius atq; vicesimus excoriatᵘ est. Gregorius XII. vltrò se abdicauit. Benedictus XIII. mordicus dignitatem, quoad vixit (antiquis victu, & vestitu parco ac parabili contentis onus sine emolumento erat, ideò detrectabant) retinuit. Idcirco à patribus conscriptis, per omnium sacerdotum religiones deuotus, execratus est. Ioannes quoq; quanto de fastigio decidisset considerās, ope Friderici Austriaci Athesini fugam init, Schaffhusium, deinde Friburgum, Brisacūq; Priscorum vrbes petit. Sigismundus Fridericum castellis, quæ in Rhetia, Sueuia, Gallia possidebat mulctat. Suitones Cæsaris iussu finitimas regiones occupant, & adhuc possident. Friderico itaq; ad obsequium vi redacto, Ioannes ex fuga retractus, Constantiam deducitur, tribu sacerdotum ex Consilij decreto mouetur, inde in vincula cōijcitur, Cæsari deditur. Ab eo Ludouico præfecto prætorio Rheni regulo Boiorum traditur, captiuus Haidelbergam deducitur. Inde ab Ottone fratre Ludouici, itidem Boiorum præside Manhaimium transfertur, arcta custodia seruatur. Posthæc millibus drachmarum auri quadraginta Martino quinto successori suo venundatur, Florentiamque deductus, è medio sublatus, nusquam comparauit, nono Calendas Ianuarias. Hocq; epigrammate dodecasticho se de fortuna, vt perhibent, vindicauit.

Ioannes Kuchler Mati-hofen monait.
Romsaum monait.
Veneti Cæsarianam ditionem occupant.
Ioan. Grunuualder theologus.
Imperator Sigismūdus Venetis bellū indicit.
Ecclesia Latina Senatus coit.
Constantiense concilium celebratur anno 1414.
Ioānes Pont. M. deponitur.

Qui modò summus eram, gaudens de nomine præsul,
Tristis, & abiectus nunc mea fata gemo.
Excelsus solio nuper versabar in alto,
Cunctaq; gens pedibus oscula prona dabat.
Nunc ego pœnarum fundo deuoluor in imo,
Et vultum informem quemq; videre piget.
Omnibus è terris, aurum mihi sponte ferebant,
Sed nec Gaza iuuat, nec quis amicus adest.
Sic variat fortuna vices, aduersa secundis
Subdit, & ambiguo numine ludit atrox.
Cedat in exemplum cunctis, quos gloria tollit,
Vertice de summo mox ego Papa ruo.

Iisdem diebus Ioannes, & Hieronymus Hussij crimine irreligiositatis condemnati more maiorum comburuntur. Boiemi duce Iano de Trosenauu (quem Ziscum, id est cæcum, quòd luscus foret nuncupant) templa, cœnobia, collegia, amplius quingenta atque quinquaginta, subscribente Conrado archiepiscopo Pragensi, inuadunt, diripiunt, incendunt: monachos, sacerdotes, mystas, item flaminicas, & sacerdotissas contrucidant, in ignemque conijciunt. In Boiaria Reginoburgij quoque Vlricus de Vahendres, & Hainricus Ratgeb, sacerdotes vrbis, quòd Hussios veritatis assertores fuisse, vitia duntaxat fastuosorum flaminum, pontificumque increpasse, iniuriaque adfectos esse, publicè concionarentur, prouocantes ad tribunal Christi, igne concremati sunt.

Io. Huss comburitur.
Ioan. Ziscus mortē Hussij & Hieronymi vindicat.

Ioanni de Stauff. bellũ indicunt Reginoburgenses.

Boiorum duces ob Boiariam tumultuantur.

ſunt. Eadem tempeſtate ciues Reginoburgenſes Ioanni de Stauff (ſicuti ferè inimici capitales ſunt equites, atque ciues in Germania) bellum indicunt, Ehrnfelſium Paſchalibus obſident, tertia die expugnant, Theodericum patruum Ioannis captiuum in vrbem abducunt. Boiorum quoque duces, licet patrueles forent, tamen ob Boiariam haud integra fide inter parentes diuiſam, tumultuari cœperunt, cui diſcordiæ feneſtram aperuere equites quidam Boiorum, nempe hi Caſpar Torringer, Wilhelmus eiuſdem familiæ à Barthopago, Ioannes & Orthulphus Laimingeri, Georgius Fraunberger ab Hohenburg, Sigiſmundus Fraunberger, Ludouicus Pentzenauer, Wilhelmus Mæxelrainer, Eraſmus Geskircher, Wilhelmus Gamerberger, Georgius & Wernherus de Waldeck, fœdus faciunt, ſe legem Otonianam, cætera priuilegia à principibus Boiorum data, atque empta tutaturos coniurant, alios equites, item ciues Boiariæ vniuerſæ ſibi conciliare, ad parteis trahere connituntur.

Ludouicus Angiloſtadienſis (vulgò barbatus) affinitate Francorum fretus contra Boiariæ principes fuit.

Idem Hainrico Landshutenſi diem dicit.

Ludouicus Angiloſtadienſis (quem Bardum, hoc eſt Barbatum vulgò nuncupant) vt ſummæ popularitatis erga ciues quidem, atque comites, ita quod maximus natu foret, fretusque affinitate Francorum, confiſus quòd multa vidiſſet, prudentia inſolentiſsimus, aduerſus cæteros principes Boiariæ patrueles ſuos, item alios finitimos fuit, vniuerſos præ ſe contemnebat, hunc ſubditit ium, illum nouum cognominabat, alium imperitiæ notabat. Atque is tum Conſtantiæ Hainrico Landshutenſi diem dicit, in ius ad Cæſarem trahit, fraudem ſibi factam in diuiſione Boiariæ conqueritur, dena milla drachmarum auri annuũ tributum per quatuor, atq; viginti annos nunquam ſibi penſitata repetit. Docet inferiorem Boiariam longè locupletiorem prima eſſe, illam tamen ab Hainrico occupari. Hanc inter ſe, atq; Erneſtum & Wilhelmum patrueles ſuos, diuiſam haud æquo iure eſſe commemorat: præterea Hainricum, qui Georgium de Gundelfing graſſatorem, hoſtem patriæ in Wolffſtain, vnde crebris incurſationibus vicinos infeſtaret collocaſſet. Violatorem pacis nuncupat, peculatus, furti, latrocinijque poſtulat, fidem atque authoritatem Cæſaris, & Senatus Chriſtiani aduerſus latronum propugnatorem implorat. Hainricus diſsimulata ira, ſpacium deliberandi petit, & impetrat, domum ſe proripit, arma clam induit. Ludouicum neci deſtinat. Eundem cum cohorte puerorum nobilium cæteris comitibus adhuc prandentibus, è conuiuio, & ædibus Georgij ab Hohenloe epiſcopi Bathauenſis, & archimyſtæ Strigonienſis, vbi cum Cæſare pranſitarat, redeuntem, de improuiſo ſtricto enſe, duodecimo Calendas Nouembris Anno æræ noſtræ 1417. inuadit,

Ludouicus Barbatus ab Hainrico vulneratur.

Tumultus oritur.

Hainricus tumultu euadit in Boiariam.

Cæſar iudiciũ de facto Hainrici differt.

Ludouicus quidem illi enſem e manibus corripit, ceterùm à comitibus illius vulneribus quatuor ſauciatus, equo delabitur. Mox Hainricus ratus eum interemptum eſſe, fugam capeſſit, vrbe excedit, Ludouicus domum defertur. Vbi hæc diuulgata ſunt, fit tumultus, Ad arma, arma ingeminatur. Guntherus à Schuuartzenburg prætor Cæſarius, Imperatore Sigiſmundo ſubſequente cum copijs, Hainricum perſequitur. Verùm Hainricus ope Conradi ab Reutſchach, & Georgij à Burgauu, & aliorum quorundam Sueuorum, incolumis cum ſuis in Boiariam euadit, Cæſar in vrbem redit, vocata concione, quid fieri placeat, rogat. Tota concio exclamat, Hainricum violatorem pacis Chriſtianæ, Reipublicæ hoſtem, crimine læſæ maieſtatis reum, condemnandum, proſcribendum eſſe vociferatur: ſcelus tam atrox more maiorum vindicandum cenſet. Cæſaris igitur pro tribunali ſedentis, atque abdicaturi Boiariam Hainrico, eidemque diras dicturi, Fridericus vrbis Norinburgenſis præfectus (cui ſoror Hainrici nupta erat, & quem eodem anno Paſchalibus Brandoburgenſi principatu Sigiſmundus auxerat) pedibus accidit, obſecrat, obteſtatur, vt ferre ſententiam ſuperſedeat, donec Ludouicus, aut reſtituta ſalute conualeſcat, aut fato concedat. Annuit poſtulatis princeps Romanus, iudicium tum dilatum. Interea inuidia, quæ ex tam atroci facinore orta erat, temporis ſpacio lenita eſt. Commiſeratio, & animi vis atque adfectus elanguere occupatis Cæſare & concilio alijs rebus.

Otto Columna Martinus V. P. M. renunciatur.

Quippe in paucis pòſt diebus, tertio Idus Nouembris, Otto columna Romanus, regno eccleſiæ repudiatis tribus, imponitur, Martinus quintus nuncupatur. Et dum is à Cæſare, & Friderico ſuperiore ad templum Auguſtale deducitur, Angiloſtadienſis regulus erumpit, ab equo deſilit, ſupplex pontificis pedibus accidit, ius æquumque poſtulat, fidem curamq; communis terrarum paſtoris implorat, Hainricum furti, parricidij, cædis accuſat. Martinus ſupplicanti benè ominatur, deinde ad templum procedit,

Ludouicus Barbatus à Cæſare ius implorab. & Hainrici ſcelerum accuſat.

Ludouicus iuſſu Cæſaris domum abit. In ſequenti anno Decimo Calendas Maij, Monachium regia Boiorum ciuitas arſit: Maxima pars vrbis, duæque regiones, quas Thalam, atque Grackenauu vocant, conflagrarunt. Eodem die atque anno, Concilium quod omnium celeberrimum extitit, ſoluitur, poſteaquam per tres continenter annos M. D. XVII. habitum eſt. Pontifex Italiam, Cæſar Vgros petit: iuſſu pontificis maximi à ſacerdotibus decimas exigit. Subſequenti tempore mortuo Wenceslao Cæſare, Boiemorum rege, fratre Sigiſmundi, bellum Huſſijs (ita Boiemos ſectatores Ioannis Huſſij vocant) indicitur. Sophia vxor Wenceslai regina Boiemiæ, ſoror Erneſti atque Wilhelmi regulorum Boiariæ, Piſonium in confinio Vgrorum, atque Au-

ſtriaco-

ſtriacorum iuſſu Cæſaris cõmigrat, vbi vita defuncta, & ſepulta eſt. Hainricus Landshutenſis, Vuilhelmus, Albertus tertius, auus noſtrorũ principum, Boiorum rectores, cum rerum Romanarum præſide, cum flaminibus legatis, pontificibus Maximis, minoribus regibus, ducibus, principibus, tetrarchis, dynaſtis, ciuibus, equitibus, arma in Boiemiã vndique Hercynio ſaltu cinctam immani exercitu, qui ducenta millia exceſſiſſe fertur, mouent. Pragam gentis caput obſident. Legi literas Hainrici Landshutenſis, quas ad Albertum à Preyſingen vicariam (vt adpellat) ſuum, & Conradum Geſlat ſcribam, ita enim, non vti nunc mos, cancellarium, magiſtrum epiſtolarum vocat) dedit. Quarum æra hæc eſt, Datum feria tertia ante Margaritæ in campis, ſiue vt ego Romane loquor, caſtris Pragæ, Anno Chriſti 1420. *Quinquies Boiemiam intrauimus, quinquies copijs, impedimentis, tormentis, carris, machinis, armis, annona, commeatu, ſupellectile, inſtrumentis bellicis, calonibus amiſſis, plerisq; occiſis, multis in fuga obtritis, necdum viſo hoſte, turpiter terga, neſcio quo fato iniquo, vertimus.* Quippe Boiemi adiuti auxiliaribus Lituanorum atque Polonorum copijs non ſolùm patriam, religionemque ſuam fortiter tutati ſunt, ſed finitimas quoque regiones, Boiorum, Francorum, Turogorum, Miſnenſium crebris incurſationibus infeſtas reddiderunt, cũcta cæde, flamma compleuerunt. In Boiaria ſeptentrionali Waldſaxen, Walderſpach monaſteria, templa cum monachis, & ſacerdotibus cõbuſſerunt, villas, vicos, caſas igne concremarunt: vrbes, oppida, caſtella obſederunt, vi expugnarunt, vici, arces formidine eorum nondum viſorum desertæ. Imperatorem Sigiſmundum pontificem Romanum Concilium Baſilienſe ad iniquas pacis conditiones coëgerunt. Metu illorum Reginoburgenſes pontem lapideum, qua Boariam Boiemię conterminam contingit, foſſa, muris, propugnaculo, turribus diruta ædicula, & ſacello diuæ Catharinæ, atque ædificijs Xenodochij communiunt. Vrbem de integro firmant, foſſam purgant, mœnibus vtrinque ſubſtruunt: muros, turres reficiunt, atque iſthinc bello maximo apparatu inſtructi vniuerſis amiſsis, grauiter adtriti ſunt, & (vt nunc adhuc rumore iactatur) inde infelicitatis ſuæ initium hauſere, ſubinde in dies magis atque magis paulatim afflicti, & tandem ad ſummam egeſtatem redacti, nunc omnium ciuitatum Germaniæ, quæ quondam prima fuit, poſtrema eſt. Hæc diligenter & accurate Andreas Reginoburgenſis myſta Auguſtanus, literis, & memoriæ commendauit, idemque eundem ciues ſui Titum Liuium cenſent. Dum hæc in Boiemia aduerſa fortuna geruntur, nihiloſecius Boiariæ principes ciuili bello digladiantur. Ludouicus Barbatus Angiloſtadienſis, cum Ludouico Gibboſo filio ſuo, fœderi equeſtri, quod ſupra recitaui, ſocius accedit, cum ciuibus, nobilitateq; Boiorũ conſpirat. Neminem principũ, præter Cæſarem, coniugem eius, atq; filiam, Carolum Galliarum regem. Item eius vxorem, atq; liberos, Eberhardũ archiepiſcopum Iuuauenſem excipit. Aichæ tum quartodecimo Calend. Ianuarij, Iudocus Abuſinus, Caſpar, & Hadmarus iunior de Labar plerique alij ciuium, equitumq; coeunt, tabulis hancce coniurationẽ ſanciunt. Sigiſmundus quoq; Cæſar author fit. Caſpar Torringer inimicus Hainrico Landshutenſi, dux fœderis, atq; multitudinis ſalutatur. Hainricus Landshutẽſis ſe peti ratus, & ipſe Erneſtum, & Vuilhelmum Monacenſes Ioannem Ambergenſem, duces Boiorum, patrueles ſuos. Item Fridericum Brandenburgenſem maritum ſororis ſuæ: Ludouicum, Fridericum & Ludouicum ab Otingen Sueuorum dynaſtas ſibi conciliat, fœdus cum illis icit. Hi omnes, huiuſcemodi conſpirationem contra Rempublicam, exemplo nimium periculoſo, contra morem maiorum, veteres leges, antiqua inſtituta eſſe cauſantur, ſedulò operam dant, ne quid ab coniuratis detrimenti accipiant. Hainricus Neoſtadium in confinio regionum Boiariæ præſidio firmat, illi qui in præſidio erant (vti fit) prædatum fines Angiloſtadienſium primo vere ingrediuntur, pecora Muckentalerorum abigunt: Eihardus Muckentaler auxilium fœderatorum implorat, & impetrat: acceptis quoque auxiliarijs copijs à Bardo principe ſuo, capite quadrageſimæ, cum pridie incolæ, ac oppidani more gentis vino, ganeæ, luxu nimio obruti, adhuc ſomno ſepulti iacerent, ante ortum ſolis Neoſtadium inuadit, expugnat, diripit, atq; igne concremat. Ingenti potius præda incolumis domum reuertitur. In altera parte conteſtim Hainricus, & eius coniurati arma ſumunt, Hainricus Torringen Noricorum caſtellum expugnat, incendit, ſolo æquat. Lapides Burckhuſium deuehit, ex hiſce pomerium, atque propugnacula, quæ inde Toringia vocantur, extruit. Inde in Vindeliciam arma conuertit, Reichertzhofen, Hangel, Igel, occupat, Roteneck exurit. Erneſtus & Vuilhelmus Schuuaben vicum, & arcem, Nahofen, Liechtenbergium in ditionem redigunt, Baybrun diruunt, Fridbergam ſex menſes obſident, ad obſequiumq; cogunt. Fridericus Brandenburgenſis, Fridericus & Ludouicus ab Otingen Sueuiæ tetrarchæ Monhaimium quod Angiloſtadienſis Iudoco Abuſinæ patriæ meæ dynaſtæ donarat, vi capiunt, viuaria piſcium Teutehuſij expiſcantur, reſciſsis aggeribus corrumpunt, Ioannes Ambergenſis Nariſcorum caſtella, oppida inuadit, Bernſtain ſolo æquat, Herſpruck, Vueiden,

Literæ Henrici Landshutenſis ad Albertum à Preyſingen.

Boiemi aduerſarios [illegible] finitimas regiones cæde & flamma compleuerunt.

Ludouicus Barbatus cum Ludouico Gibboſo conſpirat.

Hainricus Landshutenſis [illegible] quibuſdam [illegible].

Neoſtadium in Boiaria præſidio firmatur.

Neoſtadium igne concrematur.

Erneſtus & Vuilhelmus Schuuaben Fridebergam obſident.

Weiden, Freyſtat, Hypoldſtain, Lauffen, Holenſtain, Parckſtain, Floſs, Hohenſtain Barbato vi eripit, ſe recipere cogit. Hoc tumultu Werdea quoque vrbs Sueuiæ ab Angiloſtadienſibus ad Imperium deficit. Poſthæc octauo Calendas Iulij Landhutenſis, Otingenſesq; reguli copias coniungunt, equitum tria millia, noningentos carros contrahunt apud Lycates iuxta Rain in finibus Angiloſtadienſium caſtra faciunt. Quatuor ibi dies conſident, circum circa vniuerſa vſque Neoburgium igne depopulantur. Burckhaim vicum vi capiunt, templa ibi vi effringunt, diripiunt. Poſtea Thierhaupti Lycum ſuperant, Schuuabeckium, Turckhaimium occupant. Werdeæ, quòd ſe in libertatem vindicarat, Hiſtrum traijciunt, Hægel, Dapſhaim, Reynertzhauſen in ditionem cogũt: quinto decimo Calendas Auguſti Graiſpachium Eberhardus Roſenbergenſis adoritur (atque vti mos eſt) obequitat. Deinde Landshutenſis, & Otingenſis caſtellum obſident, Angiloſtadienſes ſuppetias obſeſsis ferunt, cum hoſtibus confligunt, Ludouicum Otingenſem capiunt, Fridericum interimunt, tamen amiſsis centum viginti quinque equitibus cedere coguntur: quarto die obſidionis Graiſpachenſes deditionem faciunt. Hainricus victorem exercitum per Boiariam Aquilonarem deducit, Hietingium, Gaimershaimium, Gensbergium occupat: Sandersdorffium exurit, Neoſtadij Danubium tranſit, ex Germania in Vindeliciam concedit, Oenique oram petit. Waſſerburgium duodeuiceſimo Cal. Decemb. hoſtili animo inuadit, vrbem arctiſsima obſidione claudit, per menſem oppugnat, mille, trecenta ſexaginta ſex globata ſaxa tormentis æreis in vrbem iaculatus eſt, ſumma vi oppugnata ciuitas, ſumma vi defenſa eſt. Hæcque omnia vna æſtate geſta ſunt: Ludouicusque Barbatus ſex vrbibus, totidem vicis, caſtellis duodeuiginti exutus eſt. Qui vt obſidionem Waſſerburgij ſolueret, ſeptingentos equites ducente Ioanne Weſſenackhero Monacenſium agrum flamma depopulari præcipit. Erneſtus, Wilhelmus, Albertus, armati erumpunt, hoſtem villas cõburentes Hoflachij inuadunt, fundunt, in fugam vertunt, ducentos captiuos Monachium deducunt Sabbato, qui tum decimus erat dies ante Calendas Octobris. Pridie eius diei Sigiſmũdus cum Barbara coniuge ſua, & Branda legatus Martini quinti Reginoburgium ſe cõtulerant, moxque Boios ab armis diſcedere iubent, pacem ſeruare præcipiunt. Hainricus, eius fœderati omnem culpam in Ludouici inſolentiam transferunt, per quem ſtet ne Boiaria Auguſta quiete perfruatur, hominem illum eſſe contumacem, Gallico faſtu, leuitateque Celtica imbutum, cæteros præ ſe contemnere, amicitiam exuiſſe, circa rationem ſanguinis bellum finitimis intuliſſe, ſe verò propulſaſſe, proponunt. Et ſanè Barbatus peruicatior erat, Norinbergam ad Cæſarem venire recuſarat, nec Reginoburgium, donec tot malis coactus, acceſsit. Ibi Kelend. Octobribus, Cæſari genu poſito, dat fidem ſe pacem concordiæ ſeruaturum: Brandæ amicitiam ambit, quotidie ſupplex cum officij gratia aditare ſolitus, quo illius fauore ablata recuperaret. Quæ Cæſar ſe redditurum pollicitus, quadriennales inducias facit. Interea Boiorum reguli ab armis diſcedere, concordiæ bona colere, iure, non vi diſceptare apud Cæſarem, atque Angiloſtadienſis Boiaria exulare iuſſus eſt. Captiui vtrinque dimiſsi ſunt, pace Boiariæ reddita, Branda Norinbergam, Cæſar cum coniuge comitante Ludouico Bardo in Vngariam Hiſtro nauigat. Caſparus Torringer Hainricum Landshutenſem in ius Sicambrorum (quod Weſtphalorum vocant) trahit, die dicto apparet Hainricus cum Friderico Brandenburgenſi, Caſparem perfidiæ accuſat. Ille cum præſto non eſſet, contumaciæ condemnatur, animaduertique in eum more maiorum, iudicandique cauſa Hainrico ex conſilij decreto poteſtas datur. Et Hainricus, & Fridericus albo conſultorum, atque huiuſcemodi prætorum aſſcribuntur. Dum hæc in Boiaria geruntur, in Gallia Lugdunenſi Ioannes dux Burgundiæ Flandrorum præfectus trucidatur. Philippus filius eius ad Anglios deficit. Ope eius rex Angliæ adiutus, auxiliaribus copijs Ludouici præfecti prætorio Rhenano, Lutetia Pariſiorum, rege, & regina potitur. In Belgica ſecunda, Germaniaque inferiore, qua Boijs parebant, armorum procellæ itidem ingruere. Sequor autem annales Georgij reguli Boiorum ditiſsimi quos eius iuſſu Fridericus Maurkircher magiſter epiſtolarum, & pontifex Bathauenſis iureconſultus ex Bathauia inſula in Boiariam detulit, & ego apud Tegernſche reperi. Wilhelmus igitur ſecundus nepos Imperatoris Ludouici quarti Hannoniæ, Hollandiæ, Selandiæ, Friſiæ, Boiariæ regulus, ex Margaretha Burgundia, filia Philippi primi * Burgundionum atque Flandriæ præfecti, ſorore Ioannis, amita Philippi ſecundi, vnicam filiam Iacobam tulit, quam nuptum dedit Ioanni Delphino filio Caroli ſexti Galliæ Italicæ rectoris. Is æræ Chriſtianæ anno 1417. octauo Idus Aprilis, qui tum quartus dies ante Paſchalia erat, abſque liberis decedit. Iacoba ad patrem Wilhelmum reuertitur, qui eodem anno pridie Calendas Iulij ex hac vita migrat. Tum Iacoba, eius mater Margaretha & Ioannes patruus Iacobæ pontifex Leodienſium deſignatus, de principatu vi & armis diſceptare incipiunt. Ioannes confeſtim ſacerdotio cedit, pontificatum Leodienſem Conſtantienſibus patribus reddit. Deinde liberûm procreandorum cauſa, neptem Imperatoris

Ludouicus Barbatus 6. vrbibus exuitur.

Branda legatus Apoſtolicus.

Captiui dimiſsio. Pax Boiariæ redditur

** Hæc altera eius vxor fuit, quam defuncta Maria Caroli ſeptimi Franciæ regis filia, duxit. Ex priori nullos liberos ſuſcepit.*

ratoris Sigismundi ex fratre Ioanne de Lausnitz * vxorem ducit, & Durotracū in Hollandiam migrat. Hæc nomina fuerunt factionum, quæ exortæ fuerunt bello inter Margaritham & Guilielmum filium comitem, Ostervanensem excitato. Nam Huxæi fouebant partes Margarithæ, quarum principes se profitebantur Prædenrodij, Cæbel ausi verò Wilhelmo adhærebant, quorum primarij erant Egmondani. Hi atque Cauellauni primi omnium exosi muliebre Imperium, in verba Ioannis iurant, subinde cæteras vrbes in partes suas trahere nituntur. At Hochosei Margarithæ, Iacobæque additi, qui fœminis dominantibus, se principatum obtenturos sperabant, Ioanni rebellāt, auspicijs Margarethæ atque Iacobæ arma sumunt, belligerantur, Ioannem finibus exigere moliuntur. At ille arces, oppida aduersariorum expugnat, diruit, vicos diripit, agros vrit. Hochosei quoque freti potentia muliebri, vires cogunt, eos qui rebus Ioannis studebant, ferro, flamma atterunt. Dum itaq; omnia ciuili bello, cognatis armis flagrant, Philippus Burgundus abauus Imperatoris Caroli Maximi Cæsaris Augusti (qui hisce diebus adhuc conuentus Wormatiæ agit) sorore Ioannis, amita Iacobæ genitus, Margarethæ ex fratre nepos, Iacobæ amitinus, pronior partibus fœmineis, has ad se in Flandriam euocat: Iacobam Ioanni Brabantino patrueli suo, quauis & ipsi amitini forent, indulgente tamen R. episcopo, connubio iungit. Hagæq; in Hollandia insequenti anno pridiè Nonas Aprilis magnificè regio luxu nuptiæ fiunt. Pleriq; omnes finitimi principes, & antistites interfuerunt, in verbaq; Brabantini perlustrantis vxorias regiones Hollandi, Hannonij, Selandi, Frisij iurare iubentur. Itidem Iacobæ mariti regna peragranti Brabantini, Limpurgij se in eius potestate futuros, dant fidem. Inter hæc Ioannes Boius nihil hostile, Durotraci se continet. At Hochoseorum suasu Ioannes, & Iacoba coniuges collecto maximo exercitu Boium hisce finib. exigere contendunt eundem Durotraci arcta obsidione septimo Calend. Iulij claudunt. Ioannes fortiter vrbem tutatur, crebris eruptionibus diu noctuq;, vbi minime rebatur, hostes fatigat permultos occidit, plerosque captiuos in vrbem abducit. Obsidentium quam obsessorum durior erat fortuna, optimus quisq; ac maximè strenuus oppetijt. Hisce malis coactus Brabantinus VI. atq; quadragesimo die multis suorum amissis, pluribus captis, obsidionem soluit. Boius continuò erumpit, abeuntium agmina inuadit, cædit, fundit. Postea Roterodamum patriam Erasmi illius, qui nostro seculo sacrarum literarum maiestatem adferit, & eloquentissimus omnium censetur, oppugnat, in ditionem redigit, cæde, incendijs vniuersa complet. Hostes par pari referentes itidem factitant, ferro, flamma cuncta vastant. Inuicem multa data acceptaq; vtrinq; damna, Bathauia crudelissimè deuastata est. Philippus Burgundus, atq; Flandriæ dynasta vtriusque sanguine coniunctissimus (nam Boius eius auunculus, & Brabantinus patruelis, Iacoba amitina, Margaretha amita erat) inducias facit, controuersiam dirimit, pacem componit. Hannoniam Brabantino atque Iacobæ: Boio vero Hollandos, Selandos, Frisios addicit, Worckhemij pridie Calendas Martias anno ab restituta salute millesimo quadringentesimo vndeuicesimo. Posthæc Ioannes collectis viribus auitum, paternumque regnum lustrat, sacramenta sibi vniuersos sicuti hæredi legitimo dicere iubet. Brabantinus cum coniuge Brusellas reuertitur. Hochosei Boio dicto audientes non erant deuincti beneficijs Margarethæ Ioanni aduersabantur: odium certaminibus ortum non facile deponitur, nec simultas desinit, dum aut metus, aut aduersarij felicitas durat: inuido quoque oculi dolent, vbi alios plus valere cernunt. Has ob causas Hochosei, alijq; pacis turbatores, qui primum ambibant locum, quod ipsis sub Boio adipisci non licebat, profugi Bathauia ad Margaretham, Iacobamq; se Brusellas conferunt, Wilhelmum de Borcknen decurionem equestrem, quo potissimum authore pax inter principes conuenerat, apparentem ante cubiculum Brabantini, quasi dominatuum suarum proditorem contrucidant. Cæde perpetrata in Hollandiam Traiectum fuga elabuntur, quotcunque possunt fraude, dolo, blanditijs, pollicitationibus pecunia sibi conciliant, factionis opes auspicijs Margarethæ coniugis Wilhelmi, parentisque Iacobæ confirmant. Nec destitere, donec quasdam vrbes, præcipuè Lidios à Boio deficere persuasere, moxque omnia tumultu, & armis confunduntur, ima summis miscentur, Ioanni Bathauo à popularibus suis bellū indicitur. Isq; coactis copijs, Lidios syluam luporum patriæ obsidet. Maxima pars ciuium fugam capessit, cæteri deditionem faciunt. Eodem tempore Hochosei oppidum diuæ Gertrudis expugnant, eoq; vi potiuntur. Ioannes eò castra mouet, oppido ad obsequium, & incineres redacto arcem obsidet, eamq; septimo obsidionis mense sextodecimo Calendas Octobris, Brabantino pacis conditiones ferente, recipit, orbe ab interis liberato anno 1421. Quo etiam tertiodecimo Calendas Decembris noctu subito Oceanus, ventis fluctus, & procellas tollentibus inundauit, vniuersam Suitholandiam aquis operuit, pecora simul, & homines interiere, pagi, tribusq; Ecclesiasticæ (quas Parochias nominant & nuncupantur) amplius septuaginta cum templis, collegijs, monasterijs, sacerdotibus, vnà cum monachis vnda obruti sunt. Nihilominus Hochosei,

Alij de Lutzelburgo, quo vxorem duxit Elizabetham Lutzelbergensem, Antonij ducis Brabantini viduam.

Dortrecht.

Leiden oppidum. rectius Lugdunum Batauorum.

Hocxai oppidum montis sanctæ Gertrudis, vulgò Gertrudenberg expugnatur.

sei, cæteri exules, atque profugi, amici Iacobæ, cum primum locum, vt desiderabant, occupare, atque tueri, nec discordias serere inter principes non possent, in alia pleraque omnia descendunt, fallacia fallaciam trudunt. Tandem ex composito Iacobæ ad aures (vt sunt mulierum variæ, atq; mutabiles voluntates) crebrò atq; secreto obganniunt. Ipsam cum marito sanguinis vinculo quam arctissimo coniunctam esse. Proinde aduersus leges Christianas initum istuc matrimonium, inauspicatum, ac planè incestum esse, deniq; calamitosum Reipubl. fore: pontificem quidem Rom. indulgere, at Deum Opt. Max. non subscripsisse aiunt. Eadem apud Margaretham matrē Iacobæ repetunt. Quid plura? Mater filiaq; (ita sunt omnes mulieres natura religiosę, & plus superstitione trahuntur quàm consilio reguntur) superiorib. consultorib. fidem habent, illorumq; suasu Iacoba (quicquid illud fuit quod ei in marito displicuit) à Brabantino clam discedit, cū matre in Hannoniam se confert, inde in Angliam nauigat. Vbi ad eam profugorum, exulum, quos Boius regno pepulerat, maximus numerus, item procerum quidam, quibus concordia damnosa, & bellum vtilius pace erat, breui confluunt, horum consilio Iacoba Brabantinum coniugem abdicat, Hunofrido Hainrici regis Angliorum germano nubit, nuptias magnifico apparatu celebrat. Deinde cum nouo nupto in Gallias nauigat. Caletesque petit, declinataq; Flandria in Hannoniam penetrat, iussu matris Hannonij in eius verba, Hunofridique iurant. Brabantinus tam insigni contumelia affectus, auxiliares copias à Phippo Burgundo patruele, & Ioanne Bathauo affine accersit. Inter hæc Boius à Ioanne Flieto pręfecto aulæ suæ, quem Iacoba auro corruperat, veneno appetitur, octauoq; Idus Ianuarias, anno Christi 1424. è medio tollitur, Hagæque sepelitur in templo Dominacanorum. Ioannes à quo toxico sublatum principem rumor erat, in vincula conijcitur, parricidij condemnatur, in quatuorq; partes more maiorum dissecatur. In Boiaria eodem tempore Georgius episcopus Bathauensis ex hac vita migrat. Duo eliguntur, Leonardus de Laiming. & Hainricus Flock, vterque pontificatum ambiunt, Eberhardum de Neuhausen archiepiscopum Salisburgensem arbitrum capiunt, vtrum episcopum censeat, ratum esse, dant fidem. Hainricus fretus amicitia archimystæ, qui eum antè Chiemensi pontificatu donarat, Solus Salisburgium cum paucissimis aduocatis venit, sed spe sua frustratus est. Nam Leonardus illuc Hainricum Landshutensem deduxit, prece, precio archiepiscopum suum fecit, ab eoque episcopus vocatur, Bathauiaque potitur. Porrò Albertus Austriacus, ad quem se Hainricus contulit, repugnat, cuncta infra Anassum occupat. Post annos octodecim Fridericus Truchsessius archimystes Boiorum litem componit. Leonardus, quem plurimum Aeneas Syluius commendat, cum Austriaco in gratiam redit. In Germania inferiore Brabantinus, & Burgundus Hunofridum Hannonia pellunt, ipse Burgundum ad singulare certamen prouocat, atque in Angliam reuertitur. Accepit Philippus conditionem, sed die constituto Anglus præsto non fuit. Posthæc Ioannes Brabantinus cum legatis Philippi patruelis sui, deducentibus illum Cauellaunis, cæterisque vrbibus (quæ Boij reb. fauerant) ad Bathauos transitum facit, passim ab omnibus sicuti maritus Iacobæ recipitur. Deinde in Hannoniam vbi Bergij Iacoba cum matre degebat, copius transfert vrbem obsidet, oppugnat. Philippus Burgundus intercedit, cum Margaretha amita sua matre Iacobæ pacis conditiones dicit. Hannonia Brabantino redditur. Iacoba à Burgundo amitino suo in Flandriam Gandauum deducitur, vt ibi regiam vitam, donec animus mariti placaretur, duceret. Ipsa veniam crebrò postulat, sexum, ætatem, animum muliebrem, consultorum maliciam excusat: per superos omnes obtestatur maritum, vt secum in gratiam redeat, atq; coniugem obsequentissimam recipiat: verùm surdo fabula narrabatur, & verba fiebant mortuo. Quippe Brabantinus animum obfirmarat, penitus aures precibus clauserat, ei, quæ se deseruisset, reconciliari vllo pacto pertinacissimè recusabat. Dum hæc fiunt, Philippns Burgundus cædem paternam vlturus in Francia Italica bellum gerebat. Iacoba nacta occasionem, sumpto virili cultu, duob. duntaxat comitibus vesperi vrbe nemine aduertente egreditur, equos pernicitatis expertæ ad hunc casum paratos insidet: diu noctuque fugam non intermittit, in Hollandiamque incolumis penetrat, ibi quæ sit, fatetur, vestem muliebrem resumit. Hoc vbi rumore dissipatum est, eam Burgundi seruitutem euasisse, proceres, ciues, quorum animis nec dum reuerentia, memoria, beneficia aui, patrisque excesserant, conuolant, aduentum gratulantur, saluam aduenisse gaudent: Hochosei quàm maximo possunt apparatu excipiunt Goudam, Aldobathrosq; deducunt, ciues in eius verba iurant. Iacoba Hunofridum maritum ex Anglia euocat, se potiri primarijs vrbibus, cætera facilè cogi posse ad obsequium aperit. Ille quidem auxiliares copias mittit, se vero in Anglia continet. Philippus certior de hisce omnibus factus literis eorum, qui eius partibus fauebāt, vtrinque compositis rebus Gallicis, domum properat, exercitu infesto atque intento in Hollandiam contendit. Anglios qui suppetias Iacobæ ferebant, superat, profligat Idibus Ianuarij. Iacoba rursus collectis virib. accito auxilio à Traiectensibus, Hochoseis

Incestus Iacobæ.

Leonardus cum Austriaco reconciliatur.

Ioh. Brabantinus ad Bathauos transitum facit.

Philippus Burgundus bellū in Francia Italica gerit.

Iacoba virili cultu in Hollandiam venit.

Iacoba Hunofridum maritum ex Anglia reuocat.

Philippus in Hollandiam exercitu contendit.

ehoscis Herulam obsidet. Burgundiani apud Lidios obsessis operam laturi coeunt. Quod vbi per exploratores Iacoba cognouit, obsidionem soluit, venientibus insidias iuxta vicum Alphen in ripa Rheni proximè Lidios ponit, ad liberandam Herulam properantes de improuiso inuadit, Belgarum, & Gallorum maximum numerum occidit, ducem copiarum, commilitonesque in fugam vertit, victoria potitur pridie Calendas Maij. Quingenti equites, Burgundionum quoque electissimi eo prælio cæsi sunt. Lidiorum primarij quinque atque octoginta interierunt. Iacoba admodum paucos desiderauit, famaque victoriæ vsa, grauiter hostes affligit, agros vastat, villas succendit, vicos diripit, cæde, ferro impunè in aduersarios debacchatur. Burgundiani rursus vires recuperant, Herulani, Lidi, Emosterodami socia agmina coniungunt, in superiore vico Alphe iuxta Rhenum castra faciunt, Iacobam Bathauia expellere in animum inducunt. Illa cum suis intrepidè obuiam pergit, manus cum hostibus conserit, à prima luce ad vesperam continenter decertat, hostes in fugam conijcit, vniuersis signis aduersariorum potitur: victrixque victorem exercitum cum ingenti præda Gandam deducit, fortunamq; pleriq; secuti à Burgundo, Brabantinoq; deficiunt, diuersæ factionis vires grauiter opprimunt. Moritur tum Ioannes Brabantinus: Hunofridus quoque Iacoba repudiata, aliam vxorem in Anglia ducit. Iacoba vtroq; marito vidua, intercedentibus amicis cum Philippo Burgundo amitino suo, qui cum exercitu in Hollandiam hisce diebus concesserat, paciscitur. Hannonia, Hollandia, Selandia, Frisia auitum, paternumq; regnum ex asse Iacobæ permittitur atq; restituitur. Verùm ipsa dat fidem, se minimè gentium absque consilio, & consensu Burgundi nupturam. Ita pax, atq; summa tranquillitas ciuibus mutuò congratulantibus redit: explosa discordiæ mala, belli furię exactæ sunt. Iacoba sex annos quietè paternos, auitosq; gubernauit principatus. Verùm sicuti ocio lasciuia gliscere solet, & omnes homines a labore procliues sunt ad libidinem, animum inconsulto amitino ad nuptias impares applicat, clam Franconi Barsilio, capite minori nubit. Quòd vbi Philippus, incertum quo pacto, resciuit, dissimulata aduentus sui causa, quasi officij gratia, & pietatis ergò amitinā visum in Hollandiā pergit, Iulioq; mense Hagæ ab Iacoba benignè simul & magnificè apparatu excipitur. Conuiuijs dies complusculos saltitando, ludendo consumunt. Porrò iussu Burgundi occultè Franco intercipitur, occultè captiuus in Flandriam, ignorante vniuersa Iacoba deportatur. Posthæc continuò Philippus domū redit. Tum demum Iacoba cognoscit Franconem in vincula coniectum, captiuum abductū ad Flandros, arctissima custodia detineri. Quē vt carcere, atq; vinculis liberaret, Hannonia, Selandia, Hollandia, Frisia auitis, paternisq; bonis cedit: ea vniuersa Philippo Burgundo tradit. Ideo Franco è custodia dimissus ad Bathauos redit, solenni ritu Iacobam vxorem ducit, nuptias in oppido quod insulam Diui Martini vocant, celebrat. Cæterùm Philippus perinde ac iustus, & legitimus hæres, nempe pronepos Imperatoris Ludouici quarti Cæsaris Augusti, nepos Alberti, atque Wilhelmi Boiorum, amitinus Iacobæ, ea præsente ab omnibus ciuitatibus Hannoniæ, Hollandiæ, Selandiæ, Frisiæ accipitur, quieteque hos ducatus possedit. Cæterùm Franconi, Iacobæque quasdam præfecturas precario concessit, sumptusque præbuit. Et interiecto deinde triennio Iacoba ægritudine contabuit, ex hacque vita migrauit anno Christi M. CCCC. XXXVI. septimo Idus Octobris, sepulta Hagæ, in prætoriano templo iuxta auum suum Albertum, regulum Boiorum, tetrarchamque Hannoniæ, Selandiæ, Hollandiæ: dynastam Frisiæ. Hæq; omnes regiones ignauia Boiorum in manus Burgūdionum, & deinceps mea memoria Austriacorum deuenere. Nihil humanorum stabile, atque certum existit. Regna quoque non solùm commutantur, sed & intereunt, & quasi pila sursum deorsum fatis iactantur. Regio autem Boiariæ secundæ, quæ ab hostiis Alemanni cum Histro vtrinque ad confluentes eiusdem, atque Ilissi, & Oëni amnium excurrit, & Bathauis addicta fuit, & ipsa à pluribus petita candidatis, causaque intestinæ discordiæ fuit. Quatuor patrueles competitores fuere, quinque annos iure disceptarunt. Inferioris Germaniæ autem, Galliæ Belgicæ secundæ locupletissimas regiones, quasi verò hæredes non essent, neglexere. Quantula portio, pro qua tot annos crebris conuentibus diuersis locis actis decertarunt, ad illas? Quippe Ludouicus Angilostadiensis maximus natu principum Boiariæ, quem ideo seniorem cognominatum reperio, ætatis priuilegio relictum principatum: quem ius, & ordo nascendi, & natura ipsa gentibus dedit, sibi more Gallorum, Italorumque, vbi primogenitus duntaxat hæres, cæteris exclusis, esse solet, ex asse vendicabat. Sed cæteri nixi institutis Germaniæ, quæ nullum discrimen sanguinis, nascendique facit, refragabantur, intercedebant, pernegabant. Equites igitur atque ciues Strubingæ coeunt, concordi animo societatem ineunt, tabulis sanciunt, atque omnes subscribunt, singulis competitoribus æquo iure sacramentum dicunt, fidem suam astringunt. Sed ea lege, atque omine, vt cùm discordes illi sint, ipsi immunes belli, nulli suppetias ferant. Præterea ad dissoluendum æs alienum, præsidem, atque quæstorem è suo corpore creari postulant, qui vectigalia accipiat, impendia in libellos referat, ac postea rationem reddat. Hisce conditionibus acceptis, primò Ernestus, Wil-

Angli superati.
Harlem.
Leiden.
Rectius Lugdunum Batauorum.

Iacoba manus cum hostibus conserit.

Iacoba repudiatur.

Franco von Brusselen, fuit autem ex Selandiæ comitatu, & primariis proceribus, qui Iacobæ in summis rei nummariæ difficultatibus opes suas liberaliter impertierat.

Franco Iacobam vxorem duxit.
Philippus Burgund. Hāvoniam, Hollandiam possedit.
Iacoba tabe moritur.

Hollandiæ Chronica referūt 1433.

Regio Boiariæ secundæ causa intestinæ discordiæ.

helmus, Hainricus Ianuario Strubingam se conferunt, hæc seruaturos dant fidem. Deinde Ludouicus Iulio eò pergit: hic eius iussu Andreas flamen Augustinianus, cuius suprà memini, Annales Boiorum inchoauit, scripsit, eidem nominatim dedicauit. Nam Ludouicum literarum studiosum amantissimumque fuisse memoriæ mandatum est. Post annos quinque, menses totidem, dies duodeuiginti demum, anno Christi 1429. Nono Calendas Iulij patrueles regionem diuisuri Strubingæ conueniunt: & rursus controuersia oritur. Principatus iuxta triplicem sanguinis stirpem, legemque in tres partes duntaxat diuidundus erat. Etenim Ernestus & Wilhelmus fratres germani, ambo, sicuti vnus Ludouicus, aut Hainricus vno generis gradu defunctum contingebant. Wilhelmus hos singilatim, vt se æquo iure hæredem admittant, orat, ambit, vterque vtrunque repugnaturum ratus, hac lege, si alter consentiat, postularis annuit. Itaque Wilhelmus hoc pacto ab vtrisq; tabulas extorquet. Deinde postulat, vt in quatuor partes hæreditas diuidatur. Certamen ad Cæsarem in Vngariam defertur. Is causa cognita, quatuor patruelibus æquo iure principatum partitur. Ita Wilhelmus qui ex sextante solum erat, ex quadrante, qui drachmarum auri octonis, atque vicenis æstimabatur, factus est hæres. Is Wildenstain, Dietfurt, Kelham, Abach, Falckenstain, Werd, Schonberg, Sigstain, Linda, Saulberg, Peylnstain, Das Aigen, Eschelkam, Neunkirch, Furt, Kotzting, Deckhendorff, Cham. Ernestus frater eius Haydau, Strubingam caput regionis, Mitternfels, Bogen, prætorium Reginoburgij, seruitutem vrbanam atque monetariam: Ludouicus Sharding, Nevvhausen, Typhenstain, Dingelfing, Kirchberg, Geyselhering, Iudæos Reginoburgensis possedit. Hainricus Landavv, Naternberg, Blandling, Wintzer, Hilckhersperg, Hofkirchen, Vilshofen sorte accipit. Inter hæc Boiemi freti auxiliaribus Ladislai Polonorum regis copijs Sigismundi Cæsaris minas floccifaciunt, authoritatemque eius aspernantur, Boium agrum sibi finitimum, Nariscos, Cham depopulantur. Sigismundus vt Polonos domi contineret, domesticum eis excitare tumultum conatur, Vitoldum patruelem Ladislai, quem is Lituanis præfecerat, immunitate donat, regem appellat. Ioannem pontificem Bigradensem atque Ernestum Boiorum regulum, qui illum auspicijs Cæsareis corona donent, illò proficisci iubet. Id vbi resciuere Polonorum purpurati, omnes aditus intercludunt. Legati Cæsaris re infecta domum redire coguntur. Per idem tempus Ernestus & Albertus vectigal salinarium à Reginoburgensibus redimunt mulctitio ære, quod Eberhardus Wirtenbergensis, quia sponsalibus stare detrectarat, luit. Quippe filiam suam Alberto desponderat, & ipsa clam alij copiam sui promiserat. Nondum Hainricus Landshutensis, & Ludouicus Angilostadiensis reconciliati erant. Insequenti igitur anno, dum illi bellum moliuntur, Cæsar ab Orientis ora Norinbergæ conuentus acturus, Strubingam venit. Ibi honore maximo à septem regulis Boiorum, Ludouico Angilostadiensi, Ernesto, Wilhelmo, Alberto Monacensibus, Hainrico Landshutensi, Ioanne Ambergensi, Ottone à Mospach excipitur: quatuordecim ibi commoratus dies, Norinbergam ab illis deducitur. Vbi ritu solenni Boiis ius dicturus, Hainrico atque Ludouico responsa redditurus, pro tribunali cultu Cæsareo sedet. Dextra Iulianus flamen Romanus, archimysta Mogontinus, Wurtzburgensis, Bambergensis, Reginoburgensis Pontifex: læua verò Badensis limitis præfectus, eius affinis Adolphus Bergiorum Dux, cui Elisabetha filia Ernesti Boij nupta erat, Ioannes & Wilhelmus reguli scilicet Boiorum, & Leuchtenbergenses dynastæ assident. Induciæ per quadriennium indicuntur. Iussus est Hainricus templa, sacerdotiaque condere, vnum Constantiæ, alterum Landshutæ in monte proxime arcem, & euocatus à Ludouico cum equitatu apparere atque seruire. Cæterùm de fraudulenta Boiariæ diuisione verbum nullum, & annuo tributo quo dolus compensaretur. Eodem anno iuxta concilij Constantiensis decreta, quibus sancitum est, vt decimo quoque anno legitimus vniuersi orbis Christianæ senatus cogeretur, Basileæ Kalendis Octobribus patres, atque ministri Christianæ pietatis frequentissimi coeunt. Cæsar eò cum Duce Wilhelmo propatruo nostrorum principum pergit: eum propugnatorem atque curatorem sacrosancti cœtus constituit. Ipse in Italiam abit, biennio pacandæ Italiæ intentus fuit. Tandem Romæ ab Eugenio Pont. Max. inauguratus solennibus sacris, Imperatoris prænomen accepit. Inter hæc Reginoburgium veniunt, quos Conradus vrbis Episcopus Basileam, vt cum cæteris Christianis in gratiam redigantur, deducit. Ibi tum Wilhelmus Boiorum rector Margaretham Adolphi Cleuensis filiam vxorem ducit, nuptias concelebrat. Conrado Episcopo Reginoburgensi à decessoribus eius oppigneratum Boiis principibus Werdvicum, & arcem condonata sorte gratis reddit: ideo illi mystæ Reginoburgenses (vti quidem aiunt) in Augusto templo quotannis stato die anniuersario sacro inferias referunt. Eadem tempestate defectus solis maximus, quem & quadrupedes pauent, quintodecimo Kalendas Iulij factus est. Proximo deinceps Octobri Imperator Sigismundus Cæsar Augustus ex Italia Basileam reuertit. Cæteri tum principes Boiariæ, Otingenses, Sueuiæ dynastæ, Brandenburgensis limitis, vrbis Norinbergensis præfectus, mystæ Aichstadienses, Reginoburgij, Bathauini, & centū equi-

Vvilhelmus principatū ambit.

Vvilhelmus principatū diuidi postulat.

Principatus iussu Cæsaris diuiditur.

Ernestus Strubingā possidet.

Cæsar Strubingam venit.

tes,item viri,fœminæ ſacratæ,Cæſariani,Schirenſes,Vnderſtorffenſes,Geyſenfeldenſes, de Hohenvvart, de Anger.Ludouicum Angiloſtadienſem,quòd more Gallicano aucupibus, venatoribus canibus,equis,volucribus ædes ſacras oneraret,criminantur,accuſant: Antiſtes Cæſarienſis eundem ad triceſimum diem adeſſe iuſsit. Badenſis limitis præfectus cum mandatis ab Auguſto ad illum Laugingiacum legatur. Verùm Ludouicus vt peruicax, qui neq; ſuperiorem,neque parem ferre poſſet,cuius alioqui erga populares ſummæ ciuilitatis,atq; clementiæ multa & ingentia documenta extant, non apparuit. Quocirca eidem,tanquam violatori libertatis eccleſiaſticæ ſenatusconſulto ſacris interdictũ eſt. Primus monachorum Cæſarianorum,Caduceatorque Imperatoris tabulas deuotionis poſuere. Imperator qui tum Vlmæ erat,ſenatus decreto arma in illũ, vt hoſtem Reipub. Carolia lege iudicatum,declaratumque mouere meditatur. Ludouicus veniam ſupplex petit,poſtulat: Sigismundo grandem pecuniam,quam ei mutuò dederat, condonat, ſyngrapham,oppigneratàque reſignat,reſcribit,reddit: Werdea Sueuiæ ciuitate, quæ à Boiis defecerat ad Cęſares,libertatem aſſeuerat,perpetuò cedit,eaque vrbs Imperatoria poſthac hactenus fuit. Reginoburgij deinde opera Imperatoris res tranſigitur. Barbatus ſacerdotibus ſatisfacturum ſtipulatur,id quod violatum eſt, officiis compẽſaturum pollicetur, chirographoque ſatisdat. Circa idem tempus Græci à Turcis grauiter oppreſsi,cum Latinis in gratiam redire,atque idem cum ipſis de religione,atque cæremoniis ſentire,ſummopere contendunt. Baſilienſes tum patres,atque Eugenius Romanus Pontifex diſcordare incipiunt. Vtraque pars author pacis eſſe concupiſcit,amicitiam Græcorum ambit, ſeſe ciuitatem,& templum Dei,quod Eccleſiam vocant,eſſe aſſeuerat, ab vtroque naues, ſumptus,quæ Græcis ſuppetant,parantur. Inferi clauduntur,cœli reſerantur his qui totidem nummos,quot ſeptem dies abſumant, contribuerint. Sub idem tempus Bambergenſes ob metum Boiemorum oppidum mœnibus cingere conniruntur. Annuere primò ſacerdotes,deinde repugnant. Ciues Epiſcopum cum myſtis vrbe exigunt. Baſilea ciues deuouet,Eugenius abſoluit. ita dum alios conciliare volumus,inuicem puerili leuitate,ne dicam ſtultitia,turpiter digladiamur. iisdem diebus Alphonſus Rex Aragonum regnum Neapolitanum occupauit. Et Bathauiæ inferior regia,dum nimis incautè tormẽta bellica,pollinem ſulphuream ex nitro,& carbonibus pila contuſis confectam, pontificales tribuni contrectant,conflagrat. Wilhelmus quoque Baſilienſis ſenatus pater, atque princeps Idibus Septembris,anno ſeruatoris noſtri 1435. naturæ cõcedit. ſepultus eſt Monachij,reliquit Adolphum bimum,& vxorem grauidam,quæ Wilhelmum poſthumum, qui in paucis diebus animam efflauit,peperit. Nec admodum diu Adolphus, Margarethaque mater, Wilhelmo ſuperſtites fuere. Legi literas Wilhelmi, vbi ſe Baſilienſis concilij propugnatorem,& aſſertorem,atque vicarium, legatumq; Rom. principis appellat. Margarethæ curatorem, atque aulæ præfectum Conradum ab Egloffſtain fuiſſe reperio. In ſequenti anno Strubingenſium oppido (vt ſunt humana,dum alij ſeriis intẽti ſunt, alij ludicris ætatem transfigunt) Boij,Sueui, Auſtriaci tyrocinium equeſtre edidere. Orientalium principes fuere Vlricus comes Celeiæ,Vlricus comes ab Helffenſtain, Reinbertus de Walſee,Chriſtophorus de Liechtenſtain,Botho Marauus,Georgius Saurer,Wilhelmus de Stain,Georgius Schvveinbeck.Nicolaus Truchſas,Sueuorum,atq; Occidentaliũ Boiorũ primarij,Iacobus,Eberhardus Truchſatsij à Waldburg,Hainricus Montis fortis dynaſta,Eberhardus,Cõrad. de Freyberg,Marquardus Schellenbergerus,Ioannes de Pilenaug, Caſpar Klingenbergerus,Variomundus,Hainricus fratres à Pentzenau. Per idẽ tempus in concordiam cum Boiemis reditũ eſt. Idcirco Reginoburgij ſupplicatio decreta eſt,frequensque populus ſupplicatũ iuit quarto nonas Februarij. Quo mente Hainricus Landshutenſis,cùm iam finis induciarum appeteret, nouum fœdus aduerſus Angiloſtadienſem ferit,trahit in partes Fridericum Brandenburgenſem, Ioannem Ambergenſem Boium, Ludouicum,Vlricum,Wilhelmum Sueuos ab Otingen dynaſtas,Leonardũ de Laming Epiſcopum Bathauenſem: Has item ciuitates,Rotenburgiũ Franciæ, Werdeam Sueuiæ, Nordlingam, Dinckelſpuel, Weiſſenburgium,Popfing. Duces quidem ſe pacem ſeruare ſimulabant: Equites partium tumultuabantur, & inuicem velitabantur, Mercatoremque laceſſebant. Ab his bellum ortum velut contagio rectores Boiorum inuoluit. ruſuſque Boij ciuilibus armis in ſua viſcera ferro,flamma ſæuiunt. Hainricus Nothafft, Georgius Hartenberger ob decimas in Cholnpach (quas hic ſententia Cæſaris, ſenatus Baſilienſis, Epiſcopi Reginoburgenſis,Eugenij obtinuerat,ille verò vi vſurparat) diſceptant, vterq; fautores ſummos habuit. Hainricus Labar arcem in Germania Magna ſupra Reginoburgium,cuius dynaſtæ,ab Abuſinis patriæ meæ tetrarchis,atque ab illo Babone multiprole originem duxere,occupat. Inde Hainricum Nothafft tribunum militarem creat,rebusq; bellicis præficit,atque Dingolfing Angiloſtadienſium municipium Paſchalibus obſidet. Inter hæc nauigia duo Angiloſtadienſiũ, Albertus Monacenſis fide ſua interpoſita è Vogburgio Neoſtadium,quod Landshutenſi parebat,deduci iubet. Præſidium Hainrici oppido erumpit,Alberti auſpicia,atque authoritatẽ flocci facit,naues diripit. Albertus cum Ludo-

Ludouicus veniã petit.
Werdea Sueuiæ.
Hac concordia latius extenditur alibi.
Græci à Turcis oppreſſi.
Diſcordia inter Baſilienſes & Eugenium Pont.
R. Bambergenſes Epiſc. cũ clero vrbe exigunt.
Alphonſus Neapolim occupat.
Wilhelmus Dux Boiorũ moritur.
Margaretha cũ filijs moritur.
Torneamenta in Bauaria, & qui interfuerint.
Hainricus Dux Boius Landshutẽſis Labar occupat.
Henricus Alberti flocci facit.

Albertus [illegible] bellum indicit.
Ludouicus Gibbosus Barbati filius.

Ludouico Angilostadiensi in gratiam redit, fœdus icit, Landshutensi bellũ indicit: Neostadium arma mouet, vrbem in ditionem redigit. Fridericus Brandenburgensis, Ioannes Ambergensis, Reginoburgium se conferunt, paci sedulò operam nauant. Interim Albertus Monacensis, & Ludouicus Gibbosus Angilostadiensis, qui & iunior, vires coniungunt, fines Hainrici ingredi contendunt. Recepti à Ioanne Abulinæ patriæ meæ dynasta, Asthusium, Mangoltingium, Seuchosiam aliosque pagos Aprili exurunt, obsessisque auxilium, suppetias ferre properant. Hainricus Dux, atque Nothaftius obsidionem soluunt, hosti obuiam pergunt. Hic Mainburgium Alberti oppidũ Kalendis Maij diripit, incendit. Inde Kirchbergium, Gisilariam, Ludouici castella, vicos occupat. Ille Churnstain solo ęquat, castra quinquagenalibus Dingelfingium rursus mouet, oppidũ obsidione claudit, quartodecimoq; die vrbe potitur. Leonardus Laiminger Bathauiæ Pontifex, ciues eius Kungstain arcem, oppidumq; Scharding, & ipsi obsidione claudunt. Dumq; ita omnia ciuili discordia, domestica seditione atteruntur, Ernestus pacis studiosus ciues suos, calamitates popularium miseratus, ad opem cœtus ecclesiastici, quandoquidem Augustus in extremis Vngariæ finibus aberat, cõfugit, Basileam properat, beneficia fratris commemorat, officia patribus sedulo exhibita proponit: à senatu postulat, & impetrat, vt duo legati in Boiariam proficiscantur, atque inter Boios pacem componant. Cuius legationis princeps fuit Nicolaus ille Cusanus vita clarus, ingenio Maximus, cum collega Ioanne Lubicensi Pontifice. Hi Reginoburgij Kal. Iulij principes Boios, cæteros fœderatos adesse, atq; ab armis discedere authoritate senatus Christiani orbis iubet, hasque pacis leges dicunt. Kungstain arx prope Bathauiam solo æquatur: Scharding Ludouici, Neostadium Alberti esto, ciues, sacerdotes institutis, priuilegiisque suis viuunto. Ernestus, Albertus, Adolphus Monacenses pacis vindices sunto. De reliquis, de quibus adhuc ambigitur, Albertus de Rechberg Episcopus Aichstetensis arbiter esto. Duas res, ridiculam, atque commiseratione dignam, quas hoc anno euenisse in fastos relatum reperio, referam. Varnpach, sicuti suprà in libro quinto docui, in inferiore Vindelicia, in ora Oeni supra Bathauiam, ibi cœnaculũ tignis compactum prominens Oëno, columnis quibus fulciebatur, vetustate putrefactis, atq; corruentibus, cum sex monachis, Georgio pręsule, Petro primario monachorũ, Liuardo, Georgio, Ioanne, Vlrico, rationem tum facientibus collabitur in Oenum, fluctibusq; fertur, donec piscatores, quiritantibus monachis exciti adnauigant, ripæq; conclaue incolumi monachorum tribu appellunt. Eiusdẽ anni Octobri Ernestus Strubingam absente filio Alberto petit. Is Agnetem Bernauerin Augustam tonsoris filiam deperibat adeò, vt eam planè loco iustæ vxoris haberet, atque publicè solennibus sacris ducere cõcupisceret: ipsaq; se coniugem reguli Boiorum, reginamq; Boiarię profiteretur, & virginibus instructa, gynæceo, famulicioq; fœmineo prodire meditaretur. Ernestus senatorij ordinis omnes quicunque aderant, accersit, atque ex consilij decreto illam in vincula coniicit, nimiumque proteruè muliebri leuitate respondentem, culeo insutam sententia procerum à carnifice in Danubio submergi præcipit, quarto Idus Octobris anno Christianæ æræ M. CCCC. XXXVI. Deinde ad eius manes placãdos ædiculam extra mœnia ad læuam templum Diui Petri extruit, perpetuum sacerdotium addit. Vbi eius ossa conteguntur, saxo, cui annum, diem, quibus è medio sublata est, tacito elogio fati, insculptum legi. Et vt Ernestus filio ęgroto medicaretur, illi Annam Brunonis Vico ortam, auiam nostrorũ principum vxorem dat. Atque vt consuetudine, & coniugio liberali deuinctus facile ex his malis, atque molestiis, quas amor habet emergeret, nuptias cõtinuò altero atque vicesimo post necem amicæ die apparari Monachij festinat. In sequenti anno Imperator Sigismũdus septuagenarius, magis feliciter ex hac vita migrat, quam moritur sexto Idus Decembris. Succedit Albertus quintus Austriacus gener eius, & frater vxoris Hainrici Landshutensis Vbique in Boiemia, Vngaria, Italia, Imperio tum Basiliensis Senatus dignitatem Eugenio abdicat, ouili Christiano Amodeum Allobrogum regulum, auum maternum Philippi præfecti prætorio Rheni, reguliq; Boiorum præficit, Felicemq; appellat. Vterq; vtrunque deuouit, Germania neutrum recepit. Romani Eugenium vrbe eiecerunt. Circa eundem temporis tractum idem Ernestus principum nostrorum proauus Andechasij collegium septem mystis instituit, sacra ibidem reperta eò transferri Monachio, illicque condi iubet, templumq; ibi Hailigenberg, hoc est sacrum montem nuncupari præcipit. Frequens adhuc populus ter quotannis coit, votaque reddit. Atque eodem anno fun. Seruatoris nostri millesimus quadringentesimus duodequadragesimus naturę Ernestus concessit, pridie Kalendas Iulij Monachij in mausoleo Imp. Ludouici quarti Cæsaris Augusti proaui sui conditur. Hicque primus morem cæterorum principum in diplomatibus, libellis, epistolis, rescriptis, edictis diuinum nomen suo præponere cœpit, quod etiam nunc posteri obseruant. Albertus filius eius cum Adolpho patruele Strubingam Augusto se confert, conuentus agit, sacramenta sibi dicere iubet. Ipse vicissim legi Ottomanæ fidem astringit. Proximo quoque deinceps anno Albertus Cæsar defungitur quinto Kalendas Decembris. Imperator Fridericus tertius Austriacus, proauus Imperat. Caroli maximi

Nicolaus à Cusa.
Albertus de Rechberg.
Varnpach.
Ernest Dux [illegible] 1453.
NOTA. Von Gottes gnaden wir Ernst, &c. Konig Otto handuest.
Alberti Imp. mors
Fridericus 3. Cæsar designatur.

Cæsaris

Cæsaris Augusti, in supremo generis humani fastigio collocatur. Boiemi orbati rege, cõcordi animo Alberto auo principum nostrorum regnum virtutis, comitiis nono Kalend. Maij habitis, destinant, ad eumque in Boiariam optimos quosque qui eum in Boiemiam deducant, legunt. Albertus Boiemis ingentes gratias agit, quòd se tanto fortissimæ valentissimæque gentis Imperio præ cæteris tot egregiis principibus dignum iudicarint, memorem beneficij fore, redditurumque vicem pollicetur, se plures vrbes, & castella, quàm vt ab vno commodè gubernari possint, habere causatus, molem hancce detrectat, legatosque muneribus donatos in Boiemiam re infecta abire permittit. Contrà iisdem diebus gentilis Alberti Christophorus Ambergensis, regulus Boiorum, à Cimbris vocatus ad regnum, eò cum plerisque Boiorum equitibus, qui adhuc ibi habitant (sicut epistola Christiernus Cimbrorum Rex Wilhelmo principi nostro significauit) profectus, Danorũ, Schandinauiæ, Scandiæ, Gothiæ, Suionum, Nordmannorum, Finnorum valẽtissimo septentrionalis Germaniæ imperio potitur. Eadem tempestate furacissimum illud genus hominum, colluuies atque sentina variarum gentium, quæ in cõfinio Imperij Turcarum, atque Vngariæ habitant (Zigenos appellamus) rege Zindelone nostras peragrare cœpere regiones, furto, rapina, diuinationibus impunè prorsus victum quæritant. Ex Ægypto se esse mentiuntur, extorresque domo à superis cogi, se maiorum delicta qui Deiparam Virginem cum puero IESV hospitio excipere recusarint, septem annorum exilio expiare impudentissimè confingunt. Experimentis cognoui, eos vti Venedica lingua, & proditores atque exploratores esse. Tum alij, cum in primis Imp. Maximilianus Cæsar Augustus, & Albertus parens principum nostrorum publicis edictis testantur: adeo tamen vana superstitio hominum mentes velut lethargus inuasit, vt eos violari nefas putent, atque grassari, furari, imponere impunè passim sinant. Circa eundem temporis tractum Ludouicus Angilostadiensis Angilostadij templum Deiparæ Virgini à fundamento magnificè extruit, sex sacerdotia addit, signa preciosa legat, fanum speciosum nuncupat, mausoleum marmoreum inchoat, eò Stephani patris ossa à Schonenfeld transfert. Hæc quoque vxores è Lutecia Parisiorum, ea lege ibidem in templo Dominicanorum conditas, transportandas decreuit. Prochotropheion sexdecim bardis, quibus duæ fœminæ ministrarent, pone Xenodochium ędificauit, illi, & templo superiori Drachmarum auri millia septem, atque nonagena destinauit. Sexdecim quoque cooptauit Psaltas, qui die noctuque continenter per quatuor classes diuisi superos salutarent, hymnosque Dauidicos cantitarent: Basilienses patres horum omnium authores fiunt. Dumque isthæc exequi, & Ioannis Cypri regis filiam, filio suo (sicut literæ ab eodem rege ad Ludouicum, XII. Augusti Nicosij datæ significant) despondere parat, filio Ludouico, inuito patre, vxor, affines inuenti sunt: nempe Ludouicus Gibber (ita cognominabatur filius Ludouici Barbati) Margaretham filiam Friderici Brandenburgensis (cui parens capitalis inimicus erat, vt quem nouum hominem appellare consueuerat) connubio sibi iungit: oppidisque ob hoc atq; castellis à patre irato exclusus, auxilio Alberti fratris vxoris, mense Octobri Angilostadij à ciuibus velut hæres, & princeps iustus recipitur, ętate parentem delirare dictitabat, moxq; in vrbem admissus, cùm ciues claues exhibere nollent, vi effracto sanctiore templi ærario, gaza, suppellectile, pecunia patris, qui tum Neoburgij habitabat, potitur. Inde alias vrbes Danubio conterminas, præter Neoburgium, & Laugingiacum, occupat. Cæterùm Noricorum vrbes, authoratas se parenti causantes, eidem portas clausere: Nariscorũ verò, quas suprà à socero, & Ioanne Ambergensi in ditionem coactas scripsimus, deditionem fecerunt, dotisque titulo illi redditæ sunt. Porrò pater exhæredato filio, vniuersa templo, atque Prochotropheio legat, filium impietatis postulat. Egenos hæredes testamento instituit, quotidie mille pauperes pascendos curat, Conradum magistrum Epistolarum Imp. Friderici tertij, Stephani Viennensis antistitem, assertorem, eius successores vindices nuncupat. Hoc anno, qui fuit Christianæ religionis 1441. sexto nonas Iulij natus est Nicolaus, vltimus patriæ meæ satrapes, à Nicolao Cusano, viro eius tẽpestatis vita clarissimo, eruditione vndecunque maximo, sacro fonte lustratus est. Eius nobilissimam, magnam, & veterem prosapiam explicare, stemma proponere, imagines & elogia vniuersi generis exequi, opes, castella enumerare, situm, progeniem, originem & defectum enarrare (neque enim alio loco de hisce rebus dicturus sum) vti pietas, atque amor patriæ, & suscepti operis necessitas postulat, operæpretium esse duco. Ex gente Abusina duæ familiæ claruerunt: Vetus Schirorum Graos, id est canos, & noua de Randeck, quos Frigios, hoc est liberos Heroas patrio sermone appellamus. Possedere in Vindelicia Abusinã patriam meam, & Roteneck atque Roram. Apud Nariscos Abinberg oppidum, Almanstain, Elsing & Randeck. Item curatores fuere sacrarum ædium Roræ, Schamhaupten, Diui Haimerami Reginoburgensis, & Bariorum, atque Bambergensium mystarum. Item præfectura vrbis Reginoburgensis functi sunt. Abusina, cuius & Imperator Antoninus in Itinerario Romani Imperij mentionem facit, patria mea, in ripa Apsi cubat, in confinio superioris atque interioris Vindeliciæ. Vltima in ora Danubij, Boiariæ primæ ciuitas, regia magni-

Albertus Boius ad regnũ Boiemiæ vocatus, non recipit.

Ziegeiner. Zindl der Ziegeiner kunig.

Ædes D. Mariæ Ingolstadij. Zu der schõ Maria.

Margaretha filia Friderici Marchionis Brandenburg.

Nicolaus de Auensperg vltimus sui generis.

Genealogia Comitum ab Abensperg.

magnificè extructa, templo Carmelitarum & munificentia in pauperes, quæ & cani solet, insignis est. Quotannis stato die, nempe octauo Idus Decembris, multa millia hominum aduolant. Hisce bobus duodetriginta mactatis, visceratio datur à prætore, atque panes viritim diuiduntur. Scapham frumenti (anno duobus hominibus suppetit) modios vnum atque triginta ciues mei vocant. Duodetriginta scaphæ tritici moluntur, inde panes concocti, vniuersi illo die egenis distribuuntur. Modius verò frumenti in agro Abusino non excedit duodetricenas libras, si quis granum ponderet: scio enim in patria modium pondo duodetriginta pendere. Oritur Apsus in superiore Boiaria, in initio pagi, quem Hallerthavv incola vocat, qua Aquilonem Fauoniumque spectat, iuxta templum eiusdem cognominis, insigne Deipara Virgine, & perquam celebre accolis. Per tria millia passuum torrens est, pluuia quidem auctus, per conuallem & prata paludinosa fluit vsque Augiam vicum. Haud inde procul Enizolusij lacuna & fontes eius, vnde perpetuus fluuius Rudolphusium, Sandolphusium regiam, Mainburgium vicum & arcem, Rhætouiam, Mylouium, Tranos equestris ædes, Segiburgium vicum, Piburgium, Adelungodoryphos templa Diuo Benedicto, Deiparę Virgini dicata, & Abusinam vrbem præterfluit. Inde aduersus Danubio, ad quintum ferme lapidem petit Salingstadium quondam ciuitatem, nunc Neostadium, infra quod Danubio, vbi triginta millia passuum cursu suo compleuit, confunditur. Roteneck in prima Vindelicia regia est modò Lamiorum ad vicesimum à patria mea lapidem, australem Occidentem versus distat. Rora vicus, & collegium flaminum Aurelianorum ad Orientem, atque itidem austrum sexto lapide ab Abusina cubat. Abinberg Nariscorum vrbs, nunc Aichstatensi patet Episcopo. Altmanstain arx & vicus mille passus à Danubio, totidem ab Alemanno in Germania Magna, Schamopago riuo alluitur, supra quos Schamhaupten collegium Augustinianorum, vbi fontes auratarum altores, & caput riui, vnde nomen templo. Randeck, & Etsing supra Kelhaim Alemannus irrigat: illa arx in editissimo iugo condita longè lateque prospicitur. Elsing vicus sub arce vocatur. Hosque & arcem superiorem istoc anno Wilhelmus regulus Boiorum Leonardo ab Eckh iureconsulto, & equiti Boio virtutis ergò contribuit. Eius viri mentionem supra, vti bonæ artes, quas in eodem sitas comperi, meruere, feci. Sed ad Abusinos reuertor. Babo ille πολυτέκνος πολυπαιδίας multitudine filiorum insignis, de quo plura in libro quinto retuli, Arnulphi, fratris Iudithæ, auiæ Diui Imperatoris Hainrici secundi, pronepos: Diuæ Kunigundæ aulæ præfectus, Wolfframum Abusinum, Diuum Leobrigum Nariscum Suentodoryphû, Diuum Hainricum Ebenrathusium, Rupertum Rietenburgensem, Bezilonem Fridebergensem, Aribonem Scalam, Diethmarum Lungionem, item alios, quos partim suprà recensui, partim nondum reperi (nam triginta habuisse filios suprà docui) progenuit. Wolfframo orti Conradus primus archimystes Iuuauensis, Otto Ambspergensis, Wolfframus Abusinus. Ab hoc nascuntur Rapotho Ambspergensis Bambergæ curator, & Gebhardus Abusinus: illius posteri Friderici duo filius, & nepos. Gebhardo atque Sophia Biburgensi geniti Eberhardus & Alemannus Abusini, & Gebhardus Roteneckhius. Proles Eberhardi Bernardus: Alemanni Alemannus alter, & Eberhardus Archipresbyter, & præpositus Reginoburgensis. His absque liberis decedentibus anno Christi M. CC. LXX. defecit progenies Schirorum ac Grauorum, successere Randeckinj. Porrò Gebhardus Roteneckhius ex Gisa Bernardum, Mænardum, & Rupertum Randeckhium genuit. Mænardus ex Heliouica Mænardum secundum, Gebhardum secundum, Hainricum Episcopum Reginoburgensem procreauit. Is superstes fratribus, qui absque virili stirpe obierant, Roteneckh Ludouico Boiorum regulo vendidit, ipse obiit anno Christianæ salutis 1297. Randeckhij authorem originis habent Rupertum filiū Gebhardi Roteneckhij, nepotem Gebhardi Abusini: Ruperto Hainricus, hoc Vlricus primus genitus, instaurator familiæ Abusinorum. Is ex Gerdruda Bernardum, cuius vxor Maria, & Vlricum secundum, eius coniunx Sophia, atauum Nicolai reliquit. Vlrico secundo Ioannes primus, Margaretha Gebolphia, Vlricus tertius abauus Nicolai oriuntur. Hic cum vxore Elisabetha de Gundelfingen apud Elsing, sub arce Randeckh, septem mystis collegiū, duodecim egenis Prochotropheion instituit, anno ab orbe seruato M. CCC. LXIII. nouem liberos, sex mares, tres fœminas sustulit. Agnetem Heliobergam, Barbaram Rosenbergensem, Margaretham in Pylnhouen virginem sacratam: Theodericum Episcopum Reginoburgensem, qui obiit anno æræ nostræ 1396. Albertum, cuius ossa marmore tecta in templo Diui Haimerami Reginoburgij, iuxta Mausolæum Diui Wolfgangi monstrantur. Vlricum quartum, qui Rhodi obiit mortem anno Christi 1375. item Wilhelmum, Wernherum, & Ioannem secundum proauum Nicolai. Is Agnetem de Liechtenstain vxorem duxit, Abusinæ Carmelitis templum condidit, anno qui fuit Christi 1389. Ab his sunt Iudocus auus, & Ioannes tertius, pater Nicolai. Fratres Iudoci tres, Vlricus quintus, Georgius, & Bernardus: sorores vero sunt quatuor Agnes de Leuchtenberg, Margaretha de Keuchlern, Vrsula Truchsassia à Waldburg, & Elisabetha Schaumbergea.

Apsus fluuius Hallertham.

Babo.

Conradus de Abersperg Ar. Iuuauensis. Sil. factus anno 1106.

Schirijs Randeckij successerunt.

Gerrolssen Inzquam Degenberg.

Agnes, zum Harligenberg. Theodericus Epis. Reginoburgensis obiit. Vlricus 4. mortuus. Agnes de Lichtenstein. Iudocus liberos decem habuit.

Porrò

Porrò Iudoci liberi decem Magdalena, Amelia, Barbara Schuuartzenburgensis à Sainshaim, Margaretha Nothafftin, Anna de Bappenhaim, Vlricus sextus, Theodericus, Sigismundus, Degenhardus, Ioannes tertius: hic duas habuit vxores, Magdalenam de Petau, & Elisabetham de Torringen: illa Claram virginem, quæ Elephantiasi apud Elsing interijt: hæc Nicolaum peperit, cuius vxor Martha à Werdenberg: ea nihil liberûm peperit, ante maritum ex hac vita migrauit. Nicolaus postea cœlebs hoc pacto absque liberis interijt. Albertus auus principum nostratium quinque filios superstites reliquit, testamentoque cauit, vt duo maiores natu rerum potirentur. Itaque Ioannes & Sigismundus ætatis prærogatiua patri successere. Albertus parens nostrorum regulorum, Christophorus, & Wolffgangus literis operam dare iubentur. Mortuo Ioanne, Sigismundus Albertum collegam admittit, & haud ita longo pòst tempore, vitam victurus priuatam, cedit, Rempublicam Alberto permittit. Christophorus tum ex testamento aduersus Albertum principatum ambit, ad paciscendum eundem cogit. Ab eo Landsbergam, cum alijs castellis extorquet ad decem annos. Finitis his, Albertus Landsbergam repetit, equites Boios, quorû dux Nicolaus erat, conuocat, Landsbergam repetit. Erat tum Christophorus Augustæ in Rhetia, exploratoque nobilitatis, quæ contra se arma tulerat, reditu, clam in Boiariam redit, ad Kransperg peruenit. Inde ad montem Fruxino imminentem penetrat, ibi propter ædiculam Diui Iacobi (vnde longè Monachium vsque prospectus patet) in insidijs cum suis delitescit, aduentum redeuntium obseruat, atque præstolatur. Illi nihil minus quàm Christophorum timentes securi, palantesque iam Fruxinensem agrum attigerant, ad portamque contendebant. Ibi tum Christophorus qui iter speculatus fuerat, cum suis porta de improuiso erumpit, inopinatos inuadit. Nicolaus suis diffugientibus, eo tumultu ferro per inguina adacto, interijt. Cum eo cæsi sunt Laurentius Bogner frumentarius, & saltuarius Kelhaimorum, & Burckhardus de Rorbach prætes Mainburgensis pridie Cal. Martij, anno seruatoris nostri 1485. Ita vetustissima honoratissimaque Abusinorum progenies in Nicolao defecit. Opes, castella, vici, oppida infiscata sunt, legeque ad Albertum tertium principum nostrorum genitorem feliciter redierunt. Hæc vti spero aliàs copiosius iusto opere enarrabo. Ad ordinê cœptum redeo. Ludouicus Gibber redactis ad obsequium plerisque vrbibus, & paterno principatu, partem Neoburgij supra Angilostadium vltimo Aprili XI. septimanas obsidet, tertio deinceps mense vrbem vi expugnat, partem capit, sapientissimos quosq; sacros, prophanos Angilostadium conuocat, quid de patre capto agat, consulit. Eò quoque tum profectus iussu Ioannis Abusini Petrus Frisius Roræ antistes, vir admodum prudens. Filius autem ne fenestram seditionis aperiret, genitorem reuerenda senectute venerabilem Alberto Brandenburgio, fratri vxoris suæ diligentiore custodia obseruandum tradit, atque Onoltzpachium ex Boiaria in Franciam abduci permittit. Ipse post biennium, impietatis ne dicam parricidij pœnas suprema maiestate expetente, fato concedit septimo Idus Aprilis, anno ab orbe seruato 1445. Margaretha vxor eius Landshutæ habitauit, ad impares nuptias transiuit, clam Martino de Waldenfels curatori suo nupsit, Samlingthalæ eius sepulchrum ostenditur, socer eius à fratre captiuus detinetur. Dum hæc fiunt, Ludouicus Delphinus cum Armeniacis & Delphinis Alsatiam intrat, Suitonum cohortem, non tamen inultam multitudine obruit, & longè pluribus amissis, contrucidat. Dumque domum reduces Galli repetunt, à Schlerstatensibus graui clade affecti sunt. Plerique tum equitum in Boiaria latrocinijs victum quæritare cœperunt, hospitioq; ab Ioanne Abusino (quem nobilitatis amatorem, patronumque nuncupant) recepti, passim vltrò citrò impunè commeabant. Hainricus Landshutensis bellum Ioanni indicit, Abusinam cum copijs hostili animo inuadere tentat. Petrus superior intercidit. Vrbes quoque Cæsariani, Ioanni amicitiam renunciant Altmanstain, Solern, Hagenhul diripiunt, incendunt, Gebelonem captiuum abducunt, Flugelspergium arcem Murharrorum capiunt, atque igne concremant. Ioannes ab Haideckfanum Augustinianorum Schamhauptum compilat. Albertus præterea Monacensis regionem suam grassatoribus purgare animum intendit, duos Cameraueros vndecim comitibus Strubingæ securi percutit. Neuenhusium Pauli Zenger castellum, receptaculum latronum de improuiso circumsidet, vt expugnat, quingentos intus deprehendit, eosdem in vincula conijcit, concathenatos Strubingam deducit, ibi pars aquis obruta, pars in crucem acta est, cæteri securi percussi sunt. Eadem tempestate Nicodemus Scala episcopus Fruxinensis decessit. Mystæ Ioannem Gruenuualder flaminem Romanum atque Theologum eius seculi præstantissimum pontificem legunt. Hainricus Stilico eundem pontificatum Eugenij iussu ambit, aduersus Basiliensem senatum castella, vrbes, oppida in Norico orientali occupat. Norinbergæ tum Electores Reipublicæ, Fridericus Cæsar coeunt, Eugenio abdicato, cœtum Basiliensem præferendum censent. Insequenti anno Eugenius moritur. Nicolaus ille quintus Poetarum Mœcenas, studiorum cultiorum vnicus admirator & fautor Romano ouili præficitur.

Clara virgo elephantiasi obijt. Martha à Werdenberg ex Martha Nicolai vxore.

Ioannes & Sigismundus Alberto patri succedunt.

Christophorus principatû ambit.

Albertus Landsbergã recepit.

Nicolaus de Abensperg trucidatur. Laurentius Bogner. Burckhardus de Rorbach.

Ludouicus Barbatus capitur à filio. Petrus Frisius Roræ antistes.

Ludouicus Gibber vita excedit. Margareta Lud. Gibberi vxor curatori suo nubit.

Eodem anno Hainricus Landshutensis Ludouicum Barbatum nummûm aureûm millibus duobus atque triginta emit, atque ab Alberto Brandenburgio (qui eum vendidit) cum tercentum equitibus iuxta Angilostadium ad pontem Sudinum, hoc est Australem, exhibitum cum quingentis recipit Idibus Augusti, captiuumq; Landshutam, inde Burckhusium deducit, atque ipse post annum, minus duodecim diebus, cum Fridericus Cæsar, atq; Carolus septimus rex Galliæ Italicę, Angilostadiensis ex sorore nepos, legatos Landshutam qui senem decrepitum liberarent, misissent, nullis relictis liberis animam efflauit, tertio Calendas Augusti, anno Christianæ æræ 1447. Rotenhaslachij in Norico sepelitur. Superbè, atque auarè multa fecit, quod ne ipse quidem negat, se solitus est appellare Mortaniæ tetrarcham & fratrem germanum Reginæ Franciæ. De qua libet verba Ruperti Gaguini Galliæ Romanę Historici recitare. Moritur eodem tempore Isabella (h.e. Elissa.) Caroli Sexti vxor, fortunæ, si reginam consideres tenuis & pauperis, quippe quæ sub Anglorum principatu degens, eorum arbitratu, vitam agebat priuatæ fœminæ non absimilis: patientissima quidem, & ad temporis qualitatem se accommodans, nulla re magis irritata, quam quòd Carolum regem eius filium incesto fratris concubitu natum Anglus diffamabat. Cadauer nobilissimæ mulieris (pergit Ruptus) quatuor tantum comitibus naui aduectum apud S. Dionysium nulla pompa sepelitur. Cuius filius Carolus septimus Gallijs expulit Anglos, victricibus vbique armis, virgineis auspicijs puella duce cœlitus (vt credi postularunt illi, quorú interfuit) demissa, paternum principatum recuperauit. Eodem anno, quo eius auunculus obijt, Margaretha quoq; Austriaca vxor Hainrici, nono Cal. Ian. & triennio deinceps eodé die, quo Ludouicus ipse, Hainricus fato concessit. Qui mortuo Ludouico omnes eius vrbes, oppida occupauit, exhæredato Alberto Monacensi, qui ex semisse eodem gradu Ludouicum cótingens hæres erat, & iure potius, quam armis disceptare destinarat: sed potior fuit, qui prior ad occupandum erat: Sueuiam solam vicú proxime Monachium Albertus possidet, cæteris omnibus excidit. A Walterburgensibus, alijsq; ciuitatibus vltrò inuitatus, tamen abstinuit, ne Boiaria ciuili bello ob suam auiditatem inuolueretur: quod ego altitudinem, atq; magnitudinem animi reor, alij ignauiam interpretantur. Familiare hominibus est, omnia sibi ignoscere, nihil alijs remittere. Circa idem æui spaciú Friderico Cæsare cónitente, Basiliensis cœtus solutus est, & Felix quintus se vltrò dignitate, cùm pontifex fuisset annis noue, menses sex, abdicauit, Nicolao quinto cessit, atq; legatus Germaniæ consalutatus est. Sequenti anno, qui est Christi 1450. ex hac vita migrauit Hainricus Landshutensis cognomento Diues. Hoc anno magnum ac verè diuinum beneficium Ioannes Faustus Germanus, ciuis Mogontinus generi humano contulit, nouum scribendi genus haud dubiè cœlitus reuelatum (quod Chalcographiam excusoriam, impressoriamq; vocare solent) inuenit, & biennio compleuit. Consuluit pater indulgentissimus honestis literis, authoribus præclaris, de quibus actú fuisset, ita torpore languescimus, adeò delicatuli sumus, fugitantesq; laborum: tantum literarum vno mense ab vno homine imprimitur, quantum vno anno à pluribus scriberetur. Quod Campanus Aprutinus pontifex vno versu elegantissimè scripsit:

Sunderpruck bey Ingolstat. — *Schwabm.* — *Felix S.P.M.* — *Chalcographica ars inuenta à Ioa. Fausto Moguntino.*

Imprimit ille die, quantum non scribitur anno.

Hinc indies magis ingenia vigent, studia literarum florescunt, copia librorum paruo ære egenis suppetit, omnes ad capessendas præclaras artes tanta librorum commoditate alliciuntur. Hoc cœlestissimum munus à Fausto & Petro Schœffer de Garenshaim, genero suo, cui vnicam filiam Christianá desponderat, inter secreta, adactis omnibus socijs fidem iurisiurandi religione, habitum, decimo pòst anno Fausti ministri Ioannes Guetenberger Argentoratensis in Germania vulgauit. Municipes huius Vlricus Han, hoc est Gallus, Xystus Resius Romæ Italiæq; intulere. Vbi hoc artificio, mea memoria, Aldus ille Manutius vir ad instaurádas literas natus claruit. Nunc verò in Germania Basileæ Ioannes Frobenius, Hagenoiæ Thomas Anshelmus, Argentorati Matthias Schurerius, Mogontiaci Petrus Schofferius, nepos ex filia authoris huius inuenti, alij item alijs Germaniæ ciuitatibus quotquot vbicunq; antè fuerunt, & adhuc sunt, superant, longo interuallo post se relinquunt. Græca, Hebraica, Latina diligentissimè & quàm emendatissimè excudunt. Optimos quosq; authores, sacros, prophanos in triplici lingua, poetas, oratores, historicos, philosophos, maximè religionis nostræ priscos heroas, certatim passimq; restituút, & periclitanti Reipub. pro virili suppetias ferunt. Perditissimos tamen mortales inuenias, qui tanto Dei Opt. Max. dono ingratissimi ac planè impientissimi existant. Auguror equidé propediem scelestissimum hoc genus hominú pœnas auspice Christo impietatis daturum. Sed dimissis male ominatis, potius bonis bene precemur, & reliqua historiæ exequamur. Parco, ne dicam auaro parenti, liberalitatis eximiæ erga omnes mortales successit filius Ludouicus decimus, summæ popularitatis, fortunatus, felix, pacis studiosissimus. Multa bella in Germania sua authoritate composuit, summopere connixus, vt Ladislaum regem Boemiæ, atque Vngariæ, amitinum suum atque Imperatorem Fridericum reconciliaret, & vt omnia vno verbo complectar, maior omni præconio fuit: virtutes eius adhuc

Petrus Schœffer. — *Ludouicus 10 Boiariæ dux.*

adhuc vulgò prædicantur. Natus est anno Christi 1417. sorore Alberti Cæsaris Burckhusij, ibiq; educatus sub duro atq; illiberali patre, vsque annum ætatis tricesimum, multa perpessus penuria vestium, pecuniæ, equorum, obsequentissimus tamen parenti fuit. Suadentibus amicis, vt clàm in Austriam ad Albertum Cæsarem auunculum suum discederet, Authorem vitæ meæ, inquit, non deseram, nec quoad mentis compos fuero, offendam. Hasta eminus, cominus gladio, saltando, disco, equitando se exercuit occultè. Venationi operam dare coactus est, ita parens ceruos adamabat. Vbi parenti accitis vniuersis Boiariæ antistitibus, iusta persoluit, rogationes eius de ceruis perlatas abrogat, sæpibus munire arua præcipit, canes villaticos, quibus huiuscemodi feræ abigantur, agricolis permittit. Ameliam Friderici Saxonis filiam vxorem duxit. ex qua Margaretham, matrem Palatinorum Rheni, coniugē Philippi Septemuiri, & Georgium, in quo progenies Landshutensium defecit, tulit.

Amelia Saxonis filia. Georgius dux Boiorum.

Vno die, nempe quarto Nonas Octobris, vna hora, quadraginta vrbibus, vicis, finibus suis, omnes Iudæos exegit, bona eorum infiscauit. Idem Ioannes Abusinus patriæ meæ tetrarches factitauit, vbi adhuc vicus, fons, synagoga Iudæorum, quæ nunc carcer est, & tumuli Iudæorum, sepultura eorundem nominantur. Sub idem tempus Fridericus tertius Romæ à Nicolao quinto inauguratus, Imperatoris prænomen, Cæsarisq; cognomen accepit, nuptias cum Leonora sponsa fecit, eam Augustam cognominauit. Ioannes tum Tulbeck Monachij Deiparæ Virginis parochus, vbi eius Mausoleum extat, albo pontificum Fruxinensium asscribitur. Laberbergij ad decimum infra Abusinam lapidem, propter Lauarum amnem subitò fons emanare cœpit. Ciues, agricolæ, equites, Ludouicus dux, statim aduolant, bibunt, lauantur, valetudinarij sanitatem recuperant. Fridericus de Blanckhensels pontifex Reginoburgensis Casparem Schenckium vicarium, Conradum Ansorgium theologum eò proficisci, fontem obstruere iubet, accedentibus religionis votiuę causa lauantibus, potantibus, sacris, publico decreto interdicit. Nec tamen insanam superstitionem vulgi leuissimi, cui vel Ludouicus Landshutensis patrocinabatur, prohibere potuit, quin, cum eiusdem anni messe iuges pluuiæ frumenta afflixissent, plebes magis superstitiosa, quam religiosa iram cœlestem ob violatum fontem interpretata est. Monetæ tum pondus imminuere Imperator, Sigismundus de Volckenstdorff archimysta Iuuauensis, & Leonardus de Laiming Bathauensis episcopus, septima pars lucrifacta, nigra moneta, vti vocant, in albam permutata est. In Boiaria quoque Ludouicus quintam partem argenti æri miscuit, asses, quos Schinderlingos nuncupabant, maximo pauperum detrimento percussit. In omnium rerum summa fertilitate, vilitateque annonæ, fame laboratum est.

Fames.

Nemo vinum, frumentum, panes, aliudùe hocce ære vendere voluit. Veteres nummi coëmpti erant à diuitibus, & seruabantur, vulgus promiscuum nouos duntaxat possidebat, & recipere cogebatur. Veteris monetæ asses tum centum atq; quinque pro drachma auri, qui nummus apud nos aureus, numerabantur. Placuit tandem ciuibus, in primis Monacensibus, inuitis principibus, sex nouos asses pro vno veteri permutari. Nec hoc quidem absq; damno pauperū fiebat, quinta parte defraudabantur. Boiemi tandem, qui apud Ludouicum merebant, coniecto huiusmodi ære, inspectante regulo, in ignem, idq; in militari stipendio recipere detrectantes, coëgere Ludouicum, vt nouam monetā aboleret, veterem feriret.

Boiemi Ludouicū cogunt nouam monetam abolere, & veterem ferire.

Eodem temporis tractu Cometa solstitio æstiuali visus, mentes mortalium perterruit, excidia, bella, clades futuras portendit.

Cometa.

Demum in Boiaria rubigo, cœleste frugū malum, nullo minus noxiū, siliginem exussit.

Rubigo in Boiaria.

Erucæ dirum animal vitæ, quæ erodunt frondem, & florē arborum, & depastam arborē turpi facie relinquunt. Romæ quintodecimo Cal. Octobris pons Tiberinus corruit aquis obruti interiere quingenti sexaginta homines, qui eò secularibus ludis, quos Nicolaus, contra decreta Constantiensis senatus aperuerat, confluxerant.

Pons Tiberinus Romæ corruit.

In oriente Ladislaus Poloniæ, Vngariæ rex, à Turcis cæsus est. Et pauco pòst tēpore Vlricus Celeiæ postremus dynasta, trucidatus. Ioannes atque eius filius Ladislaus Hunnoiani interiere. Ladislaus rex Vngariæ, & Boiemiæ, filius Alberti Cæsaris, amitinus Ludouici Landshutensis, Pragæ repentina morte, immaturo æuo raptus, est. Mox Vgri & Austriaci, Imperator & Albertus fratres, ciuilibus armis digladiantur. Boiemi de suo corpore regē creant. Is filiam suam Georgio filio Ludouico Landshutensis despondet, atq; Imperium vtrunq; Romanum, & Orientale affectauit. Legi de hac re consilium Martini Marij iureconsulti, & magistri epistolarum Ludouici Landshutensis.

Georgius rex Boiemiæ. Doctor Martinus Marius Cācellarius.

Ad hunc quoq; de eadem re extat epistola Pauli secundi Pont. Max. Landshutensisq; auxilio Boiemorum Werdeam vrbē Sueuiæ, quæ hactenus Boijs paruerat & ab Ludouico Angilostadiensi ad Imp. Sigismundum defecerat, Idibus Octobris obsidet: Postridie ciues deditionem faciunt. Ludouicus eam annum, atq; menses nouē possedit. Fridericus inter hæc Reginoburgensis pontifex mortem obijt.

Fridericus episcopus Ratisp. moritur.

Mystæ Hainricum Abusobergensem pontificē allegunt. Episcopus Romanus precibus Boiorum indulgens, Rupertum filium Ottonis Mospachi reguli Boiorum Ioannes sorore Ludouici Landshutensis genitum, ouili Reginoburgensi imponit. Per idem tempus Hainricus Vendius quæstor Strubingensis repetundarum apud Annam vxorem

Alberti

Alberti Monacensis satis imperiosam (marito pedibus ægro) mulierem postulatur, à nobilitate in vincula conijcitur. Cùm insons esset, seque purgasset opera Ioannis Abulini,& Petri antistitis Roræ liberatur ea lege, ne vsquam Boiariæ finibus pedem referret. Annaq; à fastigio rerum descẽdere iussa, perquàm molestè id tulit: clam cum supellectile aufugere molita est, sed amicis arbitris in gratiam cum coniuge redit. Qui eo tempore Hailigenbergij abdicatis mystis, contubernium, ædemque construxit, D. Benedicti consecraneis (Nicolao Cusano,amicorum primario,flamine Romano episcopo Brixinensi summopere dissuadente, atque ociosis monachorum gregibus, Boiariæ plebem, satis superque velut escam exedi, atque deuorari caussante) tradidit. In paucisque posteà diebus podagricus ex hac vita migrat. Calendas Martias anno orbe ab inferis vindicato 1460. Hailigenbergij sepelitur pacis amantissimus fuit,musica, aucupijs se oblectauit. Clementia, ciuilitate, modestia, tranquillitate animi adeò celebris, vt pius cognominatus sit, nec ab literis abhorruit. Quàm familiarissimè Nicolai Cusæ (vt qui filio illius Alberto, parenti heroum nostrorum,tum in Italia, & Romæ literis studenti, opus de globo dedicauit) consuetudine vsus est tres filias Barbaram virginem sacratam,Margaretham Friderici Mantuani, Elisabetham Ernesti Saxonici coniugem, item filios quinque Ioannem,Sigismundum, Christophorum, Wolffgangum, patruos clarissimorum principum nostrorum, horum parentem Albertum IIII. cum vxore superstites reliquit. Atq; Alberti IIII. vitam, & egregia facinora, item ea quæ sub ipso deinde prole eius gesta sunt, quæ ego maximè memorabilia existimo proprio operi dicare decreui. Quanquam sciam, nos recentium incuriosos esse, veteraque tantum admirari, & naturaliter audita visis laudare libentius. Nempe præsentia inuidia, obtrectatione, præterita veneratione prosequimur, quòd his nos instrui, illis obrui credimus. Et sicuti Aristoteles tantus philosophus, & Alexandri regum maximi præceptor docet, admodum nouis, quæ adhuc quasi sentimus, cùm audimus minimè oblectari solemus. Ego tamen nunquam ab officio pietateq; deterrebor, quo minus ea, quæ facere constitui,exequi pergam,si quidem per fata licebit, & Deus Opt. Max. vitæ spacium tantisper dederit. Atque ego vsus consilio Horatij, Quintilianique, ne editio præcipitetur, decimumque prematur in annum, opus inchoatum, diligentius repetitum, tanquam lector perpendero, atque arbiter honorarius dijudicaro. Volumen hoc voto cœpimus, bene precemur,ad calcem venimus, totum opus voto finiamus Christe potens rerum, inferûm, superûm, hominumque immortalis Imperator, te publica voce obtestor, obsecro, principes nostros, quorum ceruices Boiariam sustinent, custodi, protege, serua. Non solum reuirescat, sed etiam floreat Respublica, illisq; longissimè fato functis, excipiat Boiariæ imperium eorum vtinam perpetua, certè diuturna posteritas.

FINIS.

INDEX
RERVM ET VERBORVM
IN IOANNIS AVENTINI ANNALIVM BOIORVM LIBROS,

Priore numero paginam, posteriore lineam denotante:

Reuisus studio M. DANIELIS BRVNNII, Historiarum Studiosi, & Poëtæ Cæsarei.

A

ABABA Maximini Cæsaris mater 94.46
Abaria 1.19
Abares, Boiis conterminí 150.55
Abdiramus rex Scenitarum 166.50
Abdella Saracenus à fratre regno pulsus 199.28
Abia quandiu regnarit 65
Abies Asouini 425.37
Abraamus Auarorum princeps 207.20
Abraamus voti compos, lustralibus aquis expiatur 207.24
Abramus quando natus 11.1. in Palæstina habitârit 11.61
Abrodita Francorum socij 210.54
Abudiacum episcopo Bābergensi datur ab Heinrico 311.17. vbi Heinrici Imp. incunabula 56.43
Abulazarus rex Saracenorū 226.9
Abusina Auentini patria 58.33
Accia Iulij neptis 40.60
Achaia 52.12
Achaiæ diluuium 12.34
Achilleus totam Aegyptum occupat 104.44
acies inclinatæ iam, & labantes, à fœminis restitutæ 16.11
Adalaricus nimio luxu ægritudinē lethalem contrahit 153.59
Adalaricus quoto ætatis suæ anno perierit 153.60
Adalbero episcopus Würtziburgensis 337.7
Adalbero Charionum dux 329.44
Adalberonis episcopi mors 332.11
Adlfridus episcopus Hildesheimensis 258.12
Adalogisus Desiderij filius, Constantinopolim fugit, vbi consenuit 189.21
Adalgisus Dux Beneuentanus, Imperatori rebellat, & pacem emit 259.20
Adalgisus & Grilo occisi 191.33
Adalgisi in Imperatorem conspiratio 259.21
Adalogerio Ingerani nepos 15.26
Adalogeropagus præfectura 15.29
Adelhaidis in Italia regnat 331.58
Adelhaidis vxor Hainrici 4. altera 360.45
Adelramus episcopus Salzburgensis quando electus 226.22
Adeluini episcopi Reginoburgensis mors 224.18
Adiabene 53.42
Adolphius consul Romæ 139.2
Adolphus arma capit contra Albertum Cæsarem 451.61
Adolphus Cæsar occiditur 452.12
Adolphus cum Rudolpho Misniam petit 448.14
Adolphus der Pfaffen könig dictus 445.6
Adolphus flagitiorum accusatur 451.51
Adolphus mensæ regiæ præpositus 192.36
Adolrami Boiorum archiflaminis obitus 235.45
Adonidis cultus Hierosolymæ 83.45
adorare 203.6
adorandi mos varius 203.12
adorandi morem Romani pontifices pertinacissimè æmulantur 105.49
adulterij pœna sub Tuiscone 10.11
Adrana fluuius 190.48
Aduatici qui 31.8
Aduentitij oratio 257.45
Adulas sedecimus Tuisconis comes 9.7. & 44.50
Aeblus & Asinarius in Hispaniam progredientes capiuntur 228.14
Aedes D. Mariæ Ingolstadij 509.50
Aedificia publica Caroli magni 218.4
Aegydij ducis Romani mors 136.33
Aegyptus à Saracenis occupata 52.47
Aegyptus, Cereris horreum Romani populi in sex prouincias distributa 52.34
Aegydura fluuius 212.39
Aelius Donatus Hieronymi præceptor 116.3
Aelius Pertinax à Commodo legatus in Britanniam missus 89.48
Aelius Pertinax à quib. trucidatus 89.51
Aelius Pertinax Boiorum dux 86.58
Aelius Pertinax quādiu vixerit & regnârit 89.54
Aelij Pertinacis natiuitas & vitæ genus 89.44
Aemilianus à militibus suis interfectus 99.51
Aemilianus ab exercitu Imperator creatus 99.47
Aemilius Paulus Papinianus, à Caracalla securi percussus 91.12
Aeneas profugus in quam Italiæ partem venerit 39.33
Aeneas Syluius 39.42
Aeneæ regnum quandiu durarit 39.51
Aenotherus Gigas sub Carolo militauit 208.19
ætates sex mundi 64.53
ætatis nostræ flagitia 7.53
Aetius amissum honorem recuperat 128.50 perit 132.23
Aetius præfectus militiæ Gallicæ 130.48
Aetij expeditio in Francos 128.63
Afra martyr 107.56
Aetl monasterium in Boiaria 426.23
Agapetus pontifex maximus 154.21
Agathon archiepiscopus Orientalis 263.21
Agilmūdus regulus Quadorum 114
Agilulphus dux Taurinorum, rex Longobardorum creatus 155.45
Agmund monasterium in Styria 464.58
Agnes comitissa à Wasserburg 401.60
Agnes filia Alberti regis Vngariæ nubit 443.41
Agnes mater Cæsaris fit monialis 334.57
Agobertus Lugdunensis curiâ Pontificum motus 235.34
agri de hostibus capti militib. donati 48.5
Agrippa vltimus Iudæorū rex 82.14

Agrippina Claudij coniux, Neronis mater 71.23. eius interitus 72.11
Agrippinæ Coloniæ recuperatio 112.30
Agrippinensis Colonia 34.56
Aguntum vrbs 159.36
Aichstadium vrbs episcopalis 173.14
Alagisus voti non compos pœnas dat 163.14
Alanus solus regno potitur 254.34
Alani à Gothis domiti 127.60
Alarici interitus 125.60
Alba longa 39.41
Albaniæ oppida 53.20
Albana res quandiu steterit 39.51
Albanus X. Tuisconis comes 8.59
Albanus episcopus vrbe exactus Moguntiacâ 126.30
Albericus Hugonis priuignus Romã occupat 295.46
Albertus à Vvelphone veniam petit 381.26
Albertus Austriacus pacẽ facit 492.58. moritur 488.50
Albertus Baro ab Halß comes creatur 442.12
Albertus Beham decanus Bathauensis 412.50. capitur 415.40
Albertus Boius ad regnum Bohemiæ vocatus, non recipitur 509.6
Albertus Bathauus cælebs vitâ excedit 495.26
Albertus Brandenburgẽsis marchio dux Prussiæ 279.13
Albertus Cæsar interficitur 456.20
Albertus Cæsar resignatur 451.56
Albertus Comes ab Hargerloch occiditur 451.31
Albertus dux Austriæ 442.62
Albertus dux Austriæ cognomento sapiens, quatuor celebres familias in Austriam deduxit 443.35
Albertus Austriacus moritur 508.60
Albertus episc. Reginoburgẽsis 423.57
Albertus Ethruriæ princeps 285.4
Albertus & Otto fratres, comites Tyroly 443.52
Albertus & Rudolphus ab Habsburg 413.21
Albertus de Rechberg 508.24
Albertus filius Berengary II. 305.9
Albertus filius Ludou. quarti 487.30
Albertus in Regem Romanum eligitur secunda vice 452.36
Albertus Landspergam recipit 511.10
Albertus Landshutensis bellum indicit 508.8
Albertus Magnus vir vndequaq; doctissimus 431.30. eius obitus 431.55
Albertus marchio Austriæ moritur 331.4
Albertus Pitogeus episcopatu deponitur 431.26
Albertus Rindmaul vir militaris 468.25
Albertus tertius dux Boiorũ 490.7
Albertus secundus Imperator 508.62
Albertus vltimus comes de Bogen 425. eius mors 404.30
Alberti comitis Bambergensis decollatio 288.6
Alberti Boiemi proscriptio 421.50
Albinus Carolum interficit 262.8
Cl. Albinus Imperator 96.7
Albini Saxonis rhetorica & dialectica 220.28
Albis fluminũ Germaniæ maximus 103.55
Alcibatra 32.39
Alemannia vnde dicta 101.23
Alemannus Hercules conditor Boiorum 4.26
Alemannus præses Eberspergensis 323.14
Alemanni, ne pons strueretur à Cæsare, prohibere conati sunt frustra 114.56. Rhetias vastant 111.47
Alemanni qui 13.32. & 184.30
Alemanus fluuius 2.25
Alexander magnus paruâ manu vniuersum terrarum orbem aggreditur 22.36. Imperij Græcorum auctor 22.33
Alexandri magni ara 25.40
Alexandri magni præceptor Aristoteles 22.33
Alexandri magni legatio ad Germanos 25.19
Alexandri magni mores 22.51
Alexãdri magni regni diuisio 22.61
Alexander quartus Pontifex maximus 431.25
Alexander Seuerus bonorũ principũ ritus carmine complectitur 92.35
Alexander Seuerus Imperium cum Augusti nomine à senatu accipit 92.29. quandiu regnarit 94.14. quorum consuetudine fit vsus 92.51. quos conuiuio adhibuerit 92.42
Alexandri Seueri bellũ contra Germanos 93.55
Alexãdri Seueri de Artaxerxe rege victoria & triumphus 94.1
Alexandri Seueri imperium anamaton 92.51
studia erga literatos ibid.38
virtutes ibid.60
iustitia ibid.59. & 93.39
interitus 93
Alexandri pont. max. Turonis edicta statuta 391.55
Alexandria in ripa Tanais condita 25.43
Alirunarum amictus 15.62. vaticinia 16.4
Allerspach cœnobium 15.34
Alliensis conflictus 24.7
Almostain pagus 4.31
Almus mons vitibus consitus 51.41
Alpes Boiæ 2.55
alpes Cottiæ vnde dictæ 51.13
alpes Penninæ 2.55
alpium vrbes 2.37
Alphonsus rex Neapolim occupat 507.27
Alphonsus rex Hispaniæ fit Cæsar 430.1
Alsa amnis 110.18
Altaichium 147.26
Altaichij restauratio 337.22
Altobriga maior & minor 56.20
Alzæ oppidum Rudolphi Palatini Albertus obsidet 451.44
Amadocus mons 14.17
Amalaricus regnum patris recipit 144.53
Amalaricus Treuerorum Archiflamen 215.9
Amalia Saxonis filia 513.10
Amalouinda 153.46
Amãtius Anastasij Eunuchus 149.8
Amaromarmulus Persarum rex 204.10
Amazones vnde dictæ 16.6. in Asiã irruunt 18.51
Amberrana vallis 426.39
ambiguitas cur imperitis facile imponat 14.60
Amborici Boij fuga 26.38
D. Ambrosius ad Maximum legatus 120.48
Ambrosius Bergomi præses suspenditur 282.42
Ambro flumen 59.53
Amelsinus Euilmerodachus parentis sui successor 21.17. quo regni anno decesserit 21.24
Ammianus Marcellinus Historiographus 111.7
Amphing vicus celebris quando factus 467.9
Amulius Procæ filius 39.39
Anacletus & Innocentius de Pontificatu certant 381.55
Anastasius fulmine tactus perit 141.29
Anastasius monachus ambitus condemnatus 255.54
Anastasius Romanorum Imperator 141.28
Anastasij legatorum ad Boios oratio 148.17
Anaxagoræ de Cometis opinio 236.29
Andragatij ducis interitus 121.47
Andreas rex Apuliæ necatur 482.17
Andreas rex Vngrorum 407.40. pacem postulat 338.3

An-

Andreas rex in prælio occumbit 333.25
Andreas rex Vngariæ quãdo electus 324.45
D. Andreas vbi mortuus 52.13
Angelbertus episc. Fruxinẽsis 311.36
Angelbertus Vidonis filius 283.22
Angeldruda Augusta 259.33
Angelpyrga Augusta 260.38
Angelscalcus & Vvilhelmus duces limitis Pannonici 251.12. dignitati restituuntur ibid.45
Angelorum lapsus 4.54
Anger monasterium monialium zu München im Thal 475.9. & 495.53
Angisus a Venedis occisus 163.53
Angisus Brabantino ducatu a rege donatur 161.57
Angli superati 505.8. gentes Saxonum 135.18
Anianus episcopus Aurelianensis 131.13
Aniani mors 149.48
animæ humanæ officia 152.23
Annæ Augustæ mors 439.37
Annæ Laminitæ Augustanæ præstigia 249.39
Annius Florianus frater Taciti, imperio arrepto interficitur 103.12
Annius Tacitus Imperator ex ordine Senatorio lectus 103.4
Anno Archiepiscopus 334.21
Annonis oratio 336.26
Annus iubileus 98.16
annos ad solis cursum quis primò redegerit 40.33
Anthemius fraude Richomari occisus 135.8
Anthemius Cæsar declaratur 134.34
Anthemij genus & propinquitas ib. 59
Anthropomorphitæ à Ioanne 22 põt. max. damnati 462.47
Antichristus donat diuitias 93.20. & 414.26
Antichristi imperium quando ceperit 420.40
Antidius Vesontiorũ pontifex 126.35
Antigoni munificentia erga Germanos 27.11
Antiochia 82.12. terræ motu penè deleta ibid.
Antiochiæ à Cilicia separatio 53.40
Antiochiæ primùm Christianorum nomen ortum 53.39
Antipodas esse contra Bonifacium, probauit Vergilius 172.56
M. Antoninus Philosophus vbi mortuus 37.7
Antoninus Pius ab Hadriano adoptatus 84.58
Antoninus Pius Dacos & Germanos virtutibus ad pacem & fœdus illexit 85.9
Antoninus Pius Numæ in omnibus comparatus 85.6
Antonini Pij erga omnes clementia 84.62
Antoninus vnde Pij cognomen sortitus 84.60
Antoninus sine sanguine imperauit 85.8
Antoninus Verus cõtra Parthos arma mouit 86.43
Antonini dictum 84.61. virtutes 85.62. pyramis 54.9
D. Antonius quo ætatis suæ anno obierit 85.24. & 116.2
Anus Monachij infantẽ Iudæis vendit 442.1
Aphricæ prouinciæ sex 52.20
Aphricam totam Romanis paruisse 49.41
Apis quid sit 13.57
Apollo Delphis auxilio venit 26.41
Apollinis fani conflagratio 116.62
templum apud Delphos 26.22
Apollonius ob religionem Christianam interemtus 89.32
Apollonius primus abbas ad D. Haimeranum 162.33
C. Appij interitus 29.3
Apsus amnis 58.34
Aqua lustrica veterum 147.26
Aquæ calidæ consecratio 249.7
Aquæ Sextiæ 31.47
Aquileia caput Venetiæ vastatur 132.6
Aquileia Iuliano militi portas clausit 115.60
Aquilij ducis interitus 32.10
Aquitania a Carolo crebris incursationibus infestata 186.33
Aquitania Galliarum pars quarta 173.44. quæ complectatur oppida 51.24
Aquitanorum incursatio 232.44
Arabes Scenitæ 159.63
Arar fluuius 208.56
Araris fluuius qui & Soana 33.46
Araricus Hyldebrãdi successor, quinto mense regnum cum vita finit 154.53
Aratrum à quo inuentum 12.30
Araxis amnis Armeniæ 6.19
Arbetius magister equitum 111.54
Arbogastus Germaniæ cohortis præfectus 122.7. vindictæ cupidus, Imperatorem contra Francos incitat 122.17. sibi gladio mortem consciscit ibid. 55
Arbogasti in Valentinianum conspiratio 122.26
Arbogasti simultas in Franciæ regulos ibid. 36
Arca Noæ in Gordæi montibus relicta 53.19
Arcadius Imp. moritur 127.1
Archimystæ Salisburgensis oratio 420.12
Arelas Treuirorum Augusta vastata 100.41
Arguntbes rex Gottborum 97.18
Aribo Luitpoldo substituitur in Austria 289.45
Aribo Palatinus Rheni, archiepiscopus Moguntinus 314.3
Ariobertus episcopus Frisingensis 169.8.
Ariodulphus rex Angliæ 210.32
Ariouistus dux Sueuiæ 314.11
Ariouistus rex Germaniæ 33.19
Ariouisti ad Cæsaris legatos responsio 34.20
Ariouisti fuga ibid.
Aristoteles ab Hainrico Brabantino versus 436.4
Aristoteles veritatis diligentissimus interpres 17.49. præceptor Alexandri Magni 22.33
Aristotelis de cometis opinio 236.33
arma Christianorum & maximè sacerdotum quæ 358.26
Armenia duplex 33.4
Armenia in prouinciæ formam a C. Augusto redacta 33.16
Armenia quibus regibus paruerit 33.12
Armeniæ à Saracenis vastatio 467.20
Armeniæ descriptio 33.2
Armeniæ maioris oppida 33.7
Armeniæ minoris oppida ibid.6
in Armeniæ montiũ verticibus Noë arcam recubuisse 6.17
Arminius Varianæ stragis author 43.53. Germaniæ liberator 44.4. & 67.62
Arnegistus magister militum occiditur 129.30
Arno pontifex Salisburgẽsis 178.44
Arnonis Boiorũ archiflaminis mors 226.22
Arnoldus Brixinensis in sacerdotes inuectus suspenditur 386.22
Arnulphus Carolomãni filius ex concubina 263.22
Arnulphus Charinorum dux ib.47
Arnulphus comes à Diessen 354.50
S. Arnulphus episcopus Mediomatricum 183.15
Arnulphus & Hermãnus Boiariam Hainrico eripiunt 302.27
Arnulphus & Vratislaus in Morauiam bellum mouent 281.24
Arnulphus filius Carolomãni 267.11
Arnulphus in Rudolphum bellum mouet 278.20

Arnulphus Italiam in ditionē suam cogit 282.48
Arnulphus Imp. paralysi afficitur & moritur 284.30 & 50
Arnulphus rursus Morauiam inuadit 282.7
Arnulphi ducis Boiorū mors 294.30
Arnulphi oratio 280.36
Arnulphi proscriptio 292.47
Arpaxat 22.5
Arrius Aper imperiū ambit & Numerianum dolo interficit 104.17
Arrius hæreticus 108.56
Arrbo fluuius 37.13
Arsenius episcopus pontificis Rom. legatus 252.46
Artabasus à M. Antonio occisus 33.15
Artabarzanes 22.29
Artaxerxes Cyri nepos. Græcis Cambyses 21.63
Artaxerxes Ochus quamdiu regnārit 22.24
Artaxerxes potentissimus Persarum rex quamdiu gubernacula tenuerit 22.23 & 93.50
Artenbergēses marchiones à Crainburg dicti 403.30
Artenbergium arx inferioris Vindeliciæ 427.41
artium liberalium doctores egregiè Carolus venerātus est 220.40
Artobriga minor Arnberg 55.20
Artobriga expugnatio 146.40
Aruandus præfectus Galliæ in exiliū relegatus 134.60
Aruerni soli Gothis resistūt 129.37
Aruns oppugnādæ Italiæ causa 19.30
Asa quamdiu regnārit 65.50
Ascanius Aeneæ filius patris successor 39.38
Ascibburgiū ab Vlysse cōditum 15.43
Asclepiodotus præfectus 105.30
Aspa à Cimbris vectigalis facta 15.61
Asia ab occidente tota à Romanis possessa 49.43 & 52.51. Imperio Romano subiecta 49.43
Asiæ minoris prouinciæ duodecim 53.7
Asia vniuersa prouincia Turcis seruiunt 53.53
Asiatica expeditio 408.34
Asinij Pollionis de Cæsaris commentariis opinio 14.31
Asonius abies 425.37
Asprenæ interitus 70.50
Assaradon quamdiu regnārit 20.33
assentatores perniciosissimum genus hominum 254.37
Assuerus Artaxerxes 22.18. quamdiu regnārit 22.23
Assyriæ regum duo genera 19.51
Assyriorum regnum 8.14
Assyriorum vbi initium 11.3
Astacum Bithyniæ vrbs 100.46
Athalaricus Gutbungorū rex 118.53
Athanaricus Gottorum rex 120.13
Athalia Ochoziæ mater omnem regiam prolem delere conata 65.30
Athanasius Alexandria pulsus quādiu apud Treuiros delituerit 115.62
Athenæ 52.11. captæ 100.51
Athesis ortus 45.1
Atholdus quā tempestate ad regulos Boiorum migrārit 161.18
Atteij interitus 70.7
Atteia 52.9
Attidius Cornelianus Syriæ administrator 86.40
Attila Germaniæ & Sarmatiæ rex 130.25
Attila metus orbis terrarum 131.6
Attila filij de imperio inter se diuidundo dimicantes, vitam cum regno amiserunt 136.45
Attila in Italiam expeditio 132.5
Attila interitus ibid.19
Attila fœdus cum Genserico Vandalorum rege ictum 130.26
Attila virtutes ibid.35
M. Attilius Glabrio cum Antiocho bellum gerit 29.59
auaricia ad fraudes ingeniosissima 193.62
auaro difficile est sibi temperare 237.13
Auarorum bellum octauo anno confectum 200.63
Auarorum natio ab imperio Francorum desciscit 194.47
Auarorum strages 196.34
Auaris bellum à Carolo M. indictum 195.22
Auenticum Heluetiorū caput 14.22
Auentici expugnatio 160.44
Auentinus collis 39.47
Auentini præceptor Conr. Celtes 1.46
Augia collegium 58.58. diues 212.50
Augusta capitur à Welphone 311.35
Augusta Rhetia Boiorum olim caput 232.30
Augusta splendidissima Rhetiæ colonia 2.61. quo loco condita 58.51
Augusta Tiberij, hodie Ratispona 146.5
Augustæ Vindelicorū euersio 149.47
Augustus annum ad pristinam rationem redegit 64.17
Augustus Fridericus 2. legatos ad Wenzeslaum Boemiæ regē mittit 417.22
Augustus orthographiæ neglector 63.9. quamdiu imperārit ibid.60
Augustus Heinricus 4. pater vicissim mandata defert filio 308.37
Augustæ qui apud veteres 41.13. & 92.20
Augustus quorum poetarū mecœnas 64.1
Augusti Cæsaris cum Germanis bellum 42.20. Augusti dicta 64.23 modestia ibid.26. mors ibid.36
Augusti Friderici secundi literæ ad principes 416.50
Augusti fratres, Constantini magni filij 110.2
Augustulus Imp. 135.2
Auidius Cassius legatus 85.10. rebellat 87.9
Auinionenses bulla 458.34
Auitus à Maioriano victus 133.63
Auitus Galliarum præfectus 129.58 Imp. 133.18
Aula principum 445.42
Aulicum famulitium mores & itinera 89.15
Auraria reperta apud Aquileiam 30.30
Aureatum infra Neoburgum, Nassenfeld 54.57
Aurelia ab Attila obsessa 131.19
Aurelianus Imp. contra Gotthos bellat 102.7. errore militum occisus 102.23
Aurelianus Vindelicorū dux 100.18
Aureliæ in Dacia 102.12
M. Aurelius Antoninus pius re & nomine philosophus 86.31
Aurelius Augustinus quando mortē obierit 128.44
M. Aurelius quando Vindelicis præfuerit 125.4
Aurelius Valerius Probus imp. Sirmio oriundus, Gallias à Germanis liberat 103.50
Aureoli Imp. mors 101.7
Aurisij monumentum 59.22
Aufidius Victorinus Boiorū dux 80.57
Ausonius poeta, Gratiani præceptor 120.29
Ausonij carmen 219.24. locus 118.48
Austria vnde dicta 118 & 155.58
Austriaci se dedunt 406.52
Austriacis bellum inducitur 406.35
Auxilia in acie legionibus adiuncta 47.52
Azalus decimus quartus Tuisconis comes 9.2
Azalburg oppidum 57.7
Azanarius episc. Traiecti Mosæ 131.1
Azo Ferrariæ marchio 373.30
Azo Gothus fugā elapsus Barcinonensium agros vastat 229.1

B

Babo comes ab Abensperg & Rot 312.20
Babaria 1.25. Babariæ vocabulum vbi saxo incisum ibid.20

Babo

Babo à Scheurn. 313.23 & 511.18
Babylonia Syriæ vltima prouincia. 53.46
Babylonia regnum. 8.13
Babylonica captiuitas. 19.40
Baptiarius Dux Aquitaniæ. 177.5
Baiodurum, Bathauia est. 58.17
Baioduri lapis vetus. 58.20
Balduinus Flandrensium comes. 311.6
Balduinus iunior Lotharingam vastat. 327.12
Balduinus vincitur. 326.11
Balearium insularum depopulatio. 199.57
Bambergenses Episcopum cum clero vrbe exigunt. 507.23
Barbara Imp. Sigismundi vxor.
Barbatio Dux. 112.43
Barbatio peditum præfectus 113.23
Barcozabas ab Hadriano occisus. 84.13
Barcozabas se Messiam mentitur. 83.57
D. Bartholomæus vbi obierit. 53.18
Barum castellum. 315.24
Basilea quæ & Basilia vnde nomen acceperit. 250.55
Basilea quando ad fœderatos defecerit. 216.53
Basilea terræmotu corruit. 488.40
Basiliense concilium
Basilina Iuliani mater. 116.36
Basternorum centum millia in Romano solo Probus Imp. collocat. 103.40
Bathauia insula Germ. reddita 77.27
Bathauiæ deuastatio 139.32
Bathauiã Otto Brim recipit 422.53
Battho Dux Pannoniæ 44.35
Bauaria distracta 397.50
Bauarus nomen barbarum 1.9
Bauari parentes 1.30
Beatrix Augusta moritur 467.29
Beatrix marchionissa 330.6
Beatrix vxor Ludouici Imp. Bauari 461.15
Bergaleni castelli expugnat. 322.30
Bela frater Andr. regis Vngariæ 333.9
Bela muneribus Stirios sibi conciliat 424.47
Bela Rex Vngariæ 384.35
Bela quartus Vgrorum Rex 427.5
Bela mors 336.7
Belaunorum oppidum vetustissimum 54.5
Belgæ à Germanis orti 18.10. & 34.44
Belgæ ad arma concurrunt 35.6
Belgæ in deditionem populi Romani redacti 35.37
Belgarum ortus 11.37
Belgicæ primæ & secundæ oppida 51.5
Belgius Germanorum Dux 25.50 & 27.20
Belisarius Romam capit 154.26
Bellum ciuile in Francia & Lotharingia 287.30
Bellum ciuile inter Ericum regem Danorum & Gutorinum 244.34
Bellum inter Carolum & Ludouicum 265.50
Bellum inter fratres Augustos, Constantini M. filios 110.12
quot in illo cæsi milites 110.56
Bellum inter Vratislaum & Cæsarem Henricum tertium, regem Boium 315.54
Bellum Iudaicum à Iosepho scriptum 72.17
Bellum Lindevviticum 227.9
Bellum parricidiale inter Dardanum & Iasium 15.14
Bellum Persicum 105.5
Bellum Saxonicum 2. grauissimum 195.44
Bellum Troianum 16.58
Belli certamen anceps 25.56
Belli ciuilis causa 35.45
Belli inter Austriacos & Boios causa 441.32
Belochus cum Arbacto regnum diuidit 19.54
Belus Iupiter filius Nimrothi 9.10
Benatus Iacus 328.58
Benedictus quintus Pontifex Max. 305.19
Benedictus octauus Pont. Maximus 311.20
Benedictus nonus Pontifex Maxim. 315.18
Benedictus Pont. Max. promus condus 324.28
Benedictus vndecimus Pont. Maxi. 455.24
Benedicti noni Pont. Max. ad quosdam Germaniæ Episc. epist. 305.57
Benmerodachus quamdiu Babyloniæ præfuerit 20.42
Berchtoldus Episc. Bathaniæ 428.41
Berchtoldus Episcop. Salzburgensis 446.58
Berchtoldus Franciscanus 423.51
Berchtoldus quartus comes ab Andechs 426.46
Berchtoldus à Zaringen Rudolphi Rheinfeldij gener 354.22
Berchtoldi Marescalli Franciæ interitus 160.21
Berchtrandus Cardinalis 467.53
Berengarius Arnulphi nepos 283.18
Berengar. comes à Sulzbach 337.17
Berengarius Dux Foro Iulij 275.24
Berengarius & Vuilla vxor captiui, Bambergam in exilium missi 305.8
Berengarius regno Italiæ potitur 285.2
Bereng. rursus Italia potitur 291.17
à Flammoberto occisus 293.39
Berg oppidum
D. Bernardus 381.50
Bernardus abbas 353.59
Bernardus abbas S. Galli 272.26
Bernardus Cardinalis 353.58
Bernardus de Anhalt fit Dux Saxoniæ 397.57
Bernardus de Praunbach Episcopus Bathauensis 447.31
Bernardus Dominicanus 460.3
Bernard episc. VVormatiensis 211.63
Bernardus Italiæ Rex 222.27
Bernardus Pipini filius 214.54. rebus suis diffidens se patruo dedit 224.56
Bernardus præfectus prætorio religione iureiurandi sese ab obiectis criminibus exoluit 232.19
Bernard. rex Italiæ obcæcatus monasterio includitur 225.1
Bernardi limitis Hispanici præsidis interitus 241.19
Bernardi regis mors 225.8
Bernardus Magdeburgius Archiepisc. belli ciuilis autor occisus 355.8
Berner Clausen 293.63. & 389.20
Bernried prope VVurmsee 302.63
Bernulphus & Machtunus cruci affixi suffocantur 321.22
Bero præfectus limitis Histriæ capitis supplicio condemnatur 225.60
Bertha Augusta Heinrici 4. moritur 360.42
Bertha comitissa de Castel 387.19
Bertha vxor Pipini 171.1
Bertha Caroli M. matris obitus 191.57
Berthmarus qui & Berthramus dynasta Sueuus 262.24
Berunum pagus 82.48
Bezelinus episcopus Hildesheimensis 334.49
Bizelini & VViderami Fuldensis præsulis concertatio 334.50
Bibilingen oppidum solo æquatum 341.61
Bithynia vnde dicta 8.50
Bithyniæ vrbes 53.10
Bizantij fertilitas 52.25
Bizo Abroditarum princeps 194.34
Bizo Abroditarum regulus à Saxonibus interceptus interficitur 198.36
Bleda Hunnorum Rex 129.28
Bacco Halberstatensis episc. 333.57
Boethij Seuerini locus 145.62
Boiaria afflicta 386.30
Boiaria cur Sunderge dicta 3.21
Boiaria in potestatem Francorum reddita 180.27. & 193.36
Boiaria Rosengart dicta
Boiaria superior 5.20
Boiaria vetus 2.15
Boiaria diuisio 2.15

Boiariæ diuisio in parochias 160.5
Boiaria grauis motus 232.26
Boiariæ superioris descriptio 3.19.& inferioris 3.45
Boiariæ inferioris fertilitas 3.52
Boiariæ inferioris in tres partes diuisio 162.6.& 475.52
Boiaria in quatuor partes diuisio 164.8
Boiariæ inter fratres diuisio 151.44
Boiariæ lacus 3.27
Boiariæ regnum quale olim fuerit & quàm diues 292.53
Boiariæ regni prolatatio 200.51
Boiariæ superioris arx 587.3
Boiariæ Pontifices 2.41. tetrarchiæ 2.44
Boiariæ tumultus 251.30
Boiariæ vastatio 409.8
Boiariæ pax redditur
in Boiaria trium hominum genera 4.2
de Boiariis doctorum sententia 1.44
Boius filius Herculis Alemanni 13.62
Boij ducis & Ottocari regis Boiemiæ fœdus 435.60
Boij à Marcomannis suis sedibus expulsi in Italiam irruunt 19.6
Boij Auarorum regionē inter se partiuntur Anconam occupant 19.10
Boij auxilia sua venditare soliti 154.25
Boij cæduntur 29.16
Boij Cimbros ex Boiemia profligant 15.52
Boij cur in Italiam ingressi 19.27
Boij cur Norici dicantur 1.35
Boij cur pertinaciores 3.62
Boij & Sueui Boiemiam inuadunt 208.14
Boij ex Italia ad Noricos & Tauriscos migrant 30.9
Boij ferro, igne, quicquid hostium fuit, deuastant 226.6
Boij fœderati dicti 33.60
Boij fusi 33.53
Boij in quo Italiæ tractu interierint 30.6
Boij quamdiu in Italia 30.14
Boij simplex & religiosus populus 3.60
Boij sub Tarquinio Prisco noti 17.34 vectigalibus onerati 453.23
Boiorum primus cōditor quis fuerit 13.28.& 14.34
Boiorum clades 50.22
Boiorum coloniarum deductio 30.3
Boiorum cum Francis fœdus 143.62
Boiorum deditio 30.2
Boiorum deserta 36.53
Boiorū deserta rursus habitari cœpta 245.45
Boiorum & Romanorū pugna 28.31
Boiorum & Romanorum vltimum certamen 30.1
Boiorū ex Boiemia à Sueuis eiectio 14.42
Boiorum fuga 30.1
Boiorum gentis origo 4.25
Boiorum Græcium 1.37
Boiorum in Germaniam magnā traductio 36.27
Boiorum in Italiam irruptio 33.40
Boiorum in Italia vrbes 30.20
Boiorū noui principis oratio 179.24
Boiorum prima sedes 14.37.& 30.12
Boiorum regni magnitudo 223.22
Boiemorum Rex VVenceslaus Cæsari Augusto Rudolpho obsides dat 417.51
Boiorum Rex pacem ab Vgris emit 290.43
Boiorum sedes apud Heduos 33.56
Boiorum sedes Hodierna 14.45
Boiorum sedes prima in Italia 19.11
Boiorum strages 29.43
Boiorum tria genera 36.47
Boiodurum Vindelicorum 14.52.& 94.23
Boiis Germanicū nomen magis adfine quàm Bauaris 2.6
Boiemia à Cæsarean. vastatur 316.50
Boiemia, Boiorum domus 1.20.& 14.40
Boiemiæ situs 316.4
Boiemus & Boius ad comitia citati non comparent 437.47
Boiemi aliorū auxilio finitimas regiones cædib. & flammā complēt 501.23
Boiemi cæduntur 316.41
Boiemi Christiani fiunt 241.46
Boiemi, gens belli prædæq; auida 243.2
Boiemi Ludouicum coegerunt nouā monetam abolere & veterē ferire 513.39
Boleslaus rex Boiemorum 297.26
Bolus rex Cimbrorum Scaurum occidit 31.23
D. Bonifacius Archiepisc. Moguntinus fit 171.33
Bonifacius Corsicæ præfectus 229.37
D. Bonifacius in Germaniā proficiscitur 163.1
Bonifacius Italiæ princeps occiditur 327.57
Bonifacius Thrax Italiam petit & AEtium ex aula perturbat 128.48 moritur 128.49
Bonifacius Pont. Maximus 496.2
Bononia Boiorum caput 19.15
Bonorum possessiones in Boiaria triplices 457.45
Bonosus à Probo Imp. superatus laqueo vitam finit 102.48
Bonosus Dux bibacissimus 102.48
Bonosus imperium arripit 102.47
Bonosum cur in honore Aurelianus Imp. habuerit 102.42
Boerobista Arionisti successor 36.14
Boerobista Iulium Cæsarē armis lacessere ausus 36.22
Borbonij ex Boiis 34.9
Borna Dux Dalmatiæ vires hostium paulatim carpit 225.36
Bornæ Dalmatiæ legati obitus 326.28
Boruthbo Dux Venedus 161.43
Borysthenes fluuius. 11.58
Boso rex Galliæ creatur 264.25
Bosonis fuga 270.14
Bosphorana prouincia 53.9
Branda Castillionaus legatus apostolicus 502.27
Brigetio oppidum 114.11
Brēnus quamdiu cum Romanis bellum gesserit 19.17
Brennus quas vrbes Italiæ condiderit 19.18
Brennus vbi sepultus 16.32
Brenni Sueui in Macedoniam irruptio 26.2
Brenni interitus 26.55
Brenni nominis vestigium 54.13
Brenni reguli ad Dionysium legatio 23.34
Brennenburg à Brenno 16.32
Brigantium oppidum 44.46
Brisaci deditio 297.24
Britannia vastatur à Scotis 115.24
Britannia liberatio 127.62
Britanniam Rupertus bellicosus obtinet 247.48
Britanniam triplici exercitu Ludouicus Pius Imp. inuadit 228.2
Britanniarum regna 51.28
Britanni Anglos sibi auxilio accersunt 135.19
Britanni in Galliā nauigant 135.24
Britanni tributarij Caroli Magnō 192.32
Britannicus à fratre suo veneno sublatus 72.39
Britones fœdera rumpunt 235.62
Brobetomagi vrbis occupatio 112.26
Brumales ferias Hainricus 6. Imp. Haganoiæ celebrat 469.2
Brundunt monumenta 63.2
Brunhylda & Sigebert. viui in Lutharij potestatē deueniunt 161.10
Brunhylda regno expulsa 160.18
Brunhylda Sigebertum regem suum salutat 160.59
Brunhyldæ interitus 161.18
Bruno Conradi Carinthiæ Ducis filius fit episcopus 314.61
Bruno Episcopus Augustæ moritur 314.17

Bruno

Bruno & Otto occisi cadunt 332.4
Bruno [illegible] Angrinariorū [illegible] Carolo dedit 189 36
Bruno [illegible] Saxoniæ 269.28
Bruno Tullensis episcopus 325.57
Brunonis in Psalterium commentarius 323.13
Brunsuicensium ducū origo 404.20
Bryno Morauorum regulus 229.45
Bryno veniam a Ludouico rege impetrat 237.4
Brynnonis interitus 251.33
Brynnonis reguli vrbes 229.49
Budæ interitus 317.43
Bubienum Marobodū dicitur, quæ est Praga 41 41
Bulco Polonus 450.27
Bulgari religionem Christianā recipiunt 253.22
Bulgari Pannoniam vastant 160.10
Bultzko rex Vgrorum 303.30 captus 304.13
Bundschuch vnde 129.7
Burcardus comes ab Helfenstein 302 53
Burcardus de Rorbach 511.15
Burcardus episcopus Halberstadensis occiditur 300.41
Burggrauius Norinbergensis 445.1
Burckhusij monumenta 03.2
Burdegala Ausonij poetæ patria 51.25
Burgundia victa a Rudolpho Imp. 439.62
Burgundiæ regni duratio 278.30
Bylacbus fluuius 194.62
Byzantium a Germanis occupatum 27.33.
Byzantij expugnatio 405.4

C

Cabillo Burgundiæ vrbs 111.35 & 160.55
Cabillonis vrbis expugnatio 100.41
Cacanus Hunnorum rex 156.8
Cæcilij Plinij de Christianis testimonium 82.2
Cæsar Ludouicus pius ad filium Lotharium legatos mittit 231.44
Cæsar Heinricus quartus ad pontificem pergit, vt pacem cum eo ineat 353.24
Cæsar Heinricus Boiorum intrat 354.33
Cæsar Constantius ciuitates à Germanis excisas reparat 114.50
Cæsar cur à Deo constitutus 342.26
Cæsar Heinricus expeditionem naualem indicit 324.14
Cæsar Heinricus fines Burgundiæ adit 322.2
Cæsar Iulius Germanorum animos sibi conciliat 35.30
Cæsar Rudolphus in Boiemiam exercitum ducit 455.30
Cæsar Heinricus in Boiariam occidentalem redit 319.7
Cæsar Heinricus in periculo versatur 321.3
Cæsar Heinricus in Saxoniam contendit 343.37
Cæsar Heinricus in Sueuiam reuertitur 319 34
Cæsar Heinricus quartus Italiā intrat 361.2
Cæsar Heinricus pacem confirmat cum Vgris 344.16
Cæsar Iulius. Rhenum cum copijs transit 35.30
Cæsar Heinricus quintus Romam venit 375.63
Cæsar Adolphus Rudolphum Palatinum ad se vocat 454.51
Cæsar Heinricus quintus Spiræ iusta parenti facit 376.42
Cæsar Sigismundus Straubingam venit 506.34 Reginoburgium recipit 477.2
Cæsar Heinricus Vngariam inuadit 319.21
Cæsar Heinricus vxorem recipit 342.31
Cæsaris Heinrici quarti ad filium litera 308.24
Cæsaris consecratio 376.26
Cæsaris Heinrici septimi consecratores 459.39
Cæsaris de Germanis dictum 35.19
Cæsaris Heinrici quinti Hostes submerguntur 376.16
Iul. Cæsaris legatio ad Arioustum 34.17
Iul. Cæsaris legatio ad Germanos 35.26
Cæsaris nomen 40.18 & 92.20
Cæsaris Heinrici quinti rescriptum 375.10
Cæsares qui apud veteres 92.23
Cæsarea Kesing 55.36
Cæsarea supellex Romæ venditur 87.33
Cæsareani cæsi & in Mosa submersi 368.11
Calatini arcis vestigium 54.40
Calcographica ars à quo inuenta 512.50
Caligula à Germanis pacem pecunia emit 70.2
Caligula vnde nomē sortitus 69.34
Caligulæ eloquentia 70.10
Caligula à suis occisus 70.3
Caligula generis humani fax 69 39
Caligula quamdiu rerum potitus 70.3
Caligula turpi fugâ Romam redit 69.60
Calistus pontif. Max. 377.33
Calphurnius Agricola debellator Britannorum 86.55
Cambus fluuius 196.7
Camillus Senones cadit & Romam liberat 24.39
Campodunense Rhetorum monasterium 326.32
Camentium vnde dictum & quid ibidem contigerit 248.30
Canabaudes dux Gotthorum 102.5
Cantzaucus Auarorū regulus 214.17
Cannæ Romanâ clade nobiles 50.2
Canonici D. Mauritij Augustæ 309.61.
Canum prodigium 267.34
Capanus rex baptizatur & Theodorus dictus 205.15
Capella S. Mariæ & D. Nicolao cōsecrata 424.12
Capitolium Veneri caluæ consecratum 24.36
Capitolij obsessio 24.35
Cappadocia prouincia & eiusdem vrbes 52.15
Captiuorum dimissio 502.39
Capuanorum debellatio 259.16
Caracalla Bassianus vnde dictus 91.7. Seueri filius. 8. fratrē suum interimit 91.9. Germanos sibi conciliat 91.20. Iuliam nouercam vxorem duxit & parricidio incestum iunxit 91.15. mirificè à Germanis diligitur 91.24. Parthos fraude vincit 91.26. quo imperij sui anno occisus 91.31
Caracalla interitus 91.28
Carausius factionis rusticorum caput 104.44
Cardinalium ingeniū quale 481.28
Caria 53.1
Carlsburg superioris Boiariæ arx 171.3
Carmelitæ Ratisbonâ Strubingam migrant 490.11
Carnoburgium arx 58.61
Carnorum lingua 734
Carnuntum vrbs 37.6
Carolij qui 322.14
Carolomannus à pietate regnū auspicatur 170.3. fit monachus 173.20
Carolomannus filius Caroli Magni a pontifice Romano sacro lauacro abluitur, & Pipinus vocatur 191.3
Carolom. apoplexia tactus 267.37
Carolomannus de hostili patris animo fit certior 251.63
Carolom. in Italiam venit 266.48
Carolom. luminibus orbatur 262.12
Carolomannus proditur 252.11
Carolomannus regis Boiorum filius arma in Morauos mouet 245.35
Carolomanni ad patrē & patruum legatio 252.32

Carolomanni edictum 170 6
Carolomanni regis Boiorum mors 269.45
Carolomanni victoria 253.32
Carolus Martellus à Rathobodo superatus in fugam vertitur 164.55
Carolus posthumus à Francis recipitur 284.24
Carolus Crassus amissa recuperat 248.23
Carolus Andegauensis ab Vrbano quarto præficitur Neapolitano regno 433.32
Carolus Martellus Aquitaniã absq; Marte recipit 166.12
Carolus Martellus Auini auxilio carcere liberatus, regium nomen recusat 104.42
Carolus Magnus Boios sibi coniungit 801.40
Carolus caluus rex Franciæ occidentalis 277 24
Carolus episcopus Mogontinensis 245.17
Carolus & Ludouicus fratris castra diripiunt 239 50
Carolus frater Lotharij se Regẽ vocat 308.7
Carolus quartus imperium contra morem maiorum sibi & filio emit 491.10
Carolus Crassus Imp. in Italia conuentus indicit 266.46
Carolus Martellus in fugam vertitur 164.55
Carolus posthumus in Galliam contendit 281.61
Carolus Ludouici F. insanit 261,46
Carolus Francus Lotharianum regnum inuadere meditatur 258.1
Carolus Max: eius nominis Quintus, Rom. Imperator 182.55
Carolus Magnus ad Pipinum amicos mittit 197.35
Carolus M. aduentus sui rationem reddit 202.5
Carolus M. Augustini libris delectatus 220.38
Carolus M. disciplinam militarem seuerius exercuit 215 55
Carolo M. diadema Cæsareũ imponitur 282.63
Caroli M. expeditio Hispan. 190.18
Carolus M. Fastradam filiam Rudolphi prin. ip Franconiæ vxorẽ ducit 191.58
Carolus M. fit Romanus patritius 188 44
Carolus M. Imperator & Augustus Romanorum salutatus 203.1
Carolus M. [illegible] bello moto in Saxones, eos sub potestatem suam redigit. 190.1
Carolus M. maior Alexandro magno 187.60
Carolus M. maximâ curâ liberos educauit 218.44
Carolus M. quæ dona Persarum regi miserit 209.41
Carolus M. quæ Francorum regno adiecerit 215 20
Carolus M. quamdiu cum Saxonib. fit belligeratus 206.40
Carolus M. quamdiu imperârit 215.12
Carolus M. quando & vbi natus 171.3
Carolus M. quando mortuus 221 56
Carolus M. quomodo Romæ exceptus 201.45
Carolus M. Romã inuitatus 200.25
Carolus M. Romã reuertitur 193.10
Carolus M. Saxones inuadit 189.33
Carolus M. Saxones magnâ strage adficit 190.3 & 191.47
Carolus M. quo loco natus 186.11
Carolus M. Westphalos cogit 189.45
Caroli M. amicitiam maximi reges ambiunt 215 45
Caroli M. Canonisatio 221.61
Caroli M. carmina 221.32
Caroli M. concilium Luppiæ 190.57
Caroli M. corporis habitus 219.33
Caroli M. diploma 188.46
Caroli M. donaria Romæ expensa 203.25
Caroli M. eloquentia & doctrina 220.22
Caroli M. expeditio in Rudegaudem 189.46
Caroli M. filius Carolus moritur 214.24
Caroli M. filius victor cum triumpho ad parentem reuertit 192.5
Caroli M. genealogia 372.60
Caroli M. Hospitalitas 218 60
Caroli M. mors euidentissimis ostẽtis præcognita 221.42
Caroli M. origo paterna & genealogia 182.9
Caroli M. potentia Desiderio suspecta 188.22
Caroli M. præceptor 186.22
Caroli M. prima prosapia. 148.6
Caroli M. sepulcrum 221.58
Caroli M. temperantia 219.1
Caroli M. terror 208.41
Caroli M. Valetudo prospera 219.38
Caroli M. Vestitus 219.42
Caroli M. Virtutes 187.50
Caroli M. Vxores 215.32.
Carolus Martellus vnde dictus 67.18
Caroli Martelli mors 164.55
Carolus minimus natu Ludouici Germaniæ rector, in Morauos inuadit 259.8
Carolus Morauici limitis præfectus Ludouico fidem dat 478.46
Carolus Crassus pacem ab Hostibus mercatur 243.49
Carolus Pipini frater more monachorum tonsus in Cœnobium conditur 245.57
Carolus posthumus nepos Caroli calui 276.53
Carolus Crassus profugus 266.20
Carolus pulcer rex Franciæ 463 6
Carolus quartus ducit vxorem filiam Rudolphi Palatini 487 30
Carolus quintus Romanorum Imperator 82.47
Carolus Galliæ rex inũgitur 257.56
Carolus rex Vngariæ 400 19
Carolus Crassus vincitur. 265.8
Carolus episc. Mogõtini obitus 252.18
Caroli Crassi filius orientale regnũ inuadit 265 24
Caroli filius Saxones inuadit 102 1
Caroli Andegauensis simulata fuga 435 5
Caroli Calui Imp. mors 276. 26 sepulcrum 27.
Caroli quarti aurea bulla 490 00 mors 490 53
Caroli regis nuptiæ cum Richilda 257.60
Car. Calui superba respõsio 264.36
inter Carolum & Pipinum ob limites discordiæ flãma excitata 241.17
Carthago à Genserico capta 129.25
Carthago Romani olim imperij pertinax æmula 52.25
Carus Aquilius quando floruerit 106.12
Caspar Torringer 502.41
Casparus Wintzerer antiquitatis admirator 103.20
Caspiæ porta 53.27
L. Cassius cum exercitu cæsus à Boijs 31.11
Castelli oppidi obsidio 113.19
Castitatis insigne exemplum in Rhombylda filiabus 159.18
Castinus a Vandalis fusus 128.42
Castini ducis exilium 128 35
Castrorum vestigia in Abusino agro 58.35
Castruccij & Galeacij obitus 475.14
Catharina Begutta Senensis 416.20
Catharina filia Cæsaris Rudolphi moritur 441.30
Catharina filia Rudolphi Imp Ottoni Boio nupta. 438 9
Catonalda a Vandalis Germania exturbatus 6[illegible].6
Caucasiæ portæ 5[illegible] 24
Causidicorũ perfidia nihil venalius 244.10

Ceadra-

Ceadragus Abroditarum princeps 226.52
Ceadragi principis aduentus suspectus 227.48
Cecius mons 194.54
Celeus rex Cimbrorum impigrè dimicans occubuit 32.28
Celtæ qui 17.50
Celtiberia 1.24
Celtiberi 31.1.
Centum cellarum vastatio 218.30
Cerealis Romanus dux 77.40
Chaia Auarorum rex 199.5
Chaldæi Babylonij 19.58
Chaos 384.1
Charinorum dux 268.47
Charinthiæ descriptio 392.50
Charus de cælo fulmine ictus perit 104.6
Charus fluuius 307.28
Charus Imper. prouincias Romanas liberat 104.8
Chari filij Cæsares designati 104.10
Chatti à Romanis oppressi 71.10
Chatti & Cherusci a Germ. fusi 67
Chencres Pharao rex Aegypti.13.45
Chauci Germaniam in errorem infestant 67.50 & 71.2
Chiltanus abbas Altai.hu 184.63
Chiliastarū de Christo opinio 407.39
Chimensis lacus maximus Noricorum 2.39
Chiniua rex Gottorum 99.21
Chitomarus Dux Venedorū 174.46
Christiana religio 73.56
Christiani à Iudæis enecati 84.1
Christiani à Lituanis trucidati 474.1
Christiani fiunt nō nascuntur 7.61
Christiani in publico apparentes luto lapidibusq; lacessiti 74.56
Christiani insontes quorum flagitiorum acculati 74.20
Christiani nomine 7.61
Christianū nomen inuisum 74.43
Christiano homine nihil ditt° 152.51
Christianorum insontium carnificina 74.60
Christianorum persecutiones 68.37 & 81.60
Christianorum sanguis, semen 73.55 & 75.12
Christianorum sors 73.61
Christierni regis Danorum epistola 7.23
Christus Messias 87.3
Christus potestatis & regni 66.61
Christus quando natus 64.42
Christus quando passus 68.31
Christi proprium nomē Iesus 66.62
Christum quâ ratione vnctum nominemus 67.4
Christophorus Boiorum dux vbi humatus 53.48
Christophorus Boius principatum ambit 511.8
Chrocus rex Germanorum 100.39
Chunegunda Maximiliani Cæsaris soror 249.52
Chunegūda Augusta von der Winsel 309.7
Chunegunda vxor Ottocari ei insultat 438.50
Chunila Bonosi vxor 102.50
Chuno dux Boiorum 330.44
Ciceronis loci deprauatio 16.35
Cilicia Asiæ minoris prouincia 53.8
Cimber id est Kempfer 16.29
Cimbri à canibus defensi 32.27
Cimbri à quo conditi 12.39
Cimbri Catulo traijciendi fluminis occasionem dant 32.1
Cimbri collectitia manus ex varijs Germaniæ nationibus 16.28
Cimbri donum quale Augusto miserint 41.43
Cimbri & Amazones quando Asiā armis intulerint 16.23
Cimbri fortissimi Germaniæ populi 12.42
Cimbri nouarū sedium auidi 15.50
Cimbri quos populos condiderint 15.59
Cimbri varijs nominibus dicti 16.27
Cimbrorum defectio 32.23
Cimbrorum nationes & lingua 7.19
Cimbrorum vxores fortiter pugnāt 32.26
Cimbrorum vxores milites 15.59
Cimbrica Chersonesus, nunc Dinomarcchia 12.40
Cimmerius Bosphorus 15.58
Cinctius mons 188.30
Cingetorix gener Induciomari 35.1
Cissa si vbinam Ligeri confundatur 235.19
Ciuilis Batauus Germanorum dux 77.6. & 40.
Ciuitates colligatæ 420.8
Ciuitates & loca à Boijs occupata 140.18
Ciuitates sceleratæ 48.36
Ciuitates Galliæ 185.59
Ciuitates Imperij in Saxonia 185.47
Ciuitates liberæ 48.37
Ciuitates quædam igne conflagrātur 392.44
Ciuitates stipendiariæ 48.35
Clara virgo elephantiasi obijt 511.4
Classis Gallicæ post 480.33
Classis Romanorum vbi 41.26
Claudius arma mouet in Gotthos 101.39
Claudius Caligulæ patruus 70.20
Claudius Galieno substituitur 101.9
Claudius Imperator omnium principum decus 101.32. Sirmij moritur 101.45
M. Claudij Cos. cum Boijs prælium 28.14
Claudiani de Germania locus 28.3
Claudiani locus 39.10. & 42.40. & 46.2. & 49.20. & 87.60. & 118.22 & 122.55 & 156.40
Claustra Veronensia 389.20
Clemens pontifex maximus moritur 435.43
Clemens tertius P.P. vrbe pellitur 362.38
Clemens quartus P.P. 433.47
Clemens quintus P.P. 455.36
Clemens sextus, P.P. iubileū quinquagesimo quoq; anno instituit 481.18
Clemens septimus pontifex maximus 490.47
Clementis secundi pontificis obitus 325.40
Clemētis quinti pontificis maximi mors 460.10
Clementia filia Rudolphi Imperatoris 437.45
Clementia prima Imperatorum dos 105.30
Clementia vxor Henrici Boiorum ducis repudiata 393.54
Clientularia bona 457.55
Clodius Albinus Britanniæ legatus 99.7
Clonia.um vrbs Galliæ 374.37
Clusij obsessio 23.46
Cocabas pseudomessias Christianos ad belli societatem hortatur 83.59
Cochelarius Danorum rex 147.63
Codanus sinus 7.20
Codanus sinus vnde nomen sortitus 8.45
Codex antiquus 225.43
Colapius fluuius 225.37
Colchorum insignia 53.21
Collegium D. Viti apud Frisingam 223.60
Colmannus fratrem regno expellit 376.44
Colonia 57.56
Coloniarum appellatio vnde 48.43
D. Columbanus à Brunhyld regno Theoderici exigitur 160.35
Columnæ molis ingentis 59.20
Columnæ titulus 91.36
Colūnæ marmoreæ inscriptio 60.13
Comagena 53.40
Combodunum 58.46
Comes à Wolffratshausen Henric. 380.53. ab Oettingen 445.1
Comites à Phalay. 427.10
Comitis Palatini officium 296.52
Comites à Dachau. 400.26.
à Sultzbach 402.1

Comites à Diessen domini historia 151.10. & 388.47.
Comites à Mansfeld 378.60
Comites ab Haigerloch 450.48
Comitum ab Abensperg genealogia 509.6
Comitum ab Andechs stirps vnde 426.46
Cometæ apparitiones 236.22. & 263.46 & 270.61.& 513.45
de Cometa Auctoris carmen 236.43
Cometa quid portendant 236.39
de Cometis variæ Philosophantium opiniones 236.29
Comitia Cæsarea Budissinæ 416.48
Comitia prouincialia Boiariæ 4.21
Comitatus à Bogen. 4.25
Comitatus Mortaniæ in Scotia 495.36
Comitatus Tyrolensis ad Austriacos deuenit 489.37
Commentaria Cæsaris qualia 14.30
Cõmentum callidum cuiusdã 86.48
A. Commodus Germanis nihil denegat 89.20
A. Commodus quamdiu regnarit 89.12
A. Commodi crudelitas 89.22
A. Commodi interitus 89.30
A Commodi percussores Pertinaci Imperium offerunt 89.50
A. Commodi nomen ex omnibus monumentis erasum 89.31
A. Commodi notatio 89.11
Concilium Augustæ Richissa 384.52
Concilium episcoporum in Italia 374.25
Concilium Mogontiacum indicitur 331.36
Concilium sacerdotum Althaimij 291.61
Cõcilium Salisburgij indictũ 210.19
Coniurati vno fere anno male pereunt 361.8
Coniuratores in Ludouicum pium Imp. capti 231.56
Coniuratio pontificia in Fridericum secundum Cæsarem 412.42
Coniuratorum Caroli M. suppliciũ 197.44
Coniurationis Caroli M. index quo præmio remuneratus 197.49
Conradus à patre Friderico 2. Cæsar designatur 410.49
Conradus à Peffenhausen episcopus Reginoburg. eligitur 450.44
Conradus ab Hohenfels insidiatur Conrado Cæsari 424.1
Cõradus comes ab Abensperg archiepiscopus Saluburgensis 376.5
Conrad. Beutinger I.C. & hist. 17.9
Conrad. Cæsar Landshutam venit 417.61
Conradinus Sueuus captus Neapolim ducitur 435.10
Cõrad. Celtes Auctini præcept. 1.46
Conradus de Abensperg, archiepiscopus Saluburgensis 510.25
Conradus de Lupburg, episcopus Reginoburgensis 450.18
Conradus de Meidenberg 486.28
Conradus de Wittelspach Iuuauensibus episcopus declaratur 396.61.
Conrad. dux Boiorũ dignitate motus 329.27. ducatu mouetur 328.38. exul moritur 330.44
Conradus dux de Zäringen 381.23
Conradus ab Haldenberg exul 450.3
Conradus episc. Aichstetensis quando electus 442.44
Conrad. episc. Saluburgensis 377.56
Conradus filius Imp. contra patrem Henricum quartũ rebellat 362.30
Conrad. Heinrici filius, Gisalæ maritus Cæsar declaratur 313.18
Conradus Heinrici tertij Imp. filius obijt 331.33
Conradus Iuvauensis obit 396.1
Conradus Meidenburgensis parochus, contra Wilhelmum Occemensem 453.22
Conradus primus Imperium à Francis ad Saxones transtulit. 291.49
Conradus rex Neapolitanus, qui & Conradinus securi percutitur 435.20
Conradus Imp. Reginoburgium capit 292.15
Conradus rex Mediolani 380.5
Cõrad. rex Siciliæ moritur 428.29
Conrad. Rom. Imperator, cognomento Salianus coronatur 314.3
Conrad. Rom. Imper. moritur. 388.60
Conradus Spirensis episcopus moritur 332.54
Conradus Teltzner episcopus Frixinensis 423.54
Conradus vltimus Sueuorum dux à Celtis interfectus 49.62
Conradi ad Italiã profectio 434.57
Conradi Charionum ducis obitus 332.37
Conradi Constantiensis pontificis mater vnde oriunda 58.41
Conradi vltimi Sueuorum ducis interitus 50.42
Consecratio ex quo nata 11.18
Consilia vera quæ corrumpãt 181.60
Conspiratio in Carolum M. 197.20.
Conspiratio in Italia 315.12
Conspiratio quorundam potentum in Ludouicum Cæsarem 467.40.
Conspirationis detectio 415.4
Cõstantinopolis Turciæ caput 51.59. dedicata à Constantino 108.55. obsessa 125.9
Constans Constantij filius à Gerontio præfecto interemptus 127.55
Constans in fuga comprehensus interficitur 110.29
Constans quamdiu imperarit 110.30
Constantinus & Stephanus in exilium pulsi 283.47
Constantinus Magnus Imp. quando designatus 107.47. mortuus in Bithynia 109.13
Constantinus Monomachus Imper. orientalis 328.59
Constantinus tyrannidis ... capite luit 127.54
Constantini Copronymi mors 158.10
Constantini fuga 110.57
Constantini interitus 110.18
Constantius à Germanis vado arcetur 111.38
Constantius archiflamen Laureacensis 123.5
Constantius Arrianæ hæreseos fautor 115.62
Constantius bellum indicit Germanis 104.58
Constantius Chlorus & Galerius Maximinianus Augusti appellati 104.50. & 106.46
Constantij Chlori liberalitas 106.52
Constantius febri acutissimâ correptus extinguitur 115.57
Constantius Gallias liberatas Romanis legibus reddidit 104.61
Constantius Germanos sibi stipendijs conciliat 106.58
Constantius inducias cum Persarũ rege init 56.115
Constantius patiens laborum 116.6
Constantius quamdiu regnarit 106.60
Constantius Valentiam petit 111.33
Constantij fuga 104.50
Constantij Tyranni mors 127.55
Constantij vita & regnum 115.58
Consuanctæ Floro Senones 54.3
Consules bini Romæ 39.58
Consules duodecim statuta Boiariæ faciunt 472.13
Conuentus ab Arnulpho apud Hengfeld agitur 281.22
Conuentus apud D. Genesiũ 302.12
Conuentus ecclesiasticus apud Vangiones 253.29
Conuentus ecclesiasticus Constantiæ 319.57
Conuentus ecclesiast. Venetijs 397
Conuentus Francofordiæ à Ludouico indictus 266.40
Conuentus Germanorum procerum 477.48.
Conuentus Goslariæ 347.39
Conuentus in Aquitania 252.41
Conuentus Reginoburgij 393.19

Conuentus optimatum in Consiein 4-9.52
Conuētus procerum Imperij cogitur 222.57
Conuentus Norinbergæ 445.15
Conuentus Wirtzeburgij 394.61
Cœlesyriæ vrbes 53.44
Cœsiq Flori auaritia 72.7
Corbinianus Fruximensis pastor declaratur 164.15
Corbinianus Grimoldum increpat 165.40.
D. Corbinian⁹ ubi diē obierit 166.25
Corbiniani fuga 165 42
Corytus Herculis Lybij nepos 15.13. obit 15.14
Cornelia Salonina vxor Gallieni, Sueua fuit nomine Bibera 100.32
P. Cornelius Nasica prosperè cum exercitu pugnat 29.62
Cornelius Licinius Valerianus, Boiorum dux 98.3
Cornelius Tacitus Augustæ historiæ scriptor 103.8. diligentissimus Germaniæ gentiū scriptor 189.58
Cornelij Taciti historiæ sæpè descriptæ sed mutilatæ 103 11
Cornelij Taciti locus 41.29
Corsicam Mauri inuadunt 208.30
Corsicā Sarac. depopulantur 212.4
Cosroes rex Persarum 159.55
Cracouia Sarmatarū caput 209.17
Cracouiæ concrematio 419.12
Creatio hominis 5.22
Crescens ubi docuerit 88.57
Crescentius Brunonem pontificem maximum facit 310.7
Creta insula 52 18
Crispus Constantini filius 108.58
Cristofirus vlt. Noricorū rex 45.7
Crotilyldis Ludouici regis vxoris pietas 143 46
Cucullæ vetustissima Romanorum colonia 153.10
Cusal Vgrorum rex 286.43
Cusal interficitur 287.26
D. Cyprianus Carthaginensis episcopus 100.9
Cypriani ingenium 100.10
Cyprianus magus 5.18
Cypriani præceptor Tertullianus 100.12
Cyrenaicæ prouinciæ oppida 52.43
Cyrus bellum Scythis infert 21.41
Cyrus & Darius regni Persarum authores 21.26
Cyrus solus quādiu regnârit 21.59
Cyri strategema 21.44
Cyri mors 21.55

D

DAchau arx superioris Boiariæ 4[illegible]
Dachulfus marchio Misniæ 243.10
Dacia à Gepidis occupata 102.10
Dacia ripensis 51.48
Dacia hodie Sibenbürg 81 37
Dacus qui & Danus secundus nominatis Germaniæ princeps 8.36
Dæmones 4 52
Dæmonum lapsus 4.54
de Dæmonum præstigijs quis præclarè scripserit 5.17
Dagobertus à Pipino rex creatus 164.27
Dagobertus Lutharij regis filius 161 31
Dagoberti filij Francorum imperium partiuntur 161.49
Dagoberti regis mors 161 48
Dalmata octauus Tuisconis comes 8 57
Dalmatæ quondam Boiorum præfectus subiecti 8.58
Dalmatiæ urbes 5.51
Dalmatius Cæsar 110.7
Damasus secun. Pontif. max. 325 43
Damiata 407.45
Dani Landolphiam occupant 280. 20. Mosam superant 280.6. 211 24
Danorum ciuile bellum 244.34
Danorum incursio in regnum occidentale 270 22
Danorum regio qualis 267.34
Daniel sacerdos mutato nomine Hylpericus nuncupatur 164 39
Dantes Aligerius à bonis literis celebratur 468.49
Danubius & Rhenus extrema Rom. Imperij margo 49.19
Danubius vetus 481.51
Dardania à quo condita 15.16
Dardanus profugus 15.15. quamdiu regnârit 15.16
Darius Artaxerxis successor 22.11
Darius Codomannus ab Alexandro victus & occisus 22.25
Darius cur Lancdino regi bellum intulerit 23.13
Darius frater Cyri 21.26
Darius nothus quamdiu Persis imperârit 22 15
Darius rex quādo decesserit 22 29
Darius templum Hierosolymitanū ædificari edicto præcipit 22.13
Darij aduersus Germanos expeditio 23 15
Darij fuga ex Germania 23.19
Dauid rex Israelitarum quot filios habuerit 65.20
Dauid Scotus historicus 375.25
Decebalus Dacorum rex 81.37
Decebali regis interitus 81.47
Decentius frater Maxentij strangulo vitam finit 111.1
Decentij Cæsaris profligatio 110.52
Decius à Gothis fusus 99.29
Augustus appellatus 99.4
religionis persecutor 99 6
Decij cum Germanis pugna 99 31
Decij patria 99 2
Decij ambo cum exercitu cæsi 99.32
Deciorum ara 99.33
Democriti de cometis opinio 25 .29
Dertusa urbs Hispaniæ oppugnatu difficilis 211.57
Desiderius capitur cum uxore & filia: qui exules Leodij moriuntur 189.19
Desiderius cum Giansa uxore capitur 1[illegible]9
Desiderius pontifex in templo perit 126 34
Desiderius rex arctâ obsidione Ticini clauditur 188.38
Desiderius rex Longobardorum Romanum agrum vastat 188. 1
Deucalionis diluuium 13 34
Deucalionis mysterium 6.16
Deus summum bonum 4.39
Dei innumerabiles ministri 4.38
Dei titulus maximus 223.7
Deum quis nouerat 4.45
Diabolus ad hominem decipiendum omnes fallacias intendit 4.57
Dianæ templi direptio 100 45
Diceneus magus 36.17
Diclas decimus septimus comes Tuisconis 9.8
Didius Iulianus 86 56
Diluuium vniuersale 6.14
Dies longissimus in Boiaria 3.60. breuissimus ibid.
Diessen monasterium in Boiariā 309.44
Diedenhofen, quæ & Theodonis villa 188.16
Diethmarus Boiorum archiepiscopus 262 45
Diethmarus comes de Leonsperg & Lungau, filius Babonis 314 24
Diethmarus martyrio apud Turcas coronatus interijt 361 31
Digentil eiusm ieniures 152 17
Diocletianus agrum suā manu confodit 104 19
Diocletianus aurei seculi parens 88 53
Diocletianus Imperator ab exercitu creatus, a senatu comprobatur 104.30
Diocletianus imperio se abdicauit, & agriculturæ operā dedit 106.5
Diocletianus inter Deos relatus 106.6. post M. Antoninum philosophum optimus principum 104 31
Diocletianus quo vita sua anno mortuus 106.0
Diocletianus se adorari iussit 105 44

Diocletiani calliditas & prudentia 105.20. dictum ibid.24
sub Diocletiani imperio ecclesia Christiana euersa 105.60
Dionis Chrysostomi exilium 80.56
S Dionysius in Boiariam transfertur 277.15
Dionysius orbis terrarum situs, autor 64.21
Dioscorus haereticus 130.10
Diploma Ludouici 4. contra Pp. Ioannem 22. 478.60
Diplomata aliquot 184.58
Diploma Bathauēsis templi 226.41
Diploma Carolo a Clemente pontifice datum 486.50
Diplomata contra Fridericū 2. Caesarem 413.32
Disciplina militaris diligentißime Romae culta 40.1
Disciplina militaris Carolus M. studiosißimus 215.55
disciplina militaris exemplum 22.38 & 44 28
Discordia inter Basileenses & Eugenium pontificem max. 507.19
Diuico Germanorum princeps 31.8
Diuitiacus auxilium a Romanis postulat 33.42
Diuitiae sentes à Christo appellatae 73.60
diuitiarum fructus 35.51
diuitias nihil ad felicitatem cōferre 182.35
docti qui à Papa ad Caesarem Ludouicum Bauarum defecerint 468.50
Dominicani fallaciae fabricatores 480.18
Dominicanorum à Papa defectio 479 58
Dominicanorum Bernae Heluetiorum facinus
Domitianus dictus Germanicus falso 80.50. se Deum appellari iussit 80.20
Domitianus Rhenum Danubiumq; nauibus in modum pontis contabulat 80.36
Domitianus Titi frater, impius Imperator 80.20
Domitianus Vespasiani filius apud aedituum clam pernoctat 76.60
Domitiani interitus 80.51
Donavverd 447.52
Dordrechtum 503.22
Dorostorum Mesiae inferioris primaria vrbs 128 31
Dotis ratio apud veteres Germanos 16.11
Draco igneus in coelo visus 245 48
Dragonitus Sclauorum rex 194 37
Drauus fluuius 273.15
Drogo Caroli Magni ex pellice filius 234.7
Drogo Mediomatricum pastor 233.3
Drogo Pipini filius moritur 164.27
Dromichetes Getarum rex 25.54
Drusianae fossae & castella 42.33
Drusilla Augusti vxor 42.40
T. Drusus Imper. nouas literas commentus 70.46. liberalibus studiis pertinaciter deditus 70.44. quando & quamdiu regnarit 70.43
T. Drusi historia 42.30. monumentum Mogontiaci 43.8
Druyda a Tiberio pulsa 18.24
Druydarum religionem Cl. Drusus abolet 68.10
Ducatuum nomina 7.4
Ducis Austriaci constantia 418.60
Duces Brunsuicenses vnde 397.43
Ducum à Zaringen prima origo 312.50

E

Ebbo archiepiscopus Rhemensis 230.14
Ebbo episcopus Augustanus 325 21
Ebbo episcopus Neoburgensis 322.44
Ebbo in Saxoniam relegatur 235.34
Eberhardus archiepiscopus Salisburgensis spoliatur 413.27
Eberhardus comes de Abensperg 420.6
Ebersperg monasterium 355.17
Eburones Caesaris legatos cum quinque cohortibus interficiunt 35 2
Eburcuinus 165.41
Eckbertus Caesaris Heinrici 4. cognatus 360.30
Eckbertus vigesimus quintus abbas Fuldensis 325.44
Ecclesiarum orientaliū & occidentalium de feriis paschalib. discordia 130.11
Ecclesiasticorum discordia de rebus leuißimis 434.17
Eduardus rex Angliae designatus 487.1
Egesippus Apostolorū discipulus 15.51
Egidora fluuius 229.29
Egra in clientelā regis Boiemiae 430 48
Einhardus Spirēsis episcopus 332 55
Eiulasius Vindelicorum & Noricorum praeses 104.20
Eleutherius Maximiliani successor 106.14
Ellenhardus episc. Frisingensis 337.2
Elisabetha Alberti Imp. vxor 442.26
Elisabetha Cōradi Caesaris vidua ad secundas nuptias transit 432.9
Elisabetha regina Siciliae Werdeae habitauit 429.23
eluuies aquarum ingens 226.17
Emericus episcopus Wirtzburgensis 387.60
Emissa Phoeniciae ciuitas 61 57
Emicho episcop. Frisingensis 485.50
Eming pagus 55.23
Engadini 3.1
Engelbertus episc. Bathauēsis 324 9
Enuy de Augusto locus 41.16
Enos vrbs maxima 5.51
Ens oppidum Austriae 288.58
Enß oppidum olim Ensburg 287.13
ensis Alberto coelitus demissus 410.31
Enstorff proxime Ambergā 400.44
Ephesus a quo condita 15.60
epigramma vetustum 309.46
episcopus Moguntinus à Carolo M. obiurgatus 217.55
episcopi officium 171 58
episcopi mortui & alij in eorum loco suffecti 460.20
episcoporum olim qui tituli 412.17
episcoporum responsoria epistola 255.43
Epona 55 60
Epirus vndeuigesimus Tuisconis comes 9.8
Epyrus nunc Romania 52.4
equites quingenti caesi 505.10
Erasmus Roterodamus noui Testamenti emendator 221.27
Erchingerius dux Sueuiae capitur 292.1
D. Erhardus & Wolfgangus canonizantur 328 32
Erichtonius Dardani filius 15.16
Erlaphus fluuius 195.5
Ernestus dux Boiariae 373.61
Ernestus dux Boiorum moritur 508.52
Ernestus cognomēto Strenuus, marchio Austriae 331.4
Ernestus & Vvilhelmus Schwaben Fridenbergam obsident 501.56
Ernestus Strubingam possidet 506.18
Esaias à Manasse lignea serrā consectus 20.44
Eslinga obseßio 462.2
Eto Argentoratensis episcopus 166.1
Eucherius Laureacensis archimysta 100.16
Eucherius pontifex infamia notam Carolo inurit 167.26
Euae configuratio 5.26
Eucherij episcopi Aurelianensis relegatio 165.22
Eudocia de Christo Homeri centona 129.54
Eudoxius medicus Bagandae primarius auctor 129.10
Eugenius à pontificatu deponitur 511.60
Eugenius aram Victoriae Senatui Romano restituit 122 50

Euge-

Eugenius captus pœnas capite luit. 122.54
Eugenius Gallorum Imperator creatus. 122.46
Eugenius pontifex Maximus 227 60
Eugenij episc. Romani mors. 229.9
Eugypius D. Seuerini comes & discipulus. 137.35
Eunomia virgo patrem eloquentiâ æquat. 39.7
Euricus Alarici genitor. 128.59
Euridanus dux Germanorũ ad Sauum sedes occupat. 26.28.& 59
Europa quarta proprie dicta. 51.59
Europa quatenus paruit Romanis, in sex partes diuisa. 49.46
Europæ totius, Romani participes. 49.11
Eusebia prior Constantij Cæs. vxor. 116.7
Eutropius pater Constantij. 106.47
Eutropius equitum præfectus. 112.2. *consul Romanus.* 125.47
D. Eustasij vita. 160.60.
Eutychianistarum tumultus. 130.20
Eutychius Proculus Antonini pij præceptor. 86.42
Eutychetis Hæresis. 130.9
Exauctorati qui Romanis. 47.57
Expeditio Gallica ab Attila edicta. 130.30.
Expeditio in Syriam. 388.5
Exercitus Romani iactura. 87.50
Exulum reuocatio à Ludouico pio 222.5
Exuperius episcopus Tholossam seruat 126.38
Eysenrichus Boiorũ purpuratus custodia elapsus 282.40
Ezechiæ regis Iudææ pietas 20.30
Ezechiæ lethaliter ægrotãti, quindecim anni adiecti 20.38

F

FAbianus Vindelici rector 68.20
Fabiani põtificis maximi martyrium 99.6
Fabula de papa muliere 285.7
Fames grauis circa Rhenum 243. 40
Fames in Boiaria 448.30
Fames in Germania & Italia 262. 53
Fame Roma ad deditionem coacta 127.3
Fanentchen 428.3
Farau'phus sacrificulus conspirationis tragœdiam detegit Carolo 197 24
... es Imperatorij inter se digla... 160.58
... Caroli Magni Coniunx
Fastrada obitus 198.19
Fausta à Constantino occisa 109.8
Faustina vxor Constantij secunda 116.6
Faustus Quintilius augur 90.12
Felix Iudææ præses 71.28
Felix Orgellorum episcopus errorem recantat 196.45
Felix pontifex maximus 512.29
Ferri consecratio 249.4
Festi dies à Carolo Magno instituti 224.32
Fides Germanica 222.44
Fides iudiciaq; recta terris depulsa 74.16
Filitheus Rugiorum rex 139.54
Filius Augusti Hainrici iterũ Cæsar appellatur 366.60
Filius Cæsar Hainricus quintus patrem Leodij esse audiẽs, ipsum persequitur 367 57
Flaccilla coniunx Theodosij 123.34
Flacithei Rugij Odoacri regis mors 140,7
Flamines Romanenses Fridericum regno deturbandũ cogitant 412.3
Flammobertus Berengarij occisor 293.39
Flauius Iosephus Iudæorum belli dux à Vespasiano Imp. libertate donatus 72.12
Flauius Sabinus Vespasiani frater 76 58
Flauius Sulpicianus Pertinacis Imp. socer 89.60
Flauius Vespasianus militiæ præfectus 72.9
Florentia & Mantua capiuntur 360.63
D. Floriani patria 59.59
Floriani tribuni martyrium 107. 54
Floridi episcopi mors 154.62
Fluminum Norici nomina 2.25
Fœdus cum Persis 122.14
Fœminarum authoritas apud veteres 16.9 & 147.1
Folcõ archiepiscopus Rhemensis 281. 19
Fontanedus Galliæ vicus 240.12
Forum Iulij Abaribus proditur 159. 22
Fortuna nemini mortalium perpetuò bona 198.4
Fortunæ suæ quisq; faber 181.48
Fortunæ vis 7.38
Fortunatus patriarcha Gradensis 226 28 *poeta* 156.15
Frugalitatis humanæ nimia in rebus prosperis obliuio 203.48
Francia triplex 184.33
Francia vnde dicta 183.32
Franciscana Wenzeslai Boiemiæ regis soror 418.6
Franciscus Cararia 493.13
Franciscus Petrarcha 491.21
Franciscus rex Gallorum competitor Rom. Imperij 293 54
Franco Iacobam Bathauam vxorem duxit 505.34
Francus siue Franco rex Germaniæ 16.35 & 184.6
Frãci à Christiana religione alieni, cur Christianos subegerint 136.11
Franci antiquissima Germaniæ gẽs 101.16 & 183.62
Franci Belgicã inferiorem sub suam potestatem redigunt 135.60
Franci Coloniã Agrippinã potiuntur 135.36
Franci & Francones vnde dicti 183.62
Franci Galliam vastantes oppressi 102.33
Franci Gallias affectant 184.11
Franci in Germaniam à Romanis pulsi 102.29
Franci instigati à Lucio Treuerensi patricio 135 45
Franci Ludouici regis Oriẽtalis auxilium implorant 267 9
Franci Maximi copias fundunt 121.5
Franci olim ignoti 191.17 & 184.4
Franci pacem impetrant 112.30
Franci Salij vnde dicti 183.37
Franci superiorem Germaniam in Gallia occupant 135.52
Franconia vnde dicta 183.32
Francorum à Danis petitio 211.20
Francorum deditio 113.20
Francorum & Boiorum cum Hunnis fœdus 156.12
Francorum exercitus fuga 246.59
Francorum fuga 243.16
Francorum imperiũ à Carolo Martello pacatum 167.16
Francorũ imperij maiestas vnà cum Dagoberto collapsa 161.60
Francorum imperij diuisiones 155. 53
Francorum progenies vnde 183.29
Francorum rex apud Celtas 101.23
de Francis prouerbium 135.36
Francofordia primaria Francorum vrbs 183.35
Frideberga obsessio 501.58
Fridbergium oppidum à Ludouico extructum 434.14
Fridericus Pseudo Cæsar ambitus accusatur 461.6
Fridericus Austriacus Bathauiam venit 422.3
Fridericus Austriacus Cæsar salutatus 4.. 43
Fridericus Austriacus princeps inquietus

quietus 410.14
Fridericus Barbarossa in Germaniam redit 393.23
Fridericus Burggrauius, comes Hennenbergensis 465.10
Fridericus comes de Chiemgen, episcopus Salisburgensis 303.58
Fridericus de Leibnitz episcopus Salisburgensis 464.48
Fridericus de Seuneck comes Ciliae creatur 480.30
Fridericus secundus diadema Caesareum gestat 408.55
Fridericus dux Lotharingiae, archiepiscopus Moguntinus 297.13
Fridericus dux Mosellanorū 324.19
Fridericus secundus Imp. Syriam 15. annis tenuit 409.10. cum pontifice in gratiam rediit 409.70
Fridericus episcopus Ratisbonensis moritur 513.60
Fridericus & Luitpoldus Austriae duces 480.38
Fridericus filius Heinrici ex Constantia quinquagenaria nascitur 404.15
Fridericus in Austriam se confert 461.47
Fridericus iunior Dominus Abusinus 425.31
Fridericus Lotharingiae dux obsidetur 330.8
Fridericus Lotharingus communi omnium Romanorū suffragio pontifex maximus cōsalutatur 332.10
Fridericus Norinbergae Burggrauius 466.28
Fridericus Maurkircher episcopus Bathauensis 502.52
Fridericus primus Imperator in Asiam expeditionem parat 402.45
Fridericus primus Romanorum Imperator 388.6.
Fridericus secundus qualis 411.49
Fridericus tertius Caesar designatur 508.63
Fridericus 3. Caroli quinti proauus 206.34
Fridericus tertius coronatur Romae 513.16
Friderici Austriaci decollatio 435.23
Frisia à Danis inuaditur 241.37
Frisii primum noti facti 67.44. gēs Germaniae magnae 71.61
Friteglis Rosemundi regis vxor in religione Christianā instituitur 123.10
Frontei, Agrippa consularis interitus 77.2
Frumentorum inuentio 13.5
Fraxinensium pontificum bibliotheca 1.49
Fuluius Boius Vindelicorum dux 100.18
Fundense Canobium 155.24
L. Furius de Boiis triumphat 29.18
Furius Victorinus cum exercitu perit 87.5
Furor in Ecclesias Christianas 107.43
Fürstenberg arx Palatini 444.55
Fürstenfeld in Boiaria fundatur 429.39

G

Gabriel pōtifex Aichstattensis, episcopus Germaniae doctissimus 4.33. & 54.61
Galatarum sermo 18.31
Galatia magna 17.52. & 27.60
Galba à quo interfectus 76.20
Serg. Galba militari laude apud Germanos floruit 76.8
Galba quando interfectus 76.21
Galba Vindici auxilium fert 76.12
Galeacii Mediolanēsis mors 475.14
Galeoduni arcis vestigium 54.40
Galerius Maximinianus persecutionis autor 105.54
Galerius Maximinianus duos Caesares creauit 106.53
Galerius Maximinianus armentarius duxit vxorem Valeriam, Diocletiani filiam 104.51
Galla filia Symmachi barbata 150.42
S. Gallen vrbs 18.36. & 160.38
Gallia coniuncta Germaniae 18.44
Gallia prouinciae facta 35.35
Gallia togata 50.15
Gallia togata à Boiis habitata 30.15
Gallia Belgica vrbes 240.60
Gallia diuisio 18.16
Gallia in quinos conuentus diuisio 217.6
Galliam Germani inuadunt, & 70. vrbes nobilissimas capiunt 103.17
Galliam Germanis paruisse regibus 18.44
Galliarum prouinciae sexdecim 51.1
Galliarum quinta prouincia 51.10
Gallienus cū filio interficitur 100.7
Gallus Caesar Polae crudeliter necatus 111.11
Gallus Constantii patruelis 110.38
Gallus & Volusianus Imp. caesi 99.48
Gallus Iudaeos debellat 110.40
Gallus Trebonianus Christiani dogmatis hostis 99.43
Gallus Trebonianus Imperator salutatur 99.49
Gallus Trebonianus limitis Sarmatici dux 99.24
Gallus Trebonianus tributarius Germanis 99.41
Galli à Belgis expulsi 34.45
Galli à Germanis orti 18.41
Galli à Sergio Galba coerciti 69.52
Galli ab Hispanis sub vesperis trucidati 440.20
Galli cur nunc aliter quàm olim loquantur 18.20
Galli & Germani Italiam vastant 33.20
Galli Imperatoris patria 111.14
Galli quā linguā olim locuti 17.60 & 18.12
Galli pulsi à Germanis 33.23
Galli qui dicantur 48.2
Galli Senones Romam petunt 24.5
Galli vnde dicti 17.48. & 18.25
Gallorum legatio ad Caesarem 34.12
Gallorum leuitas notatur 388.18
Gallorum ope Christiana libertas perit 482.59
Gallorum Philosophi à Tiberio pulsi 68.10
Gallorum propria nomina Germanica 18.3
Gallorum strages ab Anglis 483.45
Gallorum vastatio 112.10
Gallica lingua Teutonum est 17.60
Gallograecia 18.22. & 27.60
Gambriuius quamdiu regnārit & vnde dictus 12.36
Gannasco dux Chaucorum à Romanis interfectus 71.4
Gariopyrga Wilhelmi Boii vxor, flumine submersa 235.10
Garioualda Boiorum dux superatur 62.11. & 158.11
Garzum Coenobium 58.58
Gaudentius Boemorum archiepiscopus 310.39
Gebericus rex Germaniae 108.46
Gebhardus episcopus Tridentinus armis restitutus 374.13
Gebhardus comes à Plaien 337.26
Gebhardus comes ab Hirsperg eligitur in Pontificem maximum 330.11
Gebhardus comes de Sultzbach 379.57
Gebhardus episcopus Ratisbonensis in vincula coniicitur 330.55
Gebhardus episcopus Ratisbonensis Vngariam petit 326.31
Gebhardus episcopus Reginoburgensis 323.6
Gebhardo Reginoburgēsi Otto Bambergensis mysta substitutus 333.35
Gebhardus regulus Burckhusii obit 394.19
Gebhardus Saltzburgensis episcopus 358.53
Gebhardus vltimus comes de Sultzbach 402.2
Gebolibus Saxonem ad colloquium familiare euocatū trucidat 171.24

Gebo-

Gebolibi pater prælio à Saxonibus occisus 171.21
Gedeon quando Iudæis ius dixerit 15.46
Geisenfeld monasterium 323.52
Geldriæ duces & Iuliaci 452.48
Gelomarus à Iustiniano Imperatore captus 131.6
Gemoniarum scalarum pœna 73.18
Georgius dux Boiorum 5.13.12
Geraldi Mosellani reguli & Gotfridæ obitus 343.21
Genouepha virgo 131.10
Gensericus Vandalorum rex Romã capit 132.41
Gensericus I. Gunderici regis frater quamdiu regnârit 132.61
Gentium eluuies 7.43
Gepidæ Daciam occupant 136.52
Gerardus Laureacensis episcopus 151.43
Gerardus natione Allobrox, Nicolaus dictus in Pontificatu 332.23
Gergouia Boys inhabitanda data 33.57
Gerhardus comes Syluester de Eppenstein, archiepiscopus Moguntinus 450.27
Gerhardi Moguntini archiepiscopi insolens dictum de creandis Cæsaribus 451.38
Germani à Cæsare cisrhenani vocati 217.4
Germani à Cæsare in fugam versi 34.40
Germani à Crasso domiti 41.52
Germani ad Antipatrum nuncios mittunt 27.35 Asiam tributariam faciunt 27.52
Germani Augusto duno repulsi 112.24
Germani Barbari dicti 203.37 Byzantium occupant 27.33 bello Troiano interfuerũt 16.63 Asturem vrbem incendunt 138.23
Germani Caligulæ minas in ludibrium vertunt 69.50
Germani castra Marij oppugnant 31.41
Germani cur prouincias Romanas vexârint 138.62
Germani cum Druso in Illyricum missi 67.42 factu magni 25.21
Germani Galliam perdunt 112.46 & 126.22
Germani Gallorum fratres 18.13
Germani in Asia militant 25.15
Germani in Gallias traducti 33.24
Germani orientales Scythæ 23.12
Germani per alpes transeuns in Italiam 31.39
Germani peste Romæ absumpti 295.28
Germani quinq; exercitus consulares Romanos abstulerunt 31.27
Germani Sarmatæ dicti 8.33
Germani fitis intolerantes 12.17
Germani veteres non omnino barbari 17.5
Germani vnde Scythæ appellati 8.13
Germanorum à maioribus degeneratio 23.5
Germanorum ad Alexandri rogata responsio 25.25
Germanorum annales 9.53
Germanorum appellationes 17.50
Germanorum contra Germanos empta auxilia 39.15 & 95.35
Germanorum crudelitas 41.53
Germanorum fœminæ 16.8
Germanorum fuga 34.40
Germanorum genera quatuor 6.53
Germanorum gratia rara 252.56
Germanorum insolentia in respondendo & interrogando 25.25
Germanorum legatio ad Antigonũ 27.10
Germanorum libertas 39.4
Germanorum manus ad internecionem cælitus deleta 87.90
Germanorum mos vetus 28.44
Germanorum pater Tuisco 8.14
Germanorum operâ Cæsar vsus 35.40
Germanorum regulorum se litio 27.39
Germanorum superstitio in conflictu 34.16
Germanorum scriptura, litera Galata 10.26
Germanorum transmigratio 23.26
Germanorum veterum res gestæ à Græcis & Romanis descripta 17.38
Germanorum vltimi 12.6
Germania duplex 35.39 sæpè triumphata nunquam victa 19.1
Germania in libertatẽ asserta pulsis Romanis 67.62
Germania olim Gallia dicta 17.63
Germania pluribus nominibus distincta 6.40
Germania prima quæ cõplectatur 51.3
Germania terrarum Europæ maxima 6.40
Germaniæ vetera cognomina mutat 101.11
Germania vnde Francia dicta 101.22
Germaniæ illustratores 7.34
Germaniæ fines 6.43
Germaniæ flumina 6.50
Germaniæ magnæ populi in Illyricum irrumpunt 30.52
Germaniæ populi Italiam inuadunt 19.3
Germaniæ quæ pars Scythiæ nomen etiam nunc retineat 8.19
Germaniæ secundæ partes 51.2
Germaniæ secundæ vrbes 51.2
Germaniæ vetus diuisio 11.44
in Germania Magna populorũ regionum & vrbium conuersio & mutatio 110.4.
Germanica lingua quando scribi inceperit 8.14.
Germanicus Drusi filius 44.37
Germanici nominis terror 27.51
Germanici triumphus 67.59
Gerochus Richenbergensis de Antichristo 391.48
Geroldus Boiorum præses 180.41
Geroldus episcopus Moguntiacus 171.21
Geroldi Boiariæ præsidis interitus 200.40
Gerpyrga abbatissa Chimensium 304.47
Gertrudæ Lotharij Imp. filia Heinrico Rectori Boiorum despondetur 380.7
Geta Antoninus Cæsar à Caracalla occisus 91.9
Getæ à Romanis in Thraciam collocati 15.23
Getæ & Goti vnde prognati 8.41
Geta tertius Germaniæ rex 8.39
Gesali die Gaysler, quando 432.41
Geyzo Rex Vgriæ moritur 392.45
G.ouldus rex Alemannorum 1[illegible].31
Gigantes luxu perditi 5.52
Gildo ad Arcadium Imp. deficit 125.44
Gilomarus Vandalorum rex 154.6
Gisa vxor Filithei 140.10
Gisala Augusta moritur 319.11
Gisala Caroli filia fonte viuo lustratur 191.5
Gisala Gottfridi vxor 174.54
Gisala Lotharij filia dos 272.6
Gisala regina Cochiliam relegata 174.39
Gisala regina Hungariæ 314.6
Gisalbertus dux Lotharingiæ
Gisalbertus filiam Lotharij rapit, & inde bellum oritur 241.56
Gisaleria 46.28
Gladiatores obsequentes latrones appellati 89.27
Glogouiẽsis ducatus in Silesia 456.15
Gloria vnde dicta 203.10
Goarus Alanorum rex 126.6
Godeboldi pontificis Würtzburgensis

genſis obitus 344.44
Godefridus ab exilio reuocatur 327.20
Godefridus fratri principatum inuidet 319.49
Godefridus in exilium mittitur 326 [illegible]
Godefridus Lotharingiae dux 360.46
Godefridi filius obſes datus 322.20
Godefridi Danorum regis interitus 281.1
Godelab. rex à Dano captus, in crucem agitur 210.15
Godeſcalcus Haereticus 242.60. eadem quae Reformati opinabatur 242.61
Godobertus à Grimoldo occiſus 163.1.
Gondoundus Vadomari regis frater 111.29
Gordeus Armeniae mons 53.19
Gordianus Africae proconſul 95.44
Gordianus Auguſtus in Africa vulnere perit 69.19
Gordianus Auguſtus Saporem regē ſuperat 97.60
A. Gordianus Miſithei filiam duxit 97.21
Gordianus generis humani deliciae 97.20 ſolus Imperator 97.3
Gordiani Auguſti dictum 97.24 interitus 97.61 ſepulcrum 98.1
Gordiani à Capelliano victi 96.16 in diuos relati 96.30
Gordiani quamdiu imperârint 95.60
Goricia vnde dicta 14.12
Gotfridus Cimber baptizatur 272.5
Gotfridus Cimbrus cuncta depredatur 243.36
Gotfridus ambiens vtrumq; ducatū vtroq; excidit 322.5
Gotfridus & Eberhardus duces limitis Charini occiſi 286.56
Gotfridus dux Lotharingiae obit 341.41
Gotofridus rex Danorum Germaniam ambit 210.40
Gotfridus Praeſes Caeſarianus Italiae Nordmannos arma mouet 340.23
Gotfridi oratio ad Honorium & Alexandrum 335.14
Gotfridi regis in Cimbricam peninſulam expeditio 206.48
Gotthi vnde prognati 8.42
Gotthi à Romanis ſuſcepti 119.7
Gotthi Arriani 119.18
Gotthici belli initium 97.34
Gotolania 1.24 & 8.39
Gottlandia inſula 15.18
Gottlandia inſula vnde nomen retineat 8.39
Graecia integrè Granicia 159.43
Graecia prouincia ſeptem 51.63
Graeci oratores quomodo à Carolo excepti 213.6
Graecia à Gotthis vaſtata [illegible].41
Graeci à Turcis oppreſſi 507.17
Graeci ignominia repulſi 213.20
Graeco Germanicae voces 10.36
Gracium Boiorum Stiriae caput 1.37 & 36.58
Germani venefici decollatio 284.32
Grammatica Caroli Magni 220.54
Gratianus apud Lugdunum fraude interficitur 120.22
Gratianus ius pontificium dilaniat 383.15.
Gratiani eruditio & virtutes 110.23
Gratianus Valentiniani pater 117.62
Gratianus Imp. Germanos ſibi auro conciliauit 120.17
Gratiani patria 118.60
Gratus miles Germanus der Grad 70.23
Grauſemingum caſtellum Boiariae 294.2
Gregorius epiſcopus infectâ re Romam petit 233.44
Gregorius octauus pontifex maximus 379.19
Gregorius nonus pontifex maximus libros decretâles publicat 411.13
Gregorius decimusquartus pontifex maximus 496.5
Gregorius decimus pontifex maximus, Imperium ad Germanos transfert 436.12
Gregorius decimus pontifex maximus Lugduni concilium celebrat 437.6
Gregorius decimus pontifex maximus moritur 437.29
Gregorius ſeptimus pontifex maximus Caeſarem Hainricum IV. excipit 333.54
D. Gregorius Thuronenſis 184.5
Gregorij pontifex maximus ad Ottonem Boium & alios litera 418.4
Gregorij ad Bonifacium coepiſcopum epiſtola 169.13
Gregorij ſeptimi pontificis maximi epiſtola ad aduerſarios 352.37
Gregorij ſecundi commendaticia epiſtola ad Carolum Francorum ducem, Bonifacio data 167.42
Gregorij ſecundi epiſtola alia 167.50
Gregorij Nazianzeni locus 179.6
D. Gregorij vaticinium de Romano Imperio 157.30
Gregorij ſeptimi pontificis litera ad epiſcopos Boiariae 168.48
Gregorij ad D. Petrum oratio 350.52
Gregorij ſecundi diploma 166.36
Gregorij tertij mors 171.34
Gregorio ſeptimo pōtifici max. maledicitur 352.2
Grieß bey Botzen 427.13
Grimoldus Haregiſi filius Beneuentanis praeficitur 192.14
Grimoldus Pipini filius in carcere moritur 161.51
Grimoldi Boiorum ducis mors 164.4
Grimoldi mors 163.7
Grimoldo duci Beneuentano vectigal annuum diminutum 213.9
Grimoltbuſium 164.12
Grymilda Attilae regis hunnorum vxor 130.27
Grypho Pipini frater 173.28
Grypho Boiariam occupat 173.34
Gryppo Gotorum dux 154.17
Gryphonis interitus 171.42
Gundarici Burgundionum regis interitus 131.43
Guimmaris Longobardorum dux crudeliſſimus 157.17
Gundagrius clàm à Ludouico corruptus 252.8
Gundagrius perfugâ praelio occiſus 253.44
Gundoldus Boiariae praefectus Carolomanno rebellàt 253.18
Gundopyrga Theodolindae filia 161.23
Guntherus Caeſar deſignatus moritur 487.39
Guntherus cancellarius Imperatoris 425.15
Guntherius diu quaeſitus à cane proditus 176.37
Guntherus poeta 390.10
Guntherus Schuuartzenburgius Caeſar conſtituitur 487.24
Guntheri & Tergaudi mors 256.13
Guntholdus dux Aſtenſis 158.55.
Gunprecht Cámerer zu Regenſpurg 486.59
Gunrada Liutprādo Longob. nupta 163.26

Gygãtũ magnitudo picta Straubinga 58.2
Gygantum crudelitas 5.53

H.

HAdomari Franci interitus 208.32
Hadrianus cur Graculus cognominatus 83.4
Hadrianus Imp. à Traiano adoptatus 83.5
Hadrianus pacis magis quam belli cupidus 84.28
Hadrianus quamdiu vixerit & imperârit 84.36
Hadrianus secundus pontifex maximus 256.44
Hadrianus tertius pontifex maximus 275.11
Hadriani Imperatoris dictum 83.17
Hadriani quarti, episcopi Romani obitus 198.48
Hadriani Imperatoris liberalitas 83.12
Hadriani memoria incredibilis 83.8
Hadriani quarti pontificis, aduersus Fridericum Imp. litera 170.45
Hadriani quarti pontificis max. epistola 203.23
Hadriani templa 83.37
Hadriani polũ Turci regis pratoriũ 51.58
Haregisus dux Beneuentanorũ 192.57 moritur 193.14
Hagna commissa à Wasserburg 401.56
Hagna filia Heinrici Austriaci, regi Vgrorum Stephano desponsata 394.10
D. Haimerani cœnobium Ratisponæ ædificatur 162.27
in D Haimerani contubernio saxorum insc.r ptio 277.20
D. Haimerani martyrium 162.18
D. Haimerani patria 161.50
D. Haimerani sepulcrum 294.44
Hainricus ab Eppenstein absq. liberis obit 393.8
Hainricum Albertum Boium flocci facit 507.63
Hainricus Austria dux, regi Boiorũ traditur 467.8
Hainricus à Roteneck episcopus Ratisbonensis 446.17
Hainricus à Schoneck episcopus Augustanus 483.42
Hainricus Austria dux 306.16
Hainricus Austria prafectus obit 312.47
Hainricus Boiorũ dux & Welpho, Imperatori operã nauant 391.13
Hainricus Boiorum rex imperiũ Lothary affectat 384.49
Hainricus Brabantinus Aristotelem in linguam latinã vertit 436.3
Hainricus Cæsar à patre relegatus, in exilio moritur 410.16
Hainricus Cæsar Italiam petit cum exercitu 457.20
Hainricus Castus Cæsar eligitur 422
Hainricus cognomento Hetzel Boiariã priuatur 311.43
Hainricus comes de Veringen Welphonis signifer 393.46
Hainricus comes Palatinus Lotharingiorum, fit monachus 331.38
Hainricus Kauffring Conradum archiepiscopũ Iuuauensem iugulaturus à Cæsare prohibetur 376.9
Hainricus Leo criminis læsæ maiestatis condemnatur 397.31
Hainricus de Schuuenckẽryst 402.8
Hainricus de Virnburg episcopus Coloniensis 400.55
Hainricus dux Boiorum 311.30
Hainricus dux Boiorũ dictus diues, moritur 512.1
Hainricus dux Boiorum quando mortuus 379.29
Hainricus dux octauus Boiorũ moritur 379.29
Hainricus dux Carinthia & Tyrolensis 455.62
Hainricus dux Charionum moritur 308.43
Hainricus dux diues factus 497.60
Hainricus dux Lotharia in vincula conycitur 374.17
Hainricus episcopus Tridentinus 444.1
Hainricus filius Conradi Imperatoris 314.19
Hainricus Cæsar, filius Friderici secundi Imp. 407.56
Hainricus Flockelius Doctor decretalium episcopatus Bathauensis competitor 504.25
Hainricus Imperator vbi humatus 56.44
Hainricus tertius Imperator Leonẽ pontificem in Italiam dimittit 329.2
Hainricus legatus Imp. castra Nordmannorum exploratis occiditur 275.35
Hainricus Landshutensis fœdus cum quibusdam icit 501.40
Hainricus Lud. Boÿ frater 429.40
Hainricus Lützelburgensis Cæsar declaratur 456.35
Hainricus marchio Misnẽsis 487.4
Hainricus quartus Cæsar nauigio captus abducitur 334.25
Hainricus minimus natu Villhofen reficit 475.63
Hainricus Polonia dux 413.9
Hainricus primus Boiorum dux 301.44
Hainricus primus dux Boiorũ quãdo obierit 304.58
Hainricus quartus Rom. Imperator & dux Boiorum 331.13
Hainrici quarti mors 368.51
Hainricus secundus Rom. Imperator moritur 313.21
Hainricus quartus dux Boiorũ frater Chunigunda 313.48
Hainricus quintus Boiorum dux, Romanorum Imperator eius nominis tertius 313.56
Hainricus octauus Boiorum dux 379.29
Hainricus decimus tertius dux Boiorum 429.44
Hainricus decimus tertius dux Boiorum moritur 480.1
Hainricus decimus tertius, Boiariæ dux conuentus agit 472.5
Hainricus vndecimus dux Boiaria 389.63
Hainricus decimus quartus Boiaria dux 472.5
Hainricus decimus quintus dux Boiorum 497.50
Hainricus decimus quintus Boiorũ dux dictus de Natternberg 459.49
Hainricus rex Anglia 391.57
Hainricus rex Boiorum Cæsar declaratus coronatur 329.53
Hainricus rixosus Boiorum dux 293.2
Hainricus rixosus Boiariam rursus recipit 308.8
Hainrici rixosi mors 308.50
Hainricus secundus, quas Boiaria vrbes regi Stephano dederit
Hainricus sextus dux Boiorum 331.14
Hainrici sexti Imperatoris obitus 404.14
Hainricus duodecimus pellitur 400.60
Hainricus tertius Imperator 322.42
Hainricus tertius Romanorum Imperator moritur 331.25
Hainricus tumultu euadit in Boiariam 500.4
Hainrici Aucupis Rom. Imp. mors 294.27
Hainrici sexti Boiorum ducis mors 331.22
Hainrici secundi coronatio 310.40
Hainrici diuitis dotes & ingenium 497.10
Hainrici secundi Imp. diploma 55.36
Hainrici quarti Imp. in Vngariam expeditio 335.39

Hainrici Landshutensis ad Albertũ à Frisingen literæ 501.6
H[illegible] aucupij votum 294.17
Hainrico Leon. dies ab Imperatore d[illegible]tur 397.2
Haldefonsus rex qui & Alphonsus Gallecia 199.41
Halisen oppidum 270.40
H Ludouici serenissimi regis Germ. signum 226.50
Hamburgij deuastatio 241.39
Hannibal grauiter Italiam armis premit 28.26
Haquina vates Iudæorum 82.59
Harald⁹ cogitati sceleris pœnas dat 243.61
Haraldus Danus philosophiã Christianam recipit 241.44
Hardaricus Gepidarum rex 130.54 & 136.47
Harmut abbas S.Galli 272.25
Harpu Chattorum princeps 67.49
Hartorbadi conspiratio 192.27
Hartmannus Heroueldensis abbas 259.55
Hartwicus comes de Sponhaim 293.0
Hartunici partium Augusti interitus 366.2
Hatto archiepiscopus Moguntinus 206.2
Hatto episcopus Tridentinus 330.54
Hattonis archiflaminis Moguntinensis epistola 144.6
Hattonis Fuldensis præsulis obitus 245.15
Hatulphus rex à suis interfectus 127.43 R[illegible]nam obsidet 174.52
Hebræi post Salomonis fata in duas factiones diuisi 20.15
Hedistius Serenatus præfectus Galliæ 135.1
Hedui 33.47
Helena Cõstãtini mater, vxor Cõstantij repudiata 104.54
Helena Menelai vxor 16.56
Helingerio primus abbas in Beuren 324.1
Helffendorff pagus superioris Boiariæ 162.16
Heliakim Deiparæ virginis pater 66.58
Heluo Heluetius 19.32
Hemma virgo confossa à Ludouico Seuero 429.32
Heliogabalus in latrina à suis militibus trucidatur 92.6
Heliogabalus monstrum potius quã homo 91.54
[H]eliogabalus quomodo ad Imperiũ venerit 91.55
Heliogabalus quo ætatis suæ anno Imperator factus 91.63
Heliogabali corpus abiectum 92.8
Heliogabali nomen ex monumentis erasum 92.11
Hellaci, Attilæ filij interitus 136.59
Hellas propriè Græcia 56.6
Heluetius filius Herculis Alemanni 13.62 a quo Heluetij 14.19
Heluetij Gallias depopulantur 30.60
Heluetiorum in Italiam irruptio 31.38
Hemma Ludouici Boij vxoris apoplexia 263.40
Hemmæ obitus 264.26
Hemingus rex à Cimbris salutatus 222.37
Hengstburgium vrbs 327.36
Hemingi Danorum regis mors 214.26
Henneburgomum à Saxonibus obsidetur 344.5
Heraclius Imperator Constantinopolitanus 159.52
Heraldus Danorum rex à Godofridi filijs consors imperij recipitur 225.51
Heraldus rex Daniæ baptizatur 228.51 Transalbianos v[illegible]a [illegible] 48
Hercinia sylua ortus [illegible]
Hercinia sylua [illegible]
Herculanei conflagratio [illegible]
Hercules Alemannus R[illegible]gentis conditor 4.[illegible] & 12.28
Hercules Alemannus, 12. Germaniæ rex 4.27
Herculis Alemanni ærei signi translatio 4.30
Herculis castra recuperata 114.52
Herculis complures liberi 13.60
Herestallum 199.33
Heribertus Coloniensis episcopus 312.58
Heribertus Longobardorum rex fuga sibi consulendo, in lacu Lario submergitur 163.25
Heribertus Litoperto puero in balneo extincto regnum occupat 163.20
Heribertus frater Bernardi luminibus orbatur 231.16
Heribertus Ratboldi regis successor 161.27. filij 161.29. obitus 161.30
Herigerus episcopus Moguntinus 292.4
Herluca monialis Bernriedæ sepulta 353.1
Hermanericus Suenorum rex 128.51
Hermannus Austriæ & Stiriæ dux moritur 423.44
Hermannus æditũus Franciscanus 435.50
Hermannus marchio de Baden 422.10
Hermenia oppidum ab Ingeramo conditum 15.26
Hermion quamdiu Germaniæ præfuerit 12.3
Hermion quintus Germaniæ magnæ Imperator 12.3. in numerũ Deorum relatus 12. 21. & 178.20
Hermion quomodo rem militarem colere docuerit 12.8
Herminifridus 148.10
Hermionis templum 12.22
Hermionis templum à Carolo Magno solo æqualum 12.23. & 187.18
Hermiones medij Germanorũ 11.53
Hermiones quartum Germanorum genus 11.51 & 12.5
Herobonus Britonum rex, à suis interficitur 253.60
Herobonus Nomenoij filius pacis quam armorum studiosior 247.46
H[illegible]es rex primus palæstinæ 65.4
H[illegible] à Scheuren, episco[pus] [S]alisburgensis 303.8
H[e]roldi excæcatio 303.58
Heroum codex Heldenbuch 18.57
Hester Mardochei neptis 22.19
Hester Historiæ autor 22.20
Hett ich den Zoll am Rhein Prouerb. 451.42
Hiccar Brenni filius aliàs Hector 16.35
Hierapolis Asiæ ciuitas 71.27
Hieronymus Pragensis 500.20
Hieronymus Staphius discordiam inter fratres serit 351.59
D. Hieronymi dictum 73.60 & 123.19
Hierosolyma, Aelia Capitolina dicta 83.41
Hierosolyma à Babylonijs euersio 19.38
Hierosolyma expugnatio vltima 21.12
Hierosolyma obsessio 21.3
Hilarius Pictonum episcopus 113.63
Hildegardis, Caroli M. vxoris, filij 218.35
Hilduinus D. Dionysij præsul, historicus 236.41
Hildegarda abbatissa in Chiembsee 276.9
Hippocratis de cometis opinio 236.10
Hispania à Germanis capta 100.43

Hispaniã

Hispaniâ totâ quis nunc potiatur 50.49
Hispaniarum prouinciæ septem enumerantur 50.47
Hister filius Ebri, author condendæ turris Babyloniæ 9 3
Hister cum colonis in Noricum missus 44.57
Historia lex 17.4
Historici diuinæ philosophiæ doctores clarissimi in Germania 242.44
Hitto episcopus Fruxinensis 228.21
Hochbobechori castri refectio 214.7
Hochbobochori oppidi expugnatio 212.14
Hocheuartum fœminarum cœnobium 58.40
Hochstrassa 58 53
Homerus omnium scriptorum Græcia vetustissimus 10.31
Hominis creatio 5.20
Hominis primi è paradiso eiectio 5.41
Hominis primi lapsi pudor 5.37
Homini primo quæ mandata Deus dederit 5.32
Hominum causa omnia à Deo facta 5.19
Hominum multitudo 6.21
Hominum stultitia 361.50
Hominum vitæ spacium longissimũ 6.25
Honorius & Arcadius fratres Cæsares 114.10
Honorius febriculâ obijt 128.4
Honorius secundus pontifex maximus exclusus Româ 332.63
Honorius quartus pontifex maxim⁹ 440.26
Honorij Imperium quamdiu durarit 128 2
Honorianorum fuga 316 52
Honorio Placidia reddita 127.52
Honum oppidum capitur 327.11
Horatij locus 38.60. & 42.5 & 45.40
Hormisda perfuga filius regis Persarum 112.36
Hormisda pontificis verba 256.34
Hortarius rex Germanorum 114.63
Hospites & peregrini humanissimè à Carolo M. excepti 218.60
Hostiarum humanarum excogitatio 9.22
Huba quid 453.25
Hucbertus Tetberga frater Lothario rebellat 256. 57 interit 42
Hugo abbas præses inter Sequanam & Ligerim 274.2
Hugo abbas in Allerspach 453.34
Hugo cardinalis Romanæ sedis 349.45
Hugo Lotharij naturalis filius capitur 274 62
Hugo comes de Tubingen Welphonis castellum capit 393.29
Hugo magnus Parisiorum princeps 186.1
Hugo Vestriæ dux fulmen belli 275.41
Hugonis Capeti ad Ottonem Imp. legatio 297.50
Hugonis filij naturalis regis Ludouici mors 269.19
Hugobertus Boiorũ regulus à Corbiniano sacrâ aquâ expiatur 166 14
Hugobertus totius Boiariæ dux 166.4
Hugoberti Boiorum reguli mors 168.30
Hunnia 1.19
Hunnus Herculis Alemanni filius 8.41. & 13.62
Hunnus in Sarmatia regnat 14.15
Hunni amisso rege terga vertunt 199 10
Hunni cum Aetio, muneribus infectis, in Italiam tendunt 128.20
Hunnorum nomen deletur 150.63
Hunnorum regio 149.37
Hunoidus Bepharij filius ingens excitat incendium 186.31
Hunoldus in Italiam relegatus, lapidibus obruitur 186 57
Huncho rex Nordmannorum, aliàs Rollo 281.15
Hyldebertus Ludouico quarto Franciæ rege defuncto rebus imponitur 164.20
Hyldebertus regnum cum vita finit 164.27
Hyldebrandus accusatur 355.49
Hyldebrandus dux Veronensis, rex eligitur 154.50
Hyldebertus impubis rex salutatur 158.4
Hyldebertus rex Francorum cum vxore Fœliba quando perierit 159.5
Hyldebrandus deponitur 350.9
Hyldebrandi secta explosa 359.28
Hyldegarda Ludouici Boij filij obitus 246.1
Hyldericus captus fit monachus 174.36
Hyldericus Christianus à Gelomaro occisus 133.4
Hyldericus cum Odagrio Galliam Narbonensem aggreditur 136.4
Hyldericus, & Ludouicus magnus, Francorum reges 372.36
Hyldericus Eudoxiæ nepos verus Christi cultor 132.45
Hyldericus inter venandum occisus 163.45
Hyldesialci episcopi Tridentini auaritia 245.8
Hyldolphus episcopus Treuir. Arionardi frater 166.2
Hyldouinus Dionysianus monachus autor Coniurationis in Ludouicum Pium Imp. 230.13
Hyldruda vxor Vtilonis 171.17
Hyldericus, nomine tantum rex 173.46
Hylperici cum filijs & vxore fuga 157.61
Hymnus de diabolis 4.6
Hyltgarda regina obitus 191.45

I.

IAcob patriarcha quando natus 12.2
Iacoba Bauara deducitur Gandauum 504.43
Iacoba Bauara Hunefridum maritum ex Anglia reuocat 504.57
Iacoba manus cum hostibus conserit 505.7
Iacoba tabe moritur 505.40
Iacoba virili cultu in Hollandiam venit 504 52
Iacoba incestus 504.6
Iacobæ repudium 505.18
Iacobus hæresiarches 474.27
Iacobus Apostolus securi percussus 68.45 vbi sepultus 117.43
Iader nonus Tuisconis comes 8.59
Iadera colonia 8 60. & 51.50
Ibba dux in Galliam Narbonensem mittitur 144 57
Idololatria initium 9.14
Ichoiakim quamdiu regnum in Iuda tenuerit 20.56. & 21.2
Ieiunium sacerdotum 119.20
Ignatius Antiochiæ episcopus, ad bestias condemnatur 82.1
Ilissus fluuius 2 26
Illyrici decem prouinciæ 51.32
Illyrici restitutio 43 21
Illyrici vastatio 101.62. rebellio 43.21
Ilus Ilij conditor 16.50
Imbrium inundatio 263.47
Imago cerea mortui & consecrati Imp. Romani 85.30
Imperator egens & famalicus Carolus crassus 276.15
Imperator vnde dictus 40.15
Imperator Barbarossa & Alexander reconciliati 396.56

Imperator Hainricum Leonem accusat 397.23
Imperator Ludouicus Pius in gratiam cum filio suo Ludouico Boio redit 238.9
Imperator Constantius in Valeriam profectus ad pacem è suggestu hortatur 115.20
Imperator Ludouicus Bauarus legatos ad Clementem pontificē maximum remittit 482.3
Imperator Hainricus tertius quādo Romam venerit 325.4
Imperatoris Hainrici quarti ad status Imperij oratio 363.55
Imperator Hainricus tertius regnū Boiorum filio suo commendat 329.42
Imperatores consecrandi ritus apud Romanos 85.27
Imperatores Constantinopolitani 361.40
Imperatores fratres inter se confligunt, Papa concitante 404.60
Imperatoribus optimis succedunt pessimi annis centum 28.25
Imperatorum dos prima 105.30
Imperium inter fratres reconciliatos diuisum 240.50
Imperium Romanum sub Augustulo Caesare intercidit 135.12
Imperij Romani diuisio 105.30
Imperij diuisio inter Caroli M. filios 207.36
Imperij Francorum inter fratres diuisio 238.17
Imperij insignia 353.40. & 469.10
Imperia quae virtutes retineāt 298.62
Induciomari Treuiri interitus 35.15
Ingelhaim 179.23
D. Ingenuinus Sabonensis antistes 151.44
Ingeramus Herminius 15.25
Ingeuon quamdiu regnarit 11.62
Ingeuonum appellatio 11.41
Ingeuonum sedes 11.50
Ingo Venedorum regulus quo astu nobilitatem Christo lucrifecerit 177.40
Innocentius pont. max. acerrimus hostis Imperatoris 421.57
Innocentius pontif. maximus praelio vincitur, à Rogerio Siculo 382.54
Innocentius septimus pontifex maximus 496.3
Innocentij tertij pontif. obitus 407.30
Innocentij quarti pont. max. mors 428.39
Insbruck igne conflagrat 443.47
Instrumentum Vessebruna quale 185.35
Interregnum papale 462.18
Interrex Imperij 443.9
Intoxicationis annus notatur 460.6
Inuidia commune aulicorum malū 230.18
Inutrium vicus 58.45. & 150.2
Ioachaz rex Iuda vinctus catenis in Aegyptum deportatur 20.53
Ioachim rex Iuda ante vrbis moenia trucidatur 20.62
Ioachimo regi Iuda cur Neri cognomen populus indiderit 21.19
Ioannes Bocacius 491.11
Ioannes Hertzog im Laußnitzer Land 503.10
Ioannes Boiemus rex 473.49
Ioannes Brabantinus ad Bathauos transitum facit 504.34
Ioannes Brabantinus moritur 505.16
Ioannes Buridanus Viennensis Gymnasij institutor 383.30
Ioannes Caietanus pontifex maximus Gelasius dicitur 379.15
Ioannes comes ab Abensperg 454.42
Ioannes dux Boiorum, Stephani filius 490.43
Ioannes dux Burgundiae trucidatur 502.47
Ioannes dux Hollandiae moritur veneno 504.20
Ioannes episcopus de Agram 507.5
Ioannes episcopus Leodiensis 494.56
Ioannes episcopus Lubecensis 508.18
Ioannes & Sigismundus, Alberto patri succedunt 511.30
Ioannes Euangelista sub Traiano decessit 82.32
Ioannis Euangelistae vita 82.34
Ioannes Faustus Chalcographiae inuentor 512.32
Ioannes Galeatius dux Mediolanēsis 493.10
Ioannes Grunuualder theologus 498.10
Ioannes Huß 500.20
Ioannes Huß comburitur 501.10
Ioannes in Italiam contendit 475.57
Ioannes Leodiensium episcopus obsidetur 496.55
Ioannes pontifex maximus 263.29
Ioannes decimus pontifex max. deponitur 305.15
Ioannes primus dux Boiorum moritur 480.34
Ioannes duodecimus pont. max. officio motus 474.39
Ioannes vigesimus secundus pont. max. antè Iacobus Caturcensis dictus 462.19
Ioannes vigesimus tertius pontifex maximus 497.60
Ioannes rex Boiemiae 456.32
Ioannes rex Franciae capitur 483.49
Ioannes Schiltberger postliminio in patriam redit. Tamerlani & Turcae praelium scripsit 495.8
Ioannes Scribarum magister, Imperium Romae arripit 128.16
Ioannes Scribarum magister victus interimitur 128.24
Ioannes Stabius Historiographus 4.29
Ioannes octauus summus pontifex 266.56
Ioannes Teutonicus Decretalium interpres 435.44
Ioannes Tulpeck episcopus Frisingensis 513.18
Ioannes Vangio Francus medicus 81.49
Ioannes Zisca mortem Hussij & Hieronymi vindicat 499.60
Ioānis & Margretha Maultäschin diuortium 480.60
Ioannis primi pontificis max. mors 150.39
Ioannis Euangelium in Pathmo scriptum & exilium 82.34. pictura 82.38. sepulcrum 82.37
Ioas Simeon rex Iudaea 65.34. cuius operâ seruatus
Ionia oppida 52.63
Ioram quamdiu regnarit 65.52
Iordani loci restitutio 11.58
Ioschuach Mosis successor 15.6
Ioschuach quamdiu Iudaeis praefuerit 15.7 eius praeclara facinora 15.8
Iosaphat quamdiu regnarit 65.50
Fl. Iosephus belli Iudaici scriptor 72.12
Iosephi & Mariae sponsi progenies 66.26
Iouis simulacrū in loco resurrectionis Christi positum 83.43
Irena Augusta habenas Romani Imperij arripit 196.55
Irena in exilium mittitur 204.19
Irena Leonis quarti Imp. Constantinopolitani vxor 191.1
Irena ad Carolum Magnum Legatio 204.31
Irmindruda Bosonis regis Galliae vxor 279.44
Irmindruda Ludouici secundi filia 275.55
Irmingarda D. Chunigundae Augustae

Augustæ soror 373.25
Irmingardis Ludouici pij Imp. Vxoris mors 225.11
Irmogarda Desiderij regis Italiæ filia 177.13
Irmogardæ Augustæ obitus 243.59
Isacus quando natus 11.61
Isarus amnis 60.11
Isara rapidißimus amnis 58.52
Isara atq. Lusa confluentes 58.52
Isaræ contermina oppida 58.43
Isaræ descriptio 3.15
Isenischus fluuius 59.52
Isis à Sueuis pro Dea culta 13.8
Isis cur Dea credita 13.7
Isis quæ & Ceres & Iuno, in Italia dicta 13.9
Isidis signum 13.8
Isidis inuenta 13.5
Israelitæ ob idololatriam grauibus pœnis affecti 13.53
Israelitarum de Aegypto liberatio 13.44
Isthmus 52.13
Isteuon quamdiu regnârit 12.2
Isteuones Rhenenses 11.53
Italia à Saracenis inuaditur 241.25
Italia à Tyrannis ab Osyri liberata 12.33
Italiæ longitudo & latitudo 45.50
Italia in duos principatus diuisa 192.43
Italia omnium terrarum parens & alumna 49.2
Italiæ regiones vndecim 49.51
Italiæ regionibus quæ prouinciæ coniunctæ fuerint 49.52
Italiam Imperio Rom. ablatam Carolus M. rursus ei coniunxit 50.38
Italus ex Cheruscis oriundus, qui & Italicus 70.61
Itha Rudolphi secundi Boij, vxor 373.15
Iubilæus annus Romanorum 98.15
Iubilæus annus ad quinquagesimũ institutus 487.57
Iudæi aduersus Christianos conspirant 74.2
Iudæi bellum contra Romanos meditantur 82.13
Iudæi Mesopotamia exturbati 82.31
Iudæi non tàm nostrâ ætate inuisi, quàm nos illo tempore fuimus 77.47
Iudæi occiduntur in plerisq. Germaniæ locis.
Iudæi solutâ captiuitate læti in palæstinam migrant 21.26
Iudæi suis corporibus pascuntur 77.48
Iudæorum 180. combusti 442.10
Iudæorum concrematio vbique in Germania 453.10
Iudæorum cœtus frequẽs in Paschalibus 77.53
Iudæorum duces 82.14
Iudæorum gentis & nominis Vespasianus Imp. extinctor 73.54
Iudæorum numerus fame & gladio peremptorum 77.51
Iudæorum prætores seu indices 15.11
Iudæorum regni diuisio 20.18
Iudæorum strages in Asia 561.59
Iudæorum vltima strages 84.14
Iudichilo à Nordmannis occisus 254.33
Iuditha Augusta à Ludouico pio Imp. separatur 233.39
Iuditha Augusta legatos ad Lotharium mittit 237.31
Iuditha Augusta exilium 233.43
Iuditha filia Welphonis Sueuorum ducis Lud. Pio Imp nupta 225.26
Iudithæ sacræ historiæ auctor 22.9
D. Iudoci templi cõflagratio 495.51
Iulia Augusta, Septimij Seueri Imp. vxor 91.59
Iulia vrbs 19.39
Iulianus à Syris cõuitijs affectus 117.4
Iulianus ab omnib. receptus 115.60
Iulianus acerrimi ingenij 116.37
Iulianus Cæsar, Augustus declaratur 115.29
Iulianus Constantij patruelis Cæsar creatur 112.17
Iulianus Christianismum simulat 113.37
Iulianus conuitijs à militib. affectus 113.43
Iulianus in Germaniã transit 115.6
Iulianus Imp. & Porphyrius Euangelistarum calumniatores 65.10
Iulianus in Christiana religione ab Eusebio institutus 116.37
D. Iulianus ingenti pecunia Imperium emit 89.58
D. Iulianus quãdiu regnârit 90.18
D. Iuliani interitus 90.16
Iulianus Imp. magiæ dedit 116.46
Iulianus Imp. Mercurium maximè coluit 116.50
Iulianus Imp. quatuor annos cum Germanis decertat 112.10
Iuliani contra Christum libri 117.8
Iuliani Imp. defectio 116.42
Iuliani Imperat. patria & parentes 116.36
I. Imperium & vita 116.35
Iuliani morientis contumelia 117.111
Iuliani sepultura 117.15
C. Iulius Cæsar Consulem facit seipsum 36.10
C. Iulius Cæsar eloquentiâ & eruditione nullus secundus 40.27
C. Iulius Cæsar Heluetios cum Boijs vincit 33.53
C. Iulius Cæsar in Galliam missus 33.44
C. Iulius Cæsar rerum gestarum magnitudine omnes superauit 40.46
C. Iulij Cæsaris clementia 35.63
C. Iulij Cæsaris dictum 35.63
C. Iulij Cæsaris interitus 40.53
C. Iulij Cæsaris libri 40.29
C. Iulij Cæsaris pater 40.27
C. Iulij Cæsaris pro ducibus Austriæ diploma 489.62
Iulius Philippus Vindelicorum præses 94.22
Iulius secundus pontifex maximus 437.38
Iulius Syllanus consul 95.50
Iulium Carnicum 37.14 & 60.49
Fl. Iulius Crispus Constantini filius 108.49
M. Iunius Syllanus cũ exercitu cæsus à Germanis 31.29
Ius pontificale quid contineat 383.16
Iustinianus Imp. mentis impos. Byzantij moritur 156.30
Iustinianus Imper. Africam domuit 154.4
Iustinus Imp. expeditionem Italicã meditatur 154.3
Iustinus philosophus martyr 85.20
Iustinus Thrax genere, Imperium obtinet 149.8
Iustitia comitissa vxor Ottonis 381.46
Iustini mors 158.7
Iuuauiæ deuastatio 138.50
Iuuauia nunc Salisburgum 60.49 & 138.48
Iuuauus flumus 60.52
Iuuianus Varromani præfecti filius Imp. 117.28
Iuuiani mors 117.54

K.

Kaubaim 54.19
Kelbaim oppidum vnde dictũ 18.39
Keltz 55.62
Keltzge vnde dictum 18.39
D. Kiliani templum subito fulmine afflatum 244.40
Kesching 55.56
Kolstenus 457.37

Knoblauch Pseudorex Germaniæ 156.46
Kofflain 1.41.& 3.10
Kotinguuerd, arx proxime Geysenfeld 489.18
Kotzel qui & Hefilo 236.2
Küngsteur, Vanoleben / Herismud / quæ instituerit 216.12
Kyntzge pagus 58.14

L.

Labacum, Carnorum caput 9.1
Labassarodo, hus rex Babyloniæ 21.25
Lactantij paupertas 108.62
Lacus Brigantinus 111.49
Ladislaus rex Vngariæ trucidatus 512.48
Ladislaus Boiemiæ rex iunior moritur 513.50
Ladislaus Boiemiæ regno motus 306.3
Ladislaus Vngariæ rex 429.20
Ladislaus Neapolitanus Romã occupat 496.8
Laertis arma in confinio Rhetiæ 15.45
Læsæ maiestatis crimine condemnatorum supplicium 203.60
Lambach monasterium 60.54
Lamberti filij Vidonis mors 285.14
Landoberti Theodonis filij profugi mors 162.49
Landolphi à Danis occupata 280.22
Landobertus frater Vtæ filiæ Theodonis 162.14
Landobertus Traiectensibus datur episcopus 163.35
Landobertus Traiecto restitutus 263.54
Landobrandus rex à Longobardis creatur 163.25
Landskron arx munitissima 432.24
Langham monasterium Cisterciensis instituti 426.11
Laodamia Boema 405.40
Laomedon Priami pater 16.50
Lapidis sculptura Pinoburgij 55.63
Larisham monasterium 422.61
Latinus rex Latinorum Æneæ filiam suam Lauiniam in matrimonium dat 39.35
Lauarus amnis 58.31
Lauari amnis hostia 58.7
Laureacensis archiepiscopus 69.56 *quot olim suffraganeos habuerit* 69.6 *oppugnatur ab Alemannis* 139.48
Laureacum Romanorum colonia 287.12
Laureaci euersio 139.50
Laurentius Bogner 511.10
D. Laurentij martyrium 99.6
Laus Pompeia à Boijs condita 19.12 & 140.9
Lauinium oppidum vnde dictum 39.40
Legati Saxonici ad Carolum M. missi 187.25
Legatorum Romanensium oratio ad Imperij proceres 333.46
Legatio Rudolphi Imp. ad Boiemũ de pace 430.41
Lex Dei 93.30
Lex Salica à quibus lata, & quando 161.37 & 183.39
Legis diuinæ summa 152.34
Leges à Carolo M. sancitæ 217.10
Leges de sacerdotibus latæ 224.26
Leges portoriæ in Boiaria 288.28
Legum vetus decretum apud Romanos 93.24
Legio Christiana pluuiam & fulmina impetrat 87.49
Legio Christianorum fulminatrix vnde dicta 87.52
Legio Romana à Gallis cæsa 24.57
Legiones Romanæ à Germanis pulsæ 69.63
Legiones vnde dictæ 47.52
Leibzinß 457.60
Lenæus Grammaticus, Pompeij libertus 32.49
Lentulos Gothos repressit 41.59
Leo nonus pontifex maximus 325.60
Leo octauus pontifex maximus 305.15
Leo tertius pontifex in catenas conijcitur 200.16
Leo primus pontifex contra Eutychetas & Nestoris hæreses scripsit 130.5
Leo primus pontifex superbiam episcoporum damnat 129.59
Leo tertius in Hadriani locum cooptatus 198.49
Leonis noni pontificis mors 329.25
Leonis quarti pontificis mors 224.1
Leonis septimi pontificis Rom. epistola 294.32
Leonis quarti, Imperatoris Cõstantinopolitani mors 191.1
Leones alere gentilitium principib. Bauaris vnde 13.30
D. Leodegarij interitus 163.52
Leodesij interitus 163.52
Leon. primus eligitur Imperator 133.60
Leon. secundus Imp. Constantinopolitanus 148.57
Leon. Pardi filius, Græcorum Imperator 115.7
Leonardus de Laymingen cum Austriaco reconciliatur 504.13
Leonardus de Laiming Boius 504.25
Leonhardus Eckius Iureconsultorũ facundissimus 18.39
Leonhardus episcopus Bathauensis 508.11
Leonides Origenis pater, martyr. 90.46
Leonora Imperatrix Friderici III. Coniux 513.17
Leopoldus nobilis ab Egolfstain, episcopus Bambergensis 483.12
Leptis patria Seueri Imperat. 52.28
Leuni qui Horatio scilicet Geloni 54.1
Libanius sophistes præceptor Iuliani 116.36
Libinus à Germanis occiditur 115.44
Libusa atque Isara confluentes 58.52
Licinius à Constantino interfectus 1.8.25
Licinius Gallienus Imp. voluptuarius 100.35
Licinius iunior fraude Faustæ Imp. occisus 108.63
Licinius Licenianus Imperator 107.30
Licinius literarum hostis 108.26
Lindeuuitus Sclauus magnum incendium in oriẽtali Boiaria excitat 225.29
Lindeuuiti Sclaui interitus 227.11
Lindeuuiti proscriptio 225.55
Lingua Germanica quando latinis literis scribi inceperit 2.15
Linzium à Rudigero episcopo obsidetur 410.54
Litana sylua an der Leitten 28.31
Litanicus Hylderici filius, Francorũ regno potitur 156.57
Literarum inuentio 10.9
Literarum & studiorum Carolus M. instaurator 220.26
Lith. fluuius in Austria 201.5
Litomarus Bulgarorum rex
Liuobrandus rex Longobardorum 165.57
Litopyrga Desiderij regis Lombardiæ filia, Thessalono desponsa 175.14
Liubulphus Heinrici tertij Boij successor 191.6
Locustarum copia in Germania 262.55

Lemo

Lombardia vnde dicta 157.17
Longa Alba 39.41
Longobardi Austriam occupant 140.42
Longobardi in Italiam migrãt 157.4
Longobardi rege destituti, ad tutelam muliebrem cõfugiunt 158.40
Longobardi quò secesserint 137.5
Longobardorum regnum 192.44
Longobardorum sanitia 157.18
Longobardorũ fides antiqua 137.7
Lorico coniurationis princeps in Ouonem regem Vgrorum 320.14
Lotharidos dira lues inuadit 238.19
Lothariani rebus perditis suppetias postulant 235.4
Lotharingiæ vastatio 285.34
Lotharius à patre benignè suscipitur 238.14
Lotharius & Ludouicus fratres reconciliantur 242.10
Lotharius ex Italia in Germaniam & Galliam redit 239.32
Lotharius filius Imp. rex salutatur 239.39
Lotharius rex Thietbyrgam ducit vxorem 245.14
Lotharius fit Cæsar 226.38
Lotharius fratri suo Carolo bellum indicit 242.48
Lotharius Galliæ rector rebellat 307.12
Lotharius Imperiũ resignat 244.61
Lotharius in Vugam versus 240.42
Lotharius monachus factus, paucis pòst diebus obit 245.2
Lotharius rex Boiorum 223.22
Lotharius re infectâ VVormatiam petit 240.32
Lotharius Romæ consecratus, Augustus appellatur 227.36
Lotharius Saxonũ opem petit 240.27
Lotharius Imp. Thetbergam repudiat 345.34
Lotharius Imp. Thetbergam vxorem repudiatam recipit 256.17
Lotharius veniam erroris à parente impetrat 235.24
Lotharius vires reparat 240.44
Lotharij secundi Saxonis coronatio 381.61
Lotharij fuga 240.20
Lotharij 2. Imperatoris mors 383.10
Lotharij responsum ad legatos pro Ludouico Pio Imp. 234.36
Lothario bellum a fratribus indictũ 239.49
Lucani locus 35.21. & 33.33. & 91.50
Lucani poetæ interitus 72.40
Lucanorum oppida 50.8
Lucariæ festa quãdo instituta 24.15
Lucius Verus Imp. apoplexiâ extinctus 87.14
Lucius Cyrenensis, Pauli commilito Apostolus Vindelicorũ & Rhætorum 68.56
Lucius Florus historicus 16.17
Lucorum & nemorum consecratio 9.54
Ludi seculares à Philippo Imp. instituti 98.17
Ludipertus archiepiscopus Moguntinus pacis magis quàm armorũ studiosus 253.11
Ludmilla vel Laodomia Salingensis monasterij fundatrix 409.40
Ludouicus Angilostadiensis affinitate Francorum fretus, contra Boiariæ principes fuit 495.20
Ludouicus Angilostadiensis Heinrico Landshutensi diẽ dicit 499.20
Ludouicus Annam Borboniam vxorem ducit 495.38
Ludouicus Balbus Imp. 266.63
Ludouici Balbi mors 269.43
Ludouicus Barbatus à Cæsare ius implorat, & Heinricum scelerum accusat 500.60
Ludouicus Barbatus ab Hainrico vulneratur 500.62
Ludouicus Barbatus capitur à filio 511.52
Ludouicus Barbatus cum Ludouico gibboso conspirat 501.32
Ludouicus Barbatus moritur 512.7
Ludouicus Barbatus sex vrbibus exuitur 495.22
Ludouicus Bosonis filius 276.44
Ludouicus Brandenburgius Carolo quarto Imp. insignia Imperij reddit 487.54
Ludouicus Caroli M. filius principũ cõsilio, Augustus appellatur 222.15
Ludouicus comes ab OEttingen capitur 502.12
Ludouicus Boiorum rex contra Venedos bellum gerit 261.8
Ludouicus Bauarus Imp. cum exercitu in inferiorẽ Boiariam transit 460.30
Ludouicus rex Boiorum cum Carolomanno in gratiam redit 252.44
Ludouicus Imp. cum Luitgarda vxore in Boiariam tendit 263.54
Ludoui. Imp. cur Pius dictus 222.48
Ludouicus 10. Boiorum Dux 512.60
Ludouicus 12. Galliæ rex 437.39
Ludouicus Dux Boiorum à morione interficitur 409.25
Ludouicus Dux Boiariæ Cæsar declaratur 461.13
Ludoui. dux Boiorum capitur 407.1
Ludouicus dux Boiariæ Palatinum in tutelam accipit 406.58
Ludouici Boiorũ ducis ædificia 405.25
Ludouicus Ludouici Boij erroris veniam petit & impetrat 253.14
Ludouicus & Carolus in parentem & Carolomannum fratrem conspirant 259.58
Ludouici & Caroli regum fœdus 252.50
Ludouicus filius Arnulphi fit Imp. 285.21
Ludouic. filius Caroli posthumi rex Galliæ 295.16
Ludouicus filius Pij ex Aquitania reuocatur 201.39
Ludou. Boius Galliam vastat 263.59
Ludouici Galliæ regis mors 270.31
Ludouicus 12. Gallorum rex Caroli viduam ducit vxorem 256.30
Ludouicus Liber vitâ excedit 511.50
Ludouicus Gibbosus, Barbati filius 508.4
Ludouicus Gibbosus Bauariæ dux ex Borboniis 34.10
Ludouici Gibbosi genus 34.9
Ludouicus Heinricum fratrem criminũ accusat & Galliam vastat 499.30
Ludouicus Imp. cum Carolo de potentatu contendit 246.11
Ludouici 4. Imperatoris diploma 478.60
Ludouici Boij mors 264.48
Ludouici Boij virtutes 264.53
Ludouicus impuber à Berẽgario excæcatus 275.57
Ludouicus Boius in Saxoniam arma mouet 240.54
Ludouicus marchio Brandenburgẽsis 486.8
Ludouicus Bauarus veniam petit 507.11
Ludouicus 1 Boiorũ dux, arcis Abudiaci destructæ instaurator 55.46
Ludouicus quartus Imper. Romanus benefactor Monachorum 294.38
Ludouici quarti Imper. Rom. mors 484.17
Ludouici 4. Rom. Imp. parentes 461.23
Ludouici 4. Rom. Imp. publicum edictum 469.32
Ludouicus Palatinus ægrotare capit 446.5
Ludouici Palatini elogium 446.15
Ludouici Palatini oratio ad Principes imperij 445.20
Ludouico Palatino fit potestas Cæsaris appellandi 436.23
Ludouicus Pius Imp. Rom. ad filios tendit 233.34
Ludouicus Pius aduersus Danos mouet 236.16

Ludo-

Ludouicus Pius Gregorij quarti responso mitigatus 233.18
Ludouicus Pius communi Principum Germaniæ & Galliæ decreto, Cæsar designatus 222.15
Ludouicus Pius filios excipit 334.57
Ludouicus Pius filios per legatos ad se reuocat 232.61
Ludouicus Pius fortunæ pila 239.13
Ludouicus Pius Frācofordiam proficiscitur 223.36
Ludouicus Pius honorificentißimè à Germanis exceptus 222.42
Ludouicus Boius in fugam compulsus 240.1
Ludouicus Boius insidias sibi structas intelligens, Germanorum opē implorat & impetrat 237.40
Ludouic. Pius quando obierit 239.6
Ludouicus Boius Sueuorum animos sibi conciliat 238.30
Ludouici Pij animam efflantis vox 239.7
Ludouici Pij clementia 235.24
Ludouici Pij coronatio 224.5
Ludouici Pij curatio 224.12
Ludouici Pij diploma 195.7
Ludouici Pij filij 224.25
Ludouici Pii leges de sacerdotū luxu 224.26
Ludouici Pii sepultura 239.10
Ludouicus Rex Boiorum à suis deseritur 248.16
Ludouicus rex Boiorum belli vim in filium conuertit 252.5
Ludouicus rex Galliæ Christianam Philosophiam recipit 143.54
Ludouicus rex Frācus amittit vxorem 388.37
Ludouici regis Francorum mors 147.51
Ludouicus rex Francorum in Gotegiselum & Gundebaldum Burgundios arma mouet 144.14
Ludouicus rex Boiorum in Venedos arma mouet 251.23
Ludouicus rex Boiorum legatorum precibus locum dat 247.28
Ludouicus rex Boiorum Orientale regnū inter fratres diuidit 261.9
Ludouicus rex Boiorum victor in Boiariam redit 252.44
Ludouicus rex Vgrus in Campaniā exercitum ducit 482.18
Ludouicus rex Vgrorum Campaniā redimit 481.37
Ludouici regis Francorum ad Boiorum regulum oratio 145.5
Ludouici regis Francorum aduersus Venedos expeditio 244.50
Ludouici regis Boiorum mors 271.1
Ludouici regis Boiorum sepulchrum 271.2
Ludouici regis Francorum mandata ad Theodonem regulum Boiorū 145.4
Ludouici regis Francorum votum 143.57
Ludouicus Romanus Cæsaris filius 486.8
Ludouicus secundus Dux Boiorum nascitur 428.18
Ludouicus Theoderici regis filius, rex statuitur 164.4
Ludouicus Treispach 404.54
Ludouicus rex Boiorum victor euasit 240.8
Ludouicus Bauarus victor 460.30
Ludouici aduersus genitorem Ludouicum Boiorū regem conspiratio 252.8
Ludouici, Caroli, & Lotharii Frācorum regum fœdus 250.51
Ludouici Cæsaris Bauari legatio ad Pontificem Maximum 488.4
Ludouici concilium Moguntiaci 243.62
Lues grauißima in Italia 156.26
Lugdunensis prima prouinciarum Galliæ decima quæ contineat oppida 51.21
Lugduni conditor Munatius Plancus 41.13
Lugduni obsidium 283.2
Lugduni vastatio 112.46
Luitgarda, ab aliis Machtilda Henrici primi Imp. amita 290.48
Luitgarda abbatissa in Chiemsee 265.22
Luithardus Episcopi Romani decretum refert 275.14
Luitpertus Archiepiscopus Mogentinus 258.12
Luitpertus qui & Ludipertus & Lindebertus 261.25
Luitperti autoritas apud Cæsarem 275.20
Luitpoldus Austriacus Romæ moritur 409.21
Luitpoldus Austriæ Dux 403.22
Luitpoldus contra Suitones pugnat infeliciter 461.60
Luitpoldus Dux Austriæ ab Heluetiis cæsus 493.12
Luitpoldus filius Alberti, Austriaci limitis præfecti 316.54
Luitpoldus filius Eberhardi nepos Arnulphi 306.11
Luitpoldi fulminis belli immatura mors 318.44
Luitpoldi 1. Austriaci obitus 385.39
Luna oppidum Hetruriæ 283.13
Lusa rapidißimus amnis 58.52
Lupicinus Dux 115.25
Lupus abbas Augiæ 174.47
Lupus episc. Ratisbonensis 146.54
Lupus excoriatus, Bathauense insigne 423.3
Lupus Vasconum princeps 186.33
Lupi Pontificis Trecassensis facetia 131.5
Lutetia Parisiorum Franciæ caput 241.12
Lutetia Parisiorum fame ad deditionem coacta 136.5
Lutetia sedes regia 145.3
Lutetia obsessio 275.8
Lutharius in Germaniam proficiscitur 155.51. & 161.6
Lutharius primus, quo regni sui anno mortuus 155.52
Lutharius rex Francorum quando obierit 165.26
Lutharius rex Vestriæ 163.30
Lutharius veteres Boiorum leges emendat 161.13
Lutharij mors 161.29
Lutherij ducis mors 155.43
Luxonium Cœnobium à quo conditum 160.36
Lybius Hercules 13.45
Lycaonia, minoris Asiæ prouincia 53.6
Lycatij vnde dicti 54
Lyci ortus cursus 2.56
Lycostoma arx semidiruta Sechsgmund 54.28
Lydia 52.61
Lysimachus rex captus, liber dimittitur 25.58
Lytopyrga in sacratarum cœtu degere iubetur 180.25
Lytopyrga mulier imperiosa 178.20

M.

Macedones à Brenno victi 26.7
Macedonum imperium 22.31
Macedonia armis occupata 26.18. & 43.26
Macedoniæ vrbes 52.2
Machtylda Austriæ imperiosa 454.17
Machtylda Austriaca, Palatina Rheni 454.20
Machtylda comitissa de VVasserburg 427.28
Machtylda comitissa ab Henneberg, quot pueros simul genuerit 409.43
Machtylda emancipata à potestate filij Rudolphi 454.35
Machtylda filia Adolphi Cæsaris nubit 447.62
Machtylda filia Rudolphi Imp. Ludouico Palatino nubit 436.59
Machtylda vxor Rudolphi Palatini exul moritur 461.54
Machtylda Palatina mors 455.5

Macria-

Macrianus & Hariobaudus reguli fratres 115.10
Macrinus quibus consulibus occisus 62.45. *homo nouus* 91.40
Magia ars vanissima 72.28
Magdalena mater Hainrici Mediolanensis moritur 294.21
Magistratus autoritas à Deo 203.50
Magnosalda fluuius 3.34
Magnus & Hermannus duces Saxoniæ occisi 355.10
Maioranus à Richomare interfectus 134.28
Maioranus Cæsar declaratur 133.62
Maior domus 170.51
Maiores nostri nobis religiosiores 248.52
Maiorum nostrorum studia 182.7
Mãmæa Iuliæ Augustæ neptis 91.57
Mammææ matris Alexandri Seueri interitus 94.13
Manasses Palæstinam quanti mercatus 20.7
Manasses victus in Babylonem ducitur 20.43
Manasses resipiscens ad Imperij culmen rursus euehitur 20.46
Manasses diuinæ clementiæ illustre monumentum 20.49
Manfredus Friderici secundi Imp. filius 433.28
Manfredus vincitur à Carolo Andegauensi 433.54
Mangoldus comes à Veringen & Aribertus à coniuratis ad Hyldebrandum mittuntur 353.20
Manna cœlestis 13.52
Mahomethus in Arabia quando ortus 159.62
Mahomethus se nuncium & interpretem Dei cœlitus demissum simulat 160.1
Cn. Manlius Volsco militum corruptor 30.40
Cn. Manlij Volsci cũ Germanis Asiani bellum 30.34
Manus successit patri Tuisconi quãdiu rerum sit potitus 11.29
Mani in Deorum numerum relatio 11.41
Mansee monasterium 309.16
Mãtua & Florẽtia capiũtur 360.63
Manumittendi ceremonia 458.4
Marca quid 403.51
Marcellianus orator eloquẽtissimus 99.8
Marcellinus Maximi Tyranni frater in fugam versus 121.41
Marchiones Boiariæ quatuor 151.4
Marcianopolis Mœsiarum caput 97.30
Marckfeld/ *Quadrorum regio* 12.60. & 87.44

Marcomannia 88.80
Marcomanni Illyricũ vastant 86.62
Marcomanni quem tractum habitârint 12.59
Marcomannicum bellum longè grauissimum 87.23
Marcomannici belli quantus timor 86.63
Marcomarus Francorum rex capitur 125.15
Marcus Antoninus Imp. Boiemiæ & Poloniæ regnum prouincias facere conatur 88.15
Marcus Germanorum dolum suspicatur 87.11
Marcus Antoninus quamdiu regnârit 88.22
Marcus Varro diligentissimus antiquitatum perscrutator 18.29
D. Marcus vbi docuerit 69.2
Marci Antõini hæres Cõmodus 88.24
Marci Antonini Imp. obitus 88.21
Margaretha Batauæ 472.61
Margaretha filia Ducis Carinthiæ & comitis Tyrolis 463.7
Margaretha ducissa Boiariæ moritur 507.34
Margaretha filia Ludouici Brigẽsis nubit Alberto Boiariæ duci 487.30
Margaretha filia Friderici marchionis Brandenburgensis, Ludouici coniux 509.36
Margaretha Ludouici Gibberi vxor curatori suo nubit 511.60
Margaretha Maultäsch *dicta &c cur* 480.55
Margaretha regis Boiemiæ filia Heinrici 13. Boiorum ducis coniux 464.19
Maria filia regis Boiemiæ 463.4
Maria vxor Hainrici quarti ducis Boiorum 313.54
Maria vxor Ludouici Seueri decollatur 429.30
P. Marianus Scotus 339.7
Maricus Pseudo Deus Boiorũ 33.60
Maricus feris obiectus 34.2
Marinus pontifex creatur 272.28
D. Marini mors 149.50
Marini pontificis obitus 149.49
C. Marius aduersus Iugurtham prosperè bellum gerit 31.31
C. Marij cum Cimbris pugna 31.52
C. Marij flagitante aquam exercitu responsio 31.54
L. Marij Teutono ad certamen prouocanti responsum 31.42
Marij triumphus 32.40
Marij victoria cõtra Germanos 31.51
Marius bellum Germanicum decretum 31.32
Maris Erythræi transitus 13.47
Marmarica, Aegypti prouin. 52.42

Marobodus rex ab Augusto magnas opes consecutus 41.34
Marobodi regis Sueuorum nomen inuisum 67.63
Marobudum est Praga 14.41. & 41.41
Marso quamdiu Germania paruerit 12.26
Marsoburgũ Misniæ oppidũ 12.27
Martha à Werdenberg ex Martha Nicolai vxore 510.12
Martialis Caracallæ interfector, à Germanis confoditur 91.31
Martianus Augustus moritur 133.59
Martianus quamdiu in Oriẽte imperârit 129.56
Martianus Boiemus Historicus 435.47
D. Martinus Marius Cancellarius 513.54
D. Martini Galliciæ episcopi libellum de quatuor virtutibus falso Senecæ adscribi 128.57
D. Martinus miles 112.16
Martinus quartus pontifex maximus moritur 440.24
Marus fluuius in Vngaria 315.43
Massagetæ & Hunni Asiam inuadunt 124.57
Mathæas Germaniarum rex 25.6
Matthæus quando Euangeliũ suum scripserit 70.15
Mathematicos Domitianus Româ pellit 80.24
Mathsee monasterium 290.11
Maternus proditus à suis occiditur 89.25
Matrimonij vsus sub Tuiscone 10.15
Mauri Corsicam inuadunt 208.30
Mauricus campus aliàs Catalaunicus 131.36
Mauritania prouinciæ dux 52.30
Mauritius Imp. Cõstantini Thracis successor 158.9
Mauritius Amartyr 107.55
Mauromanus vitã cum regno finit 223.61
Mausolea vetera ducum Boiariæ 162.33
Maxentius à Constantino interemptus 108.23
Maxentius manũ sibi infert 110.62
Maxentius Maximiani filius, Augustus nuncupatur 107.34
Maximus bellator 96.40
Maximinus cum maximo exercitu Romam venit 96.12
Maximus episcopus Salisburgensis in crucem agitur 135.52
Maximus Tyrannus Galliam occupat 120.41
Maximus Tyrannus securi percutitur 121.47

Maximus Victorem filium Cæsarem designat 120 57
Maximi interitus 132.43
D. Maximilianus archimystes Laureacensis pro Christiana republica se deuouit 106.13
Maximilianus Romanorum Imperator 437 30
Obit 8.2
Maximiliani Imp. de Commentariis Cæsarum dictum 35.23
Maximinianus Herculius strangulatus 106 9
Maximinus cadu auidissimus 94.58
Maximinus Germaniæ bellū infert 95.21
Maximinus pacem & fœdus à Germanis emercatur 95.33
Maximinus Pupienus & Clod. Balbinus Augusti appellati, &c. 96.25
Maximinus tātum crudelitate imperium retineri putauit 94.60
Maximini amici, d latores, calumniatores q; occisi 95.52
Maximini à Saxonibus occisi 128.34
Maximini caliga prouerbiū 94 46
Maximini crudelitas 94.57
Maximini interitus 95.43. & 96 45
Maximini nomen erasum & statua deiecta 96.3
Maximus parricida, Imperium Romanum arripuit 120.41
Mediolanum à Gothis obsessum capitur 154.35
Mediolani direptio 315 16
Mediolani obsessio 489.56
Mediomatrici vastatio 131.3
Medus Palæstinam Carolo reddidit 209.55
Megenfridi Saxonis oratio ad Cæsarem Henricum 4. 343.45
Meinradus monachus primus incola deserti Clarona, à latronibus trucidatus 251.26
Melk monasterium 289.39
Meligasti & Celeadragi de regno Viltzorum disceptatio 227.28
Melpum vrbs euersa à Boiis 23.44
Memphis à Turca Selymo occupata 52.38
Menapy hodie Gelrenses 34.50
Menardus Tyrolius moritur 489 28
Mensæ aurea & tres argenteæ Caroli vendita 222.5
Mensium & ventorū nomina à Carolo M. inuenta 220.45
Mens sibi conscia recti nihil timet 252.4
Merodachus quam diu regnum tenuerit 20.36
Merouei regis Francorum interitus 131.43
Mesopotamia vrbes 53 46
Metellus Tigurinus poeta 376.10
Methodius philosophus literas inuenit 259.35
Metropoles in Imperio Caroli Mag. 222.9
Micca Gothus Maxi. pater 94.45
Michelinus Boiariæ dynasta 227.57
Michael Constantinopolitan. fit monachus 214.11
Michael Curopalates coniugis suæ fratrem Stauratium à fastigio rerum perturbat 212.63
Michaelis Constantini Imp. infelix pugna 214.10
Miles Romanus in angustiis positus 113.12
Militum Germanorum tria genera 216.45
Militare cuiuis non licitum apud Romanos 57.55
Militaris disciplina 22.38
Militaris disciplinæ diligentissimus cultor Seuerus 93.43
Militaris disciplinæ exemplū 47.37
Militarium copiarū diuisio 47.52
Miloduchi reguli Sclauorum casus 208 12
Mirabilia in solitudine ab Hebræis visa 13.50
Miraculum Dei in reducendo sole 20.40
Miro rex Galliciæ 128.56
Misitheus Gordiani Augusti socer 97.21
Misitheo mortuo Philippus succedit 97.62
Mithridates Arsacem regem Parthorum ad belli societatē inuitat 32.52
Mithridates duarū & viginti gentium rex 32.43
Mithridates Græciam & Athenas cepit 32.60
Mithridates medicinæ studiosus 32.45
Mithridates quamdiu cum Romanis bellum gesserit 32.56
Mithridatis mors voluntaria 32.62
Mittenwald vicus 58.44
Mixamus tyrannus Hispaniæ captus Honorio Imp. fuit spectaculo 127.58
Mœcenia pagus 58.6
Modestus Episcopus à D. Vergilio cōsecratur 177.15
Moemarus dux Venedorum 228 39
Moesa quintus Germa. regulus 8.48
Mœsa Varia, Iulia Augustæ soror 91 56
Mœsias quæ gentes teneant 51.46
Moguntiæ obsessio 77.15
Moguntiaci subuersio 126.28 monumentum 43 8
Moguntinus archiepiscopus, legatus Germaniæ designatur 171 53
Moguntinus archimystes primas deligendi Imperatoris Germani tenet 174.34
Monachium splendidissima vrbs Boiariæ 3 40
Monachiū recipitur à ducibus Boiorum 495.58
Monachi combusti ab Vgris 286.48
Monachi Franciscanorum Ingolstadij 447.18
Monarchiæ quatuor 19.44
Monasteria ædificata 337.2
Monasteria in Boiaria 169 30
Monasteria Franciscanorum & Augustinianorum quādo consecrata 485 56
Monasteriorum diuersorum in Bauaria fundatio 169.30
Monasteriorum situs & fundatores 382.4
Moneta noua cusa 424 34
Monetarum inscriptiones apud Romanos 67 12
Monumenta plurima vide à folio 54 inclusiuè, vsq; folium 64
Morauí bis fusi 253.43
Morauí cæsi à Ludouico rege Boiorum 260.6
Morauorum ciuile bellum 224 11
Morauorum primus ep̄s. Bichingus 284.43
Moraniæ deuastatio 286.2
Mora vniuersa depopulatio 245.38
Moresco 149 24
Morgengaab parapbernaiudicta 183 52
Mores bonos apud maiores nostros plus valuisse, quàm alibi bonas leges 182.42
Mormani tyranni interitus 225.8
Mossaburgi arcis constructio 170.51
Mosburgensis comitatus 446.50
Mosis quando natus 13 26
Mosis ex hac vita migratio 15 3
Mulier publice concionatur Theoda nomine 242.20
Mulierem Diabolus primò dolo illexit 5.35
Mulieres Angla Euangelio operam dantes 168.7
Munatius Plancus Ciceronis discipulus 41.12
Mundi summa Imp quatuor 19 44
Municipes Romani 48.40
Muram & Drauū veteres Boios & Venedes disterminasse 159.40
Mursa Pannoniæ vrbs 110.34
Mysia maior 52.19
Mysia minor, ante Eolis 52.57

Nabu-

N.

Nabuchodonosor Benmerodachi successor 20.50
Nabuchodonosor magnus Templum Dei spoliat 20.63
Nabuchodonosor vrbem cum templo succendit 21.12
Nabus fluuius 2.26
Nanetum à Nordomannis inuaditur 244.16
Narbonensis prima & secunda oppida 51.20
Narcissus athleta Commodū strangulat 89.30
Narisci auitas sedes nunquam amiserunt 36.42
Narisci vnde dicti 2.15.& 22
Narses intimus Iustiniani in Italiā venit 154.33
Narses quamdiu Italiam vrbemq́, Romam administrârit 155.46
Narsetis Eunuchi contumelia 156.55
Narseus rex Persarum turpi fugâ salutem quærit 105.11
Nazarius rhetor 39.6
Neapolis a Belisario expugnata 154 19
Nechao Iosiam hostiliter prælio occidit 20 51
Nemetes Germaniæ populi 14.26
Neostadium a quo acriter defensum 100.24. Gotthorum regis sedes 100. 23
Neostadium igne concrematur 501. 52
Neostadium in Boiaria præsidio firmatur 501.45
Nepotianus Imp. arripiens opprimitur 110.31
Nero de morte sibi consciscenda cogitat 72.50
Nero flagitiosus 72.30
Nero in Germanos munificus 171 57
Nero magicæ vanitati deditus 72. 27
Nero quādiu bene imperârit 72.25
Nero vitricū suum veneno sustulit 72.38
Neronis flentis dictum 72.60
Neronis fuga 72.63
Neronis interitus 73.24
Neronē se esse quidam iactat 73.32
Nertha Tuisconis mater 11 12
Nerua quādo imperare cœperit 81.2
Nerua Traianum designauit Cæsarem 81.4
Neruæ interitus 81.7
Neruij 31.7
Nestorij hæresis 130.7
Nevvenmarck oppidum à Cæsareanis obsessum 453.55
Neuburgium ad Oenum 456.42
Nicæa Bithyniæ caput 118.1
Nicasius Pontifex Remensis cum sorore Europia interemptus 126 31
Nicenum concilium 108.38
Nicephorus Græcorum Imperator 208.35
Nicephorus Imper. Constantinopolitanus 204.41
Nicephori Imp. interitus in Bulgaria 212.54
D. Nicetij martyrium 118.41
Nicodemus de Scala 511 40
Nicolaus à Cusa Cardinalis 508.16
Nicolaus de Abensperg trucidatur 510.52
Nicolaus de Abensperg vltimus suæ gentis 509.49
Nicolaus Dominicanus Pont. creatur 455.21
Nicolaus Episcop. Ratisbonensis moritur 403.60
Nicolaus Perottus 50.5
Nicolaus tertius Pōtifex Maximus 449.18
Nicolaus quartus Pontif. Maximus 443.55
Nicolai Pontificis Max. ad Ludouici filios epistola 253.15
Nicolai Pontificis epistola 255.25
Nicolai primi Pont. Maxim. obitus 256.43
Nicomedes rex Bithyniæ 27.44
Nigra sylua 14.28
Nigrus qui & Neccar. fluuius Sueuiæ 372 49
Nimroth Babyloniam condidit 8.12
Ninus à quo condita 19.53
Ninus defuncto genitori Belo diuinos defert honores 9.12
Ninus primus finitimis bellum infert 9.35
Nisibi S. Iacobus sepultus 117.43
Nitgerus Episc. Frisingensis 319.50 obiit 327.54
Nix insolita 448.27
Noës diuisit terram 6.31. cur Ianus dictus 9.42
Noas quando mortuus 11.30
Nodomarus captus Romæ moritur 113.9
Nodomarus Germaniæ rex 110.51 & 112.54
Noe arcā in Armenia subsedit 6.17
Noe arcam ingreditur 6.12
Noe egreditur arca 6.18
Noe iustitiæ exemplum 6.8
Nomenoius Britanniæ rex animam efflat 247.45
Nomentum oppidum 201.45
Nomina occisorum ab Vgris 289. 30
Nordopertus autor Præmonstratensium 176.54
Nordmannus rex Cimbrorum 211. 12
Nordmanni pacem petunt 329.14
Nordmanni victores contra Germanos & Italos 329.20
Nordgovv 2.18
Noreia Tauriscorum vrbs 14.8
Noricus cuius filius fuerit, cur dubitetur 14.4
Noricus filius Alemanni Herculis 13.62. & 45.2.
vnde Noricorum cognomen receperit 14. 2
Noricus vbi regnauerit 14.1
Norici descriptio 44.54
Norici fluminum nomina 2.25
Norici pars adhuc Boiaria 1.59
Norici situs 2.20
Norici vrbes 2.27
Noricum quando in Romanam prouinciam subactum 45.7
Norici, Italorum infestissimi hostes 45 26
Noricorum auraria ferrariaq́, 46. 30
Noricum mediterraneum 51 36
Noricum qui nunc possideant 45. 10
Norinberga à quo condita 14.13
Norinbergæ interpretatio 14.14
Numantiæ mœnia diruta à Carolo Magno 190.23
Numerianus adolescēs poeta Cæsar à patre Charo designatus 94.8
Numini inscriptio consecrationis Antonini Pij 86.2
Numinis cælestis effigiem quærere, imbecillitatis est humanæ 9 58
Nummatum inscriptiones 85 54
Numismatum in Boiaria inuentorum inscriptiones 82.53
Numitor Procæ filius 39.39
Nummi apud Albam Iuliam inuenti 81.49
Nundinas diebus festis Carolus M. ademit 217.20
Nuptiis Ludouici Boij Straubingæ celebratis qui interfuerint 408. 25
Nussium castellum 121.16

O.

Obalus duodeuigesimus Tuisconis comis 9.8
Oberthalen solo æquatum 449. 18
Obsides Cæsari Heinrico 4. dati 356. 38
Occidentalis Galliæ, reges Francorū cur appellentur 185.55
Ochozias sine liberis occisus 65 30
C. Octauius Augustus appellatus 41. 13

C.Octauius Cotisoni regi filiam suã desponsat 41.7
C.Octauius Iulij successor 40.60
C.Octauij propinquitas 41.1
Octauia Neronis vxoris interitus 72. 59
Octauia vrbis Tungrorum vastatio 130.62
Odoacer Laureacensis Archiepiscop. 159.49
Odoacer ter à Gottis vincitur 140. 54
Odagria pagus 139.61
Odagrius Rugiorum regulus, S. Seuerinum veneratur 139.60
Odia proximorum acerrima 35.62
Odoacri interitus 140.59
Oenobriga 3.7
Oedeburgium 37.10
Oenobriga Noricorum vrbs 3.7
Oenus fluuius 3.1
Oenus Straboni Athesinus 3.1
Oeni hostia 3.12
Oeni pontes 147.37
Oeni ortus 3.1
Oeni valles inferior & superior 3.5
Olymbrius quamdiu Imperij habenas potitus 125.9
Omen Imperij Diocletiano contigit 105.31
Omnia fert ætas Prouerbium 256. 27
Opilius Macrinus à militibus occiditur 91.46
Opilius Macrinus homo nouus 91.40
Opilius Macrinus quamdiu regnârit 91.44
Opilius Macrinus rebus Romanis imponitur 91.29
Oppenhaim condita 325.60
Oppida qualia Tuisco condere iussit 10.2
Oppidorum genera quinque 48.34
Opum Ecclesiasticarum dissipatio 232.49
Orbis terrarum diligẽtissimè ab Augusto descriptus 64.20
Orbis partitio in duo Imperia 205. 30
Orbis terrarum diuisio 49.14
Orbis terrarum lustratio 205.31
Organum in Germania primũ 174. 60
Organi conflatio 228.58
Origenes quando floruerit 94.16
Ormortag Bulgarorum rex 227. 54
Orchestra locus in Theatro à saltãdo dictus 70.54
Orthulphus ab Hochenwarth 337. 54
Ortona à Grimoldo obsessa 204 62
Osca Hispaniæ vrbis obsidio 199. 21.
Ostentum de victoria Roman. contra Cimbros 32.35
Ostenta Augusti tempore crebra 64.38
Osterſee Orientale mare 8.47
Ostrogetæ Pannoniã à Romanis Cæsaribus impetrant 118.00. & 130. 56
Ostrogothi 118.63
Osvvaldus pastor Venedorum 235. 48
Osyris à fratre Typhone interemptus 12.44
Osyris quando regnârit 12.23
Osyris quarum rerũ inuentor 12.30
Otbertus Argentoratensis Episcopus quando occisus 291.51
Ottenburg quando ædificatũ 404 59
Otto VVittlispachius à Calatino Bappenheimio occiditur 406. 13
Otto antistes D Lamperti 409.1
Otto Belgicus immemor Sacramẽti 315 23
Otto Bellouacorum episcopus 258. 30
Otto Boius cum vxore in periculo versantur 417.54
Otto Cæsari Friderico 2. obsidem filium dat 410.7
Otto Columna, Martinus quintus Pontifex maximus renunciatur 499.4
Otto comes Palatinus à VVitelspach 381.33
Otto Crondorffer Rudolphi quæstor 448.52
Otto de VVittelspach signifer Friderici primi Imp. 389.22
Otto dux Austriæ moritur 479. 60
Otto dux Boiorum 339.30
Ottonis Ducis Boiariæ funus 401. 54
Otto dux in Obernberg 422.40
Otto dux Sueuiæ 322 43
Otto dux Sueuiæ Boiariam occupat 306.59
Ottonis ducis Sueuorum obitus 325. 59
Otto Episc. Fruxinẽsis filius D. Luitpoldi historicus 184.42
Otto & Conradus comites de Valax 385.1
Otto dux Saxonum ex Sclauica matre natus 331.52
Otto filius Caroli Franciæ regis fit dux Lotharingiæ 308.12
Otto filius Hainrici ducis Boiorum 441.47
Otto filius Ludouici quarti Imper. 486.16
Otto Bauarus filios armis ornat Vtini 424.40
Otto Ruperti F. fit rex Franciæ 305. 62
Otto frater Friderici Elisabetham Boiam ducit 457.9
Otto Galliarum rex 277.12
D. Otto Pomeriorum apostolus obiit 379.35
Otto Hertzog von Mospach 506 37
Otto Episcopus Argentoratensis impietatis damnatur. 359.29
Otto primus Imperator pater patriæ dictus 304.25
Otto quartus Imperator profligatur 407.16
Otto quartus Imperat. moritur 407. 53
Otto Boius in Boiariam rediit 340. 60
Otto Palatinus cum fratre hostes oppressit 391.50
Otto Palatinus Cæsaris iugulum petit 405.51
Otto primus comes à Phalay 401. 9
Otto primus Roman. Imper. moritus 306.5
Otto Boiorũ regulus vt publicus hostis proscribitur 342.54
Otto qui & Vrbanus impietatis dãnatus 359.29
Otto Boius rebellionem facit 343. 11
Otto VVittelspachius reus maiestatis 405.60
Otto rex Vngariæ & dux Boiorum quando mortuus 459.48
Otto secundus coronatur Augustus 305.5
Otto secundus Romæ moritur 307. 57
Otto secundus Dux Boiorum 308. 52
Otto tertius Roman. Imperator salutatur 308.1
Ottonis tertij obitus 310.32
Otto sextus Boiariæ Dux 472.4
Ottonis Fruxinensis historici mors 391.32
Ottonis, Aurelianensis præfecti Heriberti consobrini exilium 231. 18
Ottonis Salij Imp. mors 76.41
Ottonis Sueuorum reguli obitus 332 37
Ottoni sacris interdictum 458. 39
Otto vom Thor pfleger von Oetingen 441.59

Otto-

Ottocarus rex Bohemiæ cum Cæsare in gratiam redit, & feudatarius fit 438.53
Ottocarus partem Styriæ occupat 424.50
Ottocarus rex Boiemiæ primus creatus 405.43
Ottocari & ducis Boiorum fœdus 435.60
Ottocari fuga 430.22
Ottocari interitus 439.24
Ottocari litera ad Cæsarem 438.46
Ottogerionis pontificis Mogontini obitus 242.14
Ouidy de Augusto locus 41.18
Ouidy locus 42.43.& 46.2
Ouo rex Vngariæ capitur 321.59
Ouo bis superatus, maximâ clade afficitur 319.1
Ouo cum Cæsare Heinrico confligere statuit 320.50
Ouo fugâ salutem quærit 321.17
Ouo homo ferox 320.9
Ouo pacem supplex petit 319.24
Ouo regis Teutonici Heinrici erga se voluntatem explorat legatione 317.59
Ouo vires reparat 321.44

P

Pacis templum à Vespasiano extructum 78.2
Pacis templum combustum 89.26
Pacis templi incensio 88.46
Pacifcant ducis Britonum obitus 254.31
Pacorus Parthorum rex 81.38
Palatium nunc Prætorij vocabulum 52.16
Palæstina à Philobelecho gravi tributo Rege Babylonio atterita 20.5
Palæstinæ vrbes 53.31
Pala ius à Witelspach 400 39
Pamphilia Asiæ minoris prouincia 53.5
Panno duodecimus Tuiscoms comes 9.1
Pannonia vnde dicta 9.3
Pannonia descriptio 44.60 & 51.40
Pannonia seruitio liberantur 87 38
Pannoniæ varia nomina 288.48
Papa Antichristus 42.1
Papa curà Cæsare desciuat 459.44
Papa regnorum mercator 48.40
Papæ Antichristi iam antea vocati 444 14
Papam nuncium Christi & Petri successorem appellari & esse debere, senatusconsulti decretū 395.2
Paparum artes 412.3
in Papas & eorum asseclas prouerbium 444.27
Papisticus mos 408.60
Paphlagoniæ oppida 53.13
C. Papyrius Carbo signis collatis re infecta discedit 30 48
Paradisus 5.30
Paring monasterium 401.18. & 463 31
Paris Helenam rapit 16.56
Parmensis episcopus Romam cōtendit 335.6
Parochia prædia stipendiaria 46. 22 & 47.63
Parthi à Macrino fusi 91.41
Parthi & Germani perpetui Romanorum hostes 38.52
Parthorum legati à Carolo quomodo excepti 209 23
Parthicum bellum qui confecerint 44.86
Parthiscus amnis 114 24
Paschalis pontifex max. Imp. Heinricum quartum & eius filium cōuiciatur 387.14
Paschalis pont. max. mors & sepultura 395.45
Paschalis primus Stephani quarti successor 224.15
Paschalis pont. max. deducit Imperatorem Heinricum quart. 374.23
Paschalis pont. max. mors 227.59
Pastoris boni officium 172 10
Pastores, ouium d uoratores 74.17
Pastores veri quæ cura gregem sibi creditum pauerint 108.47
Patientia virtutum prima 152.16
Patrum consultū 1 8 4 4 & 3 9 50
Patres qui sub Theodosio vixerint 123.7
Paulini episcopi Nolani mors 132.60
D. Paulus à Nerone occisus 71.44
Paulus classis præfectus, victus Venetias appulit 211.48
D. Paulus Deorum cultoribus salutis ianuam aperit 68.54
Paulus & Lucas Romam ducti 71 34
Paulus Pisanus Caroli Magni præceptor 180.22
Paulus Varnefridus diaconus 2.46
Paulus Varnefridus Carolo M. à sacris 221.34
Pauli Aquileiensis patriarchæ fuga 157.11
Pauli Beireulensis narratio 362.54
Pauli conuersio 68.50
Pecuniæ studium radix omnium malorum 182.16
Peisonis lacus longitudo & latitudo 37.42
Peleg nascitur 6.30
Peloponnesus peninsula 52.10
Penno vnde penninæ alpes 44.61.& 149.57
Perfidiæ auctores securi pensi 191.40
Perlacha campus 58.54
Persarum fœdus cum Romanis 105.12
Persarum regnum 20.2
Persarum regnum quamdiu permanserit 22.28
Persecutio Christianorum 99.5
Perusia septem annis à Totila obsessa expugnatio 154.61
Pestilentia grauis 87.24.& 212.50. & 226.18
Pestilentia Romæ 595.23
Pestis in orbe Romano 99.45
Petanio vrbs 121.56
Petrissa Ottonis de Schvvenfurt vxor 332.40
D. Petrus an Claudij tempore Romæ fuerit 71.30
Petrus Corbarius pont. max. 473.29
Petrus Damianus legatus pont. max. 342.18
Petrus episcopus Bathauēsis 433.49
Petrus Esarus 498.10
Petrus Frisius Roræ antistes 511.31
D. Petrus in vincula coniectus Iudæorum crudelitatē eu. sit 68 47
Petrus Moroneus pont. max. Celestinus quintus dictus 448.1
Petrus Poloniæ rex in vincula coniicitur 317.50
Petrus rex Arragoniæ 435.36
Petrus rex Vngariæ oculis priuatur 324.55
Petrus rex Vngariæ restituitur 321 40
Petrus Vngrorum rex 315.41
Petri ad Ouonem legatio 321.47
Pettendorff Monacum monasterium 435.60
Pezilo & obses Cæsari datus 319. 30
Pfal Romanorum Vallum 55.19
Phaethontis incendium 13 40
Pharos insula 214.2
Pharos insula Alexandriæ ponte iuncta 213.02
Phœnicia 53.36
Phering infra Ingolstadium 454.45
Philippolis diripitur à Gotthis 99. 28
Philippus ab exercitu interfectus 98.35
Philippus Alexandri frater, rex eligitur 22 56
Philippus Alexandri magni pater 22.47
Philippus Imp. armatâ manu contra Decium proficiscitur 98.30
Philippus Burgundiam, Hannoniam, Hollandiam possidet 505. 43
Philipp. Burgundus bellum in Francia Italica gerit 504.49
Philippus comes de Valois 467.51

Philippus dux Burgundiæ, abauus Caroli quinti Imp. 503.13
Philippus dux Sueuiæ Imperium ambit 404.17
Philippus fraude Imperium suscipit 98.1
Philippus in Holandiam cum exercitu contendit 504.60
Philippus Macedoniæ rex in quam Germaniæ partem profectus 25.4
Philippi regis Macedonum vulneratio 25.10
Philippus pontifex Saluburgensis dignitate abdicatur 431.59
Philippus Cæsar quamdiu regnârit, 98.37 an Christian^o fuerit 98.40
Philippi Imp. filius a prætorianis ... 98.36
Philippus Valesius Galliæ rex declaratus 478.42
D. Philippus vbi sepultus 52.62
Philippus Vlricum episcopum Iuuauensem fugat 432.60
Philippi auditoris Christi mors 71.27
Philippi regis Hispaniæ, patris Caroli maximi obitus 236.46
Philosophia an ... Christianissimi hostes & hæreticorum patriarchæ 75.54. & 107.59
Philosophus gloria animal 75.56
Philosophos Domitianus Romá pellit 80.24
Phocas ab Heraclio interemptus 158.11
Phocas Mauritij occisor 158.10
Phulobelechus Babyloniorum dux 19.56
Phrygia minor 52.58
Picti in Galliam irrumpunt 135.22
Pie victuro multa aduersa perpetienda 300.31
Pignoratitia bona 457.47
Pilgrinus episcopus Salisburgensis 489.39
Pinoburgium 53.62
Pipinus Cœnobij acta 184.56
Bauariá potitur 170.62
Pipinus à Bonifacio rex inungitur 174.33
Pipinus Aquitaniæ rex moritur 237.24
Pipinus ex Plectrudæ fœmina nobilissima filij 164.22
Pipini mors 177.7
Pipini sepulchrum 177.8
Pipinus filius Caroli Magni ad Prumiam transfertur 197.49
Pipinus Brabantiæ dux 161.33
Pipinus & Bertha Caroli Magni parentes 183.18
Pipinus filius gibbosus Caroli Magni 197.13
Pipini gibbosi contra parentem conspiratio 197.20
Pipinus è Cœnobio euadit 244.20
Pipinus in monasterium detruditur 243.55
Pipinus negligentius custoditus aufugit 232.39
Pipinus in Aquitaniam reuertitur 229.23
Pipinus insalutato patre in Aquitaniam clam discedit 232.24
Pipinus rursus a Carolo captus, artissimâ custodia seruatur 344.32
Pipinus Theodeberti comitis filiam ducit 227.11
Pipinus Thessaloni auunculus 175.39
Pipini Carolomanni filij mors 161.51
Pipini duces Caroli copias de improuiso cædunt 241.20
D. Pirminius antistes Sueuiâ exturbatus 164.51
Pisani se Ludouico Boio Imp. dant 473.11
Pisthius amnis 387.15
L. Piso præses 40.56
Pisonium 58.10
Pistor quidam impostor simulat se Brandenburgensem 487.15
Placentia à Boijs capta 29.8
Placidia Theodosij magni filia capitua 127.36
Placidiam Constantius ducit 127.52
Plassenburg arx Voitlandiæ 426.56
Pleinting ciuitas 427.42
Plinius secundus Veronensis quando obierit 80.6
Plinij bellorum Germaniæ libri non extant 80.10
Plinij locus 40.20
Plinij dictum 73.60
Plectruda Pipini Coniux 163.57
Plectruda Pipini Coniugis fuga 165.46
Poetæ à D. Paulo prophetæ dicti 5.23
Poetarum testimonijs cur author vtatur 5.21
Pola, Histriæ vrbs 111.13
Polling monasterium 176.48
Poloniæ primus rex 467.44
Cn. Pompeij fœlicitas 33.14
Pompeij Festi librorum compendiū 22.35
Cn. Pompeij fuga 36.9
Pompelo Nauarrorum oppidum 190.24
Pons à Cæsare factus rescinditur 34.60
Pontis descriptio 81.32. & 382.45
Pontis Rheni conflagratio 218.16
Pontifex Gregorius 9. & Imperator in gratiam redeunt 409.20
Pontifex Gregorius Romá vrbe pulsus 403.62
Pontificis Ioan. 22. ad Cæsarem Ludouicum Boium mandatū 481.55
Pontificis Ioannis 22. bulla contra Ludouicum Cæsarem vento plena 468.13
Pontificis maximi Zachariæ decretum 202.25
Pontificis maximi Ioan. 22. vafrum responsum 402.30
Pontificum Romanorum sanctitas 355.50
Pontius Pilatus Iudææ legatus 68.32
Pontius Pilatus mortem sibi consciscit 70.15
Pontij Pilati ad Tiberium epistolâ 68.54
Pontus Amasiæ 53.12
Pontus Ptolemoniacus 53.13
Ponti prouincia 53.9
Popo Frisiorum dux 167.2
Popo & Egino præfecti Turegum ciuil. in tumultū concitât 272.12
Poppo Treuerensis archiepiscopus moritur 325.40
Porta pilæ, fauces & claustra idem significant 335.56
Portius Septimius legatus Vindeliciæ 73.40
Possessiones bonorum in Boiaria triplices 457.43
L. Posthumij calua auro celata 28.45
L. Posthumius cum exercitu à Boijs deletus 28.30
L. Posthumij interitus 28.42
Precum piarum effectus 87.50
Presbyterissa quæ sint 346.22
Prælium magnum in campo Mauriaco 131.40
Prælium parricidiale 232.11
Præfecti ab Auito in Gallia constituti 133.52
Princeps absq; iustitia latro publicus 144.33
Princeps optimus ex æquestri ludo moritur, Ludouicus Boius 442.47
Principis boni officium 328.13
Principes optimi, patriæ patres 88.27
Principes qui cum Friderico primo contra Mediolanenses militarunt 391.18
Principes qui fuerint in expeditione Cæsaris contra Ottocarū 438.14
Principes quomodo laudandi 11.23
Principes viri qui ex parte Gallorum ceciderunt 415.17
Principum autes assentatorib. patula 178.26. conuentus Francofordia 444.35

Princi-

Principum in Palæstinam expeditio 362.10
Principum mors 435.53
Principum multitudo Reipublicæ perniciosa 239.42
Principum nomina qui cum Imper. in Syriam navigarunt 403.60
Principum pessimorũ notatio 85.33
Principibus benè merentibus qualis gratia olim referri solita 11.16
Principatus Boiorum Cæsaris Sigismundi iussu dividitur 506.14
Priscia regio Brisgoia 111.30
Priscianus quando vixerit 156.13
Probus Franciscanus Tubingensis 440.40
Probi Franciscani episcopi Tullensis oratio 440.45
Probus in patria occisus 103.48
Probus quamdiu imperârit 103.50
Probus per Europam vites coli permisit 51.43. & 103.52
Proca regnum 39.48
Procerum factio 232.48
Procopius Valentiniani hostis 118.14
Procopij interitus 118.40
Prodigium in Thuringia 226.56
Prodigia varia visa 32.35. & 78.59. & 157.8. & 180.44. & 350.48. & 364.33. & 377.50. & 411.15. & 442.60. & 481.7.
Prodigia Romani Imperij cladem portendentia 78.59. & 86.36
Prometheus 5.26
Propertij locus 28.19
Propertij locus de Brenni bello 27.2
Prophetæ falsi 346.44
Propria bona duplicia 457.48
Propriorum nominum varia mutationes 16.44
Proterius Alexandriæ episcopus ab Eutychianis occisus 130.20
Prothadij interitus 160.31
Prouerbium 135.36
Prouerbiũ in Rhetia vulgò tritum 362.21
Prouincia Italia 50.33
Prouinciæ pacatæ 48.54
Prouinciæ validiores 48.51
Prouinciarum duo genera 48.49
Prouinciarum præsidum stipendia 48.10
Prudentij locus 219.20
Pruina ex rore gelidissimo genita 201.34
Prusiada Bithyniæ caput 110.46
Psalterium Dauidis à D. Hieronymo emendatum 123.15
Pseudofridericus igne concrematur 440.18
Ptolemæus Ceraunos capitur à Germanis 26.7
Ptolemæus Cosmographorum princeps 8.33
Cl. Ptolemæus diligentissimus historiographus 44.40
Ptolemæi Philadelphi turris 214.1
Puella biceps in Boiaria nascitur 498.60
Puella decem menses omni cibo potuq; abstinet 227.21
Pugna apud Niderisbruck trans Danubium 439.22
Pugna inter Iulianum & Nodomarum 112.61
Pulcheria Theodosij soror augusta 130.5
Putei salinarij vestigia 58.15
Pyramidis inscriptio 54.7
Pyrenei montes 12.49
Pyreneorum cognomenta 12.50
Pythagoricorum de Cometis opinio 236.32

Q

Quadorum regio Danubio continua 12.59. & 87.44
Quadratus Atheniensium pontifex 83.24
Quercus visi, us vnde missus 147.23
Quercu nihil sacratius maiores nostri habuerunt 147.22
Quercuũ duarũ consecratio 147.18
L. Quietus Iudæos Mesopotamiæ exturbat 82.27
Quinquẽtiani Africam inuadunt 104.45
D. Quirin. Eucherij successor 100.16
D. Quirini episcopi submersio 36.60
D. Quirini episcopi vita carmine complexa 36.63
Quirini martyrium 107.54
Quintanorum vrbis excidium 58.14. & 139.6
Quinti edictum, contra potestatem Romani pontificis 374.46
Quintilius Claudij successor Imp. Aquileiæ occisus 101.55
Quintilius Varus Germaniæ præfectus 43.44
Quintilij Vari vitia 43.45

R

Rabanus abbas Fuldensis à monachis monasterio eliminatur 240.34
Rabani abbatis scripta 227.7
Rabani liber de sacrosancto Christi vexillo Sergio pontifici mittitur 241.29
Rabani archiepiscopi Moguntini obitus 245.14
Rabani pietas in pauperes 243.42
Rabanissa fluuius 320.56
D. Radegunda Luthario regi Francorum nupta 148.13
Radenicus Fraxinensis historiographus, &c. 391.17
Radpyrga venefica in crimen agitur 284.33
Raimundus Lullus 1.44
Rain oppidũ circa hostia Lyci 502.5
Raming dirutum castellum 401.17
Ranshofen monasterium 336.61. & 429.50
Ranulphus sagittâ vulneratus occubuit 254.15
Rapotho secundus Mathyldam sororẽ Ludouici Boij duxit 427.59
Ratharius Ratisbonensis episcopus 153.43
Ratherius episcopus Veronensis in exilium mittitur 249.5
Rathabodus orientalis limitis custos 229.44
Rathbodi fuga 244.60
Ratbodi interitus 164.57
Ratbobodus Frisiorũ rex Idololatra 164.46.
Ratholdi Hertoberthus successor 161.27
Rathomarus regulus Boiorum imperium aspernatur 236.59
Rathomari reguli interitus 237.8
Ratisolaus à Ludouico rege obsidione clauditur 244.52
Ratisolaus in verba Carolomanni iurat 245.42
Ratisolaus Massagetarũ rex 433.33
Ratislaus Sclavorum regulus 242.3
Ratislaus Venedorũ regulus Brynonem occidit 251.32
Ratislai copiæ funduntur 245.37
Ratislai fuga & excæcatio 257.24
Ratisbonæ expugnatio 140.50
Ratisbonensis templi conflagratio 436.7
Rhedonessus fluuius 2.27
Reformatio cleri per Bonifacium 163.20
Regillar Amilini filius quamdiu regnarit 21.25
Regis Francorum inane nomen 161.03
Regis Francorum miserrima conditio 170.40
Regem plebs constituit, quem & destituere potest 174.22
Reges in Boiaria per 130. annos 293.6
Reges multi pacem à Germanis emunt 25.60
Reges Româ cur exacti 21.29. & 39.53
Regum Iudæorum series 65.40
à Regibus exactis ad Iulium Cæsarem quot anni numerentur 40.9
Regia duæ Caroli, Ingelhaim & Neomagum 218.18
Reginaldus comes Bizontinus 390.20

Reginobaldi Gotofridi Dani nepotis interitus 220.59
Reginoburgenses Ioanni de Stauff bellum indicunt 500.1
Reginoburgenses pacem emunt 385.32
Reginoburgium a Conrado captum 292.26
Reginoburgium Boiorum caput 3.48
Reginoburgium Cæsar recipere nititur 477.2
Reginoburgium ciuitas Germaniæ populosissima 392.32
Reginoburgium incenditur 290.30
Reginoburgium obsidetur ab Ottone 302.54
Reginoburgium principũ Boiorum sedes 151.19
Reginoburgium Quartanorũ vrbs 55.62
Reginoburgium vnde dictum 15.18. & 57.1. & 146.61
Reginoburgij diploma 195.12
Reginoburgij obsidium 296.57
Reginofridus & Heraldus reges creantur 214.33
Reginofridus vitam simul cum regno amittit 223.19
Reginopertus Longobardus animam exhalat 163.29
Reginopertus Godoperti Longobardi filius adhuc infans clàm educatur 163.2
Reginopertus in patruelem arma sumit 163.18
Reginopyrga Theodonis primi vxor 57.13
Regio Boiariæ secunda causa intestina discordia 505.48
Regium imperium ac nomen cur Romæ antiquatum 39.55
Regnus fluuius 2.26
Regni societas infida 251.31
Regni societas raro fida 116.44
Reinoldus Geldriæ dux creatur primus 479.57
Reipublicæ corruptionem quæ arguant 182.50
Reipublicæ Romanæ felicitas 30.41
Reipublicæ Romanæ mutatio 30.43
Rhadagesus in Thraciam penetrat 125.59
Rhedonesius fluuius 2.27
Rhenenses Istæuones 11.53
Rheni præfectura prætoriana in cõplures dissecta principes 7.8
Rheti, Italorum infestissimi hostes 45.26
Rhetiæ descriptio. 44.40.
Rhetiæ nomen vnde 44.51
Rhetiarum depopulatio 111.50
Rhetiarum liberatio 112.5
Rhetiarum gentis conditor 44.51
Rhetos Vindelicosq; Romani perdomuerunt 45.37
Rhetus dux Ethruscorum quando Rhetiam occupârit 44.51
Rhingi prætorij Hunnorum direptio 198.59
Rhomus filius herculis Alemanni 13.62
Rhomylda capta amore Cacani pactæ eil nuptias 159.22
Rhomyldæ supplicium 159.25
Religio quæ solum vera 152.30
Religionis Christianæ primordia 73.58
Religionẽ Christianam persecutionibus non diminui, sed inualescere 75.40.
Remissponus Bapharij patruus in crucem agitur 177.6
Repudij libellus Nicolao P. pa exhibetur 255.9
Rerici vrbs in Oceani littore excidium 211.2
Res humanæ ex fortuna pendẽt 143.14
Rerum humanarũ fragilitas 148.21
Rerum communium vsus sub Tuiscone 10.4
Responsorium in diebus festis Apostolorum 188.42
Respub. Romana, quãdo à duob. Augustis æquo iure administrata 87.3
Rex primus de sobole Nathan 65.50
Rex verus 174.10
Rex vnde dicatur Chunig. 173.57
Reinborho episcopus Aichstettensis moritur 450.43
Richarda Iuliacensis 464.20
Richardus à Cæsare Heinrico exceptus 366.19
Richardus Angliæ rex, cur à Luitpoldo Austriæ captus 403.41
Richardus Anglus Aquisgranum venit 430.3
Richardus Britãniæ patriarcha aduersus mẽdicantes scribit 491.40
Richard. comes Nordmannorũ 311.7
Richardus frater regis Angliæ, Cæsar creatur 429.60
Richerius præsul Cassinensis 330.20
Richilda Augusta 265.48
Richilda Adalberonis Ebersbergij vxor 322.55
Richissa Alberti vxor 425.56
Richomari mors 135.8
Rindfleisch Agricola 453.8
Riparij milites 51.34
Roboam quamdiu regnârit 65.47
Rockinga. Roginga 58.32.
Rod monasterium D. Benedicto cõsecratum 59.18 & 149.39
Rodolphus de Habspurg Cæsar declaratur 436.43
Rodolphi Roman. Imperatoris mors 442.58.
Rogerius Rudiger à Germanis dictus 291.42
Rollo dux Nordmannorum 275.6
Rollo fit Christianus & Rupertus dicitur 275.50
Roma à Barbarossa capta 393.19
Roma à Brenno capta & incensa 24.25
Roma à Getis rursus inuaditur 127.41
Roma à Nerone incensa 72.49
Roma à Senonibus vastata 24.34
Roma à Senonibus quando capta 24.43
Roma à Totila obsessa & capta 155.8
Roma à Vitige obsessa 154.18
Roma bienn[i]um absque Cæsare 154.33
Roma capta ab Alarico 127.8
Roma Germanis salutem ac vitam credere ausa 30.27
Roma incendio vastata 18.46
Roma intra sex & 40. annos ter à Germanis occupata 132.51
Roma linguâ etiam gentes superauit 46.40
Roma quando capta 127.24
Roma quinquies à Germ. deuicta 141.24
Roma sparsa congregauit imperia 46.61
Roma seruorum serua 47.50
Roma vno anno ter capta 135.32
Romæ Natalis 39.10
Romæ incendium sub Tito Imperat. 78.56
Romana acies turbata 121.29
Romana prouincia ad egestatem redacta 115.27
Romani à Getis varijs cladibus attriti 15.24
Romani pacem à Germanis emunt 80.48
Romani ab Alemannis fusi 111.58
Romani contra Quados arma mouent 113.62
Romani legatos ad Cæsarem Henricum 3. mittunt 333.44
Romani impij cæleste beneficiũ magicis artibus tribuunt 87.58
Romani occisi & in fugam versi 113.2. & 146.40.
Romani pacem cum Persis ineunt 117.39
Romani per mulierculas seruati 63.52
Romani principes cæsi 80.33
Romani quamdiu Boiariam tenuerint 142.49

Romani quando trans Apenninum arma tulerint 28.14
Romani quomodo deos suos prodiderint 108.28
Romanorum duo genera 146.55
Romanorum ex Norico expulsio 150.22
Romanorum fuga 24.10
Romanorum imperium latissimum 40.4
Romanorum strages 102.16
Romanorum parsimonia 39.62
Romanorum perpetui hostes 38.52
Romanorum strages ad Trasimenũ lacum 28.26
Romanorũ strages atrocissima 43.56
Romanorum imperium omnium potentissimum 49.1
Romanorum imperium quãdiu sine capite 118.3
Romani imperij ad Germanos trãslatio 203.1
Romani imperij insignia 353.40
Romani imperij magnitudo 49.8
Romani imperij occasus quando cœperit 119.33
Romani imperij radices 28.46. & 39.54
Romani imperij licitatio 89.30
Romanus mons 51.19
Romanus orbis quamdiu sine Imperatore fuerit 103.6
Romsavv monasterium 407.3
Romulus Numitoris ex filia nepos 39.49
Romulus Romæ conditor ibid.50
Romuli Sylvij imperium 39.40
Ror mõnasterium 446.25
Roracus ad Oricum Danorum regem migrat 245.25
Roracus Nordmannus piraticã exercet 243.26
Rospendial Alanorum rex 126.46
Rothrudis Caroli filia moritur 212.48
Roxolani 14.18. Agrippam Consularem occidunt 77.1
Roxolanorum litera quales 10.10
Rubigo in Boiaria 513.43
Rudogandus Fori Iulij dux iussu Caroli securi percutitur 178.11
Rudolphus Burgundiæ ac Sueuiæ dux 351.29
Rudolphi Cæsaris coronatio 345.5
Rudolphus Nordomannus à Frisiis cæsus 263.8
Rudolphus Sueuiæ dux contra Cæsarem insurgens pellitur 355.2
Rudolphus dux Austriæ moritur 489.50
Rudolphus dux Burgundiæ 312.57
Rudolphi Burgundionum regis mors 314.48
Rudolphus dux Sueuiæ atque Burgundiæ 347.59
Rudolphus episcopus Wirtzburgensis à Reginone homo fatuus vocatur 287.35
Rudolphus filius Ludouici Palatini & Boiorum ducum 436.60
Rudolphus Imperator Morauiã occupat 439.25
Rudolphus Palatinus reddit, quæ possidebat 454.58
Rudolphus primus inconsul ò Imperij bona male distrahit 437.33
Rudolphi Pseudo-Cæsaris petitione Gregorius Cæsarem rursus execratus 355.25
Rudruda Caroli M. filia, Constantino quinto desponsa 191.2
Ruffinus iuris diuini & humani violator 124.55
Ruffini interitus & ignominia 125.33
Rugia à quo ad religionem Christi conuersa 137.12
Rugi Noricum inuadunt 137.33
Rugiorum sedes antiqua ibid.8
Rugila Hunnorum rex 128.49
Rudolphus sacerdos Parmẽsis 350.32
Rupertus Apuliæ rex ad Cæsarianos deficit 470.8
D. Rupertus Boiis religionem Christianam persuadet 151.20
Rupertus Boius Imperator salutatus 495.43
Rupertus palatinus Rheni captus 487.18
Rupertus cum sociis à Theodone benignè receptus 151.50
Rupertus dux Francorum 185.60
Ruperti ducis Longobardorum interitus 178.12
Rupertus filius Adelphi Imperatoris capitur 452.17
Rupertus Flandrus Caroli Andegauensis gener 435.15
Rupertus Neapolitanus rex 472.50
Rupertus Palatinus hostem vincit 492.14
Rupertus Franciæ regi rebellis occiditur 293.31
Rupertus rex Vestriacorum Galloruin 301.7
Ruperti ducis Francorum interitus 254.14
Rupertus Vitechindi filius prælio occiditur 185.61
Rusticorum factio deleta 104.36
Rusticorum in Gallia vlteriore expeditio 120.4
Ruthenus episcopus Tauriscorum 338.36
Ruthardus episcopus Moguntinus 400.44

S

Sabaria D. Martini patria 36.56
Sabarus amnis 37.8
Sabatius ad Tuisconem elapsus 9.38
Sabini capitis abscissi per populares circumlatio 80.32
Sabona arx 60.8
Sacarbantia à Sabaria interuallum 37.2
Sacerdotis Latini sermonis ignari baptizatio 173.42
Sacerdotes Boij ab Eysenricho accusati 285.52
Sacerdotes in Boiaria 4.10
Sacerdotes praui malorum causa 20.25
Sacerdotum & religiosorum mos statim commutatus 404.41
Sacerdotum malorum exauthoratio 168.4
Sacerdotum superbia nihil salacius 166.17
Sacerdotibus coniugiũ interdictum 355.40
Sacerdotibus nihil auarius: prouerbium 168.20
Sacerdotium veriùs onus quàm honos 295.47
Sacrificiorum timor 165.52
Sacrificulos filius Heinricus 5. ad patrem mittit 368.30
Sagalbina vrbs à Noa condita 6.19
Sanguis Christi Mantuæ inuenitur 207.2
Salaminam vrbem Iudæi solo æquãrunt 82.25
Salica lex vnde 183.39
Salis puteus 396.39
Salinarum in Norico inuentio 153.38
Sallustius Galliarum præfectus ad Imperium petitur 117.31
Salmanassar quamdiu gubernacula tenuerit 20.12
Salomon episcopus Constantiensis 291.50
Salomonis genus in quo rege interciderit 65.56
Salomon quamdiu regnãrit 65.45
Salon tredecimus Tuisconis comes 9.2
Saltus Teutoburgensis 43.57
M. Saluius Otho Galbæ interfector 70.20
M. Saluius Otho Imperium arripuit 76.30. pugione semet transfodit 76.41
Samo rex Vinedorum 161.37
Samson prætor Israelitarum 16.46
Sapor Persa in Christianam pietatem ferrum stringit 110.10

Sapor Persarum rex contra Romanos arma mouet 100.21.& 17.35
Saraceni à Burckardo Sardiniæ præfecto vincuntur 210 13
Saraceni Armeniam vastãt 467.20
Saraceni Corsicã Sardiniamq́; insulas inuadunt 215.1. Italiam inuadunt 214.63
Saracenorum strages 166.56
Sardanapalus postremus Nini regnauit 19.54
Sardanapali mors 20.1
Sardiniam Saraceni depopulantur 210 9
Sereni Granij ad Hadrianum Imp. literæ 83.30
Sarmata primus Tuisconis comes 8.31
Sarmatæ auxilium à Romanis petũt 114.5
Sarmatia 8.34
Sauus fluuius Pannoniæ 273.14
Sauus fl. terminus inter Turcas & Christianos 51.53. vbi Danubio misceatur ibid 45
Sauus vndecimus Tuisconis comes 8.62
Sathan antitheos 4.57
Sathanas ex bono malus per se effectus ibid.
Saxones à Francis [illegible] 198.4
Saxones episcopos sibi petunt prætores 347.5
Saxones Cæsareanis bellum indicũt 344.34
Saxones cæsi 167.14. & 347.24. culpam coram Cæsare deprecãtur ibid 35
Saxones Francorum fines infestant 189.9. [illegible] cælesti [illegible] 190.6
Saxones obsequentes latrones 331.45
Saxones pacem exuunt 169.60
Saxones rursus in Cæsarem conspirant 347.42. Turingiam cum exercitu ingrediuntur 34[illegible] 3. veniam petunt ibid.30
Saxonum à Carolo Martello victorum [illegible] 167.15
Saxonum ad Danos defectio 190.14
Saxonum cum Carolo M. prælium 191.31
Saxonum defectio 189.51
Saxonum lingua communitas 10.32
Saxonum origo & sedes 301.[illegible]
Saxonum Principes 43.49
Saxonum rebellio 109.60
Saxonum strages 107 14
victoria 191.30
Saxoniæ depopulatio 192 18
Saxoniæ partes tres 301.21
Saxoniæ vastatio 348.30
Saxorum Romanis literis inscriptorum effossio 54.40
Scandinauia peninsula 15.19
A Scauris captus & occisus 31.20
Scelera nulla impunita 16.49
Scheurn monasterium propè Pfaffenhoffen 297.7
Schiltberg proximè Aichiam 454.24
Schira præcipua gens Boiorum 400.20
Schiris Randeckij successerunt 510.40
Schofflech monasterium, hodie Marienzell dicitur 486.4
Schongia Rhætiæ prouincia 2.60
in Schutani ripa quæ monumenti vestigia visentur 55.26
Sclaomir lustralibus aquis expiatus decedit 226.55
Sclauiza cum fratre de potentatu contendit 241.30
Sclauiza Boiemiæ dynasta fuga ibid.34
Sclauones 7.13
Sclauonia ibid 16
Sclauorum antiqua sedes 158.32. & 194.16
Schluderus præses 451.10
C. Scipionis de Boiis triumphus 30.5
Scorilo rex Dacorum 40.50
Scoti Britannias vastant 135.20
Scoti & Angli gentes Saxonum, regna Angliæ & Scotiæ in Britanniis condunt ibid.15
Scotorum figmenta 193 43
Scurræ cuiusdam dictum, de bonis Imperatoribus 101 46
Scytha 8.16
Scythæ prius ebrietate quàm bello vincuntur 21.49
Seculares ludi 95.16
Sedechias Palæstinæ rex datur 21.7 cur oculis priuatus ib 12
Seditio ingens Romæ 10[illegible].2
Segibertus fraude Fridegundæ, vxoris Hylperici a duobus perfugis [illegible] fod[illegible] 158.2
Segibertus regulus Franciæ ex vulnere claudus 143.51
Segibertus rex Francorum domitis Hunnis, in fratrem Hylpericum arma mouet 156.4
Segiberti interitus 161.11
Segiburgium Carolus vi capit 189.30
Segestes socer Arminij 67.51
Segethusa vi capta, nunc Corona 81.46
Selimus Turcarũ rex quando Memphim intrarit 52.48
Selinuns Ciliciæ vrbs 82.41
Semiamira Iulia Augusta ex sorore nepte 91.52
Semiramis Nini vxor quando imperarit 11.31
Semiramis prima vsa Eunuchis 156.43
T. Sempronius legiones in Boiorum agrum ducit 29.27
Senatus decretum de Alberto Boiemo 421.46
Seneca locus 47.40
Seneca Neronis præceptoris interitus 72.40
Sennacheribus à propriis filiis trucidatus 20.33
Senones in Gallia 247 33. eorum caput Senogallia 19.25
Senones Romam ingressi 24.5
Senonum ortus 247.39
Senonensis prouincia ibid 35
Senta Belannorum vrbs antiquissima 54 4
Septemuirorum imperij conuentus 477.53
Septimus Seuerus in Britãnia moritur 35.35
Septimus Seuerus Romã potitus 90.13
Septimus Seuerus vbi electus 37.8
Sequanorum oppida 51.12
Serena [illegible] Theodosij Imp. [illegible] 122.11
Serenus Sammonicus medicus à Caracalla in cœna occisus 91.11
Sergius abbas Cassinensis 357.25
Sergius Galba Imperator salutatus 72.22
Sergius, os porci, Gregorio quarto pontifex sufficitur 241.23
Seruatius Viuus à Theodone in crucẽ actus 150.20
Seruia 114.41
Seruus vnde dicatur 458 6
Sesterij Reginoburgensis valor 457.43
D. Seuerinus Batbauia extremum exitium denunciat 139.18
Seuerinus Boethius quãdo floruerit 145.62
D. Seuerinus Noricus vbi versatus 137.43
D. Seuerinus vbi vixerit 138.30
D. Seuerini ad pœnitentiam admonitio, & futurarum calamitatum prædictio 137.60
D. Seuerini mors 140.24
D. Seuerini patria 137.35
Q. Seuerus à Maxẽtio occisus 108.21
Sept. Seuerus Imp. cur Pertinax dictus 90.26
Seuerus episc. Pragẽsis legatus 316.26
Seuerus equitum magister 113.16
Seuerus Imperator fit 90.15
Seuerus Lucanus veneno sublatus 124.52

Seuerus Pertinax Imp. Germanos donis placat 90.27
Seuerus Pertinax quando Imperator salutatus 90.25
S. Seuerus Imp. quamdiu vixerit & imperarit 90.53
S. Seuerus Imp. rebus bellicis omniū principum clarissimus 90.37
S. Seueri bellum contra Nigrum & Albinum 90.31. crudelitas 90.43. eruditio 90.40. vitia ibid. 42. vltima verba ibid. 55
Seum monasterium 62.13
Seyfrid Schwepperman vir militaris 466.20
Sextilius Felix, Vindelicorum præses 76.56
Sibyllæ carmina 154.11
Sicambri duce Melone Romanos adoriuntur 42.7
Sicilia cui nunc pareat 50.46
Sicilia Romanis Imperatoribus prærepta 50.40
Sicula vespera, prouerbium 440.21
Sidonius Apollinaris poeta res Attilæ scribere cepit, sed non perfecit 132.23
Sidonij de Litborio locus 129.41
Sidonius de Saxonibus 135.25
Sidonij locus 131.20. & 133.30
Sigemertus iuris consultus 363.11
Sigefridus episc. Moguntinus 349.46
Sigefridus episcopus Reginoburgensis 414.4
Sigefridi & Rudolphi Pseudo-Cæsaris fuga 354.20
Sigefridi Danorum regis interitus 281.1
Sigebardus abbas Fuldensium 261.22
Sigebardus interemptus 394.42
Sigericus Hatulphi successor 127.44
Sigismundus de Volkensdorff episcopus Salzburgensis 513.29
Sigismundus Imperator à Turcis victus 99.16
Sigismundus Imp. Roman. moritur 508.45
Sigismundus Imp. Venetis bellum indicit 499.14
Sigismundus rex Vngariæ 493.7
Sigo dux Beneuentanus 225.15
Simeon Iosephi frater cruci affixus 81.64
Simon Magus à Romanis in Deorū numerum relatus 72.36
Sirmensia vina de Sirmio monte 51.40
Sirmium vrbs 51.41
Sisinnius captus liberè in patriam redire permittitur 199.57
Slesvvick primaria Cimbricæ Chersonesi vrbs 206.58
Socum monasterium 3.0.4
Solis & lunæ dei quis 210.30
Solomon rex Vngariæ regno pellitur 348.45
Solomon Hastingus dux Nordemannorum 253.60
Solomon in Vngariam reductus 344.18
Solomonis Britonum regis interitus 254.22
Sonna fluuius qui & Sonnum dicitur 275.55
Sonno Marcomari frater occisus 125.16
Sophia Boia Cæsaris Wenceslai vxor 494.20
Sorabes bis pugnâ victi ad deditionem coguntur 256.63
Sorabum defectio 191.13. & 243.51
Soligenes 40.33
Sosthenes Macedoniæ defensor 26.11
Speßhart sylua 287.47
Spiritus pertugæ miracula 248.30
Spiritus pestilens 86.47
Spitogneus dux Boemiæ 330.15
Stams monasterium Tyrolense 448.47
Statuæ cæsis in bello Germanico nobilibus Rom. in foro Vlpiano ponuntur 87.42
Statutis nouis qui subscripserint 472.26
Stauratius Nicephori filius Imperator salutatur 212.56
Stellatura crimen 93.47
Stephanus à Gumpenberg 462.7
Stephanus Boiariæ secundæ rector 453.28
Stephanus dux Boiariæ moritur 457.7
Stephanus quartus Leonis pont. successor pontifex maximus 224.2
Stephani quarti mors ibid 15
S. Stephani lapidatio 68.46
Stephani noni pont. maximi obitus 332.18
Stilico à Romanis opprimitur 126.19
Stilico consul designatus 125.52
Stilico Constantinopolim tendit ib. 25. Germanos ad se trahit 126.3. epistolâ Honorij admonitus in Italiam redit 125.28
Stilico pacem cum Alarico Gottho initam frangit 126.54
Stilico Rhadagæsi copias delet 126.20
Stilico Vandalus 122.9
Stiria præsidialis facta 397.49
Stoicorum origo 384.7
Strabo qui & Walafridus D. Galli antistes 243.45
Strabonis locus 14.18
Stranbinga ædificatio 405.19 conflagratio 494.18
Sturia amnis 211.43
Stutgardia ab Vlrico duce recuperata 143.10
Styracij monumenta inuenta 63.30
Svvartza amnis 245.41
Svvatebogus à Carolo Boio debellatus 257.10
Svvatebogus arma in Boiarios mouet 273.4
Svvatebogus Arnulpho Imp. rebellat 280.1
Svvatebogi mors 282.13
Svvatebogus nepos Ratislai 260.1
Svvatebogus vt causâ sic fortuna superior 257.23
D. Sudberti insula 334.22
Sueuia triplex 250.47. & 372.41
Sueuus amnis Odera 12.58
Sueuus mons, Ptolemæo Carpathus 12.62
Sueui quamdiu Germaniæ imperitarint ibid. 52
Sueui à Crispo Constantini filio deuicti 108.48. Romanis fœderati 67.53
Sueuorum antiqua sedes 12.56. & 33.30
Sueuorum migratio 12.63. origo 11.55. & 12.53
Suitones confœderati 79
Suitonum sedes antiqua 112.56. & 137.8
Sulpitius Apollinaris eruditissimus Grammaticus 89.45
Fl. Sulpitianus, Pertinacis socer, Imperium licitatur 89.60
Sundergee, i. e. meridionalis terra 2.22
Sunderpruck bey Ingelstatt 512.3
Suomarus pacem & fœdus cum Romanis init 113.48
Superstitio ingens à falsis Christianis inuenta 408.1
Sycambria vnde dicta 94.26
Sydonius Auernorum episcopus 109.7
Sylutius Ascanij filius 39.43
Syluanus dux à fremente milite Imperator creatus 111.1. eius interitus ibid. 10
D. Syluanus quando floruerit & vbi sepultus 58.14
Syluerij Romani pontificis exilium 154.29
Syluinus lacus 176.55
Symmachus pontifex 141.22
Symmachi patricij trucidatio 150.40
Synodus Vienna celebratur 434.50
Syria Damascena 53.35
Syria quæ & Assyria 11.5

Syria terrarum maxima 11.2. prouincia 53.29

T

Tabula Caroli Magni 185.25
Tabularum duarum exempla 184.56
Tacitus Imperat. à militibus occisus 103.7
Tachulfi ducis Sorabici limitis mors 263.22
Tanais 6.37
Tanobergus mons 2.56
Tanto monachus D. Galli tintinabula fudit 218.8
Tarraconensis prouinciæ populi à Romanis non deficiunt 126.51
Tarraconis vrbis expugnatio 100.42
Tartaria vbi nunc cõfinium & caput 14.18
Tartaria vbi nunc initium 15.58
Taurica peninsula Pracouia 419.59
Taurisius ab Hercule interemptus 45.1
Taurisci à quo conditi 36.44
Taurus mons vnde nominetur 44.59
Tegersee monasterium 308.59
Teglatophulassar Belochi successor 20.9. Syriæ regis interfector ibid.10
Templum D. Petri Romæ vastatum 242.7
Templum Dominicanum Aichstadij 430.52
templi Hierosolymitani constructio 22.11
templa quingenta effracta 415.51
Templariorum deletio 455.38
Tetberga vxor Lotharij rursus falsi adulterij accusata, fugâ elabitur 256.20
terminus inter Boios & Romanos 150.22
Terramotus 59.1. & 270.62. & 488.37
terramotus causa 245.62
terramotus in Spoleto 204.4
terramotus Moguntiaci 245.52
Tertullianus Cypriani præceptor 90.49. primus Latinorum Theologus ibid.50
Tertulliani apologeticus ib.52
testes venditionis a Conradino facta 434.6
Tetgaudus & Guntherus dignitate suâ remoti, pontificem iniustitia accusant 255.15
Tetricus ad Aurelianum profugit 102.23
Teurdanck Maximiliani Cæsaris 191
Teurina pagus 62.48
Teutobochus rex captus 31.59
Teuto decimus Germaniæ rex, quãdiu regnârit 13.19
Teuto Germanorum Mercurius 13.24
Teutones à Venedis cæsi 243.15
Teutones & Teutoni proprium olim nationis, nunc commune gentis vocabulum 13.21
Teutonis quid nostro æuo ad egestatem redigat 244.11
Teutonum antiqua sedes 13.22 iuuentutis fœcunditas 27.57. varia nomenclatura 6.58
Tharsus D. Pauli patria 53.8
Thebais tertia Ægypti prouincia 52.39
Theia, Totilæ successoris fatum 155.41
Theodà vates in agro Constantiensi 242.20
Theodatus immemor beneficij vxorem in balneo extinguit 154.1
Theodatus Rauẽnam aufugiendo occiditur 154.20
Theodelinda cum fratre Gunthbaldo in Italiam fuga elabitur 158.24
Theodelinda virtutes ibid.50
Theodericus Magnus cur Romanis inuisus 145.20
Theodericus Magnus cum omnibus Germaniæ regibus fœdus & affinitatem iungit 141.6
Theodericus de Cœlo fulmine tactus interiit 160.58
Theodericus de Pylichendorff 465.29
Theodericus episcopus Reginoburgensis Equites nouos creat 465.32
Theodericus sacrificulus ab Arnone Salisburg nsi constituitur 200.60
Theodericus Magnus filiam Ludouici regis Francorum vxorem ducit 141.9
Theoderici Magni laudes ibid.17
Theodericus Gotthorum rex 140.51
Theodericus Hyiderici frater regno restituitur 163.50
Theodericus legatos ad regem mittit 144.30
Theodericus magnus, Valliæ regis successor 129.18
Theoderici magni interitus 151.42
Theodericus magnus Vessogetarum rex ibid.33
Theoderici mors 150.46
Theodericus occidentis Imperium instaurare conatur 141.4
Theodericus Rashel 490.29
Theodericus rex Francorum moritur 170.39
Theoderici regis Francorum mors 169.59
Theodo secundus moritur 151.42
Theodo 7. à Gregorio papa condemnatus ex hac vita migrat 165.30.
Theodo Augustam Tiberij obsidet 146.33
Theodo aquâ cœlesti lustratus 152.62
Theodo Boiorum dux quando mortuus 147.49
Theodo Boiorum regulus ex hac vita emigrat 150.26
Theodo & Albertus rebelles proditi supplices Cæsari fiunt 342.6
Theodo in expeditionem suscipit 145.55
Theodo Fuldensis abbas 250.27
Theodo tertius Vbi vrbi regiam constituerit 162.10
Theodo Thessalonis filius 176.43
Theodo ab Hadriano episcopo cœlesti lauacro lustratur 178.10
Theodo Thessalonis filius sacerdotum tribus cooptatus 180.25
Theodonis primi mors 147.49
Theodonis 2 responsum 145.41
Theodomarus cum matre Hiltila gladio perit 110.23
Theodomarus & Diethmarus Boemorum primus episcopus 306.62
Theodomarus Ostrogotorum rex, Boiorum opes atterit 143.26
Theodopertus à fratre Theodorico in vinculaconiectus 1[illegible].54
Theodoperti mors ibid.55
Theodopertus Boiorum dux 156.61. & 163.24
Theodopertus rex Francorum quando floruerit 148.1
Theodoperti Boiorum reguli ex hac vita migratio 153.7
Theodoperti regis Francorum mors 155.21
Theodophorus opp. dum Dietfurt 145.59
Theodorus archiflamen Laureacensis quando interierit 150.29
Theodorus Laureacensis archiepiscopus 141.20
Theodori Auarorum ducis à Carolo Magno petitio 207.12
Theodori ducis Auarorum mors ib.20
Theodori iuuenis fortitudo 75.6
Theodosius à Gratiano ad Imperium euectus & Orienti præficitur 119.49. animo & filo corporis Traianum expressit 123.38
Theodosius cum Persis vltrò petentibus fœdus fecit 122.13. idola euertit 123.8. Imperium filiis suis diuisit ibid.30. literatorum amans ibid.38
Theodosius moriens tribus ducibus Imperij gubernacula commendat 124.51

Theo-

Theodosius quamdiu vixerit & regnarit quando obierit 123.53
Theodosius secundus quanti pacem emerit 129.32
Theodosius viuum Christiani principis exemplar 123.51
Theodosij parentes 120.35. virtutes 123.40. clementia singularis 123.41
Theodoualda Boiariæ dux 151.46
Theodoualda parenti Theodoperto sufficitur 155.27. quando reb. humanis excesserit 156.60
Theodoualdæ in Italiam irruptio 155.58
Theodoualdæ mors 155.48
Theodouinda Rhodobodi regis Frisiorum filia, Grimoldo Pipini F. nupta 164.25
Theroßa monasterium 287.62
Thessalonus dux Germanorum vbi consederit 26.63
Thessalonus Boiorum regulus, religionis amantißimus 160.62. crimine læsæ maiestatis reus peractus, capitali supplicio condemnatur 180.18. dux Boiorum ducatu priuatus 193.20. in Venedos arma mouet 158.59. Lithopyrgam Desiderij regis filiam, vxorem duxit 175.14. quando mortuus 159.4
Thessalonus secundus quando fato concesserit 162.6
Thessalonus tertius Boiorum regulus 392.57
Thessalonus tertius dux Boiorum, Caroli M. amitinus 177.51. Carolo M. rebellat 170.61
Thessalonus tonsus Laureacum relegatur 180.23
Thessalonus veniam petit 179.21
Thessalonus Vtilonis filius quando natus 175.37
Thessaloni periculo liberati oratio 179.24
Thessaloni secundi filij Boiariam in tres partes diuidunt 162.7
Thessaloni verba ad Francorum legatos 177.61
Thessalono Boiaria redditur 179.21
Thietpyrga Hugberti Franci soror, vxor Lotharij secundi 245.14
Tholossa precibus D. Exuperij episcopi seruata 126.38
Thomas Aquinas cur inter superos relatus 462.53
Thomas Germanis & Scythis prædicat 68.60
Thomyris ducenta millia Persarum cum ipso rege trucidat 21.55
Thomyris filius rei militaris ignarus occiditur 21.48
Thomyris Scytharum regina 21.42
Thracia prouincia sex 51.54
Thosuelda Armenij vxor triumphata 67.48
Thudunus Auarus à Boijs pugnâ interficitur 199.2
Thudunus rex Auarorũ cœlesti lauacro cũ omnib. lustratur 198.60
Thurisomundus Theodorici Magni filius Tholossæ rex appellatur 131.60
Thusci duce Rhæto alpes occupant 19.34
Tiberius ab Augusto in Germaniam mittitur 42.20. ab eodem adoptatus 43.1
Tiberius artium liberalium studiosißimus 68.26
Tiberius Cl. Drusus ab vxore Agrippina occisus 70.41
Cl. Tiberius quando imperare cœperit 67.59
Cl. Tiberius militaris disciplinæ acerrimus exactor 44.27
Cl. Tiberius Nero ad fratrem ægrotantẽ festinat 42.38. Illyrico bellum grauißimum infert 45.36
Cl. Tiberius quando obierit 68.17. victor Romam redit laureâ coronatus 44.16
Cl. Tiberij dictum 68.28. triumphus 44.33. Vitæ ordo 44.24
Tibiscus 4. Germaniæ rex 8.43
Tibulli poetæ locus 166.26
Ticinum ab Ottone secundo captum 305.4
Ticini seditio inter ciues & prætorianos 275.17
Tigranes ad belli societatem à Mithridate inuitatus 32.54
Tigris 159.61
Tigrancerta à quo condita 33.8
Tigurinorum veneranda vetustatis codex 1.50.
Tina quid 403.56
Tisdrum oppidum 95.46
Tissa fluuius 199.14
Titus Cæsar, armorum peritißimus, linguâ Græcâ & Latinâ disertißimus 78.47
Titus Pauli discipulus in Dalmatia docet 68.59
Titus Vespasianus amor & deliciæ humani generis 78.41
Titus Vespasiani filius Hierosolymam vastat 77.50
Titus Veturius persecutor Christianorum 105.52
Titi beneuolẽtia 78.51. dictũ 78.54. adhuc priuati vita 78.33. obit. 80.3
sub Tito quæ tristia acciderint 78.55
Tolossa à Franco capta 144.52
Tornamenta in Boiaria & qui interfuerint 507.38
Totilas nepos ex fratre Hyldebrandi rex salutatur 154.54
Totilas à Narse occisus 155.40. Romam capit 155.8
Toxandria 115.30
Toxus rex Vgrorum 301.35. cũ Vgris Italiam inuadit 301.49
Traianus Imp. ad Iuliæ fines ditionẽ Romanam propagat 81.57
Traianus Germanos magno labore ad pacem illexit 81.22
Traianus primus externarum Romanarum rerum potitus 82.47
Traianus vir belli & pacis clarißimus 80.45. bellum cũ Dacis 81.44. cognomen 82.44. Decij patria 82.48. monumentum destructum reficitur 113.14. mors 82.41. pons lapideus in Histro 81.32. principis optimi dictũ 82.10. triumphus de Dacis 81.53. vita 82.42.
Traiano Imp. insignia missa 81.5
Trasicho regulus Vilzorũ agros depopulatur 211.32
Trausnitz arx Nariscorum 467.12
Tremor terræ quid 245.02
Treuerensis elector 11.39
Treuir cuius filius 11.33
Treuiri Mediomatrices & Tullum se Francis dedunt 136.1
Treuiri primi Germani 11.37. rebellio 35.10. vrbs à quo condita 11.32
Triboci Germaniæ populi 14.26
Tridentinum confinium Boiariæ & Italiæ 2 c.37
Tridentiũ à Theodorico reg. mœnibus cinctum 62.59
Triginta Tyranni paßim remp. Romanam affligunt 88.41. 100.56
Triumphus Alexãdri Seueri Imp. 94
Troia à Germanis occupata 27.45. vnde nuncupata 16.52
Troianorum regũ enumeratio 16.50
Treſtberg arx 410.24
Tuisco Germanorum & Sarmatarũ conditor 8.15
Tuisconis hereditas 6.36. leges 9.46. literarum inuẽtor 10.19. quid nostrâ linguâ valeat 11.12. quamdiu vixerit 11.7. regiones habitatoribus opplet 8.21
Tuisconis posterorũ adoptatio 6.36
Q. Tullius hybernorum oppugnatorum defensor 35.18
Tullus vrbs 315.24
Tumuli Græcis literis inscripti 10.26
Tumultus in Boiaria 500.5. atrox Romæ 223.41. ciuilis Landshutæ oritur 496.21. in Germania 497.13
Tunca nostris regib. Tonage 53.62
Turcæ quibus grauißimum seruitutis iugum imposituri 7.49
Turcarum arma quando primum audita 1?.18

Turc-

Turogi ad Cæsarem Heinricum legatos mittunt 341.54
Turogi & Catti ob insignia litigant 418.17
Turogorum regni finis 148.8
Turriani Mediolano exacti 467.56
Tu tur obsessos circumuolitat 327.1
Tusci à Boys expulsi 30.21
Tutundus regulus sacru Christianis lustratur 228.35
Tuto episc. Reginoburgensis 293.4
Typhonis cædes 12.45
Tyrannidem pont. Rom. cauendam prædicit Hainricus 4. Imp. 367.49
Tyrocinia equestria 452.45
Tyrocinia vnde dicta 48.20
Tyrolensis comitatus ad Austriacos deuenit 489.37

V

Vadomarius dolo captus in Hispaniam à Iuliano relegatur 115 45
Vadomarus Phœnicia ducatu donatur 118.40
Valens a Licinio interemptus 108.23
Valentis Imp. interitus 119.30
Valentinianus tertius Cæsar declaratur 128.22
Valentinianus exul 120.55
Valentinianus Imp. Alemannos vincit 118.30. lauacro cœlesti lustrandus strangulatur 122 32
Valentiniani interitus 118.36. ortus 117.60. virtutes 118.45. prudens responsum 118.17
D. Valentini translatio 165.60
Vallia rex Alanos strauit 127.45
Valo Pipini pronepos magnus in aula Caroli Magni 222.18
Valomarus rex Ostrogotthorum pugnâ interficitur 143 25
Valeria Illyrici prouincia vnde dicta 51.36
Valerianus Imp. corruptus à malis consultoribus 99.60
Valerianus Imp. ab Hostibus captus 100.20. regi Persarum equum ascendenti quadrupes pro suppedaneo fuit 100.22
L. Valerius Flaccus 30.29
Valerius Aurelianus quamdiu rerum potitus 101.61
L. Valerius consul Boios fundit 29.12
Fl. Valerius Leon secundus, Cæsar designatus moritur 138.58
Vandalus quamdiu Germaniæ regno potitur 13 11. a Francis fusi 126 45. à Sueuis pressi 128.36. primum Germanorũ genus 13.12. quas Mauritaniæ prouincias ceperint 52.31
Vandalorum & Francorum certamen 126.47. expeditio 128.41. sedes 11.48.
Vangiones Germaniæ populi 14.26. longâ obsidione deleti 126.30
Vannius Quadus à Romanis regno pulsus 71.11
Vannius Quadorum rex 68.11
Varenbach Benedictinæ regulæ monasterium 162.53
Variana cladis causa 43.47
Variomundus Francorũ rex 129.2
Varronianus filius Iouiani fit consul 117.51
Vasconia nomen vnde detortum 186.33
Vasconum prælium 190.30
Vbiorum colonia 71.23
Vdalfridus episcopus Aichstadiensis 293.23
Vdo Aquitaniæ dux Carolo Mart. rebellat 166.48
Vecturinus faber ferrarius Imperator salutatus 101.5
Velleius Paterculus Historiographus 43.18
Velleda virgo fatidica Germana 77.9
Venantij Honorij carminum libri 156.15
Venedi ad fidem Christianam conuersi 161.41. quando Histriam inuaserint 159.3. quam Norici portionem occupatam adhuc possideant 150.53
Venedi siue Sclaui Longobardos, Rugios, Suitones pellunt 136.60
Venedi victi a Boys 158 63
Venedorum marchia 8.62. & 155.37
Venedicus sinus vnde nomen habeat 194. 9
Veneris statua in rupe crucis viuificæ posita 82.44
Veneti Cæsarianam ditionem occupant 499.4
Venetia nunc omnium vrbium potentissima 132.10
Venetiæ oppida 50 26
Venenum Cæsari Arnulpho datum 283.57
Venno Pennonis successor 44.63
Vennonis mons 3.2
Venster mons vnde dictus 44.63
Venti ædificando noxij 3 58
Vera, tria hominum genera dicere 297.47
Vernigen infra Monachiũ ab Heinrico occupatur 396.44
D. Vergilius quando in Germaniam venerit 172.37. eruditio 172.52
D. Vergilij & Bonifacij dissidium 172.58
Veritas inuicta 193.60
Verona capta 159.20
Verres lacus Vindelicorum maximus 3.27
Verronianus Consul filius Iuniani 117.51
Vesontium oppidum 34.32
Veteranio magister militum, Imperator ab exercitu creatus 110.36
Veterum errores multi 14.62
Veturij Thurini suffragationẽ vendentis pœna 93.39
Vespgothi qui 118.61
Vespasia Polla, Vespasiani mater 77.31
Vespasianus cum filio in Iudæa bellum gerit 76.49
Fl. Vespasianus Imp. cũ Tito triumphauit 77.58. Germanos sibi conciliat 77.41. Iudæos extinxit 76.50. Ingenia & artes fouit 77.61
Fl. Vespasianus quando imperare cœperit 76.49. quamdiu regnarit 78.12
Vespasiani comitas & dicacitas 78.3 n orientis dictũ 78.14. mors 78.16
Vespasiano auaritia a sene bubulco exprobrata 78.7
Vessobrunna monasterium 175 35
Vessogeris bellum indicitur ab Aetio 129.7
Vestitus veterum 182.10
Vestophalorum regionis depopulatio 187 12
Vesuuij montis conflagratio 78.55
Vgrus rex Ouo in Vngariam redit 318.27
Vgri 7.28 à nouo rege tributũ postulant 291.20. ad Christum conuertuntur 305.43. arma capiunt 294.12. Boiariam inuadunt 291.23. Boiemos aggrediũtur 304.4. cæduntur 327.6. Charionum regionem inuadunt 329.55. contra Boios 326.39. cur vo Hunni 7 30
Vgri & Boiemi inter se pugnant 425 57 exploratores in Germaniã mittunt 295.5. gens bellorum auida 322.55. Morauiam inuadũt 280 33. pulsi & fugati 318.41. quam partem Germaniæ incolant 7.29. vallum Boiorum oppugnant 326.56.
Vgrorum dux ducatu mouetur, & oculis priuatur 318.43
Viana capitur ab Vgris 314.30
Vichto mons insignis partu quatuor fluuiorum vnde dictus 14.44
Vicorum fulmine adflatorum conflagratio 227.22
Victor Tyrannus occisus ab Arbogasto 121.56
Victor primus pont Romanus quãdo de religione Latinè sit commentatus 89 55

Victoria

Victoria ingens, parta ab Vgris 321.30. sine certamine nulla 5.14
Victorina Gallias & Hispanias à Germanorum direptionibus liberat 88.52. eius & liberorum sepulchra Coloniæ 101.3
Victorinus D.Seuerini frater 137.39. rhetor & martyr 116.4
Victorini Petouiensis episcopi martyrium 107.54
Victus ratio sub Tuiscone 10.10
Vido Cecilianus Cardinalis 487.62. se Imperatori dat 273.52. in Italiam pulsus 278.26. Tusciæ dux 272.33
Vidomarus Noricorum prouincias incursat 138.38
Vienna Cæs. Rudolpho datur 438.39
Vienna Noricorũ vrbs maxima & clarissima 59.62
Viennæ expugnatio 270.36
Viennæ instauratio 387.56
Viennensis prouincia quæ complectatur 51.15
Vigilaus Frosiholaus Bathauensis pontifex 185.18
D.Vigilius pontifex Tridentinus à Boys interfectus 150.27
Viledruda Grimoldi vxor, indignã viri cadem deplorat 165.55
Vilarus & Beatus Venetiæ duces 211.51
Vilsi ostia 15.35
D.Vincentij corpus Iuuauiã transfertur 268.44
Vinctarum vicus 165.5
Vindelicia quamdiu Romanis paruerit 46.50
Vindeliciæ descriptio 2.53
Vindelici etymon 45.23
Vindelici qui fuerint 45.12
Vindi Boiariæ pagi 45.17
Vindicis mors 72.21
Vineas colere quis Europæ prouincialibus permiserit 51.42
Vinum ad Germanos ferre olim prohibitum 12.14
Vini in Germaniam illatio 19.29
Vinofridus immutato nomine Bonifacius appellatur 164.56
D.Vinofridus sacerdotũ nequitiam ad Gregorium secundũ pont.max. defert 166.33
Virgilij locus 38.55. & 64.61
Virginum vndecim millia ab Hunnis trucidata 120.62
Virsdomarus a Romanis cæsus 28.16
Virorum fortium memoria 11.20
Virtutes cuiusq; in quæ tempora incidat, multum referre 73.60
Virtus in mediocritate cõsistit 182.32
Vischa amnis olim Viscahus dictus 287.20
Visibauu conditur 400.36
Vispachauu monasterium 337.35
Visomarus rex Germaniarũ 108.50
Visundus primus Weltenburgij antistes 157.52
Vitalianus Rusticus consul 149.11
Vitalis episcopus Iuuauensiũ 159.49
Vitechundus Carolo Magno rebellat 187.7
A. Vitellius à Galba in inferiorem Germaniam missus, rex salutatur 76.32
Vites excisæ apud Germanos 36.19
Vitigisus a Belisario Bizantiũ ducitur 154.50
Vitigisus Rauennæ obsidetur 154.46
Vitoldus rex Lituanorum 506.26
Vitium quid 182.34
Vitrodorus rex Quadorum 114.14
Vitus Arenpeckius 1.48
Viuilus archiepiscopus Laureacensis 166.43
Viuilus Hermundorum rex 71.12
Vladislaus dux Poloniæ 433.47
Vlyssippo ab Haideioso direpta 199.60 Portugalliæ emporium 50.55
Vlricus episc. Salisburgensis 433.1 de Waldsee Styriæ præses 460.52 dux Charionum 393.19
Vlricus Ebran eques Boius 490.34
Vlricus Hagenor moritur 483.38
Vlricus in Kernten episcopus Chiemensis 464.30
Vlricus Wirtenbergensis Rentlingam occupat, & patriâ pellitur 8.3. & 143.6. & 476.55
Vmelinus dux Sueuorum 160.31
Vnderstorff nõ procul a Monachio 400.47
Vngari rebellant 348.45
Vngarorum coniuratio contra Ottonem 320.12
Vngariæ regni claustra 333.21
Vngarica expeditio 343.27
Vnstrut vel Vniso tardus fluuius 348.3
Voccio Noricorũ rex 35.41. & 45.4
Volchmarus abbas in Nideralteirch 441.21
Volcker Altaichij cooptatur à monachis 341.5
Volchmarus Historicus Furstenfeldensium antistes 461.16
Vologesus Parthorum rex 76.54. orientem vastat 86.41
Volones milites 87.26
Volusianus Cæsar 99.47
Vr Chaldæorum 11.4
Vratulauia concrematio 419.15
Vratulaus dux Boiemiæ fit rex 359.45
Vratulaus & Arnulphus in Morauiam bellum mouent 281.28
Vrbanus quartus pontifex maximus 433.23
Vrbanus sextus pont.max. 490.48
Vrbes ad Danubium sitæ 3.40
Vrbes Imperij in Germania 185.42
Vrbes mundi maximæ & celebratissimæ 120.45
Vrosandus Nordmannus licet victor, in prælio tamen interijt 254.31
Vrolphus Bathauensis pontifex Auares & Hũnos in religione Christi instituit 228.31
Vrolphus archiepiscopus Laureacẽsis 194.55
Vrolphi Bathauensis pontificis obitus 229.55
Vrsicinus dux 111.7
Vta Arnulphi Imp. vxor 282.21
Vta Theodonis filia vitiata 102.11
Vtæ vxoris Arnulphi Imperatoris mausolaum 262.30
Vtæ Theodonis filiæ in Italiam relegatio 162.48
Vtharius Longobardorũ rex Theodelindam vxorem ducit 158.18
Vtharij regis mors 158.30
Vtilo Boiariam recipit 173.41. Boiorum dux 171.18. Saxonas in obsequium redigit 170.2. Bonifaciũ ad se inuitat 168.62
Vtilo marchio Antorffensis primus 183.12
Vtilo marchio Antuerpiæ factus 148.5
Vtilo se regem nominat 170.51
Vtilo vincitur 170.59
Vtilo vbi sepultus 175.33
Vtilonis Boiorum ducis mors 175.31
Vtinensis Historia 267.5
Vtinum, Boiariæ regũ Mausoleum 60.2
Vtini insigne 149.26
Vto dux Aquitaniæ 165.10
Vtonis reguli Boiorum mors 155.2
Vvaiden oppidum in superiori Palatinatu 328.20
Vvaldrada fit regina, Lotharioq; nubit 254.62
Vveinhardi Rorbeckij cõfossio 449.43
Vvelpho Boiariam ingreditur 386.55
Vvelpho captus à Cæsare 354.37
Vvelpho dux Boiariæ in Cypro moritur 373.52
Vvelpho dux Boiorum 343. & 347.59
Velpho Hugonis Tubingensis palatini castella expugnat 393.63
Vvelpho iunior bellum Hugonis inducit 393.23
Vvelpho pater luminib. orbat. vxorẽ reuocat

reuocat, & delictorum ipsum pœnitet 395.41
Vuelpho primus vbi obierit 53.49. secundus 373.56. Tridentum capit 325.40. obitus 330.52
Vueltenburgium cœnobium a Thessalono conditum 157.47
Vuentzeslaus abbas inferioris Altaichy 336.15. Altaichy inferioris monachus 330.22. rex Boiemiæ 455.7. Imp. abdicatur 495.42. moritur 341.4. rex Boiemiæ Austriam inuadit 410.52
Vuentzeslai regis mors 428.41
Vuerdea Sueuiæ 507.13
Vuerdea Sueuiæ ad Imperium deficit 502.2
Vuernherus Charionum dux 403.40
Vuernherus & Reginhardus signiferi cæduntur 310.12
Vuernherus Francorũ satrapes cur dignitate motus 252.53. Iurisconsultus alias Irnerius 374.2. Mersburgensis episcopus 358.51. ab Hatuino interfectus 222.38.
Westersee i. e. occidẽtalis lacus 8.48
Vuestphalense ius vnde deriuatum 206.26
Westphalisch Gericht 502.41
Wetzlar 440.16
Vuetzilo archiepiscopus Mogontinus 357.22
Vuideradus abbas Fuldensis 334.50
Vuigbertus Misnensis marchio Cæsaris Heinrici filio insignia Imperij tradere cogitur cum summo vitæ periculo 366.61
Vuigolaus Bathauensis pontifex 1.53 & 185.14
Vuildenlappe 7.25
Vuilhelmus Batauus Cæsar eligitur 422.20. Cæsar interficitur 429.54. dux Boiorum moritur 507.30. dux Hollandiæ 502.53. dux Iuliacensis 476.55. dux Turogorum 333.12
Vuilhelmus episcopus Traiectensis grauiter vulneratus 338.12. Hirsaniensium monachorum antistes 351.35. Occam mortuus 460.11.
Vuilhelmus Occomẽsis aduersus Carolum & Clementem sextũ pont. Rom. scribit 482.46
Vuilhelmus Nordmannus Anglos vincit 340.11
Vuilhelmus Pictauẽsis princeps 318.54
Vuilhelmus Boius principatũ ambit 506.9
Vuilhelmus rex Siciliæ & dux Apuliæ 390.41
Vuilhelmus Bauarus Sueuici fœderis Imperator Vlricum Wirtemberg in fugam vertit 8.5 & 143.8
Vuilhelmi Occomensis sepulcrũ 383.28. sententia de Papa 482.46
Vuilibaldus primus Aichstadiensis pontifex 55.3. & 173.14
Vuillebertus consecratur episcopus Coloniensis 258.15
Vuitekindus à Danorum rege auxilium petit contra Carolum Magnum Imperatorem 190.14
Vuolffgangus Marius abbas Allerspacensis 15.30
D. Vuolffgangus moritur 308.47
Vuolffhardus episcopus Augustanus 443.27
Vuolffratshausẽ arx & vicus 56.49
Vulgus in Iudæos sæuit 442.3
Vulgi sæuitia Rubeaquensis 367.25
Vulibertus archiepiscopus Agrippinensis 264.32
Vuirtzburgium obsidione cingitur 354.23
Vxor in qua munera olim accepta 16.12

X

Xenodochiũ Ingolstadij 485.59
Xerxes Hellespontum angustiorem contabulat 69.46
Xysti pontificis Romani martyrium 100.8

Z

Zacharias Gregorij 3. successor 171.35. pont. max. Imperium a Græcis ad Teutonicos transtulit 390.57
Zachariæ pontificis maximi literæ 171.57
Zachariæ pontif. responsio 174.14
Zatta 98.1
Zatunus Saracenus vinculis constrictus 204.20
Zaunico bonus Christianus 324.55
Zeæ feraces 55.14
Zebisius Boiemiæ reginam vxorem ducit 439.44
Zechonis reguli interitus 207.7
Zenobia fœmina armis Romanam maiestatem restituit 100.03
Zenobia auxilio Romani seruati 88.52
Zenon Imp. Theodoricum regẽ magnis honoribus afficit, eiq; occidentale Imp. committit 140.44
Zenon Imp. moritur 141.28
Zind' der Ziegeiner König 509.15
Zistibertus dux, Ludouico amicissimus prælio occiditur 248.18
Zithum ex Hordeo conficere à quo Germani didicerint 12.32
Ziza rex Sarmatarum 113.62
Zizam regem Sarmatis Cõstantius dedit 114.10
Zopyrionis interitus 25.14
Zorobabel qui & Barachia 21.36
Zotã in philosophia Christiana imbui petit 98.38
Zvvifalten monasterium 380.45

FINIS.

EPIGRAMMA AD LECTOREM CANDIDVM de Auentino Germanorum historiographorum principe.

Historia vt veterum est certissima nuncia rerum,
Ardua quâ prisca reuirescit gloria gentis:
Lumen AVENTINVS *veri, vitaq; Magister*
Sic dedit hîc oculis; Magnûm simulacra virorum,
Vt demiremur virtutis munera. Namque
Viuitur exemplis. *Populis nos facta vetusti*
Accendant, stimulent, partisq; cupidine ducant.

Daniel Brunnius
P. L. faciebat.

Digitized by Google